PATROLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS,

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA CONCILII TRIDENTINI (ANNO 1545) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA ; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA ; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA ; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA ; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA ; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA ;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III :

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. LATINA, JAM PENITUS EXARATA, QUOAD PRIMAM SERIEM VIGINTI-QUINQUE ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, MOXVE POST PERACTOS INDICES STABIT, AC QUINQUE-VIGINTI-CENTUM ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALIS AMPLECTITUR, ET AD NOVEM ET CENTUM VOLUMINA PERVENIT, SED SINE INDICIBUS ; POSTERIOR AUTEM HANC VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUE ET QUINQUAGINTA VOLUMINA RETINETUR. UTRAQUE VIGESIMA QUARTA DIE DECEMBRIS 1860 OMNINO APPARUERAT. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR : UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM, 326 VOLUMINIBUS PRO AMPLIORI EDITIONE ET 272 PRO MINORI ABSQUE INDICIBUS CONSTANTEM, COMPARET NECESSE ERIT; SECUS ENIM CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT. ATTAMEN, SI QUIS EMAT INTEGRE ET SEORSIM COLLECTIONEM GRÆCO-LATINAM, VEL EAMDEM EX GRÆCO LATINE VERSAM, TUM QUODQUE VOLUMEN PRO NOVEM VEL PRO SEX FRANCIS OBTINEBIT. ISTÆ CONDITIONES SERIEBUS PATROLOGIÆ NONDUM EXCUSIS APPLICANTUR.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS LXXXV.

LITURGIA MOZARABICA.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE, EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1862

AVIS IMPORTANT.

D'après une des lois providentielles qui régissent le monde, rarement les œuvres au-dessus de l'ordinaire se font sans contradictions plus ou moins fortes et nombreuses. Les *Ateliers Catholiques* ne pouvaient guère échapper à ce cachet divin de leur utilité. Tantôt on a nié leur existence ou leur importance; tantôt on a dit qu'ils étaient fermés ou qu'ils allaient l'être. Cependant ils poursuivent leur carrière depuis 21 ans, et les productions qui en sortent deviennent de plus en plus graves et soignées : aussi paraît-il certain qu'à moins d'événements qu'aucune prudence humaine ne saurait prévoir ni empêcher, ces Ateliers ne se fermeront que quand la *Bibliothèque du Clergé* sera terminée en ses 2,000 volumes in-4°. Le passé paraît un sûr garant de l'avenir, pour ce qu'il y a à espérer ou à craindre. Cependant, parmi les calomnies auxquelles ils se sont trouvés en butte, il en est deux qui ont été continuellement répétées, parce qu'étant plus capitales, leur effet entraînait plus de conséquences. De petits et ignares concurrents se sont donc acharnés, par leur correspondance ou leurs voyageurs, à répéter partout que nos Editions étaient mal corrigées et mal imprimées. Ne pouvant attaquer le fond des Ouvrages, qui, pour la plupart, ne sont que les chefs-d'œuvre du Catholicisme reconnus pour tels dans tous les temps et dans tous les pays, il fallait bien se rejeter sur la forme dans ce qu'elle a de plus sérieux, la correction et l'impression; en effet, les chefs-d'œuvre même n'auraient qu'une demi-valeur, si le texte en était inexact ou illisible.

Il est très-vrai que, dans le principe, un succès inouï dans les fastes de la Typographie ayant forcé l'Editeur de recourir aux mécaniques, afin de marcher plus rapidement et de donner les ouvrages à moindre prix, quatre volumes du double *Cours d'Ecriture sainte et de Théologie* furent tirés avec la correction insuffisante donnée dans les imprimeries à presque tout ce qui s'édite; il est vrai aussi qu'un certain nombre d'autres volumes, appartenant à diverses Publications, furent imprimés ou trop noir ou trop blanc. Mais, depuis ces temps éloignés, les mécaniques ont cédé le travail aux presses à bras, et l'impression qui en sort, sans être du luxe, attendu que le luxe jurerait dans des ouvrages d'une telle nature, est parfaitement convenable sous tous les rapports. Quant à la correction, il est de fait qu'elle n'a jamais été portée si loin dans aucune édition ancienne ou contemporaine. Et comment en serait-il autrement, après toutes les peines et toutes les dépenses que nous subissons pour arriver à purger nos épreuves de toutes fautes? L'habitude, en typographie, même dans les meilleures maisons, est de ne corriger que deux épreuves et d'en conférer une troisième avec la seconde, sans avoir préparé en rien le manuscrit de l'auteur.

Dans les *Ateliers Catholiques* la différence est presque incommensurable. Au moyen de correcteurs blanchis sous le harnais et dont le coup d'œil typographique est sans pitié pour les fautes, on commence par préparer la copie d'un bout à l'autre sans en excepter un seul mot. On lit ensuite en première épreuve avec la copie ainsi préparée. On lit en seconde de la même manière, mais en collationnant avec la première. On fait la même chose en tierce, en collationnant avec la seconde. On agit de même en quarte, en collationnant avec la tierce. On renouvelle la même opération en quinte, en collationnant avec la quarte. Ces collationnements ont pour but de voir si aucune des fautes signalées au bureau par MM. les correcteurs, sur la marge des épreuves, n'a échappé à MM. les corrigeurs sur le marbre et le métal. Après ces cinq lectures entières contrôlées l'une par l'autre, et en dehors de la préparation ci-dessus mentionnée, vient une révision, et souvent il en vient deux ou trois; puis l'on cliche. Le clichage opéré, par conséquent la pureté du texte se trouvant immobilisée, on fait, avec la copie, une nouvelle lecture d'un bout de l'épreuve à l'autre, on se livre à une nouvelle révision, et le tirage n'arrive qu'après ces innombrables précautions.

Aussi y a-t-il à Montrouge des correcteurs de toutes les nations et en plus grand nombre que dans vingt-cinq imprimeries de Paris réunies! Aussi encore, la correction y coûte-t-elle autant que la composition, tandis qu'ailleurs elle ne coûte que le dixième! Aussi enfin, bien que l'assertion puisse paraître téméraire, l'exactitude obtenue par tant de frais et de soins, fait-elle que la plupart des Editions des *Ateliers Catholiques* laissent bien loin derrière elles celles même des célèbres Bénédictins Mabillon et Montfaucon et des célèbres Jésuites Petau et Sirmond. Que l'on compare, en effet, n'importe quelles feuilles de leurs éditions avec celles des nôtres qui leur correspondent, en grec comme en latin, on se convaincra que l'invraisemblable est une réalité.

D'ailleurs, ces savants éminents, plus préoccupés du sens des textes que de la partie typographique et n'étant point correcteurs de profession, lisaient, non ce que portaient les épreuves, mais ce qui devait s'y trouver, leur haute intelligence suppléant aux fautes de l'édition. De plus les Bénédictins, comme les Jésuites, opéraient presque toujours sur des manuscrits, cause perpétuelle de la multiplicité des fautes, pendant que les *Ateliers Catholiques*, dont le propre est surtout de ressusciter la Tradition, n'opèrent le plus souvent que sur des imprimés.

Le R. P. De Buch, Jésuite Bollandiste de Bruxelles, nous écrivait, il y a quelque temps, n'avoir pu trouver en dix-huit mois d'étude, *une seule faute* dans notre *Patrologie latine*. M. Denzinger, professeur de Théologie à l'Université de Wurzbourg, et M. Reissmann, Vicaire Général de la même ville, nous mandaient, à la date du 19 juillet, n'avoir pu également surprendre *une seule faute*, soit dans le latin soit dans le grec de notre double *Patrologie*. Enfin, le savant P. Pitra, Bénédictin de Solesme, et M. Bonetty, directeur des *Annales de philosophie chrétienne*, mis au défi de nous convaincre d'une seule erreur typographique, ont été forcés d'avouer que nous n'avions pas trop présumé de notre parfaite correction. Dans le Clergé se trouvent de bons latinistes et de bons hellénistes, et, ce qui est plus rare, des hommes très-positifs et très-pratiques, eh bien! nous leur promettons une prime de 25 centimes par chaque faute qu'ils découvriront dans n'importe lequel de nos volumes, surtout dans les grecs.

Malgré ce qui précède, l'Editeur des *Cours complets*, sentant de plus en plus l'importance et même la nécessité d'une correction parfaite pour qu'un ouvrage soit véritablement utile et estimable, se livre depuis plus d'un an, et est résolu de se livrer jusqu'à la fin à une opération longue, pénible et coûteuse, savoir, la révision entière et universelle de ses innombrables clichés. Ainsi chacun de ses volumes, au fur et à mesure qu'il les remet sous presse, est corrigé mot pour mot d'un bout à l'autre. Quarante hommes y sont ou y seront occupés pendant 10 ans, et une somme qui ne saurait être moindre d'un demi million de francs est consacrée à cet important contrôle. De cette manière, les Publications des *Ateliers Catholiques*, qui déjà se distinguaient entre toutes par la supériorité de leur correction, n'auront de rivales, sous ce rapport, dans aucun temps ni dans aucun pays; car quel est l'éditeur qui pourrait et voudrait se livrer APRÈS COUP à des travaux si gigantesques et d'un prix si exorbitant? Il faut certes être bien pénétré d'une vocation divine à cet effet, pour ne reculer ni devant la peine ni devant la dépense, surtout lorsque l'Europe savante proclame que jamais volumes n'ont été édités avec tant d'exactitude que ceux de la *Bibliothèque universelle du Clergé*. Le présent volume est du nombre de ceux révisés, et tous ceux qui le seront à l'avenir porteront cette note. En conséquence, pour juger les productions des *Ateliers Catholiques* sous le rapport de la correction, il ne faudra prendre que ceux qui porteront en tête l'avis ici tracé. Nous ne reconnaissons que cette édition et celles qui suivront sur nos planches de métal ainsi corrigées. On croyait autrefois que la stéréotypie immobilisait les fautes, attendu qu'un cliché de métal n'est point élastique; pas du tout, il introduit la perfection, car on a trouvé le moyen de le corriger jusqu'à extinction de fautes. L'Hébreu a été revu par M. Drach, le Grec par des Grecs, le Latin et le Français par les premiers correcteurs de la capitale en ces langues.

Nous avons la consolation de pouvoir finir cet *avis* par les réflexions suivantes : Enfin, notre exemple a fini par ébranler les grandes publications en Italie, en Allemagne, en Belgique et en France, par les *Canons grecs* de Rome, le *Gerdil* de Naples, le *Saint Thomas* de Parme, l'*Encyclopédie religieuse* de Munich, le recueil des *déclarations des rites* de Bruxelles, les *Bollandistes*, le *Suarez* et le *Spicilége* de Paris. Jusqu'ici, on n'avait su réimprimer que des ouvrages de courte haleine. Les in-4°, où s'engloutissent les in-folio, faisaient peur, et on n'osait y toucher, par crainte de se noyer dans ces abîmes sans fond et sans rives; mais on a fini par se risquer à nous imiter. Bien plus, sous notre impulsion, d'autres Editeurs se préparent au *Bullaire* universel, aux *Décisions* de toutes les Congrégations, à une *Biographie* et à une *Histoire* générale, etc., etc. Malheureusement, la plupart des éditions déjà faites ou qui se font, sont sans autorité, parce qu'elles sont sans exactitude; la correction semble en avoir été faite par des aveugles, soit qu'on n'en ait pas senti la gravité, soit qu'on ait reculé devant les frais; mais patience! une reproduction correcte surgira bientôt, ne fût-ce qu'à la lumière des écoles qui se sont faites ou qui se feront encore.

SÆCULUM VII

LITURGIA MOZARABICA

SECUNDUM REGULAM BEATI ISIDORI,

IN DUOS TOMOS DIVISA,

QUORUM PRIOR CONTINET :

MISSALE MIXTUM

PRÆFATIONE, NOTIS ET APPENDICIBUS

AB ALEXANDRO LESLEO, S. J. SACERDOTE, ORNATUM ;

POSTERIOR :

BREVIARIUM GOTHICUM

OPERA

FR. ANT. LORENZANA,

TOLETANÆ ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPI,

RECOGNITUM.

NOVA NUNC ET ACCURATIORI EDITIONE UTRUMQUE MONUMENTUM REVIVISCIT

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS, EDITORE.

TOMUS PRIOR.

VENIT 10 FR. GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER*
NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1862

ELENCHUS

RERUM QUÆ IN HOC TOMO LXXXV CONTINENTUR.

EDITORIS PATROLOGIÆ MONITUM.

In admonitione *Liturgiæ Gallicanæ* præmissa (*Patrol. tom.* LXXII, col. 99), nos Operibus S. Isidori Hispalensis Liturgiam Mozarabum adnexuros polliciti, nunc fidem solvimus, duplex hujus Liturgiæ monumentum prælo mandaturi, nempe : *Missale Mixtum*, sive *Mozarabum* et *Breviarium Gothicum*. Quibus sane venerandis antiquæ Hispanorum Ecclesiæ reliquiis novam editionem vindicabat longa quam obtinuere in catholicissima regione auctoritas, locum vero quem illis nunc in *Patrologia* nostra assignamus, ipsum S. Isidori nomen, *secundum* cujus *regulam* Liturgia Mozarabum redacta fuit et composita.

His præmissis, lectorem monitum volumus, nos editionem Hispanam verbatim exscripturos, ne iota quidem uno aut apice mutato; imo etiam, ipsius paginarum notas arithmeticas crassiori charactere in columnis nostris expressuros, ad quas non semel legentem revocabit formula *Vide fol...*, vel alia similis.

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

SSMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV,

PONTIFICI MAXIMO

VENANTIUS MONALDINUS BIBLIOPOLA ROMANUS FELICITATEM.

Quod sumptibus meis prodit Missale Mozarabicum, nemini potius quam Sanctitati tuæ consecrandum fuit; neque enim majori tutela liber protegi neque digniore nomine insigniri potest, quam Benedicti XIV, doctissimi maximique pontificis, ejus scilicet quem, nobilissima in domo atque in splendidissima civitate natum, vita, cum præclara virtutum fama in litteris, et in sollicitudine pastorali acta, per amplissimos munerum et ecclesiasticorum honorum gradus, ad Ecclesiæ principatum evexit. Et quamvis nemini ignotum sit bonas quascunque artes, cunctaque laudabilium scientiarum genera Sanctitatem tuam complecti atque fovere, ipsumque te, ut aliis exemplo sis, in maximis reipublicæ christianæ negotiis, litterarias tuas occupationes nunquam intermittere; tamen apparet tua quædam peculiaris cura, quæ circa res liturgicas versatur, quibus excolendis in palatio pontificio academiam instituisti, iisque publice tradendis scholas in Urbe esse voluisti, et ipse opus insigne composuisti; quo eucharistici sacrificii ritus omnes, omnemque œconomiam, magna doctrinæ sacræ copia, tribus libris dilucide eruditeque explicasti. Hæc mihi, Beatissime Pater, spem maxime fecerunt recentem hanc Missalis Mozarabici editionem a Sanctitate tua consueta clementia et benignitate susceptum iri. Nam cum liber adeo rarus evasisset, ut ægre nec nisi grandi pecunia comparari jam posset disciplinæ liturgicæ commodum atque utilitas flagitare videbantur ut prælo rursus committeretur, ne celeberrimarum Ecclesiarum vetusti ritus ac cæremoniæ in principum et sumptuosorum hominum bibliothecis, propemodum ignotæ, diutius delitescerent. Tu vero, beatissime Pater, pro singulari qua polles earum rerum notitia, illico perspicies ordinem rei divinæ faciendæ quem Missale Mozarabicum exhibet ab eo cui Græci et Orientales assueverunt diversum esse; Ambrosiano quoque Ordini, et ei quo Romana utitur Ecclesia, in multis dissimilem. Hanc quoque continuo animadvertes eam esse liturgiam quam catholicæ Hispaniarum Ecclesiæ a suscepta fide Christiana ad pontificatum fortissimi sanctissimique viri Gregorii septimi constanter retinuerunt, quam concilia Hispana plurimis decretis confirmarunt et quam sanctus Isidorus doctissimis commentis illustravit; eamque statim deprehendes priscæ Ecclesiarum Galliæ sacrificandi methodo adeo affinem, atque similem esse, ut una atque eadem utraque dici haberique possit. Non enim, quod vulgo traditur, antiqua illa Gallorum liturgia aut ab Hispana dissentiebat, aut exemplaris instar, liturgiæ Hispanæ quodammodo præivit, sed idem modus atque ordo mysteria divina et ecclesiastica officia obeundi in utriusque gentis Ecclesiis antiquitus obtinuere. Verum ne pluribus ejusmodi recensendis beatitudinem tuam diutius morari videar, cui Missale Mozarabicum, ejusque usus, atque præstantia cognita plane atque perspecta sunt, ad pedes sanctitatis tuæ procumbens, rogo ut amplissimo tuo nomine librum ornari permittas, meque potentissimo tuo patrocinio tuearis.

[1] PRÆFATIO.

1. Cum Missale Mozarabum, jussu et impensis Francisci cardinalis Ximenii de Cisneros, Toleti typis editum, in manus meas primum venisset, hæsi, fateor, in ipso titulo. Quid hoc, aiebam, *Missale mistum secundum regulam beati Isidori dictum Mozarabes?* Num sanctus Isidorus Missale aliquando composuit, quod Braulionem, et Hildefonsum latuit?

2. Tum illud *mistum* cur additur? an fortasse (quod Eugenius de Robles prodidit, *De vita et gestis card. Ximenii, c.* 32, et vulgo creditur) Missale appellatum est *mistum*, quia illi recentiora quædam, e Missali Toletano deprompta, de mandato Ximenii, inserta fuerunt? Sed Roblesio centum et amplius annos post editum Missale hæc scribenti ægre fidem habebam, nec enim moribus optimi cardinalis convenire videbatur opus egregium de industria vitiare, et posteris fraudem facere voluisse. Utrumque autem fecisset, si, nulla præmissa admonitione, Missale Mozarabum interpolari jussisset.

3. Me etiam sollicitum habebant variæ de Mozarabum ritibus doctorum hominum opiniones, quas alii vetustos esse, et in Hispaniæ Ecclesiis diu usitatos asserunt. Alii contra e Romanorum Gallicanorumque rituum permistione haud ita pridem natos contendunt. Alii demum libros liturgicos Mozarabum ab hæreticis olim fuisse vitiatos opinantur.

4. Ea mihi obversabantur, cui Missale Ximenii solo nomine adhuc notum erat. Sed ubi librum per otium

evolvere atque diligentius examinare licuit, tam crebra, nec ambigua, genuinæ antiquitatis indicia occurrebant, ut de Sacramentarii hujus antiquitate diu ambigendum non fuerit. Formam celebrandæ Eucharistiæ inveni, non modo a Græcorum et Orientalium Anaphoris diversam, sed ab Ambrosiana quoque et a Romana liturgia plerumque dissentientem.

5. Hanc autem in Hispania diu obtinuisse fidem faciebant a conciliis Hispaniensibus sanciti, et a sancto Isidoro descripti ritus, [II] qui constanter retinentur. Ingens præterea orationum copia atque varietates, quarum aliæ vetustas Ecclesiarum Hispaniæ consuetudines ad memoriam revocant, alia fidei dogmata ad mentem conciliorum Hispaniæ aut explicant, aut adversus priscos hæreticorum errores tuentur.

6. Nec quidquam in iis offendi quod pravam acatholicorum doctrinam sapiebat, et in mentem veniebat Patres concilii Mantuani, anno 1064, coram Alexandro II pontifice, libros liturgicos Mozarabum, accurate discussos, orthodoxos pronuntiasse.

7. Sunt quidem rubricæ aliquot recentioris ævi. Sed hæ seipsas produnt, facile dignoscuntur, nec Sacramentarii antiquitati officiunt.

8. Quæ cum sæpius recogitassem, et ad maximam affinitatem attendissem quæ missæ Mozarabicæ cum prisca Gallorum missa intercedebat, in hanc sententiam deveni Missale Ximenii eam formam peragendi Divina nobis exhibere quæ in Hispania olim atque in Gallia prisco usu recepta fuerat, optimumque cardinalem Ximenium, insigni hoc opere typis vulgato, Hispaniensium pariter et Gallicanarum Ecclesiarum vetustam liturgiam ab oblivione et interitu vindicasse.

§ 1. *Pars prima Missalis Mozarabici.*

9. Liturgiæ quam postea Mozarabicam nominarunt a suscepta fide Christiana ad hanc usque diem usus aliquis semper in Hispania fuit. Exeunte sæculo XV sex Ecclesiæ Mozarabicæ, quibus Saraceni pepercerant, A Toleti superstites numerabantur (a). Quarum presbyteri et clerus privilegiis haud contemnendis fruebantur, quæ anno 1480 Ferdinandus et Isabella, catholici reges, novo diplomate confirmarunt.

10. Sed presbyteri Mozarabici missas aliaque divina officia more Romano plerumque faciebant. Nec, nisi certis quibusdam festivis diebus, ritu Mozarabico sacra mysteria celebrare solebant. Huic malo Petrus cardinalis de Mendoza, archiepiscopus Toletanus, remedium afferre cogitaverat, nullum tamen attulit.

11. Mendozæ, anno 1495, successit Franciscus cardinalis Ximenius de Cisneros, qui, inter primas sui archiepiscopatus curas, ad res ecclesiasticas Mozarabum reparandas animum appulit. Primumque effecit ut presbyteri Mozarabici proprio ritu, sæpius B quam antea, rem divinam facerent. Quod ut facilius præstarent, Missale et Breviarium Mozarabum, charactere usitato, typis edenda curavit.

12. Mozarabes enim in choro et ad altare hactenus usi fuerant libris ecclesiasticis quos [III] pauci antiquarii expedite legere noverant. Erant enim Codices charactere Gothico manu exarati, qui a multis sæculis in usu communi esse desierat.

13. Hoc sublato legendi impedimento, Ximenius collegium tredecim sacerdotum cum tribus ministris instituit, qui ritu Mozarabico missas quotidie et divina officia, celebrarent. Huic collegio unum e dictis presbyteris præesse voluit, qui *capellanus major*, aut *abbas* denominaretur (b). Eidemque collegio sacellum amplum, a corpore Christi nuncupatum, in C metropolitana æde Toleti attribuit, proventus annuos aliaque adjecit honoris et utilitatis commoda, quæ duabus Julii papæ secundi constitutionibus (c), suo et capituli Toletani decretis (d) confirmavit (e).

14. Curam Missalis et Breviarii Mozarabum edendorum cardinalis Ximenius imposuit Alfonso Ortiz, canonico Toletano, utriusque juris doctori, et litteraturæ Gothicæ probe gnaro. Eique adjutores dedit

(a) Eæ erant ecclesiæ parochiales sancti Marci, sanctæ Eulaliæ, sanctarum Justæ et Rufinæ, sancti Lucæ, sancti Sebastiani, et sancti Torquati; de quibus, de eorum clero et privilegiis, agit P. Joannes Pinius, in tractatu historicochronologico de Liturgia antiqua Hispanica, a n. 278 ad 314, et n. 309 et 361, præmisso tomo sexto Actorum sanctorum Julii.

(b) Cardinalis Ximenius, in instrumento fundationis, apud Pinium citatum, n. 328, ita loquitur: *Cum... tredecim amovibiles ad nutum archiepiscopi Toletani, pro tempore existentis, capellanos auctoritate nostra ordinaria instituerimus, qui dictum officium (Mozarabicum) juxta antiquam ordinationem debite celebrent, ac unum eorum capellanum majorem seu abbatem deputaverimus, qui aliis præesset, dictamque capellam regeret ac gubernaret*, etc.

(c) Altera data XII Kal. Octob. 1508, altera XII Kal. Februarii 1512. Exstant apud Pinium, in citato tractatu historicochronologico, cap. 8, sect. 3 et 4.

(d) Datis die prima Octobris 1508. Exstant apud citatum Pinium, cap. 8, sect. 2, a n. 327.

(e) P. Le Brun., Explic. Miss., tom. II, dis. 5, art. 2, pag. 500. Ed. Gall. Paris., animadvertere jubet liturgiam Mozarabicam, inconsulto Romano pontifice, sola auctoritate cardinalis Ximenii fuisse restitutam. Unde, inquit, desperandum non est fore ut aliquando celebratio liturgiæ Gallicanæ, quibusdam saltem festivis diebus, restituatur, si episcopus aliquis Gallus zelo et auctoritate Ximenio par id attentare voluerit. At vir eruditus fallitur, uti Julii papæ secundi constitutiones citatæ splendide probant. Præterea Julius papa, in prima sua constitutione, laudat Ximenium, quod, *fervore devotionis accensus, officium* Mozarabicum *in certis Ecclesiis* Toletanæ *civitatis, in quibus celebrabatur, auctoritate ordinaria* D *confirmaverit, et in statum pristinum restituerit.* Et sane archiepiscopus, ordinaria auctoritate usus, efficere potuit ut sacerdotes Mozarabici missas et ecclesiastica officia, ritu suo proprio celebrarent, ne vetustus Hispaniæ ritus in desuetudinem abiret, negligentia eorum qui, ejus frequentandi celebrandique causa, privilegiis, immunitatibus stipendiisque fruebantur. In Hispania enim usus liturgiæ Gotho-Hispanæ, sive Mozarabicæ, nunquam penitus sublatus fuit, quamvis *hominum malitia*, ut Julius secundus papa loquitur, plurimum *diminutus fuerit*. At usus liturgiæ Gallicanæ, pontificum consensu, et regum voluntate, sublatus, longa temporum diuturnitate ab omni Gallia prorsus exsulavit. Unde difficilius erit cuilibet episcopo Gallicano, qui id aggrederetur, liturgiam veterem Gallicanam a mortuis, ut ita dicam, excitare, quam fuit cardinali Ximenio præcavere ne liturgia Gotho-Hispana, sacerdotum Mozarabum negligentia, penitus interiret.

Alfonsum Martinez, Antonium Rodriquez, et Hieronymum Guttierez, presbyteros Ecclesiarum Mozarabicarum sanctæ Eulaliæ, sanctarum Justæ et Rufinæ, et sancti Lucæ parochos, viros probos, et litterarum gothicarum peritos.

15. Missale Mozarabum editum fuit Toleti anno 1500 a Petro Hagembach typographo, qui operam suam locaverat Melchiori [IV] Goricio nobili Novariensi, cujus industria, et impensis ars typographica Toleti promovebatur; et post annos tres, scilicet 1502, Breviarium Mozarabum Toleti prodiit, ab eodem Petro Hagembach typis excusum.

16. Exemplaria Missalis Mozarabici raro admodum inveniuntur. Tria mihi vidisse contigit, unum chartaceum, duo pergamena; quibus duobus usus sum. Unum erat e bibliotheca eminentissimi cardinalis Nerei Corsini, Clementis XII pontificis maximi fratris filii; aliud e bibliotheca eminentissimi cardinalis Silvii Valentii Gonzagæ S. R. E. camerarii. Utrumque exemplar integrum, et folio majori, ut vocant, impressum.

17. Missale constat foliis quadringentis sexaginta et novem, præter titulum, præfationem, Kalendarium, aquæ benedictionem, et, in fine, indicem brevem, quæ omnia foliis decem absolvuntur. Singula Missalis folia paginas duas, paginæ singulæ columnas duas habent, paucis admodum exceptis. Characteres quibus typographus usus est ad Germanicas accedunt, crebræ sunt litterarum vocumque contractiones.

18. Præmittitur titulus *Missale mistum secundum regulam beati Isidori dictum Mozarabes*, titulumque ornat imago beatæ Virginis sanctum Isidorum casula induentis. Consequitur præfatio, sive potius epistola dedicatoria ad cardinalem Ximenium, qua Alfonsus Ortiz rationem reddit injuncti sibi operis, et suam in exsequendis cardinalis Ximenii mandatis diligentiam fidemque commemorat.

19. Deinde consequitur Kalendarium Mozarabicum, sæpius auctum, in quo sancti leguntur Franciscus, Dominicus, Thomas de Aquino, Petrus martyr, Antonius de Padua ad sæculum XIII pertinentes. Kalendarium hoc excipit aquæ benedictio, formula scilicet benedicendi aquam aspersionis, plane antiqua, et Gotho-Hispana, atque hæc cum benedictione panis Eulogici, et indice in fine libri, extra Missale quodammodo sunt.

20. Missale autem Mozarabicum ejus generis est quod *Plenarium perfectum*, sive *Mistum*, appellant. Non enim solas orationes et preces complectitur, sed benedictiones quoque, et antiphonas, responsoria, cantica, hymnos, lectiones Scripturarum, aliaque cuncta, quæ in Missa recitantur rite disposita, et, suis locis digesta, continet. Ejusmodi autem libri e commistione Missalis simplicis, Lectionarii, Antiphonarii et Benedictionalis compositi, *Missalia mista perfecta*, et *plenaria* nuncupabantur. Cujus denominationis significationem cum Eugenius de Robles ignorasset, rationem commentus est, plane falsam, cur Missale Ximenii, pro titulo, appellatum fuerit *Mistum*, suaque auctoritate viros quosdam eruditos in errorem induxit, ut crederent nonnulla, a ritibus Mozarabicis aliena, jubente Ximenio, Missali, cum typis ederetur, fuisse interpolata.

21. Missale Mozarabum ab Adventu inchoatur, qua in re cum Orationali Gothico, cum Bobiensi Sacramentario, aliisque libris liturgicis Gallicanis, concordat. [V] At vetusta Sacramentaria ritus Romani, aut a Kalendis Januarii initium ducebant, ut de Sacramentario Leoniano suspicari licet, aut a vigilia Natalis Domini, a qua Sacramentarium Gelasianum, et Gregoriana antiquiora Sacramentaria incipiunt.

22. Dominicæ Adventus sex in Missali Mozarabico recensentur, quibus singulis propria est missa. Earumque prima pro exemplo missæ Mozarabicæ ponitur, etsi illi nonnulla desint ab ordinario Missæ, et a libro offerentium petenda-

23. Missas dominicales Adventus sex missæ propriæ sanctorum excipiunt. Nimirum sancti Clementis primi papæ et martyris, sancti Saturnini episcopi Tolosani et martyris, sancti Andreæ apostoli et martyris, sanctæ Eulaliæ Emeritensis virginis et martyris. Annuntiationis beatæ Mariæ virginis, et sancti Thomæ apostoli.

24. Subsequuntur missa unica Natalis Domini, et aliæ quatuor missæ, scilicet sancti Stephani protomartyris, sancti Joannis apostoli, sanctorum Innocentum martyrum, et sancti Jacobi fratris Domini.

25. In Missali Ximenii non habetur missa vigiliæ Natalis Domini. Hispanis enim tempore Adventus olim vetitum fuerat jejunare, aut vigilias celebrare, ob impietatem Priscillianistarum, qui, Deum factum esse hominem negantes, hoc maxime tempore, nudis pedibus incedebant, et jejunia frequentabant.

26. Diei Natalis Domini tam in Missali Mozarabico quam in Missalibus Gallicanis unica missa attribuitur; at in vetustis Sacramentariis ritus Romani tres missæ hac die inveniuntur.

27. Galli olim, et Gotho-Hispani Kalendis Januarii jejunabant, in contemptum superstitionis gentilium. At postea instituerunt ut, ineunte anno, Kalendis Januarii festum Circumcisionis Christi Domini celebraretur (a), cujus missa in Missali Mozarabum habetur. Et deinde consequitur missa Dominicæ ante Epiphaniam, eam ipsam quam antea Kalendis Januarii celebrare solebant. Eamdemque in jejunio Epiphaniæ repetunt, præter lectiones Scripturarum, laudam et sacrificium, quæ diversa sunt.

28. Consequitur missa Epiphaniæ, qua festivitate Hispani antiquitus Adventum terminabant.

29. Ab Epiphania usque ad initium Quadragesimæ novem missæ dominicales numerantur, quarum ultima inscribitur *ante diem Cineris*, et *ante carnes tollendas*.

30. Nulla autem in Missali Mozarabum, aut in li-

(a) Cod. leg. Visigoth., lib. II, tit. I, leg. 11; lib. XII, tit. IV, leg. 6.

bris liturgicis Gallicanis, mentio fit Septuagesimæ, Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ.

31. A die Cinerum ad Dominicam Paschatis, in Missali Ximenii missæ sunt una et viginti; quarum sex sunt dominicales, cæteræ feriales.

32. Ordinem vetustum missarum ferialium Quadragesimæ Mozarabes recentiores intactam ferme servarunt. At priscam missarum dominicalium seriem male perturbarunt. Nam, cum præter morem Gotho-Hispanum, Quadragesimam inciperent a feria quarta Quinquagesimæ, neque officium illius diei, neque [vi] missam propriam in libris suis haberent, officium benedicendi et distribuendi cineres totum ferme a Missali Romano, quo Toletana Ecclesia utebatur, mutuati sunt. Missam vero quæ antea Dominica prima Quadragesimæ canebatur, die Cineris celebrare instituerunt. Eademque lege missam Dominicæ secundæ ad Dominicam primam, tertiæ Dominicæ ad secundam, et quintæ ad tertiam Dominicam protraxerunt. Missas Dominicæ quartæ *mediante*, et Dominicæ sextæ *in traditione Symboli*, immotas reliquerunt, et pro quinta Dominica, cui missa deerat, novam composuerunt, atque hunc ordinem missæ dominicales Quadragesimæ, in Missali Ximenii, tenent.

33. Officium Cinerum constat benedictione et distributione cinerum, processione, concione et missa. Formula benedicendi cineres utuntur nonnihil diversa ab ea quæ in Missali sancti Pii V habetur. Cineres omnibus indiscriminatim distribuuntur, nulla mentio ejectionis pœnitentum, ac cilicii pœnitentibus imponendi. Processio et concio nomine tenus indicantur. In Missa, prophetia legitur e capite primo Proverbiorum, quæ olim legebatur feria quarta post primam Dominicam Quadragesimæ, Apostolus idem legitur, qui eadem quarta feria adhuc legi solet. Evangelium e capite quarto sancti Matthæi, illud idem est quod modo feria quarta post quartam Dominicam legitur, sed quod olim ipsa Dominica prima Quadragesimæ legebatur. Habet jejunium Christi ejusque tentationes in deserto. Quo spectant orationes quæ in missa recitantur, ad eamdem Dominicam pertinentes; quas Mozarabes recentiores ad feriam quartam Cinerum transtulerunt, etsi pleraque contineant quæ nec diei solemnis jejunii, neque quartæ feriæ conveniant.

34. Dominica prima Quadragesimæ Evangelium legitur ex Evangelio sancti Joannis (*Cap.* iv). Habet colloquium Christi cum Samaritana, eodemque orationes hujus missæ spectant, quæ olim Dominica secunda Quadragesimæ recitabatur. Dominica secunda Evangelium habet ex sancti Joannis (*Cap.* ix), de cæco a nativitate, de quo agunt orationes, quæ in eadem missa dicuntur.

35. Dominica tertia Evangelium habet ex Evangelio sancti Joannis (*Cap.* xi), in quo de Lazaro a mortuis excitato sermo est, eodemque spectant orationes, quas in missa canunt. At olim Gotho-Hispani Dominica quinta Quadragesimæ in missa et in officio commemorare solebant insigne illud miraculum quo Christus quatriduanum Lazarum ad vitam revocavit, uti ex Orationali Gothico apparet.

36. Consequitur Dominica *mediante*, quarta Quadragesimæ, cujus missa locum suum antiquum retinuit. Evangelium ex Evangelio Joannis (*Cap.* vii), et orationes sunt de sermone Christi in templo, *die festo mediante*. Dominica quinta Quadragesimæ missam habet a Mozarabis recentioribus consarcinatam, Evangelium legitur ex Evangelio sancti Joannis (*Cap.* x), in quo Christus, agens de legitimis sui gregis pastoribus, se *Pastorem bonum* [vii] aperte dicit, qui oves suas cognoscit, et ab iis cognoscitur. Orationes, more suo, e Missali et Breviario collegerunt, quæ nihil habent commune cum Evangelio; quædam de jejunio mentionem faciunt, sed aliæ ne quidem jejunium commemorant.

37. Dominica sexta Quadragesimæ, quæ et Palmarum, et in traditione Symboli denominatur, primum habet benedictionem palmarum et olivarum, tum consequitur missa, quæ locum suum immota retinuit, post duas lectiones Veteris Fœderis, Symbolum apostolorum solemniter traditur; deinde legitur Apostolus, et postea de more Evangelium, quod ex capite xi sancti Joannis desumitur, describitque triumphalem Christi Domini ingressum in urbem Hierosolymitanam. Orationes, ob Symboli traditionem, multa habent de Trinitatis mysterio, et quædam de Incarnatione. Oratio *Post pridie* meminit de solemnitate Palmarum.

38. Atque hæc est missarum dominicalium Quadragesimæ series, quam recentiores Mozarabes induxerunt. Si quis autem voluerit ordinem vetustum restituere, is primum debet missam Mozarabicam Dominicæ quintæ auferre, et deinde missam propriam feriæ quartæ Cinerum componere, ac demum missas cæteras suæ quamque Dominicæ restituere, ita ut Dominica prima fiat *de Christo in deserto*, Dominica secunda *de Samaritana*, Dominica tertia *de cæco*, Dominica quarta *de die festo mediante*, Dominica quinta *de Lazaro*, et demum Dominica sexta *de Palmis, et de traditione Symboli*.

39. Præter hasce missas dominicales, singulis Quadragesimæ septimanis, feria quarta, et feria sexta, proprias habent missas, et septimana sancta feria quinta in Cœna Domini, et Sabbatum sanctum missas proprias habent, feria autem sexta in Parasceve fit missa Præsanctificatorum.

40. Missas quadragesimales excipiunt missæ paschales octo, quarum prima die Dominica Resurrectionis Domini, sex aliæ, singulis consequentibus diebus, singulæ recitantur.

41. Post quas, in Missali Ximenii occurrunt *præparatio Missæ*, et *Liber omnium offerentium*, quibus, præter orationes, quas dicit sacerdos celebraturus, easque quas dicit quando vestes sacras induit, comprehenduntur hymnus *Puerorum*, psalmus *Confitemini*, hymnus *Salve, Regina*, missa sancti Jacobi Zebedei Hispaniarum apostoli, pro exemplari quodam missæ Mozarabicæ hoc loco proposita, pleræque

orationes, et alia quæ in missis omnibus recitantur. Post hæc subsequitur missa octava paschalis, quæ die Dominica in octava Paschæ dicitur.

42. Sunt deinde octo missæ quæ a Paschate ad Pentecosten recitantur, quarum primæ quatuor totidem Dominicis, ante festum Ascensionis, attribuuntur. Rogationes Gotho-Hispani, et Mozarabes, ante festivitatem Ascensionis, non celebrabant, nec in missa Ximenii ulla est missa *Rogationum*; sed quinta ad Ascensionem Domini spectat, sexta ad Dominicam post Ascensionem, septima ad vigiliam [VIII] Pentecostes, et octava ad diem Pentecostes.

43. Mos autem Gotho-Hispanorum, Gallorum et Mozarabum, erat in hisce missis quæ a Paschate ad Penteco ten recitabantur librum Apocalypsis legere, eumdemque morem Missale Ximenii retinuit.

44. A Pentecoste ad finem anni liturgici octo duntaxat missæ dominicales inveniuntur. Harum prima inscribitur *In Dominico primo post Pentecosten*, et ultima *in Dominico ante jejunium Kalendarum Novembrium*, quam subsequitur *missa in Jejunio Kalendarum Novembrium.*

45. His missis antiquis Mozarabes duas adjecerunt, alteram Dominica Trinitatis, alteram die festivitatis *Corporis Christi* recitandam. Missa Trinitatis tres Scripturæ lectiones a Dominica prima post Pentecosten desumit, orationes vero omnes a Dominica Palmarum. Missa festivitatis *Corporis Christi* quædam habet e Missali Romano desumpta, at plurima ejus pars e missis Gotho-Hispanis collecta est. Officium ad missam *Cibavit eos*, et oratio *Deus qui nobis*, Missale Romanum suppeditavit, Apostolus ex Epistola I ad Corinthios (*Cap.* XXIII) segmentum ejus est qui in Cœna Domini legitur, habetque verba illa *donec veniat* IN CLARITATE DE COELIS, quæ Gotho-Hispani in suis exemplaribus legebant. Evangelium e sancto Joanne (*Cap.* VI) idem est quod in Missali Romano legitur. Illatio est segmentum illationis missæ Gotho Hispanæ, quæ feria quarta post Dominicam tertiam Quadragesimæ habetur, adeo oscitanter huc translata, ut ne ea quidem omiserint quæ solemnis jejunii propria erant. Oratio *Post pridie* e missa Dominicæ ante jejunium Kalendarum Novembris, verbatim desumpta, de Eucharistia hæc habet : *Panis hic* TRANSMUTATUS *in carnem, calix hic* TRANSFORMATUS *in sanguinem sit offerentibus gratia, et sumentibus medicina.*

§ II. *Pars secunda Missalis Mozarabici.*

46. Missam jejunii Kalendarum Novembrium continuo excipiunt *Sanctorale*, *Commune*, missæ votivæ et mortuales. Sanctorale missas habet proprias beatæ Virginis, et sanctorum, quas Ecclesia Toletana celebrare solebat; paucis exceptis, quæ aut ante missam Natalis Domini, aut post eam in Missali collocantur. Sunt autem in Sanctorali missæ quatuor beatæ Virginis, binæ de cruce, una sancti Michaelis archangeli, binæ sancti Joannis Baptistæ, quinque apostolorum, una sanctorum Petri et Pauli, una Simonis et Judæ, Mathiæ, Bartholomæi et Matthæi, singulorum una; et una dominicalis quod Dominica ante festum nativitatis sancti Joannis Baptistæ dicitur.

47. E sanctis quorum in Sanctorali sunt missæ propriæ tres ad Ecclesiam Gallicanam pertinent, Martinus episcopus Turonensis, [IX] Genesius Arelatensis, et Columba Senonensis. Septem sunt Ecclesiæ Romanæ, Sebastianus, Laurentius, Cosmas et Damianus, Agnes, Cæcilia et Eugenia; una Sabina, Crispina; una Sicula, Agatha; tres Africani, Cyprianus, Speratus, et Marciana; una Palæstina, Maria Magdalene; duo Antiocheni Babilas episcopus et Romanus, cum Romano Thendulus infans, cum Babila tres pueri commemorantur; una Cappadox, Dorothea; duo Nicomediæ passi, Lucianus et Adrianus; tres incertæ gentis, et incerti loci passionis, Tyrsus, Julianus et Christophorus, quanquam hic videatur in Mœsia passus.

48. Cæteri omnes martyres Hispani sunt, duo et viginti numero, Vincentius levita Cæsaraugustanus, Eulalia virgo Barcinonensis, Fructuosus episcopus Tarraconensis, Augurius et Eulogius ejus diaconi; Emeterius et Celidonius milites Calaguritani, Torquatus episcopus Accitanus, cum quo, eadem missa, Ctesiphon, Hesichius, Indaletius, Secundus, Euphrasius et Cœcilius, coluntur; Justa et Ruffina sorores virgines Hispalenses; Justus et Pastor pueri Complutenses; Felix Gerundensis; Gerontius episcopus Italicensis; Faustus, Januarius, Martialis et Acisclus Cordubenses; Germanus et Servandus in Agro Gaditano, ut ferunt, passi; Crispinus episcopus Astigitanus et Leocadia virgo Toletana.

49. Inter martyres coluntur Leocadia, Gerontius, Crispinus, Torquatus, ejusque socii; nam Torquatus aliique sex episcopi passim martyres appellantur, nec immerito; nam primi post apostolos suo labore et sanguine Ecclesias in Hispania constituerunt. Crispinus Astigitanus in hymno Breviarii martyr canitur; Leocadia et Gerontius fidei causa carcere conditi in vinculis obierunt. Martyribus pariter sanctus Martinus Turonensis adjungitur, qui ob orthodoxam fidem ludibria, verbera et a patria exsilium passus est; Maria Magdalene, a Gotho-Hispanis martyr habebatur, uti ex ejus missa apparet.

50. Demum in Sanctorali est etiam missa jejunii sancti Cypriani, sive Kalendarum Septembris. Harum missarum longe pars maxima Gotho-Hispana est : paucæ a Mozarabis conscriptæ fuerunt. Contra antiquitatem nonnullarum ex istis missis non faciunt Acta martyrum vitiata, et interpolata, quibus earum compositores usi sunt; nam, ut in notis animadverto, Acta illa vitiata sæculo VI et VII pro legitimis habebantur.

51. A Mozarabis benedictio candelarum et missa Purificationis beatæ Virginis composita sunt; *Apostolus*, *Evangelium*, *lauda*, *sacrificium*, oratio, *missa* et *illatio* desumpta sunt a missa Circumcisionis Domini; cæteræ vero orationes et benedictio e Breviario collectæ sunt.

52. Vetusta quidem, apud Gallos saltem, est festi-

vitas Nativitatis beatæ Virginis : at missa quæ ibi Sanctorali Mozarabum ei festivitati attribuitur, partim e Missali Romano, partim e missa Annuntiationis desumpta, Gotho-Hispana censenda non est.

53. Festum [x] Conceptionis beatæ Virginis, sæculo nono, Neapoli celebrabatur, ut fidem facit Kalendarium marmoreum Neapolitanum, hoc tempore, quemadmodum eruditi opinantur, scalptum. In eo enim legere est : VIII, CONCEPTIO S ANE MARIE VIR. *Die octavo* Decembris *Conceptio Sanctæ Annæ Mariæ Virginis ;* nihilominus missa Conceptionis beatæ Virginis, quam in Missali Ximenii habemus, recentiorum Mozarabum opus est. *Officium ad missam* et *psallendo* a Missali Romano, orationes a Missali et Breviario Mozarabum desumuntur. Missam Exaltationis sanctæ Crucis, et ipsam festivitatem, Mozarabes recentiores adjecerunt. Evangelium quod in missa legitur a Dominica prima post Pentecosten, *sacrificium* a Dominica quarta post Pascha, reliqua a missa Inventionis Crucis mutuantur.

54. Missa et festivitas Inventionis sanctæ Crucis antiquæ sunt, et a Gotho-Hispanis et Gallis celebrabantur. Sed recentiores Mozarabes a missa Inventionis Crucis orationem, *missam* et *alteram orationem* abstulerunt, easque missæ Exaltationis Crucis inseruerunt, et missæ Inventionis fragmentum epistolæ undecimæ sancti Paulini Nolani *ad Severum*, pro oratione, *missa* et *alia oratione* intulerunt. Ut igitur hæc missa pristinæ integritati restituatur, ablato hoc fragmento Pauliniano, illi reddendæ sunt oratio, *missa* et *alia oratio*, quæ in missa Exaltationis Crucis leguntur.

55. Post Sanctorale, in Missali Ximenii, locum obtinet *Commune*, quod *missas communes* martyrum, confessorum et virginum complectitur, quas olim apud Gotho-Hispanos in usu fuisse aperte indicat Braulio in prologo Vitæ sancti Æmiliani Cuculati scribens mandasse se ut die solemnitatis ejusdem *missa recitetur communis* unius scilicet confessoris.

56. In Missali Ximenii missæ communes decem recensentur, quarum sex primæ sunt martyrum, septima et octava confessorum, nona et decima virginum. Ejusmodi missas olim apud Gallos exstitisse fidem faciunt Missale Gallo-Gothicum, in quo sunt missæ communes *unius apostoli et martyris* una et tres pariter *de pluribus martyribus*, una *missa unius confessoris*, et una *missa de pluribus confessoribus*. Et Lectionarium Luxoviense, in quo occurrunt *legenda in festo unius martyris*, *legenda de plures martyres*, ita enim habet, *legenda de uno confessore*, et *legenda de plures confessores*.

57. Missas communes votivæ excipiunt, quarum octo numerantur. Prima *missa votiva omnimoda*, ejusdemque tituli, in Sacramentario Bobiensi, exstat missa. Secunda est *pro seipso sacerdote*, cui similis missa, in Sacramentario Bobiensi, inscribitur *missa quomodo sacerdos pro se orare debet*. Tertia est *missa votiva singularis*, quarta *Pro itinerantibus* inscribitur. In Lectionario Luxoviensi, n. 80, occurrunt *legenda in profectione itineris*, et, n. 81, *legenda de redeundo ab itinere*. Quinta *de tribulationibus*, et sexta *pro sacerdote* [XI] *viro* inscribitur. Septima demum et octava sunt pro infirmis. His conjunguntur sex missæ mortuales.

58. Prima est *pro episcopo*, et in Lectionario Luxoviensi, n. 73, sunt *legenda in depositione episcopi*. Secunda est *pro uno sacerdote defuncto*, et in Sacramentario Bobiensi est *missa sacerdotis defuncti*. Tertia est *pro diacone* aut *subdiacono* defuncto, quarta *pro uno defuncto* quocunque, cui respondent *legenda in depositione cui volueris*, quæ in Lectionario Luxoviensi, exstant. Quinta est *missa parvulorum defunctorum*, eorum nimirum qui suscepto baptismate ante usum rationis moriuntur. Sexta est pro pluribus defunctis, quam Mozarabes die Commemorationis omnium defunctorum canere solent, huic similem missam *pro defunctis* habet Sacramentarium Bobiense.

59. Post missas defunctorum consequitur missa beatæ Mariæ virginis, quam Mozârabes diebus Sabbati non impeditis celebrant, eaque Missale Mozarabum terminatur.

§ III. *An Missale Mozarabum vetustum sit Sacramentarium.*

60. Illud autem vetustum aliquod Sacramentarium nobis exhibere nemo, ut puto, negabit, cum viderit tot ritus a multis sæculis jam antiquatos frequenter in eo commemorari : communionem quotidianam, calicem a diacono communicanti populo traditum; fideles tempore paschali veste candida indutos; publice pœnitentes ad manuum impositionem accedentes ab ecclesia ante illationem munerum ejectos; Symbolum, Dominica Palmarum, competentibus solemniter traditum; baptismum, festo Epiphaniæ, solemniter collatum; lac et mel neophytis data, eosdem per dies octo circa altare, tempore sacrificii, collocatos; silentium a diacono ante Scripturarum lectionem indictum; lectionibus, in missa, voce sacerdotis finem impositum; dyptica a diacono recitata.

61. Hæc aliaque plurima vetustatis indicia si quis perpenderit, et simul animadverterit nec *tropas*, nec *prosas*, *nec sequentias*, in hoc Missali inveniri, quanquam ante annos septingentos in Occidente cantatæ fuerint (*a*), omnesque missas quibus liber constat camdem formam liturgicam constanter retinere, a Latinorum pariter et a Græcorum liturgiis dissentientem, is minime dubitabit quin hoc Missale vetustum Sacramentarium fuerit, quod liturgiam quamdam complectitur a missa Romana et Ambrosiana, a Græcorum quoque et Orientalium anaphoris plane diversam.

[XII] § IV. *An liturgia Missalis Mozarabici sit Gotho-Hispana.*

62. Quam liturgiam eam ipsam esse quæ apud Gotho-Hispanos et antiquiores Mozarabes olim obtinuit, argumenta plurima evincunt, quorum tria hæc

(*a*) Georgius, de Liturg. Rom. pontif., tom. II, dissert. III, pag. 195, 201.

præcipua seligo. Primum, in liturgia Missalis Ximenii, ea omnia inveniuntur quæ sanctus Isidorus, tam in libris de Officiis ecclesiasticis, quam in epistola ad Ludifredum commemorat, et explicat, tanquam partes præcipuas liturgiæ Ecclesiæ Gotho-Hispanæ. Secundum, liturgia Missalis Ximenii ea omnia retinuit quæ concilia Hispana in Eucharistiæ celebratione ut observentur decreverunt. Tertium, maxima est liturgiæ Missalis Ximenii cum prisca Gallorum liturgia affinitas, ut non tam similes quam eædem videantur.

63. Primum igitur, teste sancto Isidoro (*a*), in Liturgia Gotho-Hispana erant cantica, psalmi, hymni, antiphonæ, et responsoria, et in missis Mozarabicis cantantur *benedictiones* (*b*), sive canticum trium puerorum, hymnus *Gloria in excelsis*, antiphona ad introitum, *sive officium ad missam*, responsorium, sive *psallendo*, offertoria sive *sacrificium* (*c*), psalmus *Confitemini*, laudes, et alleluia (*d*).

64. Sanctus Isidorus in liturgia Gotho-Hispana commemorat Scripturarum Veteris et Novi Testamenti lectiones (*e*), silentium a diacono indictum (*f*), concionem sacerdotis (*g*), oblationes panis et vini a levitis altari illatis, a quibus mensa Domini componebatur. Agit etiam de lotione manuum, de officio precum, de nominum, sive diptychorum, recitatione, et de pace danda (*h*), quorum nihil in missa Mozarabica desideratur. Nam lectiones Scripturarum, plerumque tres, una e Veteri, duæ e Novo Fœdere, recitantur, quandoque quatuor leguntur, binæ ex utroque Testamento. Lectores Vetus Testamentum, levitæ Novum legunt. Silentium a diacono indicitur, sacerdos concionatur, oblationes panis et vini in missis solemnibus, levitæ inferunt altari, easque componunt et tegunt. Manus ad altare lavantur, preces dicuntur, nomina recitantur, et pax datur.

65. Neque sanctus Isidorus omisit explicare septem illas orationes, quibus liturgia Gotho-Hispana maxime constabat (*i*), eæ autem in missis omnibus Missalis Ximenii exstant, eumdemque ordinem obtineant, quem olim tempore sancti Isidori obtinuerunt. Nulla enim est missa Mozarabica, in qua non inveniatur oratio *Missæ*, tum *alia oratio*, et deinde tertia, quæ *post nomina* inscribitur, quam quarta oratio *ad pacem* dicta excipit [XIII], quinta deinde consequitur, *illatio* (*j*) Gotho-Hispanis, Romanis *præfatio* nuncupata, cujus initio *aures ad Dominum* (*k*), et *sursum corda* proclamantur, et in fine *Sanctus* latine, et *Agios* Græce, ter, et *Osanna in excelsis* (*l*) semel atque iterum cantatur. Huic orationi appendix ad-
A nectitur, *post sanctus* dicta, cui olim statim adnectebantur verba consecratoria elementorum, modo vero inter hanc appendicem et consecrationis formulam, mediat brevis oratiuncula, a Mozarabis excogitata. Facta elementorum consecratione, sexta oratio *post pridie* a Missali nostro, a sancto Isidoro *confirmatio sacramenti* denominata (*m*), recitatur, quam septima, quæ est *Dominica*, cum sua præfatione et appendice consequitur.

66. Dona a sacerdote, uti olim in Gotho-Hispana, ita modo in liturgia Missalis Ximenii, consecrantur, prolatis Christi verbis (*n*), et in corpus et sanguinem Domini, operante Dei omnipotentia, transmutatur. Corpus dominicum frangitur (*o*), Symbolum Con-
B stantinopolitanum recitatur (*p*). Sacerdos populo solemni formula benedictionem impertitur (*q*). Corpus Christi communicantibus distribuitur (*r*), et, gratiis Deo actis, populus dimittitur.

67. Præterea sanctus Isidorus agit de vigiliis (*s*), de die Dominica, et de festivitatibus, in Ecclesia Gotho-Hispana celebrari solitis (*t*), de jejuniis Quadragesimæ, Pentecostes, septimi, et noni mensis, et initii anni (*u*). Missale vero Ximenii, plures habet missas, quæ in solemnitatibus Domini, beatæ Virginis et sanctorum recitantur. Sunt missæ quæ in agendis mortuorum, sunt aliæ quæ diebus Jejunii sancti Cypriani, sancti Martini, Pentecostes et Epiphaniæ celebrantur. Suas quoque missas et feriales, et dominicales, habet Quadragesima. Et quamvis jejunia
C initio anni olim a Gotho-Hispanis suo loco mota fuerint, et Epiphaniæ festo præmissa, adhuc tamen missa quæ antiquitus initio anni, cum jejunarent, recitabatur, in Missali nostro superest, et die Dominica ante Epiphaniam a Mozarabibus celebratur.

68. Demum eamdem ecclesiasticæ hierarchiæ formam in Missali Ximenii observare licet, quam suo tempore sanctus Isidorus agnoverat (*v*), iisdem quibus olim cleri et populi gradibus constantem. Hæc breviter exposita, si quis attenderit, videbit sane Missale Ximenii, eamdem liturgiam exhibere, quam sanctus Isidorus in suis libris descripserat.

69. Ad concilia Hispaniensia venio, quæ cum plura ad rem Liturgicam Gotho-Hispanam pertinentia statue-
D rint, quæ in liturgia Missalis Ximenii adhuc retinentur, aliud nobis efficax argumentum suppeditant, ad probandum liturgiam Mozarabicam, [XIV] Gotho-Hispanam esse. Primum igitur ritu Mozarabico sacerdos sine orario missam non celebrat, ex decreto concilii

(*a*) Sanctus Isidorus, de Off. eccl., lib. I, cap. 4, 5, 6, 7, 8, et epist. ad Ludifr.
(*b*) Sanctus Isid., epist. ad Ludifr.
(*c*) Sanctus Isid., Off. l. I, c. 14, ep. ad Ludifr.
(*d*) Sanctus Isid., Off. l. I, cap. 13.
(*e*) Ibid., cap. 10, 12, et in epist. ad Ludifr.
(*f*) Sanctus Isid., Off. lib. II, 8.
(*g*) Ibid., cap. 5.
(*h*) Sanctus Isid., Off. l. II, c. 8, et in epist. ad Ludifr.
(*i*) Sanctus Isid., Off. l. I, c. 15.
(*j*) Sanctus Isidorus, de Off. Eccl., l. I, c. 15.
(*k*) Sanctus Isid., epist. ad Ludifr.
(*l*) Sanctus Isid., Off. l. I, c. 15.
(*m*) Ibid., et in epist. ad Ludifr.
(*n*) Ibid., cap. 18, et lib. II, cap. 7 et 8.
(*o*) Sanctus Isid., de Off. Eccl., l. I, c. 18.
(*p*) Ibid., cap. 16.
(*q*) Ibid., cap. 17.
(*r*) Ibid., cap. 18, et l. II, c. 8.
(*s*) Sanctus Isid., Off. l. I, cap. 22.
(*t*) Ibid., c. 24, ad 35, et lib. II, c. 27, 28.
(*u*) Sanctus Isid., lib. II, c. 36, ad 41.
(*v*) Ibid., lib. II, c. 5, ad 14.

III Bracarensis (*a*), et unum duntaxat orarium induit, ex concilio IV Toletano (*b*). In missa panis tandem et vinum aqua temperatum offertur, ex concilio III Bracarensi (*c*), et sacerdos toties communicat, quoties missam celebrat, ex concilio Toletano XII (*d*).

70. In missa canitur hymnus *Gloria in excelsis*, et canticum puerorum, ex concilio IV Toletano (*e*). Evangelium post Apostolum in missa legitur, ex concilio Valentino (*f*) et ex concilio IV Toletano (*g*) *alleluia* non canitur tempore Quadragesimæ neque *laudes* canitur post Apostolum, sed post lectum Evangelium (*h*), et in omni missa oratio Dominica recitatur (*i*). Nec simpliciter dicitur *Gloria Patri, et Filio*, etc., sed *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto* (*j*). Ex præcepto concilii Toletani III (*k*), Symbolum Constantinopolitanum in Missa recitatur, priusquam Dominica oratio dicatur. Postquam dictum est Symbolum, corpus Domini frangitur, tum, ex decreto concilii IV Toletani, oratio Dominica recitatur, *fit conjunctio panis et calicis*, deinde sacerdotis benedictio consequitur, et *tum demum corporis et sanguinis Domini sacramentum sumitur* (*l*).

71. Ex ejusdem concilii decreto lucerna, et cereus paschalis, Sabbato sancto benedicantur (*m*). Feria sexta majoris hebdomadæ officio proprio gaudet, *indulgentia* postulatur, et *crucis mysterium* prædicatur (*n*). Hymni humano ingenio compositi in officio divino recitantur (*o*), in fine psalmorum *Gloria et honor*, etc., canitur (*p*). Liber Apocalypsis a Paschate ad Pentecosten legitur (*q*). Concilium Gerundense jejunio, et Litanias Pentecostes, et Kalendarum Novembrium instituit (*r*), quorum in Missali Ximenii sunt missæ propriæ. Concilium Toletanum X instituit ut festivitas dominicæ matris, die XV Kalendarum Januarii celebraretur (*s*), quo die, etiam nunc in Missali Ximenii missam habet propriam. Concilium Bracarense II, concilium Emeritense, et sanctus Isidorus meminerunt de pecunia, quam, certis quibusdam diebus festivis, populus sacerdoti offerebat (*t*), et Missalis Ximenii rubrica præcipit ut sacerdos, conversus ad populum, oblatam pecuniam recipiat.

72. Missale Ximenii non modo observat ea quæ circa ritus præscripserunt concilia Hispanica, verum etiam in orationibus doctrinam Catholicam ad mentem eorumdem constanter explicat, et frequenter peculiares illis loquendi modos adhibet [XV], sic Spiritum sanctum a *Patre Filioque procedere*, juxta vetustam Hispanorum doctrinam, distincte prædicat, sic *hominem*, pro *natura humana*, non raro usurpat, et Christum *unum de Trinitate* dicit, modum loquendi concilii Toletani IV secutum (*u*). Denique ne quid Missali Ximenii deesset, quod Sacramentarii Gotho-Hispani proprium foret, in eo missæ inveniuntur quæ diebus festivis Circumcisionis Domini et Inventionis sanctæ crucis celebrarent, quas leges Visigothorum observari mandaverant (*v*).

§ V. *An liturgia Missalis Ximenii eadem sit atque Gallicana?*

73. Tertium argumentum quo probatur liturgiam Missalis Ximenii Gotho-Hispanam esse, in intima ejus similitudine cum Liturgia Gallicana positum est. Em. Bona (*x*) antea viderat *missam Gallicanam eamdem esse atque Toletanam*, sive Mozarabicam, et Mabillonius animadverterat missam Gallicanam eodem ritu celebratam fuisse quo *Toletana seu Mozarabica* celebrabatur (*y*). Sane qui in Gallia sæculo IX vivebant, quando veteris Gallorum liturgiæ memoria adhuc supererat, pro comperto habebant missam Mozarabicam Toletanorum veterem Galliæ sacrificandi normam perfecte repræsentare. Quod adeo verum est ut Carolus Augustus Calvus, cupiens oculis, et auribus percipere discrimen, quod inter Missam Romanam, et Gallicanam intercedebat, a Sacerdotibus Toletanis Missam, suo ritu Mozarabico, coram se celebrari mandaverit, quemadmodum in Epistola, ad Clerum Ravennatem data, testatur: *Usque ad tempora abavi nostri Gallicana Ecclesia aliter quam Romana vel Mediolanensis divina celebrabat officia sicut vidimus, et audivimus ab iis, qui ex partibus Toletanæ Ecclesiæ ad nos venientes sacra officia celebrarunt*. Quæ verba, ut scite notat Mabillonius, (*z*) *consequentiam non haberent, nisi eadem fuisset Toletana atque Gallicana liturgia*.

74. Sed modo, inita comparatione, breviter ostendendum est liturgiam Missalis Ximenii cum antiqua Gallicana omnino convenire, ut hoc etiam indicio appareat eamdem Gotho-Hispanam esse. Primum itaque tam Galli quam Mozarabes missam a cantu inchoarunt, qui Gallis *prælegere* (*aa*), aut *antiphona*

(*a*) Conc. Brac. III, can. 4.
(*b*) Conc. Tolet. IV, can. 40.
(*c*) Conc. Brac. III, can. 1.
(*d*) Conc. Tolet. XII, can. 5.
(*e*) Conc. Tolet. IV, can. 13, 14.
(*f*) Conc. Valent., can. 1.
(*g*) Conc. Tolet. IV, can. 11.
(*h*) Ibid., can. 12.
(*i*) Ibid., can. 10.
(*j*) Ibid., can. 13, 15.
(*k*) Conc. Tolet. III, can. 2.
(*l*) Conc. Tolet., can. 18.
(*m*) Ibid., can. 9.
(*n*) Ibid., can. 7.
(*o*) Ibid., can. 13.
(*p*) Ibid., can. 15.
(*q*) Ibid., can. 17.
(*r*) Conc. Gerundense, can. 2.
(*s*) Conc. Tolet. XII, can. 1.
(*t*) Conc. Brac., II, can. 21. Conc. Emeritan., can. 14. Sanctus Isid., epist. ad Ludefr.
(*u*) Conc. Tolet. IV, can. 1. *Idem Dominus Jesus Christus, unus de sancta Trinitate*, etc.
(*v*) Cod. leg. Visig., lib. II. Tol. I, leg. 11, et lib. XII, t. I, IV, leg. 6.
(*x*) Rerum Liturgic. lib. I, cap. 12, sect. 5.
(*y*) Mabillonius, de Liturg. Gallic., lib. I, cap. 3, n. 9.
(*z*) Ibid.
(*aa*) Sanctus Germanus Parisiensis in explicatione Missæ Gallicanæ, Thes. nov. anecd., tom. V, col. 91.

ad prælegendum dicebatur, Mozarabis vero, in Missali Ximenii dictum est *officium ad missam* [XVI]. Deinde in utraque liturgia, Gallicana scilicet et Mozarabica, hymnus *Gloria in excelsis* canitur (*a*), aut canticum Zachariæ *Benedictus*, quod Galli *prophetiam* nuncuparunt (*b*). Hymnum aut canticum oratio consequitur, quæ in Missali Ximenii proprio nomine caret, in libris Gallicanis *collectio post prophetiam* quandoque inscribitur (*c*). Postea populus salutatur. Et, in utraque liturgia, formula qua sacerdos populum salutat eadem est, *Dominus sit semper vobiscum* (*d*).

75. In utraque liturgia tres leguntur Scripturæ lectiones, una e Veteri, duæ e Novo Testamento (*e*). Et ante lectiones indicitur silentium (*f*). In utraque hymnus puerorum post lectionem propheticam recitatur (*g*), et *responsorium* sive, uti Mozarabes loquuntur, *psallendo* canitur (*h*), post lectionem Evangelii concio habebatur, aut homelia, de qua apud sanctum Germanum titulus exstat (*i*). Preces deinde et catechumenorum atque pœnitentium dimissio consequebantur, de quibus meminit sanctus Germanus (*j*), et in Missali Ximenii non levia supersunt vestigia tam precum quam missionis catechumenorum.

76. Deinde, in utraque liturgia, fit oblatio munerum consecrandorum, panis nimirum et vini, et interim canitur *sacrificium*, quod sancto Germano *sonum* est (*k*). Facta oblatione, lotisque sacerdotis, presbyterorum ministrorumque manibus, in utraque liturgia sacerdos confessionem, sive *apologiam*, faciebat (*l*). Tum sacerdos, in utraque liturgia populum salutat, et, ad altare accedens, septem illas solemnes orationes, quibus liturgiæ Gallicana, Gotho-Hispana, et Mozarabica præcipue constant, et ab aliis quibuscumque distinguuntur, devote recitabat. Harum orationum plura supersunt exemplaria in Missali Gothico, quod re ipsa Gallicanum est, et aliquot in Missali quod *Gallicanum vetus* inscripserunt, ut minime dubitandum sit quin eæ orationes eumdem ordinem in liturgia Gallicana tenuerint, quem in Missali Ximenii retinuerunt. Harum prima in libris Gallicanis *præfatio*, aut *præfatio missæ* denominatur (*m*), in Missali Ximenii *missa*. Secunda in nostro *alia oratio*, in Missalibus Gallicanis *collectio sequitur* (*n*). Tertia post *nomina* tam apud Mozarabes quam apud Gallos dicitur [XVII], quarta apud utrasque *ad pacem* (*o*), quinta Gallis, aut *contestatio*, aut *immolatio missæ* inscribitur, Mozarabis *illatio*. Ejus vero appendix utrisque *post Sanctus* (*p*) dicitur. Eique verba consecratoria elementorum subjiciuntur. In missis martyrum *contestatio* Gallorum, non secus ac illatio Mozarabum, earum res gestas et tormenta quæ passi sunt commemorare solet, quemadmodum Hilduinus abbas, in vetustis Missalibus Gallicanis, observaverat (*q*).

77. Peracta elementorum consecratione, sexta oratio recitatur, quam Galli *post mysterium*, aut *post secreta* appellant (*r*), Mozarabes *post pridie*. In utraque liturgia consequitur *confractio dominici corporis*, ut sanctus Gregorius Turonensis loquitur (*s*), et interim, dum sacerdotes in ara illud confringunt, *confractorium* canitur (*t*), et tandem septima oratio, quæ *Dominica* est, recitatur, illique brevis oratio præmittitur, *ante orationem Dominicam* Gallis dicta, et subsequitur alia, quæ iisdem *post orationem Dominicam* (*u*) nominatur. His absolutis, in utraque liturgia, fit commistio corporis et sanguinis Domini (*v*), tum sacerdos populo benedictionem impertitur, qui voce diaconi prius monebatur ut se humiliaret benedictioni (*x*). Data benedictione, canebatur quod Missali Ximenii *ad accedentes inscribitur* (*y*), fit deinde communio; qua peracta, in utraque liturgia, orationes post communionem (*z*) recitantur, ac populus dimittitur. Plures alii ritus addi possunt, qui a Gallis pariter, atque a Gotho-Hispanis, et Mozarabibus usurpabantur, sed hactenus prolati sufficiunt ad probandum liturgiam Missalis Ximenii adeo similem esse veteri Gallicanæ, ut una atque eadem, haud immerito, haberi possit.

§ VI. *Satis fit eorum difficultatibus qui opinantur liturgiam Missalis Ximenii diversam esse a Gallicana.*

78. Non ignoro viros quosdam eruditos opinatos esse liturgiam Mozarabicam nec Gotho-Hispanam neque Gallicam habendam esse. Nam, inquiunt,

(*a*) Sacramentarium Bobiense, apud Mabillonium, Musæi Ital. tom. I, part. II, pag. 281, 282.

(*b*) Sanctus Germanus, in explic. Miss. Gal.

(*c*) Missale Gallo-Gothicum, alias Gothicum, in missa Nativitatis Domini.

(*d*) Sanctus German., in Expl. miss. Gallic.

(*e*) Lectionarium Luxoviense. Sacramentarium Bobiense. Sanctus Germ., in Expl miss. Gallic. Sanctus Gregorius Turonensis, Hist. lib. IV, c. 16.

(*f*) Sanctus Germanus, in Expl. Miss. Gall.

(*g*) Sanctus Germanus, ibid., et Lectionar. Luxoviense, n. 8.

(*h*) Sanctus Gregorius Turonensis, Hist. lib. VIII, cap. 3.

(*i*) In Explic. missæ Gallicanæ, ubi titulus De homelias.

(*j*) Ibid., ubi est titulus de Catecumino.

(*k*) Ibid.

(*l*) Missale Gothicum, re ipsa Gallicanum, in missa diei Paschalis, habet exemplar Apologiæ sacerdotis. Aliud est in Sacramentario Bobiensi, pag. 375, et tertium in Missali Ximenii.

(*m*) Missale Gothicum, Missale Gallicanum vetus.

(*n*) Ibid.

(*o*) Ibid.

(*p*) Ibid.

(*q*) Hilduinus, epist. ad Ludovic. Pium, Areopagiticis præmissa.

(*r*) Missale Gothic., Missale Gal. vetus.

(*s*) De Glor. martyr., cap. 87.

(*t*) Sanctus German., in Explicatione missæ Gallic.

(*u*) Sanctus Ger., Expl. miss. Gallic., Missale Gothicum, et Gallicanum vetus.

(*v*) Sanctus Germ., Ibid.

(*x*) Sanctus Germ. ibid. et Sanctus Cæsarius Arelat. hom. 8, inter editas a Baluzio.

(*y*) Sanctus Germ., in Expl. miss. Gal.

(*z*) Missale Goth. et vet. Gallic.

Galli in missa hymnum *Gloria in excelsis* olim non A cantabant, sed canticum Zachariæ, quod Mozarabes canere non solebant. Deinde Galli litaniam, sive *Kyrie eleison* in missa sua recitabant, præter morem Gotho-Hispanorum. Præterea Honoratus a Sancta Maria (*a*) non dubitavit asserere liturgiam Mozarabicam a Gallicana differre in collectis, [xviii] in lectionibus, in canone missarum multarum, in Symbolo apostolorum, quod Mozarabes ante orationem Dominicam recitant, et in modo dividendi hostiam. Ad hæc tamen facilis est et expedita responsio.

79. Primum enim non satis constat an Galli in missa hymnum *Gloria in excelsis* recitaverint. De eo quidem hymno silet sanctus Germanus Parisiensis sive alius, quicunque fuerit, vetustus auctor, Explicationis missæ Gallicanæ. Sed cum alia plura B omiserit, silentium ejus non evincit Gallos hunc hymnum in missa non cantasse, e contra Sacramentarium Bobiense, sub hoc titulo, *Gloria ad missam decantanda*, exhibet integrum hymnum *Gloria in excelsis*, etc. et duas orationes subjicit post hymnum recitandas (*b*).

80. Aiunt quidem Sacramentarium Bobiense, puram et putam liturgiam Gallicanam non exhibere. Quod sane verum est. At cum liturgiæ Sacramentarii Bobiensis prima pars, quæ ad finem usque contestationis pertingit, Gallicana sit, et hymnus Gloria utique ad hanc partem pertineat, dicendum videtur etiam Gallos hymnum *Gloria* in missa recitasse. Hanc conjecturam confirmant binæ orationes post hymnum recitandæ, in eodem Sacramentario C appositæ, nam ritu Gallicano, Gotho-Hispano, et Mozarabico hymnum oratio consequitur.

81. Hac tamen in re erat fortasse quædam disciplinæ varietas, quæ ob defectum librorum officialium, nobis satis perspecta non est, et aliæ Ecclesiæ Gallicanæ hymnum *Gloria* cantabant, quod de iis qui Visigothorum imperio parebant, et conciliorum Hispaniæ decretis regebantur, certum videtur; aliæ vero, quandoque hunc hymnum cantabant, quandoque canticum Zachariæ; et demum aliæ hymnum angelicum, simul cum cantico Zachariæ, in missis solemnibus cantare solebant.

82. Quem morem tenuisse Gotho-Hispanos et antiquiores Mozarabes, mihi credibile est. Recentiores autem Mozarabes, in missa brevitatem secuti, D canticum Zachariæ frequenter omittere cœperunt, et modo, paucis exceptis, in missis id omnino non canunt.

83. Ad ritum canendi *Kyrie eleison* quod attinet, in eo discrimen inter liturgiam Gallicanam et Mozarabicam fundari non potest, nam ritus Gallicanus non est, sed concilii decreto (*c*) ab Italia et ab urbe Roma translatitius. Præterea Mozarabes antiquiores in missa *Kyrie eleison* repetebant, cum preces diaconicæ dicerentur. Et recentiores Mozarabes in quibusdam missis *Kyrie eleison* aliquoties dicunt.

84. Iisdem de causis discrimen inter liturgiam Mozarabicam et Gallicanam constitui nequit in Symboli recitatione, nam valde credibile est Gallos, non secus atque Gotho-Hispanos Symbolum in missa recitasse, saltem in quibusdam Ecclesiis, exstat enim, apud Martenium (*d*) homilia quædam *de dedicatione templi*, [xix] quam eruditus Editor sancto Cæsario Arelatensi tribuit, in qua mentio fit Symboli, *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem*, in missa recitari soliti. Deinde ritus recitandi Symboli in missa, peculiari concilii Toletani III decreto (*e*) institutus fuit, istiusmodi autem ritibus translatitiis accidebat ut Ecclesiæ quæ decretis conciliorum, a quibus suscepti aut instituti fuerant, non parebant, pro suo libito eos vel rejicerent, vel admitterent. Quare varietas, ab ejusmodi ritibus orta non sufficit ad probandum Gallos liturgiam habuisse diversam a Gotho-Hispana sive Mozarabica.

85. Porro animadvertendum Gotho-Hispanos non recitasse in missa Symbolum apostolorum, ut scribit Honoratus a Sancta Maria (*f*), sed Symbolum Constantinopolitanum, uti ex concilio Toletano III patet, illudque idem est, quod sanctus Isidorus (*g*), aliique, Nicænum appellarunt. At, inquit (*h*), Mozarabes hostiam in novem partes dividunt, quod Galli minime faciebant.

86. Sed velim scire an vir eruditus nos docere possit in quot partes Galli antiquitus hostias partiri solebant? Hoc igitur primum ostendat, et tum in fragmentorum numero discrimen liturgiarum ponat.

87. Quod idem ait (*i*) liturgiam Gallicanam in collectis, in lectionibus, in canone multarum missarum, a Mozarabica discriminari, ad rem non est, quæstio enim hic instituitur de liturgiarum Galliæ et Hispaniæ concordia, aut diversitate, non autem de Missalium et Lectionariorum (sive illa Gallicana, sive Gotho-Hispana fuerint) varietate et discrepantia.

88. Utique eruditus critices doctor optime noverat in eadem liturgia, Missalium, Sacramentariorum, Lectionariorum, aliorumque librorum liturgicorum diversitatem inveniri, non enim ignorabat Sacramentaria Gregorianum, Gelasianum et Leonianum, non

(*a*) Animadversiones in usum critices, tom. III. lib. v, diss. III, art. 3, sect. 4, pag. 147, 148, Ed. Lat. Venet. 1739.

(*b*) Sacr. Bobien., p. 281, 282.

(*c*) Concilium Vasiense, can. 2.

(*d*) Martenius, de antiq. Eccles. Rit. tom. X, lib. III, cap. 12, col. 186.

(*e*) Can. 3.

(*f*) Animadversiones in usum critices, Edit. Lat., Venetiis 1739, tom. III, lib v, dissert. III, sect. 4, pag. 147: *In Symbolo apostolorum, quod recitabant ante orationem Dominicam*. Idem in Editione Gallica, Parisiis 1720, legitur, tom. III, lib. v, dis. III, sect. 4, pag. 2 2.

(*g*) Sanctus Isidorus de Off. Eccles., lib. I, cap. 16.

(*h*) Honoratus a Sancta Maria, Animad. in usum crit., t. III, p. 147, 148, Ed. Latinæ, Venet. 1739.

(*i*) Ibid.

modo in numero et prolixitate orationum missarumque, sed in verbis etiam atque in contextu discrepare, quin plures admittendæ sint liturgiæ Romanæ, ab invicem, pro Missalium numero, dissentientes. Noverat quoque unam esse liturgiam Constantinopolitanam, etsi missa Chrysostomi diversa quandoque sit a Basiliana; unam esse liturgiam Syriacam in tanta varietate Anaphorarum; unam esse Copticam, unam Alexandrinam, quamvis missæ sancti Marci, sancti Basilii, sancti Cyrilli, et sancti Gregorii, in multis dissentiant. Unam denique fuisse liturgiam Gallicanam, quamvis libri Missales et Lectionarii frequenter non concordabant, uti ex iis qui adhuc supersunt conjicere licet.

89. Quamvis igitur Missale Mozarabum in orationibus et in lectionibus Scripturarum non raro dissentiat a Missali Gallo-Gothico [xx], et a Lectionario Lexoviensi, non inde consequitur hos libros ad diversas liturgias pertinuisse, aut Gallicanam, Gotho-Hispanam, et Mozarabicam unam eamdemque liturgiam non fuisse. Nam, cum in Missali Gallo-Gothico idem typus liturgicus inveniatur, qui in Missali Mozarabum Ximenii, et in utroque Missali deprehendatur idem numerus, idem ordo, eademque dispositio orationum, lectionum, actionumque liturgicarum, ambo hi libri censendi sunt ad unam eamdemque liturgiam pertinere, quæ in Gallia olim atque in Hispania usu et praxi Ecclesiarum recepta fuit. E diversitate autem Missalium id unum legitime colligi potest eas a diversis auctoribus fuisse compositas.

90. Denique, quod addit (*a*), liturgiam Gallicanam in canone multarum missarum a Mozarabico discriminari, plane fallitur: nam missæ Gallicanæ, et Mozarabicæ canonem omnino non habent, in ea vocis acceptione qua utimur cum de missa Romana sermo est. Oratiuncula illa *Adesto, adesto, Jesu bone*, etc., manifestum est recentiorum Mozarabum additamentum, nec nomen *canonis* meretur. Perperam etiam aliqui nomine *canonis* donarunt orationem *post Sanctus*, quæ appendix illationis dici debet.

§ VII. *Respondetur iis qui aiunt liturgiam Missalis Ximenii vitiatam esse.*

91. Majoris est momenti alia accusatio, liturgiam Mozarabicam missalis Ximenii adeo vitiatam esse, ut eadem dici nequeat atque Gotho-Hispana. Hanc accusationem præ cæteris magna eruditionis specie promovet P. Petrus Le Brun (*b*). Quæ alii sparsim scripserant in unum congerit, suisque observationibus auget et illustrat.

92. At quid tandem opponit? scilicet, presbyteros Mozarabicos, priusquam sacras vestes induant, dicere *Ave, Maria;* quando ad aram accedunt, primum dicere *Ave Maria*, ac deinde confessionem facere; ab ara, absoluta missa, recessuros, dicere *Salve, Regina;* quando amictum induunt, dicere *Impone, Domine*, etc. (amictus, inquit, tempore Leandri et Isidori in usu non erat); facta elementorum consecratione, hostiam et calicem tectum *filiola* elevare, tempore Adventus omitti cantum hymni *Gloria in excelsis*, Missale mutationem quamdam passum esse in oratiuncula *Adesto, adesto, Jesu bone*, quæ præcedit consecratoria Christi verba; omnes ferme rubricas Dominicæ Palmarum, feriæ quintæ, et sextæ majoris hebdomadæ e Missali Romano-Toletano depromptas esse; in Missali Ximenii desiderari rubricam hanc [xxi], quam Etherius et Beatus retulerunt (*c*): *cum Evangelium a levita super altare levatur, primum dicitur* LAUS TIBI, *et ab omnibus respondetur* LAUS TIBI, DOMINE REX ÆTERNÆ GLORIÆ; hanc aliam rubricam: *Quando chorus dicit* PACEM MEAM *accipiat sacerdos pacem de patena... et det eam diacono, vel puero, et puer det populo*, additam fuisse Missali, postquam pax dari cœpta est tabella quadam, quæ *porta pace* Hispanis nuncupatur; formam hymni *Gloria in excelsis* quæ in Missali Ximenii legitur desumptam esse e Missali Toletano; demum, teste Roblesio (*d*), Missale Mozarabum inscriptum fuisse *Missale mixtum*, quia mandante Ximenio pleraque recentiora, Mozarabibus ignota, fuerunt immista, quæ e Missali Toletano desumpserant.

93. Hæc sunt, quæ Missali nostro opponit eruditus Le Brun, et quæ ab aliis passim objici solent. Quibus ipse nonnulla adjeci. Si quid enim offendi quod a ritibus Gotho-Hispanis discrepare videbatur, in notis indicavi. Hæc tamen integritati liturgiæ Missalis Ximenii non ita nocent, ut Gotho-Hispana dici nequeat. Quidquid enim Mozarabes innovarunt, id omne aut in paucis missis, aut in rubricis quibusdam reponendum est, ac missæ Mozarabicæ omnes formam genuinam liturgiæ Gotho-Hispanæ retinuerunt, nec una est earum quæ ordinem Romanum aut Ambrosianum sectetur.

94. Rubricæ vero quas tanquam recentes objiciunt, et minus multæ sunt, maxime si cum tota mole missalis conferantur, et integritati ritus Gotho-Hispani parum officiunt. Quod ut clarius pateat, rubricas has in classes aliquot divido.

95. Et in prima classe eas rubricas colloco, quæ vetustos ritus Gotho-Hispanos ad memoriam revocant, quorum reliquiæ quædam sunt, qui certe antiquitati Missalis ejusque liturgiæ integritati minime obsunt, imo quodammodo prosunt. Ejusmodi est rubrica illa qua in *missa votiva omnimoda*, et in missis defunctorum sacerdos monetur ut *post sacrificium* dicat *Kyrie eleison*, et chorus, ut respondeat *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, quæ vestigia quædam retinuit *precum fidelium*, in quibus ad singulas diaconi petitiones, populus, elata voce, respondebat *Kyrie eleison*, et *Christe eleison*.

96. Secundæ classis rubricæ ad missas privatas pertinent, ad eas scilicet quas presbyter sine ministrorum apparatu faciebat, ejusmodi sunt quæ monent presbyterum ut ipse dicat *Oremus*, ipse *Aures ad Dominum*, ipse Evangelium, Apostolum, et prophetam legat, aliaque dicat et faciat quæ

(*a*) Ibid.

(*b*) P. Petrus Le Brun, Explicatio Missæ, tom. II, dissert V, art. 2, § 1, pag. 301, Editionis Gallicæ Parisiis.

(*c*) Lib. I advers. Elipantum.

(*d*) In Vita cardinalis Ximenii, cap. 32.

in missa solemni diaconorum erant. Hæ autem rubricæ ferme omnes antiquæ sunt. Nam sacerdotes Gotho Hispani, cum sine ministris sacra facerent, ipsi ea agebant quæ in missa solemni diaconus faciebat.

97. Prætereundum non est Missalia mixta, sive plenaria, quale est Missale Ximenii, præcipue ad usum sacerdotum qui sacra privatim faciebant, [xxii] composita fuisse, aut eorum qui ecclesiis ruralibus et tenuioribus deserviebant, quibus librorum sacrorum copia et ministrorum apparatus deficiebat.

98. In missis autem privatis cum non fieret concio, nec publicorum pœnitentium, et catechumenorum dimissiones, de concione, de precibus pro pœnitentibus, cum illis manus imponerentur, et de eorum et catechumenorum prostratione, atque ab ecclesia ejectione, in libris Missalibus plenariis raro fit mentio. In hujusmodi libris raro etiam preces diaconicæ inveniuntur, nam diaconus, quando ejusmodi missis inserviebat, inferioris clerici munere fungebatur.

99. In missa Gotho-Hispana, et in Mozarabica antiquitus semel tantum Eucharistia elevabatur post dictum *Te præstante* (*a*), semel etiam fiebat *apologia, seu confessio* (*b*), et semel fiebat commemoratio vivorum, et defunctorum, et semel sacerdos dicebat *Introibo ad altare Dei*, etc. At recentiores Mozarabes in missa sua bis dicunt *Introibo*, semel, more Romano, prius quam sacerdos ad altare ascendat, et iterum, more Gotho-Hispano, priusquam illationem incipiat. Similiter bis confessionem faciunt, primum ritu Romano, priusquam sacerdos ad altare ascendat, et iterum, ritu Gotho-Hispano, antequam oratio *missa* dicitur. Bis quoque Eucharistiam in missa attollunt, ut adoretur a populo, primum ritu recentiore, statim facta consecratione, elevant corpus et sanguinem Domini, et iterum ritu vetusto Gotho-Hispano; post ea verba, *Te præstante*, etc., panem sanctum altius elevant. Vivorum denique et mortuorum bis commemorationem faciunt, primum ritu Gotho-Hispano, dum nomina recitantur, et oratio *post nomina* dicitur, et rursus, fracto corpore Domini, priusquam dicatur oratio Dominica, recentiore quodam instituto, fit *memento* pro vivis et priusquam communicent, tenentes manu particulam *Gloria*, faciunt *memento* pro mortuis. Jam vero tertiæ classis sunt rubricæ omnes quæ præter morem Gotho-Hispanum dirigunt hanc iteratam ejusdem cæremoniæ actionem. Hæ vero rubricæ non multum nocent integritati liturgiæ nostræ, siquidem ritus quos dirigunt antiqui sunt, quamvis extra locum antiquum iterato perficiantur.

100. Quarta classis eas rubricas complectitur, quæ cæremonias quasdam recentiores ita dirigunt, ut more antiquo fiant. Ad hanc classem pertinent benedictiones candelarum, die Purificationis, et Cinerum, feria quarta, in capite jejunii, earumque rubricæ. Sed neque hæ officiunt prisco ritui Gotho Hispano: nam cum formam vetustam benedicendi retineant, ad liturgiam Gotho-Hispanam pertinere censendæ sunt.

101. Quinta classis eas habet rubricas recentiores, quibus orationes Missalis contradicunt. Dolendum sane has e Missali sublatas non fuisse, [xxiii] cum typis ederetur. Nihilominus antiquitati liturgiæ Missalis nostri parum nocent, secum enim, ut ita dicam, suum deferunt antidotum: ejusmodi sunt rubricæ officii sabbati sancti, quæ præcipiunt ut benedicantur quinque granathuris cereo infigenda (*c*); ut *Diaconus ipse de lucerna accendat cereum* (*d*). Quibus apponitur oratio quæ inscribitur Benedictio cerei, (*e*) e qua habemus cereum Gotho-Hispanum e cera alba duntaxat et papyro fuisse compositum (*f*). Illi vero rubricæ quæ monet diaconum ut cereum accendat contradicit oratio *ad benedicendos diacones* (*g*), et ea qua benedicitur cereus priusquam in ecclesiam deferatur (*h*), in qua sacerdos ait se cereum accendisse. Eodem revocanda est rubrica illa qua prohibetur ne in missa Cœnæ dominicæ *pax detur*, et ne presbyter accipiat pacem, cui contradicit oratio *ad pacem*, quæ præcedit (*i*), et oratio *ad orationem Dominicam*, quæ in eadem missa consequitur (*j*), et, quod magis mirandum, illi opponitur antiphona *Pacem meam*, etc., quam eadem rubrica mandat, ut cantetur (*k*). Quorsum enim præscribitur ut cantetur antiphona illa quæ in missa tunc solum cantari solet, quando pax datur (*l*), si in hac missa pax omnino non detur?

102. Demum classis ultima recentiorum rubricarum iis constat quibus orationes actionesque diriguntur, quæ missam aut præcedunt, aut consequuntur. Ejusmodi sunt quæ præscribunt orationes recitandas a sacerdote quando sacras vestes induit, et eas quas recitat antequam ad altare ascendat, et quas, absoluto sacro, recitat ab altari recedens. Hæc autem antiquitati Missalis Ximenii parum nocent, quemadmodum nec impediunt quominus liturgia Romana antiqua sit, et Gregoriana; nam se ipsas statim produnt et quodammodo extra liturgiam sunt.

103. His ita distributis, ad singulas oppositiones P. Le Brun expedita est et facilis responsio. Et primum opponit rubricam qua præscribitur ut presbyter ter aut quater dicat *Ave, Maria*, antequam sacras vestes

(*a*) Vide notas pag. 542.
(*b*) Apologia sacerdotis et confessio idem sonant, ut in notis monui pag. 537.
(*c*) Missale Mozarabum, pag. 175.
(*d*) Ibid., pag. 177.
(*e*) Ibid., pag. 177.
(*f*) Missale Mozarabum, pag. 177. *Non hic thureis adoletur flamma virgultis.... sed cera famulatur ex lumine, quæ non polluitur ex parente.... papyrus etiam niveo adoperta sub tegmine flammarum obsequitur incremento.... favet ignibus res nutrita gurgitibus.*
(*g*) Missale Mozarabum, pag. 175.
(*h*) Ibid., pag. 175.
(*i*) Ibid., pag. 163.
(*j*) Ibid., pag. 164.
(*k*) Ibid., pag. 163.
(*l*) Ibid., pag. 227.

induat, et rursus, antequam confessionem faciat, Ave, Maria dicat. Sed hæ rubricæ quæ circa illa versantur quæ missam præcedunt et consequuntur, ad liturgiam stricte non pertinent, suam novitatem satis clare produnt, ne liturgiæ noceant; ille certe infans in rebus liturgicis dicendus erit qui putaret hosce ritus Gotho-Hispanos esse. Demum si ejusmodi orationes non ita liturgiæ Romanæ nocent, ut [xxiv] Gregoriana dicenda non sit, nec liturgiæ Missalis Ximenii obesse possunt, ut Gotho-Hispana minime censeatur.

104. Quod addit *amictum* inter vestes sacerdotales tempore Leandri et Isidori locum non habuisse, quæstionem de vocabulo instituit. Nam de re Ordo Romanus antiquissimus, Missale nostrum, et sanctus Germanus Parisiensis (*a*) ostendunt Romanos, Gallos et Hispanos, inter vestes sacerdotales unam habuisse qua collum tegebant et humeros. Hanc Ordo Romanus, et Missale Mozarabum (*b*) *anaboladium* nuncupant, quam vocem Romani Ordines *amictum* interpretantur (*c*), et apud Mozarabes, ab anno 1050, amictus inter vestes sacerdotis recensebatur (*d*).

105. Scite animadvertit P. Le Brun recentiorem esse rubricam qua prohibetur ne diebus Dominicis et festivis Adventus hymnus *Gloria in excelsis* cantetur in missa (*e*), at hæc ad eam classem rubricarum pertinet cui orationes contradicunt, illi enim clare opponuntur orationes quas recentiores Mozarabes in missis Adventus recitant, quæ probant ritum omittendi hymnum *Gloria* inepte ab iis susceptum fuisse.

106. Male autem contendit P. Le Brun formam hymni *Gloria*, quæ in Missali Ximenii exstat, recentiorem esse, atque e Missali Romano-Toletano depromptam. Variæ hujus hymni Editiones, inter se non nihil discrepantes, antiquitus circumferebantur, quarum quæ primæva sit difficile dictu est, cum omnes in Codicibus antiquis inveniantur. Ea vero hymni *Gloria* formula, quæ in Missali Ximenii legitur, exstat in antiquo Codice Vaticano, e quo eam edidit em. Thomasius (*f*), eamdem exhibet Sacramentarium Bobiense (*g*), eamdemque e Codicibus Anglicanis edidit Usserius (*h*); quibus probatur hanc hymni formulam vetustam esse, eaque Hispanos, Gallos et Anglos olim usos esse.

107. At, inquit eruditus Le Brun, formula hymni *Gloria*, quæ in Breviario Mozarabum adhibetur, diversa est ab ea quæ in Missali legitur. Non abnuo, sed inde male colligit formulam Missalis aut recentem esse, aut minus antiquam formula Breviarii. Nam utraque antiqua, et utraque apud Gotho-Hispanos usitata.

108. Deinde P. Le Brun, tanquam recentem culpat rubricam qua præcipitur ut, prolatis verbis consecratoris, elevetur corpus Domini, et calix, tectus filiola (*i*), at certe non ignoravit ritum elevandi Eucharistiam, in missa, ut a populo videri et adorari queat, vetustum esse, et ex iis qui in Occidentis pariter et Orientis liturgiis inveniuntur (*j*). Quod vero statim post consecrationis verba elevari præcipiatur, [xxv] ad eas rubricas revocatur quæ, recentiori usu, ritum antiquum, semel tantum in missa peragi solitum, iterum, extra locum antiquum, fieri mandant. Olim enim in missa Gotho-Hispana, et Mozarabica corpus Christi semel attollebatur, nunc vero, et ab aliquot sæculis, bis elevatur, tam in missa Mozarabica, quam in Romana. Cujus rei causa, ut omnes norunt, ab hæresi Berengarii petenda est, ad quam aperte damnandam in Gallia primum institutum fuit ut, prolatis consecrationis verbis, illico corpus et sanguis Domini, a populo adoranda, attollerentur a sacerdote, eumque ritum aliæ ecclesiæ susceperunt. Hispani, anno 1255, in concilio Valentino (*k*), et anno 1323, in concilio Toletano, præcepere ut corpus et sanguis Christi, statim post consecrationem, elevarentur. Quibus decretis Mozarabes obtemperarunt, et simul priscam consuetudinem elevandi corpus Domini, ad ea verba, *Fidem quam corde credimus ore autem dicamus* (*l*), quæ Symboli recitationem præcedunt, constanter retinuerunt.

109. Quod vero calicem filiola tectum elevent, non est ritus recens, ut P. Le Brun opinatus est, sed plane vetustus, non quidem Gotho-Hispanus, sed Romanus, ut alibi ostendo (*m*).

110. Non abnuo oratiunculam *Adesto, adesto, Jesu bone*, etc., a Mozarabis, inter orationem *post sanctus*, et verba consecratoria adjectam esse, ut bene monet P. Le Brun, qui etiam animadvertit voces *post pridie* in Missali Ximenii desiderari; at harum vocum defectum titulus ipse orationis, quæ consecrationem consequitur, et quæ constanter *post pridie* inscribitur, aperte indicat. Imo etiam indicat oratiunculam *Adesto*, præter morem antiquum, quo verba consecratoria extremis vocibus orationis *post Sanctus* connectebantur, a Mozarabis adjectam fuisse. Adeoque defectus hic et interpolatio ad classem eorum revocari debent, quibus orationes Missalis contradicunt.

111. Recte etiam animadvertit P. Le Brun in Missali nostro non legi illud, *Laus tibi*, etc., quæ dicebant r quando diaconus Evangelium de altari tollebat. Sed cum hic ritus sit missarum solemnium, non erat cur Missali misto inferretur. Nam, ut dixi, ejusmodi Missalia præcipue excogitata et compacta fuerint in usum presbyterorum, qui privatas missas celebra-

(*a*) In epistola de officio communi, Thes. nov. anecd., tom. V, col. 87
(*b*) Pag. 174.
(*c*) Ord. Rom. II, et IV Hittorpii, et III et VI Mabillonii.
(*d*) Concilium Cojacense, cap. 3.
(*e*) Missale Mozarabum, pag. 1.
(*f*) Operum tom. III, pag. 616.
(*g*) Pag. 281.
(*h*) De tribus Symbolis, pag. 33.
(*i*) Missale Mozarabum, pag. 5.
(*j*) Vide notas, pag. 541 et 552.
(*k*) Apud em. de Aguirre, Concil. Hisp. tom. III, pag. 309 et 573.
(*l*) Miss. Mozarab., pag. 6.
(*m*) Vide notas pag. 541.

baut, in quibus Evangelium non tollitur de altari, nec a diacono, sed a presbytero celebrante, in ipso altari, legitur. Unde, cum in missa privata diaconus suo munere non fungatur, nec illud, *Laus tibi*, etc., dicatur, non erat cur in Missali nostro huic rubricæ locus fieret.

112. P. Le Brun etiam contendit rubricam hanc: *Interim dum chorus dicit*, PACEM MEAM, *accipiat sacerdos pacem de patena, et, dicendo sic :* HABETO OSCULUM DILECTIONIS, UT APTUS SIS SACROSANCTIS MYSTERIIS DEI, *statim dat pacem diacono, vel puero*, [XXVI] *et puer populo* (*a*), Missali Mozarabum illatam fuisse postquam pax dari cœpta est tabella quadam quæ *parta pace* Hispanis denominatur. Idem locus Missalis nostri, in nova Editione Glossarii latini domini du Cange, voce *Pax* citatur, ad probandum tabellam qua pax datur etiam *pacem* denominari. At non video cur in hac rubrica vox *pax* aliud significare debeat quam osculum, aut amplexum pacis, quam sacerdos de patena accipiebat, et diacono, vel puero, eum amplectendo, tradebat, et puer populo dabat, proximum sibi astantem amplectendo.

113. At, quod P. Le Brun animadvertisse debuit, apud Gotho-Hispanos, et Mozarabes antiquiores, sacerdos celebrans pacem a nemine accipiebat, et nemini dabat. Nam, ut in notis monui (*b*), initium dandæ pacis a diacono erat (*c*), qui populo præcipiebat ut inter se pacem facerent (*d*), et, osculando digniorem, pacem episcopis, presbyteris et diaconis, altari astantibus ipse dabat.

114. Prolixiorem discussionem requirit alia P. Le Brun oppositio, asserentis omnes ferme rubricas Dominicæ Palmarum, feriæ quintæ, sextæ, et Sabbati majoris hebdomadæ, quæ in Missali nostro inveniuntur, desumptas esse a Missali Romano, quo, tempore cardinalis Ximenii, Ecclesia Toletana utebatur, quæ accusatio non alia magis efficaci ratione infringi ac dilui posse videtur quam enumerando ritus Gotho-Hispanos qui in Missalis Ximenii Missis iis diebus recurrunt. Primo igitur titulus Dominicæ *in Ramis palmarum* (*e*); secundo oratio *Domine, Jesu*, qua flores et rami benedicuntur, crebris responsionibus intersecta; tertio oratio Dominica, in fine illius orationis recitata; quarto benedictio, cui præmittitur *Humiliate*, quinto illud *Sparsit nos* ex officio ad benedicendum aquam aspersionis desumptum; omnia Gotho-Hispana sunt. Quæ autem sequuntur usque ad initium missæ, quibus præcipue innititur assertio P. Le Brun, formam saltem Gotho-Hispanam retinuerunt.

115. Nam ultima oratio, *Alme Pater omnipotens*, etc., quæ Gotho-Hispana videtur, de cantu aperte meminit (*f*). Processionem quoque, ut triumphalem

A Christi Domini in urbem Hierosolymitanam ingressum repræsentarent, Gotho-Hispanos instituisse, valde credibile est.

116. At, inquis, hymnus *Gloria, laus et honor*, Gotho-Hispanus non est, nec ritus percutiendi fores clausas ecclesiæ antiquus haberi debet [XXVII]. Non diffiteor hymnum *Gloria, laus et honor*, post eversionem imperii Visigothorum compositum fuisse (*g*), at inde non consequitur Gotho-Hispanos hymnum aliquem alium, aut psalmos, in Christi Domini laudem, hac die, non cantasse, pro quibus Mozarabes hymnum *Gloria, laus et honor*, cantare cœperunt. Nec disputo de antiquitate ritus claudendi fores ecclesiæ, easque hac die pulsandi, quamvis de hujus consuetudinis vetustate P. Le Brun non assentiar. Esto hæc cæremo-B nia recentior sit, quid sola faciet inter tot ritus antiquos?

117. Nam præter mox recensitos, sexto illud, *Erigite vos*, post primam prophetiam dictum; septimo rubrica præscribens ut *fiat sermo ad populum*, ante lectionem Apostoli; octavo illud, *Symbolum nemo scribat*; nono, illud, *Signate vos, et respondete*; decimo, illud, *Submissa voce*, ter repetitum, ad duplicem Symboli repetitionem, et ad brevem exhortationem de retinenda fide, pertinens, antiqua sunt, et Gotho-Hispana, quibus si addatur hac die passionem Domini non legi, nec minorem doxologiam *Gloria et honor Patri*, etc., omitti, omnesque ritus consueti missæ Mozarabicæ adjiciantur, facile erit dijudicare, quantum a vero ii aberrant, qui auctoritate P. Le C Brun nitentes, opinantur ritus majoris hebdomadæ Missalis Ximenii omnes ferme recentiores esse.

118. Neque puto ad hoc fusius ostendendum opus esse particulatim ire per omnes ritus, et cæremonias feriæ quintæ in Cœna Domini, feriæ sextæ in Parasceve, et Sabbati sancti. Sufficit animadvertere officium feriæ quintæ in Cœna Domini, dempta rubrica illa qua præcipitur ut pax non detur (cui oratio *ad pacem*, et illa ipsa rubrica contradicit, ut superius indicavi) Gotho-Hispanum esse; cæremoniam deferendi Eucharistiam ad conditorium, quod sepulcrum appellant, a Mozarabibus additam esse, nihil tamen habere quod ritibus Gotho-Hispanis opponatur.

119. Officium diei Veneris sancti, dempta missa præsanctificatorum, quæ etiam ritu Mozarabico cele-D bratur, Gotho-Hispanum est. Alibi dixi (*h*) cæremoniam adorationis crucis, die Veneris sancto, antiquam esse, non tamen Gotho-Hispanam, aut Gallicanam. Sed re melius perpensa, suspicor Gotho-Hispanos officium hujus diei ab adoratione crucis, vel, ut ipsi loquebantur, a salutatione ligni dominici inchoasse, quemadmodum indicat oratio, *O crux sancta*, a qua

(*a*) In Missali nostro, pag. 5 et pag. 227, hic locus paulo aliter legitur, ita tamen legendum esse reor, cur enim sacerdos, diaconum aut puerum alloquens, utatur numero multitudinis *Habete* et *apti siti*, non apparet causa.

(*b*) Pag. 540.

(*c*) Sanctus Isidorus, in epist. ad Ludifr., de diacono ait : *Ipse donat pacem, ipse annuntiat.*

(*d*) Concilium Cojacense, ann. 1056, can. 1 : *Ad omnes missas, cum diaconus dixerit :* INTER VOS PACEM TRABITE, *omnibus intra Ecclesiam stantibus, pacis osculum invicem tribuatur.*

(*e*) Vide notas pag. 512.

(*f*) Missale Mozarabum, pag. 150, et infra : *Ob hoc, nos indigni ejus in laude cum omni lætitia concinentes*, etc.

(*g*) Vide notas pag. 512.

(*h*) Vide notas pag. 517.

officium incipit. Cæremonia igitur adorationis crucis, quæ nunc, non ini io officii, sed post indulgentias, peragitur, antiqua habenda est, et Gotho-Hispana, quamvis a Moza abibus recentioribus loco suo mota fuerit, ut ad consuetudines Ecclesiæ Toletanæ sese magis accommodarent. *Popule meus*, etc., a Gotho-Hispanis olim canebatur, et adhuc. in Breviario a Mozarabibus canitur.

120. Sed, inquit P. Le Brun, rubrica qua præcipitur ut diaconus et subdiaconus, missæ præsanctificatorum ministraturi [xxviii], *dalmaticas nigras* induant, recentior utique est, nam tunica subdiaconi *dalmatica* nominatur, quod recens est, fateor, imo adeo recens, ut ne nunc quidem *tunica* subdiaconi proprie *dalmatica* dicatur. At ille hoc unico exemplo male probat cæteros ritus Missalis Ximenii, qui ad officia sanctioris hebdomadæ pertinent, *omnes ferme recentiores esse*; nonne æquum magis fuisset oscitantiam et festinationem amanuensis accusare, qui debebat scripisse *et diaconus dalmaticam, subdiaconus tunicellam nigras accipiat*, aut certe ignorantiam scriptoris? Nam, cum subdiaconi tunica, manicis duntaxat, quæ nonnihil strictiores sunt, a diaconi dalmatica, discriminetur, facile erat scriptori minus accurato *dalmaticam* pro *Tunicella* accepisse. Sed quid, si antiquitus etiam subdiaconi dalmatica induebantur, ut vir eruditus Josephus Vicecomes op natur (*a*)? Utique dicendum errasse eruditum Le Brun, qui consuetudinem antiquam novitatis accusavit?

121. Nihilominus, inquiunt, negari non potest Eugenium de Robles, Toleti, apud sanctum Marcum, parochum Mozarabicum tradidisse Missale Mozarabicum, cum typis ederetur, jussu cardinalis Ximenii interpolatum fuisse; sic enim scribit (*b*): *notandum vero in impressione* Missalis Mozarabici, *quam fieri jussit cardinalis Franciscus Ximenius, Archiepiscopus Toletanus, et in translatione textus Gothici in Latinum, eum addidisse, plerosque e sanctis officii Toletani veteris, et sanctis Mozarabicis miscuisse, apposuisse etiam missæ generalem confessionem, cum oratione adorationis crucis, cæterasque orationes, quæ ante introitum dicuntur, et* SALVE *in fine missæ, et quia hæc et pleraque alia adjecit, ideo Missale hanc inscriptionem habet* MISSALE MIXTUM, etc. et infra (*c*): *Hinc s quitur plerosque sanctos, aut majorem eorum partem, de quibus dicitur Commune sanctorum, adjectos fuisse et immistos a Francisco cardinale Ximenes, in translatione textus Gothici in Latinum sermonem.* Hæc ille, unde concludunt, si Roblesio fides, fateri necesse esse cardinalem Ximenium Missale ritibus et sanctis Toletanis interpolasse, adeo ut Missale Mozarabum typis editum nec Gotho-Hispanum, nec Mozarabicum dici debeat.

122. Sed multa sunt quæ vim hujus argumentationis infringunt. Et primum concedatur, Ximenium suo Missali eas omnes orationes inseruisse quæ introitum, sive *officium ad missam*, præcedunt, demus etiam eum sanctos plurimos Toletanos sanctis Mozarabicis addidisse, num inde sequitur Missale Mozarabum Ximenii Sacramentarium Gotho-Hispanum non esse? Haud puto. Nam si similia, imo plura additamenta non efficiunt ut Missale Romanum sancti Pii Quinti dici nequeat Sacramentarium Gregorianum [xxix], ut ipse P. Le Brun aperte docet (*d*); quid est cur dicamus Missale Ximenii Sacramentarium Mozarabicum haberi non posse?

123. Præterea, unde habuit Roblesius cardinalem Ximenium hæc omnia Missali Mozarabum addidisse? Inquis : Nemo negare potest orationes istas, quas distincte nominat Roblesius, in Missali Mozarabum inveniri. Esto, at inde non sequitur eas cardinalem Ximenium adjecisse. Quid si a sacerdotibus Mozarabibus ante episcopatum Ximenii additæ fuerint? Roblesius asserit quidem pleraque additamenta facta fuisse Missali *in translatione textus Gothici in Latinum*. At non indicat unde ista anecdota habuerit. Ipse non interfuit Editioni Missalis, sed centum et amplius annos post editum Missale hæc de additamentis a Ximenio factis, in Historia de Vita et rebus gestis ejusdem cardinalis, Toleti, anno 1604, Hispanice edidit, nec ullum se antiquiorem laudat scriptorem, qui asseruerit Missale Mozarabum a cardinali Ximenio fuisse interpolatum.

124. Rerum quoque ignorantia, qua Roblesium laborasse ex hoc ipso loco apparet, ejus auctoritatem valde minuit. Non enim intellexit titulum *Missalis misti*, nec noverat ritus faciendi *confessionem* in missa (*e*), et salutandi crucem in ara positam (*f*), antiquos esse. Videtur etiam opinatus Missale et Breviarium Mozarabum lingua Gothica fuisse composita, ut interprete opus fuerit, qui *textum Gothicum in Latinum* transferret. Liturgiam Romanam, quam Ecclesia Toletana, sæculo XI ad finem vergente, susceperat, officium vetus Toletanum appellat. Asseritque Ximenium Missali suo adjecisse *plerosque e sanctis officii Toletani veteris, et sanctis Mozarabicis miscuisse*, quæ verba plane falsa sunt, nisi alludant ad Kalendarium Missali Ximenii præmissum, quod ad Missale nihil pertinet, et nisi nomine officii Toletani veteris intelligatur liturgia Romana, tempore Alphonsi VI, Toleti suscepta. Nam manifestum est, ut examinanti patebit, Missale Ximenii ne unam quidem missam recentioris sancti habere, aut quem Ecclesia Gotho-Hispana prisco more non coluit.

125. Demum Alphonsus Ortiz, quem cardinalis Ximenius Editioni Missalis et Breviarii præposuerat, omnem fidem narrationi Roblesii detrahit; is enim, in epistolis dedicatoriis Missali et Breviario præmissis, Ximenium alloquens, quid sibi mandatum fuerat, et quid in Editione Missalis et Breviarii præsti-

(*a*) Josephus Vicecomes, de Appar. missæ, lib. v, cap. 7 et 8.

(*b*) Eugenius de Robles, de Vita et rebus gestis Francisci cardinalis Ximenii, cap. 32, apud em. de Aguirre, tom. III Conc. Hisp., pag. 269.

(*c*) Ibid., cap. 33.

(*d*) P. Le Brun Explic. Miss., tom. II, diss II, art. 2, pag. 160, Ed. Gallicæ.

(*e*) Vide notas pag. 537.

(*f*) Ibid., pag. 535.

tetat, candide exponens, sibi mandatum fuisse scribit, A ut antiquitatem intactam præservaret (*a*), non modo in sententiis, sed in vocibus etiam, atque litteris, ne quid eorum quæ in manuscriptis Codicibus legebantur demeret, neve mutaret, sed quæ in vetustis monumentis litteris Gothicis exarata fuerant, [xxx] ea totidem verbis, litteris vulgaribus, fideliter transcripta, typis edenda curaret. Et quandoquidem in vetustis Codicibus quædam inveniuntur temporis injuria deleta, Ximenius præceperat ne Ortisius ista temere suppleret, sed, ubi supererant fugientium litterarum vestigia, *styli non mutato ductu* (*b*), ut locum reficeret; ubi vero ne litterarum quidem vestigia remanserant, ut, *enucleata veritate*, collato scilicet cum sociis studio, aliisque Codicibus inspectis, lacunam restauraret. Quæ optimi cardinalis mandata B profitetur Ortisius se, magno cum labore ac summa fide exsecutum esse, vitia quædam orthographiæ se emendasse, fugientium manuscriptorum librorum characteres, in veteres litterarum ductus novo atramento immisso, revocasse, sententias et voces distinxisse, dispersa Breviarii officia in unum collegisse (*c*) atque coordinasse testatur. Aliud quidquam præstitisse se minime tradit, traditurus utique, si Missalis ordinem mutasset, si rubricas novas, novasque orationes, missasve, Mozarabibus antea inusitatas, de Missali Toletano, aut aliunde petitas, adjecisset. Nam cui bono tacuisset, quæ cum laude Editoris palam fieri poterant, nec sine damno Editionis et Editoris macula taceri?

126. Nam nemo negabit ista omnia, quæ recenset C Roblesius, Missali potuisse adjici sine damno Editionis, si Ximenius, aut potius Ortisius, de additamentis posteros monuisset. At, nulla præmissa admonitione, Missale potuisse, sine damno Editionis, interpolari, nemo non negabit. Quis autem sine testimonio scriptoris idonei et synchroni sibi suadere poterit cardinalem Ximenium, virum probum et prudentem, egregium opus Missalis Mozarabici vitiari, posteros decipi, ritus Romanos pro Mozarabicis, recentiores pro antiquis, venditari voluisse?

127. At, inquit P. Le Brun, series antiqui ritus Gothici ignorabatur, unde Ortisio ejusque sociis necesse fuit missale Mozarabum novis ritibus e Missali Toletano petitis instruere, ut missa Mozarabica expedite celebraretur (*d*). Demus hoc P. Le Brun. At D certe necesse non fuit tacere de additamentis istis, et posteros silentio fallere, ut crederent nihil Missali interpolatum fuisse. Quare si quid ejusmodi additum Missali fuisset, Ortisius, utpote vir probus, de eo minime tacuisset. Ponamus enim Ortisium, ob ignorantiam antiqui ritus Gothici, coactum fuisse orationes aliquot et aliquot rubricas e Missali Toletano in Missale Mozarabum transferre, nonne et solertiæ suæ laudem retulisset, qui, paucis rubricis orationibusque adjectis, usum liturgiæ Gotho-Hispanæ expeditum reddiderat, et fidei pariter, qui de hac re tota lectores candide monuerat, et recentiores ritus ab antiquis distinxerat? Sed cum Ortisius nullibi innuat se in Missali quidquam edidisse quod in libris Mozarabicis non invenerat [xxxi], ejus silentio fides est adhibenda, nec putandum virum prudentem et probum, ut posteros falleret, laudes suas tacere voluisse.

128. Cæterum, quandoquidem satis certum est missam Mozarabicam diu ante episcopatum cardinalis Ximenii in urbe Toletana expedite celebratam esse; imo aliquem ejus usum, ab eversione regni Visigothorum ad hanc usque diem, Toleti obtinuisse, necesse est falsum esse P. Le Brun, opinantem ignorantiam antiqui ritus Gothici, in causa fuisse cur Missale Mozarabum interpolatum fuerit. Nam, aut Mozarabes ignorantia antiqui ritus non laborabant, aut cum hac ignorantia (si ea tenebantur) missam suam commode celebrare poterant.

129. Non latuit Ximenium Mozarabes, longo annorum decursu (*e*), rubricas quasdam et cæremonias Gotho Hispanis ignotas, in suam liturgiam, aut sponte, aut invite (*f*), intromisisse, eas tamen intactas retineri voluit, non enim illi propositum fuerat priscam Gotho-Hispanorum sacrificandi et officia ecclesiastica obeundi normam puram et putam exhibere, sed id unum duntaxat curabat, ut, Missali et Breviario charactere usitato, typis editis, missa et officium Mozarabicum eo ritu quo suo tempore et ante centum et amplius annos fieri solebant in posterum facilius celebrarentur. Quare Ortisio ejusque sociis mandaverat ut libros manuscriptos Missalis et Breviarii Mozarabum diligenter recognoscerent, eosque charactere usitato transcriptos prælo subjicerent; iisdem tamen facultatem non dedit purgandi Missale et Breviarium ab additamentis Mozarabum,

(*a*) Epist., Dedicatoria Missali præmissa.

(*b*) Ibid.

(*c*) Confer epistolam dedicatoriam Breviario Mozarabico præmissam.

(*d*) P. Petrus Le Brun. Explic. missæ, t. II, pag. 333.

(*e*) Ab anno enim 711, aut 712, quo regnum Visigothorum Saraceni everterunt, ad an. 1500, quo Missale Ximenii editum fuit, anni ferme septingenti octoginta et octo intercipiuntur.

(*f*) Credibile est Mozarabes eos ritus invitos suscepisse, quibus orationes, quas in missa recitabant aperte opponuntur, quos post initum ab Eugenio III pontificatum contigisse videtur, is enim in epistola (de qua etiam de Aguirre, tom. III Conc. Hisp., p. 362, et Labbeus, tom. X Concil., col. 1059 meminere) ad clerum et populum Toletanum scribens, conqueritur Mozarabes *Archiepiscopo Toletano obedientiam denegantes, ecclesias de manu laicorum recipere, et in sacramentis missarum, et in aliis divinis officiis, tonsura quoque clericali et vestimentis, suam antiquam consuetudinem subsequentes, ab apostolica sede diversa sentire præsumere.* Quapropter mandat *universitati* Toletanorum, *quatenus* Mozarabes moneant, *ut in Sacramentis missarum, et in aliis divinis officiis a catholica Ecclesia dissentire de cætero non præsumant*, et archiepiscopo Toletano, *si in ipsius provincia remanere voluerint*, obediant, *ejusque præcepta observent.* Unde conjicere licet Mozarabes, qui hactenus priscas suas consuetudines observaverant, exinde, ne cogerentur solum vertere, tonsuram, vestem clericalem, et rubricas quasdam Romanas, haud sponte admisisse.

eaque rejiciendi quæ illis visa fuissent cum ritibus Gotho-Hispanis minus congruere. Et hæc unica et vera ratio est cur in Missali Ximenii rubricæ recentioris ævi, quas Le Brun aliique reprehendunt, intactæ remanserint, et quas Roblesius perperam tradidit Ximenium adjecisse, cum ipse eas in Codicibus manuscriptis invenerit, a Mozarabis antea adjectas.

[xxxII] § VIII. *An Missale Mozarabum immune sit ab erroribus Felicis et Elipandi.*

130. Non defuerunt qui Missale Mozarabum pravæ doctrinæ insimularunt, et maxime erroris Felicis Urgelitani et Elipandi Toletani, eorumque sectatorum, qui Christum Dominum Dei Filium adoptivum asserebant (*a*). Huic accusationi Elipandus (*b*) et Felix (*c*) occasionem præbuerunt, qui, ut prava dogmata tuerentur, veterum Patrum testimonia, et auctoritatem librorum liturgicorum Ecclesiarum Hispaniæ in medium proferebant.

131. Textus autem omnino septem e libris liturgicis Ecclesiæ suæ Elipandus in epistola ad Albinum (*d*), et in libello suo, qui in concilio Francofurdense lectus fuerat, causæ suæ, uti opinabatur, aperte faventes, adduxerat, eosdemque Felix Urgelitanus protulerat (*e*). Ex his tamen tres sunt, qui nihil non catholicum sapiunt. Elipando enim atque Felici, ut animadvertit Alcuinus (*f*), adeo placebat *adoptionis* vocabulum, ut ubicunque illud scriptum invenerant *sine omni consideratione referri ad Redemptorem nostrum* contenderent.

132. Primum igitur textum ex oratione *ante Dominicam orationem* missæ feriæ quartæ post Pascha produxerunt: *Respice, Domine, tuorum fidelium multitudinem, quem per* ADOPTIONIS *gratiam, Filio tuo facere dignatus es cohæredem* (*g*). Alterum textum protulerunt ex oratione *missæ* feriæ quintæ post Resurrectionem: *Præcessit quidem in* ADOPTIONE *donum, sed adhuc restat in conversatione judicium* (*h*). Tertium e missa defunctorum protulerunt, *et quos fecisti* ADOPTIONIS *participes jubeas hæreditatis tuæ esse consortes.* Hic textus non legitur in ulla e missis defunctorum Missalis Ximenii. At in tribus hisce textibus vox *adoptio* orthodoxum sensum habet, nec causæ Elipandi patrocinatur [xxxIII], nam, ut Alcuinus (*i*) animadverterat, in iis *adoptionis nomen ad multitudinem fidelium, non ad Christi Filii Dei personam pertinet.*

133. Quartum textum *e missa de Cœna Domini* citarunt, *qui per* ADOPTIVI *hominis passionem, dum suo non indulget corpori, nostro demum, id est iterum, non pepercit*, hunc locum corruptum fuisse, male cohærere verba, et pro *assumpti hominis*, repositum fuisse *adoptivi hominis*, Alcuinus notaverat (*j*). Sed cum hic textus in missa feriæ quintæ in Cœna Domini non inveniatur (*k*), quomodo restitui debeat non satis constat. Id plane videtur, *adoptivi hominis passionem* Mozarabes antiquos in libris suis non legisse, sed *assumpti hominis passionem*, uti ex sequenti textu apparet

134. Hunc, quinto loco, citant e missa, *de feria quinta Paschæ*, ubi se legisse aiunt: *qui pietati tuæ per* ADOPTIVI HOMINIS *passionem*, etc. Locus integer exstat in illatione missæ feriæ quintæ post Pascha (*l*), *qui pietati tuæ per* ASSUMPTI HOMINIS *passionem, quasi quasdam, in præsentis populi acquisitione, manubias, cum non exiverit e cœlo, exhibuerit e triumpho, et cum non habuerit divinitas immutabilis pugnam, habuerit fragilitas* ASSUMPTA *victoriam*, unde apparet olim etiam Mozarabes legisse *assumpti hominis*, ei enim correspondet *fragilitas assumpta*. Neque dicas olim *fragilitas adoptata*, aut *adoptiva*, lectum esse. Si enim in suis Codicibus ita legisset, Elipandus integrum textum protulisset, nec secundam ejus partem, adeo clare illi faventem, omisisset.

135. Sextus textus e missa de Ascensione Domini profertur: *Hodie Salvator noster post* ADOPTIONEM CARNIS *sedem repetiit Deitatis*. Alcuinus animadvertit *melius multo* hic dici ASSUMPTIONEM CARNIS, *quam* ADOPTIONEM CARNIS, quia, inquit, *Filius Dei assumpsit carnem, non adoptavit* (*m*), et ita in Missali Mozarabum hic locus adhuc legitur, in oratione *missa*, die Ascensionis Domini (*n*): *Hodie Salvator noster post* ASSUMPTIONEM CARNIS *sedem repetiit Deitatis, hodie hominem suum intulit Patri, quem obtulit passioni*, et ita olim Mozarabes hunc locum legisse suadent verba quæ præcedunt in hac ipsa oratione: *Placeat, dilectissimi fratres,.... impositam ætheris fastigio* ASSUMPTI HOMINIS *communionem sequacibus cordis oculis contueri*, etc.,

(*a*) Em. Bona, Rerum liturg. lib. I, cap. 2, sect. 2, aperte hanc suspicionem promovet. *Quamvis*, inquit, *hoc officium*, Mozarabicum, *a viris sanctis et orthodoxis compositum fuerit, Hispania tamen ab infidelibus vastata, ita erroribus refertum est, ut Elipandus Toletanus, ex ipsis officiis depravatis plura acceperit testimonia ad suam hæresim astruendam.* P. Petrus Le Brun, Exp. miss., t. II, dis. v, art. 2, sect. 2, idem ferme verbatim scribit; et P. Joannes Pinius, tr. hist. chron. de Liturg. antiq. Hisp., cap. 4, § 3, quæstionem instituit *an et quousque liturgiæ Mozarabicæ exemplaria Felicis Urgelitani, et Elipandi Toletani erroribus corrupta fuerint?*

(*b*) Elipandus, in Epistola ad Albinum, oper. Alcuin. col. 916, Ed. Paris. 1617, prolatis aliorum sanctorum Patrum quibusdam textibus, subdit: *Testimonia sanctorum Patrum Toleto deservientium in missarum oraculis edita sic dicunt*, etc., at in concilio Francofurdensi verba Elipandi ita referuntur: *Sequitur in eodem libello vestro item: Prædecessores nostri Eugenius, Hildefonsus, Julianus Toletanæ sedis antistites in suis dogmatibus dixerunt*, etc.

(*c*) Apud Alcuinum, oper. col. 895.

(*d*) Inter opera Alcuini, col. 916.

(*e*) Apud Alcuinum, lib. VII advers. Felicem Urgel., col. 895.

(*f*) Advers. Elipantum, lib. II, col. 954.

(*g*) Missale Mozarabum, pag. 207.

(*h*) Ibid., pag. 208.

(*i*) Contra Elipand., col. 953.

(*j*) Ibid., lib. II, col. 953.

(*k*) Eruditissimus Fleuri, Hist. Eccl lib. XLIV, sect. 57, ab iis deceptus, quibus curam dederat inspiciendi Missale Mozarabicum, scripsit hunc textum in citato Missalis loco inveniri.

(*l*) Missale Mozarab., p. 209.

(*m*) Alcuinus, adversus Elipand., lib. II, col. 955.

(*n*) Missale Mozarabum, pag. 251.

quæ Elipandus non prætermisisset, si in iis *adoptivi hominis communionem* legisset.

136. Septimus et ultimus locus quem laudant *e missa sancti Sperati* depromitur : *Ingeniti Patris unigenite Filius Dei.... qui.... hujus mundi infima petens* [xxxv] ADOPTIVI HOMINIS *non horruisti vestimentum sumere carnis*, quæ verba, in missa sancti Sperati, Missalis Ximenii, non leguntur. Ut Alcuinus animadvertit (*a*), *inconveniens dictio est* ADOPTIVI HOMINIS VESTIMENTUM CARNIS. At textus citatus, uti in Breviario Mozarabum exstat, in oratione ad matutinas laudes sanctorum Sperati et comitum, nihil habet alienum a modo loquendi liturgicorum Hispaniæ : *Ingeniti Patris, unigenite Filius Dei.... qui.... hujus mundi infima petens, ad* ADOPTANDUM HOMINEM, *non horruisti vestimentum sumere carnis....*

137. Singulis hisce textibus discussis, apparet e quatuor ultimis, qui soli pravo dogmati favere possunt, ne unum quidem in Missali Mozarabum Ximenii, eo modo legi quo ab auctoribus hæreseos citantur ; unde planum est falli eos qui Missale nostrum librosque liturgicos Mozarabum hæreseos Felicis et Elipandi hactenus accusarunt.

138. An Felix vero et Elipandus dicendi sint libros suos ecclesiasticos recte legisse, sed male intellexisse; an potius censendi sint libros suos ecclesiasticos corrumpere voluisse, quæstiones sunt ad orthodoxiam Missalis nostri parum spectantes, et breviter examinandæ. Aliqui putant Felicem et Elipandum libros suos, uti in iis scriptum invenerunt, bona fide citasse, sed non bene intellexisse; hanc opinionem tenuit doctissimus Pagius (*b*), ratus Felicem et Elipandum *ex male intellectis missæ sancti Isidori orationibus* hæresim hausisse. Et alii, collectis quibusdam eorum sententiis, contendunt sanctos Patres hasce voces *adoptio, adoptatus, adoptivus*, et similes, ea significatione adhibuisse, qua *assumptio et assumptus* adhibentur (*c*).

139. Em. Bona (*d*), et P. Petrus Le Brun (*e*), in diversam sententiam abeunt : ii enim putant priscos auctores liturgiæ Gotho-Hispanæ nihil eorum scripsisse quæ dogmati Felicis et Elipandi favere videbantur, sed post ruinam regni Visigothorum libros liturgicos Mozarabum fuisse corruptos, et ab istiusmodi vitiatis Codicibus Felicem et Elipandum sententias quas laudant desumpsisse.

140. Sed, quidquid sit de usu et significatione illarum vocum *adoptio*, *adoptivus*, *adoptatus*, et an ullo vero sensu Christus Dei Filius adoptivus dici possit (*f*), de quibus nolo hoc loco contendere, certe non probatur scriptores Hispanos missarum et orationum de Christo loquentes, adhibuisse voces *adoptio, adoptatus* et *adoptivus*, eo sensu quo *assumptio, assumptus* et similes adhibentur. Ab ejusmodi enim vocibus concilia Hispana, et antiquiores Patres Hispani, cum de Incarnatione agunt, ut plurimum abstinent. Justus Urgelitanus (*g*) distincte negat *adoptionem* competere [xxxvi] Christo, et concilium Toletanum nonum, idem explicans, clare docet : *Hic etiam Dei Filius, natura est Filius, non adoptione.* Unde in hymno Breviarii Mozarabum, die Circumcisionis, de Christo canunt : *Patri, non adoptione, sed coæternus genere.* Solebant enim liturgici Hispani in missis et orationibus, fidei dogmata secundum definitiones conciliorum Hispaniensium explicare, quorum etiam verbis frequenter utebantur.

141. Præterea in Hispaniam penetraverat Bonosianorum hæresis, illuc ab Arianis delata, quæ docebat *Christum Dei Filium, non proprium, sed adoptivum* esse (*h*). Contra quos, teste sancto Isidoro (*i*), Justinianus episcopus Valentinus, ante sæculi VI medium, scripserat. Quare haud credibile videtur scriptores liturgiæ Hispanæ, modis loquendi conciliorum et scriptorum Hispanorum omissis, voluisse usurpare ipsissimas voces quibus Bonosiani suam hæresim exprimebant. Notum enim est quantum catholici scriptores cavere solebant a vocibus et modis loquendi hæreticorum propriis, quos, etiamsi significationem orthodoxam admittere poterant, vigente adhuc atque grassante secta, suspectos atque invisos habebant.

142. Igitur, si Codices liturgici Hispanorum fuerunt aliquando corrupti, ut pro *assumptus* legerent *adoptatus*, et *adoptivus* (de qua re Alcuinus subdubitasse videtur) (*j*), illis profecto libris homines nequam manus intulerunt, postquam Saraceni rerum in Hispania potiti sunt, quemadmodum em. Bona (*k*), P. Petrus Le Brun (*l*), et alii recentiores opinati sunt, quibus lubens assentior. Ita tamen, ut Elipandus, Felix eorumque asseclæ, auctores sceleris censeantur.

143. Illis enim falsi crimen imputandum videtur, quorum intererat libros ecclesiasticos corrumpere, ut vitiatis Codicibus malam causam tuerentur. Neque a moribus Felicis Urgelitani id facinoris alienum erat. Is enim, teste Hincmaro Rhemensi, Codici sancti Hilarii, in bibliotheca Caroli Magni, manus in-

(*a*) Adversus Elipand. lib II, col. 953.
(*b*) In Baron, ad ann. Chr. 789, n. 9.
(*c*) Vide P. Petrum Coustant, ord. sancti Bened., in Vindiciis veterum Codicum confirmatis, cap. 8, p. 209.
(*d*) Rerum Liturg. lib. I, cap. 11, § 2.
(*e*) Expl. missæ, t. II, dist. V, art. 2, § 2.
(*f*) Vide Petavium, Theol. dogm. t. V, de Incarn., l. VII, cap. 4.
(*g*) In cantica.
(*h*) Sanctus Isidorus Origin. l. VIII, c. 5.
(*i*) Idem, de Viris Illustribus, cap. 33.
(*j*) Adversus Felicem, lib. VII, col. 895.
(*k*) Rerum liturg. lib. I, cap. 11, sect. 11, verba superius retuli.
(*l*) P. Petrus Le Brun, Expl. miss., t. II, diss. V, art. 2, 287 : *Quamvis*, inquit, *Missale Mozarabicum compositum fuerit a viris piis, et eruditis, tamen, exeunte sæculo VIII, in illud errores aliquot irrepserant, oscitantia aut nequitia quorumdam Hispaniæ episcoporum, hæresi adoptivorum faventium, quorum antesignani fuerunt Felix Urgelitanus episcopus et Elipandus archiepiscopus Toletanus.*

tulisse deprehensus est (a) et, corrupto librorum custode, pro ADORATUR scripsisse ADOPTATUR. Codex adhuc exstare traditur, non sine indiciis patrati criminis (b). Felix autem, qui in palatio Codices regios vitiare ausus fuit, facile creditur Ecclesiæ Toletanæ Codicibus (c), aut ipse manus [xxxvi] intulisse, aut Elipan lo ut eos depravaret persuasisse.

144. De numero vero corruptorum librorum quid tenendum sit, non est expeditum certi quidquam statuere: mihi quidem exiguus videtur. Nam, vivo Elipando, id unum constabat, eum orationes quasdam e libris liturgicis Toletanis citasse, quas suæ causæ favere contendebat. Easdem omnino quas Felix laudabat. At libri illi nec episcopis Gallicanis, cum in synodis, de erroribus Felicis et Elipandi agerent, nec viris idoneis unquam fuerunt exhibiti, ut examinarentur, an corrupti fuerint, an bona fide citati, an plures essent, et sibi invicem consentientes. Nihil horum tum, cum oportebat, actum est. Episcopi Gallicani, de exstirpanda adoptivorum hæresi duntaxat solliciti, parum curarunt quid in libris Mozarabicis legeretur, nec inquirere voluerunt an Felix et Elipandus hosce libros bona fide, an mendaciter, citassent. Quamvis optime noverant non deesse Hispanos qui negabant ea in suis libris liturgicis legi quæ auctores hæresis, ut malæ causæ patrocinarentur, ex iis citaverant. Asserebantque in illis ipsis orationibus, in quibus Felix et Elipandus aiebant *adoptionem*, et *adoptivi hominis* inveniri, Codices suos *assumptionem* et *assumpti hominis*, orthodoxe legere (d).

145. Exstincta autem, cum suis auctoribus, adoptivorum hæresi, Joannes papa X, anno 918 (e), et rursus Alexander II, in concilio Mantuano, anno 1064, libros liturgicos atque Mozarabum liturgiam approbarunt (f). De libris vero istis ab Elipando et Felice laudatis, nihil post concilium Francofurdense amplius auditum est. Quos proinde minus multos exstitisse conjicere licet: si enim corruptorum Codicum major fuisset copia, frequenter venissent in manus ecclesiasticorum, eorum notitia certior, et mentio frequentior recurreret. Pauci itaque fuerunt, fortasse duo, aut tres, quos periisse potius opinandum est, quam censendum libros liturgicos Mozarabum, ut vulgo jactatur, opere catholicorum episcoporum fuisse emendatos, quin eorum, qui Codices vitiatos emendarunt, aut temporis quo emendatio facta est, ulla ad posteros notitia pervenerit. Atque hæc ad ea diluenda quæ contra Missale Mozarabum objiciuntur dixisse sufficiat. Nunc de liturgia Missalis nostri agendum. Eam a Gotho-Hispana, a Gallicana et a Mozarabica, haud diversam esse superius indicavi: modo ejus origo [xxxvii] indaganda, ejusque in Hispania perpetuus usus vindicandus, tum de auctoribus Missalis Mozarabi disputandum, et tandem de libris liturgicis Gallicanis hactenus editis pauca adjicienda, ut, comparatione cum Missali Ximenii inita, ejus utilitas atque præstantia magis dignoscatur.

§ IX. *An liturgia Missalis Ximenii apostolica sit.*

146. Christi fidem primis Ecclesiæ sæculis altas in Hispania radices posuisse Irenæus, Tertullianus et Cyprianus aperte docent. Sanctus Irenæus, in libris adversus hæreses, Ecclesias in Iberis, et in Celtis fundatas commemorat (g). Tertullianus, adversus Judæos (h) scribens, *Hispaniarum omnes terminos et Galliarum diversas nationes* in Christum jam credidisse testatur, et sanctus Cyprianus, in epistola quadam synodica, Ecclesias Hispanas et Hispanos episcopos suis nominibus appellat (i). Exstat etiam apud Gruterum, in Thesauro (j), lapis quidam Lusitanus, unde inferunt Neronis persecutionem, rem Christianam, in Hispania antea florentem, pene contrivisse, eoque tempore passi traduntur martyres Calaguritani Emeterius et Celidonius (k).

147. Non est igitur ambigendum, quin Ecclesiæ in Hispania mature constitutæ fuerint, sed initia evangelicæ prædicationis, in illis regionibus altius petenda, ad apostolos eorumque proximos successores haud temere referenda videntur.

148. Nam, præter Jacobum Majorem, quem omnium primum Hispaniam evangelizandi causa adiisse vetusta (l) et hactenus inconcussa Hispanorum persuasio tenet (m), Paulum apostolum in Hispania præ-

(a) Vide Germonium, de veteribus hæreticis Sacr. et ecclesiasticorum Codicum corruptoribus, part. II, cap. 1.

(b) Vide notam ad sanctum Hilarium, lib. II de Trin., n. 27, Edit. Maurin.

(c) Est observandum Felicem et Elipandum non citasse Codices Bracarenses, Cordubenses, aut Urgelitanos, sed solummodo Toletanos. Num quia hos solos corrumpere potuerunt? et fortasse Felix minus tutum putavit suæ Ecclesiæ Codicibus manus inferre, aut eos mala fide citare, ne productis Ecclesiæ Tarraconensis libris, in cujus provincia erat Urgelitana, falsi convinceretur.

(d) Apud Alcuinum adversus Felicem, lib. VII, operum col. 395, libri Toletani haud ignoti erant Alcuino, qui videtur opinatus Elipandum et Felicem eos non recte citasse, tamen noluit hac de re quæstionem instituere, nec inquirere voluit an Felix et Elipandus, an alii, Codices vitiaverint.

(e) Card. Baronius, Annal. t. X, ad ann. Chr. 918, et de Aguirre, Conc. Hisp., t. III, pag. 147.

(f) Card. Baron., in Annal., ad ann. Chr. 1064, et de Aguirre, Conc. Hisp., tom. III, pag. 147.

(g) Lib. I, cap. 3, Ed. Erasmi

(h) Cap. 7, Ed. Pamel.

(i) Epist. 67, Ed. Pamel.

(j) Pag. 238, 9.

(k) Acta præsidialia martyrii sanctorum Emeterii, et Celedonii, Prudentii ævo non exstabant; a persecutoribus enim ex actis publicis et ab Ecclesiarum scriniis sublata fuerant; quæ superest, a viris fide dignis conscripta, passionis eorum historia tradit eos passos esse, *quando Gallicia cum Tarraconensi sociata, citerioris Hispaniæ habebatur*; unde consequitur, eos martyrium fecisse priusquam Hispania in quinque provincias divideretur, quæ divisio Adriano principi tribuitur.

(l) Sanctus Isidorus, in libro qui *Vita et morte sanctorum Novi Testamenti* inscribitur, tradit sanctum Jacobum Majorem *Hispaniæ et Occidentalium locorum populis Evangelium* prædicasse. Hunc librum plerique sancto Isidoro abjudicant, alii contendunt lectum esse genuinum hujus sancti doctoris, inter hos est Nicolaus Antonius, in Bibliotheca veteri Hispaniæ, et em. de Aguirre, Conc. Hisp., tom. I, pag. 156, excurs. 2.

(m) Consulas, si vacat, em. de Aguirre mox citatum a pag. 154, et Bollandianos socios, tom. VI

dicasse, antiquorum plurimi testantur (*a*), et ipse Apostolus huic opinioni plurimum favet, [xxxviii] de sua in Hispaniam profectione, tanquam de itinere, haud dubie suscipiendo ad Romanos scribens (*b*).

149. Clara quoque apud Hispanos est septem apostolicorum virorum memoria, quos Romæ ordinatos, et ab apostolis in Hispaniam missos, multas Ecclesias fundasse vetus traditio prodit (*c*), quorum nomina Torquatus, Secundus, Indaletius, Ctesiphon, Euphrasius, Hesichius, et Cæcilius. Eos, Kalendis Maii, Mozarabes missa et officio proprio colunt. Cum itaque Hispania apostolos eorumque discipulos fidei præcones habuerit, eosdem liturgiæ suæ auctores habuisse censenda est. Quæ enim potest esse Christi Ecclesia sine sacrificio et sine sacramentis Christi? At certe sacramenta confici nequeunt, nec sacrificium offerri sine forma quadam et ordine celebrandi conficiendique, hoc est, sine liturgia.

150. Ratio itaque suadet originem liturgiæ ad Ecclesiarum conditores referendam esse. Nec ratio tantum, sed praxis quoque ævi apostolici persuadet eosdem liturgiam tradidisse, qui Ecclesias constituerunt; apostoli enim, teste sancto Clemente (*d*), solebant *primitias eorum*, qui crediderant, *in episcopos et diaconos eorum qui credituri erant constituere*, quibus et *formam sanorum verborum* (*e*), fidei Symbolum, formam et ordinem offerendi sacrificium, et sacramenta conficiendi administrandique tradebant. Morem hunc apostolicum in Gallia tenuisse primos ejus gentis apostolos auctor est Gregorius Turonensis (*f*): *De horum discipulis quidam Biturigas civitatem* [xxxix] C *aggressus, salutare omnium, Christum Dominum populis nuntiavit; ex his ergo pauci admodum credentes, clerici ordinati, ritum psallendi suscipiunt, et qualiter ecclesiam construant, vel omnipotenti Deo solemnia celebrare debeant, imbuuntur*. Nec aliter in Hispania

A factum, testatur fragmentum celebre, Codici Soriensi annexum (*g*), in quo Torquatus, ejusque socii, *sicut ab apostolis missam, doctrinamque acceperunt, per Hispaniam ordinatis episcopis* tradidisse leguntur, et sanctus Gregorius VII scribit (*h*) ordinem in divinis officiis tenendum eosdem Hispanos docuisse, qui labore suo et sanguine Ecclesias constituerunt. Atque inde facile deduceretur liturgiam Missalis Ximenii apostolicam esse, si constaret primævam Hispanorum sacrificandi normam eam fuisse, quam concilium Toletanum IV suis decretis confirmavit, quamque Gotho Hispanam dicimus.

151. Sed non desunt viri eruditi qui contendunt liturgiam quam Hispani una cum fide Christiana susceperunt, Romanam fuisse, eam vero, quam B Gotho-Hispanam et Mozarabicam appellarunt, auctores habuisse viros celeberrimos Leandrum et Isidorum, approbatores vero concilii Toletani IV Patres, qui hanc formam officia divina celebrandi Ecclesiis omnibus Hispaniæ et Galliæ Gothicæ imposuerunt. Hoc igitur examinandum est an liturgia quam apostoli virique apostolici Hispanis tradiderunt Romana fuerit; an potius primæva liturgia Hispana ea censenda sit, quæ postea Gotho Hispana et Mozarabica dicta est.

§ X. *An primæva Hispanorum liturgia eadem fuerit atque Romana.*

152. Quamvis antiquorum nemo aperte docuerit liturgiam Romanam a primis gentis apostolis Hispanos accepisse, tamen recentiores hanc opinionem pluribus nec contemnendis argumentis persuadere conati sunt. Primum enim, inquiunt, si *manifestum sit*, ut sanctus Innocentius scribit, nullos in Hispania, in Gallia, in Africa, et in adjacentibus insulis, Ecclesias constituisse, *præter eos quos venerabilis apostolus Petrus, aut ejus successores, constituerunt* (*i*) *sacerdo-*

Julii, a pag. 69, qui aliorum criticorum difficultatibus satisfacere conantur.

(*a*) In horum numero recensentur sanctus Clemens, epist. I ad Cor. cap. v. Paulum *ad extremos terminos Occidentis*, ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως evangelizando pervenisse scribit; sanctus Athanasius, epist. ad Dracontium, oper. t. I, part. I, pag. 265, num. 4, Edit. Maurin: *Paulus*, inquit, *non metuit Romam ire, neque usque ad Hispanias properare*. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, cat. XVII, n. 26, Edit. Maur., testatur Paulum *Evangelii prædicationem in Hispaniam extendisse*. Theodoretus, in ps. CXVI: Paulus, D inquit, *in Italiam venit, et in Hispanias pervenit*. Sanctus Chrysostomus, in epist. II ad Tim. hom. 10, in illud vers. 20: *Trophimum reliqui infirmum Mileti*, scribit: Paulus, *nempe, in Judæam navigans*, reliquit Trophimum Mileti ægrotantem, *aut id fecit, postquam fuisset Romæ, rursus in Hispaniam profectus*. Idem Chrysostomus, hom. 75, aliis 76, in Matthæum: *Vides*, inquit, *Paulum Hierosolymis in Hispaniam currentem*. Sanctus Hieronymus, in Isaiæ cap. XI, de apostolo Paulo scribit: *Ad Italiam quoque, et*, UT IPSE SCRIBIT, *ad Hispanias, alienigenarum portatus est navibus*. Sanctus Gregorius Magnus, lib. XXXI Mor., in Job cap. XXII: *Paulus, cum nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret, ut in peccati morte jacentibus æternæ vitæ gratiam nuntiaret*. . . .

(*b*) Epist. ad Rom., XV, 24: At, inquiunt, nobis non constat apostolum Paulum in Hispaniam Roma profectum esse. Esto id non constet nobis ex ullo Scripturæ textu, at antiquorum Patrum testimoniis constat, quibus id notum erat. Sanctus Hieronymus aperte testatur Paulum scripsisse se *alienigenarum navibus in Hispaniam* delatum esse; et sanctus Gregorius VII, in epistola ad reges Hispaniæ, apud Baron., Ann. ad an. 1070, scribit: *Beatus Apostolus Hispaniam se adiisse scribit*. In quanam epistola Apostolus ista scripserit, nobis modo ignotum est; at sancti Hieronymi ætate, imo et ætate sancti Gregorii supererant monumenta quæ ad nos non pervenerunt. Qui vero minime dubitanter tradiderunt apostolum Paulum Hispanias adiisse, videntur certi fuisse de itinere Pauli in Hispaniam, non quia ipse ad Romanos scripserat: *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc*, Rom. XV, 24; sed quia ab antiquis scriptoribus acceperant Apostolum, re ipsa in Hispaniam profectum, in illis regionibus prædicasse.

(*c*) Vide notas pag. 572.

(*d*) Epist. I ad Corinth., n. 42.

(*e*) Sanctus Paulus Apost., Ep. II ad Tim., c. I. 13.

(*f*) Hist. lib. I, cap. 31.

(*g*) Exstat apud Pisam, in tract. hist. chron., de antiq. Liturg. Hisp., n. 9.

(*h*) Apud em. de Aguirre, Conc. Hisp. tom. III, pag. 248.

(*i*) Sancti Innocentii I, epist. ad Decentium Eugubinum.

tes, consequens videtur Romanam liturgiam non A modo in tota Italia, sed in Africa quoque, in Hispania, et in Gallia, a primis fidei præconibus propagatam fuisse; credibile enim est primos illarum gentium apostolos, ad fidem conversis populis, eam tradidisse sacrificandi, orandi et sacramenta conficiendi administrandique [XL] formam, quam ipsi in sinu Ecclesiæ Romanæ didicerant. Hoc argumentum prima specie efficax, auctoritate sancti Isidori, et sancti Gregorii VII confirmant, adduntque fragmentum Scorialense, et concilia Hispana Illiberitanum et Toletanum primum.

153. Præterea, inquiunt, sanctus Leander, et sanctus Isidorus composuerunt liturgiam, quam concilium Toletanum IV approbavit, et, ut sola in Ecclesiis regni Visigothorum observaretur, suis decretis mandavit. Hanc liturgiam, quam postea Mozarabicam appellarunt, negant esse primævam formam celebrandi divina, quam apostoli in Hispaniam attulerunt, utpote quæ, sæculo duntaxat VII, concilii Toletani IV auctoritate invecta est.

154. Hæ sunt præcipuæ hujus sententiæ rationes, quam suspiciosam facit priscorum auctorum silentium, neque fundamenta quibus innititur tam firma sunt quam apparent. Nam non satis constat eos solos in Hispania constituisse Ecclesias, quos beatus apostolus Petrus ejusque successores illuc evangelizatum miserunt: ex hoc enim numero Hispani excipiunt sanctum Jacobum Majorem, et ab antiquorum testimonio excipiendus est apostolus Paulus, imo et ipse apostolorum princeps Petrus, quem in Hispania prædicasse aliqui contendunt (a). Discipulos aliquot in Hispania reliquisse sanctum Jacobum apostolum fama prodit. Paulum apostolum, nullos in Hispania constituisse Ecclesias, siquidem in iis regionibus evangelizaverit, creditu difficile est. Idemque de apostolo Petro dicendum videtur. Unde non est cur dicamus Hispanos liturgiam Romanam una cum fide Christi suscepisse. Imo suspicari licet eos aliam quamdam divina obeundi normam a Jacobo, et a Petro, vel a Paulo apostolo, accepisse.

155. Sed ponamus apostolorum neminem in Hispania prædicasse, fidemque Christi Hispanos accepisse ab iis quos apostolus Petrus ejusque successores illuc evangelizatum miserunt, non inde continuo sequitur primævam Hispanorum liturgiam Romanam fuisse, nam haud incredibile est apostolicos viros, Roma ad prædicandum missos, quandoque formam liturgicam tradidisse Romanam, quandoque formam a Romana diversam instituisse. Quod tum maxime contigisse opinor, cum apostolici illi episcopi, qui Romæ constituti fuerant sacerdotes, fide Christiana, in Ecclesiis Asiæ, Syriæ aut Palestinæ, imbuti, disciplinæ et ritibus liturgicis earum Ecclesiarum assueverant in quibus baptizati fuerant.

156. De sanctis Trophimo et Irenæo refert anonymus Spelmani, ambos Roma in Galliam ad evangelizandum missos esse, Irenæum quoque, a sancto Clemente papa episcopum ordinatum, et Trophimum prodit *cursum Romanum* Gallis tradidisse, Irenæum vero cursum Asiaticum, eamque normam divina celebrandi quæ postea liturgia Gallicana dicta est, in Gallia omnium primum [XLI] instituisse.

157. Aliis quoque Occidentis et Africæ Ecclesiis, quid simile contigisse reor; nam, ut concedamus eorum apostolos Romæ missionem et sacerdotium suscepisse, fateri tamen debemus in illis ritus et cæremonias liturgicas a Romanis discrepantes inveniri. B Quæ cum vetustæ sint, et earum origo ignoretur, haud temere ad Ecclesiarum conditores referuntur. Sic Mediolanensis Ecclesia suam habuit liturgiam, a Romana in multis dissentientem, quæ, etsi Ambrosiana denominetur, tamen est sancto Ambrosio antiquior (b). Africani suam quoque habebant, in qua erant benedictiones episcopales (c), preces diaconicæ (d), aliique ritus a Romanis diversi, quorum unus erat solemnis formula postulandi Spiritum sanctum, *ad consecrandum sacrificium corporis et sanguinis Domini* (e). Galli quoque suam et Hispani suam liturgiam a Romana dissentientem habebant, quibus planum est viros apostolicos, Roma ad evangelizandum missos, ritus Romanos aliquando non tradidisse Ecclesiis a se in nationibus fundatis. Quare etiamsi C constaret (quod plane non constat) Hispanos non alios habuisse fidei præcones quam quos apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt sacerdotes, non inde legitime deduceretur eos ab initio imbutos fuisse liturgia et ritibus Romanis. Opponunt tamen sanctum Isidorum, qui missæ Hispaniensis sanctum Petrum agnoscit auctorem, unde concludunt missam hanc non aliam fuisse quam Romanam. Quam enim aliam sanctus Petrus Hispanis traderet, quam quæ ab eo Romanis tradita fuerat? En verba sancti doctoris, e libro primo de Officiis ecclesiasticis, capite decimo quinto, cui titulus *De missa et orationibus*, desumpta: *Ordo missæ vel orationum quibus oblata Deo sacrificia consecrantur primum a sancto Petro est institutus, cu-* D *jus celebratio uno eodemque modo universus peragit orbis.* Hunc locum difficilem esse nemo non vidit; nam sanctus doctor loquitur de missæ ordine cujus celebratio *uno eodemque modo* universus peragit orbis: quænam autem hæc fuerit liturgia, quisnam ordo missæ, difficile dictu est? Utique sanctus Isidorus optime noverat plures et inter se dissidentes liturgias suo tempore exstitisse. Quænam igitur ea missa fuit quam arbitratus est omnes Ecclesias *uno eodemque*

(a) Bollandiani, tom. V Jun., pag. 403, num. 16; Gaspar Sancius, de Prædicatione apostolorum Petri et Pauli in Hispania.

(b) Joseph Vicecomes, de antiq. missæ Sacr., lib. II, cap. 12. Em. Bona, divina Psalmod., cap. 18.

(c) Optatus, contra Parmenien. lib. VI; epist. concilii Carth. ad Innocentium I papam, inter epistolas sancti Augustini epist. 175, Ed. Maurin.

(d) Tertull., de Anim., cap. 9; idem, Apolog. cap. 39, et ad Scapulam, cap. 2. Sanctus Cypr., ad Demetr.; idem, epist. 15 et 55.

(e) Sanctus Fulgentius, ad Monim., lib. I, c. 2; lib. II, cap. 6, 8, 9, 10, 12.

modo celebrare? Hæc nec missa Hispana, neque missa Romana fuit. Non enim ignorabat quantum missa quæ suo tempore in Hispania celebrabatur diversa erat a Romana, et quantum Romana diversa erat a Gallicana, ab Hispaniensi, et ab Orientalium missis. At si sanctus Isidorus, hoc loco, nec [XLII] de Hispana, neque de Romana missa loquatur, exinde probari nequit liturgiam primævam Hispanam eamdem fuisse atque Romanam.

158. Em. Bona (*a*) opinatur sanctum Isidorum *de re* et *substantia* missæ locutum esse, *non de verborum tenore et cæremoniis*. At, cum de liturgiarum varietate agitur, non de ipsa re et substantia missæ, quam eamdem ubique esse omnes norunt, sed de ritibus et cæremoniis sermo est, de quibus si sanctus Isidorus non loquatur, locus citatus ad rem præsentem omnino non pertinet.

159. Eruditissimus Mabillonius (*b*), cum hunc locum ex Etherio et Beato (*c*), retulisset, eum putat intelligendum esse de liturgia Ecclesiæ universalis, secundum eas partes accepta quæ in omnibus missis inveniuntur, quales sunt Scripturarum lectio, elementorum oblatio et consecratio, communio, et aliæ quædam partes, quæ in omnibus omnium gentium liturgiis inveniuntur. Ponit (*d*) enim vir eruditus Ecclesias tam Orientis quam Occidentis *in celebrando sacrosancto missæ sacrificio modum quemdam in summo communem ab initio habuisse* (*e*); et simul Ecclesias singulas *ritus aliquos singulares et diversos* ab initio etiam habuisse. Subditque eos *qui ad ritus singulis Ecclesiis seu regionibus proprios attenderunt, multum discriminis in sacris officiis agnovisse, non tantum inter Orientalem et Occidentalem* Ecclesiam, *sed etiam inter Latinas invicem Ecclesias*. Eos vero qui attenderunt ad modum illum communem, *missæ ordinem ubique uniformem esse* dixisse. In horum vero numero una cum sancto Isidoro reponit Etherium et Beatum, qui, ipsis sancti Isidori verbis usi, asserere non dubitarunt missæ ordinem *uno eodemque modo* orbem universum peragere. *Non ignorabant*, inquit, *eruditi illi auctores discrepantiam liturgiæ Hispanicæ a Romana, sed ita loquebantur, habita ratione modi illius generalis uniformis.*

160. Non hic inquiro an partes illæ præcipuæ, A quæ, tanquam puncta quædam fixa et certa, in omnibus omnium gentium liturgiis locum habent, dici debeant *modus communis* et *ordo* quidam generalis *ubique uniformis* celebrandi Eucharistiam, quod fortasse non deerunt qui negabunt. Sed, admisso hoc loquendi modo, inde sequitur sanctum Isidorum, quando scripsit *missæ ordinem*, a sancto Petro institutum fuisse, nec de Romano neque de Hispano ordine intelligendum esse, sed de missæ præcipuis partibus, quæ, a divina et apostolica traditione profectæ, in omnibus tam Orientis [XLIII] quam Occidentis liturgiis, eædem recurrunt. At nobis quæstio est de iis quibus Hispana liturgia discriminatur a Romana, non vero de iis in quibus omnes liturgiæ conveniunt.

B 161. Sed concedamus, quod vix negari potest (*f*), sanctum Isidorum locutum esse de missa quam, suo tempore, in Hispania celebrant, cujus primum auctorem sanctum Petrum agnoscit. Num inde confici possunt liturgiam quam a sancto Petro Hispani acceperunt Romanam exstitisse? haud puto. Neque id in mentem doctori Hispaniæ venire potuit, quem non latebat quantum a Romana distabat liturgia Hispaniensis.

162. Quid ergo ex hoc sancti Isidori testimonio confici potest? Duo hæc, ni fallor, dummodo locus integer sit, nec interpolatus. Primum, sanctum Isidorum opinatum esse apostolorum principem in Hispania prædicasse Evangelium, et Ecclesias consti- C tuisse, eisque eum liturgiæ ordinem tradidisse qui Gotho-Hispanus, et deinde Mozarabicus dictus est. Alterum, quod ex primo consequitur, sanctum Isidorum opinatum esse apostolos uni eidemque formæ liturgicæ constanter non adhæsisse, sed (demptis quibusdam punctis quæ in omni liturgia, cum quadam tamen varietate, inveniuntur), pro temporum, locorum et gentium, ad fidem venientium, varia ratione, modo unam formam celebrandi divina, modo aliam tenuisse, et Ecclesiis tradidisse (*g*), atque proinde Petrum aliam Romanos, aliam, eamque diversam, liturgiam Hispanos docuisse. Sed quidquid sit de hac conjectura, hoc textu sancti Isidori ea opinio minime confirmari potest, quæ tenet Hispanos cum fide Christi liturgiam Romanam ab initio suscepisse.

(*a*) Rerum liturgicarum, lib. I, cap. 5.

(*b*) De Liturg. Gallic., lib. I, c. 2, n. 2.

(*c*) Adversus Elipand., lib. I.

(*d*) Mabill., de Liturg. Gallic., lib. I, cap. 2, n. 1 et 2.

(*e*) Eusebius Renaudotius, in dissertatione præmissa tomo primo suæ Collectionis liturgiarum Orientalium, cap. 3, conatur ostendere *veteres liturgias Græcas et Orientales Latinis convenire, et utrasque apostolicæ mysteriorum celebrandorum formæ in præcipuis capitibus respondere.*

(*f*) Sanctum Isidorum, in toto hoc capite, agere de missa Hispana, non quacunque, sed de ea quæ suo tempore celebrari solebat, ex contextu apparet. Nam cum dixisset missæ et orationum ordinem, *quibus oblata Deo munera consecrantur*, sanctum Petrum instituisse, subdit: *Prima earumdem* (scilicet orationum quibus oblata Deo munera consecrantur) *oratio,* D *admonitionis est erga Deum. Secunda invocationis adest*, etc., et cæteras orationes, quibus missa Gotho-Hispana præcipue constat, et a cæteris distinguitur, singillatim enumerat, easque concludit *Apostolica et Evangelica doctrina* commendari. Ut dubitare vix possimus quin de missa Gotho-Hispana loquatur, quam suis propriis indiciis ab alia quacunque distinguit.

(*g*) Apostolus Petrus in Palæstina, Antiochiæ, et in Syria, in Ponto, in Galatia, Romæ, in Italia et in aliis Orientis et Occidentis provinciis, Eucharistiam non semel celebravit. Num eodem ubique ritu? Si annuis, quæro num Romano, num Hierosolymitano? Si Romano, cur in Oriente liturgia Romana nullibi obtinuit? Si Hierosolymitano, cur hic ritus Romæ et in Occidente admissus non fuit? Est igitur credibile sanctum Petrum et alios apostolos uni eidemque liturgiæ constanter non adhæsisse.

163. Sed neque epistola sancti Gregorii VII, neque monumentum Scorialense eidem sententiæ magis favet. In regia Scorialensi bibliotheca conservatur insignis manuscriptus Codex conciliorum, e monasterio sancti Æmiliani, illuc, anno 1598, delatus. In hoc Codice legitur celebre illud monumentum ad originem liturgiæ Hispanicæ pertinens. Joannes Pinius, in suo tractatu historico [XLIV] chronologico de Liturgia antiqua Hispana (a), locum integrum dedit. E quo ea referam quæ ad rem nostram faciunt. Monumenti, sive auctor, sive scriptor, præmisso hoc titulo: *De missa apostolica in Hispaniam ducta Julianus et Felix*, tradit sanctos Torquatum ejusque socios (b), *apud urbem Romam a sanctis apostolis Petro et Paulo sacerdotium suscepisse*, in Hispaniam venisse, ibique Ecclesias constituisse, et *sicut ab apostolis* MISSAM DOCTRINAMQUE *acceperunt, per Hispaniam ordinatis episcopis tradidisse, et sic crevit fides catholica paulisper* (c), *donec de orthodoxis et catholicis viris fuit illustrata, id est, Fulgentio, Petro, Leandro, Isidoro, Fructuoso, Juliano. Ab illis exemplum tenuerunt, et* (d) *n bis reliquerunt. Æra* 965 (e). Ex hoc monumento nonnulli conficiunt liturgiam Romanam eam fuisse quam apostolici illi episcopi Hispaniæ intulerunt. Quia, inquiunt, viri illi Romæ sacerdotalem dignitatem adepti sunt, et Roma in Hispaniam Evangelium prædicatum venerunt.

164. Sed huic argumentationi superius satisfactum est, ostendendo apostolicos viros, Roma ad Evangelizandum profectos, aliquando liturgiam tradidisse Ecclesiis quas fundaverant a Romana dissentientem. Quam responsionem monumentum Scorialense, si quid valet, splendide confirmat, ostendendo *missam illam apostolicam*, quam Torquatus ejusque socii *ordinatis per Hispaniam episcopis* tradiderunt, ipsissimam Gotho-Hispanam exstitisse.

165. Ea enim missa, seu liturgia, fuit quam Fulgentius, Petrus, Leander, Isidorus, Fructuosus et Julianus, usu atque operibus editis illustrarunt. Hi autem sanctissimi Hispaniensis Ecclesiæ episcopi, in missarum celebratione, liturgia Gotho-Hispana usi sunt. De Ildefonso, Fructuoso et Juliano, ambigendum non est, utpote qui post concilium Toletanum IV Ecclesiis regendis admoti fuerunt. Eadem liturgia usum esse sanctum Isidorum, insigne ejus opus de Officiis Ecclesiasticis persuadet, idemque de ejus fratribus Leandro, Fulgentio et Petro sentiendum. Neque enim sanctus Isidorus unam, aliam vero fratres ejus normam celebrandæ Eucharistiæ habuerunt. Unde fit liturgiam quam viri apostolici, Roma in Hispaniam ad prædicandum Evangelium missi, Ecclesiis Hispaniæ tradiderunt Gotho-Hispanam fuisse, non vero Romanam.

166. Sanctus Gregorius VII, ad Alfonsum VI, Castellæ et Legionis regem, et ad Sancium IV (f) Navarræ [XLV] regem scribens, aperte asserit sanctum Paulum in Hispania prædicasse (g), et priscam Hispanorum traditionem de septem illis apostolicis episcopis, Roma in Hispaniam ad Evangelium prædicandum missis, distincte commemorat; unde, inquit, conjicere licet *quantam concordiam cum Romana urbe Hispani in religione et in ordine divini officii habuerint.*

167. Sane ultro conceditur quod sanctus pontifex asserit. Notum enim est quanta sollicitudine Hispaniæ episcopi concordiam cum sede Romana constanter foverunt, non in iis modo quæ ad fidem et mores spectant, sed etiam in iis præcipuis capitibus quibus divini officii ordo maxime constat. Quæ, ut antea dictum est, in liturgiis omnibus, tam Orientis quam Occidentis, eadem observantur. Verumtamen, cum varietas liturgica sita non sit in illis officii divini partibus quæ ubique eædem observantur, sed in aliis multis ritibus et cæremoniis quæ salva catholica pace et ecclesiastica communione, antiquitus et, ut viris quibusdam eruditis videtur (h), ævo apostolico, ipsis apostolis saltem non repugnantibus, introducta fuerunt, concordia Ecclesiarum Hispaniæ cum Romana sede etiam in ordine divini officii retineri potuit, quamvis Hispani propria uterentur liturgia, a Romana diversa.

168. Quod autem aiunt liturgiæ Romanæ usum in Hispania sæculo IV et V viguisse, sine sufficienti probatione asserunt. Primum eorum argumentum est canon vigesimus sex Illiberitanus, quo decernitur ut diebus Sabbati jejunium observetur (i). Unde deducunt Hispanos ineunte sæculo IV ritibus Romanis usos esse, quos utique una cum religione Christi acceperunt. Fatemur quidem Hispanos et die Sabbati jejunasse, et quotidie Eucharistiam sumpsisse (j), quæ utraque consuetudo in Romana Ecclesia vigebat.

(a) Cap. 1, sect. 1, n. 9, 10.

(b) In hoc monumento ita nominantur: *Torcatus, Tisifon, Indalecius, Secundus, Eufrasius, Cæcilius et Isicius.*

(c) Fortasse *paulatim.*

(d) Forte legendum, *qui nobis reliquerunt.*

(e) Anno Christi 925, quo monumentum hoc scriptum fuit.

(f) Exstat inter epistolas sancti Gregorii VII, lib. II, epist. 68, et apud Baronium, in Annal., ad ann. 1074, et apud em. de Aguirre, Conc. Hisp. tom. III, pag. 248.

(g) Ita enim scribit: *Cum beatus apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ad postea septem episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos, a Petro et Paulo apostolis directos fuisse, qui, destructa idololatria, Christianitatem plantaverunt, ordinem et officium in divinis cultibus agendum ostenderunt, et sanguine suo Ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret, quantam concordiam cum Romana urbe Hispania in religione et in ordine divini officii, habuerit satis patet*, etc.

(h) Josephus Vicecomes, de antiq. missæ Ritibus, lib. II, cap. 1, fuse contendit varietatem liturgicam ævo apostolico incepisse. Eamdem opinionem tenet Lazarus Boquilot, in tractatu historico de Liturgia sacra, lib. I, cap. 2.

(i) Verba canonis sunt: *Errorem placuit corrigi, ut, omni Sabbati die, jejuniorum superpositionem celebremus*

(j) Sanctus Hieronymus, epist. 71, ad Lucinium, Edit. Veron. n. 6, col. 432: *De Sabbato quod quæris, utrum jejunandum sit, et de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia et Hispaniæ observare perhibentur*, scripsit, etc.

At minime probatur Hispanos has consuetudines ab Ecclesia Romana accepisse. Nam jejunium Sabbati, hoc ipso canone Patres Illiberitani instituerunt, cum antea minime observaretur. Etenim, ut animadvertit Gabriel Albaspinæus (a), jejunii [XLVI] *superimpositionem* celebrare, est jejunium imponere, quod antea non observabatur. Unde apparet Hispanis consuetudinem hanc jejunandi die Sabbati ab initio non fuisse; et ex hac unica consuetudine, quæ ad liturgiam non pertinet, male inferri Hispanos Romanis ritibus, sæculo IV, deditos fuisse. Altera vero consuetudo quotidie Eucharistiam accipiendi, præter Romanam, et Hispaniæ Ecclesias, ab aliis quibusdam observabatur.

169. Aliud argumentum e concilio primo Toletano desumunt. In eo enim, canone secundo, permissum fuit pœnitentes ad gradum lectoris assumere, ubi aut necessitas ita exigebat, aut approbabat consuetudo, *ita tamen, ut ii Evangelium et Apostolum non legerent*. Et canone quarto mandatum fuit ut subdiaconus, qui defuncta priore uxore secundam duxerat, ad gradum lectoris detruderetur, *ita ut Evangelium et Apostolum non legat*. Unde inferunt Hispanos, ineunte sæculo V, missam ritu Romano celebrasse, in qua binæ tantummodo legebantur Scripturæ lectiones, Evangelium scilicet, et Apostolum, sive Epistolam.

170. Sed id male colligunt. Nam Patres Toletani nec lectori pœnitentium e numero assumpto, neque subdiacono bigamo officium lectoris interdicunt, sed solummodo prohibent ne libros Novi Fœderis legant. Unde consequitur in missa Hispana, præter Testamentum Novum, lectum fuisse Testamentum Vetus, quod lectori pœnitenti et subdiacono, qui secundam duxerat uxorem, legere concessum fuit. Atque adeo missam Hispanam, anno quadringentesimo æræ Christianæ, in lectionum numero, cum liturgia Missalis Ximenii, non vero cum Romana concordasse.

171. Hæc sunt argumenta quibus demonstrare conati sunt Hispanos a viris apostolicis liturgiam Romanam una cum fide Christi accepisse, quorum alia incerta, alia levia, alia sunt quæ in contrariam partem facile deducuntur. Nunc ad eas rationes examinandas transeo, quibus persuadere volunt liturgiam Gotho-Hispanam, seu Mozarabicam, sæculo VII excogitatam fuisse, et a viris sanctis Leandro et Isidoro in eum quem postea ordinem retinuit digestam fuisse atque dispositam.

§ XI. *An sanctus Leander auctor habendus sit liturgiæ Gotho-Hispanæ.*

172. Cum circa originem liturgiæ Hispanicæ duplex hactenus sententia fuerit, alia eorum qui tenent primævam liturgiam Hispanorum a Romana distinguendam non esse, alia, huic opposita, eorum qui tenent Hispanos ab initio ea sacrificandi forma usos quæ postea Mozarabica dicta est, exclusa prima, quæ

A est de liturgia [XLVII] Romana, consequens est ut dicamus liturgiam Gotho-Hispanam, sive Mozarabicam, diu ante ætatem Leandri et Isidori usitatam fuisse. Sed quia non defuerunt, nec desunt, viri eruditi quibus persuasum est liturgiam Mozarabicam, seu Gotho-Hispanam, auctores habuisse sanctum Leandrum, aut sanctum Isidorum, aut utrosque, eorum argumenta hoc loco examinanda sunt, ut, iis amotis, antiquitas liturgiæ Missalis nostri clarius appareat.

173. Est autem animadvertendum aliquos compositionem Missalis et Breviarii a liturgiæ compositione minime distinguere, et ita de auctoribus Missalis et Breviarii loqui, ac si iidem fuerint liturgiæ Mozarabum conditores, cum tamen satis perspicuum sit aliud esse Missale aliquod aut Breviarium
B componere, et aliud liturgiam condere. Quare hæc duo ita distinguo, ut modo de auctoribus liturgiæ Gotho-Hispanæ, seu Mozarabicæ, agatur, postea vero ut sermo fiat de auctoribus Breviarii et Missalis Mozarabum.

174. Primum itaque volunt sanctum Leandrum fuisse auctorem liturgiæ hujus, quia, aiunt, aptissimus fuit sanctus Leander, qui liturgiam genti Visigothorum conderet (b), siquidem ejus industria ad fidem catholicam revocati fuerant, et addunt sanctum Isidorum scripsisse (c) Leandrum, in Ecclesiasticis Officiis, *non parvo studio* laborasse, quæ verba putant ad liturgiæ Gotho-Hispanæ compositionem alludere. Sed undenam habuerunt Hispanos episcopos formam liturgiæ novam, ob reditum Visigothorum ad catholi-
C cam communionem, in suas Ecclesias intromittere voluisse? Quis unquam antiquorum de hac innovatione mentionem fecit? At si sine antiquorum auctoritate excogitata est hujus novæ liturgiæ, in gratiam gentis Gothorum compositio, nonne tanquam merum figmentum rejici debet? maxime cum plura sint nec levia argumenta quæ persuadent catholicam Hispanorum ecclesiam eamdem retinuisse formam liturgicam post conversionem gentis Gothorum, quam antea frequentaverat.

175. At, inquiunt, liturgiæ appellationes supplent defectum antiquorum scriptorum, et ostendunt eam in gratiam gentis Gothorum conditam fuisse: nam et *Gothica* appellari solet, et *Gotho-Hispana*. Recte. Sed hæ appellationes apud recentiores tantummodo in-
D veniuntur, apud scriptores antiquos, qui ante annum septingentesimum scripsere, minime recurrunt.

176. Deinde, qui pro argumento liturgiæ ejus nomina producunt, utique norunt eam *Mozarabicam* dictam esse, non quidem quia in gratiam Mozarabum composita fuerat, sed quia Mozarabes ea in sacris officiis utebantur. Eadem ratione *Gotho-Hispana* dicta est, et *Gothica*, non quia apud Gothos orta, aut apud eos, priusquam in Hispaniam venissent, in usu fuerat (d); sed quia Hispani [XLVIII] et Visigothi in unam quodammodo gentem et in unam catholicam commu-

(a) In observationibus ad canonem 26 concilii Elliberitani.

(b) Guilielmus Cave, Historia scriptorum ecclesiasticorum litteraria, ubi de sancto Leandro agit.

(c) De Viris illustribus, cap. 41.

(d) Gothos, tempore Gallieni Augusti, Christi re-

sionem coalescentes, hanc sacrificandi formam retinuerunt, eamque solam in omni Visigothorum imperio adhiberi voluerunt, satis apte a Neotericis et *Gothica*, et *Gotho-Hispana* dicta est. Sed inde male colligunt eam in gratiam gentis Gothorum a sancto Leandro, aut ab alio quocunque, fuisse compositam.

177. Quod autem addunt, sanctum Leandrum, Isidoro teste, *in ecclesiasticis Officiis, non parvo* laborasse *studio*, verum quidem est, sed ad missam Mozarabicam, seu Gotho-Hispanam nihil pertinet, ut infra ostendam, quando de auctore Missalis Mozarabici sermo erit (a), ea enim verba tantummodo respiciunt Orationalem librum, quem sanctus Leander composuerat.

178. P. Petrus Le Brun non modo assumit sanctum Leandrum liturgiam Gotho-Hispanam composuisse, sed methodum quoque tradit quam in ea componenda secutus est (b). Non enim, inquit, putandus est Leander ordinem omnino novum excogitasse, imo potius magnam partem veterum rituum Ecclesiarum Hispaniæ retinuisse, quibus plures Orientalis Ecclesiæ consuetudines, plures etiam Gallicanas, inseruit, ut liturgiam conderet quæ omnibus placeret. At contra Honoratus a Sancta Maria opinatur sanctum Leandrum *novum ordinem liturgiæ apposuisse* (c), cui ante eum multi sancti episcopi manus adhibuerant.

179. At ne dicamus sanctum Leandrum *novum ordinem* novamque [XLIX] dispositionem liturgiæ, præter allatas rationes, prohibet silentium sancti Isidori, et Patrum conciliorum Toletani III et IV. Is enim, cui certe gesta præclara fratris sui optime nota erant, non prætermisit Leandri *fide atque industria factum esse ut populi gentis Gothorum ab Ariana insania ad fidem catholicam reverterentur*, operaque ab eo composita accurate recenset, de liturgia tamen ab eo composita, de *novo ordine* ab eo veteri liturgiæ dato, ne verbum quidem profert, quamvis locus monebat ut cum de conversione Gothorum, Leandri industria perfecta, mentionem fecisset, de liturgia Gotho-Hispanæ auctore loqueretur, nec ambigendum videtur, quin de eo mentionem fecisset, si sanctus Leander is fuisset qui novam liturgiam condiderat, aut veteri novum ordinem in gratiam gentis Visigothorum tribuerat.

180. Neque putandum est Patres concilii Toletani IV sanctum Leandrum innominatum prætermissuros fuisse, si eam formam liturgiæ Gotho Hispanæ tribuisset quam suis decretis comprobarunt. Cur enim auctorem ejus liturgiæ silerent, quam ab omnibus Ecclesiis Hispaniæ et Galliæ Gothicæ in posterum observari voluerunt? At nullus erat istiusmodi auctor quem laudarent, si enim is exstitisset, utique tempus inutiliter, tot decretis circa rem liturgicam condendis minime trivissent, sed ratione quadam magis expedita rem totam paucis verbis confecissent, præcipiendo ut secundum ordinem atque methodum a sancto Leandro (aut ab alio quocunque, si ullus ejusmodi exstitisset) traditam, res divina in posterum fieret. At illi plures canones queis ritus emendarent condidere, iisque, quasi totidem testibus, probarunt liturgiam a sancto Leandro compositam nullam omnino exstitisse.

181. Ad conjecturas vero quibus indulget P. Le Brun si quis attenderit, is profecto inveniet eum sibi in eo contradicere, quod dicat Leandrum ritus plures Gallicanos liturgiæ Gotho-Hispanæ inseruisse, et in eo quod addit (d) ordinem antiquum, quem in liturgia Gotho-Hispana observare licet *præcipue a prisco ritu Gallicano venire*. Si enim, quod P. Le Brun fatetur (e), liturgia Gallicana eadem olim fuerit atque Hispana, ordo antiquus liturgiæ Hispanæ non proveniebat a liturgia Gallicana, sed ipse liturgia Gallicana dicendus est. Nec opus erat ut sanctus Leander liturgiæ Gotho-Hispanæ compositioni ritus Gallicanos insereret, siquidem iidem erant Gotho-Hispani.

ligione imbui cœpisse, Sozomenus, lib. II, cap. 5, prodidit, a fidelibus edocti, quos e Gallatia, Ponto et Cappadocia, captivos duxerant, inter quos aliqui fuerunt presbyteri et episcopi, qui sanctitate morum et miraculorum dono multos e barbara gente ad rectam fidem perduxere, quibus baptisma contulerunt. Conventus, more Christianorum, agere cœperunt, et ecclesias constituerunt, in quibus episcopi, presbyteri, diaconi, clerus, monachi et plebs Christiana fuerunt, atque procul dubio illis liturgia non defuit, nec defuere martyria. Sanctus Hieronymus, ad Letam, epist. 107, scribit Gothorum exercitus ecclesiarum circumtulisse tentoria. Gothi fidem catholicam ab initio susceperunt, postea vero, opere Valentis Augusti, ad sectam Arianam ii saltem transierunt qui, patria pulsi, in Italia, et in Hispania, et in Gallia, Gothorum regna constituerunt. De Theodorico secundo Visigothorum rege Sidonius Apollinaris, lib. I, epist. 2, scribit: *Antelucanos sacerdotum suorum cœtus minimo comitatu expetit, grandi sedulitate veneratur, quanquam, si sermo secretus, possis animadvertere quod servet ista pro consuetudine, potius quam pro religione.* Quænam autem fuerit liturgia Gothorum, nemo hactenus, nisi divinando, statuere potuit, an liturgiam mutaverint postquam in hæresim Arianam dilapsi sunt, et, patria pulsi, in Thracia, in Italia, in Gallia, et Hispania domicilium collocarunt, an liturgia Constantinopolitana in Thracia; an Romana, an Mediolanensis, in Italia; an Gallicana et Hispana in Gallia et in Hispania usi sint; an Ostrogothis et Visigothis eadem fuerit, an diversa liturgia. Omnia incerta et obscura. Haud incredibile videtur Gothos patria lingua in sacris officiis usos esse, hinc eorum ritus Italis, Gallis et Hispanis, minus noti fuerunt, quibus etiam, ob impietatem Arianam, contemptui erant et detestationi.

(a) Honoratus a Sancta Maria, Animad. in usum crit., tom. III, lib. V, dissert. III, art. 3, pag. 146, scribit sanctum Isidorum animadvertisse sanctum Leandrum incubuisse ecclesiasticis officiis, et *missæ cæremoniis restituendis*. Sed hæc ultima verba apud sanctum Isidorum non leguntur.

(b) P. Petrus Le Brun, Expos. miss., t. II, diss. V, art. 1, pag. 279.

(c) Animad. in usum crit., tom. III, lib. V, diss. III, art. 3, sec. 4, pag. 146. *In hac re*, inquit, *magis verisimile est multos sanctos episcopos liturgiæ huic operam dedisse; sanctum Leandrum ei novum ordinem apposuisse, atque additionibus quibusdam ditasse.*

(d) Explic. missæ, tom. II, diss. V, art. 3, p. 334.

(e) Ibid., art. 4, p. 334, distincte scribit liturgiam Gallicanam *ferme integram, saltem quoad formam, in Missali Ximenii, adhuc vigere.*

182. In eo vero quod ait, sanctum Leandrum liturgiæ Gotho-Hispanæ ritus et consuetudines Ecclesiæ Orientis intulisse, et antiquum ordinem, quem in ea videre est, partim ab Ecclesiis Orientis devenisse (*a*), egregie fallitur. [L] Nam ne unum quidem ritum, in tota liturgia Gotho-Hispana demonstrare potest qui Græcorum aut Orientalium dici debeat (*b*).

183. Statim occurrit Symbolum Constantinopolitanum, quod *secundum formam Orientalium Ecclesiarum* Gotho-Hispani et Mozarabes in missa recitant. Sed primo recitatio Symboli Constantinopolitani in liturgiam Hispanam decreto concilii Toletani III illata fuit, non vero a sancto Leandro.

184. Secundo, Symboli in missa recitatio censeri non debet ritus proprius Ecclesiarum Orientis; quippe quæ speciali edicto Justini Junioris Augusti liturgiis jam olim constitutis addita fuit. Tertio, ritus recitandi Symboli, in missa Gotho-Hispana, adeo discrepat a recitandi modo Græcorum et Orientalium, ut proprie Gotho-Hispanus sit, nec dici debeat Græcus, aut Orientalis, neque ve ba illa, *secundum formam Orientalium*, quæ in canone secundo concilii Toletani III leguntur, referuntur ad ritum recitandi, sed ad formam ipsam Symboli.

185. Nam sacerdos Gotho-Hispanus, juxta citatum canonem concilii Toletani III (*c*), peracta donorum consecratione, priusquam dicat orationem Dominicam, elevans altius panem sanctum, ut a populo videri possit, elata voce, dicit : *Fidem*, *quam corde credimus*, *ore autem dicamus*, et continuo populus recitat Symbolum Constantinopolitanum (*d*). At sacerdotes Græci et Orientales Symbolum ante consecrationem elementorum recitant (*e*), et Græci quidem primum pacem faciunt, et deinde Symbolum dicunt (*f*), Orientales vero primum recitant Symbolum, et deinde pacis osculum sibi invicem tribuunt (*g*). Sed nec Græci, neque Orientales aut donorum elevationem, aut solemnem formulam, *Fidem*, *quam corde credimus*, etc., recitationi Symboli præmittere solent; unde apparet ritum Gotho-Hispanum recitandi Symboli plane alium esse atque diversum a Græcorum et Orientalium ritibus (*h*). Consulto autem [LI] Hispani inter suum ritum recitandi Symbolum et ritum Græcorum discrimina constituisse videntur, ne crederentur, suscepta consuetudine recitandi Symboli in missa, legibus imperatoris Græci obtemperare voluisse. Hinc, nulla facta mentione edicti Justini, aperte dicunt hunc ritum synodum statuisse *consultu piissimi ac gloriosissimi Reccaredi regis*, et addunt rationes peculiares cur Symbolum recitari in missa præceperint, adeo illis cordi erat ne aut dignitatem Ecclesiæ suæ, liturgiam alienis ritibus interpolando, aut majestatem regni, violasse viderentur, ritum quemdam admittendo qui imperatoris Græci edictis antea fuerat in Oriente susceptus.

186. Præter Symbolum Constantinopolitanum, quod in argumentum rituum ab Orientalibus desumptorum afferri solet, preces diaconicæ, et solemne illud *Sancta sanctis* in missa Gotho-Hispana et in Orientalium Anaphoris inveniuntur; sed perperam inde concludunt sanctos episcopos, Leandrum Hispalensem, Martinum Dumiensem et Joannem Gerundensem hosce ritus e Græcia in Hispaniam attulisse. Illi quidem Constantinopoli aliquandiu versati, Græcis litteris probe imbuti fuerunt; at eam ob causam (nam nulla alia profertur) male (*i*) in suspicionem vocantur, perinde ac si patriam liturgiam alienis Græcorum ritibus interpolassent.

187. Nam preces diaconicæ Gotho-Hispanorum et numero et ordine differunt ab iis quas Græci et Orientales recitant, ut minime censendi sint Gotho Hispani hunc ritum ab Orientalibus desumpsisse. Quin potius *Officium precum* ex iis haberi debet, quæ a primis liturgiarum conditoribus instituta fuerunt, nam et in liturgiis Gallorum Mediolanensium, Afrorum et Hispanorum, inveniebatur. Verba autem solemnia *Sancta sanctis* in liturgiis Gotho-Hispana, Constantinopoli-

(*a*) Explic. missæ, tom. II, diss. V, art. 3, p. 334.

(*b*) Huic lapidi etiam P. Joannes Pinius impegit, qui in tractatu historico-chronologico de Liturgia antiqua Hispana, cap. 2, sect. 3, num. 83, vestigia P. Le Brun premens, integra sectione hac tertia *liturgiam Romano-Hispanam*, *ex Orientali commistam* esse contendit.

(*c*) Concilium Toletanum III, can. 2 : *Pro reverentia sanctissimæ fidei*, *et propter corroborandas hominum invalidas mentes*, *consultu piissimi ac gloriosissimi domini nostri Reccaredi regis*, *sancta constituit synodus ut per omnes Ecclesias Hispaniæ*, *et Galliæ*, *secundum formam Orientalium Ecclesiarum*, *concilii Constantinopolitani*, *hoc est*, *centum quinquaginta episcoporum*, *Symbolum fidei recitetur*, *et priusquam Dominica dicatur oratio*, *voce clara*, *a populo prædicetur*, *quo et fides vera manifestum testimonium habeat*, *et ad Christi corpus*, *et sanguinem præ ibandum pectora populorum fide purificata accedant*.

(*d*) Missale Mozarabum, pag. 5 et p. 230, et notæ, pag. 542.

(*e*) Euchologium Græcorum Goarii., p. 6, ed. Venet. 1730; et Renaudot., Liturg. Orient., tom. I, p. 336.

(*f*) Euchol., ibid.

(*g*) Renaudotius, ibid.

(*h*) Erit fortasse qui opponet Græcos et Orientales olim Symbolum in missa ante orationem Dominicam recitasse. Et sane Joannes Biclarensis, in Chronico, huic assertioni aperte favet; scribit enim Justinum Juniorem, anno primo imperii sui, *intromisisse* Symbolum Constantinopolitanum, *in omni Ecclesia* catholica cantandum a populo, *priusquam Dominica dicatur oratio*. At nunc, ut ex eorum libris liturgicis apparet, nec Græci, neque Orientales, Symbolum ante orationem Dominicam, sed, uti superius monui, ante consecrationem elementorum, recitant. Num dicendum eos edicto imperatoris, in hac parte, nunquam obtemperasse? Hoc creditu difficile est. Num putandum eos ritum suum postea mutasse? Neque hoc, de tot Ecclesiis facile concedendum, maxime cum non appareat ratio mutandi locum Symboli. At esto dicantur liturgiæ Orientalium hoc in loco mutationem passæ; tamen discriminaretur ritus Gotho-Hispanus ab Orientali, et elevatione corporis Domini, præmissa Symboli recitationi, et solemni formula *Fidem*, etc.

(*i*) P. Le Brun, Expl. miss., diss. V, art. 1, pag. 278. P. Jol. Pinius, in tract. de Lit. Hisp. cap. 2, sect. 3.

tana et Orientalium diversas actiones liturgicas constituunt. Nam Græci prius *Sancta sanctis* dicunt, et deinde hostiam frangunt (*a*), quem morem liturgia Alexandrina sancti Marci retinet (*b*). At Gotho-Hispani prius panem sanctum frangunt, et tum *Sancta sanctis* dicunt (*c*). Præterea tam Græci quam Orientales, quando *Sancta sanctis* dicunt, corpus Domini attollunt, ut a populo videatur, et adoretur (*d*); [LII] at Gotho-Hispani ad ea verba hostiam non elevant, sed fragmentum hostiæ in calicem dimittunt (*e*). Non est igitur cur aures patulas iis præbere debeamus qui persuadere nituntur liturgiam Gotho-Hispanam a sancto Leandro, aliisque celeberrimis viris, Græcorum cæremoniis fuisse inspersam, cum ne unum quidem ritum assignare queunt quem necesse sit fateri Gotho-Hispanos a Græcis aut ab Orientalibus B mutuatos esse.

§ XII. *An sanctus Isidorus auctor fuerit liturgiæ Gotho-Hispanæ.*

188. Alia opinio, quæ sanctum Isidorum liturgiæ Gotho-Hispanæ auctorem agnoscit, apud recentiores magis accepta et pervulgata est (*f*). Ea duplici argumento fulcitur. Primum est recepta hominum persuasio, liturgiæ appellatione quæ *Isidoriana* nominatur confirmata. Aliud est concilii Patres Toletani IV hanc provinciam sancto Isidoro dedisse, ut formam liturgiæ componeret, quam, amota varietate rituum, Ecclesiæ omnes Hispaniæ et Galliæ Gothicæ in posterum observarent.

189. At hæc etiam opinio antiquorum auctoritate C caret, et meris conjecturis nititur. Neminem enim antiquorum hactenus laudare potuerunt qui liturgiam Gotho-Hispanam nominaverit *Isidorianam*. Guitmundus episcopus Aversanus, qui anno octogesimo supra millesimum æræ Christianæ defunctus traditur, omnium antiquissimus citatur qui sanctum Isidorum Missale quoddam Hispanum scripsisse dixerit (*g*), ut mirum sit Nicolaum Antonium, virum doctum et accuratum scripsisse (*h*) *Isidorianum nomen* Breviario et Missali Mozarabico *ab ultima antiquitate* attributum esse.

190. Neque aliud quo utuntur argumentum majoris momenti est. Vulgo quidem jactatur concilium Toletanum IV curam condendi novam Liturgiam sancto Isidoro imposuisse; at hæc assertio antiquo- D rum auctoritate minime fulcitur, de ea silet concilium Toletanum IV, quod, si id muneris sancto Isidoro tribuisset, canonem de ea re, ut fieri solet, utique constituisset. Canon autem ejusmodi nullus exstat. Braulio quoque, et Hildefonsus, qui de operibus sancti A Isidori scripserunt, de cura condendæ liturgiæ illi impositа, et de conscripta ab eo [LIII] liturgia mentionem facere debuissent, de utraque tamen altum siluerunt.

191. Neque causa erat cur Patres concilii Toletani IV munus componendæ novam liturgiæ formam sancto Isidoro ullive committerent. Illis sane maxime cordi erat ut una et eadem forma celebrandi mysteria et ecclesiastica obeundi officia in omni Visigothorum regno æqualiter observaretur, eamque introduxerunt quam postea Ecclesia Gotho-Hispana constanter retinuit. Sed forma liturgica nova non erat, neque Ecclesiis Hispaniæ et Galliæ ignota, sed ea ipsa, cui immemorabili consuetudine assueverant. Cum igitur Patres Toletani id unum assequi vellent, ut antiquum Hispanorum ordinem, sublatis innovationibus, omnes Ecclesiæ regni Visigothorum retinerent, nulla illis causa supererat cur provinciam sancto Isidoro imponerent novum aliquem rituum et cæremoniarum ordinem componendi.

192. Præterea, satis manifestum est liturgiam illam quam sanctus Isidorus in libris suis de ecclesiasticis Officiis illustrat et explicat non aliam quam Gotho-Hispanam esse, illam scilicet quam conciliorum Toletanum IV sua auctoritate confirmavit, et stabilivit, et etiam satis certo constat sanctum Isidorum libros de ecclesiasticis Officiis scripsisse antequam concilium Toletanum IV celebraretur, eos enim libros Fulgentio Astigitano episcopo, fratri suo, inscripserat, qui, prius quam concilium hoc conveniret, pie obierat, sedemque Abentio cesserat, uti ex subscriptionibus episcoporum apparet. Jam vero planum est Patres hujus concilii non demandasse sancto Isidoro curam componendi liturgiam, quam optime noverant, diu antea compositam fuisse, et usu frequentatam, neque credibile est ut Cassander, ad Pamelium scribens, animadverterat sanctum Isidorum, libris illis de Officiis ecclesiasticis, eam explicasse et illustrasse liturgiam quam ipse condiderat.

193. Demum sanctus Isidorus, in brevi prologo quem libris de Officiis ecclesiasticis præmisit, professus dicturum se quibus auctoribus *orta fuerint ea* quæ in Officiis ecclesiasticis celebrantur, non semetipsum, non Leandrum, nec alios liturgiæ Gotho-Hispanæ auctores agnoscit, quam Scripturam sacram, apostolorum traditionem, eorum nimirum qui in Hispania Ecclesias constituerunt et Ecclesiæ consuetudinem.

194. Nihil igitur auctoritatis hisce opinionibus tribuendum est quæ sanctum Leandrum, aut san-

(*a*) Euchol. Græc., pag. 66. Ed. Ven. 1730.
(*b*) Renaudot., Lit. Orient., tom. I, pag. 1.1, 162.
(*c*) Missale Mozarab., pag. 6, pag. 232, et nota pag. 545.
(*d*) Euchol. Græc., pag. 65. Renaudot., Lit. Or., tom. I. p. 23 et 265, tom. II, p. 40, 141.
(*e*) Missale Mozarabum, p. 6, 232.
(*f*) Card. Baronius, in Annal., ad an. 633. Mabillonius, de Liturg. Gallic., lib. I, cap. 4, num. 8. Nicolaus Antonius, Bibl. vet. Hisp., part. I, pag. 269, n. 194. Joannes Mariana, de rebus Hispaniæ, lib. VI, cap. 5, et alii auctores Hispani, bene multi, quos omnes nominatim recensere nimis longum foret, quorum plerique auctorem liturgiæ ab auctore Missalis Mozarabici non distinguunt.
(*g*) Guitmundus, de Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia veritate, ubi de Missali Hispano, non autem de liturgia, loquitur.
(*h*) Bibliothec. vet. Hisp., lib. V, cap. 4, n. 199, pag. 269.

ctum Isidorum liturgiæ Gotho-Hispanæ auctores et conditores prædicant. Sunt enim mera recentiorum figmenta, post x et xi sæculum nullo certo auctore orta, ab iis deinde propagata qui ritus patrios celeberrimis sanctorum Leandri et Isidori nominibus. Tanquam scuto quodam, contra impugnatores protegere atque tutari nitebantur.

195. At, inquiunt, saltem concedendum est datam fui se sancto Isidoro curam expurgandi veterem liturgiam ab innovationibus quæ, episcoporum incuria, in eam irrepserant, eamque ob causam liturgiam Gotho-Hispanam [LIV], haud immerito *Isidorianam* esse appellatam. Equidem opinor non modo in iis quæ ad liturgiam pertinent, sed in cæteris quoque hujus concilii canonibus condendis præcipuas partes sancti Isidori fuisse; is enim synodo præfuit, et magna doctrinæ et sanctitatis fama vigebat; nihilominus, cum liturgia Gotho-Hispana, apud antiquos scriptores *Isidoriana* non appelletur, et canones omnes concilii Toletani IV communi Patrum nomine editi sint, emendatio liturgiæ videtur potius toti concilio quam sancto Isidoro tribuenda.

§ XIII. *An liturgia Gotho-Hispana ab apostolorum ævo ad excidium regni Visigothorum in Hispania constanter obtinuerit.*

196. Jam vero liturgiam quam concilii Toletani IV Patres emendarunt, et solam, ab omnibus, in missarum celebratione, et in matutinis vespertinisque precibus, aliisque ecclesiasticis officiis, adhiberi voluerunt, eam esse, quam ab apostolis suis acceptam Hispana Catholicorum Ecclesia perenni usu retinuerat, præter hactenus dicta, plura sunt quæ persuadent. Nam in decretis hujus concilii, quæ circa liturgiæ constitutionem versantur, hæ voces, *nonnulli*, *quidam*, aliæque similes, frequenter recurrunt, quæ haud obscure indicant abusus et innovationes quæ emendantur fuisse paucorum, ritus vero et cæremonias quæ constituuntur, et communi Patrum voce approbantur, a maxima Ecclesiarum parte antea fuisse longo usu receptas et confirmatas. Sic, exempli causa, canon septimus habet: *Comperimus, quod per* NONNULLAS *Ecclesias, in die sextæ feriæ passionis Dominicæ, clausis basilicarum foribus, nec celebratur officium, nec passio Domini populis prædicatur.* Tum communi omnium nomine præcipitur ut die Veneris sancto fiat officium, mysterium crucis prædicetur, et criminum indulgentia clara voce ab omni populo postuletur. Sic canon nonus habet *lucernæ, et cereus in pervigiliis Paschæ apud* QUASDAM *Ecclesias non benedicuntur*, etc., præcipitur deinde ut quotannis lucerna et cereus benedicantur. Sic canone duodecimo *in* QUIBUSDAM *quoque Hispaniæ Ecclesiis laudes post Apostolum decantantur, prius-*

A *quam Evangelium prædicetur*, etc., et præcipiunt ut *laudes* post lectum Evangelium cantentur. Hæ voces, cum admodum frequenter in hisce decretis recurrant, ostendunt, quod aiebam, ritus quos Patres approbarunt nec recentes, neque ignotos fuisse, sed jam antea passim receptos, abusus vero paucos admisisse, ut qui *nonnulli* et *quidam* dici potuerint

197. Neque prætermittendum videtur, in tot decretis, quæ de rebus liturgicis concilia Hispana edidere, ne unum quidem inveniri, [LV] quo aut numerus, aut ordo, constituitur illarum septem solemnium orationum, quibus liturgia Gotho-Hispana maxime constat, et ab aliis secernitur, cujus rei non alia ratio apparet quam quia hæc præcipua et maxima pars liturgiæ constanti usu in omnibus Hi-

B spaniæ Ecclesiis eodem ordine semper celebrata fuit. Si enim in hanc partem varietas aliqua aut abusus irrepsisset, procul dubio episcopi in synodis remedium statim adhibuissent, quemadmodum a concilii Toletani IV Patribus factum est, qui canone decimo insignem paucorum abusum castigarunt, a quibus oratio Dominica diebus duntaxat Dominicis recitabatur, contra quos decrevit synodus ut *quisquis sacerdotum, vel subjacentium clericorum, hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut in privato officio prætericrit, propter superbiam judicatus, ordinis sui honore mulctetur.*

198. Præterea, liturgiæ Gotho-Hispanæ multa et insignia occurrunt vestigia, tam in conciliis Hispanis quam in scriptoribus, et maxime in Breviario et

C in Missali nostro, et in Orationali Gothico *Blanchinii*, ut minime dubitandum sit quin hæc ea sit liturgia cui a suscepta fide Christiana Hispani constanter adhæserint. Et ut a concilio Toletano IV (a) incipiam, in eo mentio fit solemnis formulæ, *Erigite vos*, qua diaconus populum monebat ut erecti orarent, eamdemque Missale Ximenii retinuit.

199. Canone nono fit mentio de lucerna et cereo paschali, qui juxta vetustam Hispaniæ consuetudinem (b) in vigiliis paschalibus solemniter benedicuntur. Canone undecimo agunt de *alleluia* canendo, quem ritum apud Hispanos vetustum esse testatur sanctus Isidorus (c).

200. Canone decimo tertio agitur de missis, de precibus, de hymnis, de orationibus, seu de manuum

D impositionibus quæ, inquiunt, ut fierent, *admonet atque hortatur Timotheum Apostolus*, quibus verbis auctorem suæ liturgiæ agnoscunt Paulum apostolum.

201. Concilium Toletanum III, anno 589, in minori doxologia *Gloria et honor*, vetusto Hispanorum ritu, dicendum esse indicavit (d). Canone secundo decrevit ut ante orationem Dominicam Symbolum Constantinopolitanum recitetur. Canone undecimo meminit de impositione manuum super pœnitentes, et

(a) Can. 4. *Rursus dicat archidiaconus* ERIGITE VOS, *et confestim omnes surgant.*

(b) De hac consuetudine testis est Prudentius in hymno quinto Cathemerinon.

(c) De eccles. Offic., lib. I, cap. 13.

(d) Anathematismo 14 habet: *Si quis non dixerit* GLORIA ET HONOR PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO, *anathema sit*, formam integram Gotho-Hispanam minoris doxologiæ concilium Toletanum IV, can. 13, tradidit: *Gloria, et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.*

canone vigesimo tertio de festivitatibus sanctorum egit.

202. Concilium Bracarense II, anno 572, canone primo mandavit ut catechumeni Symbolum fidei, per dies viginti ante Pascha doceantur; quo etiam tempore *ad purgationem exorcismi* eos concurrere jussit, eamque consuetudinem vetustam [LVI] fuisse docet (*a*).

203. Concilium primum Bracarense, anno 561, capitulo tertio, formam tradidit qua sacerdos populum salutat, et qua populus respondere debet (*b*), præcepitque ut eadem salutandi formula episcopi et presbyteri utantur. Idem concilium capitulo 16, 17 et 21, de commemoratione defunctorum, quæ in oratione *post nomina*, et dum diptycha recitantur, fit, et de cantu psalmorum in funeribus adhibendo meminit.

204. Concilium Valentinum, anno 646, capit. 1, constituit ut in ordine lectionum legeretur Evangelium post Apostolum, et ut catechumenis permittatur interesse concioni sacerdotis, qui mos postea invaluit, cum antea diversa fuerit disciplinæ ratio.

205. Concilium Barcinonense, anno 540, constituit (*c*) ut psalmus quinquagesimus ante Canticum dicatur, et ut benedictio in matutinis precibus tribuatur fidelibus (*d*), quæ ii ægre intelligent quibus Breviarium Mozarabum Ximenii, et ratio persolvendi divina officia apud Gotho-Hispanos ignota sunt. Eodem quoque spectat canon trigesimus concilii Agathensis; nam antiquitus cursus Gallicanus idem ferme erat qui Gotho-Hispanus, ad quem etiam pertinet canon decimus concilii Gerundensis, anno 517 celebrati, quo præcipitur ut oratio Dominica in matutinis et vespertinis precibus quotidie dicatur.

206. Concilium Tarraconense, anno 516, cap. 4, liturgiam Hispanam *statuta Deo solemnia* appellavit, utpote quæ statuto numero, et certo ordine dispositarum lectionum Scripturæ, orationum, hymnorum, precum et antiphonarum constabat. Concilium Toletanum primum, anno 400, canone primo et quarto, indicat Hispanos in missa tres aut plures lectiones recitasse, et canone quinto, missam quotidie celebrari solitum fuisse, et canone nono officium ecclesiasticum celebrare, *antiphonas facere* dixit, quia uti modo Mozarabum officium, ita tunc Hispanorum cursus ecclesiasticus ex antiphonis, cum suis orationibus, præcipue constabat.

207. Concilium Cæsaraugustanum primum, anno 380, canone quarto, de Adventu Domini agit, quem in Hispania festive celebrabant (*e*). Concilium Illiberitanum, anno 305, [LVII] prohibet, canone vigesimo nono, ne energumeni nomen ad altare cum oblatione recitetur, quo indicat nomina ad alta e olim in Hispania recitata fuisse, quem morem adhuc ritu proprio Mozarabes retinuerunt. Et canone quadragesimo octavo prohibet ne sacerdotes pedes lavent recenter baptizatorum, erat enim mos vetustissimus Hispaniæ, et Galliæ, lavare pedes neophytorum e sacro lavacro egredientium, qui ritus hoc canone non prohibetur, sed tantummodo, ne sacerdotes, hoc est ne episcopi, lavent pedes neophytorum interdicitur, non vero, ne a presbyteris, levitisque laventur (*f*). Alia plura vestigia liturgiæ Gotho-Hispanæ in conciliis Hispanis recurrunt, sed ea prætereo ne eadem sæpius repetantur.

208. Alia vero ejusdem liturgiæ vestigia in Missali et in Breviario Mozarabum, atque in Orationali Gothico inveniuntur, quibus et horum librorum antiquitas, et liturgiæ Gotho-Hispanæ perpetuus in Hispania usus comprobantur, et primum omnium occurrit *illatio* missæ Natalis Domini, *Vere dignum... quia post multa tempora, in hac die*, ANTE NON MULTA TEMPORA... *nobis natus est Christus Jesus Unigenitus tuus...* quæ verba vetustissimam antiquitatem præ se ferre videntur, nec quidquam prohibet quominus a primis liturgiæ conditoribus, ævo apostolico, scripta fuerint, quibus *non ante multa tempora* Christus natus dici potuit.

209. Occurrunt in Missali et in Breviario Mozarabum orationes quæ conscriptæ apparent quando cultus profanorum numinum adhuc vigebat, cum cruentis sacrificiis et omni apparatu insanæ superstitionis (*g*); magnam quoque antiquitatem sapit oratio [LVIII] *Missa* quæ Dominica quarta post Pascha recitatur,

(*a*) Conc. Brac. II, can. 1: *Episcopi debent hoc modis omnibus præcipere, ut, sicut antiqui canones jubent, ante dies viginti baptismi, ad purgationem exorcismi, catechumeni currant, in quibus viginti diebus, omnino catechumenis Symbolum, quod est*, CREDO IN UNUM DEUM PATREM OMNIPOTENTEM, *specialiter doceantur.* In Orationali Gothico, dies viginti qui Dominicam paschalem præcedunt, *de Traditione* appellantur, quia iis diebus Symbolum privatim tradebatur catechumenis competentibus.

(*b*) Forma salutandi, uti modo in concilio Bracarensi primo, can. 1, legitur, ea est: *Dominus sit vobiscum*, respondendi vero: *et cum Spiritu tuo.* De hac nulla est difficultas; at cum Missale Mozarabum constanter habeat *Dominus sit* SEMPER *vobiscum*, et Galli olim eadem forma usi sint, quemadmodum ex sancto Germano habemus, aut dicendum illud SEMPER in textu concilii deficere, aut in formula salutandi aliquam varietatem olim exstitisse.

(*c*) Can. 1.

(*d*) Ibid., can. 2.

(*e*) Concilium Cæsaraug., can. 4: *Viginti et uno die, a* XVI *Kal. Januarii, usque ad diem Epiphaniæ, quæ est* VIII *Idus Januarii, continuis diebus, nulli liceat de ecclesia se absentare, nec latere in domibus; nec nudis pedibus incedere, sed concurrere ad ecclesiam;* qui non *observaverit, anathema sit. Ab universis episcopis dictum est, Anathema sit.* Est hæc antiquissima memoria, quæ exstat, solemnitatis Adventus Domini, quæ, ut videtur, antea instituta fuerat. Deinde Gotho-Hispani ejus initium ad festum sancti Aciscli protraxerunt. Missale Mozarab., pag. 407.

(*f*) Mediolanenses quoque solebant pedes neophitorum lavare, ut sanctus Ambrosius in libro de Mysteriis, cap. 6, et de Sacramentis, lib. III, cap. 1, n. 4, indicat. Usus Romanæ Ecclesiæ contrarius erat, ut auctor de Sacramentis, lib. III, c. 1, n. 5, testatur.

(*g*) In Missali Mozar., pag. 68, est *illatio* missæ Dominicæ secundæ post octavas Epiphaniæ, in qua, missæ auctor conferens sacrificium eucharisticum cum cruentis sacrificiis, inquit: *Non hic balatus ovium, non mugitus boum, non volatilium vox, sub ictu mortis dolorem incutit, non horror est sanguinis, non fastidii cruditas, sed mirabilis atque stupenda est illo-*

scripta cum, præ multitudine paganorum, fideles A pauci essent, crux Christi populo derisioni foret, et persecutio imminens metueretur (*a*).

210. Acta sanctorum Fructuosi, Augurii et Eulogii, qui Tarracone, anno 259 in persecutione Valeriani et Gallieni, passi sunt, antiqua quædam vestigia liturgiæ Hispanæ exhibent (*b*). Nam, præter vetustam Hispanorum consuetudinem jejunandi feria quarta et sexta, referunt etiam, sanctum Fructuosum episcopum, cum ad amphitheatrum comburendus duceretur, cuidam, a quo rogabatur ut sui memor foret, respondisse: *In mente me habere necesse est Ecclesiam catholicam ab Oriente usque in Occidentem diffusam*; quo responso, quod sanctus Augustinus magnifice laudat (*c*), martyr aperte alludebat ad formulam solemnem diaconicarum precum, *Ecclesiam catholicam, in orationibus, in mente habeamus*, etc., quæ adhuc in missa Mozarabica dicitur (*d*), et circa medium sæculi III in missa Hispana dicebatur, unde inferre licet hasce preces, rata et præscripta forma, antea in Ecclesiis recitari consuevisse (*e*).

211. In Breviario Mozarabum [LIX] die tertia jejuniorum Kalendarum Januarii, post antiphonam primam, *ad primam*, exstat oratio quæ composita fuit quando pagani, quorum pauci antea aures veritati præbuerant, frequentes ad Ecclesiam confluebant (*f*), quemadmodum tempore Constantini Magni filiorumque ejus contigit. Neque diu post ea compositæ videntur orationes illæ Orationalis Gothici, et Breviarii Mozarabum (*g*), et *officium ad* quod in Missali canitur die Epiphaniæ, quibus mentio fit baptismatis solemniter eo die collati (*h*), quam consuetudinem Siricius papa sustulit, decretali sua epistola ad Hymerium Tarraconensem data.

212. Exeunte sæculo IV Prudentius hymnum scripsit (qui in libro Cathemerinon quintus legitur) in laudem B luminis paschalis, quod annis singulis, juxta morem vetustum Ecclesiarum Hispaniæ, solemniter accendebatur. Hunc autem hymnum Prudentium non panxisse in laudem lucernarii quod, in ecclesiis, ad preces vespertinas accendebatur, ut alii volunt (*i*), neque ad commendandam quotidianam lucernarum accen-

stia, ut incruenta sit, cum viva sumatur*... Eadem comparatio instituitur in oratione *post Sanctus*, missæ dominicæ pro adventu sancti Joannis Baptistæ, Miss. Mozar. p. 329: *Non enim mugitu pecudum, tristis hostia taurus occiditur; aut hircus de gregibus immolatur, sed Hostia, quam verus Dominus et Sacerdos instituit omnipotens*... de idololatria aperte meminit oratio, sive capitulum quod sub finem laudum præmittitur orationi Dominicæ, die prima jejuniorum Kalendarum Januarii. In Breviario Mozar., p. 85: *Dilectissimi fratres, qui omnia idola gentium, cum Psalmista, dæmonia esse credilis, illorum, quæso, et ritus, et monstruosos actus, omnimode respuamus. Et si aliquem ex Ecclesiæ filiis talia aut agere, aut delectari perspicitis, vestra admonitione corripite, et ad viam salutis ab erroribus revocate.* Eodem spectat oratio quæ, hac die *ad primam* in Breviar. Mozarab., pag. 88, legitur: *Domine... da... ut misericordia tua de Ecclesiæ cœtu simulacra excludat, et veritas ad cultus tui cognitionem dubia corda convertat*... Hæ autem orationes eo tempore compositæ videntur quo cruenta sacrificia palam fiebant, et idolorum cultus splendide celebraretur, et quo nonnulli fidelium (de quibus conquerebatur Tertullianus, de Idololat., cap. 6) ab idolis ornandis scalpendisque ad Ecclesiam veniebant, et alii pompis, ludis et festivitatibus, idolorum delectabantur.

C (*a*) Miss. Mozarab., p. 241: *Offeramus, dilectissimi fratres, panes propositionum, qui desideramus accedere ad mensam Dei omnipotentis. Nec de morte Christi corum populis erubescere, sed de gloriosa cupiamus Resurrectione gaudere. Nulla nobis desperationis caligo nascatur, sed lucernam fidei mens serenior contempletur, ut viam vitæ simpliciter ambulantes, quandocunque Christus visitaverit, non inveniat dubitantes, nec arguat infideles. Demus hospitalitati studium, recepturi in cœlestibus præmium*... Ea verba, *nulla nobis desperationis caligo nascatur*, videntur dicta ob periculum quoddam Christianis imminens.

(*b*) Acta sanctorum Fructuosi, Augurii et Eulogii, apud D. Theod. Ruinart, inter Acta martyrum sincera et selecta, pag. 222, Ed. Parisien.

(*c*) In sermone 273, de Sanctis.

(*d*) Miss. Mozar., p. 3, 224.

(*e*) Non ignoro virum eruditum Eusebium Renaudotium, in dissertatione præmissa tom. I suæ Collectionis liturgiarum Orientalium, cap. 1, p. 2, 3, et fusius cap. 2, p. 8, contendere Christianos primis Ecclesiæ sæculis nullas habuisse liturgias scriptas, quas, inquit, *sero admodum* admisere. In hanc Renaudotii sententiam, quem innominatum prætermisit, P. Petrus Le Brun descendit, Expl. Missæ, t. II, diss. I, art. 1, quem P. Joan. Pinius secutus est, tract. hist. chron. de antiq. Litur. Hisp., cap. 1, sect. 2 et 3. Aiunt isti Christianos ab initio ritus et solemnes formulas habuisse consecrandi Eucharistiam, et Sacramenta conficiendi, nec illis defuisse ritus solemnes, neque sine orationibus precibusque constitutis et ordine certo digestis mysteria celebrasse, segmenta quoque Scripturarum in missa legisse, et hymnos psalmosque cantasse. Attamen eorum nihil scripto consignasse, sed rem omnem liturgicam fideli episcoporum, presbyterorum ministrorumque memoriæ consignatam, *sola traditione viguisse*. At hæc singularis opinio prorsus rejicienda est. Nam præter alia, assumit rem incredibilem, omnes scilicet sacerdotes, etiam ingenio, et memoria debiles, etiam senio confectos, multas variasque orationes, solemnes formulas et precationes, pluribus cæremoniis distinctas, expedite et ordinatim sine libro recitasse, quoties aut baptismus solemniter, aut Eucharistia celebranda erat. Cumque hæc monstra devoranda proponant, sententiam suam nulla auctoritate et argumentis plane debilibus confirmant.

(*f*) Pag. 103: *Domine, qui es super omnes gentes excelsus... ac sicut Ecclesia tua, quæ erat sterilitatis vitio impedita, nunc est, in te credens, virtutum meritis plena, et filiis numerosa*, etc. Hæc oratio legitur etiam in orationali Gothico, p. 18, orat. 3.

D (*g*) In Orationali Gothico, pag. 48, orat. 4 et 5, mentionem faciunt de baptismate die Epiphaniæ collato. Et in Breviario Mozarabum, pag. 111: *Deus omnipotens, cujus continuo Filii efficimur dum tinctione salutaris aquæ purgamur... ei qui nos renovasti benedictionis aqua per lavacrum*... et in Missali Mozarabum, pag. 59, officium ad missam: *Vos qui in Christo baptizati estis Christum induistis*, etc.

(*h*) Circa annum 384, Himerius Tarraconensis episcopus ad sanctum Damasum papam scribens, inter alia conqueritur de abusu conferendi solemniter baptismum die Epiphaniæ aliisque diebus solemnioribus. Huic epistolæ respondit Siricius papa, et quanquam abusus continuo sublatus non fuit, nam de eo est canon quartus concilii Gerundensis, tamen, post epistolam decretalem Siricii, vix credibile est scriptores liturgicos in Orationibus et Missis consuetudinem illam laudasse.

(*i*) Inter eos qui putarunt hunc hymnum Prudentii

sionem in privatis Christianorum ædibus, ut Nicolao Heinsio placuit (*a*), contextus hymni abunde comprobat, satis aperte indicans eum scriptum fuisse in laudem lucernæ quæ accendebatur, non singulis diebus, sed vigiliis quibusdam solemnioribus, [LX] quibus post noctem insomnem Eucharistia celebrabatur, ita enim habet : ***Nos festis trahimus per pia gaudia, noctem conciliis, votaque prospera, certatim vigili congerimus prece, exstructoque agimus liba sacrario.*** Has autem vigilias paschales fuisse hymnus pariter docet, nam nocte illa celebrabantur,

> ..... Qua redit Deus stagnis,
> Ad superos, ex Acherociticis;

et qua

> Marcent suppliciibus tartara mitibus,
> Exsultatque sui carceris otio
> Umbrarum populus liber ab ignibus.

Quæ vigiliis paschalibus unice competunt. Nam, ut nonnullorum antiquorum ferebat opinio, damnati apud inferos pœnis vacabant ea nocte qua singulis annis Christi Resurrectio celebrabatur. Non est igitur cur a recepta antiquorum sententia recedamus quæ tenet Prudentium scripsisse hunc hymnum in laudem paschalis luminis.

213. Circa finem sæculi IV (*b*) Asterius, episcopus Toletanus, corpora martyrum Complutensium Justi et Pastoris detexit, illis basilicam erexit, et missam eorum, quæ in Missali Mozarabum legitur, composuit.

214. Ineunte sæculo V, ingens barbarorum colluvies, depopulata Gallia, Hispaniam inundavit. Sacra profanaque pessumdedit, et primum cum Hispanis, et cum milite Romano, deinde inter se pugnando, A sanguine et cædibus cuncta replevere. De malis quæ ab iis, hoc tempore, Hispani, maxime catholici (plerique enim barbarorum erant Ariani, multi quoque Pagani) perpessi sunt frequenter mentio recurrit in orationibus Missalis et Breviarii Mozarabum, et Orationalis Gothici, quæ apparent tum conscriptas fuisse dum hæc in Hispania gererentur (*c*).

215. Circa hæc tempora missa sancti Martini [LXI] Turonensis, quæ in Missali nostro exstat, videtur composita. Nam in oratione *post nomina* hæc habet : *Hunc virum, quem, cæliculis admirandum, martyribus adgregandum* ÆTATIS NOSTRÆ TEMPORA PROTULERUNT *jubeas auxilium nostris ferre temporibus* (*d*). Quæ scripta videntur quando virtutum sancti Martini recens erat memoria, et eorum qui virum admirabilem B de facie noverant saltem aliqui adhuc vivebant. Unde conjicere licet hanc missam triginta aut quadraginta annis post mortem sancti Martini compositam fuisse.

216. P. Petrus Le Brun opinatur hanc missam non nisi post annum quingentesimum sexagesimum esse conscriptam (*e*), scilicet postquam Suevi ad catholicam communionem redierunt. Tum enim opinatur cultum sancti Martini Hispanos suscepisse. At quis unquam diceret eum hominem *ætatis nostræ tempora protulisse*, quem ante annos centum et sexaginta mortuum esse constaret? Præterea, etsi veneratio sancti Martini plurimum apud Hispanos aucta sit post Suevorum reditum ad catholicam communionem, tamen diu antea sanctus Martinus in Hispania C colebatur, uti a sancto Gregorio Turonensi docemur (*f*).

de lucernario quotidiano scriptum fuisse, est Hugo Menardus, in concord. Regul., lib. XXII, sect. 2, cui subscribit Mabillonius, de Liturg. Gallic., lib. II, p. 142, hac duplici ratione nixi. Prima est libri Titulus qui ΚΑΘΗΜΕΡΙΝΩΝ inscribitur, hoc est de iis quæ *per diem*, sive quæ quotidie fiunt. Talis non est accensio luminis paschalis. At hymni non correspondent libri titulo. Nam ex duodecim hymnis quibus liber constat quinque duntaxat spectant ad eas actiones quæ quotidie redeunt. Sic ex titulo libri nihil conficitur. Nec quidquam conficitur ex ordine quem hymni in libro occupant. Quæ est secunda ratio. Nam ordo ille ab arbitrio librariorum pendet, quorum oscitantiæ tribuendum est quod hymnus *ad incensum lucernæ* locum ultimum non occupet, uti debet. Quandoquidem prius est de Nativitate Christi agere, de qua est hymnus 11, tum de Epiphania, de qua est hymnus 12. Deinde de miraculis Christi, de quibus est hymnus 9, ac demum de lumine paschali, de quo est hymnus 5.

(*a*) In notis ad Prudentium, illi ratio est, quia, inquit, ritus solemniter accendendi lumen paschale post ætatem Prudentii exortus est. Sed fallitur. Nam sanctus Augustinus, qui ætate Prudentii vixit, in libro de Civit. Dei, lib. XV, cap. 22, Ed. Maur., testatur se *laudem cerei* paschalis versibus scripsisse.

(*b*) Vide notas, p. 584.

(*c*) De his plura occurrunt in missa, sancti Clementis papæ et martyris, Miss. Mozar., p. 21 et seq., puta *in oratione alia* legimus : *Nobis miseris parcens mereamur, repulsis adversariis, tibi Domino deservire.* Et in oratione ad pacem : *Clemens et mitissime Domine... salvare intendas afflictas reliquias Christianorum, qui, veram pacem pacifice prædicando, durissimum et sensuale a diversis nationibus sufferimus jugum...* ubi illud *sensuale jugum* idem sonat atque jugum sensu præditum, quomodo etiam a Lucretio accipitur. Et in oratione præmissa orationi Dominicæ : *Clemens et immense, et admirabilis Deus... libera nos de aquis multis, et de manu filiorum alienorum, ut qui per te renati sumus ex aqua et Spiritu sancto, non patiamur ab Ethnicis et irregeneratis divelli a sancto proposito, sed arcum eorum inconvertibilem contere, sagittas destrue, pharetras retunde, gladios perime, lancias divelle, consilia quæ in nos acuunt maligna confunde, et in ipsos, si credere noluerint, retorquendo, converte, atque nos fidei scuto protege, qualiter, quia hic propter nomen Filii tui... diversa a gentibus sustinemus opprobria, portamus infanda ludibria, illic, pro fide, quam credimus, et pro qua usque* C *ad mendicitatem et mortem distrahimur, concedatur remissio peccatorum*, etc. Eodem spectat *altera oratio* Dominicæ tertiæ post Pascha, Miss. Mozar., p. 239, et Orationale Gothicum, p. 85, orat. 9 : *Emitte manum tuam, Domine, et libera nos de manu filiorum alienorum.* Et ibid., p. 85, orat. 10, quæ etiam habetur in Breviario Mozarabum : *Deus... tempera jam tandem miseriarum nostrarum ærumnas, ac ne gladio maligno nostræ feriantur cervices, gladio verbi tui nos reddito efficaces.* Plura ejusmodi in orationibus et missis occurrunt. Quorum aliqua alludunt ad loca munita, in quæ Hispani se recipiebant, dum barbari omnem agrum depopularentur.

(*d*) Em. Bona, Rer. liturg. lib. I, cap. 11, sect. 1, ex hoc loco missæ sancti Martini scite animadvertit liturgiam Mozarabicam ætatem sancti Isidori longe superare.

(*e*) Explic. Miss. tom. II, pag. 284.

(*f*) De Mirac. sancti Martini, lib. III, cap. 8.

217. Mabillonius, qui contendit liturgiam Mozarabicam, hoc est, Gotho Hispanam, minus antiquam esse quam Gallicanam (*a*), contra hunc locum missæ sancti Martini duo opponit. Primum, inquit illud *ætatis nostræ* posse protrahi *longius quam ad unum sæculum*. Fateor, si sermo foret de longævis illis hominibus qui ante deluvium vixerunt. Sed quoniam tempore sancti Martini hominum vita non fuit diuturnior quam modo est, ea quæ ante annos centum acciderant non *ætate nostra*, sed patrum, aut avorum, ætate gesta dicebantur, quemadmodum modo dicuntur.

218. Deinde opponit *verba illa* ætatis nostræ *ex antiquiori liturgia desumpta fuisse*. Si vir eruditus nomine *liturgiæ* intelligat Missale aliquod aut Sacramentarium, non repugno. Planum enim est plerasque missas, quæ modo in Missali Mozarabico habentur ex antiquiori aliquo Missali Gotho-Hispano fuisse deprompta*s*. Sed Missale illud ejusdem erat ritus cujus est missa sancti Martini, scilicet Hispanici, atque adeo missa sancti Martini, quamvis olim in antiquiori Missali descripta fuerit, in argumentum antiquitatis ritus Hispani recte adducitur. Sin nomine *liturgiæ* ritum ab Hispano Ordine diversum intelligat, illi non assentior, eique missa sancti Martini opponitur, quæ ubique ritum Gotho-Hispanum repræsentat, et argumenta hactenus prolata fidem faciunt liturgiam Gotho-Hispanam, [LXII] ante annum Christi quadringentesimum in Hispania obtinuisse.

219. Ad sæculum v referri potest missa Dominicæ quintæ post Pascha, quamvis valde probabile sit ante annum quadringentesimum scriptam fuisse. Ejus enim *inlatio* (*b*) haud obscure alludit ad opinionem illam quam Missale Gallicanum vetus (*c*) et Missale Gallo-Gothicum (*d*) aperte tradunt, et antiquorum non pauci tenuerunt (*e*). Moriente Christo Domino non modo animam humanam, sed Verbum quoque divinum, soluta ad breve tempus hypostatica unione, a carne humana sejunctum fuisse, et corpus dominicum ab anima et Verbo separatum jacuisse in sepulcro. Hæc autem opinio hæresi Apollinarii et quorumdam Arianorum erroribus nimis favens post concilium Chalcedonense adeo deseri cœpit, ut vix putandus sit auctor hujus missæ sæculo vi scripsisse.
A Notum enim est recte, tam in Ecclesia disciplinam non permisisse ut in missis et in orationibus publice recitandis opiniones suspiciosæ insererentur.

220. Ad sæculum vi (nisi forte, quod credibile est, antiquior sit) pertinet forma confessionis, seu apologiæ, quam in missa sacerdotes Hispani faciebant, et quam adhuc in missa Mozarabica recitant (*f*): Ea enim scripta fuit quando concio sacerdotis habebatur post *apologiam* (*g*), atque adeo post oblationem munerum. Sed cum concilium Valentinum, anno 546, ordinem missæ Hispanæ in hac parte mutaverit, præcipiendo ut concio sacerdotis in missa catechumenorum haberetur, apparet formam hanc confessionis, sive, uti aiebant, apologiæ, compositam fuisse saltem circa initium sæculi vi.

B 221. Ad hæc tempora (nisi forte antiquior sit) pertinet missa sancti Vincentii martyris (*h*), in qua est, præter consuetam, alia oratio *ad pacem*, antiquitus, uti videtur, peculiaris Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, quæ tunicam sancti Vincentii diligenter conservabat (*i*).

222. Eodem sæculo vi defluente, anno 538, (*j*) Vigilius epistolam decretalem scripsit ad [LXIII] Profuturum, Bracarensem episcopum, de qua infra recurret sermo. In ea epistola innuit inter liturgiam Romanam et Hispanam id discriminis intercedere, quod Hispana, pro dierum festorum numero, missas orationesque diversas haberet, Romana vero (quod de canone missæ intelligendum est) nullo tempore, nullave interveniente festivitate, preces haberet di-
C versas, sed semper *eodem tenore oblatio munera consecraret*. Cumque eamdem orationum missarumque varietatem in liturgia Mozarabica Missalis Ximenii inveniamus quæ in liturgia Hispana ineunte sæculo vi, observabatur, haud temere asserere possum liturgiam Gotho-Hispanam et Mozarabicam a prisca Hispanorum liturgia minime dissentire.

223. Occurrunt in Missali nostro, in Breviario Mozarabum et in Orationali Gothico, orationes quæ alludunt ad persecutiones quas Catholici ab Arianis patiebantur, quarum aliquæ referri possunt ad persecutionem imperante Constantio adversus clerum catholicum motam, aliæ ad persecutionem ab Eurico Gothorum rege motam (*k*). At nullæ posteriores ha-

(*a*) De liturgia Gallicana, lib. I, cap. 4, num. 10.

(*b*) Miss. Mozar., pag. 245 : *Et spolians carne Verbum, liber ad inferos pergis*, etc.

(*c*) Pag. 448, in immolatione missæ clausum Paschæ.

(*d*) Pag. 548, Ed. Rom. 1680, in immol. missæ clausum Paschæ.

(*e*) Vide notas pag. 549, 550.

(*f*) Miss. Mozar., pag. 5 : *Accedam ad te*, etc., et pag. 224.

(*g*) Ex ipsis Apologiæ verbis apparet eam ante concionem recitatam fuisse; rogant enim ut seraphim *mentem* sacerdotis *enubilet*, *docendique materiam subministret*, etc.

(*h*) Miss. Mozar., pag. 291, in qua quædam sunt quibus inducor ut credam hanc missam ante annum quadringentesimum scriptam esse.

D (*i*) Sanctus Gregor. Turonen., Hist. Franc. lib. III, cap. 29. Vide etiam notas, pag. 560.

(*j*) Epistola Vigilii ad Profuturum in aliis exemplaribus data est Kalendis Martii, Volusiano et Joanne consulibus; in aliis Wilisario et Joanne VV. CC. coss.; in Codice Colbertino (ut in nota marginali apud Harduinum, Concil. t. II, col. 1429, legitur) data est Romæ III, Kal. Jul., Flavio Joanne VC. consule. Silverius, die 20 Junii 538, ærumnis confectus obiit; quare si epistola data fuit Kalendis Martii, a Vigilio nondum pontifice scripta fuit; sed si exemplari Colbertino fides habeatur, Vigilius potuit esse pontifex legitimus quando hanc epistolam decretalem scripsit.

(*k*) Euricus, qui et Eoricus, et Evarix, Visigothorum regnum, fratre Theodorico interfecto, occupavit, æra 504, ut habet sanctus Isidorus in Chron. Gothorum, sævamque in Catholicos persecutionem

bendæ sunt persecutione Leovigildi, qui ultimus regum Visigothorum Ecclesiam Hispanam persecutus est.

224. Eo enim exstincto, Visigothi, cum rege suo Reccaredo, ad Ecclesiam catholicam redierunt. Et simul cum Gothis magna Suevorum multitudo (*a*) a perfidia Ariana ad orthodoxam fidem conversa est. Concilium Toletanum III convocatum fuit, in quo, quod ad rem liturgicam pertinet, constitutum fuit ut in missa Symbolum Constantinopolitanum recitaretur priusquam Dominica diceretur oratio (*b*). Quem ritum Gotho-Hispani et Mozarabes constanter retinuerunt.

225. Post conversionem gentis Gothorum ad catholicam communionem sanctus Isidorus, jam episcopus, hortante fratre suo Fulgentio, Astigitano episcopo, libros duos de ecclesiasticis Officiis, scripsit, quibus liturgiam Gotho-Hispanam illustravit. Hos libros, ut ipse testatur, *ex scriptis vetustissimorum auctorum* composuit, quorum etiam verbis quandoque usus est. Dolendum sane ne nomina quidem istorum [LXIV] scriptorum superesse, at hoc saltem ex testimonio sancti doctoris habemus, non defuisse scriptores qui ritus et cæremonias Ecclesiæ Hispanæ vetustissimis temporibus scripto consignaverunt.

226. Elipandus Toletanus, in epistola ad Albinum (*c*), locum quemdam citat ex oratione quæ *Benedictio lucernæ* inscribitur (*d*), quem sancto Isidoro attribuit. Et nunc ad concilium Toletanum IV redivimus, a quo liturgia Gotho-Hispana, quem tot indiciis semper apud Hispanos viguisse deprehendimus, ita constituta et confirmata fuit, ut ea in posterum Ecclesiæ omnes Hispaniæ et Galliæ Gothicæ sola usæ sunt; exciso autem, Saracenorum armis, regno Visigothorum, Hispani, qui et Mozarabes appellati sunt, eamdem solam, per trecentos et amplius annos, in sacris celebrandis adhibuere. Cumque hæc eadem sit atque liturgia Missalis Ximenii, hanc quoque apostolicam sortitam esse originem asserere possumus.

§ XIV. *An liturgia Romana ab Ecclesiis provinciæ Bracarensis in concilio primo Bracarensi suscepta fuit.*

227. Liturgiam Gotho-Hispanam apud catholicos

A Hispanos solam obtinuisse, præter hactenus dicta, persuadet scriptorum Hispanorum, et maxime sancti Isidori, silentium de alia quacunque liturgia quæ in illis regionibus aliquando in usu fuerit. Si enim unus excipiatur canon, quem mox examinabo, nihil in scriptoribus, nihil in conciliis Hispaniensibus invenire est quod suspicionem moveat aliam liturgiam eos unquam suscepisse præter hanc unam quam Gotho-Hispanam et postea Mozarabicam appellarunt.

228. Canon quem proxime indicavi est vigesimus secundus, aut, ut in aliis Codicibus ponitur, capitulum quartum concilii primi Bracarensis: *Item placuit ut eodem ordine missæ celebrentur ob omnibus* QUOMODO *Profuturus* (*e*) (alii, cum Garsia Loaysa, legunt QUEM *Profuturus*) *quondam hujus metropolitanæ* B *sedis episcopus ab ipsa apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum.*

229. Mabillonius (*f*) ex hoc canone constare putat *Romanum ritum, saltem in provincia Bracarensi, Vigilio pontifice maximo susceptum fuisse.* Et Cajetanus Cenni (*g*), ex eodem canone, et ex Codice canonum (*h*) in quo hic canon [LXV] refertur, putavit probari posse liturgiam Romanam in omne Gothorum regnum intromissam fuisse.

230. At canon Bracarensis, etsi *Missam ab omnibus eodem ordine celebrandam esse* præscribat, et, interposita apostolicæ sedis auctoritate, varietatem rituum et cæremoniarum a missarum celebratione auferre conetur, Romanam tamen liturgiam susci- C piendam esse aperte non præcipit. Non ignoro viros eruditos contendere canonem hunc ad epistolam decretalem Vigilii, Profuturo Bracarensi inscriptam, alludere, in qua epistola exstat articulus de Ordine Romano. Attamen, si patres Bracarenses voluerunt liturgiam Romanam in Suevorum regnum inducere, quare tam obscure locuti sunt? Quare aperte non dixerunt: *Item placuit ut omnes ordine Romano missas faciant?* Si, hoc uno canone, et rituum concordiam, et liturgiæ Romanæ susceptionem complecti voluerunt, quare tam distincte primum edixerunt, ut de eo nemo dubitare possit, secundum adeo obscure, ut etiam a nomine liturgiæ Romanæ abstinuerint? Neque ex Decretali Vigilii (*i*) eruitur Braca-

movit, de qua Sidonius Apollinaris, auctor synchronus mentionem facit Epist. lib. VII, epist. 6, et sanctus Gregorius Turonensis, Hist. lib. II, cap. 25. *Truncabat*, inquit, *passim perversitati suæ*, hæresi Arianæ, *non consentientes. Clericos carceribus subigebat. Sacerdotes vero alios dabat exsilio, alios gladio truncabat.* Sæviente Eurici persecutione, fortasse scripta est missa Dominicæ tertiæ post octavas Epiphaniæ, cujus *illatio*, Miss. Moz. pag. 71, post præclaram mysterii Trinitatis explicationem, e qua in Symbolum Athanasianum multa translata sunt, ita concludit: *Per te unum verumque Deum constantiam fides accipit. Per te virtutem sumit infirmitas, et quidquid est in persecutionibus sævum, quidquid in morte terribile, nominis tui confessione facis faciliter superare*, etc.

(*a*) De his Reccaredus rex in concione coram concilio habita: *Et Suevorum gentis*, ait, *infinita multitudo ad veritatis originem revocavimus.*

D (*b*) Can. 2.

(*c*) Inter opera Alcuini, t. II, col. 917, Ed. Paris.

(*d*) Miss. Mozarab., pag. 176.

(*e*) Antiquæ Conciliorum Editiones habent QUOMODO, Editiones vero Labbe, Harduini et de Aguirre, in textu habent QUEM, in margine QUOMODO.

(*f*) De Liturg. Gallicana, lib. I, cap. 4, pag. 31.

(*g*) De Antiquit. Eccles. Hispan., dissert. VII, n. 15, pag. 350.

(*h*) Lib. IV, tit. 15, ubi hæc, *quod juxta auctoritatem apostolicæ sedis a Profuturo metropolitano susceptam missarum ordo debeat celebrari.* Brac. I, tit. 4, a cap. 61, et rursus, infra, *de Paschæ annuntiatione, de precum ordine, et de missarum solemnitate.* Epist. Vigilii ad Profut., tit. 5, a c. 98.

(*i*) Exstat hæc epistola Vigilii apud em. de Aguirre, Conc. Hisp. t. II, pag. 275, apud Labbe, Conc. t. V, col. 311, et apud Harduinum, Conc. t. II, col. 1429

rensis provinciæ Ecclesias hoc tempore liturgiam Romanam admisisse.

231. Profuturus Bracarensis episcopus Silverio Pontifici scripserat, eumque de die futuri Paschatis, de forma baptismatis, de Ecclesiarum consecratione, aliisque de rebus, interrogaverat, inter quas etiam de ordine missæ Romanæ, an pro solemnitatum et festorum numero diversus esset, an idem semper foret? Huic epistolæ (Silverio jam aut mortuo, aut in exsilium deportato) Vigilius respondit.

232. Et, quod ad rem nostram facit, hæc habet: *Ordinem quoque precum, in celebritate missarum, nullo nos tempore, nulla festivitate, significamus habere diversum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero Paschalis, Pentecostes, Epiphaniæ, sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjicimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum facimus quorum natalitia celebramus. Cætera vero ordine consueto prosequimur. Quapropter et ipsius canonicæ precis textum direximus subter adjectum quam, Deo propitio, ex apostolica traditione accepimus. Et ut charitas tua cognoscat quibus locis aliqua festivitatibus apta connectes, paschalis diei preces similiter adjecimus.*

233. Quæ Vigilii verba ad missæ canonem, non autem ad integram missam Romanam, pertinere perspicuum est. Nam solus missæ Romanæ canon eodem tenore constanter recitatur, non vero ea quæ canonem præcedunt et consequuntur. Certe, tempore Vigilii, multæ et diversæ *præfationes* in missis recitabantur, et orationes multæ variæque ante *præfationem*, et absoluto canone, dicebantur, quemadmodum Sacramentaria vetusta, [LXVI] Leonianum et Gelasianum, demonstrant. In canone quoque *capitula diebus apta* inserebantur *infra actionem*, uti in Sacramentario Gelasiano videre est.

234. Hoc autem ex responsione Vigilii satis aperte patet, liturgiam qua Bracarensis provincia utebatur in eo a Romana fuisse dissimilem, quod hæc canonem haberet, precum ordinem, et verborum tenorem eumdem constanter retinentem, illa vero nullam missæ partem haberet quæ variabilis non fuerit; quo apparet missam Bracarensium eamdem fuisse atque Gotho-Hispanam, in qua ista missarum, precum et orationum varietas manifeste cernitur.

235. At, cum in decretali epistola Vigilii nulla fiat mentio de liturgia Romana suscipienda, ac ne minimum quidem indicium sit Bracarensi episcopo in animum venisse receptum suæ provinciæ ordinem liturgicum mutare, ex hac epistola deduci nequit regni Suevorum Ecclesias, abdicata Hispana, Romanam liturgiam hoc tempore admisisse.

236. Neque alia videtur fuisse causa cur Vigilius de liturgiæ Romanæ canone mentionem fecerit, quam ut Profuturi curiositati satisfaceret, qui, ritus Romanos noscendi cupidus pontificem interrogaverat, an, quemadmodum in Hispania, pro liturgicorum dierum multitudine, missas haberent diversas, Romanis mos similis fuerit, et æqualis missarum multitudo atque varietas. Cui respondet Vigilius Ecclesiam Romanam hanc orationum et precum varietatem non admittere, *sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare.* Eique textum *canonicæ precis* (nam de canone missæ loquebatur) et exemplar missæ paschalis misit, ut, iis inspectis, seriem liturgiæ Romanæ, ejusque ab ordine Hispano discrepantiam, clarius dignosceret.

237. At, inquiunt, canon Bracarensis clare præcipit ut missæ ab omnibus *eo ordine* celebrentur *quem* profuturus Roma missum accepit. Quod idem est ac si præcepisset ut missæ ab omnibus ordine Romano fierent, atque adeo ut liturgia Romana in tota Gallæcia reciperetur. Mabillonius minime dubitat quin ordo ille fuerit Gelasianus (*a*). Nec negari potest Romanam Ecclesiam, sedente Vigilio, Sacramentario Gelasiano usam esse.

238. Sed ne dicamus Sacramentarium Gelasianum ad Profuturum missum esse, obstat Vigilii epistola, in qua scribit se missæ canonem et missam paschalem misisse; de Sacramentario Gelasiano prorsus silet. Unde Cajetanus Cenni (*b*) recte quidem negat Sacramentarium Gelasianum Profuturo fuisse missum; at in eo quod addit, *integrum ordinem missæ Romanæ* Vigilium in Hispaniam non misisse, viro erudito minime assentior; mihi enim certum est missam etiam paschalem, quam Vigilium Profuturo misisse constat, integrum ordinem missæ Romanæ complexam esse.

239. Cennius etiam peculiarem opinionem [LXVII] habet circa ordinem Romanum quem opinatur Bracarenses, omnesque Hispanos, hoc tempore, su cepisse (*c*). Putat enim orationi *post sanctus* integrum canonem Romanum subjectum fuisse, quo absoluto, orationem *post secreta*, sive *post pridie*, recitatam esse, et reliqua, usque ad missæ finem, more consueto Hispano fuisse peracta. Sed hujusmodi ordo, nec Romanus, neque Hispanus dici potuit. Sed confusus quidam, ex utroque conflatus, qui, usque ad finem orationis post Sanctus ritum Hispanum retinebat, tum ad finem usque canonis Romanum, ac demum quæ canonem consequuntur more Hispano perficeret.

240. Verum, cum hic confusus ordo Romanus non sit, nec a Vigilio, neque ab apostolicæ sedis auctoritate, in Hispaniam missus, de eo canon Bracarensis intelligi nequit. Sed neque de Gelasiano ordine intelligendus est; nam etsi missa Paschalis, quam Vigilius ad Profuturum miserat, Gelasiani ordinis fuerit, non ideo tamen miserat ut, ejus instar, Profuturus missas Gelasianas componeret, quæ in Gallæciæ Ecclesiis recitarentur. Si enim hoc illi curæ fuisset, integrum Sacramentarium Gelasianum, non unicam ejus missam, in Hispaniam misisset, facilius namque et expeditius erat Sacramentarium,

(*a*) De Liturg. Gallic., lib. I, cap. 4, pag. 31.

(*b*) De antiquitate Ecclesiæ Hispanæ, t. II, diss. VII, pag. 351.

(*c*) Ibid.

transcribere, et ad usus Hispanorum accommodare, quam novum componere.

241. Causam vero ob quam Vigilius Romanum canonem et missam paschalem in Hispaniam misit, ipse in epistola hanc unam assignat, ut Profuturo, diligenti alienorum rituum indagatori, non modo præcipuam partem, quæ in canone sita est, sed omnem missæ Romanæ ordinem sub aspectu ita poneret ut seriem ejus atque dispositionem oculis etiam percipere facile posset.

242. Canonem vero Bracarensem vigesimum secundum conditum fuisse, non ut in Suevorum regno liturgia Gelasiana susciperetur, sed duntaxat ut concordia in Missarum celebratione induceretur, persuadent canones decimus nonus, vigesimus, et vigesimus primus, ejusdem synodi, qui omnes agunt de rituum concordia omnesque sanciti fuerunt postquam fuisset *relecta auctoritas sedis apostolicæ ad quondam Profuturum directa episcopum.*

243. Præterea silentium episcoporum Gallæciæ qui concilio Toletano IV interfuerunt luculenter probat Ecclesias Gallæciæ, tempore illius concilii, Romanis ritibus minime addictas fuisse. Nemo enim ignorat auctoritate concilii Toletani IV concordiam liturgicam Ecclesiis totius imperii Visigothorum restitutam esse, et priscum Hispanorum celebrandi ordinem ita confirmatum, ut hoc uno in posterum uti permissum fuerit. Quomodo autem factum est ut Gallæciæ præsules muti et elingues sederent, quando usum liturgiæ Romanæ sibi Ecclesiisque suis interdici animadverterunt, cui jam, ut assumitur, per annos supra septuaginta adhæserant? quare totius provinciæ consuetudinem [LXVIII] concilii celebris auctoritate inductam, et Romanæ Ecclesiæ venerationem non opposuerunt? Hujus sane silentii non alia ratio afferri potest quam quia liturgia Romana apud Gallæciæ populos usu et praxi nunquam obtinuerat.

244. Denique cura peculiaris quam concilium Toletanum IV posuerat in iis consuetudinibus provinciarum evellendis quæ liturgicæ concordiæ obesse poterant, plane persuadet ritus Romanos in Gallæcia usitatos minime fuisse. Nam, ut hoc uno exemplo utar, cum concilium primum Bracarense auctoritatem Laodiceni concilii (*a*) secutum, prohibuisset (*b*) ne hymni humano ingenio compositi in Ecclesia canerentur, Patres Toletani canonem hunc Bracarensem, contra receptum morem Ecclesiarum Hispaniæ et Galliæ conditum, suo decreto (*c*) abrogarunt, imposita excommunicationis pœna iis qui hymnos rejicere eo nomine ausi fuerint, quod humano ingenio compositi fuissent, nec in divinis Scripturis legerentur.

245. Patres igitur Toletani, qui in hac re, longe minoris momenti, adeo severi se exhibuerant, si in Gallæcia vigentem deprehendissent liturgiam Gelasianam, eam innominatam utique non prætermisissent. Sed aut aperte sustulissent, aut, quod, pro Hispanorum erga Romanam Ecclesiam reverentia, magis credibile est, ejus usum in Gallæcia suis decretis confirmassent. Sed quandoquidem concilium Toletanum IV altum silet de Romanis ritibus, et constat solam liturgiam Gotho-Hispanam in Hispania et in Gallia Gothica post hoc Concilium obtinuisse, minime dubitandum videtur quin Catholici in Gallæcia eidem liturgiæ semper adhæserint quam reliquæ Hispaniarum provinciæ constanter retinuerant.

§ XV. *De primæva origine liturgiæ Gallicanæ inquiritur. Et an ex Hispania in Galliam, an potius e Gallia in Hispaniam propagata fuerit.*

246. Liturgiam Gallicanam adeo similem fuisse Gotho-Hispanæ, ut una atque eadem haberi potuerit, ex hactenus dictis satis aperte constat. Nunc de primis ejus auctoribus ejusque primæva origine breviter agendum, de qua duplicem opinionem inveni. Alia Hilduini, Sandionysiani abbatis qui liturgiam Gallicanam fidei in Galliis prædicationi coævam facit. Alia anonymi Spelmani, qui eam post susceptam fidem Christianam in Galliam venisse docet. Hilduinus, ad Ludovicum Pium scribens de rebus gestis sancti Dionysii (*d*), [LXIX] Parisiorum episcopi, inter auctores qui Acta sancti martyris, scriptis commendaverant, eum Vesbium quemdam laudasset: *Huic*, inquit, *astipulari videntur antiquissimi et nimia vetustate pene consumpti Missales libri, continentes missæ ordinem more Gallicano,* QUI AB INITIO RECEPTÆ FIDEI IN HAC OCCIDENTALI PLAGA EST HABITUS, *usque quo tenorem quo nunc utimur Romanum susceperit.* Aliaque subdit, quibus antiquitas Missalium istorum confirmatur, et innuitur sanctum Dionysium formam hanc liturgiæ Galliis tradidisse, ut planum sit, juxta mentem Hilduini liturgiam Gallicanam una cum fide Christiana in Gallia natam, aut saltem illuc a primis gentis apostolis delatam fuisse, nec Gallos, præter hanc unam, formam celebrandi divina ullam agnovisse, antequam Pipinus et Carolus Magnus liturgiam Gregorianam, abrogata Gallica, Ecclesiis intulerunt.

248. At anonymus Spelmani (*e*) tradidit primam et vetustissimam Gallorum liturgiam Romanam fuisse, auctoremque habuisse sanctum Petrum apostolorum principem (*f*). Hunc ordinem, inquit, sanctus Trophimus, Arelatensis episcopus, et sanctus Photinus, episcopus Lugdunensis, et martyr, apostoli Petri discipulus, ecclesiis quas in Gallia constituerant primi tradidere.

(*a*) Can. 59.
(*b*) Can. 31, alias 12.
(*c*) Can. 13, alias 12.
(*d*) Exstat apud Surium mens. Octob. pag. 639, Ed. Colonien.
(*e*) Henricus Spelmanus, tom. I Concil. Magn. Brit., pag. 177, scriptorem quemdam edi it, cui titulum fecit *Cantuum et cursuum ecclesiasticorum origo, ex codice ms. vetustissimo.* Codex, inquit Spelmanus, scriptus erat *charactere non plane saxonico, sed insueto;* frequenter mutilus erat, et erroribus grammaticalibus scatebat. Ætas hujus scriptoris anonymi ejusque patria ignotæ sunt. Videtur monachus Luxoviensis, qui sæculo VII scripserit. Hoc anonymo scriptore utitur Mabillonius, in Disquisitione de cursu Gallicano, et animadvertit eum *cursus ecclesiasticos cum liturgia* confundere.
(*f*) Anonymus : *Beatus Trofimus episcopus Arelatensis, et sanctus Potinus martyr,* episcopus *Lugdunensis, discipulus sancti Petri Apostoli.... cursum*

249. Sed, ut idem subdit, post mortem sancti Photini, sanctus Irenæus, qui Romæ a sancto Clemente papa fuerat ordinatus episcopus Lugdunensis, diversum ordinem celebrandi divina Gallos docuit (*a*), qui, per omnes Galliarum Ecclesias propagatus, *liturgiæ Gallicanæ* nomen obtinuit.

250. Hujus liturgiæ primævum auctorem anonymus perhibet sanctum Joannem apostolum et evangelistam, qui hanc formam obeundi divina Ecclesiis Asiæ tradidit, additque sanctum Polycarpum, Smyrnensem episcopum et martyrem celebrem, eodem ordine officia divina perfecisse, eidemque assuevisse sanctum Irenæum, dum in Asia discipulus Polycarpi versaretur.

251. Quare, si vetusto huic scriptori fides habeatur, *cursus* [LXX] sive *ordo*, *Gallicanus* in Asia ortus est, a sancto Joanne apostolo institutus. Sed quoniam Paulus apostolus omnium primus Evangelium in Asia prædicavit, et Ecclesias constituit, quibus utique liturgiæ ordinem dedit, haud incredibile est ordinem Asianum a sancto Joanne institutum, plurimam retinuisse primigeniæ illius liturgiæ Asianæ a Paulo traditæ.

252. Qualis autem fuerit ordo ille Asiaticus sancti Joannis, anonymus non docet, nec nobis, in tanto temporum intervallo, et rituum sacrorum vicissitudine, conjicere licet. Id unum videtur credibile, eum magnam affinitatem habuisse cum illa liturgia quæ sæculo VI exeunte in Gallia vigebat. Nam anonymus aperte ait sanctum Joannem evangelistam *primum cursum Gallorum* decantasse, inde postea beatum Polycarpum, discipulum apostoli Joannis, et demum sanctum Irenæum tertium *ipsum cursum* in Gallia cantasse. Cum autem cursum Asiaticum *Gallicanum* nominet, verisimile est cursum Gallorum sæculi VI et VII, quo tempore anonymus scripsisse creditur, haud dissimilem fuisse cursui Asiatico sancti Joannis.

253. An vero idem prorsus habendus sit ordo ille Asiaticus atque Gallicanus sæculi VI, aut VII, ambiguum est. Nam anonymus videtur indicare cursum Asiaticum, postquam in Gallia receptus est, opere doctorum virorum lectiones, modulationes, antiphonas, responsoria, sonos et *alleluias*, recepisse, e sacra Scriptura desumptas, atque adeo nonnihil mutatum fuisse. Sed, quod dolendum est, in textu anonymi, hoc loco, lacunæ inveniuntur (*b*), quæ scriptionis seriem abrumpunt, et impediunt ne dignoscamus an liturgia Gallicana formam Asiaticam puram et putam retinuerit, an ab ea aliquantulum recesserit.

254. Ex iis vero quæ adhuc in textu anonymi supersunt facile est percipere cursum hunc, sive Asiaticum, sive Gallicanum dixeris, eumdem fuisse atque Gotho-Hispanum, uterque enim iisdem constabat partibus, scilicet modulationibus, sonis, laudibus, responsoriis, antiphonis, cum suis orationibus, et Scripturarum lectionibus, quemadmodum descriptionem anonymi cursus Gallicani cum Breviario Mozarabum conferenti patebit. Unde nobis colligere licet liturgiam Asiatico-Gallicanam haud diversam exstitisse a Gotho-Hispana.

255. Hilduinus quoque haud ægre anonymo conciliari potest, ambo enim conveniunt in asserenda antiquitate liturgiæ Gallicanæ, et in ejus cum Gotho-Hispana consensu indicando. At Hilduinus cum sciret liturgiam Gallicanam apud Parisienses a suscepta fide Christiana in usu fuisse, quibus a sancto Dionysio, Ecclesiæ conditore, tradita fuerat, in eo erravit, quod putaverit [LXXI] sanctum Dionysium ætate apostolica vixisse, et inter primos fidem Christianam in Gallia prædicasse. At si cum recepta opinione ponamus sanctum Dionysium, imperante Decio, Galliam illustrasse, nihil erit in opinione Hilduini quod anonymo contradicat.

256. Eruditissimus Mabillonius quæstionem serio instituit (*c*), an liturgia Gallicana ætate *præcesserit* Hispanam, vel, ut ille loquitur, *Mozarabicam, eique formam et exemplum præbuerit*. Nec dubitavit secundum Gallicanam pronuntiare. *Quam*, inquit, *antiquiorem esse* Gotho-Hispana *multa persuadent*. Scilicet (*d*) liturgiam Gallicanam auctores habuisse *Hilarium, Musæum et Sidonium*, Mozarabicam vero ipsos Hispanos *ad Leandrum et Isidorum sæculi* VII *episcopos*, tanquam ad suos auctores, revocare. Eamdem quæstionem retractat P. Joannes Pinius (*e*), argumenta Mabillonii fuse refert, eaque evincere negat ordinem Gallicanum antiquiorem esse Hispano, eive formam aut exemplar præbuisse.

257. Sane argumenta Mabillonii debilia sunt, etenim constat liturgiam Hispanam diu ante Leandrum et Isidorum in Hispania obtinuisse, et liturgiam Gallicanam ætatem Hilarii, Sidonii et Musæi præcessisse. Qui, quamvis libros liturgicos ediderint, tamen auctores habendi non sunt liturgiæ Gallicanæ.

258. Sed cum Mabillonius docuerit (*f*) liturgiam Gallicanam et Toletanam, seu Gotho-Hispanam, eamdem esse, miror virum eruditum serio inquirere *Romanum in Galleis..., tradiderunt*. Hæc cum distincte in anonymo legantur, nescio quomodo Mabillonius, in Disq. de curs. Gall., pag. 380, scripserit cursum Asiaticum in Gallias propagasse sanctum Trophimum Arelatensem, sanctum Photinum, et sanctum Irenæum episcopos Lugdunenses?

(*a*) Anonymus, postquam retulerat sanctum Irenæum, Romæ, a sancto Clemente papa ordinatum fuisse episcopum, de cursu Gallicano subdit: *Sanctus Joannes evangelista primum cursum Gallorum decantavit, inde postea beatus Polycarpus, discipulus sancti Joannis, inde postea Hiereneus, qui fuit episcopus Lugdunensis Gallei, tertius ipse, ipsum cursum decantavit in Galleis...*

(*b*) Anonymus: *Hiereneus, qui fuit episcopus Lugdunensis Gallei, tertius ipse, ipsum cursum decantarit in Galleis... inde e modulationibus, series Scripturarum Novi ac Veteris Testamenti diversorum prudentium... virorum paginis non de propriis, sed de sacris Scripturis receperunt antiphonas, et responsoria, seu sonus... et alleluias composuerunt, et per universum orbem terrarum ordo cursus est.*

(*c*) De Liturg. Gallic., lib. I, cap. 4, n. 4.

(*d*) Ibid., n. 7 et 8.

(*e*) Tract. Hist. Chron. de antiq. Liturg. Hisp., cap. 3, sect. 6, a n. 145.

(*f*) De Liturg. Gallic., lib. I, cap. 3, n. 9.

voluisse utra harum antiquior fuerit, et alteri exemplar præbuerit. In eumdem lapidem impegit P. Petrus Le Brun, qui cum docuisset (a) liturgiam Gallicanam, *saltem quoad formam*, in Missali cardinalis Ximenii adhuc vigere, et pluribus ostendisset liturgiam Mozarabicam Gallicanæ simillimam fuisse (b), Gallosque, sæculo IX, persuasum habuisse eamdem liturgiam qua Hispani utebantur in Gallia obtinuisse, priusquam Pipinus et Carolus Magnus Romanum ordinem in Galliam intulerunt, idem nihilominus asseruit liturgiam Gallicanam exemplar exstitisse Gotho-Hispanæ, et sanctum Leandrum plures ritus Gallicanos in liturgiam Hispanam transtulisse (c), adeo ut ea vetustatis species quæ in liturgia Mozarabica cernitur ab ordine Gallicano mutuata fuerit.

259. His igitur et similibus prætermis is, quæ serio de una atque eadem liturgia agitari nequeunt, quæri potest an vetusta hæc forma divina officia celebrandi, quam constat eamdem aliquando in Hispania, et in Gallia viguisse, primævam suam originem Hispaniæ, an potius Galliæ debeat, et deinde an e Gallia in Hispaniam, an potius ex Hispania in Galliam devenerit.

[LXXII] 260. Quibus interrogationibus, nisi fides adhibeatur anonymo Spelmani, nihil, non dicam certi, sed quod probabile sit, responderi potest. At si placuerit anonymo credere, interroganti an liturgia Gotho-Hispana, quæ et Gallicana est, orta sit in Hispania, an potius in Gallia, responsio facilis est et expedita, eam neque in Gallia, neque in Hispania, sed in Asia initium cœpisse, ubi a sancto Joanne apostolo instituta fuit, unde in Galliam a sancto Irenæo translata est.

261. Ad alteram vero interrogationem, an e Gallia in Hispaniam translata fuerit, difficilior est et magis intricata responsio. Nam non apparet, præter hanc unam, apud Hispanos antiquos aliam quamcunque formam liturgicam in mysteriis Catholicorum usitatam fuisse : constat etiam, tempore sancti Irenæi, et etiam antea, Ecclesias in Hispania fuisse constitutas, quæ utique liturgia non carebant. E quibus consequitur, et tempore sancti Irenæi, et ante ejus ætatem, Hispanos hac forma liturgica quæ in Hispania, Gotho Hispana, in Gallia, Gallicana dicta est usos esse, quin ea ex Gallia in Hispaniam devenerit. Quandoquidem sanctus Irenæus eam in Gallia adhibere cœpit postquam episcopus ordinatus est, ut anonymus testatur, quem unum in hac re ducem habemus.

262. Igitur, quoniam vetusta hæc liturgiæ forma e Gallia in Hispaniam propagata non est, et anonymus dicit eam ex Asia in Galliam opere sancti Irenæi devenisse, incredibile non est eamdem aliquanto citius ex Asia in Hispaniam quoque delatam fuisse,

A ab iis episcopis quos, juxta vetustam Hispanorum traditionem, Romæ ordinatos apostoli Petrus et Paulus in Hispaniam prædicatum miserunt. Qui hanc formam Asianam, utpote haud dissimilem liturgiæ qua apostolus Paulus in Hispania usus fuerat, Ecclesiis a se constitutis tradiderunt. Hæc ut in re admodum obscura, et cujus nullam pene notitiam habemus, tanquam prorsus non incredibilia dicta sint, nunc ad auctores Missalis Mozarabici devenio.

§ XVI. *An sanctus Leander, aut sanctus Isidorus, aut sanctus Julianus auctor fuerit Missalis Mozarabici.*

263. Apud Hispanos aliasque gentes passim admissa atque vulgata opinio est, quæ Missale Mozarabum, hoc est Gotho-Hispanum, aut a sancto Leandro, aut a sancto Isidoro, aut ab utroque edi-
B tum fuisse tenet. Et alii quidem in hoc insigni opere primas partes sancto Leandro, secundas sancto Isidoro tribuunt, alii contra Leandrum opus inchoasse, Isidorum perfecisse volunt.

264. Sed hæ opiniones antiquis ignotæ erant, nec enim pro iis ullus citatur Auctor qui ante excidium regni Visigothorum scripserit. Qua unica ratione argumentationes omnes et conjecturæ recentiorum falsi convincuntur. Quomodo enim sine [LXXIII] antiquorum testimonio innotescere potuit recentioris ævi scriptoribus sanctos Leandrum et Isidorum Missalis Gotho-Hispani auctores exstitisse ? sanctus Isidorus, in libro de Viris illustribus (d), opera sancti Leandri recenset, quin de Missali mentionem faciat :
C *In ecclesiasticis officiis non parvo laboravit studio : in toto enim Psalterio, duplici Editione, orationes conscripsit, in sacrificio quoque laudibus atque Psalmis multa dulci sono composuit.* Nimirum sanctus Leander *Orationale* scripsit, quod bis edidit, librum quoque *Sacrificiorum*, antiphonarum scilicet quæ canebantur dum populus offerebat. Librum *Laudum*, quæ lecto Evangelio canebantur, et *Psalmorum* librum, eorum scilicet, qui in missa canebantur (e), composuit. In his autem nullus est liber Missalis, quem profecto sanctus Isidorus non omisisset.

265. Eodem argumento conficitur sanctum Isidorum auctorem non esse Missalis Gotho-Hispani, seu Mozarabici. Operum ejus catalogum texuere sanctus Braulio Cæsaraugustanus episcopus (f), qui sancto
D Isidoro annis ferme decem superstes vixit, et sanctus Hildefonsus (g), episcopus Toletanus, qui nullum ejus commemorant librum liturgicum, præter duos de Officiis ecclesiasticis. Hi igitur cum Missale a sancto Isidoro conscriptum non agnoverint, recentiores qui post sæculum XI vixere audiendi non sunt, quando nobis persuadere conantur Missale Mozarabum a sancto doctore compositum fuisse.

266. Horum e primis fuit Guitmundus, Aversanus episcopus, qui in opere quod contra Berengarium

(a) Explic. Missæ, tom. II, dissert. V, art. 4, pag. 271.
(b) Ibid., pag. 339.
(c) Ibid., pag. 334.
(d) Cap. 41.

(e) De *sacrificio*, sive *offertoriis*, de *laudibus* et de *psalmis* egit sanctus Isidorus Off. l. I, c. 14, 13, 5.
(f) In elogio operibus sancti Isidori præmisso.
(g) De Viris illustribus, cap. 9.

scripsit (*a*) Missale Mozarabum citans, illud sancto Isidoro attribuit. Guitmundus autem anno octogesimo supra millesimum obiisse traditur.

267. At hæc opinio videtur in Hispania sæculo XI nata, et in vicinam Galliam, et etiam in Italiam, ab iis propagata qui ritus Mozarabicos contra impugnatores, auctoritate sancti Isidori, tueri satagebant. Liturgia enim Gotho Hispana, qua Mozarabes utebantur, cum apud Romanum pontificem accusata fuisset, Hispani in Italiam episcopos aliquot miserunt, qui causam rituum Mozarabicorum agerent, eorumque normam consecrandi Eucharistiam legitimam esse demonstrarent. Ii anno millesimo sexagesimo, in concilio Mantuano, coram Alexandro II pontifice et episcopis congregatis, libros suos liturgicos examinandos exhibuere, omnemque causam ita egerunt, ut a pontifice et universo concilio liturgia Mozarabica approbata fuerit (*b*). Exinde in Italia quoque compositio Missalis Mozarabici sancto Isidoro tribui cœpta est [LXXIV].

268. Nonnulli putarunt concilium Toletanum IV præcepisse ut in omni Visigothorum regno unum esset Missale, et unum Breviarium, eorumque librorum componendi curam sancto Isidoro mandatam fuisse (*c*). Sed hæc opinio antiquorum suffragio minime fulcitur qui Breviarii aut Missalis a sancto Isidoro compositi mentionem non fecerunt. Præterea, qui in ea sunt opinione, putant varietatem Missalium et Breviariorum a liturgiæ discrepantia sejungi non posse, Patresque Toletanos statuentes ut *unus modus in missarum solemnitatibus, unus in matutinis vespertinisque officiis* teneatur, consequenter Missalium, Lectionariorum, Orationalium, Antiphonariorum, aliorumque librorum liturgicorum varietatem omnem sustulisse.

269. At plane constat, concordiam liturgicam una cum varietate librorum liturgicorum consistere posse (*d*), idque Patribus concilii Toletani IV experientia notum erat. Hispani enim, quamvis una eademque liturgia omnes uterentur, tamen iisdem libris liturgicis ubique non utebantur. Imo singulæ provinciæ videntur suos habuisse proprios Lectionarios et Missales libros (*e*). Hanc autem qualemcunque librorum liturgicorum discrepantiam concilium Toletanum IV

A non abstulit, sed singulis provinciis suas, in hac re, consuetudines retinere intactas permisit.

270. Et hinc aliud argumentum desumitur ad probandum neque sanctum Leandrum, neque sanctum Isidorum auctores esse Missalis Mozarabici. Hoc enim Missale non erat commune toti Hispaniæ, neque proprium provinciæ Bæticæ sed Toletanæ, hoc est, Carthaginensis provinciæ peculiare. Nulla autem erat ratio cur metropolitanus Bæticæ curam assumeret conscribendi Missale usibus provinciæ Toletanæ singulariter destinatum.

271. Demum Elipandus, cum Missale hoc citaret, ejus auctores non Leandrum, non Isidorum, nominavit, sed prædecessores suos episcopos Toletanos, Eugenium, Hildefonsum et Julianum (*f*). Iisque potius

B quam sancto Isidoro tribuenda est Breviarii et Missalis Mozarabici compositio.

272. Attamen si nomine auctoris hujus Missalis is intelligatur qui Missas quæ in eo continentur conscripserat, nec sanctus Isidorus, neque sanctus Hildefonsus, [LXXV] neque sanctus Julianus, neque unus aliquis ejus auctor dicendus est. Quicunque enim Missale Mozarabicum paulo attentius evolverit, inveniet illud neque unius scriptoris, neque unius ævi opus esse. Nam præter styli varietatem, quæ in eadem missa nonnunquam deprehenditur, plures sunt missæ quæ ante ætatem sancti Isidori compositæ fuerunt. Plures etiam sunt quæ post mortem sancti doctoris conscriptæ sunt.

273. Harum vero omnium missarum eumdem hominem auctorem esse nemo dixerit. Sed si nomine

C auctoris Missalis Mozarabici is intelligatur qui Missale Toletanum emendaverit, aut qui una aut altera missa a se composita auxerit, plures hujusmodi auctores inter episcopos Toletanos inveniuntur. Elipandus Eugenium, Hildefonsum et Julianum nominavit, et Julianus opera sancti Hildefonsi enumerans (*g*), eorum *partem tertiam missarum, hymnorumque atque sermonum esse* ait.

274. Nemo tamen, ut mihi quidem videtur, auctor Missalis et Breviarii Mozarabici meliore jure quam sanctus Julianus nominatur, de quo Felix, et ipse episcopus Toletanus, prædecessoris sui opera recensens, scripsit (*h*) : *Item librum Missarum, de toto circulo anni in quatuor partes divisum, in quibus*

(*a*) Guitmundus, lib. III, *de corporis et sanguinis Christi veritate in Eucharistia*, hæc habet : *In quodam Missali Hispano, quod* DICUNT *dictasse sanctum Isidorum*, quæ verba dicta quidem sunt de Missali Mozarabico, non tamen asseveranter dicuntur, sed tanquam opinio nullo certo auctore vulgata referuntur.

(*b*) Baronius, Annal., ad an. 1064 ; de Aguirre, Conc. Hisp. t. III, a pag. 174.

(*c*) Mariana, de Reb. Hisp., lib. VI, cap. 5, inter decreta concilii IV Toletani hoc etiam refert : *Missale et Breviarium unum esto in Hispania. Ejus rei perficiendæ cura, quoniam Isidoro creditur demandata, usus obtinuit ut Breviarium et Missale Mozarabum* illi tribuantur. At ejusmodi canon nullus unquam a concilio Toletano IV conditus fuit.

(*d*) De hac re, n. 88, quædam dicta sunt.

(*e*) Huc spectat can. 20, vel, ut alii habent, cap. 2, concilii primi Bracarensis, relatus in Codicem ca-

D nonum Ecclesiæ Gotho-Hispanæ, lib. 4, tit. 15, *de non legendis diversis lectionibus per solemnium dierum missas et vigilias*. Unde consequitur diebus non solemnibus permissum fuisse diversas lectiones legere, atque adeo non modo in diversis, sed in eadem provincia quandoque exstitisse Lectionaria diversa. Et siquidem fas erat habere diversa Lectionaria, cur non etiam Missalia, et Antiphonaria, etc.

(*f*) Elipandus, in epistola ad Albinum : *Testimonia sanctorum Patrum venerabilium Toleto disservientium in missarum oraculis edita sic dicunt*. Et concilium Francofurdense verba Elipandi ex libello ejus refert : *Item prædecessores nostri Eugenius, Hildefonsus, Julianus Toletanæ sedis antistites, in suis dogmatibus dixerunt*, etc.

(*g*) Ad finem operis sancti Hildefonsi de Viris illustribus, inter opera sancti Isidori editi.

(*h*) Ibid.

aliquas vetustatis incuria vitiatas et semiplenas emendavit atque complevit ; item librum orationum de festivitatibus anni, quas Toletana Ecclesia, per totum circulum anni, est solita celebrare, partim stylo sui ingenii depromptum, partim correctum, in unum congessit, atque Ecclesiæ Dei usibus, ob amorem reliquit sanctæ religionis. Quibus apparet sanctum Julianum libros liturgicos Ecclesiæ suæ diligenter recognovisse, atque emendasse.

275. Duo enim opera commemorat Felix, quorum primum erat *liber missarum*, sive Missale, quod in partes quatuor divisit, et, in quibusdam missis, amanuensium incuria, vitiatum emendavit, et in aliis missis, quæ semiplenæ erant complevit, eas orationes addendo quæ defecerant. Integras tamen missas novas Julianum adjecisse Felix minime tradidit. Aliud B vero ejus opus *liber erat orationum*, *de festivitatibus anni*, sive *Sanctorale* Breviarii Toletani, quem librum non modo emendavit, sed etiam auxit, adjectis orationibus quorumdam sanctorum quæ deerant (*a*).

276. Missale hoc sancti Juliani idem fuisse atque illud quod *Missale Mozarabum* postea dictum est, asserere non audeo. Nam Missale Mozarabum est perfecte mistum, sive plenarium, qualis, ut puto, non fuit liber missarum sancti Juliani (*b*) ; et præterea missas habet nonnullas post excidium [LXXVI] regni Gothorum compositas. Attamen puto Mozarabes antiquiores libro missarum sancti Juliani usos esse (*c*) in solemni missarum celebratione, et ex eo compositum fuisse Missale hoc mistum, quod Mozarabicum audit.

277. Quinam autem ejus compositores fuerint, pro certo dicere nequeo. Sed quicunque fuerint, videntur de suo operam tantummodo et industriam contulisse, missasque ab aliis antea compositas ita disposuisse, ut sacerdotes sacra privatim facientes, et qui in ecclesiis ruralibus et minime opulentis deserviebant, quibus librorum et ministrorum copia deerat, in hoc uno libro Lectionarium, Antiphona- A rium, Benedictionale, librosque ordinum, orationum, et precum haberent, apte ordinatimque, in singulis missis, ita dispositos, ut nihil ad expeditam mysteriorum celebrationem deficeret. Missale Mozarabicum non semel auctum fuisse credibile est, novis quibusdam missis receptis. Rubricas quoque nonnullas recentiores Mozarabes adjecisse apparet, ut negandum non videatur plures exstitisse qui illius compositioni manus adhibuerint.

§ XVI. *Missale Mozarabum cum libris liturgicis Gallicanis comparatur.*

278. Nunc demum breviter de libris liturgicis Gallicanis hactenus editis dicendum est, quos etiam cum Missali Ximenii comparare lubet, inde enim et præstantia Missalis nostri, et quantum res liturgica, B non modo Hispanorum, sed Gallorum etiam, debeat optimo cardinali, splendidius apparebit. Septem omnino in lucem prodierunt libri ad liturgiam Gallicanam pertinentes, quatuor libri Missales, Lectionarius unus, et duo Officiales, admodum breves. Eminentissimus [LXXVII] Thomasius, omnium primus, e Codicibus Vaticanis (*d*) tres libros Missales Gallicanos Romæ, anno 1680, edidit.

279. Quorum uni *Missale Gothicum*, alteri *Missale Francorum*, tertio *Missale Gallicanum vetus*, titulum præfixit. Mabillonius, cum in monasterio Luxoviensi detexisset *Lectionarium Gallicanum*, hosce tres Missales, et simul librum Lectionarium, Parisiis anno 1685 iterum vulgavit, et opus *de Liturgia Gallicana* C inscripsit. Idem nunquam satis laudandus Mabillonius in monasterio Bobiensi invenit librum Missalem, quem in secunda parte sui Musæi Italici edidit, præmisso titulo *Sacramentarium Gallicanum*.

280. Denique eruditissimi viri Edmundus Martenius, et Ursinus Durandus, in tomo V sui Thesauri novi Anecdotorum, e ms. Codice monasterii sancti Martini Augustodunensis, duas epistolas edidere, explicationem quamdam liturgiæ Gallicanæ continentes. Primæ harum epistolarum pro titulo est : *Quomodo*

(*a*) De hoc volumine, an adhuc supersit in bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ, consule Nicolaum Antonium, Bib. vet. Hisp. l. v, c. 7, n. 415, pag. 309.

(*b*) Missalia mista, sive plenaria, ante sæculum VIII, in usu fuisse probat Sacramentarium Bobiense, quod ejus generis est. Ejusmodi Missalia sacerdotibus privatim, sine ministrorum concursu sacra facientibus, non modo commoda atque utilia, sed ferme necessaria erant. Quare, cum apud Gotho-Hispanos, sacra privatim facere solitum fuerit, credibile est Missalia mista apud eos in usu fuisse. Tamen non puto librum missarum a sancto Juliano emendatum, mistum fuisse, tum quia Felix hanc qualitatem non prætermisisset, tum etiam quia sanctus Julianus librum missarum ad usum Ecclesiæ Toletanæ emendaverat. In splendidioribus vero Ecclesiis, in quibus erat sacrorum librorum et ministrorum copia, inhonestum habebatur et sordidum missale mistum altari admovisse, dum missa solemniter canebatur.

(*c*) Mozarabes provinciæ Toletanæ libro missarum sancti Juliani aliisque ejusdem Ecclesiæ libris liturgicis usos esse certum videtur. Mozarabes vero, sive Hispanos, qui Christianis principibus subditi erant, in sacris officiis libros liturgicos Ecclesiæ Toletanæ adhibuisse, habemus ex Luca Tudensi, qui, æra 828, anno scilicet Christi 790, scribit : *Adefonsus castus... omnem Gothorum ordinem, sicut Toleto fuerat, tam in ecclesia, quam in palatio, Oveto* D *fieri ordinavit.* Et rursus agens de morte Ferdinandi, cognomento Magni, Castellæ et Legionis regis, qui anno circiter 1065 obiit : *In ipsa celebri Nativitatis Domini nocte, cum clerici festivo more natalitium matutinum canerent, affuit inter eos dominus rex... advenit nobis versus, quem tunc temporis* MORE TOLETANO *canebant, succentoribus respondentibus* ERUDIMINI OMNES, QUI JUDICATIS TERRAM. In Breviario Mozarabum, ad matutinas laudes, die Natalis Domini, post canticum *Benedictus*, adhuc idem versus *in sono* canitur, quæ ostendunt Hispanos, tam sub imperio Saracenorum, quam sub principibus Christianis, degentes, libris liturgicis Toletanis in missa et in officiis ecclesiasticis usos esse.

(*d*) Hi tres Missales libri e Bibliotheca monasterii Floriacensis ab Hugonottis, anno 1562, direpti ablati, varia fortuna, in bibliothecam Vaticanam venere. Vide Mabil., de Lit. Gallic., in præf. sect. 12.

solemnis ordo in Ecclesia agitur, quibus vel instructionibus A *canon ecclesiasticus decoratur.* Alteri vero præmittitur, *Incipit epistola secunda de communi officio.* Eruditi Editores harum epistolarum auctorem agnoscunt sanctum Germanum, Parisiensem episcopum; hos secutus, epistolas istas frequenter sub nomine sancti Germani citare soleo, quamvis mihi incertum sit an sanctus Germanus, an alius, e spissiori aliquo libro officiali eas composuerit. Scatent enim mendis, quæ sancto Germano vix tribui possunt. Sed quicunque sit earum auctor, is certe vetustus est, ejusque opus, etsi mendosum, magno rei liturgicæ Gallicanæ bono editum fuit. Etenim plura quæ antea in obscuro erant eo innotescunt, et plerique ritus Gotho-Hispani eorumque cum Gallicanis affinitas confirmantur.

281. Liber Missalis quem Mabillonius in monasterio Bobiensi invenit, quemque *Sacramentarium Gallicanum* inscripsit, integer est, et ex eo Missalium genere quæ *mista*, aut *plenaria* dicuntur, habet enim, præter orationes missales, lectiones Scripturarum, singulis missis proprias, frequenter binas, non raro ternas (*a*). Lectiones istæ nonnunquam cum iis conveniunt quas iisdem diebus assignat Lectionarium Luxoviense, nonnunquam etiam cum iis quas missale Ximenii assignat. Sed plerumque tam ab his quam [LXXVIII] ab illis dissentiunt. Orationes missales hujus Sacramentarii non raro desumuntur e Missali Gothico, sive Gallo-Gothico, nonnunquam etiam e Missali Mozarabico, aut potius e vetusto Sacramentario quo ii usi sunt qui Mozarabicum composuerunt. Missæ Sacramentarii Bobiensis ad ritum Gallicanum stricte non pertinent.

282. Nam ordinem quem jam e Gallicano et Romano commistum atque confusum tenent. Lectiones tres, et Orationes omnes, usque ad finem *contestationis*, hymnum *Gloria in excelsis*, canticum *Benedicite*, et alia quædam, ex ordine Gallicano desumunt. At, absoluta contestatione, nulla illis est oratio *post Sanctus*, sed pro ea, *contestationi* continuo subjungitur integer canon Romanus; quo expleto, recitatur oratio Dominica, et, facta communione, oratio *post communionem*, quam alia excipit *consummatio missæ* inscripta.

283. Hic ordo *Romensis* denominabatur, quemadmodum ex titulo missæ primæ conjicere licet, ea enim pro *ordinario missæ* ponitur, et *missa Romensis cottidiana* inscribitur. Ritum hunc Romensem sequitur longe maxima pars missarum Sacramentarii Bobiensis, quæ in *contestationem* desinunt, quibus canon Romanus et alia ad finem usque missæ recitanda adduntur, e *missa Romensi cottidiana* petenda. Sed præter has, sunt in Sacramentario Bobiensi septemdecim missæ quæ ritum Gregorianum sectantur, quibus tres sunt orationes ante canonem. Prima nomine proprio caret. Secunda inscribitur *secreta*, tertia *contestatio*, quam canon Romanus aliæque orationes ad finem missæ de more consequuntur.

284. Missale illud, quod em. Thomasius *missale Francorum* inscripsit (quia in missa *pro regibus* Deum orant *pro regni Francorum principibus*, et pro *statu regni Francorum*) integrum non est, sed ab initio et in fine mutilum. Habet autem, præter orationes missales pleraque ad ordinationem et benedictionem episcopi, presbyteri, diaconi, et inferiorum clericorum, pertinentia. Consecrationem quoque altaris, ejusque ministerii, et virginum, atque viduarum benedictionem, exhibet, omnia ex Sacramentario Gelasiano em. Thomasii desumpta, ut conferenti patebit, lib. I, n. 95, 29, 98, 103, 88, ubi quædam occurrunt quibus Gelasianum supplet ea quæ Missali Francorum desunt, et plura quæ e missali Francorum in Gelasianum transferri queunt.

285. Ordinem quem in missa tenet Missale Francorum, nec ad Romanam, nec ad Liturgiam Gallicanam pertinet, sed ad confusum quemdam ritum e Romana et Gallicana liturgia compactum, ab eo tamen diversum quem tenet Sacramentarium Bobiense. Habet autem orationem *post prophetiam*, scilicet post canticum Zachariæ *Benedictus Dominus Deus Israel*, etc. Tum unam *post precem*, quam absolutis precibus diaconicis recitabant, postea duas *ante nomina*, deinde duas *super oblata*; has consequitur *contestata*, quam ritu Romano [LXXIX] *præfationem* appellant, *contestatæ* subjicitur *canon actionis*; facta autem communione, recitatur oratio *post communionem*, quam alia *ad plebem* excipit.

286. Joannes Morinus (*b*) opinatus est Missale hoc olim pertinuisse ad Ecclesiam Pictaviensem, *quia nullius sancti, præter sancti Hilarii missam specialiter continet, ipsius nomine in orationibus, in præfatione, et infra actionem, expresso.* Additque exaratum fuisse ante annum quingentesimum sexagesimum, *Gallis nondum in unum populum cum Francis coalescentibus, ter enim* pro regni Francorum nomine *preces fiunt, alias* pro Francorum principatu, *alias* pro principibus Francorum, et *semel* pro salute et incolumitate regni Francorum. At mihi liber non adeo vetustus videtur, sed eo tempore exaratus quo reges inertes regni Francorum habenas majoribus domus moderandas tradiderant. Nam et majores domus *principes Francorum* denominabantur. Neque argumenta probant Codicem ad usum Ecclesiæ Pictaviensis fuisse descriptum. Si enim unica supersit missa sancti Hilarii, id contigit quia liber omnino mutilus est. Quod nomen sancti Hilarii in canone

(*a*) De hoc Codice Mabillonius in præfatione sect. 8 ita scribit: *Codicem antiquum, ex quo subsequentem ordinem Gallicanum descripsimus, invenimus in bibliotheca percelebris et perantiqui monasterii Bobiensis. Scriptus est Codex ante annos mille, et quidem litteris majusculis BERTULFUS alicubi legitur in ora folii cujusdam, quem putamus esse ipsum Bertulfum loci abbatem medio sæculo VII. Illud in Codice magni faciendum, quod integer sit, non mutilus, ut in illis vetustis libris evenire solet. Porro continet collectiones, lectiones propheticas, apostolicas et evangelicas, atque contestationes ad missam per totum annum. In fine etiam (quod rarissimum est, et pene singulare) habetur liber pœnitentialis, in quo multa scitu digna occurrunt, ad veteris disciplinæ ecclesiasticæ cognitionem.*

(*b*) De sacris ordinationibus, pag. 261.

legatur, non magis pro Pictaviensi Ecclesia facit, quam nomen Martini, quod in eodem canone occurrit, faciat pro Ecclesia Turonensi. Demum, quod nomen Hilarii in missa sæpius recurrit, probat quidem eam missam esse propriam sancti Hilarii, at non probat librum ad Ecclesiam Pictaviensem aliquando pertinuisse.

287. Missale cui em. Thomasius nomen imposuit *Gallicanum vetus* paucas habet missas integras, e quibus missa sancti Germani Antissiodorensis et missa secunda Adventus formam Gallicanam retinuerunt. Aliæ vero missæ hujus libri ritum quemdam e Romano et Gallicano commixtum sequuntur. Harum aliæ pro oratione *post Sanctus* partem Romani canonis subjiciunt: talis est missa prima Adventus, in qua *contestationi* subjicitur canon Romanus, ab his verbis *Hanc igitur oblationem*, etc. Aliæ vero integrum canonem Romanum recipiunt.

288. Talis est missa *in Cœna Domini*, in qua canon Romanus subjicitur *contestationi*, causa festivitatis, hoc modo interpolatus: *Te igitur*, etc. *Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo traditus est Dominus noster Jesus Christus, sed et memoriam venerantes*, etc. *Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus ob diem jejunii Cœnæ dominicæ, in qua Dominus noster Jesus Christus Filius tuus in Novo Testamento sacrificandi ritum instituit, dum panem ac vinum (quæ Melchisedech in præfiguratione futuri mysterii sacerdos obtulerat) in sacramento sui corporis et sanguinis transformavit, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros... qui pridie quam pro omnium salute pateretur, hodierno die, stans in medio discipulorum suorum accepit panem*, etc. Expleto canone, recitatur oratio Dominica, quam excipit *benedictio* [LXXX] *ad populum*, tum communio, quam una et altera oratio consequuntur. Atque hunc ordinem pars maxima missarum hujus Missalis retinuerunt.

289. Sunt qui suspicantur Missale hoc ad Ecclesiam Antissiodorensem spectasse, quia missa sancti Germani in ejus initio statim occurrit. Sed cum pars maxima Codicis temporis injuria perierit, quod ex pluribus sanctorum missis quas utique complectebatur unica supersit missa propria sancti Germani, non evincit librum ad usum Ecclesiæ Antissiodorensis fuisse conscriptum.

290. De tempore autem quo liber compositus fuit, opinatur em. Thomasius, nec dissentit Mabillonius, auctorem ejus vixisse priusquam Galliarum provinciæ a Romano imperio avulsæ in ditionem Barbarorum transiverunt, quia, inquiunt, inter solemnes orationes quæ feria quarta majoris hebdomadæ recitantur una est pro Romano imperio. At hoc argumentum mihi minime satisfacit. Nam plane apparet hoc Missale scriptum esse post Magni Gregorii pontificatum. Deinde orationes illæ solemnes quæ feria quarta, in hoc Missali habentur, in omnibus Sacramentariis Gregorianis aut feria quarta, aut feria sexta, majoris hebdomadæ recitandæ exstant, quo loco etiam exstant in Missali sancti Pii V. Unde apparet eas e libris liturgiæ Romanæ in hoc Missale translatas fuisse, et quidem verbatim, nec ex iis tempus quo liber hic compositus est indicari posse. Ea vero oratio quam in argumentum adducunt, in Gregorianis Codicibus Rhemensi, et Ratoldi, et in Gelasiano Thomasi, habet: *Respice ad Romanorum sive Francorum benignus imperium*; et in Codice Ottoboniano: *Respice ad Christianum benignus imperium*; et Ordo Romanus vetustus: *Et postea dicit pro rege Francorum sive pro imperatore*. Quare cum illud *Romanum imperium* non aliud significet quam *Francorum imperium* Caroli Magni et nepotum ejus, conjicere licet hunc librum ætatem Caroli Calvi non superare.

291. Præstantissimum Missale Gallicani ritus, hactenus editum, illud censendum est, quod em. Thomasius *Missale Gothicum* inscripsit, non alia de causa, quam quia recentiori manu hunc titulum Codici vetusto inscriptum invenerat. Neque Mabillonius hunc titulum in Editione Parisiensi mutandum putavit. Ambo tamen fatentur (quod antea em. Bona (*a*) monuerat) librum hunc ad Ecclesiam aliquam Gallicanam olim pertinuisse.

292. Et Mabillonius quidem hoc Missale in usu fuisse putavit *apud Gallos Gothorum imperio subjectos* (*b*). Ab eadem opinione alienus non erat em. Thomasius (*c*), eamque P. Le Brun amplexus est (*d*).

293. *Merito*, inquit, *Gotho-Gallicanum* Missale hoc a Mabillonio nuncupatum est, *quia usitatum fuit in Gallia Narbonensi*, quæ Gothis *parebat*; ego Missale hoc Gallo-Gothicum appello, etsi mihi persuasum sit illud non in Gallia Gothica, [LXXXI] sed in Gallia Francorum imperio subdita, usitatum fuisse. Occurrunt enim in hoc Missali consuetudines quædam ecclesiasticæ quas Ecclesia Gotho-Hispana non admittebat. Puta Rogationes triduo ante Ascensionem celebratæ, et jejunium quadragesimale, integris quadraginta diebus esurialibus constans. Notum autem est Ecclesias Galliæ Gothicæ eosdem ritus easdemque consuetudines ecclesiasticas habuisse atque Gotho-Hispanas.

294. De Rogationibus minime ambigendum, quandoquidem ante missam ascensionis in Missali Gothico, seu Gallo-Gothico, inveniuntur tres missæ totidem diebus Rogationum celebrandæ. De jejunio vero quadragesimali, quod ab iis qui hoc Missali utebantur diebus integris quadraginta esurialibus celebratum fuerit, haud obscure indicat oratio *post Sanctus* illius missæ quæ initio Quadragesimæ assignatur. Nam, cum ibi dictum sit Christum Dominum in Moyse et Elia, per quadraginta dies jejunantibus, Quadragesimam dedicasse, subditur: *Deinde etiam in suo ipse jejunio eamdem numero dierum jejunii solemnitatem significavit, ut quod ipse Dominus in nos-*

(*a*) Rerum liturg. lib. I, cap. 2, sect. 6.
(*b*) De Liturg. Gallic., lib. III, pag. 175.
(*c*) In præfatione Editioni Romanæ Codicibus Sacramentorum præmissa.
(*d*) Expl. miss., tom. II, diss. IV, art. 2, pag. 233

tri corporis infirmitate pro nobis jugiter in quadraginta diebus explevit, *id est vel minutatim*, EODEM NUMERO DIERUM, *calculo distributa observantia*, *vespertinis refectionibus studeamus imitari*. Quibus apparet hos solemne quadragesimale jejunium, non diebus sex et triginta, sed integris diebus quadraginta esurialibus, quibus vespere reficiebantur, constituisse. Atque adeo non quadragesimam, sed quinquagesimam, et fortasse sexagesimam, aut septuagesimam observasse. Non enim *jugiter* quadraginta dierum jejunium observabant, sed *minutatim*, hoc est interpolatis quibusdam diebus non esurialibus. Sunt et alia plura quæ afferri possunt, sed hæc duo sufficiunt ad probandum Missale hoc in Gallia Gothica usitatum non fuisse.

295. Missale *Gothicum*, sive *Gallo-Gothicum* ordinem Gallicanum in missis plerumque retinuit, de quo superius satis dictum est. Ne dicam omnes hujus libri missas formam Gallicanam retinere, prohibet rubrica die tertia Rogationum post *immolationem* adjecta: *Post Sanctus, per totas tres missas dicis: Hanc igitur oblationem familiæ tuæ tibi astantis*, etc. Et subjungitur canon Romanus causa solemnitatis Rogationum interpolatus, qui saltem ab his verbis, *Hanc igitur*, etc., recitabatur; unde apparet missas Rogationum Gallicanas non fuisse, sed Romenses, e liturgia Gallicana et Romana compositas.

296. An præter missas Rogationum, aliæ sint missæ hujus libri ad ordinem Romensem pertinentes, nec asserere pro certo, neque negare volo. Dubium movent missæ plures, *in contestationem* desinentes, et exemplar *missæ cottidianæ Romensis*, in fine Codicis appositum. Cur enim illud apponerent, nisi ut inde desumerent canonem Romanum, et orationes aliquot quæ missis quibusdam deficiebant.

297. Sacramentarium Bobianum et Missale Gallicanum (LXXXII) vetus haud pauca desumunt e Missali Gallo-Gothico, quod propterea hisce duobus antiquius haberi debet. Et vicissim missale Gallo-Gothicum plura habet e Missali Gotho-Hispano desumpta (*a*). Sunt etiam nonnulla in Sacramentario Bobiensi a Missali Gotho-Hispano translata, quæ in Gallo-Gothico non inveniuntur (*b*). Adeo ut nemini dubium esse possit, qui hos libros attentius contulerit, quia Sacramentarium illud Gotho-Hispanum, e quo Missale nostrum Mozarabicum compositum fuit, Galli probe cognitum habuerint, eoque plurimum usi sint compositores librorum Missalium Gallicanorum, qui hactenus in lucem prodierunt. An vero Sacramentarium illud Toletanum idem fuerit atque liber Missalis sancti Juliani, an alter antiquior quem ipse emendavit, nihil statuo.

298. Liber Lectionarius ordinis Gallicani quem Mabillonius in monasterio Luxoviensi repertum in libro secundo de Liturgia Gallicana, a pag. 106, edidit, in initio et in fine, deficientibus membranis, mutilus est (*c*). Legenda quoque ab initio Quadragesimæ usque ad Dominicam Palmarum et alia nonnulla deficiunt. Segmenta scripturarum quæ in hoc libro legendà proponuntur quandoque cum iis conveniunt quæ in Missali Mozarabum leguntur, quemadmodum in notis monui, at frequenter ab iis secedunt.

299. Illud autem singulare habet Lectionarium hoc Luxoviense, quod etiam in Sacramentario Bobiensi observare licet, missarum legendis frequenter primam lectionem, quam *prophetam* et *prophetiam* appellabant, omnino deficere. Adeo ut missarum sanctorum pars ferme media duas tantummodo Scripturarum lectiones habeat, utramque e novo fœdere, et missis dominicalibus plerisque prima lectione e Veteri (LXXXIII) Testamento priventur. Ejusmodi sunt missæ quinque dominicales post *clausum Paschæ*, missa dominicæ post Ascensionem Domini, et unica illa missa dominicalis, quæ post Pentecosten assignatur. Ex aliis vero missis ea quæ *in profectione itineris* celebratur, et alia quæ est *de redeundo ab itinere* prima lectione carent, qua etiam carent missa *in consecratione presbyteri*, missa *de uno confessore*, et aliæ nonnullæ.

300. Hujus autem defectus causa, cum Codex in iis locis integer sit, aut revocanda videtur ad varietatem quamdam liturgicam, aut forte in eo reponenda, quod lectiones propheticæ ex Lectionario proprio, et ab hoc distincto, legi solerent. Sed ne, hac de causa, putemus, missis allatis nulla segmenta e Veteri Fœdere legenda attribui, prohibet ipsum Lectionarium, in quo frequenter lectiones propheticæ assignantur. Quare haud incredibile videtur, in iis locis

(*a*) Ejusmodi sunt *collectio sequitur*, die sanctorum Infantum, verbatim desumpta ab oratione *post nomina* Missalis nostri; die Epiphaniæ oratio *post mysterium*, desumpta ab oratione *post nomina*; contestatio missæ, initio Quadragesimæ, desumpta ab illatione Gotho-Hispana feriæ sextæ hebdomadis secundæ Quadragesimæ; immolatio missæ *feriæ* quintæ in Cœna Domini, desumpta ferme ex illatione Gotho-Hispana ejusdem diei; collectio sequitur, et oratio *post nomina* missæ sancti Saturnini, desumptæ a Missali nostro, hæc enim est pars prima orationis *missæ*, illa verbatim ferme, est *alia oratio* ejusdem festivitatis. Demum ut alia hujus generis omittam, præfatio missæ, et contestatio, die sanctæ Eulaliæ, sunt segmenta illationis missæ Gotho-Hispanæ quæ in Missali nostro die sanctæ Eulaliæ Emeritensis recitatur.

(*b*) Ejusmodi sunt *oratio ad pacem* die sanctorum Innocentium, ex oratione Gotho-Hispana, pariter *ad pacem*, desumpta; oratio *missa* die sancti Martini, desumpta ex oratione *post nomina* Missalis nostri; orationes *missæ omnimodæ* desumptæ e missa Gotho-Hispana ejusdem cognominis, et orationes omnes quæ in missa Sancti Joannis *de passione* recitantur, ex unica oratione *missa* Gotho-Hispana, in partes dissecta, compositæ.

(*c*) Mabillonius, in præf. ad lib. II liturg. Gallic., sect. 1, scribit Codicem hunc *litteris Franco Gallicis sed Merovingicis ante annos mille scriptum fuisse*. Et in præfatione ad librum primum de liturgia Gallicana, sect. 7, scribit: *Haud scio, an ullum sit Lectionarium hoc Gallicano antiquius, si excipias librum comitis indicantem lectiones ad usum Ecclesiæ Romanæ, de quo libro mentio fit in charta cornutiana*. De versione scripturarum autem Lectionarii Luxoviensis ibidem ait, eam *nec multum a vulgata recedere, nec omnino cum ea convenire*.

in quibus ritus ille ex Gallicano et Romano confusus, quem appellabant Romensem, invaluerat, usu etiam receptum fuisse, contra morem Gallicanum, in certis quibusdam missis duas tantummodo lectiones, easque e Novo Testamento, legere.

501. Jam vero e quatuor Missalibus libris Gallicanis hactenus editis, si Sacramentarium Bobiense excipiatur, nullus est cui aliquid non desit. Nam Missali Gallicano veteri et Missali Francorum plura deficiunt quam quæ supersunt. Missali vero Gallo-Gothico nonnulla initio, plura in fine, desiderantur. Præterea, dempto Sacramentario Bobiensi, in quo sunt lectiones propriæ missarum, Missalia Gallicana nihil præter orationes quæ in missa recitantur et benedictiones continent. Neque hactenus liber Antiphonarius Gallicanus detectus est sine quo missa Gallicana celebrari nequit.

502. At Missale Mozarabum cardinalis Ximenii integrum est, missas omnes integras habet, tam eas quæ de *tempore* dicuut, quam votivas, mortuales, sanctorum proprias, et communes, quibus nihil deest ad expeditam earum celebrationem.

503. Deinde Missale Ximenii, in totius liturgiæ ordine atque dispositione ritum Gotho-Hispanum constanter retinet, sine ulla commistione Romani, Ambrosiani, aut alterius cujuslibet ritus. At e libris Gallicanis nullus est qui ritum antiquum Gallicanum in omnibus missis purum et sincerum conservavit. Nam qui horum perfectissimus est, Missale Gallo-Gothicum, ab interpolatione liturgiæ Romanæ immunis non est.

504. Quare, sive integritas antiqui ritus spectetur, sive spectetur usus, cujus in hujusmodi libris ratio præcipua habetur, fateri debemus Missale Ximenii libris omnibus Gallicanis hactenus editis longe præstare. Iis enim tam multa adhuc deficiunt ad expeditam missarum celebrationem necessaria, ut nemo istis libris, quantumvis bene instructus, sine Missalis Ximenii auxilio, vel unicam missam Gallicanam recitare poterit, sacerdos vero Mozarabicus, cui unicum adest Missale Ximenii, missas Mozarabicas, atque adeo Gotho-Hispanas, et Gallicanas, [LXXXIV] quotidie, si libuerit, expedite facere potest. Unde, quod ab initio dicebam plane conficitur, optimum cardinalem Ximenium, Missali Mozarabico, typis edito, non modo Hispanorum, sed Gallorum etiam, prisco sacrificandi ritui splendide consuluisse.

505. Porro, in hac Editione, textus Missalis Mozarabici talis exhibetur, qualis anno millesimo quingentesimo Toleti prodiit. Sunt quidem plura quæ tuto emendari potuerunt, et quæ libenter emendassem, sed satius visum est textum Editionis Toletanæ, cum omnibus suis mendis exhibere, quam, corrigendi studio, quidquam mutare quod lector scrupulosus intactum voluisset.

506. Notas scripsi in margine aut in extremitate cujusque paginæ edendas, sed quas typographus ad finem libri adjecit. In his brevitatem sequor, nec omnia quæ dici potuerunt ingero, sed ea tantummodo refero quæ sufficere videbantur. In antiquis ritibus explicandis raro sine scriptorum veterum auctoritate quidquam mihi assumo. Eos per quos profeci sæpe ac libenter laudo, eorumque verba quandoque profero, eos autem a quibus dissentio, aut tacito nomine, aut etiam palam refello. Cætera judicio lectoris permitto.

EPISTOLA DEDICATORIA

EDITIONI TOLETANÆ PRÆMISSA.

[LXXXV] *Ad reverendissimum in Christo Patrem et dominum D. præstantissimum* FRANCISCUM XIMENEM, *archiepiscopum Toletanum, Alfonsi Ortis, divini et humani juris doctoris, et canonici Toletani, præfatio incipit.*

Immortales tibi, antistes celeberrime, referant gratias seculi nostri homines oportet, cum vetera et quasi obsoleta nostræ religionis arcana tanto studio renovare institueris, ut incipiant nostrates majorum suorum monimenta incultis characteribus hactenus obstrusa ingenii tui igniculo respicere ac propius intueri. Beatissimi Isidori nostri ecclesiastica Officia, quæ in urbe regia Toletana, cui tu præes archiepiscopus, quondam Maurorum irruptione, cunctis absorptis simul cum Christianis, ceu captiva superfuerant, nostra ætate propriis sumptibus restaurare ac in lucem promere decreveras. Ac non immerito quidem, ne tam illustria fidei nostræ mysteria abdita jam penitus interirent, quæque adeo situ et vetustate fuerant exesa, et errorum caligine respersa, ut vix callidus lector congruas sententias multorum librorum indagine rimari potuerit. Quam profecto durissimam provinciam mihi servorum tuorum minimo mandare non dubitasti, quatenus summa cum diligentia missarum in primis solemnia recenserem, ac vigili lucubratione quæ a vero characterum ruditate dimissa jam diu fuerant styli non mutato ductu reficerem, servataque verborum dignitate, antiquorum majestatem custodirem. Nam quæ præ se antiquitatem ferebant intacta esse jusseras, et tandem sic actum est. Nam dispersis in ordinem redactis, vitiis abrasis, dubiisque enucleata veritate lustratis, et ceu abolita multa resarciens, tuo jussu, ut valui, omnia illustravi. Unde conflatus liber iste fuit, præbentibus ad id opem mihi venerabilibus presbyteris [LXXXVI] ejusdem officii peritioribus Antonio Roderico, Alfonso Martino, ac Hieronymo Guterio, beatarum Justæ et Eulaliæ, ac beati Lucæ evangelistæ ecclesiarum rectoribus, quorum basilicæ inter pressuras Christianorum Toleti fluctuaverant, cum Hispania pene omnis Arabum inundatione tabesceret. Quo fit ut habitantibus Chris-

tianis Toleti inter Arabes ejus urbis imperio potitos A ctorum pro fide certantium et martyrum gesta præ-nomen Mozarabes inductum hucusque permanserit, ut opinor dicti sunt Mozarabes, hoc est inter Arabes degentes. Ut autem ecclesiastica eorum officia memorata digna neminem de cætero laterent, litteris Latinis, explosis Gothicis, imprimenda nobili viro Melchiori Gorricio Novariensi tribuisti (a). Cujus opera et impensis ars impressoria in ea urbe valde illustrata est. Adsit huc igitur lector, qui fidei Christianæ mirifica nosse cupit sacramenta, ubi etiam sanctorum pro fide certantium et martyrum gesta præclara intueri licebit, cum nullibi profecto copiosius ac præclarius reperire queat, dummodo singula propensius perlustret, qui si fidem mihi præbere recusaverit, credat Isidoro clarissimo auctori. Tu quoque testis locupletissimus adsis, reverendissime pater, cujus lumini pervigili admota sunt omnia quæ probata statuisti omnibus doctis communia reddere, cum imprimi solertius ea jusseris. Sis felix oro atque diu superstes, magnificentissime domine.

(a) Missale Mozarabum impressum fuit opere Petri Hagembach, impensis Melchioris Goricii (*Vide pag.* 474).

CALENDARIUM MOZARABICUM

SÆPIUS AUCTUM.

JANUARIUS.

B

Habet dies xxxi, luna xxx.

Aureus numerus.		KAL.	Nox habet horas xv, dies vero ix.	
IIII.	A	JAN.	*Circumcisio Domini.*	IIII *capp.*
	b	IIII.	Octava sancti Stephani.	IIII *capp.*
XI.	c	III.	Octava sancti Joannis.	IIII *capp.*
	d	II.	Octava Innocentium.	IIII *capp.*
XIX	e	Nonas.	Vigilia.	
VIII.	f	VIII.	*Epiphania Domini.*	VI *capp.*
	g	VII.	Juliani et Basilisse Martyrum.	IIII *capp.*
XVI	A	VI.	Sanctorum quadraginta martyrum.	IX *lect.*
V.	b	V.	Pauli primi heremite.	IX *lect.*
	c	IIII.		
XIII.	d	III.	Juliani presbyteri.	IX *lect.*
II.	e	II.		
	f	Idus.	Sancti Hilarii episcopi.	IX *lect.*
			Octava episcopi.	IIII *capp.* C
Kal. Februarii.				
X.	g	XIX.	Felicis impincis confess. et martyris.	IX *lect.*
	A	XVIII.	Mauri abbatis.	IX *lect.*
			Post x luna Dominica fac Septuagesima.	
XVIII.	b	XVII.	Marcelli Pape et martyris.	IX *lect.*
VII.	c	XVII.	Spemsippi et Eleusippi, martyrum.	IX *lect.*
			Antonii monachi.	IIII *capp.*
	d	XV.	Prisce virginis.	IX *lect.*
XV.	e	XIIII.	Juliani episcopi et confessoris.	IX *lect*
IIII.	f	XIII.	Fabiani et Sebastiani martyrum.	VI *capp.*
			Sancti Luciani presbyteri et martyris.	IX *lect.*
	g	XII.	Agnetis virginis.	VI *capp.* D
VII.	A	XI.	Vincentii martyris.	IIII *capp.*
VI.	b	X.	Ildefonsi confessoris.	VI *capp.*
	c	IX.	Babyle episcopi et trium puerorum.	IX *lect.*
			Timothei episcopi, discipuli Pauli.	IX *lect.*
			Sancte Marie de Pace.	VI *capp.*
IX.	d	VIII.	Conversio sancti Pauli.	VI *capp.*
			Projecti martyris.	IX *lect.*
	e	VII.	Polycarpi episcopi et martyris.	IX *lect.*
			Tirsi martyris.	IX *lect.*
XVII.	f	VI.	Johannis Crisostomi episcopi.	IX *lect.*
VI.	g	V.	Johannis presbyteri et confessoris.	IX *lect.*
			Agnetis II.	IX *lect.*
	A	IIII.	Valerii episcopi.	IX *lect.*
XIIII.	b	III.	Sancte Batildis regine.	IX *lect.*
			Octava sancti Ildefonsi.	IIII *capp.*
III.	c	II.	Sanctorum Ciri et Johannis martyrum.	IX *lect.*

FEBRUARIUS.

Aureus numerus.		KAL.	Habet dies xxviii, luna xxvii. Nox habet horas xiv dies vero x.	
	d	FEBR.	Ignatii episcopi et martyris.	IX *lect.*
			Brigide virginis.	IX *lect.*
XI.	e	IIII.	*Purificatio sancte Marie.*	VI *capp.*
XIV.	f	III.	Blasii episcopi et martyris.	VI *capp.*
VIII.	g	II.	Gilberti confessoris.	IX *lect. dr.*
	A	Nonas.	Agate virginis et martyris.	VI *capp.*
XVI.	b	VIII.	Vedasti et Amandi episcoporum.	IX *lect.*
V.	c	VII.	Dorothee virginis et martyris.	IX *lect.*
	d	VI.		
XIII.	e	V.	Apolonie virginis et martyris.	IX *lect.*
II.	f	IIII.	Scolastice virginis.	VI *capp.*
	g	III.		
X.	A	II.	Eulalie virginis Barchinonensis.	IX *lect.*
	b	Idus.	Fructuosi, Augurii et Eulogii, ejus comitum.	IX *lect.*
Kal. Martii.				
XVIII.	c	XVI.	Valentini martyris.	IX *lect.*
VII.	d	XV.		
	e	XIIII.	Juliane virginis et martyris.	IX *lect.*
XV.	f	XIII.	Pantaleonis martyris sociorumque ejus.	VI *capp.*
IIII.	g	XII.		
	A	XI.		
XII.	b	X.	Columbani abbatis.	IX *lect.*
I.	c	IX.		
	d	VIII.	Cathedra sancti Petri.	VI *capp.*
IX.	e	VII.	Vigilia.	
	f	VI.	*Mathie apost.*	
XVII.	g	V.	*Locus bisexti in anno*	
VI.	A	IIII.	*bisexti quocumque die evenerit festum sancti Mathie in tali jejunetur*	
	b	III.	*tur vigilia ejus; et in*	

			sequenti die celebretur; et servetur festum; et si	
XIII	c	II.	*Sabbato evenerit ipso Sabbato celebretur; et jejunetur vigilia ejus et servetur in sequenti die Dominico.*	

MARTIUS.

Aureus numerus.		KAL.	Habet dies xxxi, luna xxx. Nox habet horas xii, dies vero xii.	
III.	d	MART.	Adriani martyris.	ix *lect.*
	e	VI.	Donati martyris.	ix *lect.*
XI.	f	V.	Emeterii et Celedonii martyrum.	iii *capp.*
	g	IIII.		
XIX.	A	III.		
VIII.	b	II.		
	c	Nonas.	Thome de Aquino:	vi *capp.*
			Perpetue et Felicitatis.	ix *lect.*
XVI.	d	VIII.	Juliani episcopi et confessoris.	vi *capp.*
V.	e	VII.		
	f	VI.	Apolonie virginis.	ix *lect.*
			Facundi et Primitive martyrum.	ix *lect.*
XIII.	g	V.		
II.	A	IIII.	Gregorii pape et confessoris.	vi *capp.*
	b	III.	Leandri episcopi et	ix *lect.*
			confessoris.	iii *capp*
X.	c	II.	Leonis pape.	ix *lect.*
	d	Idus.		
Kal.		Aprilis.		
XVIII.	e	XVII.		
VII.	f	XVI.	Patricii episcopi.	ix *lect.*
	g	XV.	Gabrielis archangeli.	vi *capp.*
			Eduardi regis et martyris.	ix *lect.*
XV.	A	XIV.	Sancti Joseph, confessoris.	vi *capp.*
IIII.	b	XIII.	Cuthberti episcopi et confessoris.	ix *lect.*
	c	XII.	Benedicti abbatis et confessoris.	vi *capp.*
XII.	d	XI.	Pauli episcopi et confessoris.	ix *lect.*
I.	e	X.		
	f	IX.		
IX.	g	VIII.	*Annunciatio sancte Marie.*	vi *capp.*
	A	VII.		
XVII.	b	VI.		
VI.	c	V.	Marcelli pape.	ix *lect.*
	d	IIII.		
XIIII.	e	III.		
III.	f	II.		

APRILIS.

Aureus numerus.		KAL.	Habet dies xxx, luna xxix. Nox habet horas xi, dies vero xiii.	
	g	APRILIS.		
XI.	A	IIII.		
	b	III.	Theodosie martyris.	ix *lect.*
XIX.	c	II.	Ambrosii episcopi.	vi *capp.*
			Isidori confessoris.	vi *capp.*
VIII.	d	Nonas.		
XVI.	e	VIII.		
	g	VI.		
XIII.	A	V.	Fructuosi episcopi Bracharensis.	ix *lect.*
			Toribii confessoris.	ix *lect.*
II.	b	IIII.	Eleutherii episcopi et martyris.	ix *lect.*
	c	III.		
X.	d	II.	Victoris Bracharensis martyris.	ix *lect.*
	e	Idus.	Eufemie virginis et martyris.	ix *lect.*
Kal.		Madii.	Tiburtii et Valeriani martyrum.	ix *lect.*
XVIII.	f	XVIII.		
VII.	g	XVII.		
	A	XVI.		
XV.	b	XV.		
IIII.	c	XIIII.		
	d	XIII.		
XII.	e	XII.		
I.	f	XI.	Vitalis martyris.	ix *lect.*
	g	X.		
IX.	A	IX.	Georgii martyris.	iiii *capp.*
			Felicis et Fortunati martyris.	ix *lect.*
	b	VIII.	Sancti Proficii martyris.	ix *lect.*
XVII.	c	VII.	Marci evangeliste.	vi *capp.*
VI.	d	VI.	Cleti martyris.	ix *lect.*
			Marcelli et Petri.	ix *lect.*
	e	V.	Sancti Georgii martyris.	ix *lect.*
XIIII.	f	IIII.	Vitalis martyris.	ix *lect.*
III.	g	III.	Petri martyris ordinis Predicatorum.	vi *capp.*
	A	II.	Eutropii episcopi et martyris.	ii *capp.*

MADIUS.

Aureus numerus.		KAL.	Habet dies xxxi, luna xxx. Nox habet horas ix, dies vero xv.	
XI.	b	MADII.	*Apostolorum Philippi et Jacobi.*	vi *capp.*
			Torcati et comitum ejus episcoporum.	ix *lect.*
	c	VI.	Athanasii episcopi et confessoris.	vi *capp.*
XIX.	d	V.	Inventio sancte crucis.	vi *capp.*
			Alexandri, Eventii, martyrum.	ix *lect.*
VIII.	e	IIII.	Quiriaci episcopi et martyris.	ix *lect.*
	f	III.		
XVI.	g	II.	*Johannis ante Portam Latinam.*	vi *capp.*
V.	A	Nonas.	Inventio clavorum dominicorum.	vi *capp.*
			Sancte Trepete virginis.	ix *lect.*
			Domitile virginis.	ix *lect.*
	b	VIII.	Revelatio Michaelis.	vi *capp.*
			Isidori Militis.	ix *lect.*
XIII.	c	VII.	Gregorii Nazianzeni.	ix *lect.*
			Eodem die, Translatio sancti Nicolai.	vi *capp.*
II.	d	VI.	Gordiani, et Epimachi martyris.	ix *lect.*
	e	V.	Pontii martyris.	iiii *capp.*
X.	f	IIII.	Nerei, et Achilei, atque Pancratii martyris.	ix *lect.*
	g	III.		
XVIII.	A	II.	Victoris et Corone martyrum.	ix *lect.*
			Bonifacii martyris.	ix *lect.*
VII.	b	Idus.		
Kal.		Junii.		
	c	XVII.		
XVI.	d	XVI.		
XIIII.	e	XV.		
	f	XIIII.	Potentiane virginis.	ix *lect.*
XII.	g	XIII.		
I.	A	XII.		
	b	XI.		
IX.	c	X.		
	d	IX.	Translatio sancti Dominici.	ix *lect.*
XVI.	e	VIII.	Urbani pape et martyris.	ix *lect.*

			Translatio sancti Francisci.	IX lect.
vi. f	VII.		Augustini Anglorum episcopi.	IX lect.
g	VI.			
xiiii. A	V.		Germani episcopi et confessoris.	IX lect.
iii. b	IIII.			
c	III.			
xi. d	II.		Petronillæ virginis.	IX lect.

JUNIUS.

Aureus numerus.	KAL.	Habet dies xxx, luna xxix. Nox habet horas viii, dies vero xvi.	
e	Junii.	Nicomedis martyris.	IX lect.
xix. f	IIII.	Marcellini et Petri martyrum.	IX lect.
viii. g	III.		
xvi. A	II.		
v. b	Nonas.		
c	VIII.		
xiii. d	VII.		
ii. e	VI.	Medardi et Geraldi episcoporum.	IX lect.
f	V.	Primi et Feliciani martyrum.	IX lect.
x. g	IIII.		
A	III.	*Barnabæ apostoli.*	VI capp.
		Onufri confessoris.	IX lect.
xviii. b	II.	Basilidis Cirini Naboris martyrum.	IX lect.
vii. c	Idus.	Antonii de Padua confessoris.	IX lect.
Kal. Julii.			
d	XVIII.	Basilii episcopi.	IX lect.
xv. e	XVII.	Viti et Modesti martyrum.	IX lect.
iiii. f	XVI.	Cirici et Julite martyrum.	IX lect.
g	XV.	Adriani atque Natalie martyrum.	IX lect.
xii. A	XIIII.	Marci et Marcelliani martyrum.	IX lect.
i. b	XIII.	Gervasii et Prothasii martyrum.	IX lect.
c	XII.	Florentiæ virginis.	IX lect.
		Silvestri pape et martyris.	IX lect.
ix. d	VI.		
e	X.	Consortie virginis cum XI millium martyrum.	IX lect.
xvii. f	IX.	Vigilia.	
vi. g	VIII.	Nativitas sancti Johannis Baptiste.	VI capp.
A	VII.	Translatio sancti Eligii episcopi et confessoris.	IX lect.
xiv. b	VI.	Johannis et Pauli martyrum.	IX lect.
iii. c	V.		
d	IIII.	Leonis episcopi et confessoris.	IX lect.
		Vigilia.	
xi. e	III.	Apostolorum Petri et Pauli.	VI capp.
f	II.	Commemoratio sancti Pauli.	VI capp.

JULIUS.

	Aureus numerus.	KAL.	Habet dies xxxi, luna xxx. Nox habet horas ix, dies vero xv.	
	xix. g	Julii.	Octava sancti Johannis Baptiste.	VI capp.
	viii. A	VI.	Processi et Martiniani martyrum.	IX lect.
A			Visitatio sancte Marie.	VI capp.
	b	V.		
	xvi. c	IIII.		
	v. d	III.		
	e	II.	Octava apostolorum Petri et Pauli.	IIII capp.
	xiii. f	Nonas.	Marcialis episcopi.	IX lect.
	ii. g	VIII.		
	A	VII.	Octava Visitationis virginis Marie.	IIII capp.
	x. b	VI.	Septem fratrum martyrum.	IX lect.
	c	V.	Translatio sancti Benedicti.	VI capp.
	xviii. d	IIII.	Sancte Marciane virginis.	IX lect.
	vii. e	III.	Margarite virginis.	IX lect.
	f	II.		
	xv. g	Idus.	Quirici martyris.	IX lect.
	Kal. Augusti.			
B	iiii. A	XVII.	Sancti Alexii confessoris.	IX lect.
			Triumphus Crucis.	VI capp.
	b	XVI.	Juste et Rufine virginum et martyrum.	IX lect.
	xii. c	XV.	Marine virginis et martyris.	IX lect.
	i. d	XIIII.		
	e	XIII.	Margarite virginis et martyris.	IX lect.
	ix. f	XII.	Praxedis virginis.	VI capp.
	g	XI.	*Marie Magdalene.*	VI capp.
	xvii. A	X.	Apolinaris episcopi et martyris.	IX lect.
	v. b	IX.	Christine virginis et martyris.	IX lect.
			Vigilia.	
	c	VIII.	*Jacobi apostoli.*	VI capp.
C			Christofori et Cucufati et comitum ejus martyrum.	IX lect.
	xiiii. d	VII.	Anne matris Marie.	VI capp.
	iii. e	VI.	Septem dormientium.	IX lect.
	f	V.	Nazarii, Celsi et Pantaleonis, martyrum.	IX lect.
	xi. g	IIII.	Felicis episcopi.	IX lect.
			Simplicii, Faustini et Beatricis, martyrum.	IX lect.
			Marthe virginis	VI capp.
	xix. A	III.	Abdon et Sennen martyrum.	IX lect.
	b	II.	Germani episcopi et confessoris.	IX lect.

AUGUSTUS.

	Aureus numerus.	KAL.	Habet dies xxx, luna xxix. Nox habet horas x, dies vero xiii.	
	viii. c	Augusti.	Vincula Petri.	VI capp.
D			Machabeorum martyrum.	IX lect.
	xvi. d	IIII.	Stephani pape et martyris.	IX lect.
	v. e	III.	Inventio sancti Stephani martyris.	IX lect.
	f	II.	Petri episcopi Exomensis.	IIII capp.
	xiii. g	Nonas.	Dominici confessoris de ordine Predicat.	VI capp.
			Sancte Marie de Nivibus.	VI capp.
	ii. A	VIII.	Transfiguratio Domini.	VI capp.
			Justi et Pastoris. Sixti pape, Felicissimi et Agapiti martyrum.	IX lect.
	b	VII.	Donati episcopi martyris.	IX lect.
			Mammetis martyris.	IX lect.

x. e VI. Ciriaci Largi sociorumque ejus. ix lect.
d V. Vigilia.
xviii. e IIII. *Sancti Laurentii martyris.* vi capp.
vii. f III. Tiburtii martyris. ix lect.
g II. Clare virginis de ordine Minorum. vi capp.
xv. A Idus. Ipoliti sociorumque ejus. ix lect.
Kal. Septembris. Eusebii presbyteri et
iiii. b XIX. confessoris. ix lect.
Vigilia.
c XVIII. *Assumptio sancte Marie.* vi capp.
xii. d XVII.
i. e XVI. Octava sancti Laurentii. ix lect.
f XV. Agapiti martyris. ix lect.
ix. g XIIII.
A XIII. Bernardi abbatis. vi capp.

B

xii. b XII.
vi. c XI. Octava sancte Marie. vi capp.
Timothei et Simphoriani martyrum. ix lect.
d X. Vigilia.
xiii. e IX. *Bartholomei apostoli.* vi capp.
ii. f VIII. Genesii martyris. ix lect.
g VII. Gerontii episcopi et confessoris. ix lect.
xi. A VI. Rufi martyris. ix lect.
Victoris episcopi ix lect.
xix. b V. Augustini episcopi et confessoris. vi capp.
c IIII. Decollatio Johannis Baptiste. vi capp.
Sabine virginis. ix lect.
viii. d III. Felicis et Adaucti martyrum. ix lect.
e II.

C

SEPTEMBER.

Aureus numerus KAL. Habet dies xxx, luna xxix. Nox habet horas xii, dies vero xii.
xvi. f Sept. Egidis abbatis et confessoris ii capp.
Venceutii et Leti martyrum. ix lect.
v. g IIII. Antonini martyris. vi capp.
A III.
xiii. b II. Marcelli martyris. ix lect.
ii. c Nonas. Obdulie virginis. vi capp.
d VIII.
x. e VII.
f VI. *Nativitas beate Marie virginis.* vi capp.
xviii. g V. Gregorii martyris. ix lect.
vii. A IIII.
b III. Proti et Jacinthi martyrum. ix lect.

D

xv. c II.
iiii. d Idus.
Kal. Octobris. Exaltatio sancte crucis. vi capp.
e XVIII.
Cornelii et Cipriani. ix lect.
xii. f XVII. Octava sancte Marie. iiii capp.
Nicomedis martyris. ix lect.
Sancti Vincentii. ix lect.
i. g XVI. Eufemie virginis et martyris. ix lect.
A XV. Lamberti episcopi et martyris. ix. lect.
ix. b XIIII.
c XIV.
xvii. d XII. Vigilia.
vi. e XI. Matthei apost. vi capp.
f X. Mauritii et sociorum ejus. ii capp.
xiiii. g IX. Clete virginis. ix lect.
iii. A VIII.

b VII.
xi. c VI. Fortunati episcopi et confessoris. ix lect.
xix. d V. Cosme et Damiani martyrum. ix lect.
e IIII. Fausti et Januarii et Martialis martyrum. ix lect.
viii. f III. Michaelis archangeli. vi capp.
g II. Hieronymi presbyteri et confessoris. vi capp.

OCTOBER.

Aureus numerus KAL. Habet dies xxxi, luna xxx. Nox habet horas xii, dies vero xi.
xvi. A Octob. Verissimi Maximi et ejus sociorum martyrum. ix lect.
v. b VI. Leodegarii episcopi et martyris. ix lect.
xiii. c V.
ii. d IIII. Francisci confessoris. vi capp.
e III.
x. f II.
g Nonas. Martii episc. et confessoris. ix lect.
Sergii et Bachi martyrum. ix lect.
Marcelli martyris. ix lect.
xviii. A VII.
vii. b VI. Dionysii sociorumque ejus martyrum. ii capp.
c VI.
xv. d V.
iiii. e IIII.
f III. Geraldi confessoris. ix lect.
xii. g II. Calixti pape et matyris. ix lect.
i. A Idus. Unirani episcopi. ix lect.
Kal. Novemb.
b XVII. Sancti Michaelis. ix lect.
ix. c XVI. Victoris martyris. ix lect.
Lupi episcopi et confessoris. ix lect.
d XV. Luce evangeliste. vi capp.
xvii. e XIIII.
vi. f XIII. Irene virginis et martyris. ix lect.
Caprasii martyris. ix lect.
g XII. Ursule et xi millium virginum. ii capp.
xiiii. A XI.
iii. b X. Servandi et Germani martyrum. ix lect.
c IX. Fructi confessoris. ix lect.
xi. d VIII. Crispini et Crispiniani martyrum. ix lect.
xix. e VII. Vedasti et Amandi episcoporum. ix lect.
f VI. Vincentii et Sabine et Cristete martyrum. vi capp.
Vigilia.
viii. g V. Apostolorum Simonis et Jude. vi capp.
A IIII. Eustachii sociorumque ejus martyrum. ix lect.
xvi. b III. Bellum de Benomarin. vi capp.
Claudi et sociorum ejus. ix lect.
v. c II. Quintini martyris. ix lect.
Vigilia.

NOVEMBER.

Aureus numerus KAL. Habet dies xxx, luna xxix. Nox habet horas xiv, dies vero x.
d Novem. *Festivitas omnium sanctorum.* vi capp.
xiii. e IIII. Commemoratio omnium fidelium defunctorum.
ii. f III.
g II.
x. A Nonas
b VIII.
xviii. c VII.

VII.	d	VI.	Octava omnium Sanctorum.	IIII *capp.*
			Quatuor Coronatorum martyrum.	IX *lect.*
	e	V.	Theodori martyris.	IX *lect.*
XV.	f	IIII.	Menne martyris.	IX *lect.*
IV.	g	III.	Martini episcopi et confessoris.	VI *capp.*
	A	II.	Emiliani abbatis.	IX *lect.*
XII.	b	Idus.	Britii episcopi et confessoris.	IX *lect.*
Kal.	Decembr.		Clementini et Theodoreni martyrum.	IX *lect.*
I.	c	XVIII.		
	d	XVII.	*Eugenii archiepiscopi Toletani martyris.*	VI *capp.*
IX.	e	XVI.	Sancti Sperati vel comitum ejus martyrum.	IX *lect.*
	f	XV.	Aciseli et Victorie Martyrum.	IX *lect.*
XVII.	g	XIIII.	Octava sancti Martini.	IIII *capp.*
			Romani monachi martyris.	IIII *capp.*
VI.	A	XIII.	Elisabeth de Ungaria.	VI *capp.*
	b	XII.	Odonis abbatis.	IX *lect.*
XIIII.	c	XI.	Presentationis virginis Marie.	VI *capp.*
III.	d	X.	Cecilie virginis et martyris.	VI *capp.*
			Octava sancti Eugenii.	IIII *capp.*
	e	IX.	Clementis pape et martyris.	VI *capp.*
XI.	f	VIII.	Crisogoni martyris.	IX *lect.*
XIX.	g	VII.	Catharine virginis et martyris.	VI *capp.*
	A	VI.		
VIII.	b	V.	Vitalis et Agricole. Facundi et Primitive Martyrum.	IX *lect.*
	c	IV.		
XVI.	d	III.	Saturnini martyris.	VI *capp.*
			Vigilia.	
V.	e	II.	Sancti Andree apostoli.	VI *capp.*

DECEMBER.

Aureus numerus. KAL. Habet dies XXXI, luna XXX. Nox habet horas XV, dies vero IX.

XIII.	f	DECEMB.	Sancti Eligii Episcopi et confessoris.	IX *lect.*
II.	g	IIII.	Sancte Anastasie virginis.	IX *lect.*
	A	III.		
X.	b	II.	Barbare virginis et martyris	VI *capp.*
	c	Nonas.		
XVIII.	d	VIII.	*Nicolai episcopi et confessoris.*	VI *capp.*
VII.	e	VII.	Octava sancti Andree.	IIII *capp.*
	f	VI.	Conceptio virginis Marie.	VI *capp.*
XV.	g	V.	Leocadie virginis.	VI *capp.*
IIII.	A	IIII.	*Eulalie virginis et Martyris.*	IX *lect.*
	b	III.	Damasi pape.	IX *lect.*
XII	c	II.	Eugenie virginis.	IX *lect.*
I.	d	Idus.	Lucie virginis et martyris.	VI *capp.*
Kal.	Januarii.			
	e	XIX.		
IX.	f	XVIII.	Octava conceptionis sancte Marie.	IIII *capp.*
	g	XVII.	Octava sancte Leocadie.	IIII *capp.*
XVII.	A	XVI.		
VI.	b	XV.	*Annunciatio sancte Marie de la O.*	VI *capp.*
	c	XIIII.		
XIIII.	d	XIII.	Vigilia.	
III.	e	XII.	*Thomæ apostoli.*	VI *capp.*
XI.	f	XI.		
	g	X.		
XIX.	A	IX.	Vigilia.	
	b	VIII.	*Nativitas Domini nostri Jesu Christi.*	IIII *capp.*
VIII.	c	VII.	*Stephani martyris.*	VI *capp.*
	d	VI.	*Johannis apostoli et evangeliste.*	VI *capp.*
XVI.	e	V.	Sanctorum Innocentium.	VI *capp.*
V.	f	IIII.	Thome archiepiscopi et martyris.	IIII *capp.*
	g	III.	Translatio sancti Jacobi apostoli.	VI *capp.*
XIII.	A	II.	Silvestri pape et confessoris.	IIII *capp.*
			Columbe virginis.	IX *lect.*

BENEDICTIO AQUE.[a]

[XCIII] ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit celum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in seculum.

[a] *Benedictio aque.* Consuetudinem benedicendi et sanctificandi aquam apud fideles vetustissimam esse ii soli ignorant qui nesciunt Ecclesias, tam Orientis, quam Occidentis, aquam baptismatis ab initio consecrasse. Sed præter aquam regenerationis (quam fideles in ædibus, in vineis, in agris spargere solebant) et aquam, quam in consecratione ecclesiarum benedicebant, cujus meminere Vigilius (*Epist. ad Profuturum*, *n.* 2) et Gregorius Magnus (*Epist.* 71, *lib.* IX), mos consecrandi aquam ad malos dæmones averruncandos, ad eorum vires cohibendas, ad præstigia dissipanda, ad morbos pellendos, et ad ea omnia amovenda quæ fidelium incolumitati oberant, aut quieti, jam inde a sæculo IV, et fortasse antea, in Ecclesia obtinuit. Hanc aquam aut *benedictam*, aut *sanctam*, aut *exorcizatam*, aut *aspersionis* appellabant, et apud Gotho Hispanos et Gallos *salis sparsum*, *et salis sparsio* dicta est, eamque recentiores grammatici, vocabulo Latino potius quam ecclesiastico, *lustralem aquam* dixere. Cyprianus, in Vita sancti Cæsarii Arelatensis (*Mab.*, *sæc.* I *Bened.*, *p.* 667, *n.* 21), refert sanctum hunc episcopum aspersione aquæ benedictæ ab ædibus Elpidii diaconi malum dæmonem fugasse. Et sanctus Braulio Cæsaraugustanus archiepiscopus, in Vita sancti Æmiliani Cuculati (*Mab.*, *ibid.*, *p.* 211, *n.* 21), scribit Æmilianum, a viro quodam nobili rogatum uti malum dæmonem, qui ædes suas infestas habebat, orationibus expelleret, salem exorcizasse, et aquæ commiscuisse *more ecclesiastico*, eumque aspergendo, dæmone in fugam acto, ædes ab omni immundi spiritus molestia immunes reddidisse. Orientales salem in *aquam aspersionis* non immittunt, at contra Occidentales Ecclesiæ, prisco ritu, *aquæ benedictæ* salem miscent. Hunc morem in Hispania obtinuisse locus Braulionis, in citata Vita sancti Æmiliani, probat: *Salem exorcizat et aquæ commiscet* MORE ECCLESIASTICO. Unde etiam apparet ritum immittendi salem in aspersionis aquam, in Hispania, ævo Braulionis recentem non fuisse, eumdemque Romæ obtinuisse, ex Sacramentario Gelasiano *Em.* (*Thomasii lib.* III, *n.* 75) conjicere licet, nam de sale benedicendo, et

Hic faciat sacerdos signum crucis in ipso sale, et insufflet tribus vicibus: et postmodum dicat hunc sequentem exorcismum:

Exorcismus salis.

[a] Exorcizo te, creatura salis. In nomine Pa ✠ tris et Filii ✠ et Spiri ✠ tus Sancti, qui te per Elizeum in aqua mitti jussit, ut sanarentur [b] aque steriles. Quique divina oris sui voce ait. Vos estis sal terre. Et per Apostolum suum [c] vas electionis: [d] sermo vester sit sale conditus. Ideoque efficere sal exorcizatum: [e] ut sis [f] in remissionem peccatorum et sanitatem mentium. In protectionem animi atque [xciv] corporis: in confirmationem salutis ad expellendas et excludendas omnes demonum tentationes. [g] In nomine Dei Pa ✠ tris omnipotentis ✠ et Jesu Christi Filii ejus ✠ [h] qui in Trinitate unus vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Oratio. [i] Virtutis tue [j] invictam fortitudinem deprecamur Domine sancte, Pater [k] eterne, omnipotens Deus, qui inter omnia [l] necessaria: que per Jesum Christum Dominum [m] meum procreare jussisti. Non minimam gratiam conferre dignatus es sali: ut ex illo possint universa condiri [n] omnibus ad escam: filium tuum Dominum nostrum procrea- A sti. [o] Te supplices exoramus: ut [p] hoc sal digneris [q] aspicere. Quatenus [r] majestatis tue virtute contra omnes spiritus immundos [s] valorem possit accipere: expellat [t] ab omni loco ubi tua fuerit invocatione adspersum: quicquid potest esse pestiferum; ut exhibeat plenum salutis effectum. [u] Deterreat omnes prestigias [v] inimici: et omnia [x] monstruosorum genera longius faciat [y] effugere. Gravedines omnes: fantasiasque [z] compescat, et per [aa] signum Crucis Filii tui Domini nostri tutelam fidelissimam desiderantibus [bb] prestet. ℟. [cc] Amen.

Deinde defert aquam in urceo ad sacrandam: et insufflat ibidem tribus vicibus et dicit exorcismum.

Exorcismus aque.

Oratio. [dd] Discede immunde Spiritus ab omnibus quibus fides nostra usura est [ee] religionis officii sacramentis, nec pretendas culpam criminis: qui agnoscis potentiam Salvatoris. [ff] Non ex meriti confidentia: sed [gg] precepto. Licet ipsa potestas [xcv] B ministerii dignitas sit ministri. Te igitur [hh] communem Dominum aque [ii] creature convenio: ut [jj] conservante motus sensibilitatis intelligens subjici servicio: [kk] quod placere Deo [ll] utimur non recuses. Omnem a te communionem demonum: omne collegium ini-

in aquam immittendo, expressa ibi fit mentio. Ex eodem pariter (*Ibid.*) habemus, non tantum salem, sed vinum quoque et oleum sanctificatum in aspersionis aquam nonnunquam immissa fuisse. Rubrica enim Gelasiana monet: *Hic mittis vinum in ipsam aquam*; et deinde: *Post hæc mittis de oleo sanctificato in aquam; et sic aspergis eam cum hyssopo per domus.* Hispani et Galli benedictionem aquæ aspersionis, ab exorcismo salis inchoabant, uti ex hoc loco Missalis nostri, ex Braulione, in Vita sancti Æmiliani, et ex Bobiensi Sacramentario (*P.* 336) apparet. In quo titulus *exorcismum ad salis sparsum faciendum*, cui primum subjicitur exorcismus, et benedictio salis, tum exorcismus, et benedictio aquæ, ac demum benedictio salis et aquæ, postea quam C fuerunt commista. Quem ordinem Missale Ximenii retinuit. At ritu Romano primum aqua, atque deinde sal benedicitur. Demum Mozarabes, in concilio Compostellano, anno 1031 (*cap.* 3), decreverunt ut presbyteri *omnibus diebus Dominicis* SALIS SPARSIONEM *facerent.*

[a] *Exorcizo.* Forma eadem exorcizandi salem exstat in Sacramentario Bobiensi, qua Galli utebantur.

[b] *Aque steriles.* Bobiense, *ut sanaretur sterilis.*

[c] *Vas electionis.* Bobiensi deficit.

[d] *Sermo vester.* Bobiensi, *noster.*

[e] *Ut sis.* Forte legendum cum Bobiensi: *Ut ubicunque fueris aspersus, sis,* etc.

[f] *In remissionem peccatorum.* In Bobiensi ista deficiunt, et reliqua paulo aliter quam in nostro Missali leguntur.

[g] *In nomine.* Hæc formula concludendi exorcis- D mum plane Gotho-Hispana est. Sacramentarium Bobiense aliter, sic: *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare sæculum per ignem.*

[h] *Qui in.* Num forte legendum *qui, de Trinitate unus, cum Spiritu sancto vivit,* etc.? Concilium Toletanum IV, in professione fidei, habet: *Idem Dominus Jesus Christus, unus de sancta Trinitate,* etc.

[i] *Virtutis.* Eadem oratio exstat in Sacramentario Bobiensi, exstat quoque in Pontificali Helinardi archiepiscopi Lugdunensis, in benedictione aquæ, præmissa Ordini dedicationis Ecclesiæ, apud Menardum (*De antiq. Eccl. Rit.*, *tom.* II, *lib.* II, *cap.* 13, *ord.* 9, *col.* 756).

[j] *Invictam.* Ita Pontif. Helinardi, at Bobiense Sacramentarium, *invictissimam.*

[k] *Æterne omnipotens Deus.* Ita Helinardi Pontific. Bobiense vero: *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus.*

[l] *Necessaria.* Ita Pont. Helinardi, at Bobien. Sacram. breviter sic: *Qui inter cuncta quæ procreari jussisti.*

[m] *Meum.* Helin., *Dominum nostrum.*

[n] *Omnibus.* Lege, ut in Pont. Helinardi: *Quæ omnibus ad escam; per eumdem Filium tuum Dominum nostrum procreasti.* Sacr. Bobien.: *Quæ hominibus ad escam per Filium tuum Dominum nostrum, dignatus es largiri.*

[o] *Te supplices.* Pont. Helin.: *Ideoque te supplices,* etc. Sacr. Bobien., *per quem, Domine, supplices exoramus,* etc.

[p] *Hoc sal.* Ita Helin. et Bobien.

[q] *Aspicere.* Ita Helin., at Bobien., *sanctificare.*

[r] *Majestatis.* Pont., Helin.: *Ex majestatis tuæ virtute.* Sacr. Bobien.: *Ut ex vultu majestatis tuæ virtutem, contra omnes immundos spiritus possit accipere.*

[s] *Valorem.* Ita Helin., at Bobien., *virtutem.*

[t] *Ab omni loco.* Ita Pont. Helin; at Bobien., *a tabernaculis famulorum tuorum.*

[u] *Deterreat.* Ita Helin.; at Bobien., *detergas.*

[v] *Prestigias.* Ita Bobien.; at Helin., *omnia præstigia.*

[x] *Monstruosorum.* Ita Helinard., Bobien., *monstrorum.*

[y] *Effugere.* Ita Bob., Helin., *effugari.*

[z] *Compescat.* In Bobiensi additur: *Et tranquillitatis in omnibus conferat gratiam,* quod in nostro Missali, et in Pontif. Helinardi desideratur.

[aa] *Et per.* Ita Helin. At Bobien., *per,* omisso *et.*

[bb] *Prestet.* Ita Helin., Bob., *præstes.*

[cc] *Amen.* Helin. *Qui tecum*, etc. Bobien. nihil addit.

[dd] *Discede.* Formam hanc exorcizandi aquam e Pontificali Helinardi Martenius, superius citatus (*Col.* 754) exhibuit. At in Sacramentario Bobiensi, loco hujus, habetur consueta forma Gregoriana: *Exorcizo te, creatura aquæ,* etc.

[ee] *Religionis.* Pont. Helin., *Religiosi.*

[ff] *Non ex.* Helin. recte habet *non est.*

[gg] *Precepto.* Lege, ut in Pontificali Helinard., *sed præcepti.*

[hh] *Communem.* Lege, ut in Pont. Helinard., *per communem Dominum,* etc.

[ii] *Creature.* Lege *creatura,* ut in Helin.

[jj] *Conservante.* Pont. Helinardi, *ut, conservato motu sensibilitatis, intelligens subjici servitio, quo placere Deo nitimur, non recuses.*

[kk] *Quod.* Helin., *quo.*

[ll] *Utimur.* Helin., *nitimur.*

quitatis expurges. Totam fantasmatis labem : capax dominice protectionis extermines : ut gratia sanctificationis indepta : tuo nostroque pariter creatori debito famulatu deserviens : omnem spirituum pravorum nequiciam : quocumque loco fueris [a] adsparsa dejicias : et sancte copiam benedictionis [b] inducas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. [c] Amen. Humiliate vos benedictioni. ℣. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Benedictio. [d] Domine sancte Pater omnipotens eterne Deus : institutor et conditor omnium elementorum : qui per Jesum Christum [e] Dominum nostrum elementum hoc aque in salutem humani generis esse voluisti : te supplices deprecamur : ut exauditis orationibus nostris : [f] illud tue pietatis respectu sanctifices : atque ita ab ea omnium spirituum immundorum recedat incursio : ut ubicumque fuerit in nomine tuo adspersa : gratia tue benedictionis adveniat : et mala [g] omnia te propiciante recedant. ℟. Amen. Per misericordiam, etc. Dominus sit semper, etc.

Hec aqua jam sanctificata in cruce salis ponitur et dicitur. Commixtio salis et aque. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti qui regnat Deus in secula seculorum. ℟. [h] Amen.

Post mixtionem salis et aque.

Oratio. [i] Eterne omnipotens Deus : qui nobis a te conditam creaturam aque : [j] ubi distinxisti ut liquorem simplicem ad lavacrum : salsam soliditatem preberes ad condimentum : quatenus et sordida possint ablui : et fatua imbui : quo et noxa tolleretur originalis; et corrigeretur error ad viam salutis. Te officii nostri functione : immeriti deprecamur : ut hec salis et aque in tuo nomine facta permixtio clementie tue sanctificetur obtutu, quodque mysterialiter baptismo [k] ad commodum : [xcvi] culpe traducis inimicum sapientie actum erroris manifestas adversum : Sancti Spiritus tui sanctitate reddas sanctificatum. Nec ullo contagio reddatur immundum : quod tua fieri credimus majestate beatum : sed ita per te plenum prebeat sanctificationis effectum : ut ubicumque invocato nomine tuo fuerit manu emissum vel modo quolibet assumptum : expulsis et explosis omnibus insidiis contrarie partis : non solum cuncta demonum machinamenta ex eodem loco fugata deficiant : [l] sed etiam Sanctorum Angelorum custodia semper ibi mansura consistat. ℟. Amen. Per misericordiam, etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et. Benedictio Dei Patris omnipotentis et Filii, et Spiritus Sancti descendat et maneat super hanc creaturam salis et aque. ℟. [m] Amen.

Antiphona. [n] Sparsit nos Deus hyssopo : et mundabimur : lavabis nos et super nivem dealbabis nos. ℣. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam : et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. *Presb.* Lavabis. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui. *Presb.* Lavabis. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum. ℣. Beati qui habitant in domo tua Domine. ℟. In secula seculorum laudabunt te. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor. ℣. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Oremus.

Oratio. Exaudi nos Domine sancte Pater eterne Deus et mittere dignare sanctum Angelum tuum de celis, qui nos custodiat : foveat : protegat : visitet ; et defendat omnes habitantes vel convenientes in hoc habitaculo Dei. Per Christum Dominum, etc.

[a] *Adsparsa.* Helin., *aspersa.*

[b] *Inducas.* Helin., *infundas.*

[c] ℟. *Amen.* Helinardi Pontificale habet : *per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem.*

[d] *Domine.* Hanc orationem, quæ in Pontificali Helinardi exstat, Martenius (*Col.* 875) edidit, apud quem *Benedictio aquæ* inscribitur. At in Sacramentario Bobiensi, oratio, quæ *Benedictio aquæ* inscribitur, est consueta Gregoriana : *Deus, qui salutem humani generis*, etc. Hæc vero nostra, sed interpolata, et nonnihil mutata, post commistionem salis et aquæ in Bobiensi exhibetur. Non omittendum, solemne illud *Humiliate vos*, et salutationem consuetam populi *Dominus sit semper vobiscum*, quæ in Missali Ximenii leguntur, nec in Pontificali Helinardi, nec in Sacramentario Bobiensi, inveniri.

[e] *Dominum nostrum.* Helin., *Filium tuum.*

[f] *Illud.* Helin., *eam.*

[g] *Omnia.* Helin., *nostra.*

[h] ℟. *Amen.* In Helin., *per Dominum*, etc., subjiciuntur; deinde in Missali nostro solemne illud Gotho-Hispanum *per misericordiam tuam*, etc., et salutatio populi *Dominus sit semper*, etc., quæ in Pontificali Helinardi et etiam Bobiensi Sacramentario desiderantur.

[i] *Eterne.* Hæc oratio in Pontificali Helinardi exstat, et apud Martenium (*Col.* 756) edita est. In Sacramentario Bobiensi, pro hac oratione, ponitur ea qua in Missali Ximenii, post exorcismum, sal benedicitur, sed nonnihil immutata, uti superius monui.

[j] *Ubi distinxisti.* Lege *ita distinxisti*; in Pont. Helinardi *in fide distinxisti.*

[k] *Ad commodum.* Forte *accommodum.* Pont. Helin., *commodum.*

[l] *Sed etiam.* Pont. Helin., *et.*

[m] ℟. *Amen.* Pont. Helin., *per Dominum*, etc., in nostro subsequuntur *per misericordiam*, etc., et salutatio populi, et benedictio salis et aquæ, quæ omnia Pontificali Helinardi desunt.

[n] *Sparsit.* Forte, *asperges.*

MISSALE MIXTUM

SECUNDUM REGULAM B. ISIDORI

DICTUM MOZARABES.

Pars prima.

1 DOMINICA PRIMA [a] ADVENTUS DOMINI.

Ad Missam [b] *Officium.*

[c] Ecce super montes pedes evangelizantis pacem alleluja. Et annunciantis bona alleluja : celebra Juda festivitates tuas alleluja. Et redde Domino vota tua alleluja. ℣. [d] Dominus dabit verbum evangelizantibus in virtute multa. *P.* Et redde. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Et redde.

Dicat Presb. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

In adventu Domini non dicimus : Gloria in excelsis *Dominicis diebus et feriis : sed tantum diebus festivis.*

[e] *Oratio.* Deus qui per angelicos choros adventum filii tui Domini nostri Jesu Christi annunciare voluisti : qui per Angelorum preconia gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bone voluntatis adclamantibus demonstrasti : concede ut in hujus Dominice Resurrectionis Festivitate : pax terris reddita convalescat : et fraterne delectionis charitate innovata permaneat. ℟. Amen.

Dicat Sacerdos. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lectio libri Esaye prophete ([f] *Cap. X, XI*).

℟. Deo gratias.

Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore : et excelsi statura succindentur : et sublimes humiliabuntur : et subvertentur condensa saltus ejus ferro : et Libanus cum excelsis cadet. Et egredietur virga de radice Jesse : et flos de radice ejus ascendet : et requiescet super eum spiritus Domini : spiritus sapientie et intellectus : spiritus A consilii et fortitudinis : spiritus scientie et pietatis : et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit : neque secundum auditum aurium arguet : sed judicabit in justicia pauperes : et arguet in equitate pro mansuetis terre. Et percuciet terram virga oris sui : et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justicia cingulum lumborum ejus : et fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno : et pardus cum hedo accubabit. Vitulus et leo et ovis simul morabuntur : et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur : simul requiescent catuli eorum : et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis : et in caverna reguli : qui ablactatus fuerit : manum suam mittet. Non nocebunt B et non occident in universo monte sancto meo : quia repleta est terra scientia Domini : sicut aque maris operientis. In die illa radix Jesse qui stat in signum populorum : ipsum gentes deprecabuntur : et erit sepulchrum ejus gloriosum. ℟. Amen.

Dicat Presb. in cornu sinistrum Altaris. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Psallendo.* Qui dat nivem sicut lanam : nebulam velut cinerem spargit : qui emittit christallum suam sicut [h] frusta panis. Ante faciem frigoris ejus [i] qui subsistet? [j] ℣. Mittit verbum suum et liquefaciet ea : [k] flat spiritus ejus et fluent aque. *P.* Ante. *Dicat Sacerdos.* Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos (*Cap. XV* [l]).

C *Respon. Chorus.* Deo gratias.

Fratres : Certus sum ego ipse de vobis : quoniam et ipsi pleni estis dilectione : repleti omni scientia : ita ut possitis alterutrum monere. Audatius autem

[a] *Adventus.* Missale et Breviarium Mozarabum sex Dominicas Adventus numerant, quot Ecclesia Mediolanensis retinet.

[b] *Officium.* Antiphona quæ in Missali Romano introitus dicitur, in hoc nostro *officium ad missam* nominatur.

[c] *Ecce super.* Nahum, IV, 15 : *Annuntiantis bonum*, ex Isaia, LII, 7.

[d] *Dominus dabit verbum evangelizantibus*. Ps. LXVII, 12.

[e] *Oratio.* Nulli orationi Missalis Mozarabum præmittitur *Oremus*. Bis, in tota missa, sacerdos dicit *Oremus ;* semel ante *Agios*, et iterum ante capitulum quod orationi Dominicæ præmittitur.

[f] *Cap. X.* A versiculo 33 ad versiculum 11 capitis XI.

[g] *Psallendo.* Psal. CXLVII, 16.

[h] *Frusta panis.* Ita Italica apud Thomas.

[i] *Qui subsistet.* Aliæ omnes, *quis.*

[j] ℣. Ps. CXLVII, 18.

[k] *Flat.* Vulgata et LXX, *flabit*. Arabica, *flat ventus ejus*. Syriaca et Hebræa tempore præsenti enuntiant.

[l] *Cap. XV.* Vers. 14-29.

scripsi vobis fratres ex parte : tanquam in memoriam vos reducens : propter gratiam que data est mihi a Deo : ut sim Minister Christi Jesu in gentibus : sanctificans Evangelium Dei : ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum que per me non efficit Christus : inobedientiam gentium. In verbo : et factis : in virtute signorum et prodigiorum : in virtute Spiritus Sancti : ita ut ab Hierusalem per circuitum usque ad Illiricum repleverim evangelium Christi. Sic autem predicavi hoc evangelium : non ubi nominatus est Christus : ne super alienum fundamentum edificarem : sicut scriptum est. Quibus non ℨ est annunciatum de eo videbunt : et qui non audierunt intelligent. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos : et prohibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus : cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam precedentibus annis : cum in Hispaniam proficisci cepero : spero quod preteriens videam vos : et a vobis deducar illuc : si vobis ex parte primum fruitus fuero. Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia et Achaya collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles : debent et in carnalibus ministrare eis. Hoc igitur cum consummavero et assignavero eis fructum hunc : proficiscar per vos in Hispaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos : in abundantia benedictionis Christi veniam. ℟. Amen.

Dicat Sacerdos. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([a] *Cap. III*).

℟. *Chorus.* Gloria tibi Domine.

[b] Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cesaris : procurante Pontio Pilato Judeam : Tetrarcha autem Galilee Herode : Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Ituree et Traconitidis regionis : et Lisania Abiline Tetrarcha : sub principibus Sacerdotum Anna et Caipha. Factum est verbum Domini super Johannem Zacharie filium in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis : predicans baptismum penitentie in remissionem peccatorum : sicut scriptum est in libro sermonum Esaye prophete. Vox clamantis in deserto : parate viam Domini : rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur : et omnis mons et collis humiliabitur. Et erunt prava in directa : et aspera in vias planas : et videbit omnis caro salutare Dei. Dicebat ergo ad turbas [c] qui exierant ut baptizarentur ab ipso. Genimina viperarum : quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos penitentie : et ne ceperitis dicere : patrem habemus

A Abraam. Dico enim vobis : quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahe. Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum : excidetur et in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbe dicentes. Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis. Qui habet duas tunicas : det non habenti. Et qui habet escas : similiter faciat. Venerunt autem et publicani ut baptizarentur : et dixerunt ad illum. Magister quid faciemus? At ille dixit ad eos. Nihil amplius quam quod constitutum est vobis : faciatis. Interrogabant autem eum et milites dicentes. Quid faciemus et nos? Et ait illis. Neminem concutiatis : neque calumniam faciatis : et contenti estote stipendiis vestris. Existimante autem populo et cogitantibus omnibus in
B cordibus suis de Johanne : ne forte ipse esset Christus. Respondit Johannes dicens omnibus. Ego quidem aqua baptizo vos : veniet autem fortior me post me : cujus non sum dignus solvere corrigiam calciamentorum ejus : ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni. Cujus ventilabrum in manu ejus : et purgabit aream suam : et congregabit triticum in horreum suum : paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem et alia exhortans : evangelizabat populo. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* [d] *Lauda.* Alleluja. ℣. Mitte nobis Domine auxilium de sancto : et de Syon tuere nos alleluja.

C *Interim quod Chorus dicit* alleluja : *offert Sacerdos hostiam cum calice et cum orationibus que sequuntur.*

Acceptabilis sit majestati tue omnipotens eterne Deus hec oblatio : quam tibi offerimus pro reatibus et facinoribus nostris : et pro stabilitate sancte catholice et apostolice fidei cultoribus : per Christum Dominum nostrum. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Dimittendo patenam super corporales. Deinde accipiat calicem sanctificando sic. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti amen.

Oratio. Offerimus tibi Domine calicem ad benedicendum sanguinem Christi filii tui : ℨ deprecamurque clementiam tuam : ut ante conspectum divine majestatis tue : cum odore suavitatis ascendat. Per
D eundem Christum Dominum nostrum amen.

Ponat calicem super aram : et accipiat [e] *filiolam sine sanctificatione et ponat super calicem dicendo sic.*

Oratio. Hanc oblationem quesumus Domine placatus admitte : et omnium offerentium eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge. Per Christum Dominum nostrum amen. *Et dicat junctis manibus inclinando se.*

Oratio. In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur Domine a te : et sic fiat sacrificium no-

[a] *Cap. III.* Vers. 1-18.

[b] Idem Evangelium legitur in Missali Romano Dom. 4 Adventus.

[c] *Qui exierant.* Vulgata et aliæ quas vidi versiones habent *exibant.*

[d] *Lauda.* Ps. XIX, 3. Textus Scripturæ accommodatur ad præsens officium.

[e] *Filiolam.* Hispanis *filiola* dicitur palla qua calix tegitur.

strum : ut a te suscipiamur hodie : ut placeat tibi Domine Deus. Veni Sancte Spiritus sanctificator : sanctifica hoc sacrificium de manibus meis tibi preparatum.

Hic ponat incensum in thuribulo et incenset sacrificium si placuerit : postea inclinet se Sacerdos in medium altaris junctis manibus : et dicat alta voce. Adjuvate me fratres in orationibus vestris et orate pro me ad Deum. *Chorus respondeat.* Adjuvet te Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Et Sacerdos vertat se ad populum ; et faciat offertorium si voluerit. Et dicat Chorus.

Sacrificium. Regnabit Dominus in Hierusalem : et in conspectu seniorum alleluja. ℣. Hec dicit Dominus : erit quasi pater habitantibus Hierusalem : et qui inhabitat in Syon : et dabo clavem domus David super humeros ejus et aperiet : et non est qui claudat Hierusalem alleluja.

Hic accipiat Sacerdos aquam in manibus et dicat silentio super oblationem cum tribus digitis. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti regnas Deus in secula seculorum amen.

Inclinet se ante Altare et dicat in silentio istam orationem.

Accedam ad te in humilitate spiritus mei : loquar te : quia multam spem fortitudinem dedisti me : tu ergo fili David qui revelatus mysterio : ad nos in carnem venisti : clave crucis tue secreta cordis mei adaperi : mittens unum de Seraphim qui candens carbo ille qui de altari tuo sublatus est : sordentia labia mea emundet : mentem et jubilet : docendi materiam subministret : ut lingua que proximorum utilitati per charitatem servit ne erroris insonet casum : sed veritatis resultet sine fine preconium : per te Deus meus : qui vivis et regnas in secula seculorum amen.

[a] *Incipit Missa. Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Oratio. Adventum Domini nostri Jesu Christi fratres dilectissimi votis omnibus prestolantes : Dei patris omnipotentiam imploremus : ut corda nostra purificet : et corpora immaculata conservet. Det abilitatem fidelium mentibus fideliter quærere : quod saluti possit prodesse. Expectemus conscientia secura venturum : quem super omnem principatum et potestates credimus exaltatum. Simus etiam per singula momenta solliciti : ut mereamur habere propicium quem credimus et fatemur ad judicandos nos vivos et mortuos in gloria esse venturum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presb. elevando manus. Oremus. ℟. *Chorus.* Agyos : agyos : agyos. Domine Deus Rex eterne tibi laudes et gratias. *Postea dicat Presbiter.* Ecclesiam sanctam catholicam in orationibus in mente habeamus : ut eam Dominus fide et spe et charitate propicius ampliare dignetur : omnes lapsos captivos infirmos atque peregrinos in mente habeamus : ut eos Dominus propicius redimere : sanare et confortare dignetur. ℟. *Chorus.* Presta eterne omnipotens Deus. *Dicat Chorus* [b] *aliam orationem.*

Purifica Domine Deus Pater omnipotens pectorum archana nostrorum : cunctasque propicius maculas ablue peccatorum : ac presta Domine : ut beneficio pietatis tue nostris criminibus emundati : metuendum : terribilemque adventum Domini nostri Jesu Christi filii tui expectemus interriti. Sicque te miserante : hic percipere mereamur omnium veniam delictorum : ut tuum in futuro judicium nobis sentiamus omnino mitissimum : et dextere tue participes facti : a te mereamur perpetue vite percipere premium : tunmque consequamur invictum infinitum et fortissimum regnum ℟. Amen. *Dicat Presb.* Per misericordiam tuam Deus noster in cujus conspectu sanctorum Apostolorum et Martyrum Confessorum atque Virginum ℟ nomina recitantur. ℟. *Chorus.* Amen. *Dicat Presb.* Offerunt Deo Domino oblationem Sacerdotes nostri : Papa Romensis : et reliqui pro se et pro omni clero ac plebibus ecclesie sibimet consignatis : vel pro universa fraternitate : Item offerunt universi Presbiteri Diachoni : Clerici ac populi circumastantes : in honorem sanctorum pro se et suis. ℟. *Chorus.* Offerunt pro se et pro universa fraternitate.

Dicat Sacerdos. Facientes commemorationem beatissimorum Apostolorum et Martyrum : gloriose Sancte Marie Virginis. Zacharie. Joannis. Infantum. Petri. Pauli. Johannis. Jacobi. Andree. Philippi. Thome. Bartholomei. Matthei. Jacobi. Symonis et Jude. Matthie. Marci et Luce. ℟. *Chorus.* Et omnium Martyrum. *Dicat Sacerdos.* Item pro spiritibus pausantium. Hilarii. Athanasii. Martini. Ambrosii. Augustini. Fulgentii. Leandri. Isidori. David. Juliani. Item Juliani. Petri. Item Petri. Johannis. Servi Dei. Visitani. Viventi. Felici. Cipriani. Vincentii. Gerontii. Zacharie. Cenapoli. Dominici. Justi. Saturnini. Salvati. Item Salvati. Bernardi. Reimundi. Johannis. Celebruni. Gundisalvi. Martini. Roderici. Johannis. Guterii. Sancii. Item Sancii. Dominici. Juliani. Philippi. Stephani. Johannis. Item Johannis. Felicis. ℟. *Chorus.* Et omnium pausantium. *Dicat Presb.*

[c] *Post nomina.* Te quesumus Domine Jesu Christe : ut dilectio adventus tui ita in nobis permaneat : ne a te corda nostra unquam recedant. Sicque nos jam in eternam advocationem ascribe : ut ad futurum non

[a] *Incipit Missa.* Hæc oratio proprio nomine *missa* appellatur, estque prima illarum septem orationum, quas sanctus Isidorus, lib. I de Off. eccl., cap. 14, Etherius et Beatus, adv. Elipandum Archiep. Toletanum in Missa recensent. *Prima oratio*, inquiunt Etherius et Beatus laudati, lib. I, *admonitionis erga populum est, ut omnes excitentur ad orandum Deum.*

[b] *Aliam orationem.* Est hæc secunda illarum septem orationum, de qua iidem : *Secunda invocationis ad Deum est, ut clementer suscipiat preces fidelium, oblationemque eorum.*

[c] *Post nomina.* Hæc oratio *post nomina dicitur*, quia post diptycha recitari consueverat. *Tertia autem*, inquit sanctus Isidorus, *effunditur pro offerentibus, sive pro defunctis fidelibus, ut per id sacrificium veniam consequantur.*

confundamur : cum ad judicandum veneris orbem. A ℟. *Chorus*. Amen.

Dicat Presb. Quia tu es vita vivorum : sanitas infirmorum : ac requies omnium fidelium defunctorum in eterna secula seculorum. ℟. *Chorus*. Amen.

Dicat Presb.

Oratio [a] *ad patrem*. Domine Deus omnipotens : qui pro humani generis redemptione coeternum tibi coequalemque filium angelica annunciatione : per Marie Virginis uterum usque ad nos voluisti transmittere : atque ante ipsius filii tui adventum Johannem dignatus es destinare preconem. Ut per ejus veridicam in deserto heremi predicationem : populus penitens veternorum facinorum acciperet veniam : per novi autem hominis Dei Regnum evangelizantis divine Trinitatis plenam mundus consequi mereretur B ineffabilem gratiam. Dona nobis in hoc tempore adventus unigeniti tui eandem pacis gratiam : quam in preterita largire dignatus es secula : et illis nos in occursu [b] fidei socies numerandos : quos in fidei primordio a Johanne in Jordane penitentie undis aquarum ablutos : a te postremo per filium in Spiritu Sancto et igni cognoscimus baptizatos. *Respondeat Chorus*. Amen. *Dicat Presb*. Quia tu es vera pax nostra et charitas indisrupta vivis tecum et regnas cum Spiritu Sancto unus Deus in secula seculorum. ℟. *Chorus*. Amen.

Dicat Presb. elevatis manibus in celum. Gratia Dei Patris omnipotentis : pax ac dilectio Domini nostri Jesu Christi : et communicatio Spiritus Sancti : sit C semper cum omnibus nobis. ℟. *Chorus*. Et cum hominibus bone voluntatis. *Dicat Presb*. Quomodo astatis pacem facite. ℟. *Chorus*. Pacem meam do vobis : pacem meam commendo vobis : non sicut mundus dat pacem do vobis. ℣. Novum mandatum do vobis ut diligatis invicem. *Reiteretur*. Pacem meam do vobis. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *Reiteretur*. Pacem meam. *Interim quod Chorus dicit*. Pacem meam : *accipiat Sacerdos pacem de patena dicendo sic*. Habete osculum dilectionis et pacis : ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. *Et statim det pacem Diacono vel puero : et puer populo. Postea inclinet se Sacerdos junctis manibus et dicat*. Introibo ad altare Dei mei. *Respondeat Chorus*. Ad Deum qui letificat D juventutem meam. *Presbiter ponat manus super calicem et dicat*. Aures ad Dominum. ℟. *Chorus*. Habemus ad Dominum. *Dicat Presb*. Sursum corda. ℟. *Chorus*. Levemus ad Dominum. *Dicat Presb. inclinando se junctis manibus*. Deo ac Domino nostro Jesu Christo filio Dei qui est in celis dignas laudes dignasque gratias referamus. *Et, dicendo*. Gratias referamus. *Elevet Sacerdos manus in altum*. ℟. *Chorus*. Dignum et justum est. *Postea dicat Presbiter*.

℟ [c] *Inlatio*. Dignum et justum est. Nos tibi gratias agere; Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Quem Johannes fidelis amicus precessit nascendo : precessit in desertis heremi predicando : precessit baptizando. Viam quoque preparans judicii ac redemptoris : convocavit peccatores ad penitentiam : et populum salvatori adquirens baptizavit in Jordane peccata propria confitentes. Non homines innovando plenam conferens gratiam : sed piissimi Salvatoris ammonens expectare presentiam. Non remittens ipse peccata ad se venientibus : sed remissionem peccatorum ad futurum pollicens esse credentibus. Ut descendentibus [d] in aqua penitentie : ab illo spereretur remedium indulgentie : quem venturum audiebant plenum dono veritatis et gratie. Baptizatus igitur ab eo Christus ex elemento visibili et spiritu invisibili. Ducebantur per obedientiam ad misericordiam per filium sterilis : ad filium virginis. Per Johannem hominem magnum : ad Christum hominem Deum. Quem cum Patre, et Spiritu Sancto adorant angeli atque archangeli : throni dominationes : et potestates ita dicentes. ℟. *Chorus*. Sanctus. Sanctus. Sanctus Dominus Deus Sabbaoth : pleni sunt celi et terra gloria majestatis tue : osanna filio David : osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini : osanna in excelsis.

Dicat Presbyter.

Post Sanctus. Vere sanctus et gloriosus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Quem olim credimus incarnatum fuisse pro salute humani generis : et nunc expectamus ad judicium venturum in gloria claritatis cum omnibus sanctis : ipse Dominus ac redemptor eternus. *Deinde dicat Presb. in silentio junctis manibus inclinando se ante altare hanc Orationem*.

[e] Adesto adesto Jesu bone pontifex in medio nostri : sicut fuisti in medio discipulorum tuorum : sancti ✠ fica hanc oblationem : ✠ ut sanctificata ✠ sumamus per manus sancti angeli tui sancte Domine ac redemptor eterne. [f] Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur accepit panem : et gratias agens bene ✠ dixit ac fregit : deditque discipulis suis dicens. Accipite et manducate. [g] Hoc : est : corpus : meum : quod : pro : vobis : tradetur. *Hic*

[a] *Ad patrem*. Cor. *ad pacem*. Error est typograph. Hæc quarta oratio suo nomine *ad pacem* dicitur. *Quarta post hæc*, ait sanctus Isidorus, *infertur pro osculo pacis*. Ea enim absoluta astantes fideles sibi invicem pacem dant.

[b] *Fidei*. Fortasse, *filii*.

[c] *Inlatio*. Quæ *illatio* Mozarabis, Romano Missali *præfatio* dicitur, Gallis olim *contestatio*, aut *missæ immolatio*. Sanctus Isidorus : *Quinta infertur illatio in sanctificatione oblationis, in quam etiam Dei laudem, terrestrium creatura, virtutum cœlestium universitas, et Osanna in Ecclesiis cantatur*. Terminatur illatio solemni *trisagio* Latine et Græce proununtiato et excipitur oratione *post sanctus* dicta.

[d] *In aqua*. Corrige, *aquam*.

[e] *Adesto*. Hic incipit canon, qui est brevissimus.

[f] *Dominus noster*. Hoc certe loco aliquid deest, quod sine manuscriptorum auctoritate supplere non audeo.

[g] Forma ista consecrationis ponitur, ne antiquitas ignoretur, sed hodie servetur Ecclesiæ traditio, quæ est ista : *Hoc : est : enim : corpus : meum. Hic :*


elevatur corpus. Quotiescumque manducaveritis : hoc A facite in meam ✠ commemorationem. Similiter et calicem postquam cenavit dicens. Hic ✠ est : calix : novi : testamenti : in : meo : sanguine : qui : pro : vobis : et : pro : multis : effundetur : in : remissionem : peccatorum. *Hic elevetur calix coopertus cum filiola.* Quotiescumque biberitis hoc facite in meam ✠ commemorationem. *Et cum perventum fuerit ubi dicit.* In meam commemorationem. *Dicat presb. alta voce omnibus diebus preter festivis : pari modo ubi dicit* In claritatem de celis. *Et qualibet vice respondeat Chorus.* Amen. Quotiescumque manducaveritis panem hunc et calicem istum biberitis : mortem Domini annunciabitis donec veniet. In claritatem ✠ de celis. ℟ *Chorus.* Amen.

Dicat Presb. B

ᵃ *Post pridie. Oratio.* Domine Jesu Christe hanc hostiam vivam illustratione adventus sanctifica ut ex ea libantes : mundemur a crimine : et tuam gratiam mereamur percipere sine fine. ℟. Amen. *Postea dicat presb.*

Te prestante sancte Domine : quia tu hec omnia nobis indignis servis tuis : valde bona creas : sancti ✠ ficas : vivificas ✠ benedi ✠ cis ✠ ac prestas nobis : ᵇ ut sit benedicta a te Deo nostro in secula seculorum. ℟. *Chorus.* Amen. *Et tunc Presb. accipiat corpus Domini de patena et ponat super calicem discoopertum : et dicat alta voce omnibus diebus videlicet festivis et Dominicis : preter in locis in quibus erit antiphona propria ad confractionem panis.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat presb.* Fi- C dem quam corde credimus : ore autem dicamus. *Et elevet Sacerdos Corpus Christi ut videatur a populo. Et dicat Chorus simbolum bini ac bini videlicet.*

ᶜ Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem. Factorem celi et terre. Visibilium omnium et invisibilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula Deum ex Deo. Lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero. Natum non factum. Omousion Patri hoc est ejusdem cum Patre substantie. Per quem omnia facta sunt que in celo et que in terra. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de celis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus D est. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus tertia die resurrexit. Ascendit ad celos sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos et mortuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificatorem : et ex Patre et Filio procedentem. Cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum. Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum : et vitam venturi seculi. Amen.



Et deinde faciat Presbyter sic. Frangat Eucharistiam per medium : et ponat mediam partem in Patena : et de alia parte faciat quinque particulas et ponat in Patena : et accipiat aliam partem et faciat quatuor particulas et ponat in Patena similiter per ordinem facte per rotas istas que supra sunt. Et statim purget bene digitos : et cooperto calice fiat memento pro vivis. Postea dicat Presbyter ad orationem Dominicam equaliter istam orationem.

ᵈ *Oremus.* Verbum Patris ᵉ quod cum factum es ut habitares in nobis. Presta nobis ut qui te venisse jam credimus : ab omni peccatorum eruamur contagione : cum preceptionis tue oraculis proclamaverimus e terris.

est; enim : calix : sanguinis : mei : novi : et : eterni : testamenti : mysterium : fidei : qui : pro : vobis : et : pro : multis : effundetur : in : remissionem : peccatorum.

ᵃ *Post pridie.* Sic enim hæc oratio vocatur in Missali nostro, a sancto Isidoro *confirmatio sacramenti*; in liturgiis Gallicanis, aliquando *post mysterium*, aliquando *post secreta* dicitur. *Exhinc sexta succedit*, ait sanctus Isidorus, *confirmatio sacramenti, ut oblatio, quæ Deo offertur, sanctificata per Spiritum sanctum, corpori Christi, et sanguini confirmetur*, ita in Edit., at in Codicibus omnibus mss. teste Hittorpio (in variis lectionibus, pag. 691, adjectis operi de divinis catholicæ Ecclesiæ Officiis) legitur *corporis et sanguinis confirmetur.*

ᵇ *Ut sit.* Lege *ut sint.*

ᶜ *Credimus.* Concilium Toletanum III, *can.* 2, jussit ut ante orationem Dominicam recitaretur Symbolum Constantinopolitanum. Sanctus Isidorus Nicænum appellat, quia ita vulgo vocari solebat.

ᵈ *Oremus.* Post divisam in partes Eucharistiam sacerdos dicit *Oremus*, et subdit capitulum, quod est quasi introductio ad orationem Dominicam, quæ statim adjungitur, et hæc est ultima earum septem orationum quarum sanctus Isidorus in missa facit mentionem, qui addit : *Hæ sunt itaque septem sacrificii orationes commendatæ apostolica evangelicaque doctrina.*

ᵉ *Quod cum factum es.* Lege, *quod caro factum es.*

Pater noster qui es in celis. ℟. Amen. Sanctificetur nomen tuum. ℟. Amen. Adveniat regnum tuum. ℟. Amen. Fiat voluntas tua : sicut in celo et in terra. ℟. Amen. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. ℟. Quia tu Deus es. Et dimitte nobis debita nostra : sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. ℟. Amen. Et ne nos inducas in temptationem. ℟. Sed libera nos a malo. *Dicat Presb.* Liberati a malo : confirmati semper in bono : tibi servire mereamur Deo ac Domino nostro. Pone Domine finem. *Hic percutiat pectus :* peccatis nostris : da gaudium tribulatis : prebe redemptionem captivis : sanitatem infirmis : requiemque defunctis. Concede pacem et securitatem in omnibus diebus nostris : frange audaciam inimicorum nostrorum : et exaudi Deus orationes servorum tuorum omnium fidelium Christianorum in hac die et in omni tempore. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen. *Sic faciat presb. Accipiat modo particulam que dicitur* regnum *de Patena :* [a] *et ponat super calicem : in tempore resurrectionis videlicet dicat tribus vicibus.* Vicit leo de tribu Juda radix David alleluja. ℟. *Chorus qualibet vice.* Qui sedes super Cherubin radix David alleluja. *Et postea dicat istam orationem inter se submissa voce.*

Sancta sanctis et conjunctio corporis Domini nostri Jesu Christi : sit sumentibus et potantibus nobis ad veniam : et defunctis fidelibus prestetur ad requiem. *Et mittat particulam in calicem et cooperiat calicem : et dicat alta voce sic : si non fuerit ibi Diachonus.* Humilitate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. [b] *Benedictio.* Illustret vos unigenitus filius Dei lumine adventus sui : qui vos redimere non dedignatus est precio sanguinis proprii. ℟. Amen. Accingat vos virtutibus pacis : et ditet muneribus copiosis. ℟. Amen. Ipsumque Dominum semper habeatis protectorem : quem omnipotens Pater suscitavit de tribu Juda victorem ℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui est benedictus et vivit ⁊ et omnia regit in secula seculorum. ℟ Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* Gustate et videte quam suavis est Dominus alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. *P.* Alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Redimet Dominus animas servorum suorum : et non derelinquet omnes qui sperant in eum. *P.* Alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen.

A *P.* Alleluja : alleluja . alleluja. *In dicendo.* Gustate et videte. *Accipiat Presbyter aliam particulam sequentem que dicitur* Gloria. *Et ponat super calicem et dicat cum silentio istam orationem.*

Panem celestem de mensa Domini accipiam : et nomen Domini invocabo. *Et dicat sacerdos.* Memento pro mortuis : *tenendo illam particulam super calicem : et dicto* Memento *dicat istas orationes que sequuntur.*

Domine Deus meus : da mihi corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere : ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere : et tuo sancto Spiritu repleri Deus noster : qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

Oratio. Ave in evum sanctissima caro Christi in-
B perpetuum summa dulcedo : panem celestem accipiam et nomen Domini invocabo. *Hic faciat signum cum hostia et sumat particulam quam in manu habet et cooperiat calicem et veniat ad Patenam : et consumat omnes particulas per ordinem. Et deinde accipiat patenam et ponat super calicem et purget bene cum digito pollicis et dicat hanc orationem.*

Ave in evum celestis potus : qui mihi ante omnia et supra omnia dulcis es.

Alia oratio. Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus et animam meam in vitam eternam. Amen. *Hic accipiat sanguinem : et dum Sacerdos sumpserit sanguinem dicat immediate hanc orationem.*

C Domine Deus meus Pater et Filius et Spiritus Sanctus : fac me te semper querere et diligere : et a te per hanc sanctam communionem quam sumpsi nunquam recedere : quia tu es Deus et preter te non est alius in secula seculorum. Amen. *Cantet Chorus comm.* Refecti corpore et sanguine te laudamus Domine. Alleluja : alleluja : alleluja. *Eat Sacerdos ad cornu altaris et dicat hanc orationem.*

Refecti Christi corpore et sanguine pariter : quia sanctificati Deo Patri omnipotenti gratias referamus : ut nos in eandem refectionem et sanctificationem habentes hic : et in futuro seculo gloriam percipiamus. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vo-
D biscum. ℟. Et cum. *Dicat Presb. vel Diachonus.* Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias. *Ista oratio supradicta sit in medium altaris. In ista Missa et in aliis non vertitur Sacerdos ad populum nisi quando dixerit.* Adjuvate me fratres in orationibus vestris.

[a] *Et ponat.* Ad hæc intelligendum notandum quod a Paschate usque ad Pentecosten, et in festo Corporis Christi sacerdos tenens supra calicem particulam *Regnum* ter alta voce, quasi canens, dicit : *Vicit leo de tribu Juda radix David ;* quibus singulis vicibus respondetur : *Qui sedes super cherubim radix David, alleluja.* Aliis autem diebus, accepta particula *Regnum* injicit calici dicens, *Sancta sanctis*, etc., ut in oratione quæ sequitur. ROBLES.

[b] *Benedictio.* Concilium Toletanum IV, *can.* 18, sancivit ut : *Post orationem Dominicam et conjunctionem panis et calicis benedictio in populum sequatur, et tum demum corporis et sanguinis Domini sacramentum sumatur.* Juxta Missale Romanum benedictio datur peracta Missa.

IN SECUNDO DOMINICO DE ADVENTU DOMINI.

Ad Missam. Officium.

[a] Super montem altissimum ascende tu qui evangelizas Syon : exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Hierusalem. Dic civitatibus Juda alleluja : alleluja. ℣. [b] Deus manifeste veniet et Deus noster et non silebit. *P.* Dic civitatibus. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Dic civitatibus. *Dicat Presb.* Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. *Dicat Presb.*

Oratio. Deus qui per angelicos choros : *ut supra in prima Missa. Et dicta oratione dicat Presb.* Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Sicut dictum est in prima Missa. Dicat Chorus.*

Lectio libri Esaye prophete [c] (*Cap. LI*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Audite qui scitis justum : populus meus : lex mea in corde eorum. Nolite timere obprobrium hominum : et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum : sic comedet eos vermis : et sicut lanam : sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit : et justicia mea in generationes generationum. Consurge, consurge : induere fortitudinem brachium 8 Domini : consurge sicut in diebus antiquis : in generationibus seculorum. Numquid non tu percussisti superbum : vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare : aquam abyssi vehementis? Qui posuisti profundum maris viam : ut transirent liberati : Et nunc quid redempti sunt a Domino : revertentur et venient in Syon laudantes : et leticia sempiterna super capita eorum. Gaudium et leticiam obtinebunt : et fugiet dolor et gemitus. Ego ego ipse consolabor vos. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. [d] *Dicat Chorus.* ℟. Excita potentiam tuam Domine. [e] Et veni ad liberandum nos. ℣. Qui regis Israel intende qui deducis velut ovem Joseph [f] appare. *P.* Et veni. *Dicat Presb.* Silentium facite.

Dicat Chorus.

Sequentia epistole Pauli apostoli ad Romanos. (*Cap.* [g] *XIII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Que autem sunt a Deo : ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit : Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt : ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis : sed mali. Vis autem non timere potestatem : bonum fac : et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris : time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est : vindex in iram ei qui malum agit. [h] Ideo enim necessitati subditi estote : non solum propter iram : sed etiam [i] propter constantiam : [j] et tributa prestantes. Ministri enim sunt Dei : in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum : tributum. Cui vectigal : vectigal. Cui timorem : timorem. Cui honorem : honorem. Nemini quicquam debeatis : nisi ut invicem diligatis. ℟. Amen. *Dicat Presbyter vel Diaconus.*

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum (*Cap.* [k] *XI*).

In illo tempore. Cum audisset Johannes in vinculis opera Christi : mittens duos de discipulis suis : ait illi. Tu es qui venturus es : an alium expectamus? Et respondens Jesus ait illis. Euntes renunciate Johanni que audistis et vidistis. Ceci vident : claudi ambulant : leprosi mundantur : surdi audiunt : mortui resurgunt : pauperes evangelizantur. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus : cepit Jesus dicere ad turbas de Johanne : Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum : Ecce qui mollibus vestiuntur : in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis : et plusquam Prophetam. Hic enim est de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam : qui preparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis : non surrexit inter natos mulierum major Johanne Baptista. Qui autem minor est in regno celorum major est illo. A diebus autem Johannis Baptiste usque nunc regnum celorum vim patitur : et violenti rapiunt illud. Omnes enim prophete et lex : usque ad Johannem prophetaverunt. Et si vultis recipere : ipse est Helias qui venturus est. Qui habet aures audiendi audiat. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Dicat Chorus.* [l] *Lauda.* Alleluja. ℣. [m] Deus convertens vivificabis nos : et plebs tua letabitur in te. *P.* Alleluja. *Dicat Presb.* Adjuvate me fra-

præstatis.

[a] *Super montem.* Ex Isaia, XL, 9.

[b] Psal. XLIX, 3.

[c] *Cap. LI.* Vers. 7-12.

[d] *Dicat Chorus.* Adde *psallendo.* Psal. LXXIX, 1.

[e] *Et veni ad liberandum nos.* Vulgata, LXX et Italica : *Et veni, ut salvos nos facias.* Chald. : *Tuum est enim a judicio nos redimere.*

[f] *Appare.* Ita Ital. LXX, *ἐμφάνηθι.* Chal. et Vulg., *manifestare.*

[g] *Cap. XIII.* Vers. 1-8.

[h] *Ideo enim.* Illud *enim* non legitur in Vulgata, neque in Syriac., nec in textu Græco.

[i] *Propter constantiam.* Lege, *propter conscientiam,* ut in Græc., Syriac. et Vulgata, legitur.

[j] *Et tributa prestantes.* Syr. : *propterea etiam pecuniam capitis datis.* Vulgata et Græc., *ideo et tributa*

[k] *Cap. XI.* Vers. 2-16. Hoc Evangelium in Evangelistario Vaticanæ basilicæ, sæc. XII (*Apud Em. Thom., in Capitulario Evangeliorum, signato littera* S), legitur Dominica secunda Adventus, ut modo in Missali Romano sancti Pii V legitur. Olim legebatur Dominica secunda ante Natale Domini, quæ cadit in Dominicam tertiam Adventus, qua die legitur in Missali Toletano, anno 1550, Lugduni, in Gallia, edito. In Mozarabico lectio Evangelii prolixior est quam in cæteris Missalibus.

[l] *Lauda.* ℣. Psal. LXXXIV, 7.

[m] *Deus convertens.* Ital., *Deus tu convertens.* Tr. sancti Hier., *nonne tu revertens?* Vulgata, *Deus tu conversus vivificabis nos.*

tres in orationibus vestris : et orate pro me ad Deum. A *Respondeat Chorus.* Adjuvet te Pater et Filius et Spiritus sanctus. *Dicat Chorus. Sacrificium quod dicitur offertorium.* Venient ad te populi multi alleluja : et reges gentium per portas tuas ingredientur : et vocaberis civitas Domini. Fidelis Syon ultra non eris derelicta alleluja : alleluja. ℣. Hec dicit Dominus dabo in pace principes tuos Syon : et Sacerdotes tuos in exultatione : et letabuntur in salutare muri tui in eternum et in seculum seculi. *P.* Fidelis Syon. *Dum dicitur sacrificium offerat hostiam Sacerdos in calice cum orationibus. Hic incipit Missam dicendo.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Missa. Accedentes ad mensam terribilis omnipotentis Dei : cum summo gaudio Domino Deo nostro illibatas hostias 9 offeramus fratres charissimi : quia B dignatus est filii sui adventum per Johannem Baptistam hominibus nunciare. Sic enim affatur. [a] Venit et fortior me post me : cujus non sum dignus corrigiam calciamenti solvere. Quos ego tingo [b] in aqua baptismi : [c] ipse baptizat in Spiritu Sancto et igni. Quia ipse est filius Dei : quem princeps angelice [d] milicie per uterum Virginis sacre [e] in mundo annunciavit venire. Poscamus ergo Deum Patrem : ut hec que ob solemnitatem adventus Filii sui offerimus holocausta : non discutiens nostra peccata : in suo conspectu efficiat graciosa.

℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis etc. *ut supra fol.* 3.

Postea dicat Orationem.

Oratio. Jocundatur Domine et tripudiat terra : C quia Verbum caro factum habitat in sacre Virginis membra. In cujus adventu omnis de captivitate redimitur terra : que detinebatur per transgressionem Ade in obscurata gehenna. Nunc moveatur mare et omnia [f] que in eis sunt : montes exultent et omnia ligna silvarum : quia Deus homo dignatur per uterum Beate Virginis Marie : de celo in mundum venire. Per ipsius igitur adventum te deprecamur omnipotens Deus : ut nostre carnis fragilitatem a vinculis peccatorum absolvas : et presenti familie tue misericordia plenus occurras.

℟. Amen.

Dicat Presbyt. Per misericordiam tuam Deus noster in cujus conspectu. *Ut supra fol.* 4.

Post nomina. Domine Jesu Christe quem venturum esse credimus judicem : qui jam dudum in D primo adventu glorie tue propter nostra scelera humilis venire dignatus es : Petimus : ut dum adventus clementie tue secundus advenerit : nostra nomina abstersa peccato : cum sanctis tuis facias prenotari.

℟. Amen.

Dicat Presb. Quia tu es vita vivorum. *Ut supra col.* 115.

Ad pacem. Jesu virtus infirmitatis nostre : [g] qui sine manibus precidentium lapis verus es abscisus a monte : quo omnis latitudo repleta est terre. Tu corda nostra reple dono pacis et gratie : ut qui incarnationis tue celebramus solennia : per pacis bonum future examinationis liberemur a pena.

℟. Amen.

Dicat Presb. Quia tu es vera pax nostra, etc. Gratia Dei Patris, etc. *Et postea dicat.* Introibo ad Altare Dei mei, etc. *Quere supra fol.* 4.

Inlatio. Dignum et justum est : vere equum et salutare est : Domini nostri Jesu Christi adventum in mirabilibus predicare : quem inter homines nasciturum celestis nuncius nunciavit. Virgo terrena dum salutaretur audivit : Spiritus Sanctus in utero : dum veniret creavit : ut Gabriele pollicente : Maria credente : Dei verbo Spiritu cooperante : sequeretur salutationem Angelicam securitas : promissionem perficeret veritas : ut altissimi obumbrante virtute : [h] didicisset se esse fecunda virginitas. Ecce concipies in utero et paries filium : Angelus predicavit : et quomodo fiet istud Maria respondit. Sed quia hec credendo non dubitando respondit : implevit Spiritus Sanctus quod Angelus spopondit. Virgo ante conceptum : Virgo semper futura post partum. [i] Deum suum prius mente : dehinc ventre concepit : salutem mundi prima suscepit. Virgo plena gratia Dei : et ideo vera mater Filii Dei : quem adorant Angeli. Throni. Dominationes. Et Potestates ita dicentes.

Dicat Chorus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Dicat Presb.

Post Sanctus. Vere Sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus. Qui cum in forma Dei esset : semetipsum exinanivit : formam accipiens servi : cum incarnatus in utero Virginis abscondens Divinitatem suam : suscepit infirmitatem nostram : ipse Dominus ac Redemptor eternus.

Postea dicat. Adesto adesto Jesu bone. *Ut supra fol.* 5.

Deinde dicat

Post pridie. Deus qui sic dilexisti mundum : ut Filium tuum unigenitum dares pro mundo. Tu hec libamina tibi benedicenda assume : et nobis tue benedictionis dona largire. Ut qui ob mysterium Incarnationis tue hec tibi sacrificia veneranda litamus : horum sacrificiorum propiciationibus : ab omnibus criminibus expiemur. ℟. Amen.

Dicat Presb. Te prestante Sancte Dñe. *Ut supra fol.* 5. Dñus sit semper vobiscum. ℟. Et 10 cum spiritu. *Sicut dictum est retro et omnia alia.*

Ad Orationem Dominicam. Confortamini manus

[a] *Venit et fortior me.* Illud *et* abundat.
[b] *In aqua Baptismi.* Adde *pœnitentiæ.*
[c] *Ipse baptizat.* Fortasse legendum *baptizabit.*
[d] *Milicie.* Corrige *militiæ.*
[e] *In mundo.* Lege *in mundum.*
[f] *Que in eis sunt.* Lege *quæ in eo sunt.*

[g] *Qui sine manibus.* Daniel. II, 35.
[h] *Didicisset.* Lege, *disceret se esse fecunda Virginitas.*
[i] *Deum suum.* Sanctus Leo serm. 20, qui primus est de Nativitate Domini, edit. Quesn.

A fatigate : roboramini pusillanimes. Hilarescite : nolite timere. Extollite ad Deum manus vestras : et excitate corda. Quia ecce jam in proximo est redemptio nostra. Cujus incarnatio nos redemit : cujus processio nativitatis illuminabit : cujusque etiam preceptum nos docuit orare semper et dicere. Pater noster qui es in celis. *Totum sicut scriptum est retro fol.* vi.

Dicat Presb. Sancta Sanctis : et conjunctio corporis. *Dicat Presb.* Humiliate vos benedictioni.

Benedictio. Unigenitus Filius Dei qui incarnatus in mundo oculos illuminavit cecorum : ipse spiritualem in cordibus nostris impertiat intellectum. ℟. Amen.

Quique natus de Virgine adimplevit legem : impleat in nobis omne promissum gratie sue. ℟. Amen.

B Ut ejus sine confusione mereamini contueri faciem : cujus Incarnationis solennitatem celebratis amanter. ℟. Amen

Dicat Presb. Per misericordiam ipsius Dei nostri. *Ut supra. Dicat Chorus.* Gustate et videte. *Et omnia alia que sequuntur ut in primo Dominico de adventu fol.* 6.

Oratio. Refecti Christi corpore. *Et dicat Presb.* In nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum in pace. ℟. Deo gratias.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS DOMINI.

Ad Missam. [a] *Officium.*

Ecce revelabitur gloria Domini [b] gentibus alleluja. Et videbit omnis caro alleluja. Quod os Domini locutum est alleluja alleluja. [c] ℣. Deus manifeste C veniet : Deus noster et non silebit. *P.* Quod os. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Quod os.

Oratio. Deus qui per angelicos. *Ut supra in prima Missa.*

Lectio libri Esaye Prophete ([d] *Cap. LI*).

Hec dicit Dominus. Audite me qui sequimini quod justum est : et queritis Dominum. Attendite ad petram : unde excisi estis : et ad cavernam laci de qua precisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum : et ad Sarram que peperit vos : quia unum vocavi eum : et benedixi eum : et multiplicavi eum. Consolabitur ergo Dominus Syon : consolabitur omnes ruinas ejus. Et ponet desertum ejus quasi delicias : et solitudinem ejus quasi ortum Domini. Gaudium D et leticia invenietur in eo : gratiarum actio : et vox laudis. Attendite ad me popule meus . et tribus mea me audite. Quia lex a me exiet : et judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est justus meus : egressus est Salvator meus : et brachia mea populos judicabunt. Me insule expectabunt : et brachium meum sustinebunt. Levate in celum oculos vestros ; et videte sub terra deorsum. Quia celi sicut fumus liquescent : et terra sicut vestimentum atteretur : et habitatores ejus sicut hec interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit : et justicia mea non deficiet. ℟. Amen.

[e] *Psallendo.* Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis. ℣. Deus tu conversus vivificabis nos : et plebs tua letabitur in te. *P.* Et salutare.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos ([f] *Cap. XI*).

℟. Deo gratias.

Fratres nolo vos ignorare mysterium hoc : ut non sitis vobis ipsis sapientes : quia cecitas ex parte contigit in Israel : donec plenitudo gentium intraret : et sic omnis Israel salvus fieret. Sicut scriptum est. Veniet ex Syon qui eripiat et avertat impietatem ab Jacob : et hoc illis a me testamentum : cum abstulero peccata eorum. Secundum evangelium quidem inimici propter vos : secundum electionem autem charissimi propter patres. Sine penitentia enim sunt dona et vocatio Dei. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo : nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem : ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam : ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia incredulitate : ut omnibus misereatur. O altitudo divitiarum sapientie et sciencie Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus : et investigabiles vie ejus. Quis enim cognovit sensum Domini : aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illis : et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso : et per ipsum : et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria [g] in secula seculorum.

℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mattheum ([h] *Cap. XXI*).

Illo in tempore. Dominus noster ✠ Jesus Christus cum venisset Betphage ad montem Oliveti : mi-

[a] *Officium.* Isaiæ xl, 5.

[b] *Gentibus.* In Vulgata, LXX, Syr. et Chaldaica, non legitur.

[c] ℣. Psal. xlix, 3

[d] *Cap. LI.* Vers. 1-6.

[e] *Psallendo.* Ps. lxxxiv, 8. Vide quæ ad laudam notata sunt *pag.* 2.

[f] *Cap. XI.* Vers. 25-36. Hæc eadem epistola legitur Dominica tertia Adventus in hodierno Missali Ambrosiano.

[g] *In secula seculorum.* Ita Syriaca ; illud *sæculorum* nec in textu Græco, nec in Vulgata versione apponitur.

[h] *Cap. XXI.* Vers. 1-17. Dominica tertia Adventus ritu Mozarabico et Ambrosiano cadit in Dominicam quartam ante Natale Domini, sive in Dominicam primam Adventus, qua Romæ et in aliis Ecclesiis olim legebatur Evangelium Matthæi cap. xxi, de ingressu solemni Christi Domini in urbem Hierosolymitanam, obviam eunte populo cum ramis palmarum, et festivo clamore *Hosanna Filio David*, ut habent tam Kalendarium Frontonis, et Capitulare Evangeliorum em. Thomasii, quibus quatuor Dominicæ ante Natale Domini, quot habet Sacramentarium Gregorianum, numerantur, quam Homiliarium Augiense, apud Mabillonium, tom. IV Anal. veter., pag. 631 ; Kalendarium apud Martenium, tom. V Anecdotor. novor., pag. 63, et liber Comitis Damelii, a quibus quinque recensentur Dominicæ ante Natale Domini. Hodiernum Missale Ambrosianum Dominica sequenti, quarta illis Adventus, habet Evangelium de ingressu Christi Hierosolymam. Micrologus,

sit duos discipulos dicens eis. Ite in castellum quod contra vos est : et statim invenietis asinam alligatam : et pullum cum ea; solvite et adducite mihi. Et siquis vobis aliquid dixerit : dicite quia Dominus his opus habet. Et confestim dimittet eos. [a] Hoc autem factum est : ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem. Dicite filie Syon : ecce Rex tuus venit tibi mansuetus : sedens super asinam et pullum filium subjugalis. Euntes autem discipuli : fecerunt sicut præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam et pullum : et imposuerunt super eos vestimenta sua : et eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via. Alii autem cedebant ramos de arboribus : et sternebant in via. Turbe autem que precedebant, et que sequebantur : clamabant dicentes : Osanna filio David : benedictus qui venit in nomine Domini : osanna in altissimis. Et cum intrasset Hierosolimam : commota est universa civitas dicens. Quis est hic? Populi autem dicebant. Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilee. Et intravit Jesus in templum Dei : [b] et ejecit omnes ementes et vendentes in templo, et mensas nummulariorum : et cathedras vendentium columbas evertit. Et dicit eis. Scriptum est : domus mea : domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum ceci et claudi in templo : et sanavit eos. Videntes autem principes Sacerdotum et Scribe : mirabilia que fecit : et pueros clamantes in templo et dicentes. Osanna filio David : indignati sunt : et dixerunt ei. Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis. Utique. Nunquam legistis : quia ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem. Et relictis illis : abiit foris extra civitatem in Bethaniam : ibique mansit.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. [c] *Dicat Chorus.* Alleluja. ℣. Cantate Domino canticum novum : bene psallite [d] in jubilatione. *P.* Alleluja. *Dicat Presb.* Adjuvate me fratres. *fol.* 8.

Chorus dicat.

Sacrificium. Ingressus est Daniel in domum Domini, et elevavit sacrificium populo in loco sanctificationis ejus dicens. Benedicite Dominum et confitemini ei alleluja. ℣. Confortabit me similitudo filii hominis : et dixit Daniel veritatem annuncio tibi : ego sum Michael princeps magnus, et dixi ad eum : quomodo potest servus Domini loqui cum Domino suo et locutus est dicens. *P.* Benedicite.

Missa. Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Confortentur queso Domine Jesu Christe in adventu tuo corda fidelium : tuoque in nomine genua roborentur debilium : tua visitatione curentur vulnera egrotorum tuoque tactu oculi illuminentur cecorum : tuo regimine vestigia firmentur claudorum : tuaque miseratione vincula absolvantur peccantium : quosque perspicis adventum olim [f] mystice peracte incarnationis tue nunc promptissima devotione suscipere : hos facito in secundum judicii tui adventum ad te exultantibus animis pervenire : atque in amenitate paradisi jocundaturos inducere : ut ab eternis penis tua clementia liberati : viteque eterne participes facti : glorie tue decantent laudis canticum coronati.

℟. Amen.

Alia. Domine Jesu Christe qui olim venisti occultus cum apparueris manifestus : assiste propitius liberaturus populum tuum ab impiorum et a criminum jugo : ut tibi plebs tua serviat in equitate : a quo liberantur ab omni malorum oppressione.

℟. Amen.

Post nomina. Christe Dei filius : cujus incarnatio reparavit mundum : cujusque nomen angelica est voce denunciatum. Tu offerentium nomina illuc ascribe : quo ipse precepisti in corpore. Ut quos hic adventus primi gratia redemisti : in secundi adventus examinatione : nulla exurantur pena supplicii : sicque nunc pro defunctorum fidelium quiete exaudiamur : quo te opitulante eterno cum illis pariter fruamur consortio beatorum.

℟. Amen.

Ad pacem. Domine Deus Omnipotens Christe Rex glorie : qui es pax certa et charitas sempiterna : quesumus nostra archana splendore tue pacis irradia : nostramque conscientiam charitatis tue dulcedine redde purissimam : ut pacifice pacis expectemus 12
auctorem, et in adversis hujus mundi te semper custodem habeamus et protectorem. Quatenus tua custodia septi : ita pacis studia certissime diligamus. Ut cum in gloriam adventus tui equus retributor adveneris : eterno potiamur gaudio exultationis.

℟. *Chorus.* Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere dignum et honorificum est Domine Jesu Christe Deus noster

cap. 3, cum dixisset alios Dominica tertia Adventus legere initium Evangelii sancti Marci, alios *erunt signa in sole*, subdit : *Nos autem ex antiqua traditione* CUM APPROPINQUARET *legimus, non utique sedi apostolicæ si aliter jusserit præjudicantes*, quibus ostendit illud Evangelium jam inde a sæculo XII Romæ legi desiisse in missa hujus Dominicæ; et sane Evangelistarium basilicæ Vaticanæ sæculi XII, ab em. Thomasio Capitulari Evangeliorum annexum, Dominica prima Adventus ponit Evangelium ex sancto Luca, cap. XXV, 7 : *Erunt signa in sole*, et in benedictione palmarum ex sancto Matthæo, cap. XXI : *Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis*, quem morem servat Missale Romanum jussu sancti Pii V editum.

[a] *Hoc autem factum est.* Vulgata et Syriaca : *Hoc autem totum factum est.*

[b] *Et ejecit.* Ita Syriaca, at Vulgata et Græca, *ejiciebat.*

[c] *Dicat Chorus.* Adde *Laudam.* Ps. XXXII, 3.

[d] *In jubilatione.* Ita Italica. *In vociferatione* LXX et Vulgata.

[e] *Sacrificium.* Ex verbis Danielis interpolatis, cap. III, 90; cap. X; 17, 18; cap. XII, 1.

[f] *Mystice.* Fortasse. *mirifice.*

adventum glorie tue : et Incarnationis : et Nativitatis mysterium solenni devotione recolere : nostreque salutis insignia : que tantis sunt prolata virtutibus cum tripudio animi predicare. Sed quis dignas valeat dignationi tue rependere laudes? Cujus opera : nec mirabilia numerare possumus nec virtutes. Quantus tamen ipse vel qualis sis : nullus [a] credo audeat dicere : quoniam quantitatem tui vel qualitatem humane sapientie non est datum scire. Sed cujus immensitatem humani sensus capacitas non valeat terminare : unum solummodo est : [b] ut Trinitate Deitatis atque omnipotentie tue simpliciter credamus : et veraciter predicemus. Tu itaque clementissime Deus vere credulitatis in sensibus nostris incrementum multiplica : et imaginis ac similitudinis tue [c] formam magisque restaura : ut te quem dudum venisse credimus pro remediis captivorum : in secundo adventu tuo te in majestate venturum sustinentes videre mereamur : concessa nobis indulgentia peccatorum : presta unitas equalis et indivisa Trinitas : Deus noster. Quem celorum multitudo et ineffabilis numerus : quem omnium Angelorum milicia cum senioribus et Virtutibus cum Thronis et Dominationibus laudare non cessant. In cujus preconium quadriga illa senarum remigio suffulta alarum intrinsecus et extrinsecus ; minutatim oculis [d] liminata : cum Cherubin hymnum cantici novi concinnunt laudantes atque dicentes.

Dicat Chorus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Dicat Presb.

Post Sanctus. Vere Sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : qui non ex virili semine natus : sed ex Spiritu Sancto a Deo Patre conceptus qui dedit mundo per Incarnationem adventus sui novum fidei lumen : reserans viam que obstrusa fuerat homini primo prothoplausto ipse Dominus ac Redemptor eternus.

Hic dicit Presb. Adesto adesto. *Sicut scriptum est in prima Missa fol.* 5.

Post pridie. Veni Dominè et noli tardare : relaxa facinora plebis tue : conferens omnibus vite premium repromisse. Ut sicut incarnatione tua olim reparati sumus : ita quoque te ad judicium venientem placabilem sentiamus. His quoque te quesumus sacrificiis nostris ita sanctificationem tuam infunde : quo ex his sumpturi nullo decidamus in crimine : sed sanctificati tuum mereamur Domine adventum impavidi sustinere.

℟. Amen.

Te prestante. *fol.* 6.

Ad Orationem Dominicam. Domine Jesu Christe qui pro nobis carnem de Virgine suscepisti : et pre-

A cepta nobis tribuisti orandi : tu que nos te docente exposcimus propiciatus exaudi, ut qui dies istos Incarnatiónis tue cum summa veneratione suscipimus : dono Sancti Spiritus muniamur proclamantes in terris : Pater noster qui es in celis. *Totum sicut dictum est in prima Missa.*

Dicat Presb. Sancta Sanctis.

Postea dicat benedictionem. Deus pacis sanctificet vos ad perfectum : cujus Incarnationis ovando celebratis mysterium. ℟. Amen. Idem quoque vos castificet mente et corpore : qui se voluit nasci de Virgine. ℟. Amen. [e] Ut integer spiritus vester anima et corpus sine querela servetur in adventum ipsius. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui vivit et omnia regit in secula seculorum.

B ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* Gustate et videte. *fol.* 7.

IN QUARTA DOMINICA DE ADVENTU DOMINI.

Ad Missam. Officium.

Ecce super Montes pe. *Require retro in primo Dominico Adventus.*

Oratio. Deus qui per Angelicos Choros.

Lectio Libri Esaye Prophete ([f] *Cap. XXIV*).

℟. Deo gratias.

13 A Finibus terre laudes : audivimus gloriam justi : Et dixi : Secretum meum mihi. Secretum meum mihi. Vhe mihi. Prevaricantes prevaricati sunt : et prevaricatione transgressorum prevaricati sunt. For-

C mido et fovea et laqueus super te : qui habitator es terre. Et erit qui fugerit [g] a facie formidinis : cadet in foveam : et qui se explicaverit de fovea : tenebitur laqueo : quia cataracte de excelsis aperte sunt : et concucientur fundamenta terre. Confractione confringetur terra : contritione conteretur terra : commotione commovebitur terra. Agitatione agitabitur terra sicut ebrius : et auferetur quasi tabernaculum unius noctis. Et gravabit eam iniquitas sua et corruet : et non adjiciet ut resurgat. Et erit in die illa : visitabit Dominus super miliciam celi in excelso : et super reges terre qui sunt super terram. Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum : et claudentur ibi in carcere : et post dies multos visitabitur. Et

D erubescet Luna et confundetur Sol : cum regnaverit Dominus exercituum in monte Syon et in Iherusalem. Et in conspectu seniorum suorum fuerit glorificatus.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum

℟. Et cum.

Dicat Chorus.

[h] *Psallendo.* Exultabunt omnia ligna [i] silve [j] ante

[a] *Credo.* Id est, *reor*, οἴμαι.

[b] *Trinitate.* Forte, *Trinitatem.*

[c] *Formam.* Lege : *Et imaginis, ac similitudinis tuæ formam magis magisque restaura.*

[d] *Liminata.* Lege, *luminata.*

[e] *Ut integer.* Iisdem verbis sanctus Paulus Thessalonicensibus benedictionem impertitus est (*I Thess.* v, 23).

[f] *Cap. XXIV.* Vers. 16-23.

[g] *A facie formidinis.* Chal., *a facie timoris.* Vulgat., *a voce formidinis.* LXX : *Et erit, fugiens timorem cadet in foveam.*

[h] *Psallendo.* Psal. xcv, 13.

[i] *Silvæ.* Chal. : *Omnes arbores silvæ.* Aquila, *nemoris.* LXX, τοῦ δρυμοῦ. Italica et Vulgata, *silvarum.*

[j] *Ante faciem Dei, quia veniet.* Vulgata et LXX : *A facie Domini quia venit.* Chaldaica et Italica : *Ante faciem Domini, quoniam venit.*

faciem Dei quia veniet. [a] ℣. Cantate Domino canticum novum cantate Deo omnis terra. *P*. Quia veniet.

Dicat Presb. Silentium facite.

Chorus respondeat.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios prime ([b] *Cap. XV*).

Chorus Resp. Deo gratias.

Fratres. In Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in ordine suo : primitie Christus. Deinde hi qui sunt Christi : qui in adventum ejus crediderunt. Deinde finis cum tradiderit Regnum Deo et patri : cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Novissime autem inimica destruetur mors. Cum autem dicat omnia subjecta sunt ei : sine dubio preter eum qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia : tunc ipse filius subjectus erit illi qui sibi subjecit omnia : ut sit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt : ut quid et baptizantur pro illis? Ut quid [c] et non periclitamur omni hora? [d] Quotidie morior propter vestram gloriam fratres quam habeo. In Christo Jesu Domino nostro.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu.

Lectio Sancti Evangelii secundum Marcum ([e] *Cap. XII*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Cavete a Scribis : qui volunt in stolis ambulare : et salutari in foro : et in primis cathedris sedere in Sinagogis : et primos discubitus in cenis. Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixe orationis. Hi accipient prolixius judicium. Et sedens Jesus contra gazophilacium : aspiciebat quomodo turba jactaret es in gazophilacium. Et multi divites jactabant multa. Cum venisset autem una vidua pauper : misit duo minuta : quod est quadrans. Et convocans discipulos suos ait illis. Amen dico vobis; quoniam vidua hec pauper : plus omnibus misit : qui miserunt in gazophilacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt. Hec vero [f] de pecunia sua omnia que habuit misit totum victum suum. *Cap. XIII*. Et cum [g] egrederetur de templo : ait illi unus ex discipulis suis. Magister : aspice quales lapides et quales structure. Et respondens Jesus ait illi. Vides has magnas edificationes? Non relinquetur lapis super lapidem : qui non destruatur. Et cum sederet in monte Olivarum : interrogabant eum separatim Petrus et Johannes : et Jacobus et Andreas. Dic nobis quando

A ista fient et quod signum erit quando hec omnia incipient consummari? Et respondens Jesus : cepit dicere illis: Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes quia ego sum : et multos seducent. Cum audieritis autem bella et opiniones bellorum : ne timueritis. **14** Oportet enim hec fieri : sed nondum finis. Exurget gens contra gentem : et regnum super regnum. Et erunt terremotus per loca et fames. Initium dolorum hec. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis et in synagogis vapulabitis : et ante Presides et Reges stabitis propter me in testimonium illis. [h] Et in omnes primum oportet predicari Evangelium. Et cum duxerint vos tradentes : nolite precogitare quid loquamini : sed quod datum vobis fuerit in illa hora : id loquamini.

B Non enim vos estis loquentes : sed Spiritus Sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem : et pater filium et consurgent filii in parentes : et morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem : [i] salvus erit. Cum autem videritis abhominationem desolationis stantem ubi non debet : qui legit intelligat. Tunc qui in Judea sunt fugiant in montes. Et qui super tectum : ne descendat in domum : nec introeat ut tollat quid de domo sua. Et qui in agro erit : non revertetur retro tollere vestimentum suum. Ve autem pregnantibus et nutrientibus in illis diebus. Orate vero : ut hyeme non fiant. Erunt enim dies illi tribulationis tales : quales non fuerunt ab initio creature : quam condidit Deus usque nunc : neque fient. Et nisi breviasset Dominus

C dies : non fuisset salva omnis caro. Sed propter electos quos elegit : breviavit dies. Et tunc si quis vobis dixerit : ecce hic est Christus : ecce illic : ne credideritis. Exurgent enim pseudochristi : et pseudoprophete : et dabunt signa et portenta ad seducendos si potest fieri : etiam electos. Vos ergo videte. Ecce predixi vobis omnia. Sed in illis diebus post tribulationem illam : Sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum. Et stelle celi erunt decidentes : et virtutes que sunt in celis movebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa et gloria. Et tunc mittet angelos suos : et congregabit electos suos a quatuor ventis a summo terre : usque ad summum celi. A ficu autem discite parabolam.

D Cum jam ramus ejus tener fuerit : et nata fuerint folia : cognoscetis quia in proximo sit estas. Sic et vos : cum videritis hec fieri; scitote quod in proximo sit in ostiis. Amen dico vobis : quoniam [j] non transiet generatio hec : donec omnia ista fiant. Celum et terra transibunt : verba autem mea non transibunt. De die autem illa vel hora. Nemo scit : neque Angeli in celo :

[a] ℣. Psal. xcv, 1.

[b] *Cap. XV*. Vers. 22-31.

[c] *Et non*. Corrige *et nos*.

[d] *Quotidie morior propter vestram gloriam*. Vulgata, *per vestram gloriam*. Syriaca : *Juro per vestram gloriam*. Græcus Textus, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν.

[e] *Cap. XII*. Vers. 38, ad capitis xiii, vers. 32.

[f] *De pecunia*. Lege *de penuria sua*, ut omnes aliæ versiones habent.

[g] *Egrederetur*. Incipit hic caput xiii, juxta Vulgatam.

[h] *Et in omnes*. Vulgata et Græca addunt *gentes*. Syr., *in omnibus gentibus*.

[i] *Salvus erit*. Vulg., Syr. et Græca, *hic salvus erit*.

[j] *Non transiet*. Vulgata *non transibit*. Græc., *non præteribit*.

[a] neque filius hominis : nisi pater. Videte : vigilate et orate. Nescitis enim quando tempus sit. [b] Qui habet aures audiendi audiat.

℟. Amen.

Dicat Chorus. [c] *Lauda.* Allelluja.

℣. Qui regis Israel intende qui deducis Joseph velut ovem. *P.* Alleluja.

Dicat Presb. Adjuvate me fratres in orationibus vestris. *ut supra fol.* 8.

Dicat Chorus.

[d] *Sacrificium.* Ecce ostendit mihi Angelus Jesum Sacerdotem magnum stantem ante faciem Domini : et Angelus Domini loquebatur ad eum dicens : tu conservabis populum tuum et custodies eum. Usque in eternum Alleluja Alleluja.

B [e] ℣. Locutus est Angelus Zacharie dicens. Revertar ad Hierusalem in misericordia : et domus mea restaurabitur : et affluent civitates mee bonis : et multiplicabo populum meum et salvabo eum. *P.* Usque in eternum.

Missa. Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu.

Oratio. Adventum Domini et Redemptoris nostri : quem ab antiquis Patribus Patriarchis scilicet et Prophetis : vaticinantibus olim pronunciatum : ac pro salute nostra dudum constat impletum : omni quidem nos tempore condecet charissimi fratres cum gaudio merare : sed precipue in his diebus annua vice recurrentibus : oportet nos votis solemnibus celebrare. Nam quia diem illum celeberrimum in quo pro nobis C est de Virgine natus : jam jamque revoluti anni circulo appropinquare sentimus : dignum est ut adventum ejus qui in eo natus est : mente devotissima recolentes; nunc jam festa solemnia alacres solemniter agamus.

℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam tuam Deus noster etc. *ut supra.*

Alia. Deus qui Unigenitum tuum pro nobis in 15 carne venturum : ac de Virgine nasciturum propheticis vocibus promisisti : et in novissimis temporibus que promiseras adimplesti : presta quesumus : ut qui eum jam venisse mundumque redemisse credimus : fatemur : et predicamus : rursumque venturum ad judicium speramus : ejus præsentiam cum venerit D sine confusione cernamus.

℟. Amen.

Post nomina. Sanctorum tuorum Domine communicantes memorie Patriarcharum, Prophetarumque tuorum non sumus immemores : ipsis enim renunA ciantibus : adventus tuus claruit mundo. Memoramus etiam Apostolos tuos : qui adventum tuum a Prophetis, Patriarchisque predicatum : oculis suis cernere meruerunt. Facimus quoque et tuorum Martyrum mentionem : qui te Dominum redemptionem jam venisse confessi : ad mortem usque sunt certati pro veritate. Fidelium preterea tuorum in hac adhuc peregrinatione degentium nomina recensemus : [f] protestantes : ut eorum vite cursum et perfectionem consummes : quos Sanctos tuos apud te in celesti habitaculo cautos perfectosque jam retines. Non obliviscimur quoque defunctos nature nostre ac fidei socios. Sed precamur te Dominum amplissime pietatis : ut eis refrigeria tribuas sempiterne quietis.

℟. Amen.

Dicat Presb. Quia tu es vita vivorum, etc.

Ad pacem. Christe Domine [g] in cujus adventum pax est reddita terris : pax collata hominibus bone voluntatis : concede quesumus [h] ut per primum adventum ad nos in humanitate veniens : et mundum tibi in pace reconciliare dignatus es : reconciliatos per te in tua pace prestes jugiter permanere : quatenus in secundo adventu tuo dum in majestate et gloria veneris facias heredes pacis eterne : [i] et quos hic tue pacis depositum feceris : inviolabiliter facias custodire.

℟. Amen.

Dicat Presb. Quia tu es vera pax nostra totum cum gratia Dei Patris. *ut supra in prima Missa. Totum cum* Introibo ad Altare Dei mei. *ut supra dictum est fol.* 4.

Inlatio. Dignum et justum est : vere et nobis per omnia expedibile : tuam nos clementiam Omnipotens Pater : quibus possumus semper laudibus predicare : qui bonitate nos [j] ingenuitateque condidisti : ac serpentis antiqui fraude [k] decepti : gratuita miseratione a morte [l] velis eripere : qui filium tuum quem pro nobis in carne missurus eras : ad terras venturum nasciturumque de Virgine longe antea predixisti : ejus nativitatis adventum pretonantibus Sanctis prenunciasti : ut expectatus diu qui fuerat repromissus : magnum mundo faceret gaudium in plenitudine temporum presentatus. Unde petimus et rogamus : ut qui plasma tuum : sicut vere pius : et misericors perire non passus es : sed per humilem adventum filii tui Domini nostri : quod perierat revocasti : quod jam inventum et reparatum : ac revocatum est : sic protegas : sic custodias : sic sanes : sic defendas : sic liberes. Ut in illo adventu terribili quo iterato illos venturus est judicare : a quibus et pro quibus

[a] *Neque filius hominis.* Illud *hominis* in Vulgata, Græca et Syriaca, non legitur.

[b] *Qui habet*, etc. In Vulgata, Græca et Syriaca, hoc loco non apponitur.

[c] *Lauda.* Psal. LXXIX, 1.

[d] *Sacrificium.* Ex Zachariæ III, 1.

[e] ℣. Ex Zachariæ I, 14, 16, 17.

[f] *Protestantes.* Fortasse legendum *precantes, ut eorum vitæ cursum, et perfectionem consummes, iisque adjungas quos sanctos apud te in cœlesti habitaculo cautos perfectosque jam retines.*

[g] *In cujus adventum.* Lege *adventu.*

[h] *Ut per primum adventum.* Lege : *Concede, quæsumus, ut qui per primum adventum ad nos in humanitate veniens, mundum tibi in pace reconciliare,* etc.

[i] *Et quos hic tuæ pacis.* Lege. *Et quos hic tuæ pacis depositarios feceris, eosdem inviolabiliter facias, tuum depositum custodire.*

[j] *Ingenuitateque.* Forte, *ingenita.*

[k] *Decepti.* Lege *deceptos.*

[l] *Velis.* Lege *voluisti.*

est judicatus : tales inveniat quos redemit : ut in eternum possideat quos precio sui sanguinis acquisivit : ut cum ignifluis affectibus redemptorum : tecum et Sancto Spiritu sine fine laudetur parili concentu : cum Angelis et Archangelis laudantibus atque ita dicentibus. *Dicat Chorus.* Sanctus. Sanctus. Sanctus, etc.

Dicat Presbyter.

Post Sanctus. Oratio. Vere sanctus : vere benedictus qui venit in nomine Domini : Rex Israel. qui jam venit humilis : et adhuc venturus est in majestate terribilis. Qui jam venit ut judicaretur in mundo ; et adhuc venturus est ut judicet mundum. Qui jam venit ut redimeret a morte : quos ad vitam predestinavit : et adhuc venturus est : ut remuneret quos redemit : ipse Dominus ac Redemptor eternus.

Deinde dicat Presbyter in silentio. Oratio. Adesto adesto Iesu bone pontifex. *Ut supra fol. 5. Postea dicat orationem.*

Post pridie. Facimus Domine Filii tui Domini nostri Jesu Christi commemorationem : quod veniens ad nos humanam formam assumpsit : quod pro hominibus quos creaverat redimendis **16** passionem Crucis perpessus est. Quod superaturus atque conculcaturus debitam mortem nostram : mortem ultra suscepit ipse indebitam : quod infernum ex parte expoliavit relinquendo impios : et sanctos qui ibidem tenebantur : resurgens secum in celestibus sublevando. Quod rediens ad celum viam nobis patefecit : per quam conscendamus in celum. Quod venturus sit iterum ad judicium vivorum et mortuorum sceleratores et peccatores eterno supplicio damnaturos : suisque fidelibus sua precepta servantibus eternitatis sue gloriam collaturus. Per ipsum te ergo summe Pater exposcimus : ut hanc tue placationis hostiam : quam tibi offerimus ; e manibus nostris placatus accipias : [a] eamque de celis a sede placato vultu respiciens benedicas : ut quotquot ex hujus sumptu libaverimus : salubritatem ac remedium anime et corporis hauriamus. ℟. Amen.

Et dicto memento pro vivis et perfecto simbolo dicat Presbyter orationem Dominicam equaliter.

Summe summe et omnipotens Deus Pater ingenitus : qui unigeniti tui in assumptione carnis : adventum reconciliationis nostre voluisti esse remedium : [b] ut cum eo gratiam reciperemus adoptionis. qui a te ante omnia secula sine initio ineffabiliter genitus : in natura deitatis tibi extat equalis. Ut efficeremur tui adoptivi filii : qui servi ex nostro merito eramus indigni. Dignos quesumus nos effice tante dignitatis solemnitate : ut possimus ad te non immerito proclamare et dicere.

Dicat Presb. Pater Noster. *Totum. Et postea dicat benedictionem.* Humiliate vos. Benedictio.

Benedictio. Adveniat super vos placidus gratie superne respectus : et illustret vos Jesu Christi Domini nostri et Salvatoris adventus. ℟. Amen.

Non recedat a cordibus vestris : qui nasci dignatus est ex utero Virginis matris.

℟. Amen.

Quatenus in vestro maneat pectore placidus : mansionem ibidem cum Patre et Spiritu Sancto perpetim habiturus. ℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. Et Refecti Christi corpore. *Et oratio ut supra in primo Dominico fol. 7.*

IN QUINTO DOMINICO DE ADVENTU DOMINI.

Ad Missam. Officium.

Super montem altissimum. *Require in secundo Dominico de Adventu Domini fol. 7.*

Lectio libri Esaye Prophete ([c] *Cap. XVI*).

℟. Deo gratias.

[d] Emitte agnum dominatorem terre : de petra deserti ad montem filie Syon. Et erit sicut avis fugiens : et pulli de nido advolantes. Sic erunt filie Moab in transgressu Arnon : ini consilium : coge concilium. Pone quasi noctem umbram tuam in meridie. Absconde fugientes et vagos ne prodas : habitabunt apud te profugii mei. Moab esto latibulum eorum : a facie vastatoris. Finitus est enim pulvis : consummatus est miser : defecit qui conculcabat terram. Et preparabitur in misericordia solium : et sedebit super eam in veritate : in tabernaculo David. Judicans et querens judicium; et velociter reddens quod justum est. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Dicat Chorus Lauda. [e] Ut inhabitet gloria in terra nostra : misericordia et veritas occurrerunt sibi : justicia et pax [f] complexerunt se. [g] ℣. Veritas de terra orta est. Et justicia de celo prospexit : etenim Dominus dabit [h] benedictionem : et terra nostra dabit fructum suum. *P.* Justicia.

[a] *Eamque de cœlis a sede.* Legendum fortasse : *Eamque, de cœlesti sede placato vultu respiciens, benedicas.* Cæterum hæc oratio eadem Christi mysteria complectitur quæ in canone missæ Romanæ sacerdos statim post consecrationem calicis commemorat oratione illa quæ incipit *unde et memores, Domine.* Utraque oratio eadem petitione terminatur, ut scilicet : *Deus dignetur oblata vultu placato respicere, et ex iis sumentibus dona cœlest a impertire.*

[b] *Ut cum eo.* Huc refert illud Apostoli ad Galatas, III, 5, et ad Romanos, VIII, 32.

[c] *Cap. XVI.* Vers. 1-6.

[d] *Emitte agnum.* Ita LXX. Vulgata addit *Domine.*

[e] *Psallendo.* Psal. LXXXIV, 10.

[f] *Complexerunt.* Corripius, de laudibus Justiniani :

Portum quam geminæ complexant brachia ripæ;

et alii ejusdem et posterioris ævi scriptores *complexo* pro *complector* dixerunt ; cæterum Italica versio habet *complexa sunt se.* Chald., *conjunctæ sunt.* Vulgata, *osculatæ sunt.*

[g] ℣. Ps. LXXXIV, 12.

[h] *Benedictionem.* Vulg., Ital. et LXX, *benignitatem.* Chald , *beatitudinem.*

A *Dicat Presb.* Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Thessalonicenses ([a] *I. Cap. V*).

℟. Deo gratias.

Fratres : rogamus vos : corripite inquietos. Consolamini pusillanimes : suscipite infirmos. Patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Sed semper quod bonum est sectamini invicem : et in omnes : semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. Hec enim voluntas Dei est in Christo Jesu in omnibus nobis spiritum nolite extinguere : prophetiam nolite spernere. Omnia autem probate : et quod bonum est retinete. Ab omni specie mala abstinete vos. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia : **17** integer spiritus vester : anima et corpus sine querela in B adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam ([b] *Cap. XVII*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus interrogatus a Phariseis : quando venit Regnum Dei? [c] Respondit eis et dixit. [d] Non veniet Regnum Dei cum observatione : nec dicent : ecce hic : aut ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos est. Et ait ad discipulos suos. Venient dies : quando desideretis videre unum diem filii hominis : et non videbitis. Et dicent vobis. Ecce hic et ecce illic. Nolite ire : C neque sectemini. Nam sicut fulgur coruscans de sub celo : in ea que sub celo sunt fulget : ita erit filius hominis in die sua. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Cantet chorus [e] *Lauda.* alleluja Alleluja. ℟. Respice Domine de celo : et vide et visita vineam istam. *P.* Alleluja.

Dicat Presb. Adjuvate me fratres in orationibus vestris. *fol.* 3.

Cantet chorus [f] *Sacrificium.* Aparebit tibi Dominus qui in charitate perpetua dilexit te virgo Israel alleluia. ℣. Dominus Deus tuus adduxit te ad misericordiam et miserationem : adhuc edificaberis et edificabis. *P.* Virgo Israel alleluja. D

Missa. Hilarescite queso dilectissimi fratres : et letabunda sursum attollite corda ; quia jam in proximo est redemptio vestra : parate illi viam in cordibus vestris : ut eo veniente : remuneremini donariis sempiternis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam. *ut supra fol.* 3.

Dicat Presb. Oremus. *Et chorus* ℟. Agyos, *et Presb. dicat* Ecclesiam sanctam catholicam. *Et chorus* ℟. Presta eterne omnipotens Deus

Et Presb. dicat aliam orationem.

In proximo quidem est Domine dies adventus tui : sed quesumus ut antequam venias : expiari mereamur ab omni contagione delicti. Prius dilue rogamus in nobis omne quod in illa futura examinatione puniturus es : ut cum justus adveneris judex : non in nobis invenias quod condemnes. ℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam tuam Deus noster in cujus conspectu. *Ista et alia que sequuntur usque ad orationem que dicitur post nomina.*

Dicat Presb.

Post nomina. Te quesumus Jesu Domine Deus noster : ut nos qui fideliter prestolamur adventum tuum : non incurramus supplicium sempiternum, quo adventu tuo et offerentibus venia : et defunctis requies condonetur eterna. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Quia tu es. *Ut dictum est.*

Dicat Presb.

Ad pacem. Pax tua Redemptor ac Deus noster : que te nascente olim proclamata est ab Angelis : habitet in mentibus nostris : quo ejus fulti presidiis : mereamur cum veneris tue contueri presentiam visionis. ℟. Amen. *Presb. dicat.* Quia tu es vera pax. *Et omnia alia usque inlatio.*

Inlatio. Dignum et justum est. Nos tibi gratias agere : Domine sancte pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Cujus incarnatio salus facta est mundi : et passio extitit redemptio hominis procreati. Ipse igitur nos omnipotens pater quesumus perducat ad premium : qui redemit de tenebris infernorum. Ipse carnem nostram a delectis emaculet : qui eam suscepit ex Virgine. Ipse nos lesos tue restituat majestati : qui nos tibi per sanguinem suum reconciliavit. [g] Ipse nos secundi adventus examinatione justificet ; qui in primo contulit donum gratie sue. Ipse ad judicandum veniat mitis ; qui olim apparuit humilis. Ipse in judicium ostendatur nobis mitissimus, qui dudum venit occultus ; cui merito omnes Angeli, et Arcangeli non cessant clamare quotidie ita dicentes. *Dicat Chorus.* Sanctus.

Dicat Presb.

Post Sanctus. Vere Sanctus et gloriosus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui nos et prioris adventus sui gratia reparavit : et in secundo daturum se nobis regnum cum sanctis Angelis repromisit. Ipse Dominus ac Redemptor eternus.

Dicat Presb. Adesto adesto. *ut supra. Postea dicat.*

Post pridie. Veni Domine relaxa facinora nostra, et hec oblata tibi pro ipsis facinoribus benedicenda assume libamina. Ut horum perceptione expiemur a crimine : et tui adventus gloriam **18** mereamur interriti prestolare. ℟. Amen.

Dicat Presb. Te prestante. *et* Dominus sit semper

[a] *Cap. V.* Vers. 14-23.
[b] *Cap. XVII.* Vers. 20-24.
[c] *Respondit eis, et dixit.* Ita in Græco; et Vulgata, *respondens eis dixit.*
[d] *Non veniet.* Ita Græc. et Syriac. Vulgata, *non venit.*
[e] *Lauda.* Psal. LXXIX, 15.
[f] *Sacrificium.* Jeremiæ XXXI, 3, 4.
[g] *Ipse nos secundi adventus examinatione.* Lege *In secundi adventus examinatione justificet.*

vobiscum. *Et postea tenendo corpus Domini super calicem dicat alta voce.* A Fidem quam corde credimus. *Dicat Chorus.* Credimus in unum Deum totum. *Et tunc faciat illas particulas : ut supra dictum est in prima Missa. Et Presb. faciat Memento pro vivis. Et perfecto symbolo dicat Presb. ad Dominicam equaliter.*

Oratio. Venisse te Domine pro nostra in terris salute credimus : venturum te quoque ad judicium sustinemus : et ideo cum fiducia que docuisti : proclamamus e terris. Pater noster. *Ut supra. Post Orationem Dominicam dicat Presb.* Liberati a malo. *Post dicat benedictionem.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Adventus sui vos Dominus illustratione sanctificet. ℟. Amen. Vincula vestra dissolvat antequam veniat. ℟. Amen. Ut liberati a vinculis pec- B catorum : interriti expectetis ejus adventum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. *Et tunc dicat Chorus.* Gustate et videte. *Et hic faciat Memento pro mortuis. et post Memento dicat illas orationes que dicte sunt in* 1. *Missa. Et sumat corpus et sanguinem : et hoc facto dicat Presb. orationes ut in prima Missa. Et in fine orationis dicat.* Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace.

℟. *Chorus.* Deo gratias.

IN SEXTO DOMINICO DE ADVENTU DOMINI.

[a] *Officium.*

Sanctus Dominus Deus omnipotens. Qui erat et est et venturus est alleluja alleluja. [b] ℣. Deus manifeste veniet : Deus noster et non silebit. *P.* Qui erat. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Qui erat.

Oratio. Deus qui per Angelicos Choros. *fol.* 1.

Lectio libri Esaye prophete ([c] *Cap. XXXV*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Letabitur deserta et invia : et exultabit solitudo : et florebit quasi lilium. Germinans germinabit : et exultabit letabunda et laudans. Gloria Libani data est ei : decor Carmeli et Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini : et decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas : et genua debilia roborate. Dicite [d] pusillanimes confortamini : et nolite timere. Ecce [e] Deus noster ultionem adducet retributionis : Deus ipse veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cecorum : et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus : et aperta erit lingua mutorum. Quia scisse sunt in deserto aque : et torrentes in solitudine. Et que erat arida in stagnum : et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus in quibus prius dracones habitabant : orietur viror calami et junci : [f] et erit ibi semita : et via sancta vocabitur. Non transibit per eam pollutus : et hec erit vobis directa via : ita et stulti non errent per eam. Non erit ibi leo : et mala bestia non ascen- B det per eam : nec invenietur ibi. Et ambulabunt qui liberati fuerint et redempti a Domino. [g] Convertentur et venient : et laudabunt Dominum in Sion cum laude : et letitia sempiterna super caput eorum. Gaudium et leticiam obtinebunt. Et fugiet dolor et gemitus. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[h] *Psallendo.* Suscipiant Domine montes [i] et colles populo tuo pacem justitiam : [j] judicabit egenos populo. [k] Ut salves filios pauperum. [l] ℣. Deus judicium tuum [m] dona Regi : et justitiam tuam filio Regis : ut judicet populum tuum cum justicia et pauperes tuos in judicio. *P.* Ut salves filios.

Dicat Presb. Silentium facite.

C *Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Thessalonicenses* ([n] *II. Cap. II*).

℟. Deo gratias.

Fratres rogamus vos per adventum Domini nostri Jesu Christi et nostre congregationis in ipsum : ut non cito moveamini a vestro sensu : neque terreamini. Neque per spiritum : neque per sermonem : neque per epistolam : tanquam per nos missam : quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo. Quoniam nisi venerit discessio primum : et revelatus fuerit homo peccati **10** filius perditionis. qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus : aut quod colitur : ita ut in templo Dei sedeat : ostendens se tanquam sit Deus. Non retinetis quod cum essemus apud vos : hec dicebam vobis ? Et nunc D quid detineat scitis : ut reveletur in suo tempore.

[a] *Officium.* Apocal. IV, 8.

[b] ℣. Psal. XLIX, 3.

[c] *Cap. XXXV.* Vers. 1-10.

[d] *Pusillanimes.* Ita LXX. Vulgata, *pusillanimis,* Chald., *festinis corde.*

[e] *Deus noster...... et salvabit nos.* Ita LXX. At Vulg. et Chald., *Deus vester.... et salvabit nos.*

[f] *Et erit ibi.* Vulgata : *et erit ibi semita, et via, et via sancta vocabitur.* LXX : *erit illic via pura, via sancta vocabitur.* Missale accedit ad Vulgatam, sed illud *via* non duplicatur, in quo cum LXX convenit.

[g] *Convertentur, et venient, et laudabunt Dominum in Sion cum laude.* Vulgata et Chald. : *Et venient in Sion cum laude.* LXX : *Et venient in Sion cum lætitia.* Syriac. : *Et ingredientur in Sionem cum gloria.* Hebr., ad litteram : *Et venient in Sion in præconio.* In harum nulla, neque in Arabica versione, nec in versionibus recentioribus inveniuntur verba illa : *Et laudabunt Dominum.*

[h] *Psallendo.* Psal. LXXI, 3, 4.

[i] *Et colles.* Hic error typographicus subesse videtur. Italica : *Suscipiant montes pacem populo tuo, et colles justitiam.* LXX et Vulgata habent : *Pacem populo et colles justitiam.*

[j] *Judicabit egenos populo.* Vulg., LXX et Chald., *pauperes populi.* In Græco, *mendicos populi.* Italica, *in sua justitia judicabit pauperes hujus populi.*

[k] *Ut salves.* Vulgata, Italica, LXX : *Et salvos faciet filios pauperum.* Chald., *filios miserorum.*

[l] ℣. Psal. LXXI, 1, 2.

[m] *Dona Regi.* Vulg., LXX, Ital., *Regi da.*

[n] *Cap. II.* Vers. 1-14.

[a] Nam ministerium jam operatur iniquitatis tantum : ut qui tenet nunc teneat : donec de med o fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui : et destruet illustratione adventus sui eum : cujus est adventus secundum operationem Sathane. In omni virtute : signis et prodigiis mendacibus : et in omni seductione iniquitatis : his qui pereunt : eo quia charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo [b] mittet illos Deus in operationem erroris : ut credant mendatio : ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati : sed consenserunt iniquitati. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis fratres dilecti a Deo : [c] quod elegerit nos Deus primitias in salutem : in sanctificationem spiritus : et fidem veritatis. In qua et vocavit nos per Evangelium nostrum : in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Principium Sancti Evangelii secundum Marcum. (*[d] Cap. I*).

Initium [e] Sancti Evangelii Jesu Christi filii Dei : sicut scriptum est in Esaya propheta. Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam : qui preparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto parate viam Domino : rectas facite semitas ejus. Fuit Johannes in deserto baptizans : et predicans baptismum penitentie in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad illum omnis Judee regio : et Hierosolimite universi : et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine : confitentes peccata sua. Et erat Johannes vestitus pillis cameli : et zona pellicia circa lumbos ejus. Et locustas et mel silvestre edebat : et predicabat dicens. Venit fortior me post me : cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calciamentorum ejus. [f] Ego baptizo vos in aqua : ille vero baptizabit vos in Spiritu Sancto.

℟. Amen.

Dicat Presb. in medium Altaris. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Dicat Chorus [g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Venite exultemus in Domino jubilemus Deo salvatori nostro alleluja. *Dicat Presb.* Adjuvate me fratres etc. ℟. Adjuvet te pater. *Dicat Chorus.*

[h] *Sacrificium.* Prope est dies Domini : quia preparabit Dominus sacrificium : sanctificabit vocatos suos alleluja. [i] ℣. Lauda filia Syon : jubila tu Israel : letare et exulta filia Jerusalem : abstulit Dominus judicium tuum : avertit inimicos tuos Rex Israel Dominus : in medio tui sanctificare. *Dicat Presb.*

Missa. Solennia tui adventus mysteria celebrantes : tibi Christe Domine supplices fundimus preces : ut nos primitivi adventus incarnatione redemptos : in secunda tua apparitione glorifices coronandos.

℟. Amen.

Alia Oratio. Sincera nos quesumus Domine tue incarnationis semper fide corrobora : ut in tua dilectione firmatos nunquam nos expugnare valeat callidus inimicus.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus : fidelium lumen : rector animarum : qui nos verbi tui incarnatione [j] preparatum materie Virginis consecras. Veniat quesumus super nos virtus Spiritus tui Sancti : et misericordia Altissimi obumbret nos.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Charitatis tue Domine in nos distribue [k] unitatem : et una perpetim dilectionis copula jungat : quod unius fidei sacramenta locupletant. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere equum et salutare est : nos te Deum nostrum ac Dominum collaudare : qui pietatis tue magnitudinem a nostre humilitatis inopia [l] distulisti : sed errorum nostrorum miseratus [m] piacula : unigenitum tuum ob nostre infirmitatis redemptionem misisti. Qui nobis vite eterne januam patefaceret : et omnes pravi seductoris a nostris mentibus dominatum excluderet : nosque sue opitulationis advocatione tibi Deo nostro per sancti operis exercicia reconciliaret. Cui merito **20** omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie una voce dicentes. *Chorus.* Sanctus.

Post Sanctus. Veram tue Trinitatis omnipotentiam Domine concinentes : tui semper nominis confessione locupleta : ut [n] quod tibi Cherubin ac Seraphin in-

[a] *Nam ministerium.* Est fortasse error aut amanuensis, aut typographi : nam Vulgata, Syriac. et Græc. *mysterium* habent, et ita Primasius, sanctus Chrysostomus, et interpres vetustus sub nomine sancti Ambrosii, legunt.

[b] *Mittet illos Deus in operationem erroris.* Vulg., Græc. et Primasius : *Mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Interpres apud sanctum Ambrosium legit : *In hoc ut credant mendacio.* Syriaca : *Immittet illis Deus efficaciam seductionis.*

[c] *Quod elegerit nos Deus.* Et infra : *In qua et vocavit nos.* Vulg., Syr. et Græc. habent *vos*, et ita, puto, est legendum.

[d] *Cap. I.* Vers. 1-8.

[e] *Sancti.* Deest Vulg., Græc. et Syr.

[f] *Ego baptizo vos in aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto.* Vulgata : *Ego baptizo vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.* Syriac. : *Ego baptizo vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sanctitatis.* Græc. : *Ego quidem baptizavi vos in aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto.*

[g] *Lauda.* Psal. XCIV, 1.

[h] *Sacrificium.* Sophoniæ III; et ibi Vulgata : *Juxta est dies Domini.*

[i] ℣. Sophon. III, 14, 15.

[j] *Præparatum.* Locus mendosus. Fortasse legendum : *Qui nos Verbi tui incarnatione, ac partu beatæ Mariæ virginis consecrasti.* In Ambrosiana liturgia Pamelii oratio *super populum*, ineunte die Nativitatis Domini, est : *Deus, qui hunc diem sacratissimum per incarnationem Verbi tui et partum Mariæ virginis consecrasti, da populis tuis*, etc. Vide Missale Gallo-Goth., in oratione *post pacem*, die Natalis Domini.

[k] *Unitatem.* Hoc est *animarum concordiam*, quo sensu Seneca in libro de Vita beata, cap. 9, hanc vocem usurpavit, et etiam lib. IV, cap. 18, de Beneficiis.

[l] *Distulisti.* Videtur deesse particula *non*, et legendum *non distulisti*, id est *non amovisti.*

[m] *Piacula*, id est *crimina, delicta.*

[n] *Quod.* Lege *quæ.*

cessabiliter jubilant : Spiritus Sanctus nos igne perflagrans : hec incorrupte mentis statuta nos tibi [a] jubeas concinere. Quia tu es Dominus ac Redemptor æternus.

Post pridie. Preceptorum tuorum Domine mysteria [b] recolentes : oblationis hujus libamina sanctificare digneris : ut tue gratie sanctificatione respersa : abluat sumentium cordibus omne delictum. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Oremus. Exurge Domine et prevale in virtute tua : et ad nostram defensionem excita potentiam tuam. Respice propicius nostri cordis presumptionem : et ex presentium calamitatum angustiis paternam nobis exhibe pietatem.

Pater noster. *Dicat Presb.* Humiliate vos benedictioni

Benedictio. Domine Jesu Christe qui discipulis tuis tuum spiritum tribuisti : Ecclesie tue Catholice ipsius muneris dona largire. ℟. Amen. Ut quicunque ex aqua et Spiritu Sancto renati sunt : te semper induant ejus protectione muniti. ℟. Amen. Redundet in eis charitas diffusa per Spiritum Sanctum : qui operiat ac superet multitudinem peccatorum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam tuam etc.

IN [c] SANCTI CLEMENTIS PAPE ET MARTYRIS.

Ad Missam. [d] *Officium.*

De profundis clamavi ad te Domine alleluja. Domine exaudi vocem meam alleluja alleluja. ℣. Fiant aures tue intendentes in vocem deprecationis mee. *P.* Domine exaudi. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Domine exaudi.

Dicat Presb. Per omnia semper secula seculorum.

℟. Gloria in excelsis Deo. *Chorus.* Et in terra pax. *totum*

Iterum dicat Presb. Per omnia semper secula.

Oratio. Gloria nostra Deus noster : qui in celis ab Angelis demonstraris : et in perpetuum decantaris : hic fideliter ac solenniter predicaris : presta nobis amplissima pietate tua a malis propriis liberari : et semper in tuis laudibus gloriari. ℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam tuam etc. *totum.*

Lectio libri Sapientie Salomonis ([e] *Cap. IIII*).

Justus si morte preoccupatus fuerit : [f] anima ejus in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est : non diuturna nec numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis : et etas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus dilectus : et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est ne malicia mutaret intellectum ejus : aut ne fictio malicie deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona : et inconstantia [g] concupiscentia transvertit sensum sine malicia. Consumatus in brevi explevit tempora multa : placita enim erat Deo anima illius. Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes et non intelligentes : nec ponentes in precordiis suis talia. [h] Quoniam misericordia Dei et gratia in sancto illius ; et respectus in electo ipsius. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[i] *Psallendo.* Salvum me fac [j] Domine : quoniam ingresse sunt aque usque ad animam meam. [k] ℣. Infixus sum in limo profundi et non est substantia : veni in altitudinem maris : et tempestas demersit me. *P.* Quoniam ingresse.

Dicat Presb. Silentium facite.

[a] *Jubeas.* Lege : *Ut quæ tibi cherubim ac seraphim incessabiliter jubilant, Spiritus sanctus nos suo igne perflagrans, hæc incorruptæ mentis statuta nos tibi jubeat concinere,* etc.

[b] *Recolentes.* Adde *quæsumus.*

[c] *Sancti Clementis Papæ et Martyris.* Sanctus Clemens, patria Romanus (*Liber Pontificalis, Sacram. S. Leonis, ad* 9 *Dec.*), fidei mysteriis fortasse a sancto Barnaba (*Leo Ostien., ex Actis, apud Bolland., tom. II Martii, p.* 14), certe ab apostolis, imbutus (*Irenæus, lib.* III, *c.* 3), a sancto Petro Cæsareæ in Palæstina baptizatus (*Leo Ostien., ibid.*), Paulo apostolo comitem peregrinationum, et in Evangelii prædicatione adjutorem se adjunxit (*Philip.* IV, 3; *S. Hier., de Viris illustr., c.* 15; *Chrysostomus, I Tim., in præf.*). Romam redux, a sancto Petro episcopus ordinatus est (*Tert., de Præscrip., c.* 32), die X Kal. Februarias, quo olim festivitas Cathedræ sancti Clementis celebrabatur (*Leo Ostien., ibid.*). Post apostolorum Petri et Pauli martyrium et brevem Lini pontificatum, Clemens *summam recepit Civitatis propriæ dignitatem,* cum anno Christi 68, Trachalo et Italico cos., Romanam Ecclesiam regendam suscepit (*Sac. S. Leonis, ibid.; Catalogus Bucherii; Liber Pontificalis; Blanchinus, in Chronolog., ad an.* 67, *et in notis ad Anastasium, tom. II, p.* 27, *et* 31, 35), quam ad annum Christi 76, Vespasiano VII et Tito V cos., sanctissime rexit (*Catalogus Bucherianus, et alter Catalogus, Justiniano imperatore compactus, apud Bolland., t. I April.*). Eo autem anno, sive inductus desiderio Evangelii, per varias gentes, apostolorum more, disseminandi, sive ut quieti Ecclesiæ, sua causa, a quibusdam sollicitatæ, prospiceret, sponte pontificatum abdicavit (*S. Epiphan., hær.* 27; *Bolland., tom. I April., et in propileo Maii; Franc. Blanchinus, in Anastasium, ibid.*). Exinde nulli sedi affixus, propagationi fidei omnem operam impendit, eamque ob causam primum relegatus, demum tertio Trajani anno martyr occubuit (*Catalog., apud Boland., ibid.; Fr. Blanchinus, ibid.; Euseb., Hist. Eccl. lib.* III, *c.* 34; *S. Hieron., de Vir. illustr., c.* 15, *Edit. Veronen.*).

[d] *Officium.* Psal. CXXIX, 1.

[e] *Cap. IV.* Vers. 7-15.

[f] *Anima ejus.* Hæc verba desunt in Græc. et in Vulgata.

[g] *Concupiscentia.* Græc. et Vulg., *concupiscentiæ.*

[h] *Quoniam.* Sensus idem, sed verborum dispositio diversa est in Græc. et Vulgata, in quibus *in sanctis ejus et in electis ejus* legitur.

[i] *Psallendo.* Psal. LXVIII, 1.

[j] *Domine, quoniam ingressæ sunt aquæ.* LXX, Ital. et Vulg. : *Deus, quoniam intraverunt aquæ.*

[k] ℣. Psal. LXVIII, 3, 4.

[a] *Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Timotheum.* ([b] *II, cap. II*).

Charissime. Confortare in gratia que est in Christo Jesu : que audisti a me per multos testes. Hec commenda fidelibus hominibus qui [c] idonei sunt : et alios docere. Labora sicut bonus miles Jesu Christi. Nemo militans Deo : implicet se negociis secularibus : ut ei placeat cui se probavit. Nam et qui certant in agone non coronantur : nisi legitime certaverint. Laborantem agricolam : oportet primum de fructibus accipere. Intellige que dico : dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Memor esto Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David : secundum Evangelium meum in quo laboro usque ad vincula [d] quasi latro : sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos : ut et ipsi salutem consequantur. [e] In Christo Jesu Domino nostro.

℟. Amen.

21 *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Lectio Sancti Evangelii secundum Johannem* ([g] *Cap. XII*).

Una dierum Dominus noster Jesus Christus cum ascendisset in naviculam et discipuli ejus : ait ad illos : Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt et navigaverunt in regionem Gerasenorum : et cum egressus esset ad terram : dixit discipulis suis. Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit : ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit : multum fructum affert. Qui amat animam suam : perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo : in vitam eternam [h] inveniet eam. Si quis mihi ministrat : me sequatur : et ubi sum ego : illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit : honorificabit eum Pater meus. Amen amen dico vobis : non est servus major Domino suo. Neque Apostolus major : eo qui misit illum. Si hec scitis : beati eritis si feceritis ea. Qui accipit [i] sic quem misero : me accipit. Qui autem me accipit : accipit eum qui me misit. Ego sum via : veritas et vita. Qui credit in me : opera que ego facio et ipse faciet : et majora horum faciet. [j] Et quodcunque petierit in nomine meo : hoc faciam : ut clarificetur pater in filio. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

[k] *Lauda.* Alleluja. ℣. De profundis clamavi ad te Domine : Domine exaudi vocem meam. *P.* Alleluja.

Dicat Presb. Adjuvate me fratres.

[l] *Sacrificium.* Fulgebit justus sicut splendor firmamenti : et sicut stelle celi dantes claritatem lucis ita et justus splendebit : in perpetua eternitate alleluja. ℣. Fulgebit et tanquam scintille in arundineto discurrunt judicabit nationes : et dominabitur populis et regnabit cum Domino. *P.* In perpetua.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Missa. Clementissimum et invictissimum clipeum Dominum nostrum Jesum Christum : fratres charissimi deprecemur : ut convenientibus nobis in [m] hodierna Clementis sui solennitate clementem et inef-

[a] *Sequentia.* In Missali Toletano, Edit. ann. 1550, lectio in missa sancti Clementis est ex epistola ad Hebræos, cap. XIII, 9 : *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci*, usque ad vers. 17 : *Talibus enim hostiis promeretur Deus*, quæ una est ex iis lectionibus quæ in natali unius confessoris pontificis legunt.

[b] *Cap. II.* Vers. 1-10.

[c] *Idonei sunt.* Græc. et Vulgata, *idonei erunt*; et ita legit sanctus Ambrosius.

[d] *Quasi latro.* Ita vetus interpres inter opera sancti Ambrosii. Syriaca, *facinorosus*. Vulgata, *male operans*. In Græco, κακοῦργος.

[e] *In Christo Jesu Domino nostro.* Vulgata : *In Christo Jesu cum gloria cœlesti.* Ita etiam Primasius legit. Syriaca et Græc. : *In Christo Jesu cum gloria æterna.*

[f] *Lectio.* In Missali Toletano lectio est ex Evangelio Joannis, cap. XII, 24 : *Nisi granum frumenti*, usque ad vers. 27 : *Honorificabit eum Pater meus*; quæ est ex iis lectionibus quas in natali unius martyris legere solent.

[g] *Cap. XII.* Lectio hæc, centonis instar, ex pluribus fragmentis consuta est. Initium capit ex Evangelio Lucæ, cap. VIII, 23 : *Factum est autem in una dierum*, et statim adnectitur versiculus 27 ejusdem capitis : *Et cum egressus esset in terram.* Tum ex Joanne, cap. XII, 24, 25, 26 : *Nisi granum frumenti*, ut modo in Missali Toletano legitur. Deinde ex Joanne, cap. XIII, 16, 17, 20; ac demum ex eodem, cap. XV, 6, 12, 13.

[h] *Inveniet eam.* Joan. XII, 25. Vulg., Græc. et Syr., *custodit eam.*

[i] *Sic, quem misero.* Vulg. et Græc. : *Se quem misero.* Syr. : *Quisquis recipit quem ego misero.*

[j] *Et quodcunque petierit.* In Græc. et Syr., *quodcunque petieritis.* Vulg., *petieritis Patrem.* Sanctus Augustinus, in hunc locum, *quæcunque petieritis.*

[k] *Lauda.* Ps. CXXXIX, 1.

[l] *Sacrificium.* Ex Daniele, XII, 3. ℣. Ex Sapientia, III, 7.

[m] *Hodierna die.* Die IX Kal. Decembris celebris in Occidente, et vetustus est cultus sancti Clementis papæ et martyris. De eo hac die missam propriam et proprium officium celebrant Gotho-Hispani ; eodemque die missam propriam habet in Sacramentario sancti Leonis, in Gelasiano et in Gregorianis vulgatis. De eodem, die 25 Novembris, agunt Kalendarium Frontonis, Capitularia Evangeliorum, apud Georgium, de Litur. Rom. pont., t. III, in appendice; vetusta quoque Martyrologia Gelonense et Corbeiense Acherii, utrumque Antissiodorense Martenii, Bedæ genuinum, apud Bollandistas, tom. I Martii, collatum cum Codice Veronensi a clariss. P. Blanchinio, in proleg. ad tom. IV Anastasii ; Usuardi Sollerii Romanum Parvum ; Adonis Georgii, et Romanum Baronii. In Africa eodem die IX Kal. Decemb. festivitas sancti Clementis celebratur, ut ex vetusto Kalendario Carthaginensi suspicari licet, in quo..... *Kal. Decemb. sancti Clementis* legitur, et quamvis corrosa membrana abstulerit diei notam, tamen cum continuo sequatur... *Kal. Decemb. sancti Chrysogoni*, quem non alium quam sanctum Chrysogonum Mabillonius et Sollerius, harum rerum periti, esse contendunt, quem tam Latini quam Græci VIII Kal. Decembris colunt, verosimile est sanctum Clementem die IX Kal. Decembr. Carthaginensi Kalendario inscriptum fuisse. Galli olim, fortasse quia nullas sanctorum festivitates in Adventu celebrabant, missam sancti Clementis, ut est in Gallo-Gothico, inter eas reposuerunt quæ ab octava Epiphaniæ ad initium Quadragesimæ celebrabantur. Kalendarium Bucherii sanctum Clementem martyrem una cum Semproniano, Claudio et Nicostrato, V Id. Novembris commemorat. Sed hunc esse Clementem papam, alii incertum esse fa-

fabilem ab arce sui numinis in his quibus degimus A seculi pressuris perpetuum porrigere gaudium : et evadere prestet inferni supplicium. ℟. Amen.

Alia. Clementissimo et per te Clementi tuo Domine lachrimosas fundimus preces : ut suo intercessu a te Deus : qui sine initio clemens et pius : quos jubes clementes in bonis actibus efficis. Prestetur Ecclesiæ tue pax indeficiens : bonitas affluens : clementia regens : pietas benefaciens : protectio exuberans : lenitas mulcens : patrocinium defendens : mansuetudo corripiens : tranquillitas justificans : visitatio salvans ; a misericordia subveniens : et consueta subventio : nobis miseris parcens : quo mereamur repulsis adversariis tibi Domino deservire : et ad tuam clementiam quandoque sine merito justificati letabundi attolli. ℟. Amen.

Post nomina. Clemens et clementissime Deus : qui per Clementem Romuleum Episcopum plurimos tue divinitatis congregas aggeres Martyrum : et multimodam catervam accumulas confessorum : dona pro tua miseratione spiritibus fidelium requiem defunctorum ; et nobis omnibus exoptatam remissionem omnium peccatorum. ℟. Amen.

Ad pacem. Clemens et mitissime Domine : qui pacem tuam per Clementem Episcopum cordibus radicasti fidelium : pace tua que ipse es : salvare inten- A das afflictas reliquias christianorum. Ut quia veram pacem pacifici predicando durissimum et [a] sensuale a diversis nationibus sufferimus jugum : per te qui vera et firmissima pax es pervenire mereamur ad paradisi gaudium sempiternum. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : clementem et pium : equum et vere salutare est : Domine sancte pater inestimabili et incomprehensibili clementie tue perennes gratias agere : qui beatissimo Clementi [b] apostoli tui Petri discipulo nihilominus [c] tertio ejus in loco : cathedrali honore sublimasti : hanc gratiam conferre dignatus es : ut suavissimo oris ejus alloquio : cultu relicto ydolorum et simulachrorum figmento : quamplurimos populos ex toto orbe credulos signaverit crucis tue tropheo. Ipse enim ad cul- B tum vere fidei : et ceremonias [d] magistri Romuleos simul et Italicos convocans cives : tyrannum Sisinium et [e] similes sui cepit sustinere cruentissimos hostes. Quem ad instar Sauli **22** [f] quod sonat tentatio : postea Pauli quod interpretatur mirabilis : cecitate confusum : cum Theodora conjuge predicti Sisinii predicatione pontificali : Christiana effecta pariter orantes meruerunt saluti reddere [g] celitus castigatum. Unde et cum apud Augustum rei hujus gestum : [h] per Mamertinum administratorem Romuleum fuisset delatum : tali relatione ceptrum impe-

tentur. In Martyrologio Hieronymiano Lucensi, die 21 Novembris, legitur : *Romæ, natalis sancti Clementis.* Sed an etiam hic sit Clemens papa in dubium merito vocatur. Vide notas clarissimi Florentinii in hunc diem et in diem 23 Novembris, quo in eodem Martyrologio recurrit *natalis sancti Clementis episcopi et martyris.* Græci, in Menæis, et in Breviori Menologio C metrico, sanctum Clementem colunt die 24 Novembris. In Menologio Basilii, die 25 ejusdem mensis, quo die Moschi in suo calendario figurato (*Bolland.*, *tom. I Maii*) de sancto Clemente agunt, an sanctus Clemens die 25 Novembris passus sit, neque asserere, neque refellere in animo est. Acta Græco-Latina, apud Cotelerium, diem passionis prætermittunt. Latina apud Montbritium edita, et Mss. in Codice Barberino, passum testantur IX Kal. Decembris. Liber Pontificalis et Catalogus vetustus pontificum Romanorum tempore Justiniani Augusti compactus (*Bolland.*, *tom. I April.*) Sancti Clementis elogium concludunt his verbis : *Obiit martyr tertio Trajani anno, sepultus est in Græcia* VIII *Kalendas Decembris*, in dubium relinquentes, an eodem die passus sit quo est sepultus, an pridie, ut Latini videntur opinari.

[a] *Sensuale.* Hoc est *sensu præditum*, qua significatione eodem vocabulo utitur Lucretius. Rogant Hispani ut, intercedente sancto Clemente, ab eorum D cervicibus amoveatur barbarorum hominum jugum, Alanorum, Suevorum, Vandalorum, Gothorum, aliarumque gentium, quæ, his permistæ, Hispaniam invaserant, et sacra omnia et profana pessumdabant.

[b] *Apostoli tui Petri.* Sanctum Clementem apostolorum discipulum appellat Origenes (*Principior. lib.* II, *pag.* 82 *oper.*, *Edit. Maurin.*; *Gr. Kal.*, *tom. I*). Sancti Pauli discipulum, et in Evangelio cooperatorem Clementem agnoscit ipse Apostolus (*Philipp.* IV, 3). Hunc esse Clementem, postea papam, testantur Eusebius (*Hist. lib.* III, *c.* 4) ; sanctus Chrysostomus (*In præfatione I Tim.*); sanctus Hieronymus (*In Epist. ad Philipp.* IV, *et de Viris illustr.*, *c.* 15, *Ed. Veronen.*) ; Primasius (*In Epist. ad Philipp.* IV, 3). Sancti Petri discipulum Clementem appellant Origenes (*Tom. II oper. Gr. Lat.*, *Ed. Maurin.*) in Genesim scribens (*Pag.* 20); Zosimus papa (*Epist.* 3, *ad Afri-*

canos) ; Missale Gallo-Gothicum (*In immolatione missæ sancti Clementis*), ubi hæc : *Nam beatissimi Petri mox traditur disciplinis*, quæ ex Sacramentario sancti Leonis verbatim transsumpta sunt (*Miss. S. Clementis*).

[c] *Tertio ejus loco.* Sanctus Irenæus (*Adv. Hæres.*, *lib.* III) scribit : *Tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos apostolos, et contulit cum eis.* Eusebius (*Lib.* III, *c.* 4) : *Clemens Romanorum Ecclesiæ tertius episcopus.* Acta martyrii sancti Clementis (*Gr. Lat.*; *apud Cotelerium*, *Patres Apostolici*, *tom.* V, *pag.* 804) : *Tertius Romanæ Ecclesiæ præfuit Clemens.* Gregorius Turonensis (*Hist. Francor. lib.* I, *c.* 17, *sub Trajano*). *Clemens tertius Romanæ Ecclesiæ episcopus passus est.*

[d] *Magistri.* Lege *magistri sui*, nimirum divi Petri apostoli.

[e] *Similes sui.* Confer Epitome Clementin., n. 165, apud citatum Cotelerium.

[f] *Quod sonat tentatio*, et rursus, *mirabilis*, glossemata sunt e sancto Isidoro (*Origin. lib.* VII, *c.* 9), Beda et S. Hieronymo (*De nominibus Hebraicis*).

[g] *Cœlitus castigatum.* Sisennius, vel Sisinnius, iste in Epitome Clementinarum, n. 152, apud Cotelerium (*Patres Apostolici*, *tom. I*), Nervæ Augusti familiaris dicitur. De eodem, et de ejus uxore Theodora, fusa mentio fit in martyrio sancti Clementis, apud Cotelerium, et in Epitome Clementinar., ubi hæc eadem narrantur. Singulare est quod Galli olim, ut constat ex Missali Gallo-Gothico (*Pag.* 218, *Edit. Parisien.*) recurrente festo sancti Clementis, quotannis, pro Sisennio et Theodora ejus uxore orare consueverunt (*In collectione post nomina*), ubi hæc : *Memores etiam simus fidelissimorum suorum Sisennii, atque Theodoræ, ut quibus per beatum martyrem fidem se credendi inseruit, eis paradisi regna participet*; num forte Galli fuerunt ? cæterum *hinc*, ut notat Mabillonius, *probatur antiquitas Actorum sancti Clementis, in quibus laudatur Sisinnius Nervæ imper. familiaris, ejusque uxor Theodora, a Clemente ad fidem conversi*, nec facile credendum asserentibus Acta sancti Clementis ante sextum sæculum cognita non fuisse.

[h] *Per Mamertinum.* Mamertinus, qui hoc loco ad-

riale commonitum : hoc Publium [a] Tarquinium constat accipere in responsum : ut eum [b] trans pontum mare mittere non moretur in heremi crudele exilium. In quo cum vir Domini Julianus cum ceteris Rome plebibus deplorantes : sui pastoris absentiam devenissent : [c] et sanctos ibidem ex diuturno tempore causa nominis Christi ad metalla precidenda impiissime tentos reperissent : inter lues annosas et penales quas ibidem sustinebat pernicies. Hunc intollerabilem flendo et mugiendo dederunt responsum : [d] qui a clivoso miliario aque sibi deportarent laboriosissimum poculum. Ad hec Sanctus Clemens solari incipiens ex divinis oraculis grave eorum exilium : gratias agens Deo : qui communicaverit necessitatibus : orationis statim petit juvaculum. Nec mora solus inter homines aspicit Dei agnum occultam aque venam [e] ostendere dextro pede levato. [f] Qui ad instar Mosaycum inter cunctos manu propria : non virgam apprehendens metuentem : sed sarculum fidelium corda exculpentem : modice fossorium in terra defixum : affluentes inundaverunt gurgites aquarum. Ad hoc et tale miraculum omnis conveniens turba civitatum vicinium laudant et magnificant procul dubio Dominum : [g] quem olim spreverant concreti culturis demoniorum. Unde tabefactus de tantis miraculis diabolus seditiones : ad interpellandum Trajanum excitat populorum. Qui statim perfidum mittens [h] Aufidium : cum ancora ferri gravatum : marinis fluctibus precepit demergendum. Cumque eum discipuli cum omnibus sanctis tali vidissent martyrio coronatum : ceperunt per immensum mare ponere visum : si forte prospicerent eum ad littora maris vagis fluctibus reciprocatum. Quod mare videns expavescens collidi Christi discipulum : [i] fere tria milia per septem que mundus volvitur dies : suum invium signum apparens demonstravit ejus judicii altissimum locum : nitido sarcofago tumulatum. Quod hoc divino jussu prestitit beneficium : ut annuali recursu in ejus solemnitate hunc elementum martyri deferat famulatum. O quam mirabile testibus tuis Christe tribuisti adjutorium : ut nihil sibi quod his non contuleris evenisse applaudeat plebs Judeorum. Nihil Domine ante tue incarnationis mysterium : ulli mortalium prestitisti solacium : quem non tuis sanctis post crucis exultationem prestiteris in emolumento. Unde merito omnes angeli et archangeli : throni : dominationes : virtutes : principatus : et potestates : cherubin ac seraphin in quorum sorte omnis constitit numerus electorum : te glorificare et magnificare atque laudare non cessant : ita dicentes.

Chorus dicat. Sanctus.

Dicat Presb.

Post Sanctus. Vere sanctus et clemens : vere benedictus et justus : vere admirabilis et gloriosus Dominus Jesus Christus filius tuus : qui inestimabili clementie sue dono nullum perire jubet : sed omnes pietatis gremio convocat ad salutem : Christus Dominus ac Redemptor eternus.

℟. Amen.

Post pridie. Clementissime ac sanctissime Domine : sanctifica hec munera : impuris manibus tibi delibata. Per que et offerentium accipias vota : et ex ea sumentium cuncta dimittas peccata.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Clemens et immense et admirabilis Deus : cui omnia elementa famulantur et omnes elationes maris deserviunt : libera nos de aquis multis : [j] et de

ministrator Romuleus, et ab em. Baronio (*Annal., tom. II, ad ann. Chr.* 100) præfectus Urbis appellatur, a scriptore Græco martyrii sancti Clementis ὁ ἔπαρχος τοῦ πολιτικοῦ θρόνου, et in Epitome Clementinarum, n. 166, ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος, quæ utroque loco Cotelerius *præfectus Urbis* interpretatus est.

[a] *P. Tarquinium.* In Martyrio, n. 18, et in Epitome Clementin., n. 164, iste Tarquitianus appellatur.

[b] *Trans pontum mare.* Ado (*In libello Festivitatum*) ait sanctum Clementem deportatum fuisse *trans pontum mare in eremo, qui adjacet civitati Chersonæ.* Beda, in Martyrologio, *trans pontum maris.* Martyrium sancti Clementis Epitome Clementin., n. 166, Nicephorus (*Hist.* l. III, *c.* 18), Menæa Græcorum (*Die* 24 *Novembris*) habent, sanctum Clementem in exsilium pulsum esse in desertum *trans pontum* adjacens oppidulo Chersonæ. Cæterum de loco exsilii sancti Clementis consulendi Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, Rosweydus in notis ad libellum Adonis de Festivitatibus Apostolorum (*Bibl. Patrum, tom. XVI, pag.* 917), Bollandistæ ad diem 9 Martii agentes de sanctis Cyrillo et Methodio (*T. II, nota* 12, *ad Vitam S. Clementis, pag.* 5)3 *et seq*).

[c] *Et sanctos.* Epitome Clement. *christianos* ad opus *in marmoris lapidicinis* damnatos ad mille sanctum Clementem invenisse testatur, n. 167, quem numerum ad duo millia auget scriptor martyrii, n. 19.

[d] *Qui a clivoso milliario.* Locus mendosus. Fortasse legendum : *Qui clivos itinere a milliario sexto aquæ sibi deportarent laboriosissimum poculum :* nam in martyrio, n. 21, aquam distasse sex milliaribus, in Epitome Clement., stadiis quinque et quadraginta legimus.

[e] *Ostendere.* Lege *ostendentem.*

[f] *Qui ad instar.* Locus mendosus. Fortasse restituendum sic : Quare, *ad instar Moysis, inter cunctos, manu propria apprehendens, non virgam metuendam, sed sarculum, fidelium corda exculpentem, modice fossarium in terram defixit, unde repente affluentes inundaverunt gurgites aquarum.* Confer Acta martyrii, n. 21.

[g] *Quem.* Lege : *In quem speraverunt, olim concreti culturis dæmoniorum.*

[h] *Aufidium.* Ado, in libello de Fest. apost. Aufidium hunc ducem appellat.

[i] *Fere tria millia.* Est vulgatum apud omnes miraculum, de quo lege Tillemontium (*Citat. pag.* 565), et, apud Cotelerium (*Patres Apostolici, tom. I, in fine*). Homiliam sancti Patris nostri Ephrem archiepiscopi Chersonis, de quo etiam Allatius in Diatriba de tribus Simeonibus meminit. Sanctus Gregorius Turonensis (*De Glor. martyr., lib.* I, *c.* 35) de hoc miraculo, tanquam de re certa, loquitur, quod suo tempore annis singulis contingebat : *Nunc autem*, inquit, *die solemnitatis ejus* (S. Clementis) *recedit mare ad tria millia siccum ingredientibus iter præbens usque ad sepulcrum martyris ; ibique vota reddentes et orantes populi regrediuntur ad littus.* Et capite sequenti refert de parvulo, qui, casu relictus a parentibus, post annum incolumis repertus est in æde martyris.

[j] *Et de manu.* Hæc optime conveniunt cum pessimo statu rerum Hispanicarum, cum Barbari primum contra militem Romanum et indigenas, tum inter se bellum sævissime gererent (*Vide Idatium, in Chro-*

manu filiorum alienorum. Ut qui per te renati sumus ex aqua et Spiritu Sancto : non patiamur ab ethnicis et irregeneratis divelli a sancto proposito : sed arcum eorum inconvertibilem contere : sagittas destrue : pharetras retunde : gladios perime : lanceas divelle : consilia que in nos acuunt maligna confunde : et in ipsos si credere noluerint : et in ipsa retorquendo 23 converte : atque semper fidei scuto nos protege. Qualiter qui hic propter nomen filii tui novum quod iu margaritum fulgidum : id est in [a] calculum candidum scripsisti : diversa a gentibus sustinemus opprobria : portamus infanda ludibria. Illic pro fide quam credimus et pro ea usque ad mendicitatem et mortem distrahimur : concedatur remissio peccatorum : ut potiatur infinitus locus justorum proclamando ac dicendo in terris. Pater noster qui.

Benedictio. Clemens et piissimus Dominus : Clementis sui tueatur amminiculo : et liberet ab omni peccato. ℟. Amen.

Clementie sue dono vos letificet in hoc seculo et ab omni sorde purificatos restituat paradiso. ℟. Amen.

Ut sicut Clemens papa [b] per martyrii gratiam hostem vincendo gloriosus migravit e seculo : ita vos devicto diabolo futuro letemini de triumpho. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Chorus dicat. Gustate et videte.

Communio. Refecti Christi corpore. *et Oratio. omnia ut in prima Missa quere. fol.* 7.

IN NATALE [c] SANCTI SATURNINI EPISCOPI.

Ad Missam. [d] *Officium.*

Gloriam et magnum decorem impones super eum alleluja : et dabis eum in benedictione. In seculum seculi alleluja alleluja. ℣. Beatus vir qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. *P.* In seculum. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* In seculum.

Dicat Presb. Gloria in excelsis.

Oratio. Gloria nostra Deus noster : qui in celis ab Angelis demonstraris : et in perpetuum decantaris : hic fideliter ac solenniter predicaris : presta nobis amplissima pietate tua a malis propriis liberari : et tuis semper laudibus gloriari. ℟. Amen.

---

nico, *ab Olympiade* 297). Huc etiam refert quæ Avitus presbyter scribit *papæ* Palconio, episcopo Bracarensi (*Apud Mabillonium, Analect. veter., tom. IV, p.* 181), cum illi per Orosium mitteret reliquias sancti Stephani nuper detectas : *Tribulationibus vestris*, inquit, *compatiens, et pro discidio* [excidio] *patriæ incessabiles lacrymas fundens, ut et* [aut] *vobis Dominus restituat libertatem, quos admonere voluit, aut illis tribuat mansuetudinem, quos prævalere permisit.*

[a] *Calculum candidum.* Apocal. II, 17. Quæ et quanta pro sana fide et Dei cultu passi sint Hispani catholici a barbaris istis nationibus, conjicere licet ex iis quæ de Vandalica persecutione scripsit Victor Vitensis (*De Pers. Vand.*), Sidonius Apollinaris (*Lib.* VII, *cap.* 6), et Gregorius Turonensis (*Hist. lib.* II, *cap.* 2) de persecutione Evarici, et sanctus Isidorus (*Chron. Goth.*) de persecutione Leovigildi, tradiderunt.

[b] *Per martyrii gratiam.* Sanctum Clementem papam inter martyres numerandum esse, præter antiquitatem cultus, et vetustam ejus memoriæ Romæ structam ecclesiam (*S. Hier., de Vir. illustr., cap.* 15), et locum quem in canone missæ Romanæ obtinet, facit expressa auctoritas Zosimi papæ (*Epist.* 3 *ad Africanos*), Rufini (*De adulteratione libr. Origenis*), et Ecclesiæ Carthaginensis in suo Kalendario, cui nullius, nisi martyris, dies natalis inscribitur. Neque obstat silentium Kalendarii Bucheriani, et sancti Irenæi ; nam ad catalogum Bucherianum quod attinet, ab eo sanctus Telesphorus papa, celeberrimus martyr, aliique non pauci taciti prætermittuntur : quorum unus est sanctus Clemens, nisi forte inter martyres V Idus Novembris recensitus fuerit. Sanctum autem Irenæum, qui Vitas Romanorum pontificum non texebat, necesse non erat docere qua morte obierit sanctus Clemens, maxime cum is pluribus ante mortem annis pontificatum abdicaverit.

[c] Bini hac die 29 Novembris coluntur martyres Saturnini, alter Romæ via Salaria, de quo Kalendarium Frontonis, Sacramentaria Gelasianum et Gregorianum, et Martyrologia ferme omnia agunt. Alter Saturninus Tolosanus episcopus, ritu duplici sex capparum, missa et officio proprio in Missali, Breviario et Orationali Gothico a Mozarabis colitur. De eo agunt Missale Gallo-Gothicum propria missa quæ post Epiphaniam celebratur, et III Kal. Decembris Martyrologia Adonis, Usuardi, Flori, Romanum Baronii, Lucense Hieronymianum Florentinii, Gellonense, Fuldense Georgii, et quædam alia. Acta sancti Saturnini Tolosani a scriptore, tantum non synchrono, exarata habentur apud Surium die 29 Novembris, et castigatius apud D. Theodor. Ruinart., inter Acta sincera et selecta martyrum, pag. 109. Venantius Fortunatus (*Lib.* II, *carm.* 8) et Sidonius Apollinaris (*Lib.* IX, *epist.* 16) sanctum Saturninum Tolosanum versibus celebrarunt. Ejusdem mentionem facit sanctus Gregorius Turonensis (*Hist. Franc. lib.* I, *cap.* 30 ; *de Glor. martyrum, lib.* I, *cap.* 28). De mense ac die passionis sancti Saturnini silent Acta, quæ annum quoque martyrii ejus in dubio relinquunt ; ita enim habent : *Ante annos quinquaginta, sicut actis publicis continetur, id est Decio et Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Christi Tolo a civitas sanctum Saturninum habere cœperat sacerdotem.* Quæ videntur potius indicare annum quo sanctus Saturninus sedem suam Tolosæ fixit, quam annum quo est martyrio coronatus. Sane si de anno martyrii intelligantur, passus est anno æræ vulgaris Christi 250, et verosimilius est Tolosam venisse imperante Philippo. At si cum sancto Gregorio Turonensi (*Hist. Franc. lib.* I, *cap.* 30) intelligenda sint de anno quo sanctus Saturninus Tolosæ sedem episcopalem constituit, probabile est, eum imperante Valeriano martyrium fecisse, scriptoremque actorum passionis ejus ea quæ oculatus testis vidit posteris tradidisse. De Ecclesiis in Hispania a sancto Saturnino fundatis, consule Ambrosium Morales (*In Chronico, lib.* IX, *cap.* 14), Franciscum Padilla (*Hist. Eccles. Hisp., centur.* I, *cap.* 20), Saussaium (*In Martyrologio Gallicano*), Franciscum Diego (*Lib.* II *Antiq. oscens.*).

[d] *Officium.* Ps. III, 1. *In mandatis ejus cupit nimis.* Vulg., LXX et sanctus Augustinus, *volet nimis.* Psalterium Romanum, editum a ven. Thomasio (*Oper. tom. II, Ed. Rom.*), quod *Italicam versionem* appello, *cupit nimis.* Psalterium Mozarabum, *cupiet nimis.*

Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum amen.

Dominus sit semper vobiscum.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis ([a] *Cap. L*).

℟. Deo gratias.

Vir iste conservavit legem Dei excelsi : et in tentatione inventus est fidelis. Et statuit ei Dominus testamentum eternum : et dedit illi sacerdotium gentis : et beatificavit illum in gloria. Et circumcinxit illum zonam gloriæ : et induit illum in vasis virtutum. Qui curavit gentem suam : et liberavit illam a perditie. Qui prevaluit edificare civitatem : qui adeptus est gloriam in conversatione gentis : et ingressus domus et atrii amplificatus est. Quasi stella matutina in medio nube : et quasi luna plena in diebus suis lucet. Et quasi sol refulgens : sic ille refulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas glorie : et quasi flos rosarum in diebus verni. Quasi lilia que sunt in transitu aque : et quasi thus redolens in diebus estatis. Quasi ignis refulgens : et thus ardens igni. Quasi vas auri solidum : ornatum omni lapide precioso. Quasi oliva pullulans : et cypressus in altitudinem se tollens. In accipiendo ipsum stolam gloriæ : et vestiri consummatione virtutis. In ascensu altaris sancti : gloriam dedit sanctitatis amictam. In accipiendo autem partes de manu sacerdotis : et ipse stans juxta aram circa illum corona fratrum. Quasi plantatio cedri in monte Libano : sic circa illum steterunt quasi rami in palma. Porrexit manum suam in libatione : et libavit de sanguine uve : et fudit in fundamentum altaris odorem divinum excelso principi. Tunc exclamaverunt filii Aaron : in tubis perductilibus sonaverunt : et auditam fecerunt vocem in memoriam coram Deo. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. [b] *Psallendo.* Posuisti super caput ejus coronam de lapide precioso. ℣. Super salutare tuum Domine exultabit vehementer desiderium anime ejus dedisti ei : et voluntate labiorum ejus non fraudasti ei. *P.* Coronam. *Presb.* Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Timotheum (*II*, [c] *cap. IIII*).

℟. Deo gratias.

Charissime. Omnis scriptura divinitus inspirata : utilis est. Ad docendum. Ad arguendum. Ad corrigendum. Ad erudiendum in justicia : ut perfectus sit homo Dei : ad omne opus bonum instructus. Testificor coram Deo et Christo Jesu : qui judicaturus est vivos et mortuos : et adventum ipsius : et regnum ejus. ✠ Predica verbum. Insta. Opportune importune. Argue : obsecra : increpa in omni patientia et doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt : sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus : et a veritate quidem auditum avertent : ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila : in omnibus labora. Opus fac Evangeliste : Ministerium tuum [d] imple. Ego enim jam delibor : et tempus resolutionis mee instat. Bonum certamen certavi; fidem servavi : cursum consummavi. In reliquo reposita est mihi corona justicie : quam reddet mihi Dominus justus judex in die illa. Non solum autem mihi : sed et his qui diligunt adventum ejus.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam ([e] *Cap. XIX*).

In diebus illis. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis et turbis dicens. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti. Vocatis autem decem servis suis : dedit illis decem mnas. Et ait ad illos. Negociamini dum venio. Cives autem ejus oderant illum : et miserunt legationem post eum dicentes. Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est ut rediret accepto regno : jussit vocari servos quibus dedit pecuniam : ut sciret quantum quis negociatus esset. Venit autem primus dicens : Domine : mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi. Euge serve bone : quia in modico fidelis fuisti : eris potestatem habens supra decem civitates. Et alter venit dicens : Domine : mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait. Et tu esto supra quinque civitates. Et alius venit dicens. Domine : ecce mna tua : quam habui repositam in sudario. Timui enim quia homo austerus es : tollis quod non posuisti : et metis quod non seminasti. Dicit ei. De ore tuo te judico serve nequam : sciebas quia ego austerus homo sum : tollens quod non posui : et metens quod non seminavi : et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam : et ego veniens cum usuris utique exegissem illam? Et astantibus dixit. Auferte ab illo mnam : et date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei. Domine : habet decem mnas. Dico autem vobis : quia omni habenti dabitur et abundabit. Ab eo autem qui non habet : et quod habet auferetur ab eo. Verumtamen : inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se : adducite huc : et interficite ante me. Qui habet aurem audiendi audiat.

℟. Amen.

[f] *Lauda.* Alleluja. ℣. Tu es Sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech alleluja.

[g] *Sacrificium.* Stans Sacerdos ad altare in circuitu ejus : corona fratrum quasi germen cedrorum in

[a] *Cap. L.* Hæc prophetia est cento consutus ex fragmentis libri Ecclesiastici, cap. XLIV, 20; cap. XLV, 8; cap. L, 4, 14, 16, 19. Initio adjicitur *vir iste*, quod ad Scripturæ textum non pertinet.

[b] *Psallendo.* Ps. XX, 4, ℣. Ibid., 2, 3.

[c] *Cap. III.* Vers. 16, ad cap. IV, vers. 8.

[d] *Imple.* Addit Vulgata, *sobrius esto.* Ambrosiaster legit : *Tu vero sobrius esto, in omnibus patiens, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple.* At Græc., Syr., Primasio et pluribus Latinis Codicibus hæc verba, *sobrius esto*, desunt.

[e] *Cap. XIX.* Vers. 12-27.

[f] *Lauda.* Ps. CIX, 4.

[g] *Sacrificium.* Ex Ecclesiastico, cap. L, 13. ℣. Ibid., 6, 7, 8, 9.

Libano: circumdederunt eum sicut arbores palmarum: et obtulit oblationem Domino in conspectu universe Ecclesie alleluja. ℣. Exaltatus est refulgens in templo Dei: quasi stella matutina in medio nube: et sicut luna plena in diebus suis: sicut arcus pacis illuminans in nubibus glorie: et sicut oliva germinans fructum accepit stolam sanctam. *P.* Et obtulit oblationem.

Missa. Magnum nobis semper festivum [a] summi pontificis et martyris Saturnini: fratres charissimi depensis fideliter precibus excolamus: qui Salvatoris nostri precepta custodiens: non solum sacerdotium ac vite beatitudinem meruit: sed etiam tanti honoris officium felici martyrio consecravit. Ad cujus presentiam tanto demonum sagacitas timore conticuit: ut largis victimis invocati: solita cultoribus suis responsa non redderent. Cujus rei gentilitas furore succensa comprehendere: ad supplicium vesano furore non timuit: quem in Dei confessione constantem evincere: presentis mortis interminatione non potuit. Proinde debemus in tanti martyris laudem Deo vivo et placationis hostiam adolere: quo per hunc cunctis nobis impartiat quod rogatur: qui per eum dedit populis: quo solus in Trinitate Dominus crederetur. Amen.

Alia. [b] Debitas tibi Domine eterne referimus gratias: et Jesu Christo filio tuo Domino nostro. In cujus similitudinem beatissimus Saturninus: dum offert victimam: ipse est victima. Dumque **25** electus agit martyrium devotus implevit: ut per eminentiam justitiæ atque victoriæ et testis fieret et antistes. In quo proficiens fidei latitudo, dum cathedram suscepit sanctitatis, coronam rapuit passionis. [c] Probus ad officium: improbus ad triumphum. Dum ungitur consecrans: dum occiditur consecratur. Prius fidei predicans sermone: post sanguine. Doctor ad altarium: victor ad regnum. Erexit ad laudem: quos erudiat ad salutem. Ambulans vere de virtutibus in virtutem. Ut qui conversatione contulerat intellectum: conferret consummatione suffragium. Obtineat igitur Deus Summe apud te dare miseris indulgentiam post delictum: qui meruit post Sacerdotium subire martyrium.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Domine Jesu Christe: qui es ineffabilis bonitas: et invicta potestas: pro cujus A nomine beatissimus Saturninus, Præsul et Martyr: dum litare aris demoniciis renuit: ad Capitolium a turbis attrahitur: furentisque tauri supplicio consecratur. Tu ejus meritis offerentium suscipe vota: et omnes in commune pro tua justificatione communica. Quo exauditi pro nobis requiem etiam apud te mereamur impetrare defuncti.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Christe Deus omnium gratiarum largitor: qui [d] primum ac summum Tolosanæ civitatis Sanctum Saturninum Sacerdotem instituisti. Ad cujus prædicationem atque virtutem ita ora demonum siluerunt: ut se consulentium cultoribus suis obstrusa veluti absentia probarentur. Tu ora nostra preconio vere predicationis accinge et viciorum inso- B lentium simultates a nostris pectoribus abjice. Ut ita pacis monumento convalescamus ad invicem: quo dum ea quæ predicamus sermonibus: opere impleverimus: ad te qui es retributor justissimus sine confusione perveniamus. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est: optimum sane est, nobisque speciali devotione præcipuum: ut tibi Domine incessanter gratias: dum martyres tuos mirabiliter excolimus referamus. Neque enim Domine diabolici furoris impetum humanæ fragilitatis infirmitas sustineret: nisi subjectum inimicorum tentationibus corpus: anima spiritualis evinceret: tuisque confirmata doctrinis imbecillum habitaculi sui domicilium fidei munimine roboraret. Nam cum præsentia C antistitis tui et martyris Saturnini garrula demonum loquacitas siluisset: neque solutis laxarent ora fallaciis: ad aras demonum horrendo gentilis populi furore pertractus est; et eum sacrificare mortis interminatione compulerunt. Ad cujus imperium repressa demonum suorum fallacia siluissent: qui eum correptum [e] ad Capitolium ducerent: et Sancti Spiritus dono presentem peritur carnis exitium non paveret: te unum in Trinitate Dominum confiteri: in tanta perversæ plebis [f] seditione non timuit. Ad cujus constantiam acrior nefande vociferationis tumultus exarsit: in necem beatissimi Sacerdotis cunctus populus unico clamore conspirat. Cujus pedes protinus vinculis inligantes: ad posteriora tauri quem victimæ procuraverant nefanda nectere temeritate non tre- D pidant: eumque acrioribus stimulis verberatum: et multitudinis clamore succensum per gradus quibus sanguine.

[a] *Summi Pontificis.* Episcopum intellige. Antiquiores episcopatum summi sacerdotii ministerium (*Sacr. Gelas., in ord. episc.*), sacerdotale culmen (*Missal. Ambros., in præf. missæ ord. S. Ambrosii*), et ipsos episcopos summos antistites (*S. Leo, ser.* 10 *de Quadrag.*), summos sacerdotes (*Acta S. Saturnini, Tert., de baptismo, cap.* 17), summos Dei sacerdotes (*Conc. Tol.* IX, *c.* 17), summos pontifices (*Pass. Marcul., apud Mabillonium, Analect. vet.* t. *IV*, *p.* 106), et similibus honorum titulis ornare consueverunt.

[b] *Debitas.* Initium hujus orationis eadem est in Gallo-Gothico Edit. Paris., pag. 219.

[c] *Probus.* Lege: *Probus ad officium, probus ad triumphum, dum ungit consecrans, dum occiditur consecratur, prius fidei doctrinam prædicans sermone, post sanguine.*

[d] *Primum ac summum.* Hæc ex actis desumpta sunt, quæ, si vacat, confer; in iis enim quæ in orationibus et in illatione referuntur, de sancti Saturnini martyrio fideliter descripta invenies.

[e] *Ad Capitolium.* Non modo Romæ, sed etiam in præcipuis quibusdam provinciarum civitatibus erant Capitolia, maxime in iis quæ coloniæ Romanæ dignitate fruebantur. Præter Tolosanum hoc, apud scriptores leguntur Carthagine, Capuæ, Narbonæ, Augustæ Vindelicorum, Treveris, etc. Vide Baronium (*In notis ad Martyrologium, die 29 Novembris*), Glossarium du Fresne, verbo *Capitolium*, aliosque.

[f] *Seditione.* Non enim sententia judicis, sed seditione plebis ad supplicium raptus est.

Capitolium descendebatur turba præcipitat. [a] Statimque inter ipsos primordii gradus : confractis capitis compagibus soluta cerebri interna dissiliunt. Nec prius lacerum corpus trahi destitit : quam ruptus fructuosis cursibus funis conlisa tumulo membra laxaret. Victricemque animam et gloriosa professione sublimem : ad beate sedis amenitatem tendentem : in Habrahe suscipiendam gremio securus emisit. Unde merito cunctus ille angelice congregationis exercitus : in hac martyris tui congressione : tuam Domine diebus ac noctibus virtutem magnificare non desinit : proclamans atque ita dicens.

Dicat Chorus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : gloriosus : potens et admirabilis Dominus noster Jesus Christus filius tuus : cujus **26** confessionem in martyribus illatus furor non admittit : cujusque amorem insanientium cruciatio non extinguit. Hujus itaque nomen beatissimus Saturninus martyr tuus : et ante supplicium prædicavit : et inter supplicia non denegavit. Cum persequentium circumdatus obicibus : coactusque sacrificare demonibus renuit : te unum et verum Deum voce clara se testatus est credere : pro quo etiam et animam posuit usque ad mortem : per ipsum Dominum ac Redemptorem eternum.

Post pridie. Oblatum tibi hoc sacrificium Deus Pater in hujus martyris tui Saturnini solennitate serenus accepta : et illius invisibilis gratie tua benedictione sanctifica. Et sicut idem martyr participatione tua gracidus presentia sua demonifica fecit simulacra silere : ita nos horum Sacramentorum perceptione extirpemus in nobis omnem diabolice temptationis horrorem.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Ecce dilectissimi fratres fide relata cognovimus : beatissimum Saturninum : et [b] gladii pontificalis Sacerdotio functum : et ad terga tauri illigatum pedibus martyrio consecratum. Unde omnipotentem Deum qui ei geminam coronam Sacerdotis scilicet et martyrii largitus est deprecemur. Ut vel fides nos apud Deum commendet : qui supplicium nullum patimur propter fidem. Ut spes nos non destituat miseros : quos non efficit effusio sanguinis gloriosos. Atque recreati per momenta : divinis consolemur sermonibus : cum ad Deum proclamaverimus e terris. Pater noster qui es in cœlis.

Benedictio. Christus Dominus : cujus nomen beatissimus Saturninus inter furores gentium clara voce confessus est : confiteatur nomina vestra coram Patre suo et coram Angelis ejus. ℟. Amen.

Quique in prædictum martyrem habitans simulacris demonicis ademit responsum : ipse orationibus vestris aperiat sue pietatis auditum. ℟. Amen.

Ut cum eo post illud seculum vitam retineatis perpetuam : ob cujus amorem presentia diei celebratis solennia. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri qui vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen.

Hic dicat Chorus : Gustate et videte. *Oratio post communionem.* Gustantes Domine suavitatis. *Cetera omnia ut in prima Missa.*

IN SANCTI [c] ANDREE APOSTOLI.

Ad Missam. [d] *Officium.*

Sancta Crux antequam te Dominus ascenderet timorem terrenum habuisti : modo vero amorem celestem obtines alleluja alleluja. [e] ℣. Domine probasti me et cognovisti me tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. *P.* Modo vero. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. *P.* Modo vero.

Dicat Presb. Gloria in excelsis.

Oratio. Gloria nostra Deus noster : qui in celis ab Angelis demonstraris : et in perpetuum decantaris : hic solenniter ac fideliter predicaris : presta nobis amplissima pietatis tue a malis propriis liberari ; et semper in tuis laudibus gloriari. ℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Prophetia. Justus si morte occupatus. *Require retro in Sancti Clementis fol.* 20

[f] *Psall.* Magnificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me dum clamavero ad eum. ℣. Cum

[a] *Statimque.* Consule Acta, Venantium Fortunatum, et Sidonium Apollinarem citatos.

[b] *Gladii Pontificalis.* Num forte legendum *gradus pontificalis;* tamen episcopi jus gladii spiritualis a Christo acceperunt, et ab initio eo jure usi sunt.

[c] *S. Andreæ.* Kalendarium Bucherianum silet de festivitate sancti Andreæ apostoli, fortasse quia sedente Liberio pontifice nondum erat Romæ basilica ejus nomini dicata. Simplicius enim, qui anno 468 pontifex ordinatus est, translata ad hunc usum basilica Siciniana, primus ecclesiam sancto Andreæ consecravit, ut versus musivo opere apsidi basilicæ inscripti demonstrant. Vide Ciampinum *Veter. Monument. part.* I, *c.* 7, 17). De eodem sancto apostolo silet pariter Kalendar. apud Bolland. (*Tom. VII Junii, p g.* 1). Festivitas *sancti Andreæ apostoli et martyris* inscribitur vetusto Carthaginensi Kalendario. De eodem agunt die 30 Novembris Martyrologia Latinorum, Græcorum Menologia, et libri liturgici, Missale et Breviarium Mozarabum, Orationale Gothicum, et Missale Gallo-Gothicum, in quo missa sancti Andreæ post Epiphaniam cum aliis quibusdam quæ in Adventum cadunt collocatur.

[d] *Officium.* Desumptum est *ad missam officium* ex vulgata epistola presbyterorum et diaconorum Achaiæ, quæ, inquit Sollerius (*In Martyrolog. Usuardi, ad diem* 29 *Novembr.*), omni ferme Christiano ævo circumlata est. Ex hac epistola locum insignem de sacrificio eucharistico depromunt Etherius et Beatus (*Lib.* I *adv. Elipandum*). Nonnulla ex eodem fonte hauserunt Missale Gallo-Gothicum, Antiphonarius Gregorianus in introitu missæ sancti Andreæ, et præfatio ejusdem missæ in Gregoriano Menardi, quibus, ut notant eruditi Editores operum sancti Gregorii, *corroborantur Acta sancti Andreæ, probaturque non ita recentem esse eorum publicationem.* De hac re plura lege apud Tillemontium (*Tom. II not.* 2 *in S. Andream*), Bartholomeum German. (*De veter. Hæret. sacr. Cod. corruptor., lib.* II, *pag.* 221), Natalem Alexandrum (*Tom. I, pag.* 46), Andream Saussaium episcopum Tullensem, In Vindiciis quas pro Historia passionis adjecit duodecim libris de gloria sancti Andreæ.

[e] ℣. Ps. CXXXVIII, 1.

[f] *Psallendo.* Ps. IV, 3.

invocarem te exaudisti me Deus justiciæ meæ in tribulatione. *P.* Dominus exaudi.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Galathas
([a] *Cap. VI*).

Fratres Bonum facientes ne deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus : operemus bonum ad omnes homines : maxime autem ad domesticos fidei. Videte qualibus literis : scripsi vobis manu mea. Quicumque volunt placere in carne : hi cogunt vos circumcidi : tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt : sed volunt vos circumcidi: Ut in vestra carne glorientur. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est : et ego mundo. In Christo enim Jesu : neque circumcisio aliquid valet : neque prepucium : sed nova creatura. Et quicunque hanc regulam secuti fuerint : pax super illos : et misericordia et super Israel Dei. De cetero : nemo **27** mihi molestus sit. Ego autem stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro.

℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mattheum
([b] *Cap. XVI*).

Illo in tempore Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Si quis vult post me venire abneget semetipsum : et tollat crucem suam et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere : perdet eam. Qui enim perdiderit animam suam propter me : inveniet eam. Quid enim prodest homini ut mundum universum lucretur : se autem ipsum perdat : et detrimentum sui faciat? Nam qui me arguerit et meos sermones : hunc filius hominis erubescet : cum venerit in majestate sua : et Patris et sanctorum Angelorum. Dico autem vobis vere : sunt aliqui hic astantes : qui non gustabunt mortem : donec videant regnum Dei.

℟. Amen.

Lauda. Alleluja. ℣. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum et non confundebar alleluja.

Sacrificium. Fulgebit justus. *Require in Sancti Clementis fol.* 21.

Missa. Anniversaria beati Andree apostoli ac martyris natalicia celebrantes : consideremus dilectissimi fratres quanta mentis alacritate isdem vir sanctus sequi cepit Salvatorem. Nam sicut Evangelia sacra testantur : dum secus mare ambulans hunc et Petrum

A vocare Dominus dignaretur : audita voce vocationis Christi : terrena omnia derelinquentes : cunctaque simul vitia vite veteris respuentes : a mundanarum jamque rerum curis expediti et liberi : atque ab omnium vitiorum nexibus absoluti : Salvatoris ac Domini vestigia sunt secuti. Horum ergo nos exemplis accensi : sequamur Christum : contemnamus mundum : cum suis operibus transiturum. Nulla nos cupiditas mundana retineat : nec periturarum amor rerum a Salvatoris nostri nos amore disjungat. Quatenus Sanctorum sequendo vestigia : pervenire mereamur ad gaudia sempiterna.

℟. Amen.

Alia Oratio. Supplices te rogamus clementissime Deus : ut Sancto tuo Andrea apostolo ac martyre obti-

B nente : tue cognitionis gratiam uberiori copia atque eminentiori perspicatia consequamur. Nec enim hoc rogantes : eodem interveniente nos adepturos esse diffidimus : quem tanto tuæ dilectionis calore succensum agnoscimus. Ut non solum eis qui eo predicante in te credebant salutaria verbi pocula ministraret : sed ipsum quoque impiissimum [c] Egeam persecutorem : ut ab idolorum vanissimo cultu recederet : et verum Deum agnosceret : piis adhortationibus ammoneret. Verum quia nepharius ille ac perfidus gratiam tuæ cognitionis : quam ceca superbaque mente contempsit : quia non meruit : utique nec accepit. Presta nobis humillimis servis tuis : ut qui te Deum tuo dono credentes agnoscimus : et agnoscentes fatemur : a te nunquam penitus recedamus.

C Sed dum tibi subjicimur : tibique fideliter inhæremus eternitatis tue munera sortiamur.

Chorus resp. Amen.

Post nomina. Oratio. Nominibus Sanctorum Martyrum offerentiumque fidelium : atque eorum qui ab hoc seculo transierunt : a Ministris jam sacri Ordinis recensitis : te Dominum Deum nostrum per intercessum sancti tui Andree apostoli et martyris deprecamur. Ut et martyrum patrocinia nobis semper opitulentur : et offerentium obsequia a te clementer accipiantur : ac defunctorum fidelium animabus celestium receptacula mansionum : et sempiterna quietis tutamina tribuantur.

℟. Amen.

Ad pacem. Redemptor noster et Domine Omnipo-

D tens Jesu Christe : qui per sanguinem crucis tuæ omnia pacificare dignatus es : sive que in celis sunt : sive que in terris. Dum discordiam que inter Angelos et homines per culpam primi parentis contracta fuerat : verum hominem assumendo : ac pro omnibus

[a] *Cap. VI.* Vers. 9-18.

[b] *Cap. XVI.* Pars prima hujus Evangelii est ex Matthæi xvi, 24; pars altera ex Lucæ ix, 25.

[c] *Egeam.* In Actis sancti Andreæ Ægeas dicitur proconsul, nec obstat quod nomen Romanum non sit. Romani enim nonnunquam Græca cognomina habebant. In hymno Bedæ de sancto Andrea Ægeas dicitur *dux Achæus*, quod iis favet qui opinantur, sanctum Andream passum esse postquam Nero Achæos libertati restituerat; ii Ægeam aiunt fuisse hominem Græcum Achæorum magistratum. In libello de Vitis Apostolorum, versioni Græcæ libri sancti Hieronymi de Viris illustribus adnexo, cruci affixus dicitur sanctus Andreas *ab Ægia*, τοῦ βασιλέως Ἐδεσσηνῶν, *rege Edessenorum*, et in translatione Latina, *a præfecto Edessenorum.* Fortasse huic narrationi error aliquis subest : constat tamen, ipsos Augustos aliquando, honoris causa, gessisse magistratus municipales; quid mirum igitur si regulus ille susceperit summum apud Achæos magistratum, ut adularetur Neroni, qui Achaiam liberam esse jusserat.

moriendo : per crucis tue [t]opheum resolvisti : et pacem inter celestes terrestresque creaturas factor et reparator omnium : atque Angelorum conditor reformasti : **28** acclines te cum omni humilitate deposcimus : ut per obtentum sancti Apostoli et martyris tui Andree pacem tuam : que exuperat omnem sensum non solum hominum : sed etiam ipsorum Angelorum in nostris cordibus perhenniter exultare concedas

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere : te semper benedicere : teque laudare : summe et omnipotens Deus Pater. A quo beatus Andreas apostolus insuperabili protectione munitus : convertens ad fidem populos gloriam crucis Christi predicavit intrepidus : et crucis cruciamenta pro crucifixo Domino suscepit letus atque securus. Dumque de passionis sue cruciatibus letaretur : de persecutoris sui tantummodo interitu condolebat : eumdemque persecutorem : ut eternas penas evaderet [a] exortabat. Sed quod plerumque magis ac magis damnationis pena augmentaretur : quo veritatis ejus predicatio non taceiur. Unde apostolus et martyr salutaria [b] honoramenta illi non tacuit : et inde persecutoris immanis majori crudelitatis atrocitate seviens in necem apostoli quasi more frenetici : ad vindictam medici consulentis exarsit : atque antidotum saluti congruum quod illi medicus obtulit : quasi vitam medici perempturus : ipse medico furens eger bibendum dedit. Dum patibulum gloriose crucis : quod omni laude predicans apostolus extulit : persecutor crudelis eumdem apostolum subire precepit. Sed letus gaudensque hoc medicus sumpsit : quod eger insanabilis non credendo abjecit. Nesciens miser quia hoc antidotum licet in gustu [c] parum sentiat amarum : in suavitate tamen dulce est ac jocundum. Dum per hoc et salus habita perhenniter habenda servatur : et salus amissa nunquam penitus amittenda recipitur. Per eum quem tecum et cum Sancto Spiritu unum Deum collaudant Angeli : omnesque superne virtutes sine intermissione ita dicentes.

Dicat Chorus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus : vere benedictus Redemptor noster et Dominus Jesus Christus. Qui amarum passionis poculum ideo quasi verus medicus pregustavit : et ut admissam nostre salutis nobis copiam restauret : et nos ad hoc sumendum prior

A ipse summe provocaret : ipse Dominus ac Redemptor eternus.

℟. Amen.

Post pridie. Credimus pariter et fatemur summe ac credulitatis impulsu tacere non sinimur : te Deum Redemptorem : quem nostrum pro nobis miseris in cruce fuisse suspensum. Descendisse etiam in infernum : ut nos resurgens elevares ad celos. Reliquisse etiam nobis exemplum : ut te sequentes Dominum : passiones tolleremus in mundum. [d] quo expleto beatus Andreas discipulus tuus ac martyr et apostolus informatus : [e] crucis pro te supplicium devota mente portavit. Fac nos quesumus Domine ipso intercedente hoc tui corporis sanguinisque mysterium spi-

B ritus tui rore sanctificatum : ad nostrarum remedium sumere animarum.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Oratio. Deus a quo [f] unicus tuus in hunc mundum missus : ac pro nobis in cruce suspensus : nostre redemptionis precium dedit sanguinem suum : ut reconciliati per ejus mortem filiorum apud te promereremur adoptionem : ejusdem nostri mediatoris obtentu nobis nec merentibus [g] tribuat : ut possimus te patrem fiducialiter appellare : et orationem quam ipso docente didicimus : ad te non solum vocibus : sed et meritis proclamare in terris. Pater noster qui es in celis.

C ℟. Amen.

Benedictio. Sanctus Andreas apostolus : qui pro crucifixo Domino ac Redemptore nostro : est in cruce suspensus : pro vobis ipsi Domino gratiæ providus existat semper patronus. ℟. Amen.

Et ob cujus celebrandam solennitatem alacer est hodie vester conventus : sit pro peccatis vestris ante Deum intercessor assiduus. ℟. Amen.

Ac sicut hic sanctus virtute fretus Dei crucifixi per crucis victoriam diabolum **29** superavit : ita vos per mortificationem crucis cuncta vitia conculcetis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius etc.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et

D cum spiritu.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *ut supra in prima Missa*.

[a] *Exortabat*. Lege *exhortabatur*.

[b] *Honoramenta*. Forte, *hortamenta*.

[c] *Parum sentiat amarum, in suavitate tamen*. Tolle *parum sentiat amarum*, et illud *in suavitate*, et lege: *Licet gustu amarum, pereuntibus dulce tamen est, ac jucundum* fidelibus sanctis.

[d] *Quo expleto*. Lege *quo exemplo*.

[e] *Crucis*. Nihil magis vulgatum quam quod sanctus Andreas crucis supplicium obierit. De figura crucis cui affixus est disputant Lipsius (*De Cruce, cap.* 7), Joannes Jacobus Chiffletius (*In Historia civitatis Visuntinæ, part.* I, *c.* 4). Si fides pseudo-Hippolyto, sanctus Andreas crucifixus est *rectus in arbore olea*; cui favet sanctus Petrus Chrysologus (*Serm.* 133), cum ait : *Petrus namque crucem, arborem Andreas ascendit*. Crux sancti Andreæ, quam apud Massilienses in celebri sancti Victoris cœnobio vidi, ex duobus lignis dedolatis compacta est, ad angulos rectos conjunctis, adeo ut, pro situs varietate vel hanc ✠ figuram, vel illam X efficiat; est autem longa pedes circiter octo, et totidem lata, de quo Saussaius (*Martyrol. Gallican., die* 30 *Nov.; lib. de gloria S. Andreæ, p.* II, *lib.* III, *c.* 2, *art.* 2).

[f] *Unicus tuus*. Fortasse, *unicus Filius tuus*.

[g] *Tribuat*. Lege *tribue*.

IN [a] SANCTE EULALIE VIRGINIS.

Ad Missam. [b] *Officium.*

Alleluia : ortus conclusus soror mea : fons signatus emissiones tue alleluja. Paradisus cum pomorum fructibus. Alleluja. Alleluja. ℣. Specie tua et pulcritudine tua intende prospere procede et regna. *P.* Paradisus. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen.' *P.* Paradisus cum.

Dicat Presb. Gloria in excelsis.

Oratio. Gloria nostra Deus noster : qui in celis ab Angelis demonstraris : et in perpetuum decantaris : hic fideliter ac solenniter predicaris : presta nobis amplissima pietate tua a malis propriis liberari : et semper in tuis laudibus gloriari. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis ([c] *Cap. XXIV*).

℟. Deo gratias.

Sapientia laudabit animam suam : et in Domino honorabitur. In medio populi sui gloriabitur : et in ecclesiis altissimi aperiet os suum : et in conspectu virtutis illius honorabitur. In medio populi exaltabitur : et in plenitudine sancta admirabitur. In multitudine electorum habebit laudem : et inter benedictos benedicetur dicens. [d] Quasi cedrus exaltata sum in Libano : et quasi cypressus in monte Syon : et quasi palma exaltata sum in Cades : et quasi plantatio rose in Hiericho. Quasi oliva speciosa in campis : et quasi platanus [e] dilatata sum juxta aquam. In plateis sicut cinamomum et [f] affaltum aromatizans odorem dedi : quasi mirrha electa dedi suavitatem odoris. Quasi storax et galbanus : et ungula et gutta : et quasi Libanus non incisus. Vaporavi habitationem meam : et quasi balsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebintus expandi ramos meos et rami mei honoris et gratie. Ego quasi vitis fructificavi odorem suavitatis : et flores mei flores honoris et honestatis. Ego mater pulcre dilectionis : et timoris et agnitionis et sancte spei. In me gratia omnis vite et veritatis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me : et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis : et hereditas mea super mel et favum. Memoria mea

[a] *S. Eulalie.* In Martyrologiis tres invenio Eulalias virgines et martyres, unam Romanam, et binas Hispanas, alteram Barcinonensem, Emeritensem alteram. *III Idus Decembris, Romæ, sanctæ Eulaliæ Traxonis*, alii *Trasonis Pontiani*, etc., in Lucensi Florentinii, in Corbeiensi Acherii, et in vetustissimo Antuerpiensi, apud Florentinium, in notis, legitur. Rursus in Martyrologio Antissiodorensis monasterii : *II Idus Decembris, Romæ, Eulaliæ;* eademque die Eulaliam hanc colunt Morbacense et Laurishamense Georgii, in quo *virgo et martyr* dicitur. Sancta Eulalia Barcinonensis pr. Idus Februarii colitur, in vetusti Martyrologii Hispani fragmento (*Apud Bolland., tom. VI Julii*), in Romano Parvo, et in aliis, de quibus in Sanctorali agam. Eulaliam Emeritensem tabulæ ecclesiasticæ Latinorum omnes ferme celebrant. Solus Beda, ex Martyrologiorum scriptoribus, insignem hanc martyrem ignorasse videtur, inquit Sollerius (*In Martyrol. Usuardi*). Sed cum apud omnes occidentalis Ecclesiæ gentes celeberrima esset Eulalia Emeritensis, factum est ut ejus nomen prid. Id. Decembris, sanctæ Eulaliæ Romanæ sacra, Lucensi Florentinii, Antuerpiensi, aliisque quibusdam Martyrologiis, inscriberetur; at contra, eadem tamen de causa, accidit ut IV Idus Decembris, qua die colitur Eulalia Emeritensis, in Bedæ genuino Martyrologio, in Corbeiensi Martenii, et in Stabulensi, legatur Eulalia Barcinonensis. Porro sanctam Eulaliam Emeritensem passam esse IV Idus Decembris optimæ et vetustissimæ Ecclesiarum tabulæ indicare videntur, quibus ea die inscribitur natalis ejus. Carthaginense Kalendarium, IV Idus Decembr.: *Sanctæ Eulaliæ;* Corbeiense Martyrologium Acherii, IV Idus Dec. : *In Hispania civitate Emerita, passio sanctæ Eulaliæ;* Lucense Martyrologium Florentinii, IV Idus Dec.: *In Hispania civitate Almeri* [lege Emerita], *sanctæ Eulaliæ virginis et martyrio.* His unum Wandelbertum addam, quibus reliqui subscribunt :

Eulaliam sancto quartis veneramur amore,
Hispaniam Emeritam cujus cruor ossaque servant

Sanctus Gregorius Turonensis (*De Gloria martyrum, lib.* I, *c.* 91) scribit passionem sanctæ Eulaliæ Emeritæ celebrari medio mense decimo, fortasse quia diebus octo celebraretur, a decima ad diem decimam octavam Decembris. Prudentius integro hymno tertio de coronis martyrium sanctæ Eulaliæ cecinit. De eadem rursus, hymn. 4 de coron. canit :

Lusitanorum caput oppidorum
Urbs adoratæ cineres puellæ
Obviam Christo rapiens, ad aram
Porriget ipsam.

Hymno 11 de coron., passionem et festum sancti Hippolyti describens, *inter solemnes Cypriani, vel Chelidonii*, reponit diem festum Eulaliæ. Sanctæ Eulaliæ Emeritensis mentionem quoque fecerunt Idatius, in Chron. (*Olymp.* 202, 209), et sanctus Isidorus (*In Chron. Goth., ær.* 491) Theodoricum a deprædanda Emeritensi urbe *beatæ Eulaliæ ostentis* prohibitum, *mox adversis sibi nuntiis* territum, *de Emerita* egressum Gallias repetiisse scribit. Paulus Diaconus Emeritensis, in libello de Vitis Patrum Emeritensium, plura passim commemorat de sancta Eulalia ejusque ecclesia, et c. 12 meminit de tunica sanctæ Eulaliæ, quam Massona episcopus renuit tradere Leovigildo regi, qui eam Toleti in basilica Arianorum asservari volebat. Venantius Fortunatus (*lib.* VIII, *carm.* 4) et Adelhelmus (*De Gloria virginitatis*) sanctam Eulaliam carmine celebrant; eamque Mozarabes, in suo Missali et in Breviario, officio proprio, et in Orationali Gothico pluribus orationibus, IV Id. Decembris colunt. Est etiam in Missali Gallo-Gothico missa propria sanctæ Eulaliæ; at an Emeritensis Eulaliæ, an potius Barcinonensis, alibi inquiram. Sancta Eulalia Emeritensis passa esse creditur in persecutione Diocletiani anno ær. Christianæ 303, sub Calphurniano præside, ut habent Acta martyrii ejus, apud Tamajum de Salazar. (*In Martyrol. Hispan., tom. VI, pag.* 443), interpolata quidem, non tamen in omnibus rejicienda.

[b] *Officium.* Cantic. IV, 12. ℣. Ps. XLIV, 5.

[c] *Cap. XXIV.* Vers. 1-31.

[d] *Quasi cedrus.* Vers. 17.

[e] *Dilatata.* Vulg., *exaltata.*

[f] *Affaltum.* Vulg., *balsamum.* Syr., *thus aromaticum.* In Græco, ἀσπάλαθος; est aspalathus, teste Plinio (*Hist. nat. lib.* XII, § 52, *Edit. Harduini*) spina candida, flore rosæ, ad modicæ arboris staturam in Ægypto crescens. De eadem rursus, lib. XXIV, § 69, Plinius agit, et, ibid., § 68, scribens de spina quam hyppophæston appellant : *Illa*, inquit, *per Hispanias multi inter odores et ad unguenta utuntur, aspalathum nominantes.* Unde patet *aspalathum* apud Hispanos usitatum fuisse vocabulum ; ab *aspalatho* autem corruptione vulgi natum puto *affaltum.*

in generatione seculorum. Qui edunt me adhuc esurient : et qui bibunt me adhuc sitiunt. Qui audient me : non confundentur : et qui operantur in me : non peccabunt. Qui elucidant me vitam eternam possidebunt.

℟. Amen.

Dicat Chorus. [a] *Psallendo.* Audi filia et vide : quia concupivit rex decorem tuum. Et ipse est Deus tuus. ℣. Lingua tua calamus scribe velociter scribentis : diffusa est gratia in labiis tuis propterea benedixit te Deus in eternum. *P.* Et ipse est Deus tuus.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Corinthios ([b] *II, cap. X*).

℟. Deo gratias.

Charissimi. Qui gloriatur : in Domino glorietur : non enim qui seipsum commendat : ille probatus sit : sed quem Deus commendat. [c] Utinam sustineretis modicum quid insipientie mee : sed et supportate me : emulor enim vos Dei emulatione. Despondi enim vos uni viro : virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua : ita corrumpantur sensus vestri ut excidant a simplicitate et charitate que est in Christo. Nam si is qui venit alium Christum predicat quem non predicavi vobis : aut alium spiritum accipitis quem non accepistis : aut aliud evangelium quod recepistis : recte pateremini. et extimo enim nihil me minus fecisse in vobis a magnis Apostolis. Et si imperitus sum sermone : sed non scientia. In omnibus autem manifestatus sum vobis : [d] per fidem que est in Christo Jesu Domino nostro.

℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum ([e] *Cap. XIII*).

Illo in tempore dixit Dominus Jesus discipulis suis : parabolam hanc. Simile est **30** Regnum celorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo : abscondit : et pre gaudio illius vadit : et vendit universa que habet : et emit agrum illum. Iterum simile est regnum celorum homini negotiatori : querenti bonas margaritas. Inventa autem una preciosa margarita : abiit et vendidit universa quæ habuit : et emit eam. Iterum simile est regnum celorum sagene misse in mare : et ex omni genere piscium congreganti. Quam cum impleta esset : educentes et secus litus sedentes : elegerunt bonos in vasa sua : malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exibunt Angeli et separabunt malos : de medio justorum : et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium. Intellexistis hec omnia?

A Dicunt ei. Etiam. Ait illis. Ideo omnis scriba doctus in regno celorum similis est patrifamilias : qui profert de thesauro suo nova et vetera.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Cantet Chorus. [f] *Lauda.* Alleluja. ℣. Lauda filia Syon letare et exulta filia Hierusalem. *P.* Alleluja.

Dicat Presb. Adjuvate me fratres.

[g] *Sacrificium.* Sicut cedrus exaltata sum in Libano et quasi cypressus in monte Syon : quasi mirrha electa dedi suavitatem odoris alleluja. ℣. Sicut storax et galbanus et onix et gutta : et quasi Libanus [h] non incensus vaporavi habitationem meam : ego quasi terebintus expandi ramos : et rami mei honoris et B gratiæ : ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris : in me spes omnis vite et virtutis : transite ad me omnes qui concupiscitis me : et a generationibus meis adimplemini; spiritus enim meus super mel dulcis. *P.* Quasi mirrha electa dedi suavitatem odoris alleluja.

Missa. Omnes qui sub impugnantium certamine viciorum : aut vulnerati turpiter : aut perempti de carnis fragilitate conquerimur : [i] quique ignavie mentis excusatione corporee imbecillitatis occulimus fratres charissimi : et propositum aspiciamus Eulalie virginis : et triumphum. Que nec sexui subjecta nec corpori : virile contemnendo contagium : fit virilis. In qua non fuit corruptele portio : ut esset gratie plenitudo. [j] Quam credulitatem fide : libidinem C castitate vincentem : et ornavit virginem admiratio castitatis : et coronavit martyrem gloria passionis : que dum vitiis repugnat et gladiis. dum et ferrum spernit : et coitum. et credulitatis sue hostem pertulit : et etatis. Hujus ergo intercessu omnipotentiam summi patris oremus : ut sicut ab eo ejus invicta virginitas locari meruit in regione celorum : ita nobis concessa venia delictorum : concedatur locus in regione viventium.

℟. Amen.

Alia Oratio. Letetur in te Domine quæso virginitas : et [k] huic proxima congaudeat continentia. Non sexum querunt hujusmodi bella : sed animum. Non mucronis confidentiam : sed pudoris. Non etiam personas discussuras : sed causas. impune inter D armatas transit acies innocens conscientia : que superavit crimina : superat et metalla. Facile vincit alios : quisquis se vicerit. et cum laudabile sit viro fecisse virtutem : majoris tamen præconii est fecisse virginem rem virilem. Prophanum sacra ingreditur puella concilium : et solum Deum in pectore gestans

[a] *Psallendo.* Ps. XLIV, 11, 12. ℣. Ibid., 2, 3. Verba autem aliter disposita sunt quam in textu Scripturæ.

[b] *Cap. X.* Vers. 17, ad cap. XI vers. 6.

[c] *Utinam.* Initium capitis undecimi.

[d] *Per fidem.* Hæc, et quæ supersunt hujus Epistolæ, in Vulgata, Græca, Syriaca non leguntur.

[e] *Cap. XIII.* Vers. 44-52.

[f] *Lauda.* Sophon. III, 14.

[g] *Sacrificium.* Ex Ecclesiastici XXIV, 17, 20. ℣. Ibid., 20-27.

[h] *Non incensus* Lege *non incisus.*

[i] *Quique.* Lege : *Quique ignaviam mentis.*

[j] *Quam credulitatem fide.* Lege *crudelitatem fide.*

[k] *Huic proxima.* Auctor de Bono pudicitiæ, inter opera sancti Cypriani : *Sed enim pudicitia locum primum in virginibus tenet, secundum in continentibus, tertium in matrimoniis, verum in omnibus gloriosa est cum gradibus suis.*

infert violentiam passioni. Nec deest lictor tam impudens quam crudelis : [a] qui sponsam (secure dixerim) Christi : fornicantium verberibus oculorum : supplicio libidinante torqueret. Ut que penas in adulterio non luebat : saltem penas adulteras sustineret. Dudum quod gravius carnifex putat expectantium oculis corpus exponit : et per divaricatas viscerum partes : ictuum sulcos cursus fusi sanguinis antecedit. Periit tunc tortoris iniqui commentum : sola patiuntur tormenta ludibrium. Habet quidem virginem nostram nuditas : [b] sed pudicam. Discat ergo : discat uterque sexus ex virgine : non pulchritudinem colere : sed virtutem. Fidem amare : non formam. Placiturus Domino : non decoris exspectare judicium : sed pudoris. Sed quia tuum est **31** Christe totum quod hec virgo vicerit : tuum quod meruit : tuum etiam quod peregit. Nec enim tela repellimus adversantium : nisi tue divinitatis beneficio sublevemur. Nunc presta nobis ut sicut hec beatissima martyr tua pugnando præmium adepta est castitatis : ita nos commissorum nostrorum ad te dimissis contagiis : adipiscamur premia tue promissionis.

℟. Amen.

Post nomina. Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : in cujus nomine beate Eulalie virginis ac martyris tue solennia celebramus : que [c] dum ad confessionem duceretur : non illam mortis timor intravit : nec vultus pallor obsedit. Non ira terruit comminantis : non dira vox : non cruenta manus : non etiam turbidus aspectus a proposita passione submovit. Tu nobis martyris hujus gaudentibus de triumpho : et ad te convertendi aditum prebe : et sancte conversationis tribuito dignitatem. Concedens per hanc oblationem tibi a nobis oblatam : et offerentibus perhennis gratie lucrum : et defunctis eterne pausationis solatium.

℟. Amen :

Ad pacem. Deus eterne : cujus gratia protecta virgo Eulalia inter flammas non erubuit confiteri : quod ex flamma tui amoris haurire promeruit. Tu nos ejus precatu inter mundi hujus flammarum procellosa discrimina protege : et tue pacis multiplici incremento adimple. Quo et hic bene vivamus : et ad te de hac vita remuneraturi secura conscientia properemus.

℟. Amen.

Dicat Presb. Quia tu es vera pax nostra etc.

Inlatio. Dignum et justum est Domine Deus : [d] qui tam prudentem virginem fidei sociata apice glorie consecrasti : tibi gratias agere. Ut per quem facta est mater Maria : fieret martyr Eulalia : illa pariendi affectu felix : ista moriendi. Illa implens incarnationis officium : ista rapiens passionis exemplum : Illa credidit angelo : ista resistit inimico. Illa electa per quam Christus nasceretur : ista assumpta per quam diabolus vinceretur. Dignare Eulalia martyr et virgo placitura Domino suo : que Spiritu Sancto protegente [e] tenero sexu bellum forte sudaverit : et ultra opinionem humane virtutis ad tolerantiam penarum zelo tui amoris se obtulerit : cum in specie preciosi Unigeniti sanguinem suum sub testimonio bone confessionis effuderit : et incorrupta flammis viscera in odorem suavissimi thimiamatis adoleverit. [f] Vadit ad tribunal cruenti presidis : non quesita. In qua tam solum fuit animus incontinens ad secretum : quam locus competens ad triumphum. Lucratura regnum : contemptura supplicium : inventura quesitum : visura confessum. Non tre-

[a] *Qui sponsam.* In Actis apud Joannem Tamajum *beatissima Eulalia sanctimonialis puella* dicitur. In Orationali Gothico (*Pag.* 20, *orat.* 5) orant Gotho-Hispani : *Domine Jesu Christe, cui virgo et martyr Eulalia integritate jungitur, et sanguine sociatur, dum tibi et* CASTIMONIAM VOVIT, *et pro te sanguinem fudit, præsta famulis tuis*, etc. Demum Prudentius, in hymno de ejus martyrio eadem docet, cum non *virginem*, sed aperte *sacram virginem* appellat Eulaliam.

[b] *Sed pudicam.* Lege *sed pudica*.

[c] *Dum.* Sanctam Eulaliam Emeritensem in fundo Porcejano, vel, ut alii legunt, Percejano, vigesimo, aut vigesimo quarto, lapide ab Emerita dissito (*Itinerar. Antonin. edit. Wesselingi, pag.* 432), latentem, a conquisitoribus detectam, et publico vehiculo impositam, ut Calphurniano præsidi sisteretur, perductam esse Emeritam testantur Acta ejus martyrii apud laudatum Tamajum (*In Martyrologio Hispano*) et in antiquis Breviariis apud Franciscum Padilla (*Hist. Eccl. Hispan., cent.* 4). Actorum auctoritatem firmat sanctus Eulogius (*Memorial. sanct., lib.* I), qui cum illustribus exemplis indigeret ad tuendam causam martyrum Cordubensium, Justum et Pastorem, Eulaliam Barcinonensem et Babilam episcopum compellat, de Eulalia Emeritensi tacet ; quam illustrem martyrem utique silentio non prætermisisset, si ea sponte se tormentis et morti Christi causa objecisset. Egregie quoque eorumdem Actorum fidem corroborant Missale nostrum hac oratione, in qua sanctam Eulaliam *dum ad confessionem* DUCERETUR mortem non timuisse legitur ; et Orationale Gothicum (*Orat.* 5, *pag.* 20) in quo legitur Christum Dominum sanctam Eulaliam *ita impavidam* reddidisse, *ut persecutionem sequentium impiorum* (conquisitores intelligo) *non* FUGERET, *nec* DECLINARET. Ea autem quæ non fugit insequentes, quæ ducitur ad confessionem, profecto se in periculum sponte non conjicit. Adde quod Prudentius, qui ex duabus Eulaliis unam fecit, cum virgunculam tenellam, ætatis ferme puerilis, laceris pedibus, nocte obscura, *millia multa*, viginti ut minimum, emensam esse scribit, rem incredibilem narrat : addit ille quidem, jure poetarum, angelos comites, sed hos Eulaliam portasse non ait, quod tamen necesse erat, ut iter tam prolixum *per loca senta situ et vepribus* nocte una conficeret. Illud etiam non prætermittendum, Ecclesiæ legibus vetitum fuisse ne quis se sponte persequentibus objiceret. Nec aliter quam speciali Dei impulsu excusatur factum Eulaliæ Barcinonensis et aliorum quorumdam, qui contra hanc legem ecclesiasticam fecerunt.

[d] *Qui tam.* Hæc, usque ad illa verba, *dignare Eulalia martyr*, verbatim eadem habentur *in præfatione missæ* sanctæ Eulaliæ Missalis Gallo-Gothici.

[e] *Tenero sexu.* Hæc et sequentia ibidem, iisdem ferme verbis, habentur in *immolatione missæ* sanctæ Eulaliæ, ut opinor, Barcinonensis.

[f] *Vadit.* Hæc ad Eulaliam Barcinonensem pertinent, quæ sine ullo miraculo tria aut quatuor passuum millia una nocte facere potuit. Ast Eulalia Emeritensis ad tribunal non quæsita minime accessit, sed ducta *ad confessionem* mori pro Christo non timuit.

pila de pena : non ambigua de corona : non defessa de eculeo : non diffisa de premio. Interrogatur : confitetur : occiditur : coronatur. Ingentique miraculo majestas tua exalatum virginis spiritum : [a] quem assumpsit per flammam : suscepit per columbam. Ut hoc prodigio in celis martyr ascenderet : quo in terris filium pater ostenderat. Siquidem nec inhonorum patiantur elementa corpusculum : quod deciduis nix aspersa velleribus : et virtutis rigorem et virginitatis tecta candorem eluceret. vestiret. abscondeet : superni velaminis [b] operimento. celum funeri prestat exequias. et per misericordiam Redemptoris daret anime sedem : pro sepultura redderet dignitatem. Ipse quem collaudant omnes Angeli : omnesque Sancti ita dicentes. *Dicat Chorus.* Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : pro cujus nomine beatissima martyr Eulalia cremandum corpus suum obtulit flammis : suscipiens candentis olei supplicium in mammillis : ac per reliqua suppliciorum genera finem faciens passionis. Illa etenim eculeo imposita cruc'que appensa : te unum et verum Deum in Trinitate professa est in voce sue confessionis : et laudem tui honoris : Ob hoc te petimus immensa bonitas summe Deus : ut qui eam de tot penarum generibus triumphare fecisti : **32** nos ejus precibus et hic in seculo protegendo salvifices : et peracto luctamine mundi : sanctis tuis efficias coheredes : Christus Dominus ac Redemptor eternus.

Post pridie Oratio. Deus qui fervens [c] supplicium plumbi ante oculos illatum Eulalie virgini tue frigidum effecisti : tu e celis ignem illum tui amoris emitte : qui nunquam novit frigescere : quo et hanc

A in honorem martyris tue oblatam tibi sanctifices hostiam : et cordibus nostris consequentis gratie spiritualem impartias medicinam.

℟. Amen.

Ad orationem Dominicam. Recensito dilectissimi fratres [d] simbolo nostre credulitatis : Eulalie virginis intueamur robur fidei vel etatis. Que inter flammas jam in consummatione suppliciorum unum et verum Deum in Trinitate predicat adorandum. Et ideo accedamus ad Deum cum lachrimis : ad quem illa accessit consummato supplicio passionis. Conquerentes apud eum de infirmitate nostra : qui ejus roboravit infantiam. Petentes ab eo quod precipit : ut ipse tribuat quod promisit. Invocantes cum ea pietatis intentione [e] parcendum miserie nostre :

B qua miseratione nos docuit orare semper et dicere. Pater noster qui es in.

Benedictio. Jesus Christus Dominus qui martyrem suam Eulaliam [f] coronavit post flammam : ipse in vobis male cupiditatis restringat incendia. Et qui ejus corpusculum nivei candoris velavit amictu : ipse vos a peccato purificet et delicto. ℟. Amen. Quique ejus spiritum celesti locavit in regno : premium vobis tribuat sempiternum. ℟. Amen.

Hic dicat Chorus. Gustate et videte. *Ut supra in Dominica prima Adventus.*

[g] IN FESTIVITATE ANNUNCIATIONIS SANCTE MARIE VIRGINIS

Que dicitur [h] de la O. Ad Missam. [i] Officium.

Alleluja : Christi generatio sic erat : cum esset

C desponsata Mater ejus Maria Joseph. antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Alleluja. ℣. Spiritus Sanctus superveniet

[a] *Quem assumpsit.* Eadem in Gallo-Gothico, ibid., habentur. De columba quæ, moriente sancta Eulalia Emeritensi, visa est in cœlum volans, testes sunt Prudentius, sanctus Gregorius Turonensis (*De Gloria martyrum*) aliique non pauci. Refert Paulus Diaconus Emeritensis (*In Vitis Patrum Emeritensium, cap.* 1), sanctam Eulaliam Emeritensem specie columbæ candidissimæ apparuisse Massonæ Emeritensi episcopo catholicæ fidei causa in exsilium a Leovigildo rege pulso, eique reditum ad Ecclesiam suam prædixisse; de columba quæ, moriente Eulalia Barcinonensi, in cœlum evolavit, testantur ejus Acta plane sincera, et Beda genuinus, in Martyrologio.

[b] *Operimento.* Idem utrique Eulaliæ Hispanæ contigisse traditur.

[c] *Supplicium plumbi.* De supplicio plumbi liquati et olei candentis, de quo in oratione *post Sanctus*, meminere acta vulgata ejus martyrii. Silet de his Prudentius.

[d] *Simbolo.* Symbolum Constantinopolitanum ante orationem Dominicam, ex decreto Concilii Toletani III recitant Mozarabes.

[e] *Parcendum.* Hoc est Christum Dominum, quem speramus fore ut parcat.

[f] *Coronavit post flammam.* Acta sanctæ Eulaliæ Emeritensis habent, eam, accenso circa crucem, in qua pendebat, rogo, tandem vivicomburio martyrium, hausta flamma, consummasse; et quamvis Prudentius eam igne lampadarum, et flamma quam comæ conceperant, exstinctam esse dicat, quod de Eulalia Barcinonensi testantur ejus Acta, tamen actis sanctæ Eulaliæ Emeritensis patrocinantur Missale et Breviarium nostrum, et Orationale Gothicum, in quibus *flammæ, rogus et ignis* tam frequenter recurrunt ut amplius aliquid videantur indicare quam tormentum haud insuetum lampadarum.

[g] *In festivitate.* Quæ Græcis festivitas ἡ ἁγία τοῦ εὐαγγελισμοῦ ἡμέρα, ut, can. 52, loquitur concilium Trullanum, *sacra faustæ Nuntiationis dies*, vel absolute εὐαγγελισμὸς *Nuntiatio* appellatur, Latinis *Annuntiatio*

[h] *De la O.* Solemnitas Annuntiationis beatæ Virginis bis in Missali et Breviario Mozarabum recurrit, et quotannis bis celebratur ab iisdem, sub ritu duplici sex capparum, die 18 Decembris, ex decreto citato concilii Toletani x, et 25 Martii, ut receptæ in Ecclesia Romana consuetudini sese adaptarent. Hæc, quæ recentior apud illos festivitas est, modo *Annuntiationis* nomen obtinet; illa vero antiquior solemnitas, modo vel *Exspectatio partus*, vel usu vulgi *Sancta Maria de la O* appellatur : quam denominationem

D non ideo sortita est, quia a xv Kal. Januarii solemnes antiphonæ ab O littera incipientes in vespertinis precibus decantentur, harum enim antiphonarum nullum apparet vestigium in Breviario Mozarabum; sed causa nominis petenda est ex peculiari usu Ecclesiæ Toletanæ, quem ex P. Ribadineira (*Flos sanctorum*) refert Joannes Tamajus (*Martyrol. Hisp. T. VI, p.* 485). Absolutis namque vesperis festivitatis Exspectationis partus, omnes, quotquot adsunt, in choro, clerici, sine ordine, voce clara *O* longum proferunt, ad flagrans illud desiderium significandum quo sancti omnes in limbo, in cœlo angeli, totusque orbis tenebatur Nativitatis Redemptoris.

[i] *Officium.* Matthæi I, 18. ℣. Lucæ I, 35.

in te : et virtus altissimi obumbrabit tibi : *P.* Antequam convenirent. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Antequam.

Dicat Presb. Gloria in excelsis.

Oratio. Gloria tibi Deus : tibi semper gloria : cujus assumptorem hominem vidimus quasi gloriam Unigeniti a Patre plenum gratia et veritate. [a] Presta ergo nobis Domine amplissime tue pietatis gratiam : et coeternum tibi permanentem in gloria deitatis.

℟. Amen.

Per misericordiam, etc.

Lectio libri Ezechielis Prophete ([b] *Cap. XLIII*).

[c] Facta est super me manus Domini : et elevavit me spiritus : et duxit me ad portam : que respiciebat ad viam orientalem. Et ecce gloria Dei Israel [d] ingrediebatur : et vox erat Dei quasi vox aquarum multarum : et terra splendebat [e] a majestate ejus. Et cecidi super faciem meam : et majestas Domini ingressa est Domini domum : et audivi loquentem ad me de domo. Et vir qui stabat juxta me : dixit ad me. Fili hominis : locus solii mei et locus vestigii pedum meorum : [f] ubi habito in eternum. [g] Post hec converti me ad viam porte [h] sanctuarii : que respiciebat ad Orientem : que erat clausa. et dixit Dominus ad me. Porta ista quam vides clausa : non aperietur : et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel [i] ingredietur per eam : et erit clausa principi. Et princeps ipse [j] sedet in ea : ut comedat panem coram Domino. Rursumque vidi : et ecce gloria Domini implevit domum Dei. Et [k] audivi vocem dicentis. Benedicta gloria Domini. De loco sancto suo. ℟. Amen.

[l] *Psallendo.* Mater Syon dicet homo : et homo factus est in ea : et ipse fundavit eam excelsus. ℣. Dominus narravit scripturas populorum suorum et principum eorum qui fuerunt in ea. *P.* Et ipse fundavit eam. *Dicat Presb.* Silentium facite.

Sequentia epistole Pauli Apostoli ad Philippenses ([m] *Cap. IIII*).

Fratres gaudete in Domino semper : iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus homini-

...nuntiatio, vel *Adnuntiatio* dicitur. In Hieronymiano Lucensi Florentinii scribitur *Adnuntiatio sanctæ Mariæ de Conceptione.* In Corbeiensi Dacherii est *Annuntiatio sanctæ Mariæ per angelum.* Kalendarium Frontonis habet *Adnuntiatio Domini.* Romanum Parvum Adoni præmissum *Annuntiatio dominica.* Hispanis olim *festivitas dominicæ Matris*, aut *festum sanctæ virginis Mariæ*, ut ex concilio Toletano x, cap. 1, et ex Codice legum Visigothorum (*Lib.* xii, *tit.* 3, *leg.* 6) colligitur. Quibus hæc festivitas in toto Gothorum imperio die xv Kal. Januarii sacra celebritate servari præcipitur. Festivitatem hanc Annuntiationis, sive *Incarnationis* Filii Dei, præcessisse decretum concilii Toletani x, ex ipsius concilii verbis patet : *Invenitur etenim*, inquiunt Patres Toletani, *in multis Hispaniæ partibus hujus sanctæ Virginis festum non uno die agi*; quare, cum dies ipsa Annuntiationis angelicæ cadat frequenter in Quadragesimale, et nonnunquam in tempus Paschale, quo festivæ solemnitates non celebrantur, statutum fuit ut, sublata omni varietate, *solemnitas dominicæ Matris die* xv *Kal. Januariarum omnimodo celebretur*, eamque non minori solemnitate frequentari volunt quam ipsa Christi Nativitas. Quod inquiunt non sine exemplo statutum est : *in multis namque Ecclesiis a nobis et spatiis remotis et terris hic mos agnoscitur retineri.* Nihilominus suspicor mysterium Annuntiationis peculiari festivitate coli cœpisse non diu ante initium sæculi vii; quæ enim antiquiora pro ea citantur testimonia vel dubia sunt, vel conjecturis tantummodo nituntur. Concilium Trullanum, anno 692 celebratum, can. 5, statuit *ut in omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato et Dominica, et sancto Annuntiationis die, fiat præsanctificatorum sacra liturgia.* Quibus evincitur festum Annuntiationis in Oriente tempore Quadragesimæ celebratum esse. Romæ pariter die 25 Martii festum Annuntiationis celebrabant. At de hac solemnitate silent Kalendaria Bucherianum et Carthaginense; unde videtur sancti Augustini ævo in Africa nondum agi consuevisse. De eadem silet Missale Gallo-Gothicum; unica enim quam habet de beata Virgine missa est *in Assumptione sanctæ Mariæ matris Domini nostri*, qua ejus mors et in cœlum translatio commemoratur; *in contestatione cujus sicut gratulati sumus ortu, tripudiavimus partu, ita glorificamur in transitu.* Quibus videntur Galli innuere se festum *Nativitatis* Virginis celebrasse, de qua festivitate nihil in Missalibus Gallicis reperitur. In Sacramentario Bobiensi sunt binæ Missæ de beata Virgine, quarum prima *in sanctæ Mariæ solemnitate* ad Annuntiationis solemnitatem haud obscure pertinet; altera est *missa in assumptione sanctæ Mariæ.* In Lectionario Luxoviensi est *legenda in festivitate sanctæ Mariæ*, quæ fortasse ad Annuntiationem spectat. Cæterum missæ hæ Gallicæ non ante Nativitatem Domini, sed post Epiphaniam celebrabantur; quo argumento, si alia deessent, probatur libros hosce Liturgicos Gallicos esse, non Gotho-Hispanos.

[a] *Presta.* Fortasse legendum : *Presta ergo nobis, Domine, amplissimæ tuæ pietatis gratia, te pro nobis humilem fide agnoscere in sinu Matris, et coæternum Patri permanentem in gloria Deitatis.* (*Vide Orat. Goth.*, *p.* 44, *orat.* 5.)

[b] *Cap. XLIII.* Prophetia hæc ex laciniis Ezechielis prophetæ cap. xl, xliii, xliv, et ex cap. ii et iii consuta est.

[c] *Facta est.* Initium prophetiæ desumptum est ex cap. xl, 1, cap. xliii, 1, 5.

[d] *Ingrediebatur.* Vulg. et LXX addunt *per viam orientalem.*

[e] *A majestate ejus.* Post hæc omittuntur lineæ aliquot.

[f] *Ubi habito.* Vulg. et Chal., *ubi habito in medio filiorum Israel in æternum.* LXX, *in medio domus Israel in æternum.*

[g] *Post hæc.* Desumptum est ex capite xliv, 1 seq.

[h] *Sanctuarii.* Vulg. et LXX addunt *exterioris.*

[i] *Ingredietur.* Vulg., *ingressus est.*

[j] *Sedet.* Vulg., Chal., LXX, *sedebit.* Omittuntur aliquot lineæ.

[k] *Et audivi.* Prima pars hujus desumpta est ex Ezech. ii, 2, et secunda ex eodem, cap. iii, 12.

[l] *Psallendo.* Ps. lxxxv, 5. Vulg., *nunquid Sion.* At Italica, *mater Sion.* ℣. Ps. lxxxvi, 6.

[m] *Cap. IV.* In Lectionario Luxoviensi, et in Sacramentario Bobiensi binæ tantummodo lectiones huic festivitati assignantur. In Luxoviensi Epistola est ex Apostolo I Cor. vii, 25-40, Evangelium ex sancto Luca, cap. i, 39-56. In Bobiensi Epistola est ex Apostolo, Ephes. vi, 1-10, Evangelium ex sancto Luca, cap. ii, 41-50. In Missali Toletano legitur Epistola ex Isaia, xi, 1-5, quod olim, ut et in libro Comitis, legebatur in Ecclesia Romana; modo in Missali sancti Pii V legitur ex Isaia, vii, 10. Evangelium autem tam in Toletano, quam in Missali sancti Pii V, legitur ex sancto Luca, i, 26-38.

lus : Dominus prope est. Nihil soliciti sitis : sed in omni oratione et obsecratione : cum gratiarum actione : petitiones vestre innotescant apud Deum. Et pax Dei que exuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias **33** vestras : in Christo Jesu. De cetero fratres : quecunque sunt vera : quecunque pudica : quecunque justa : quecunque sancta : quecunque amabilia : quecunque bone fame. Si qua virtus. [a] Si qua laus : hec cogitate que et didicistis : et accepistis : et audistis : et vidistis in me. Hec agite : et Deus pacis erit vobiscum.

℟. *Chorus.* Amen

Principium Sancti Evangelii secundum Matth. ([b] *Cap. I*).

Liber generationis Iesu Christi filii David : filii Abraam. Abraam genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. [c] Jacob autem genuit Joseph virum Marie [d] de qua natus est Christus. Omnes ergo generationes ab Abraam usque ad David : generationes quatuordecim. Et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim : et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim. Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph : antequam convenirent : inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus cum esset justus : et nollet traducere eam : voluit occulte dimittere eam. Hec autem eo cogitante : ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei dicens : Joseph fili David : noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est : de Spiritu Sancto est est. Pariet autem filium : et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est : ut adimpleretur quod dictum est a Domino per [e] Esaiam prophetam dicentem : Ecce virgo in utero habebit et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emanuel : quod est interpretatum : nobiscum Deus.

℟. Amen.

[f] *Lauda.* Alleluja. A dextris tuis Domine adsistit regina : in vestitu deaurato circumamicta varietate alleluja.

[g] *Sacrificium.* Confortamini et jam nolite timere : ecce

A enim Deus noster retribuit judicium. Ipse veniet et salvos nos faciet alleluja. Audite itaque domus David : [h] non pusillum vobis certamen prestare hominibus quoniam Dominus prestat certamen propterea dabit vobis signum : ecce virgo in utero concipiet et pariet filium : et vocabitis nomen ejus Emanuel. *P.* Ipse veniet.

Missa. Erigamus queso fratres charissimi in sublime oculos nostros : visuri gloriam Salvatoris. Quomodo Virginem dignatus : ut conciperet. quomodo matrem remuneratur : ut pariat. Ipse et munus factus et filius : qui et infusus confert quod deerat : et effusus non aufert quod donarat. Qui nec gerentem honore fraudat : nec genitricem labore contristat. Qui et nascendi [i] abjurgat gemitum : et nati consignat affectum. Neque enim
B fas erat ut haberet illa suspiria : que omnium gaudium pariebat : aut origo exultationis nosceret vim doloris. In recensu peccatoris sermonem credulitas calefecit : indubitatumque verbum stringit auditus. Et ad virtutem Dei spem repromissionis fides secura conglutinat. [j] Sic concepit animus : quod credidit : sic implevit spiritus quem elegit : ut in Redemptore nostro non distaret hominis veritas : [k] sed potestas. O ineffabilis divinitatis opera : sic interior portio addit virtutis sensit augmentum : [l] ne exterior statum integritatis amitteret unigenitus filius Dei in maternis visceribus pariendi viam nec invenit : nec reliquit. Sic conceptus atque editus : signat virginis uterum non desinat. In quo quantum ad remedium salutis nostre pertinet : [m] ipsa natura victoria est. Nam adversarium hominis partum superat
C [n] quacum in conceptione mysterii didicit regnaturum. Talis itaque homo habet vite potestatem : qua alios muneratur : qui eam non accepit aliunde qua utitur. Nec mirum est cum nascendo reciperet quos creavit : qui antequam nasceretur habuit quos redemit.

℟. Amen.

Alia Oratio. Domine Jesu Christe quo ita Verbum caro factum est : ut in conceptionem tui virginalis uterus altissimi obumbratione susciperet : et ad pariendum te : porta materni corporis non pateret : solemnitatis hujus obsequia propicius suscipe : ac

---

[a] *Si qua laus.* Ita sanctus Chrysostomus et textus Græcus ; accedit Syriaca versio, in qua *si quæ laudabilia.* At Vulgata, Ambrosiaster et Theodoretus, *si qua laus disciplinæ*, Primasius, *si qua laus tolerantiæ*, legunt.

[b] *Cap. I.* Vers. 1-24. Prætermissa tamen sunt multa.

[c] *Jacob.* A versiculo 2 ad 16, omnia prætermissa sunt.

[d] *De qua natus est Christus.* Vulg., Syr., Gr. : *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.*

[e] *Esaiam.* Prophetia est quidem Isaiæ VII, 14. Ejus tamen nomen in Vulg., Gr. et Syr., non legitur.

[f] *Lauda.* Ps. XLIV, 10. Sanctus August., *circumamicta.* Vulg., *circumdata.*

[g] *Sacrificium.* Isaiæ XXXV, 4. ℣. Ibid. VII, 13.

[h] *Non pusillum.* Vulg., *nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo.* Versio Missalis nostri nec cum Vulgata, nec cum ulla ferme ex editis Scripturæ versionibus convenit.

[i] *Abjurgat.* Joannes Tamajus (*In Martyr. Hispan.*, *t. II, pag.* 583) habet *abjugat*; fortasse legendum *abigit gemitum.* Sanctus Ephrem (*Orat. de margar. præt.*) :
D Beatam Virginem *conveniebat matrem absque dolore fieri.* Apud Sacramentarium Bobiense, *in contestatione missæ in assumptione sanctæ Mariæ* legitur quod Dei Genitrix *non subdita fuit labori per partum, non dolori per transitum.* Plura lege apud Petavium (*De Theol. dogm. tom. VI, lib.* XIV, *cap.* 6, § 13).

[j] *Sic concepit animus quod credidit.* Sanctus Augustinus, in Enchiridio, citatus a sancto Hildephonso (*Hom. adv. asserent. B. Virginem contra legem Dominum p perisse*) docet, Christum non talem natum esse *qualis de utroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis cum obligatione maledicti, cujus reatus regeneratione diluitur, sed qualem de Virgine nasci oportebat, quem* FIDES *matris, non libido conceperat.*

[k] *Sed potestas.* Fortasse, *nec potestas deitatis.*

[l] *Ne exterior.* Sanctus Petrus Chrysologus, (*Hom.* 42) de Virgine ait : *Beata quæ divinum pignus sic suo suscepit et servavit in pectore, ut illud tota corporis externa nescirent.*

[m] *Ipsa natura.* Fortasse *ipsa naturæ victoria est, nam adversarium hominis partus superat...*

[n] *Quacum.* Locus mendosus vocum quarumdam, ut videtur defectu.

nostrum quoque cor 34 dignatus ingredere. Tibi soli sit pervium : cui soli id esse cupimus preparatum. Ut cum nostrarum mentium puritatem beneplacitam tibi ipsi fecerimus : operis tui custos et perpetuus habitator esse digneris. ℟. Amen.

Post nomina Oratio. Eterne Dei filius : qui virginee matris uterum sic intrasti ne rumperes. sic aperuisti : ne signata ullo modo violares. Suscipe benignus hoc sacrificium : quod tibi ob incarnationis tue dedicamus mysterium. Tribuens per hoc et vivis anime corporisque salutem : et defunctis eterne reparationis felicitatem.

Respondent Chorus. Amen.

Ad pacem Oratio. Christe verbum summi patris : qui caro factus es : ut habitares in nobis : illabere sensibus nostris : quo omnes qui tue incarnationis mysterio sumus redempti : perpetue maneamus pacis societate connexi. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi omnipotens Pater gratias agere. Si debitoribus qui reddere debeant dignatus fueris prorogare per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Ex te Deo Patre sine initio natum : tibique indifferenter : atque [a] indemutabiliter coeternum ac per omnia coequalem. [b] Non adoptione sed genere : nec gratia sed natura. Qui in utero sanctificate sancte ac virginis clementer illapsus : et sine ulla sorde peccati ineffabiliter natus. [c] Vidi virginem : ut matrem se diceret : aut virginem qui diligeret dubitabat. Quia duplex homo [d] in formam hominem ligabat. Includitur intra hominem Deus : cui totus parvus est mundus : illic tenebatur utero matris : [e] illic tecti pudoris pulsatur tumoris invidia : et secura est conscientia. Maternum nomen accepit : et damnum virginitatis nescivit. Maria quid agis. Elige jam quid voceris. Sic castitatis potestas obumbrari : nec virginitas aliquando mentiri. Tuus est enim uterus : [f] et alienus est partus. Novum denique miraculum vidi in virgine : [g] ut nomen virginitatis non amitteret : nec genitricis ferre pondera didicisset. Hec sola meruit ferre Deum post celum : et sola meruit virgo inveniri post partum. Hec sola meruit Deum et hominem : [h] Deum imperiis suis lacte uberis portat. Hunc diem nobis quem devotissime celebremus instituit : [i] et homo redimendis A hominibus factus de secreto utero virginali immaculatus emicuit. Nunciatus est concipiendus ab Angelo : conceptus fidei singularis arcano : et natus sine ullo peccato. Cujus fuit solius sine corruptione nova et inusitata conceptio : et sine dolore de matre virgine inviolabilis [j] paritudo. Huic solum possibile fuit sine semine mirabiliter concipi : et sine corruptione feliciter nasci. Propter quod eundem Salvatorem nostrum unigenitum tuum : tecum semper et cum Spiritu Sancto regnantem : celi celorum et angelice potestates sine cessatione conlaudant ita dicentes. *Respond. at Chorus.* Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Christus Jesus filius tuus : Ipse est qui castitatem contulit : virginitatis decus non abstulit B matri. Qui et pro nobis ex eadem dignatus est nasci : et pro nostra adoptione non abhorruit suscipere mortem. Ipse Dominus ac Redemptor eternus.

Post pridie. Nunciamus Domine quod credimus : nec tacemus. Te totis visceribus deprecantes : ut qui genitrici prestitisti ut mater esset et virgo : tribuas Ecclesie tue ut sit fide incorrupta : et castitate fecunda : atque hec libamina ita tue gratie dulcedo sanctificet : ut sumentibus et salutem corporum : et delictorum veniam prestent. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam. Deum cujus magnitudo divinitatis capi non potest : quique sine inicio Deus summus et pater est : deprecemur dilectissimi fratres : ut idem pater qui nasci filium suum voluit ex utero Virginis matris : mundet nos ab omni inqui- C namento carnis et sanguinis. Quo sicut divina 35 obumbratione concepit virgo ut pareret : ita nos divina inspiratione accensi : conceptum Spiritus Sancti quem ipso Domino Jesu Christo docente accepimus : proferamus publice et dicamus. Pater noster.

Benedictio. Dominus Jesus Christus : qui in seculorum fine processit ex virgine cor vestrum : virginitatis incorrupte nitore clarificet. ℟. Amen.

Et qui nunciante Angelo Virginis ingressus est uterum. ejusdem vos mysterii et instruat et muniat Sacramentum. ℟. Amen. Quique hodie virginee festum [k] conceptionis devotissime celebratis : ad nativitatem nostri Redemptoris exultantibus animis et mundo corde perveniatis. ℟. Amen.

[a] *Indemutabiliter*, hoc est *immutabiliter*, ut *indemutabilis* pro immutabili legitur.

[b] *Non adoptione.* Concilium Toletanum XI (*In præfatione, ses.* 8) definivit : *Hic etiam Dei filius, natura est filius, non adoptione.* Sanctus Hildephonsus (*De perpet. Virginit. sanctæ Mariæ*) de Christo ait : *Non est ille adoptivus filius, sed adoptator, ut ita dicam cæterorum, qui cum sint corruptæ naturæ filii, et filii iræ,* INDIGENT SACRAMENTO BAPTISMATIS, *per quod solventur ex Christi gratia a delictis primæ damnationis, et adoptentur in filios Dei; at vero Christus non adoptivus, sed proprius Dei filius, in plenitudine temporum, venit, missus a Patre, natus ex muliere.....*, et in Hymno Breviarii ad vesperas festi circumcisionis *Christus* canitur *Patri non adoptione, sed coæternus genere.*

[c] *Vidi.* Fortasse *vidi virginem, quæ an matrem se diceret, an virginem, quid eligeret dubitabat.*

[d] *In formam.* Fortasse, *in forma.*

D [e] *Illic tecti.* Lege, *illic tectum pudoris pulsatur tumoris invidia.*

[f] *Et alienus.* Fortasse, *nec alienus est partus.*

[g] *Ut nomen.* Lege, *et nomen Virginis non amisit, et genitricis ferre pondera didicit.*

[h] *Deum imperiis.* Lege, *hæc sola meruit Deum et hominem subditum imperiis suis lacte uberis potare.*

[i] *Et homo.* Lege : *Hunc diem nobis, quem devotissime celebremus, instituit, qui homo, redimendis hominibus, factus de secreto uteri virginalis immaculatus emicuit.*

[j] *Paritudo.* Vox Plautina.

[k] *Conceptionis*, nimirum, qua beata Virgo Christum concepit. Tradunt sanctum Hildephonsum dum, hujus festivitatis die recurrente, noctu, in basilica Toletana, oraret, a beata Virgine vestem illam accepisse, qua in sacris solemnitatibus postea usus est, eamque ob causam, teste *Loaisa*, hæc festivitas majori cum solemnitate Toleti celebrari consuevit.

Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Gustate.

Post Communio. Oratio. Gratias tibi agimus Domine Deus: et te Deum benedicimus de die in diem: qui nos hac die sancte solemnitatis tue perducere dignatus es, fac nos diem istum annunciationis per multa curricula annorum in pace et tranquillitate suscipere cum fideli populo tuo. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus: et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

IN DIE [a] SANCTI THOME APOSTOLI.

Ad Missam. Officium.

Gloriam et magnum decorem. *Require in sancti Saturnini. fol.* 23.

Oratio. Gloria nostra Deus noster. *Require in eodem festo.*

Prophetia. Justus si morte preoccupatus. *Require in Sancti Clementis. fol.* 20.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

Chorus ℟. *et cantet.* [b] *Psallendo.* Posuisti super caput ejus coronam de lapide precioso. [c] ℣. Super salutare tuum Domine exultabit vehementer. Desiderium anime ejus tribuisti ei: et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *P.* Coronam de lapide precioso. *Dicat Presb.* Silentium facite.

Sequentia epistole Pauli Apostoli ad Collossens. ([d] *Cap. I*).

Fratres gaudeo in passionibus pro vobis: et adimpleo ea que desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus quod est Ecclesia. Cujus factus sum ergo minister: Secundum dispensationem Dei: que data est mihi in vos: ut impleam verbum Dei myste-
A rium quod absconditum fuit a seculis et generationibus. Nunc autem manifestum est Sanctis ejus: quibus voluit Deus notas facere divitias glorie Sacramenti hujus in gentibus: quod est Christus in vobis spes glorie quem nos adnunciamus. Corripientes omnem hominem et docentes in omni sapientia: ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu: In quo et laboro certando secundem operationem ejus quam operatur in me in virtute. [e] Cui est honor et gloria in secula seculorem. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem ([f] *Cap. XX*).

Illo in tempore Thomas unus ex duodecim qui dicitur Didimus non erat cum eis quando venit Jesus. Dixerunt ei alii discipuli: vidimus Dominum. Ille autem
B dixit eis: nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum: et mittam digitum meum in locum clavorum: et mittam manum meam in latus ejus: non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus: et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis et stetit in medio: et dixit eis. Pax vobis. Deinde dicit Thome: infer digitum tuum huc: et vide manus meas: et affer manum tuam: et mitte in latus meum et noli esse incredulus: sed fidelis. Respondit Thomas: et dixit: Dominus meus et Deus meus. Dixit ei Jesus: quia vidisti me Thoma credidisti. Beati qui non viderunt: et crediderunt. ℟. Amen.

[g] *Lauda.* Alleluia. ℣. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum et non confundebar. *P.* Alleluia.

[h] *Sacrificium.* Fulgebit Justus. *Require retro in*
C *Sancti Clementis fol.* 21.

Missa. Ad Deum fratres charissimi puras mentes erigite: ejusque pietatem suppliciter implorate: ut qui per primum nos redemit adventum a labe peccati: ipse nos sic in evo degere faciat: ut in secundo adveniens in Supernis coronandos attollat. Sicque patrocinante nobis **36** suffragio beatissimi Apostoli sui [i] Didimi: et hic per ejus exempla vitam ducentes:

[a] *Solemnitas sancti Thomæ* apostoli ante finem æræ Christianæ sæculi IV, in Ecclesiis Orientis passim frequentabatur (*Hom.* 36, *inter opera S. Chrysostomi tom. VI*). Edessæ in Osroena spatiosa sancti Thomæ basilica, imperante Magno Theodosio, dedicata est, in quam, an. 394, sacrum ejus corpus die 22 Augusti illatum est (*Chron. Edess., apud Assemanum, Bibl. Orient. tom. I, pag.* 399; *Socrates, lib.* IV, *c.* 18; *Sozomenus, lib.* VI, *c.* 18). Mense autem Julii, ut scribit sanctus Gregorius Turonensis (*De Glor. martyr., cap.* 31, *lib.* I), solemnitas sancti Thomæ per multos dies agebatur Edessæ, ad quam undique confluebant fidelium et gentilium turbæ. Sed antequam ampla hæc basilica ædificaretur, stabat Edessæ alia quædam sancti Thomæ Ecclesia, ad cujus fores sanctus Ephrem paralyticum sanitati
D restituit. Si qua fides est Vitæ ejusdem sancti levitæ, apud Assemanum (*Bibl. Orient. t. I, p.* 49), reliquiarum sancti Thomæ, quæ late per Orientem sparsæ erant (*Hom.* 35, *inter oper. S. Chrys., tom.* VI), quædam fragmenta sanctus Gaudentius Brixiensis episcopus in Occidentem detulit, primus fortasse (*S. Gaudentius, Tr. de dedic. basil., pag.* 334, *Edit. Brixiensis*). Exinde cultus ejusdem apostoli in Italia et in reliquo Occidente propagari cœpit. In vetusto Lectionario Ambrosiano em. Thomasii, post natale *sanctorum Petri et Pauli* consequitur *in sancti Thomæ apostoli*; fortasse die 3 Julii festivitas ejus celebrabatur, qua, ut animadvertit (*Ibid.*) ven. Thomasius, Translationis sancti Thomæ fit mentio. Sero festivitas sancti Thomæ recepta est Romæ, si standum sit silentio Kalendarii Frontonis, et Capitularii Evangeliorum Thomasii. De eadem festivitate tacent Missale Gallo-Gothicum, Sacramentarium Bobianum, Lectionarius Luxoviensis, et Orationale Gothicum; unde sero, ut suspicor, celebrata est in Gallia et in Hispania. Tamen memoriam sancti Thomæ celebrant die 21 Decembris Missale et Breviarium Mozarabum, Sacramentaria Gelasianum Thomasii, et Gregoriana, Martyrologia Bedæ, Adonis, Usuardi, Hieronymiana, et Romanum Baronii; Græci vero die sexto Octobris.

[b] *Psallendo.* Ps. XX, 4.

[c] ℣. Ps. XX, 2, 3.

[d] *Cap. I.* Vers. 24-29.

[e] *Cui honor.* Hæc in textu Apostoli hoc loco non legitur.

[f] *Cap. XX.* Vers. 24-30.

[g] *Lauda.* Ps. CXVIII, 46.

[h] *Sacrificium*, ut in sancti Clementis.

[i] *Didimi.* Joann. XX, 24: *Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis.* Thomas

ejus mereamur esse sequipedes : et illic felicitatis ejus inveniamur consortes

℟. Amen.

Alia Oratio. Te te igitur summe et admirabilis Deus : totis precordiis deprecamur. Ut qui beatissimo Thome et sagacitatem [a] inquirendo inspiras : nobis et indulgentiam peccaminum tribuas : et donis tuis inspirando prevenias. [b] Quique sanctissimi Thome dubitatione nos roboras ejus quesumus merito nos in fide ita stabiles operibus solida : ut judicante te digne invenias quos coronando : etherea sustollas in patria. Quatenus et fidelium servorum tuorum acceptes libamina : que hodierno die plebs tibi Deo nostro mente offerunt grata : et pro quibus te submisso obsecrant capite tue pietatis clementiam sese adeptos congaudeant.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui tuum Thomam, [c] egregium predicis architectum ; et in foro non dedignas ambulare venalium : tu nos ex illis lapidibus effice vivis : a quibus illa visio pacis instauratur celestis. Qualiter candore castitatis niveo renitentes : Sanctorum qui nos in Domino jam precesserunt possimus esse in participatione equales : ut qui pro peccatoribus ab illa sublimi sede descendisti ad terras : precibus nostris placatus assistas : omnibus requiem defunctis fidelibus prestes.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Clementissime Deus qui in pacis unitate letaris : scilicet qui auctor es pacis : et pax ab angelicis conclamatus es choris. Concede per hujus intercessionem allecte : ut ipsius dilectionis vinculo quo discipulos ad celos remeans conglobasti : ipso nos almifico nexu in tua et proximi dilectione constringe.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere suave ac pulcrum est : te pater omnipotens per Jesum Christum Dominum nostrum : ineffabiliter conlaudare hanc creaturam tuam in terris : qui etiam a celestibus virtutibus indesinenter preconiis sublimaris. Merito enim nullus sermo tibi attingit laudes deferre. quia pax tua sensum exuperat omnem. Quis namque creatus creatori exhibeat dignam carminum laudem ? Cum se horis cunctis indigere tuam prospicit opem : et figmentum suum recolat fragilem ac sumptum ex pulvere : cum nec illa pulverea virtus sufficienter tibi insonet laudem. In cujus laude Thomas Apostolus tuus populos convertit [d] judaicos a pristino cultu erroris : et in filios adoptavit sacro gurgite tinctionis miracula operum : fides extitit perditorum. Operabatur visibilis in corporibus virtus : et invisibilis curabat magnalia intrinsecus morbos : redditur sentire lumen corporeum : ut secum illuminat cecum [e] Treptie merito ulcerosus curatur : ut strabedo idolorum ab omnibus effugetur. [f] Solis corruit idolum : [g] ut auctor ejus edificet thronum. [h] Rex terrenus per fugam dilabitur : ut eter-

Syris idem sonat quod Δίδυμος Græcis, *geminum* enim, sive *gemellum* significat. Porro sanctum hunc apostolum nomine appellatum esse *Judam*, cognomine *Thomam* Syris, *Didymum* Græcis, aperte docent sanctus Ephrem Syrus (*Hymn.* 7, *de fide, apud Assemanum, Bibl. Orient., tom. I, p.* 101, *et Eusebium, Hist. Eccl. lib.* I, *cap.* 13), et in Periodis Thomæ (*apud Cotelerium, Patres Apostolici, t. I, p.* 501) legitur *Judam, qui et Thomas* dicitur, sortitum esse Indiam, et rursus *Judam qui et Thomam.*

[a] *Inquirendo.* Lege *in inquirendo.*

[b] *Quique sanctissimi Thome dubitatione.* Huc spectat effatum illud sancti Gregorii Magni (*Hom.* 26, *in Joannem*) : *Plus nobis infidelitas Thomæ ad fidem quam fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postposita, in fide solidatur.* Singularis autem est opinio sancti Gaudentii Brixlensis (*Tract. in Dedicat. basilicæ, pag.* 336, *edit. Brixien.*) cum asserit sanctum Thomam de veritate Resurrectionis Christi minime dubitasse, atque illud, *Nisi videro et contrectavero, non credam*, fuisse *desiderii, non incredulitatis* vocem ; *si enim*, inquit, *infidelitatis fuisset, Christus illi post Resurrectionem apparere non dignatus fuisset.* Tum ad rem nostram subdit : *Sancti Thomæ aposteli curiositas ambiguitatis futuræ scrupulo satisfecit ; quod enim absens fuit, quod avidus et videre et attrectare Dominum perquisivit, totum nostræ procurabatur saluti, ut evidentius noscceremus resurrectionis dominicæ veritatem.*

[c] *Egregium predicis architectum.* Refert Pseudo-Abdias sanctum Thomam, cum Hierosolymis diutius moraretur, a Domino non semel jussum esse in Indiam proficisci, ut in ea regione Evangelium disseminaret. At cum ille iter differret, et Dominum rogaret ne ad eam gentem, quam valde nequam esse audierat, mitteretur, accidit Abbam quemdam a rege Indorum missum Hierosolymam venire, ut servum peritum architectum emeret ; huic autem *Christus Dominus, in forma humana apparens,* dixit : *Est mihi servus talis, quem si volueris comparabis*, eique Thomam ostendit, quem emptum Abba secum duxit. Hæc Abdias, et hisce similia in Menæis, et Menologiis Græcorum, in Niceta Paphlagone, et in Orientalium libris liturgicis de sancto Thoma passim leguntur.

[d] *Judaicos.* Lege *Indicos.* Sanctum Thomam in Mesopotamia, Chaldæa, Assyria, Perside, Media et Hircania, prædicasse Evangelium constans est Orientalis et Occidentalis Ecclesiæ scriptorum opinio ; in Indiam penetrasse, et apud eas gentes fidem Christi disseminasse, *monumenta omnia Ecclesiastica, Græca, Latina, Syriaca, testantur*, inquit Assemanus (*Bibl. Orient., t. III, part.* II, *pag.* 335), et Florentinius (*In notis ad Indiculum apostolorum, pag.* 146). Nihil certius apud sanctos Patres inveni quam Thomam Indis Evangelium vulgasse. Vide apud ipsum citatos Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, et Gaudentium ; et adde Paulinum (*Nat.* XI, *vers.* 81), Gregorium Magnum (*In Evang. hom.* 15), Gregorium Turonensem (*De Glor. mart. lib.* I, *cap.* 32), Nicephorum (*Cap.* 40, *lib.* II), et Martyrologia Epternacense (*Passio S. Thomæ in India*), Bedæ Genuinum, Corbeiense Acherii, Gelloneuse, etc.

[e] *Treptie.* In Hagiographo apud Florentinium et in Pseudo-Abdia Threpsia est uxor Regis Indorum.

[f] *Solis corruit idolum.* Sanctus Thomas cum a rege ad templum solis ductus fuisset, ut solem adoraret, imperavit dæmoni latenti in idolo ut statuam comminueret : *statimque quasi cera juxta ignem posita liquefactum idolum resolutum est*, refert Pseudo-Abdias. Subdit Hagiographus, apud Florentinium, p. 149, relatus : *Pontifex autem templi, elevans gladium, transverberavit apostolum*, cujus corpus cum honore tumulatum fuit.

[g] *Ut author ejus edificet thronum.* Lege : *ut auctori ejus ædificetur thronus.*

[h] *Rex.* Hagiographus *Florentinii* et Pseudo-Abdias referunt regem, statim atque vidit solis statuam esse liquefactam, præ timore e templo fuga lapsum esse.

nus in eorum mentibus innectitur. Tua sunt rector ista miracula: que in tuo nomine sancti mente impetrant eorum. Quia et tuum unigenitum cum fideliter denunciat servum: et architectum asserit esse peritum. Vere in edificationem doctus Ecclesie: et in congregandum populum tibi laudabilis valde. [a] Terrena erogas ut celestia largiaris: argentum indigentium visceribus congerens et cetus amplissimos in celestibus instruens. Carcere intruditur ut virtus ejus in omnibus propaletur. [b] Bat migrat e seculo: ut Apostolus liberetur a vinculo. Occiditur temeratrix [c] puella que percutere ausa est apostolum palma: presentatur a cane comesa: ut omnis illa sit salva caterva. Honoratur a bestia: quem natura despexit humana. Et miro modo ab irrationabili rationabilis perdocetur. [d] Consecrantur juvenes benedictione celesti per venerationem animalis bruti: quos antea brutorum more federa conjunxerant nuptialia. [e] Ut sicut arioli confunditur olim insipientia per animal insensatum: ita nunc et istorum corrigitur 87 per hujus meritum. Tunc per locutionem inauditam res agitur nec corrigitur: nunc per virtutem virtus geritur et curatur: hoc nempe tuo ab Unigenito agitur qui cum Sancto Spiritu unus Deus ab invisibilibus et visibilibus conlaudatur ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus: vere benedictus Dominus noster Jesus Christus qui est filius tuus natura non adoptione nec gratia: sed generatione. Qui in utraque natura unus filius creditur: [f] et tertia in Trinitate persona tenetur et cum Spiritu Sancto unus Deus creditur et adoratur: Christus Dominus ac Redemptor eternus.

Post pridie. Concede nobis Domine interventu apostoli tui Thome et remissionem peccaminum: et bone vite inspirate nobis peragere cursum. Ut et sacrificia in [g] hujus solennitate passionis acceptes: et sumentibus ea sanctificationis gratia tue inlustres.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Christe qui beatissimis Apostolis tuis orandi precepta instituis: presta ut suffragio apostoli tui Thome digni effecti: ipsa tua deifica verba proclamantes mereamur exaudiri e terris. Pater noster.

Benedictio. Christus Dominus qui apostolo suo Thome copiam dimicandi concessit virtutis: ipse emundet vos ab omni contagione facinoris. ℟. Amen. Quique etiam in agone eum fecit victorem: ipse vobis sui auxilii porrigat opem. ℟. Amen. Ut qui in illius festivitate letamini interventu ejus eterno premio muneremini. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius.

Hic Chorus dicat. Gustate.

[a] *Terrena erogas.* Lege: *Terrena erogans ut cœlestia largiatur.* Alludit enim ad illud quod de sancto Thoma narrat Pseudo-Abdias, eum pecuniam quam ad impensas palatii regis ædificandi acceperat, in pauperes erogasse, quam ob causam in carcerem truditur.

[b] *Bat.* Num hoc nomine frater regis appellabatur? In period. s. Thomæ legitur fratrem regis gravi correptum febri *e sæculo migrasse*, et ab apostolo vitæ restitutum fuisse. At Pseudo-Abdias scribit fratrem regis, mortui instar, triduo jacuisse, in se tandem reversum mira narrasse de splendore palatii quod exstruxerat Thomas; qua visione illectus rex, ejusque frater, Christi fidem amplectuntur. Thomas cum hoc re de carcere educitur, rex, ejusque frater, et multi de populo, baptizantur. Hoc etiam respicit Wandelbertus in Martyrologio suo canens:

> Translati Thomæ celebrat duodenus honorem
> Aere, quo structore Dei cognoscere regna
> Indi promeruit signis cumulata [illegible].

[c] *Puella.* Apud Pseudo-Abdiam, Hagiographum Florentinum, et juxta libros Manichæorum, apud divum Augustinum (*Lib.* XXII *contra Faustum*, cap. 79, et contra *Adimantum*, cap. 17, num. 2), sanctus Thomas non est percussus a puella, sed a pincerna regis, quod, cum interesset convivio nuptiali, puellam Hebræam calamis canentem in[illegible]. [illegible] *Indulgeat tibi Dominus in futuro judicio.* [illegible] a cane in convivium delata [illegible].

[d] *Consecrantur.* Rogatu regis Thomas filiam ejus cum sponso benedixit. Hii castitatem profitentur et fidem Christi prædicant. Rex [illegible], deinde ad fidem conversus [illegible]. (Pseudo-Abdias, et liber [illegible] S. Thomæ, apud S. Gregorii [illegible].

Edit. Maurin.).

[e] *Ut sicut.* Ad ea spectant quæ pseudo-prophetæ Balaam acciderunt (*Num.* XXII).

[f] *Et tertia.* Modus loquendi apud Patres et theologos infrequens tantum, non verbatim ex sancto Ildephonso (*De perpet. Virgin. Mariæ*) desumptus est: *Personam vero hominis ideo non assumpsit Dei Filius, sed tantum hominem, quia ipse persona tertia cum Patre et Spiritu sancto in Trinitate Deus unus semper fuit* (*Bibl. Patr. Colonien.*, t. VII, pag. 484, col. 2, E.). Et sanctus Isidorus, ad sororem Florentinam (*In libro de Nativitate Domini*, [illegible], cap. 4), scribit: *Post hæc de tertia persona, id est, de Filio, ita subjecit*, etc. Et paulo infra: *Ecce duæ personæ Dominus et Spiritus ejus qui mittunt, et tertia persona ejusdem Domini qui mittitur.*

[g] *Hujus solemnitate Passionis.* Sanctum Thomam apostolum martyrem occubuisse, præter Græcorum Menologia, Martyrologia Latinorum et communes [illegible] Orientis [illegible] testantur [illegible].

[a] IN NATIVITATE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Ad Missam. [b] *Officium.*

Alleluja. Benedictus qui venit alleluja in nomine Domini alleluja alleluja. ℣. Deus Dominus et illuxit nobis. *P.* In nomine Domini. ℣. Gloria et honor Patri et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* In nomine Domini.

Dicat Presb. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Gloria in excelsis Deo. *Postea dicta* Gloria in excelsis, *dicat hanc Orationem.*

Hodie nobis thesaurus natus est. Hodie nobis lucerna virginis quam Spiritus Sanctus ignivit verum lumen apparuit. Hodie cecorum medicus natus est. Hodie paraliticorum sanitas. Hodie debilium firma- B mentum. infirmantium virtutes. Hodie resurrectio mortuorum Salvator noster advenit. Hodie nobis inter noctem ignitam lux nova apparuit. Hodie nobis Salvator advenit quem prophete predixerant ex Maria virgine nasciturum. Hodie nobis presepio positus perpetuus panis lucis ostenditur : qui dixit ego sum panis verus qui de celo descendi. Si quis autem de pane isto manducaverit non esuriet in eternum. Presta nobis A Domine per gloriam nativitatis tue a malis propriis liberari : et in tuis laudibus semper gloriari. ℟. Amen.

Prophetia. Lectio libri Esaye prophete. ([c] *Cap. IX*). ℟. Deo gratias.

Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Neptalim : et in novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilee gentium. Populus qui sedebat in tenebris : vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbre mortis : lux orta est eis. Multiplicasti gentem : sed non magnificasti leticiam. Letabuntur coram te : sicut qui letantur in messe. Et sicut exultant victores quando dividunt spolia. Jugum enim oneris ejus et virgam humeri ejus et sceptrum exactoris ejus superasti ; sicut in die Madian, quia omnis violenta predatio cum tumultu : et vestimentum mixtum sanguine erit in combustione et cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis : filius datus est nobis : et factus est principatus ejus super humeros ejus. Et vocabitur nomen ejus : Ammirabilis. Consiliarius. Deus. Fortis. [d] Dominator. Pater futuri seculi. Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium : et pacis ejus non erit finis. Super solium David sedebit : et super regnum ejus. Ut confirmet illud : et corroboret in judicio et in justitia : amodo

Goam transtulisse. Maffæus (*Rer. Indic. lib.* VIII), Osorius (*Lib.* III), et alii qui res Lusitanorum in India gestas litteris consignarunt. At *luce clarius constat*, inquit Baronius (*In Martyrol., die* 3 *Julii*), corpus sancti Thomæ Edessam translatum fuisse. Rufinus (*Lib.* II, *c.* 5) Edessam sancti Thomæ apostoli reliquiis ornari scribit, tanquam de re certa ; C ipse, qui circa an. 371 in Syria præsens fuit, Baronius (*In Martyrol., ibid., et in Annalibus, ad an.* 236) non integrum corpus fuisse Edessam translatum ait, ut omnibus satisfaciat ; alii, brevi post martyrium ejus, corpus sancti Thomæ Edessam translatum aiunt ; alii imperante Severo Alexandro, probabilius est imperante magno Theodosio, Edessam delatum fuisse. Sane Chronicon Edessenum (*Bibl. Or., t. I, pag.* 399) habet : *Anno* 705 Græcorum, *mense Augusti, die* 22, *advexerunt arcam mar. Thomæ apostoli in templum magnum eidem dicatum.* Hæc anno ær. vulgaris 394, nec antea quidquam de reliquiis sancti Thomæ commemoratur a scriptore Chronici, etsi plura minoris momenti referat. Quare opinor tum primum, aut certe brevi antea, corpus sancti Thomæ delatum esse Edessam. Huic opinioni favet sanctus Gregorius Turonensis, qui (*Lib.* I, *cap.* 3, *de Glor. martyr.*) scribit corpus sancti Thomæ *multum tempus post* ejus martyrium Edessam translatum esse. D Hujus translationis memoria die 3 Julii celebratur.

[a] *In Nativitate.* Concilium Toletanum X (*Cap.* 1) statuit ut Nativitas Domini nostri Salvatoris *octavo Kalendarum Januarii* celebretur, que tamen decreto nihil novæ consuetudinis inductum est ; nam procul dubio ante annum 656 solemnitas Natalis Domini fixa erat ad diem 25 Decembris in omnibus Ecclesiis Hispaniæ. Joannes episcopus Nicænus, incertæ ætatis scriptor, apud Combefisium (*Hist. Monothelit.*) ait Julium pontificem Romanum Ecclesiis omnibus die 25 Decembris Natalem Christi celebrandum tradidisse : magis credibile est festivitatem hanc ab apostolis et apostolicis viris, qui fidem Christi in Occidente disseminaverunt, et institutam, et VIII Kal. Jan. celebratam esse. Sane Chrysostomus (*Hom. in nat. Domini, tom. II oper., p.* 355, *Edit. novæ*) aperte asserit cunctos *a Thracia Gades usque incolentes* fideles, atque adeo Hispanos, Nativitatem Christi *a principio* evangelicæ prædicationis die VIII Kal. Jan. celebrasse. In Kalendario Bucheriano, quod circa annum 350 compactum creditur, VIII *Kal. Jan. natus Christus in Bethleem Judæ* legimus. Sanctus Chrysostomus, qui circa an. Christi 386 Antiochiæ homiliam citatam *in Natal. Domini* habuit (*Montfaucon., in prænot. ad hanc Homil., p.* 353, *tom. II oper. S. Chrys.*), in ea aperte testatur hanc solemnitatem in Oriente ante decennium celebrari cœptam esse. In Ecclesiis Ponti et Cappadociæ citius, in Ægypto serius idem mos receptus est. Anno 425, lex Theodosii Junioris de spectaculis edita est (*L. Dominico* 5, *Th. de Spectaculis*), qua spectacula edi prohibentur die Natali Domini, die Epiphaniorum, Paschæ, et Pentecostes diebus. In Kalendario apud Bollandistas (*Tom. VII, Junii, pag.* 178), quod anno 448 exaratum est, VIII *Kal. Jan.* signatur *Natalis Domini corporalis.* Apud eosdem (*Ibid., pag.* 186) sunt fasti consulares ad an. ær. vulgaris 493 pertinentes, in quibus. *Augusto* XII, *et Syllano* (lege *Sulla*) *cos.*, legitur : *Christus natus est* VIII *Kal. Jan., luna* 14. Calendarium Carthaginense habet : VIII Kal. Jan. *Domini nostri Jesu Christi Filii Dei Natalis.* Sacramentarium sancti Leonis : VIII *Kal. Jan. Natale Domini.* In Hispania concilium Bracarense I, anno 561 (*Can.* 4), sancivit : *Si quis Natalem Domini non bene honorat........ anathema sit*, et legibus Visigothorum (*lib.* II *tit.* I, *de Judiciis et Judicatis, lege* 11, *et lib.* XII, *tit.* III, *de novellis legibus Judæorum, leg.* 6) forum vacare die Natalis Domini, et festum sollicita devotione celebrari jubetur.

[b] *Officium.* Ps. CXVII, 26. ℣. Ibid., 27.

[c] *Cap. IX.* Vers. 1-8. In Lectionario Gallicano Luxoviensi prophetia centonis instar consuta est ex fragmentis Isaiæ (VII, 10 ; IX, 9). In Bobiensi brevissima est ex Isaia (IX, 6-8). In Missali Toletano ad singulas missas Nativitatis legenda, apponitur prophetia, præter Epistolam et Evangelium. In prima missa legitur ex Isaia (IX, 2-8), omissis tribus versiculis, deinde canitur tractus, et postea legitur homilia quæ *prophetia* inscribitur, quæque in missa secunda et tertia omittitur, et statim post homiliam legitur Epistola. In secunda missa prophetia est ex Isaia (LXI, 1-5, LXII, 11, 12). In tertia missa legitur prophetia ex Isaia (LII, 6 11).

[d] *Dominator.* In Vulgata et LXX non legitur.

et usque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* [a] *Psallendo.* **38** Dominus dixit ad me filius meus es tu: ego hodie genui te. ℣. Pete a me: et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terre. *P.* Ego.

Dicat Presb. Silentium facite.

***Principium epistole Pauli apostoli ad Hebreos* ([b] *Cap. I*).**

℟. Deo gratias.

Fratres. Multifarie multisque modis olim Deus locutus est patribus nostris in Prophetis. Novissimis diebus locutus est nobis in filio suo: quem constituit heredem universorum. Per quem fecit hec secula. Qui cum sit splendor glorie: et figura substantie ejus: portansque omnia verbo virtutis sue: purgationem peccatorum faciens: sedet ad dexteram majestatis in excelsis. Tanto melior angelis effectus: quanto differentius pre illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum. Filius meus es tu: ego hodie genui te? Et rursus: ego ero illi in patrem: et ipse mihi erit in filium. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terre dicit. Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit. Qui facit angelos suos spiritus: et ministros suos flammam ignis. Ad filium autem. Thronus autem tuus Deus in seculum seculi. Virga equitatis virga regni tui. Dilexisti justiciam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus: Deus tuus [c] in eternum oleo leticie pre participibus tuis. Et tu in principio Domine terram fundasti et opera manuum tuarum sunt celi, ipsi peribunt: tu autem permanebis: et omnes sicut vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos: et mutabuntur. Tu autem idem ipse es: et anni tui non deficient. *Respondeat Chorus.* Amen.

***Lectio sancti Evangelii secundum Lucam* ([d] *Cap. II*).**

Factum est autem cum essent ibi: impleti sunt dies ut pareret: et peperit filium suum primogenitum: et pannis eum involvit et reclinavit eum in presepio: quia non erat [e] ibi locus in diversorio. Et pastores erant in regionem eandem vigilantes et custodientes vigilias noctis: super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit juxta illos: et claritas Dei circumfulsit illos: et timuerunt timore magno.

A Et dixit illis angelus. Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium: quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator: qui est Christus Dominus in civitate David: et hoc vobis signum. Invenietis infantem in pannis involutum: et positum in presepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militie celestis laudantium Deum et dicentium. Gloria in altissimis Deo: et in terra pax hominibus bone voluntatis: et factum est ut discesserunt ab illis angeli in celum pastores loquebantur ad invicem dicentes. Transeamus usque in Bethleem: et videamus hoc verbum quod factum est: quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinanter: et invenerunt Mariam et Joseph et Infantem positum in presepio. Videntes autem cognoverunt de verbo

B quod dictum erat illis de puero hoc: et omnes qui audierunt mirati sunt de his que dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hec: conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus que audierant et viderant: sicut dictum est ad illos. ℟. [f] Amen.

[g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Redemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in eternum testamentum suum: sanctum et terribile nomen ejus. *P.* Alleluja.

Dicat Presb. Adjuvate me fratres in orationibus vestris.

[h] *Sacrificium.* Parvulus natus est nobis: et filius

C datus est nobis: et factus est principatus ejus super humeros ejus. Alleluja alleluja.

[i] *Missa.* Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis: lux a terra prodiit: exeamus a tenebris. Advocatus e celo descendit: quod oportet agamus. Redemptor mundi apparuit: pro libertate clamemus: venit ad egrotos medicus: vulnera proferamus. Panis vivus credentibus datus est: hunc sumamus. **Fons perennis fidelibus ortus est: animas impleamus. Cujus misericordia virtute et gratia in illo fidei processu justicie cultu confessionis gradu castitatis affectu: stare 39 nos faciat: in quo animas floruisse sibi non aruisse convincat. Atque in illo statu illum vita nostra delectetur, nobisque fructificet: in quo se generis non criminis nostri**

D **permanens Deus in nobis nasciturus inseruit: et pro nobis moriturus apparuit.** ℟. Amen. Concedente

[a] *Psallendo.* Ps. II, 7. ℣. Ibid., 8.

[b] *Cap. I.* Vers. 1-13. Eadem Epistola legitur in Lectionario Luxoviensi, in Sacramentario Bobiensi, in quo ad vers. 6 tantummodo pertingit, et ad tertiam missam in Missali Toletano.

[c] *In eternum.* In Vulg. et Gr. non legitur.

[d] *Cap. II.* Vers. 6-22. Idem Evangelium legitur in Luxoviensi Lectionario, et ad primam missam in Missali Toletano, in quibus a vers. 1 in ipit. In Sacramentario Bobiensi bina leguntur Evangelia ex Evangelio sancti Matthæi: primum ex cap. I, 1, ad finem capitis, pluribus prætermissis; aliud ex cap. II, 1-7.

[e] *Ibi locus.* Vulg. et Gr., *non erat eis locus.* Missale Toletanum, *non erat ei locus.*

[f] *Amen.* Ex præscripto concilii Bracarensis II (*Can.* 9) post lectum Evangelium, episcopus, aut, si episcopus non aderat, presbyter, populo astanti clara voce nuntiabat quo mense et quota die mensis jejunium quadragesimale incipiebat, ut introitum Quadragesimæ nullus ignoraret.

[g] *Lauda.* Ps. CX, 9, 10.

[h] *Sacrificium.* Isaiæ, IX, 6.

[i] *Missa.* Unicam missam festo Natalis Domini attribuit Missale Gallo-Gothicum, Lectionarius Luxoviensis, et Sacramentarium Bobiense. At Romæ, vetusto more, tres missæ in Natali Domini celebrantur: unam nocte, aliam mane primo, tertiam de die: confer Sacramentaria sancti Leonis, Gelasianum, et Gregoriana, et simul Kalendaria Frontonis et Martenii et Capitularia Thomasii et Georgii.

gratia miserationis illius : cujus regnum et imperium juge et gloriosum in secula seculorum. ℟. *Chorus.* Amen.

Alia Oratio. Te Domine Jesu Christe : te Deum pluraliter homines salvantem : et hominem in Deo singulariter potentem invocamus, laudamus, rogamus. Ut adsis : parcas : miseraris : ignoscas. Des in corde vota que compleas : des in ore verba que exaudias : des in opere facta que benedicas. Non petimus renovari nobis : sicut in hac die olim acta est corporalis nativitas tua : sed petimus incorporari nobis invisibilem divinitatem tuam : quod prestitum est carnaliter : sed singulariter tunc Mariæ : nunc spiritualiter prestetur Ecclesie. Ut te fides indubitata concipiat : te mens de corruptione liberata parturiat : te semper anima virtute altissimi obumbrata contineat. Ne discedas a nobis : sed procedas ex nobis. Sis revera Emanuel noster nobiscum Deus. Digneris manere in nobis : et pugnare pro nobis. Te enim pugnante : nos vicimus. Solve nos quesumus a pannis putribus peccatorum : qui te pro peccatis nostris dignatus es putredine ligari pannorum. Lac tuum Ecclesie tue parvulos nutriat. Adeo infirmos [a] delicatus olerum cibus pascat : ut ad percipiendum fortiorem ac solidum cibum : validiores quotidie vires crescant. Et ita noverimus defecatam voluntatem : et fidem exhibere firmissimam : ut jugiter enitamur auxilio tuo ad vitam pervenire perpetuam.

℟. Amen.

Post nomina. Famuli tui indigni et exigui sacerdotes tremende majestati tue spirituales victimas immolantes. [b] Offerimus tibi Deus hostiam immaculatam : quam maternus uterus impolluta virginitate produxit : pudor edidit : sanctificatio genuit : integritas fudit. Hostiaque immolata vivit : et vivens jugiter immolatur. Hostia que sola Deo placere prevalet : quia Dominus est. Hanc tibi summe pater offerimus pro sancta Ecclesia tua : pro satisfactione seculi delinquentis : pro emundatione animarum nostrarum : pro sanitate omnium infirmorum : ac requie : vel indulgentia fidelium defunctorum. Ut mutata sorte tristium mansionum : felici perfruantur societate justorum.

℟. *Chorus.* Amen.

Ad pacem. Oratio. Excelsum te Deum pariter atque humilem hominem Christum Jesum : acclives servuli supplices deprecamur : ut pacem quam ascensurus ad celos : tuis charis noticia commendasti : dones : augmentes : perficias : atque custodias. Atque ita fiat pax tua in virtute : et abundantia in turribus tuis : ne officii oscula sint tegmina virus occulti. Sed qui decantantibus angelis pacem tri-

A buisti hominibus bone voluntatis : in hoc die natalis efficias nos nuncios ac filios pacis.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos omnipotentie et pietati tue referre quas posse donaveris laudes clementissime pater. Quia post multa tempora in hac die [c] ante non multa tempora : que tibi vel sibi semper erat : nobis natus est Christus Jesus unigenitus tuus. Factus est ancille filius : Dominus Matris sue. Partus Marie : fructus Ecclesie. Qui ab illa editur : ab ista suscipitur. Qui per illam pusillus egreditur : per istam mirificus dilatatur. Illa salutem populis creavit : hec populos. Illa utero vitam portavit : hec lavacro : in illius membris Christus infusus est : in istius aquis Christus indutus est.
B Per illam qui erat nascitur : per istam qui perierat invenitur. In illa redemptor gentium vivificatur ; in ista gentes vivificantur. Per illam venit ut peccata tolleret : per istam tulit peccata propter que venit.
40 Per illam nos ploravit : per istam nos curavit : in illa infans : in ista [d] gigans : ibi exulat : hic triumphat. Per illam crepundia gestavit : per istam regna subjecit. Illam parvuli jocunditate demulsit : istam sponsi credulitate despondit. Extant denique preciosi amoris incorrupta commertia. Dedit sponsus sponse sue munera : [e] aquas vivas : id est Christus Ecclesie : e quibus semel ad placendi meritum lavaretur. Dedit [f] oleum leticie : pro odorifero unguento crismatis ungeretur. Vocavit eam [g] ad mensam suam : adipe frumenti satiavit illam. Vino
C suavitatis implevit : justicie imposuit ornamentum. Donavit deauratum virtutum varietate vestitum. Animam suam pro illa posuit. Suscepte et calcate mortis spolia in dotem ille regnaturus victor exhibuit : se ipsum ille in cibo ac potu indumentoque concessit. Promisit ei se illi daturum regnum eternum. Ipsam pollicitus est statuendam in dextere sue parte reginam. Concessit et ipsi : quod concessum est genitrici : impleri : non violari. Parere : non corrumpi : illi semel : isti semper : sedere tanquam sponsam in thalamo pulcritudinis : et multiplicare filios gremio pietatis. Fectosam esse prolem : non fetidam voluntate. Sic et ipsa in ipso per ipsum dives effecta : sponso ac domino suo humilia refert munera. Hoc enim de proprio suo offerendo quod cre-
D didit. hoc de exemplo quod eum redamavit. Hoc de dono ipsius id ipsam potuisse quod voluit : Id ipsam voluisse quod potuit. Dedit illi tanquam rosas martyres : velut lilia virgines, quasi violas continentes. Hec ad illam per ministros voluntatis ejus apostolos : conferta operis sui impensa transmisit. Unde nunc a dextris ejus felici : et gloriosa perennitate consistens : cum tecum omnipotens Pater et cum

[a] *Delicatus.* Hic est minime gravis, et qui facile concoquatur cibus.

[b] *Offerimus.* Egregius plane locus de veritate corporis et sanguinis Christi in eucharistico missæ sacrificio a sacerdotibus pro vivis et defunctis oblato.

[c] *Ante non multa tempora.* Animadverte quam vetusta sit hæc illatio, atque adeo ipsa liturgia Mozarabum.

[d] *Gigans.* Vox haud temere excludenda.

[e] *Aquas vivas.* Sacramenti baptismatis.

[f] *Oleum..... chrismatis.* Sacramentorum confirmationis, ordinis, extremæ unctionis.

[g] *Ad mensam.* Sacramenti eucharistici.

Sancto Spiritu regnantem: cum omnibus angelis confitendo conlaudat et dicit. ℟. *Chorus*. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Dicat Presb.

Post Sanctus. Vere sanctus: vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus qui venit e celis: ut conversaretur in terris: caro factus est ut habitaret in nobis Christus Dominus ac Redemptor eternus.

Dicat Presb.

Post pridie. Hec Domine dona tua et precepta servantes: in altare tuum panis ac vini holocausta proponimus. Rogantes profusissimam tue misericordie pietatem: ut in eodem spiritu quo te in carne virginitas incorrupta concepit: has hostias Trinitas indivisa sanctificet: ut cum a nobis fuerit non minori trepidatione quam veneratione percepta: quicquid contra animam male vivit intereat: quicquid interierat nullatenus reviviscat.

℟. Amen.

Dicat Presb. ad orationem Dominicam.

Quod via: ut sequeremur ostendit: quod vita: ut loqueremur edocuit: quod veritas: ut teneremus instituit: tibi summe Pater cum tremore cordis proclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb.

Benedictio. Dominus Jesus Christus: qui olim pro nobis hodie dignatus est nasci: ipse vos sua Nativitate vivificet. ℟. Amen. Et qui infantiam sumens humanitatis: vilibus indutus est pannis: celestium virtutum vos vestiat indumentis. ℟. *Chorus*. Amen. Sitque vestrorum cordium interior pastus: qui in presepio positus credentibus se voluit monstrari vescendus. ℟. *Chorus*. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

Hic dicat Chorus. Gustate et videte.

Post communio. Oratio. Gratias tibi agimus Domine Deus: et te Deum benedicimus de die in diem: qui nos in hac die sancte solennitatis tue perducere dignatus es. fac nos diem istum nativitatis tue per multa curricula annorum in pace et tranquillitate suscipere cum fideli populo tuo. ℟. *Chorus*. Amen.

℣. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus: et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. ℣. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi: votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

41 [a] IN SANCTI STEPHANI LEVITE ET MARTYRIS.

Ad Missam. [b] *Officium.*

[c] Fremebant cordibus suis adversus Stephanum. Stridebant dentibus in eum: ipse autem plenus Spiritu Sancto intendens celos: vidit gloriam Dei alleluja alleluja alleluja. [d] ℣. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. *P.* Stridebant. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Stridebant.

Dicat Presb. Gloria in excelsis Deo.

Oratio. Laudamus te Domine cum angelis: benedicimus te cum virtutibus sanctis. Glorificamus cum potestatibus supernis. [e] Et qui te opificem nostrum nos subsistere non hesimus recte honore tui nominis

[a] *In S. Stephani.* De sancto protomartyre Stephano prolixe agit sanctus Lucas in Actis (VI, 5 *seq. et integro cap.* VII); auctor Constitutionum Apostolicarum (*Lib.* VIII, *cap.* 33, *Edit. Lat. Turriani*, *et Gr. Lat. Cotelerii, Patres Apostolici, tom. I*) sanctum Petrum inducit aliis festivitatibus *diem sancti Stephani* annumerantem. Vetustam quidem esse etiam in Occidente apostolorumque prædicationi coævam solemnitatem sancti Stephani, suspicari haud temere licet ex iis quæ sanctus Augustinus (*Serm.* 333, *tom. V*, *edit. nov.*) refert de lapide quo percussus est sanctus Protomartyr, a fideli quodam homine, qui forte ejus passioni interfuit, sublato, et Anconæ, quæ celebris est in Piceno, ad mare superum, civitas, ab eodem pio viro, Dei nutu, deposito, utique apud fideles; nam *ex illo cœpit esse* Anconæ basilica, seu *memoria sancti Stephani*, in qua Deus multa operabatur miracula. Hæc enim potuerunt fieri viginti circiter aut viginti quinque annis post sancti Stephani martyrium. Basilicæ hujus sancti Stephani, quæ juxta urbem Anconam in edito colle stabat, sanctus Gregorius (*Dial. lib.* I, *c.* 3) meminit; modo in ejus ruinis, ut ipse sæpius vidi, exstructum est non ineleganis sancti Stephani sacellum, et lapis cum aliis reliquiis sanctorum et cuspide lanceæ qua latus Christi in cruce apertum est servatur in thesauro ecclesiæ cathedralis Anconitanæ. Detectis anno æræ Christianæ 415 reliquiis sancti Stephani, cultus ejus per omnem Ecclesiam mirum in modum auctus est, Deo per primum martyrem suum ingentia et crebra patrante miracula (*Libri duo de Mirac. S. Steph.*, *in append. tom. VII Oper. S. Augustini, Edit. novæ; S. Augustinus. de Civit. Dei, lib.* XXII, *cap.* 8). Nec audiendi sunt heterodoxi nonnulli; et, si qui sint, e Catholicis pseudo-critici, qui integrum hoc caput octavum de sancto Augustino auferunt. Sancti Stephani reliquias primus in Occidentem misit Avitus presbyter Hispanus, qui tum Hierosolymis degebat. Has reliquias ad Ecclesiam Bracarensem deferendas tradidit Orosio presbytero Hispano, cui etiam tradidit narrationem Latine scriptam totius revelationis factæ Luciano presbytero, et inventionis corporum sanctorum Stephani, Gamalielis, Nicodemi, et Abibbonis (*Epist. Aviti ad papam Palconium, apud cl. Mabillonium Analect. veter. t. IV p.* 118, et in appendice *tom. VII oper. S. Aug.*), ubi epistola legitur scripta *ad Palchonium Bracarensem episcopum.* Narratio revelationis et detectionis corporum sancti Stephani et aliorum exstat t. VII, oper. sancti Augustini, Ed. nov., in appendice; an vero reliquiæ illæ sancti Stephani, quas Orosio tradiderat Avitus, aliquando in Hispaniam devenerint, incertum est (*Nicol. Anton.*, *Bibl. vet. Hisp.*, *lib.* III, *pag.* 187, *n.* 43, *et lib.* III, *pag.* 180, *n.* 19). Est nihilominus valde credibile festivitatem sancti Stephani ex Africa in Hispaniam delatam esse, et brevi post annum 415 celebrari consuevisse.

[b] *Officium.* Act. VII, 54, 55.

[c] *Fremebant.* Vulg. et Gr., *dissecabantur cordibus suis.*

[d] ℣. Ps. III, 1.

[e] *Et qui.* Fortasse legendum: *Et qui per te opificem nostrum nos subsistere non hæsimus, recte honorare, per officium creaturæ creatricem tuam potentiam non negamus. Quare nostrum facito bonæ voluntati tuæ placere servitium, et vel in cœlis cum angelis, vel in terris cum hominibus pacifice gloriari, in tuam glorificationem ascensum præbentes*

per officium creature creatricem tuam potentiam non negamus : pro qua re nos facite bone voluntati tue placere servicium. Et vel in celis cum angelis et vel in terris cum hominibus pacifice gloriari in tua glorificatione assensum. ℟. Amen.

Per misericordiam. *Prophetia.* Justus si morte. *Require in S. Clementis fol.* 20.

Psallendo. Posuisti Domine. *Require retro in Sancti Saturnini fol.* 23.

Dicat Presb. Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([a] *Cap. VI*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : crescente numero discipulorum [b] in Hierusalem : factum est murmur grecorum adversus hebreos : eo quod despicerentur in ministerio quotidiano vidue eorum [c] a ministris hebreorum. Convocantes autem [d] apostoli multitudinem discipulorum : dixerunt. Non est equum [e] vos relicto verbo Dei ministrare mensis. Eligite ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem : plenos Spiritu Sancto et sapientia : quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerii verbis instabimus. Et placuit sermo coram omni multitudine : et elegerunt Stephanum plenum fide et virtute et Spiritu Sancto : et Philippum et Prochorum : et Nicanorem et Thimonem : et Parmenam : et Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum. Et orantes imposuerunt eis manus : et verbum Domini crescebat et multiplicabatur numerus discipulorum in Hierusalem valde. Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat [f] signa in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga que appellabatur Libertinorum et Cirenensium et Alexandrinorum : et eorum qui erant a Cilicia et Asia disputantes cum Stephano : et non poterant resistere sapientie et spiritui : qui loquebatur. [g] Propter quod arguerentur ab eo cum omni fiducia. Tunc summiserunt viros qui dicerent se audisse eum dicentem verba blasphemie : in Moysen et Deum. Commoverunt itaque plebem : et Seniores et scribas : et concurrentes rapuerunt eum : et adduxerunt eum in concilio. Et statuerunt testes falsos dicentes. Homo

A iste non cessat loqui verba adversus [h] locum sanctum hunc et legem. Audivimus eum dicentem : quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum : et mutabit traditiones : quas tradidit nobis Moyses : et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio : viderunt faciem ejus tanquam faciem angeli. [i] Dixit autem princeps Sacerdotum Stephano. Si hec ita se habent? [j] Qui ait. Dura cervice : et incircumcisi corde et auribus : vos semper Spiritui Sancto restitistis : sicut patres vestri ita et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prenunciabant de adventu justi : cujus vos nunc proditores et homicide fuistis. Qui accepistis legem in dispositione angelorum : et non custodistis : [k] ut viveretis. Audientes autem hec:
B dissecabantur cordibus suis. Et stridebant dentibus in eum. Cum autem esset plenus Spiritu Sancto : intendens in celum vidit gloriam Dei : et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait. Ecce video celos apertos : et filium hominis stantem a dextris [l] virtutis Dei. Exclamantes autem voce magna : continuerunt aures suas : et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant : et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : Domine **42** Jesu : suscipe spiritum meum. Positis autem genibus : clamavit voce magna. Domine : ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset : obdormivit in Do-
C mino. [m] Saulus autem erat consentiens neci ejus. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia que erat Hierosolimis : et omnes dispersi sunt per regiones Judee et Samarie : preter apostolos [n] qui remanserunt in Hierusalem. Curaverunt autem Stephanum viri timorati : et fecerunt planctum magnum super illum. Saulus autem devastabat Ecclesiam per domos intrans : viros ac mulieres tradebat in custodiam. Illi igitur qui dispersi erant : pertransibant evangelizantes verbum Dei.

℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mattheum ([o] *Cap. XXIII*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus

[a] *Cap. VI.* Vers. 1-VIII, 4, pluribus tamen prætermissis. In Lectionario Luxoviensi eadem est Lectio, quæ pertingit tantum ad cap. VIII, 2. In Bobiensi nulla est prophetia ad miss. in sancti Stephani, uti nec in Luxoviensi. Epistola autem desumitur ex Epist. ad Rom. I, 15-18.

[b] *In Hierusalem.* Hæc non habentur in Vulgata et Græc.

[c] *A ministris Hebreorum.* Hæc verba in Vulg. et Græc. non leguntur.

[d] *Apostoli.* Syr., *duodecim apostoli.* Vulg. et Gr., *duodecim*, omissa voce *apostoli.*

[e] *Vos.* Lege *nos*, ut in Vulg. et Gr.

[f] *Signa.* Vulg. et Græc., *prodigia et signa magna.* Syr., *signa et miracula.*

[g] *Propter quod arguerentur ab eo cum omni fiducia.* Deest in Vulg. Gr. et Syr. In margine quorumdam Codicum legitur.

[h] *Locum sanctum hunc.* Illud *hunc* legitur in Syriaco. In Vulg. et Gr. non legitur.

D [i] *Dixit autem.* Incipit caput septimum, juxta Vulgatam.

[j] *Qui ait.* Et statim, omissa magna parte prolixæ concionis sancti Stephani, transit ad vers. 51, *Dura cervice........*

[k] *Ut viveretis.* In Gr., Syr. et Vulg., non legitur.

[l] *Virtutis Dei.* Illud *virtutis* in textu Vulg., Syr. et Fr., non habetur; legitur in margine aliquorum Codicum Latinorum.

[m] *Saulus autem.* Initium capitis octavi...

[n] *Qui remanserunt in Hierusalem.* In Syr., Gr. et Vulg., non reperiuntur.

[o] *Cap. XXIII.* Vers. 1-39. Missale Toletanum, Kalendarium Frontonis, liber Comitis Pamelii et Missale Romanum sancti Pii V, Evangelium ex sancto Matthæo (XXIII, 34-39) legunt. In Lectionario Luxoviensi ex sancto Matthæo (XVII, 23-XVIII, 12). In Bobiensi Sacramentario legitur ex sancto Matthæo (XVII, 23-26).

loquebatur discipulis suis dicens. Super cathedram A Moysi sederunt Scribe et Pharisei. Omnia ergo quecunque dixerint vobis : servate et facite : secundum vero opera eorum : nolite facere. Dicunt enim : et non faciunt. Alligant autem onera gravia et importabilia : et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere. Omnia vero opera sua faciunt : ut videantur [a] ab hominibus. Dilatant enim philateria sua : et magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cenis : et primas cathedras in sinagogis : et salutationes in foro : et vocari ab hominibus rabbi. Vos autem nolite vocari ab hominibus rabbi. Unus est enim magister vester : omnes autem fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim pater vester qui in celis est. Ve vobis Scribe et Pharisei hypocrite : quia B mundatis quod de foris est calicis et parapsidis : intus autem pleni estis rapina et immundicia. Pharisee cece munda prius quod intus est calicis et parapsidis : ut fiat id quod de foris est mundum. Ve vobis Scribe et Pharisei hypocrite : quia similes estis sepulchris dealbatis : que foris parent hominibus speciosa : intus vero plena sunt ossibus mortuorum : et omni spurcicia. Sic et vos : foris quidem paretis hominibus justi : intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. Ve vobis Scribe et Pharisei hypocrite : qui edificatis sepulchra prophetarum : et ornatis monumenta justorum : et dicitis. Si fuissemus in diebus patrum nostrorum : non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonium estis vobismetipsis : quia filii estis eorum qui prophetas C occiderunt : et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes : genimina viperarum : quo fugietis a judicio gehenne ? Ideo dico vobis. Ecce ego mitto ad vos Prophetas et Scribas : et ex illis occidetis et crucifigetis : et ex eis flagellabitis in sinagogis vestris : et persequemini de civitate in civitatem : ut veniat super vos omnis sanguis justi qui effusus est super terram : a sanguine Abel justi : usque ad sanguinem Zacharie filii Barachie : quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis : venient hec omnia super generationem istam. Jerusalem Jerusalem : que occidis Prophetas : et lapidas eos qui ad te missi sunt : Quotiens volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos D suos sub alas : et noluisti ? Ecce relinquetur domus vestra deserta. Dico enim vobis : non me videbitis amodo : donec dicatis. Benedictus qui venit in nomine Domini : [b] Rex Israel.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu.

[c] *Lauda.* Alleluja. ℣. Exultabit justus in gloria : et gaudebit in leticia sempiterna. *P.* Alleluja.

[d] *Sacrificium.* Ego Daniel intellexi numerum annorum in quo factus est sermo Domini : tibi autem Domino Deo nostro propitiatio et misericordia alleluja. ℣. Dum aspicerem in nubibus celi . ecce quasi filius hominis amictus auro purissimo veniebat : principatus et honor et regnum. *P.* Tibi autem Domino Deo nostro.

Missa. Primum licet hominibus dilectissimi fratres [e] sub eandem passionis formam crux Christi in qua cunctorum martyrum primitie continentur [f] impresserit : sed tamen in similitudine carnis peccati : conformis **43** nobis [g] extitit non equalis. Nam inter homines nostre pravitatis : nostreque conditionis : nativitatis : legis : vel sortis . primus hanc viam Stephanus martyr intravit : duriciam ardui itineris vicit : palmam propositi muneris occupavit : [h] qui Deum et hominem sequeretur ostendit. Ante ipsum quidem Christus : sed tamen primus ipse post Christum. Hic homo fecit adjutus a Deo : quod ibi homo perfecit unitus in Deo. Ille servo previus : iste conservis. Ille generaliter pro magisterio : iste specialiter pro magistro. Hic egit suum martyrium : ille multorum. Iste in se non ingloriosus : ille pro omnibus gloriosus. [i] Perfecta igitur fides honoret testem : laudet auctorem et sua cuique debita discretis reddat officiis : et zelo imitationis accensa : et adjutorio proficiat et exemplo : si distincte et Domino serviat et patrono.

℟. Amen.

Alia Oratio. Te Domine Jesu Christe benedicimus : teque laudamus : [j] qui tam beatum tamque perfectum martyrem tuum Stephanum tui imitatione fecisti : ut quod etiam in reliquis sanctis rarum atque difficile est : sic persecutionis tormenta portaret : ut ultionis vota de persequentibus non haberet : et eorum impunitatem intrepide in persecutione peteret : quorum impietatem inter saxa sentiret. Utique cum illi lapides mitterent super eum : ille pro eis preces fundebat ad Deum. Domine Jesu : ne hoc illis statuas ad peccatum. Certabat impatientia : cum indulgentia. Illi vulnera inferre : iste odia non referre. Illi doloribus non cedere : iste pro hostibus supplicare. Postremo erat in benignitate martyris : quod non erat in voluntate carnificis. Nolle hos pu-

[a] *Ab hominibus*... Hæ voces desunt in Vulg. et Græc.

[b] *Rex Israel.* Deest Vulgatæ.

[c] *Lauda.* Ex Ps. CXLIX, 5, ad usum festivitatis aptato.

[d] *Sacrificium.* Ex Daniele, IX, 2, 9. ℣. Ibid., VII, 13.

[e] *Sub.* Lege : *sub eadem passionis forma.*

[f] *Impresserit.* Lege *præcesserit.*

[g] *Extitit.* Adde *Christus.*

[h] *Qui.* Hoc est, *quomodo*

[i] *Perfecta.* Contra calumnias paganorum, Manichæorum et Priscillianistarum, breviter et dilucide proponitur doctrina Ecclesiæ Gotho-Hispanæ de cultu sanctorum.

[j] *Qui tam beatum.* Sanctus Augustinus (*Serm.* 315, 319, *oper. tom. V, Ed. nov.*) pluribus ostendit martyrium sancti Stephani dominicæ passioni exstitisse simile. Et in Gelasiano edit. Thomasii legitur (*Orat.* 3, *de S. Stephano*) : *Præsta..... ut beatus Stephanus... sicut ante alios imitator dominicæ passionis et pietatis enituit, ita sit fragilitatis nostræ promptus adjutor.* Eadem de sancto Stephano *missa septima* in Sacramentario sancti Leonis leguntur.

niri : per quos se videbat coronari. Hec igitur tam gloriosa pietas : tam perfecta benignitas : que pro illis precem fundebat : credentium populorum vota commendet : fidelium spem confortet : spectantium necessitates adjuvet : supplicantium culpas excuset : et pro Ecclesie unitate et pace catholice plebis invigilet. Hic semper pro subjectis dum rogat obtineat : qui pro inimicis dum lapidaretur orabat.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Domine Jesu Christe : qui beatissimo primoque martyri tuo Stephano : post ictus lapidum concessisti premium sempiternum : tu sereno vultu respice hoc sacrificium nostrum : et presta nobis famulis tuis : ut prece hujus martyris tam viventibus quam defunctis donetur indulgentia criminum : per quem olim confutata est infidelitas Judeorum.

℟. Amen.

Ad pacem. Deus qui Stephanum plenum gratia et virtute levitici ordinis ministerio per Apostolorum tuorum electionem vel impositionem manuum consecrasti : tu presta nobis ut qui adducti sumus in sortem tue vocationis : simus filii pacis : tenoremque retineamus perfecte dilectionis : quo gratia tua que in Stephano martyre vere predicationis jecit fundamina : in nobis sincere pacis et charitatis multiplicet nutrimenta. ℟. Amen

Inlatio. Dignum et justum est : pulcrumque satis est : nos tibi [a] in die sancti martyris tui Stephani annuo nobis circulo revoluto : laudis hostias immo-

[a] *In die S. Stephani.* Festivitas sancti Stephani primi martyris in Missali et Breviario Mozarabum, in Orationali Gothico, in Missali Gallo-Gothico, Sacramentario Bobiensi et Lectionario Luxoviensi, statim consequitur festum Nativitatis Domini, quo die jam inde a sæculo IV celebrabatur in Ecclesiis Ponti et Cappadociæ, ut ex sancto Gregorio Nysseno eruitur (*Laudatione altera S. Stephani, inter collectanea cl. Zacagni, tom. I, pag.* 330, *et Oratione funebri in S. Basiliam ejusdem S. Greg. Nysseni, apud cl. Zacagnium, in præf., pag.* 40) ; cui adstipulatur sanctus Asterius (*Hom. de S. Stephano*); nec alio die celebrabatur memoria sancti Stephani in Ecclesiis Africanis. Testes sunt Kalendarium Carthaginense, in quo : *VIII Kal. sancti Stephani primi martyris*, et sermo inter opera sancti Fulgentii, de sancto Stephano, in quo : *Heri celebravimus temporalem sempiterni Regis nostri Natalem, hodie celebramus triumphalem militis passionem*; et ipse sanctus Augustinus, in quo his similia leguntur (*Serm.* 314, *tom. V oper., Ed. nov., part.* II, *col.* 1260), tractat de sancto Stephano. Eodem pariter die solemnitas sancti Stephani agebatur in aliis Occidentis Ecclesiis. Pro Italia et Gallia testantur sanctus Maximus Taurinensis, sanctus Cæsarius Arelatensis, aliive auctores sermonum 1, 2 et 6, de sancto Stephano, inter opera sancti Augustini (*In Appendice tom. V, col.* 350 *et seq.*) ; Kalendarium vetustum (*Bolland., tom. VII Junii, p.* 178) anno ær. Chr. 448 exaratum, in quo : *VII Kal. Jan., sancti Stephani primi martyris*, cui subscribunt Martyrologia Corbeiense Dacherii, Lucense Florentinii, Gellonense, in quibus omnibus : *VII Kal. Jan., passio sancti Stephani*, distincte legitur, et in Bedæ genuino : *Natale sancti Stephani*. Demum Sacramentaria Gelasianum, Gregorianum et Ambrosianum, Capitularia Evangeliorum, et Lectionaria vetusta; quibus omnibus sanctus Stephanus die 26 Decembris colitur. Non desunt viri docti qui hac die non passionem, sed translationem reliquiarum sancti protomartyris e villa Capharagamala Hierosolymam anno ær. Christi 414 factam commemorari opinantur. Sed hanc opinionem evertit auctoritas Patrum, Sacramentariorum, et Martyrologiorum, in quibus *de passione* omnino agitur : ex his autem sanctus Asterius et Gregorius Nyssenus ad beatam vitam ante detectas reliquias sancti Stephani transierant. In epistola Luciani presbyteri (*Oper. S. August., tom. VII, in append., nov. Ed.*) scribitur : *Translatæ sunt reliquiæ martyris septimo Kalendas Januarias*; sed inde solummodo evincitur translationem factam fuisse ipso die quo passio ejusdem celebrari consueverat. In pluribus Martyrologiis Latinis III *Non. Augusti* commemoratur translatio reliquiarum sancti Stephani : ita in Adonis, Usuardi, Notkeri, et in apographis Hieronymianis, Lucensi Florentinii, Corbeiensi Dacherii, in Martyrologio Baronii, et in aliis legitur; et epistolæ Luciani in Ms. Floriacensi (*Append. oper. S. Aug., tom. V, Ed. nov.*) additur : *Inventæ sunt autem reliquiæ beatissimi Stephani III Non. Augustas*; quod vel ipso Luciano teste falsitatis evincitur, qui primam apparitionem Gamalielis sibi factam esse scribit *die Parasceve, id est, feria sexta* III *Nonas Decembris, Honorio* X *et Theodosio* VII (lege VI) *consulibus*. Ideo autem, ut suspicatur em. Baronius (*In Martyrol. Rom., die* 3 *Augusti, pag.* 346), in Ecclesiis nonnullis Occidentis celebrata est Translatio, sive Inventio, reliquiarum sancti Stephani, quæ diverso anni tempore festa est, quia, diu ante hanc reliquiarum solemnem inventionem, Anconæ, et fortasse in quibusdam aliis Ecclesiis, ea die celebris erat memoria sancti Stephani, ut testatur vetustum sancti Cyriaci Martyrologium, in quo IV *Non. Aug.* nulla fit mentio inventionis reliquiarum, sed *sancti Stephani protomartyris in Ancona, ubi haberi dicitur unus de lapidibus, quo percussus est*, distincte legitur. Eadem in additamentis Martyrologio Bedæ leguntur, sed pro Ancona Antiochia scribitur. In Bedæ genuino nihil hac die de sancto Stephano recurrit. Ad ultimum notandum quod in Kalendario Bucheriano de sancto Stephano protomartyre nihil. De eo etiam in Sacramentario sancti Leonis, VII Kal. Januarii siletur. At mense Augusti in eodem Sacramentario litteris quadratis legitur : *IV NON., Natale sancti Stephani in cœmeterio Callisti via Appia.* Hunc autem esse Stephanum papam probant Kalendarium Bucherianum, ubi inter *depositiones episcoporum* legitur : *IV Non. Aug., Stephani in Callisti*; Corbeiense Dacherii, IV Non. Aug. : *Romæ, in cœmeterio Callisti sancti. Stephani martyris*; Lucense Florentinii : *Romæ sancti Stephani martyris*; et in notis (*Ibid.*) citatum vetustissimum Martyrologium : *IV Non. Aug., Romæ Stephani episcopi*; Gellonense : *sancti Stephani episcopi et martyris*. Prædicto tamen titulo antiquus consarcinator illius Sacramentarii subjecit missas novem, non omnes integras, nec omnes ejusdem ætatis ; omnes vero sunt de sancto Stephano protomartyre, præter octavam, quæ nihil peculiare de eo continet, nulla de sancto Stephano papa. Harum septima in præfatione clare ostendit festum protomartyris celebratum esse postridie Nativitatis Christi. Nona est de Dedicatione ecclesiæ in honorem sancti Stephani : fortasse pertinet ad dedicationem spatiosæ illius ecclesiæ forma rotunda, quam in monte Cœlio in honorem sancti protomartyris Simplicius papa consecravit (*Anastas., in Simplicio*). Hæc animadverti, ne auctoritas libri incautos decipiat, ut credant die secunda Augusti olim Romæ protomartyris Stephani coli consuevisse diem passionis, cum sex primæ missæ de passione agant. Recentiores Græci, et cum his Moschi, in suis Menæis et Menologiis, præcipuam solemnitatem sancti Stephani protomartyris die vigesimo septimo Decembris celebrant; nam postridie Nativitatis beatam Virginem, et fugam in Ægyptum peculiari devotione colunt.

lare sacrificium solenne persolvere. Quem ita Domini nostri Jesu Christi filii tui gratia elegit : doctrina erudiit : potentia confirmavit. Ut inter Levitas premium : inter discipulos regnum : inter martyres teneat principatum. Qui veritatis verbo errantes confidentius arguendo : ibi staderet ponere causam : ubi intelligeret pendere victoriam. Ut objecto in faciem Judeis impietatis elogio : si non corriperet devios : non timeret iratos. Sciens in alterutrum fructuosam predicationem esse justicie : si aut illi suscepta penitentia placeret oblatio sanitatis : aut sibi excitata invidia fieret occasio passionis. Erat ibi Christi et proximorum in tali voluntate dilectio aut de emendatis gaudium optare cognatis : aut de illatis premium expectare suppliciis : suum quidem honorem aliene crimine non querebat : sed videbat B utrumque sibi sine **44** gloria non futurum. Si autem per veritatem ipse alios predicando acquireret : aut se pro veritate quispiam persecutor occideret. Agnoscebat locum suum : cogitabat officium, ᵃ quia altare se esse noverat : semetipsum hostiam preparabat. Plenus Spiritu Sancto sacramenta ructabat : volens calicem bibere ᵇ quem tradebat. Stabat inter illos populos : qui servis non parcere : Domini morte didicerat, aut qui magis usque ad Domini necem servorum morte prevenerant. O ingens Domini desiderium charitatis : quid est nisi occidi velle pro Domino : et occisi amorem inter homicidas impavida devotione fateri ? Noverat se illi moriendo jungendum : cui se dolebat ᶜ superbiendo disjunctum. Tenebat Magistri precepta que didicerat : non sibi C dignum esse discipulum : qui se non portata cruce sequeretur. Volebat pervenire quo erat : qui cupiebat levare quod jusserat. nec fallit sua opinio jam paratum. Ecce illi qui in Christo tanquam in lapidem offenderunt : in Stephanum cum lapidibus irA ruerunt. Hoc illis furor jecit : quo cecus error impegit. Inde obruerat docentem : unde ceciderant non credentes. Qui illis factus est petra scandali : Stephanus factus est corona martyrii. Cui merito inter gloriosos angelos : celestesque virtutes : hymnum laudis debite sine cessatione proclamat : atque dicit.

Dicat chorus. Sanctus Sanctus Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere in altissimis gloriosus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. A quo Stephanus martyr primus atque levita coronari promeruit passione suscepta : dum et cum ceteris consecrandus Apostolorum electione in ministerio eligitur septimus et singulariter pro Christo martyrium adeptus est primus. Qui ideo lapidari se voluit saxeis ictibus perfidorum : ut facilius pervenire possit ad lapidem preciosum. Christum Dominum ac Redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Omnipotens Deus pater : qui post oblationem unigeniti tui hostiam vivam Stephanum primum martyrem. suscepisti : tu nos ad ejus exemplum facito esse victimam placationis : et hostiam puritatis. Quo dum ipsi per triticionem spiritus immolamur : hec libamina in ablutionem peccaminum a te sanctificata sumamus. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Eterne Dei filius Domine Jesu : quem Stephanus dum lapidaretur : ut ejus spiritum susciperes invocabat : quem positis genibus pro inimicis orabat : tu nos facito et amicos in te fidenter diligere : et pro inimicis te sinceriter postulare. Quo dum debentibus nobis ex corde dimittimus : ea que precepisti fiducialiter proclamemus e terris. Pater noster qui es in celis. ℟. Amen.

ᵃ *Quia altare se esse noverat.* Hoc eodem sensu dictum est, quo sanctus Chrysostomus (*Hom.* 20 *in II ad Corint.*) dixit : *Cum pauperem fide præditum*, atque adeo quemcunque pium Christianum *cernis, existima te altare videre*; et Origenes (*Hom.* 1 *in Levit.*) eos dixit *altare Dei, in quibus semper ardet divinus ignis* charitatis, et quo Clemens Alexandrinus (*Strom.* VII) dixit *aram vere sanctam esse animam justam*; et sanctus Augustinus (*Enarr. in Ps.* XCIV) ait : *Si nos sumus templum Dei, ara Dei anima nostra est*, et plura istiusmodi, quæ apud Patres passim recurrunt.

ᵇ *Quem tradebat.* More antiquo diaconus calicem populo communicanti porrigebat (*S. Cyprianus, de Laps.*; *S. Ambr.*, *lib.* I *de Off.*, *c.* 41) nec tantum sanguinem, sed aliquando corpus quoque Christi tradebant diaconi communicantibus (*Justinus, apolog.* 2). Concilium Ancyranum (*Can.* 2) hunc morem aperte indicat. Sed a concilio Nicæno (*Can.* 18, *al.* 16) Arelatensi II (*Can.* 15), et Carthaginensi IV (*Can.* 38), vetitum fuit ne diaconi, aut presbyteris traderent corpus Christi, aut aliis traderent, præsente presbytero. Mansit tamen diaconis jus tradendi calicis saltem Romæ, in Hispania, et in omni Occidente. Sanctus Isidorus (*De Officiis, lib.* II, *cap.* 8) scribit : *Ipsis enim sacerdotibus non licet a mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus sit a diacono.* Romæ. et in aliis quibusdam Ecclesiis, episcopi non ad altare, sed ad sedem corpus Christi et sanguinem sumebant. Sumpto autem corpore Domini, archidiaconus calicem deferebat ad sedem pontificalem, et ante pontificem manibus tenebat ; e quo pontifex *fistula*, seu *calamo*, aut *pipa ex auro*, vel argento, sanguinem sumebat. Ordo Romanus VI (*apud Mabillonium, Mus. Ital. tom. II*, *pag.* 73) : *Ipse autem diaconus tenens calicem et fistulam stet ante episcopum usque dum ex sanguine et corpore Christi quantum voluerit sumat*; et Honorius Augustodunensis (*Lib.* I, *c.* 63) ait : *Diaconis calicem tenet dum papa sangui-* D *nem sumit.* Hæc, et nihil aliud, innuunt Ordines Romani ; primus (*Ibid. p.* 14) cum ait : *et pontifex confirmatur ab archidiacono.* Tertius vero (*Ibid., p.* 59) distinctius, cum ait : *Et ipse pontifex confirmatur ab archidiacono de calice sancto.* Lege si vacat cl. Georgium (*De Liturg. Rom. Pontif. tom. I, disquis. de sacro ministerio, cap.* 18, *et tom. III*, *cap.* 18, *pag.* 164 *et seq.*). Modum communicandi in Hispania, concilium Toletanum IV (*Can.* 18) constituit. Quod ad rem præsentem spectat, episcopus ante altare sacerdotes et diaconos communicabat, clerum vero in choro, extra chorum in senatorio et ma roneo splendidiores civium utriusque sexus ; populum vero presbyteri corpore Domini reficiebant, iis autem quibus episcopus corpus Domini tradiderat calicem porrigebat archidiaconus, reliquo populo diaconi. Vide Ordinem Romanum tertium (*N.* 16 *et seq. pag.* 59, 60).

ᶜ *Superbiendo.* Lege *supervivendo.*

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus A sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Benedictio. Christus Dei filius : pro cujus nomine Stephanus martyr lapidatus est innocens : contra incursantium demonum ictus vos efficiat fortiores. ℟. Amen. Quique eum pro inimicis orantem consummato martyrio provexit ad celum : conferat in vobis ut sine confusione ad eum veniatis post transitum. ℟. Amen. Ut illic letatura post istud seculum accedat anima vestra : quo predictus martyr spiritum suum suscipi exorabat. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Post Communio. Oratio. Gustantes Domine suavitatis dulcedinis plenitudinem quesumus : ut sit no- B bis hoc in remissionem peccatorum et sanitatem mentium. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Presb. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace.

℟. Deo gratias.

[a] IN SANCTI JOHANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTE.

Ad missam. [b] *Officium.*

Gloriam et magnum decorem impones super eum alleluja : et dabis eum in benedictionem. Et in seculum **45** seculi alleluja alleluja. ℣. Vitam petiit a C te tribuisti ei Domine in longitudinem dierum in eternum. *P.* Et in seculum. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Et in seculum.

Hic dicat Presb. Gloria in excelsis Deo.

Oratio. Hodie nobis thesaurus natus est. *Require in Natale Domini fol.* 37.

Prophetia. Lectio libri sapientie Salomonis ([c] *Cap. X*).

℟. Deo gratias.

Sapientia justum deduxit per vias rectas : et ostendit illi regnum Dei : et dedit illi scientiam sanctorum. Honestavit illum in laboribus : et complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum affuit illi : et honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis : et a seductoribus tutavit illum. Et certamen fortium dedit illi ut vinceret : et sciret quoniam omnium potentior est sapientia : Hæc venditum justum non dereliquit : sed a peccatoribus liberavit illum. Descendit cum illo in foveam : et in vinculis non dereliquit illum : donec afferret illi sceptrum regni et potentiam adversus eos qui eum deprimebant : et mendaces ostendit : qui maculaverunt illum : et dedit illi claritatem eternam. Et reddidit justis mercedem laborum suorum : et deduxit illos in via mirabili : et fuit illis in velamento diei : et in luce stellarum nocte. Et transtulit illos per mare rubrum : et transvexit illos per aquam nimiam. Dominus Deus noster.

℟. Amen.

[d] *Psallendo.* Factus est in pace locus ejus : et habitatio ejus in Syon. ℣. Notus in Judea Deus : in Israel magnum nomen ejus. *P.* In Syon.

Sequentia epistole Pauli apostoli ad Thessalonicenses (*Prime*, [e] *cap. IIII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Nolo vos ignorare de dormientibus : ut non contristemini : sicut et ceteri qui spem non habent. Si enim credimus : quod Jesus mortuus est et resurrexit : ita et Deus eos qui dormierunt per Je-

[a] *In S. Johannis.* Ephesi, et in Ecclesiis Asiæ credibile est sanctum Joannem apostolum ab initio peculiari festivitate donatum esse. De eo silet Kalendarium Bucherianum, et Carthaginense; in hoc quidem legitur : *VI Kal. Jan., sancti Joannis Baptistæ, et Jacobi apostoli, quem Herodes occidit*; quo loco subesse errorem Amanuensis *Baptistam* pro *evangelista* scribentis suspicatur Mabillonius : Sollerius (*In Usuardum*) de errore certus est. Alii tamen nullum hic agnoscunt errorem. In hoc enim Kalendario soli scribuntur martyres, nec in eo sanctus Andreas, et sanctus Lucas, nisi sub martyris titulo leguntur. D Ephesi ante concilium Ephesinum erat ecclesia sancti Joannis. In Ponto ejus festivitas una cum sanctorum Petri, Pauli et Jacobi, eadem die celebrabatur. Romæ Hilarus Papa, voti reus, sancto Joanni liberatori suo ædem in baptisterio Lateranensi erexit, ut inscriptio epistylio januæ insculpta fidem facit : *Liberatori suo beato Joanni evangelistæ Hilarus episcopus famulus Christi.* At am sancto Joanni ecclesiam erexit ex voto Galla Placidia Augusta, quod anno ær. Chr. 425 immani tempestate in Adria cum liberis jactata emiserat, de qua inscriptio apud Agnellum (*Pontific. Ravenat., in Joanne I*), et Gruterum (*P.* 1048, 1), aliosque : *Sancto ac beatissimo apostolo Joanni evangelistæ Galla Placidia Augusta cum filio suo Placidio Valentiniano Augusto, et filia sua Justa Grata Honoria Augusta liberationis a periculo maris votum solvit.* Exinde cultus sancti Joannis apostoli per Ecclesias Occidentis magis propagari cœpit. Incertum plane est quo die in Domino dormiverit. Græci 27 Septembris memoriam ejus colunt; et rursus die 8 Maii festum celebrant ob pulverem, seu mannam, quæ ex sepulcro ejus Ephesi ebulliebat (*Menol. Basil. e r. Lat. Ed. Urbini; Ephemer. Græco-Moschi, apud Bolland., tom. I Maii*). In Missali Gallo-Gothico duas missas proprias habet sanctus Joannes : alteram post festum sancti Stephani, qua ambo fratres Jacobus et Joannes commemorantur; alteram post *Inventionem sanctæ crucis*, quæ solius sancti Joannis evangelistæ est. At præcipua ejus festivitas in Occidente die 27 Decembris celebratur, ut auctor est sanctus Gregorius Nyssenus (*Laudat. altera in S. Stephanum, et Oratione funeb. in S. Basil. apud cl. Zacagnium, Collect. tom. I, p.* 330, *et in præfatione, pag.* 40); et sæculo XI, eadem die, in Ecclesiis Ægypti celebratur (*Zacag., Collect. t. I, p.* 716). Die quoque 27 Decembris in Missali et Breviario Mozarabum in Ambrosiano *Pamelii*, in Sacramentariis sancti Leonis, Gelasii, et sancti Gregorii, in Lectionario Luxoviensi, et Martyrologiis inscribitur. In Sacramentario Bobiensi, fortasse per errorem, post Infantes apponitur *missa Jacobi et Joannis*. In quibusdam Martyrologiis, ut in Corbeiensi Dacherii hac die cum sancto Joanne commemoratur ordinatio sancti Jacobi fratris Domini.

[b] *Officium.* Ps. XX, 6, 7. ℣. Ibid., 4.

[c] *Cap. X.* Vers. 10 - 1.

[d] *Psallendo.* Ps. LXXV, 3. ℣. Ibid., 1.

[e] *Cap. IV.* Vers. 12 - 17. In Luxoviensi Epistola est ex Apocal. XIV, 1 - 7. In Bobiensi Sacramentario legitur ex Actibus, XII, 1 - 3.

sum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini : quod nos qui vivimus qui residui sumus in adventu Domini : non preveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli : et in tuba Dei descendet de celo : et mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus : qui relinquimur : simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera : et sic semper cum Domino erimus.

℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Joannem ([a] *Cap. XXI*).

℟. Gloria tibi Domine.

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus : dixit Simoni Petro : Simon Johannis diligis me plus his? Dicit ei. Etiam Domine : tu scis quia amo te. Dicit ei. Pasce agnos meos. Dicit ei iterum. Simon Johannis diligis me? At ille : etiam Domine : tu scis quia amo te. Dicit ei. Pasce agnos meos. Dicit ei tertio. Simon Johannis amas me. Et dicit ei : Domine : tu omnia nosti : tu scis quia amo te. Dicit ei. Pasce oves meas. Amen amen dico tibi : cum esses junior cingebas te : et [b] ibas ubi volebas : cum autem senueris : extendes manus tuas : et alius te cinget : et ducet quo tu non vis : hoc autem dixit : significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et hoc cum dixisset : dixit ei. Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus sequentem : qui et recubuit in cena super pectus ejus [c], et dixit. Domine : hic autem quid? Dicit ei Jesus : sic eum volo manere donec veniam. Quid ad te? Tu me sequere. Exivit ergo sermo iste inter fratres : quia discipulus ille non moritur : et non dixit Jesus : non moritur : sed sic eum volo manere donec veniam : quid ad te? Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his : et qui scripsit hec. Et scimus quia verum est testimonium ejus.

℟. Amen.

[d] *Lauda.* Alleluja. ℣. Deus meus es tu : et confitebor tibi : Deus meus es tu : et exaltabo te. *P.* Alleluja. Adjuvate me fratres.

[e] *Sacrificium.* Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus dicit Dominus : confitebor eum coram Patre meo alleluja : ℣. Et quicumque perdiderit animam suam propter me : in vitam eternam inveniet eam. *P.* Confitebor.

Missa. Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu.

46 Considerantes dilectissimi fratres beatissimum Johannem apostolum inter ceteros a Domino plus dilectum : offeramus ipsi Christo Deo et Salvatori nostro singularis victime hostiam : ob ipsius sancti apostoli sacrate [f] assumptionis memoriam. Petentes ab eo : ut hunc nobis concedat esse patronum : quem suum voluit dilectum esse discipulum. Efficiatque eum ruentis evi sustentatorem : quem sui pectoris fecit recubam esse. Exaudiens illum pro membris totius Ecclesiæ : quem matris sue voluit curam habere.

℟. Amen.

Alia Oratio. Genite ingeniti filius Dei summi : qui sacrum illud archanum pectoris tui dilecto tuo Johanni apostolo reserasti : cum in sinu tuo recubans evangelii sui fluenta ex ipso pectoris sui fonte hauriri promeruit. Tu nos intuere propicius : ut per te abdita cognoscamus : per te bona que manifesta sunt impleamus. Reserans nobis pectoris tui occulta : quibus possimus cognoscere : et conditionis nostre infirmitatem : et ad tue divinitatis pervenire cognitionem. Manifestans de te quid amemus : indicans de nobis quid corrigamus. Quo hujus dilecti tui suffragiis : moribus nostris in melius commutatis : aufugiat pestis : dispereat languor : pellatur mucro : quicquid adversum est fidei christiane intereat : quicquid prosperum : convalescat. Arceantur fames : sedentur lites : heresum obtrudantur fautores. Fecundetur frugibus terra : vestiatur virtutibus anima : atque cuncta nobis in commune proveniant bona. Quo tibi Deo nostro fideliter servientes ; et his sine peccato utamur concessis : et post deliciis fruamur eterne possessionis.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Jesu Rex noster et Domine : qui es vita mortalium : tu spes unica redemptorum : suscipe hoc sacrificium quod tibi in honorem Johannis apostoli tui dedicandum offertur : ac presta propicius : ut sicut olim idem dilectus tuus presenti in seculo degens : exanimata corpora revocavit [g] ad vitam : ita nunc suffragio suo : et viventium torpentes animas suscipiat ad virtutem : et defunctorum spiritus liberet a penali conditione. Quo per istum a te Deus tam vivi quam defuncti speciale se gaudeant invenisse remedium : quem manere predixisti donec venias incorruptum.

℟. Amen.

Ad pacem. Novimus Domine quod pax multa sit diligentibus nomen tuum : neque sit in illis scanda-

[a] *Cap. XXI.* Vers. 15-24. In Luxoviensi Evangelium de sancto Marco (*Cap.* x) desumitur. In Bobiensi Sacramentario de sancto Matthæo (*Cap.* xx, 20-24).

[b] *Ibas.* Vulg., *ambulabas.*

[c] *Et dixit.* In Vulgata et Gr. sic legitur : *Et dixit, Quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu : Domine, hic autem, quid?*

[d] *Lauda.* Ps. cxvii, 28.

[e] *Sacrificium.* Matth. x, 32. ℣ Ibid., 39; Joan. xii, 26.

[f] *Assumptionis.* Transitus sancti Joannis apostoli in Menologio Basilii ἡ μετάστασις, *translatio* ; in Martyrologio Lucensi Florentinii, Corbeiensi Dacherii, Gellonensi, Vaticano præfixo Sacramentario sancti Gregorii, in Fuldensi, et Ottoboniano Georgii, et in aliis *Assumptio sancti Joannis* dicitur ; quem loquendi modum in Hispania receptum fuisse colligere licet ex fragmento chronologico quod ex Kalendario Hispano desumptum edidit cl. Muratorius (*Tom. II Script. rer. Ital.*, *part.* ii, *pag.* 1024), ubi legitur : *Æra 138, Joannes evangelista assumptus est.*

[g] *Ad vitam.* Apollonius, apud Eusebium (*Lib.* v *Histor. Eccles.*, *cap.* 17, *al.* 18) scribit sanctum Joannem Ephesi mortuum suscitasse.

lum : sicuti fatemur fuisse Johannem apostolum tuum : qui de pectoris tui archano vividos alterne dilectionis rivulos hauriens predicat omnes in commune : non solum sermone diligere : sed opere et veritate. Cujus veridica precepti sanctione commoniti : te [a] simpliciter quesumus fili Dei : ut ea nos facias implere que predicat : ea de te sentire que ipse sentit : ea veritate et te diligere : et a te diligi mereamur : qua ipse vel te dilexit : vel a te constat esse dilectus. Ut in pace viventes : et pacis gloriam amplectentes : ad te perveniamus fructibus pleni pacis : et copia benedictionis.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Deus : tibi in omnibus ac pro omnibus sanctorum tuorum meritis : ex tuis scilicet donis quantum possumus semper agere gratias : tuasque predicare virtutes. Qui excelsus humilia respicis : et attollis humiles in excelsis. Qui nobis post manifestationem in carne redemptoris nostri Domini Jesu Christi Salvatoris : verbi predicatores : censu pauperes : Spiritu Sancto locupletes : apostolos predestinasti. Inter quos gloriosissimus Evangelista Johannes doctrina vitaque insignis multum emicuit : qui in exordio evangelii sui in principio verbum tuum apud te Deum esse semper docuit. Cui Dominus jam crucifixus quem celibem elegerat : matrem suam virginem [b] commendavit, eique revelatione mirifica quid my tice doceret ostendit. Quem sine effusione sanguinis ef ficiens gloriosum usque ad adventum suæ claritatis conservat sibimet [c] incorruptum. **47** Qui nunc tibimet spiritu junctus : inter sanctorum angelorum innumeras legiones splendifico apostolorum in choro refulgens : te Deum cum Cherubin ac Seraphin sine cessatione conlaudat et dicit.

Chorus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere pius : vere in- A estimabiliter gloriosus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. [d] Qui profluentibus ex ventre suo fluminibus recumbentem in sinu suo dilectum Johannem sic irrigavit : sic docuit : sic replevit : ut cor ipsius illuc ad enarrandum incorruptibile principium ascendere posset : quo alius non valuit penetrare. Hic vera de verbo sentiens predicamenta conscripsit : cui idem unigenitus filius tuus : et matrem moriens [e] commendavit. Et rursus eum materno honori consimilem reddidit : cum uno eodemque munere : et matrem glorificat : et discipulum inter fratres exaltat : cum matrem gloria pariendi honorat : et discipulum recumbendi honore glorificat. O quam felix venter qui talem genuit prolem : quam hono- B rabile caput : quod et alias recubavit in pectore. Gloriosa quidem Maria que genuit Christum. Sed et Johannes qui recubuit supra Christum. O parile premium in utrisque virginitatis : quod sic commendatur in exitu finis cum et Maria nullo persecutionis mortis sue coangustiata tormento letanter ex hac vita subducitur : [f] et Johannes diem recessus sui antea presciens effodi ipse sibi precepit locum sepulcri. In quo valedicens fratribus : sine nullo mortis dolore ingressus : requiescit usque ad adventum Domini incorruptus. Tam extraneus a tormento mortis : quam alienus a corruptione extitit [g] carnis. Hinc igitur quia preciosa est in conspectu tuo Domine mors horum sanctorum tuorum : te deprecamur ut hæc holocausta nostra suscipiens : nostris C criminibus veniam prestes. Quo ad instar Apostoli tui : et te incorrupto sequamur ex corde : et tu ad nos veniens apud nos facias mansionem Deus noster ac Redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Christe filius Dei : qui elevatus in cruce discipulum matri : matremque discipulo

[a] *Simpliciter.* Fortasse, *te suppliciter.*

[b] *Commendavit.* Sanctus Hieronymus (*epistola* 127, *tom. I, Ed. Veron.*) ad Principiam scribit : *Virginem matrem* Joannes *filius virgo suscepit.* Et tom II (*Lib.* I *adv. Jovinian., n.* 26) ait : *A Domino virgine mater virgo* Joanni *virgini discipulo commendatur.* Sancto Epiphanio (*Hær.* 78, *Antidicom.*) asserit quod *manifestum est* Joanni *propter virginitatem* Christum Dominum de cruce matrem virginem commendasse. Plura similia apud sanctos Patres recurrunt.

[c] *Incorruptum.* De morte sancti Joannis evangelistæ mira est dissensio inter antiquos et recentiores scriptores : longe credibilior eorum videtur opinio qui sanctum Apostolum mortuum, et Ephesi sepultum tradunt. At contrariæ opiniones non carent magni nominis fautoribus : Florentinius (*In Indic. apostolica, exerc.*3, *p.* 123 *et seq.*), Tillemontius (*Tom. I, art.* 10, 11, *de S. Joanne Apostolo, et not.* 17). Missali nostro astipulantur sanctus Hilarius (*Lib.* VI *de Trin.*), scribens : *Joannes sic usque ad adventum Domini manens, et sub sacramento divinæ voluntatis relictus deputatur;* et alii apud Florentinium citati, quibus addam sanctum Maximum Taurinensem (*Hom. de natal. Sanctor. Martyr., apud cl. Muratorium, Anecdot. t. IV, pag.* 26), ubi hæc, ut alia prætermittam : *Joannis tamen apostoli habemus exemplum, quem tumulus susceptum claudere potuit, custodire non potuit.*

[d] *Qui profluentibus.* Inter præfationes a Pamelio (*Liturgicorum tom. II*), ea quæ (*Pag.* 551) festo sancti Joannis attribuitur, magnam habet cum initio hujus orationis similitudinem.

[e] *Commendavit.* Missale Ambrosianum, *in præfatione* sancti Joannis : *Quem Dominus Jesus Christus non solum peculiari semper decore ornavit, sed et in cruce positus tanquam hæreditario munere prosecutus vicarium pro se matri filium clementer attribuit . . . .* Eadem verbatim in Ambrosiano Pamelii leguntur.

D [f] *Et Johannes.* Eadem habentur apud sanctum Augustinum (*Tr.* 124, *in Joannem*); in Menologio Basilii, die 27 Septembris (*Edit. Gr. Lat. Urbini*); in libro de Vita et Morte sanctorum (*Cap.* 73), inter opera sancti Isidori.

[g] *Carnis.* Sanctus Augustinus (*Tr.* 124, *in Joannem*) ostendit suo tempore creditum fuisse sanctum Joannem revera non esse mortuum, *sed in illo sepulcro ejus, quod est apud Ephesum, dormire eum potius quam mortuum jacere*; qui vero in hac erant opinione pro argumento aiebant *illic terram sensim scatere, et quasi ebullire, atque hoc ejus anhelitu fieri*, et post non pauca tandem concludit : *Cedamus opinioni quam certis documentis refellere non valemus.* Hæc terræ ebullitio ad sancti Joannis sepulcrum, quam sanctus Augustinus (*Ibid.*) testatur se *a non levibus hominibus* accepisse, adeo certa erat, ut Ecclesia Græca, eam ob rem, die octava Maii (*Menol. Basil.*) festivitatem celebraverit.

commendans : passionis nostre calicem ebibens consummasti : tu nos placabiles efficito tibi : ut tam oblationes quam oblatores ita respiciendo sanctifices : vivificandoque tibi ipse commendes : quo Johannem apostolum tuum dilectio tua fecit honorabilem inter fratres. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Vide vide Deus quibus gravati delictis obruimur: qualiterque nobis ipsi quotidie efficimur causa veneni et pena supplicii : dum cum quotidiano carnis nostre veneno polluimur : et de reparatione melioris vite nullo modo cogitamus. Sed quia certum est quod hoc videas : qui semper es clemens : et ideo per confessionem nos ad te redituros expectas : ideo suggerimus. ut apostolo tuo Johanne intercedente : qui invocato nomine tuo lethale [a] ebibens virus : non solum ipse evasit : sed etiam alios ex eodem exstinctos poculo suscitavit. Procul a nobis efficias : et incentivam carnis nostre libidinem : et virus persuasionis hostis antiqui. Ut fide te colentes : sicut Johannem apostolum non nocuit oblatum venenum : ita nos non noceat latentium vitiorum virus occultum : proclamantes atque ita dicentes. Pater noster qui es, etc.

Benedictio. Deus eternus : qui Johannem apostolum suum pre ceteris plus dilexit discipulis : efficiat vos sue participes charitatis. ℟. Amen. Quique per eum [b] Drusianam suscitavit a somno mortis : suscitet vos a torporibus vite carnalis. ℟. Amen. Ut eum semper retineatis in pectore : in cujus sinu ipse promeruit recubare. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Chorus. Gustate et videte.

Post communionem Oratio. Gratias tibi agimus Domine Deus et te Deum benedicimus de die in diem : qui nos in hac die sancte solennitatis tue perducere dignatus es : fac nos diem **48** istum sancti Johannis apostoli tui et evangeliste per multa curricula annorum in pace et tranquillitate suscipere cum fideli populo tuo. ℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam tuam Deus noster A qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

IN [c] NATALE SS. INNOCENTUM

Ad Missam. [d] *Officium.*

Dabo sanctis meis primam sessionem alleluja : in resurrectione eterna et exquiram illos in gaudio meo : et lux perpetua lucebit alleluja : et eternitas temporum preparata est alleluja alleluja. [e] ℣. Domine probasti me et cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. *P.* Et lux perpetua. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Et lux.

B *Oratio.* Hodie nobis thesaurus natus est. *Require retro in Natale Domini. fol.* 37.

Lectio libri Hieremie prophete ([f] *Cap. XXXI*). ℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. [g] Vox in Rama audita est : lamentationis fletus et luctus : ploratus et ululatus multus. Rachel plorans filios suos : et noluit consolari super eos quia non sunt. Hec dicit Dominus. Quiescat vox tua a ploratu : et oculi tui a lachrimis : que est merces operi tuo : ait Dominus. Et revertentur de terra inimici. Et erit spes novissimis tuis. ait Dominus. Et revertentur filii tui ad terminos suos. Audiens audivi Effraim transmigrantem. Castigasti me et eruditus sum : quasi juvenculus [h] in domibus. C Converte me : et revertar : quia tu es Deus meus. Postquam enim convertisti me : egi penitentiam : et postquam ostendisti mihi : percussi femur meum. Confusus sum et erubui : quoniam sustinui obprobrium adolescentie mee : si filius meus honorabilis mihi Effraim : si puer delicatus : quia ex quo locutus sum Deo adhuc recordabor ejus. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum. Miserebor miserans ejus : ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

[i] *Psallendo.* Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos. Ut destruas inimicum et [j] defensorem. ℣. Quoniam videbo celos tuos : opera digitorum tuorum : lunam et stellas quas tu fundasti. *P.* Ut.

[a] *Ebibens virus.* Sanctus Isidorus (*de Vita et morte sanctorum, cap.* 73) eadem habet; et Passio sancti Joannis, quæ nomen Melliti Laudociæ episcopi præfert, apud cl. Florentinium (*In Indic. apostol., pag.* 130), de eadem re fuse agit.

[b] *Drusianam.* Apollonius, apud Eusebium, sanctum Joannem mortuum Ephesi suscitasse scribit, ut supra monui. Mellitus ille Laudociæ episcopus (*In Passione S. Joannis*) refert apostolum Drusianam suscitasse.

[c] *Natale sanctorum Innocentum.* Hæc festivitas, quæ in aliis *Natale sanctorum Innocentium*, aut *beatorum Innocentium*, in aliis *Natale Infantum*, aut *sanctorum Infantum*, in quibusdam *Necatio Infantum*, aut etiam *Allisio Infantum*, inscribitur, a Græcis die 29 Decembris celebratur (*Menol. Basilii*), a Latinis die 28 Decembris, quamvis de die quo interfecti sunt nihil certi constet. In vetustissimo Carthaginensi Kalendario : *V Kal. Jan.*, *Natale sanctorum Infantum, quos occidit Herodes.* Corbeiense pariter D vetustissimum Martyrologium : *V Kal. Jan.*, *Betlehem, Natalis sanctorum Infantium et lactentium, qui sub Herode pro Christo passi sunt.* Eadem quoque Sacramentaria sancti Leonis, Gelasianum, Gregoriana, et Ambrosianum Pamelii horum martyrum memoriam recolunt. In Orationali Gothico (*Pag.* 52) per oscitantiam quamdam orationes *de allisione Infantum* post festum sancti Juliani collocantur.

[d] *Officium.* Esdræ IV, II, 23, 35.

[e] ℣. Ps. CXXXVIII, 1.

[f] *Cap. XXXI.* Vers. 15-20. In Lectionario Luxoviensi eadem prophetia legitur. In Bobiensi Sacramentario hac die nulla est prophetia.

[g] *Vox in Rama.* Ita Matth. II, 18, et LXX. Vulgata cum Hebræo : *Vox in excelso.*

[h] *In domibus.* Vulgata, *indomitus.*

[i] *Psallendo.* Ps. VIII, 3. ℣. Ibid. 4.

[j] *Defensorem.* Ita Ital. et sanctus Augustinus, Vulg., *ultorem.*

Sequentia epistolæ Pauli Apostoli ad Corinthios ([a] *II, cap. I*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi : Pater misericordiarum et Deus totius consolationis : qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt : per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis : ita et per Christum abundet consolatio nostra. Sive autem tribulamur : pro vestra exhortatione et salute. Sive consolamur pro vestra consolatione. Sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute : que operatur tolerantiam earumdem passionum : quas et nos patimur : et spes nostra firma pro vobis. Scientes quoniam sicut socii passionum estis : sic eritis et consolationis.

℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mattheum ([b] *Cap. XVIII*).

In diebus illis : oblati sunt Domino nostro Jesu Christo parvuli : ut manus eis poneret : et oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis : sinite parvulos : et nolite eos probibere ad me venire : talium est enim regnum celorum. Et cum imposuisset eis manus : abiit inde. In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes. Quis putas major est in regno celorum. Et advocans Jesus parvulum : statuit eum in medio eorum. Et dixit. Amen dico vobis : nisi conversi fueritis : et efficiamini sicut parvuli : non intrabitis in regnum celorum. Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste : hic est major in regno celorum. Et qui susceperit parvulum talem in nomine meo : me suscepit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt : expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus : et demergatur in profundum maris. Videte **49** ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis : quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei : qui in celis est. Venit enim filius hominis salvare quod perierat. ℟. Amen.

A *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Lauda.* Alleluja. ℣. Ambulabunt sancti gaudentes velut agni pleni pascue. *P.* Alleluja.

[d] *Sacrificium.* Vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei et martyrium suum : et magno clamore dicebant salus Deo nostro alleluja alleluja.

Missa [e] Catholicam dilectissimi fratres religiosa fides ammonet pietatem : interemptis pro Christo infantibus cultum exhibere non luctum : honoris impendere cerimonias : non doloris. Sacramentis dare vota : non lachrymis. Quia ipsum mortis causam habeant quem corone. ipsum odio constet interesse : quem premio. Recte enim in illis a credentibus laudabatur : B inter quos a persequentibus querebatur. Etiam nocentes Christum non putabant esse : nisi inter innocentes : cum tamen hoc non haberet veneratio pro fide : sed estimatio [f] pro etate. Quos incerto falsitas perdebat : hos pro certo veritas acquirebat. Ubi crudelitas impietatis errabat : ibi hostiam suam Salvatoris pietas agnoscebat. Scientes igitur illos : sic melius moriendo crevisse : et quod tunc annis defuit : non meritis deesse. Rogemus ut qui sub persecutorum manibus perire non dubitant parvuli : in supplicantium precibus dignentur intervenire perfecti.

℟. Amen.

Alia oratio. Deus cujus misericordia per utrumque sexum et per omnem cucurrit etatem : ita plurimum infantibus affectum paterne pietatis indulgens : ut C parvulos nec ab [g] Egipto teneri sineres : nec ab evangelio prohiberi : dum in lege cum patribus evaderent mundum : et in gratia cum perfectis vocarentur ad regnum : atque institutione doctrine : innocentia exspers mali forma induceretur exempli. Dona nobis famulis tuis : ut malicie viribus defecati : in usum concupiscentie carnalis invalidi : docibilem servemus disciplinis voluntatem. Quo mens nec rigida nec superba : sic sit blanda : ne facilis : sic innocens : ne imprudens : sic humilis : ne imbecillis. Quatenus maturo discretionis judicio sic sufficiat probare quod placeat : ut affectare nesciat quod delinquat. Atque ita salubrem sumat temperantiam moderante consilio : ut et simplicitatem

[a] *Cap. I.* Vers. 2 - 7. Lectionarius Luxoviensis, et Sacramentarium Bobiense Epistolam ex Apocalypsi, VI, 9 - 12, exhibent.

[b] *Cap. XVIII.* Evangelium ex Laciniis cap. XIX, XVIII, Matth. consutum est. Incipit a capite XIX, 13-15; tum adnectitur caput XVIII, 1-6; ad ultimum versiculi 10, 11, ejusdem capitis, adjiciuntur. In lectionario Luxoviensi, pro Evangelio legitur integrum caput secundum sancti Matthæi. In Sacramentario Bobiensi legitur ex eodem capite sancti Matthæi 13-23. Idem Evangelium in Kalendario Frontonis legitur.

[c] *Lauda.* Ex Sapientia, XIV, 9.

[d] *Sacrificium.* Apocal., VI, 9.

[e] *Catholicam.* In Liturgia Gregoriana consueta lætitiæ signa in festivitate Innocentium prætermittuntur. In officio non dicitur *Te Deum*, in missa non canitur *Gloria*, nec *Alleluia*, sed ejus loco *tractus* dicitur, nec in fine *Ite*, sed *Benedicamus Domino* ca- D nitur; et Benedictus, ille sancti Petri Canonicus (qui circa annum 1140 librum Pollicitum scripsit, quem cl. Mabillonius inter Ordines edidit, Musæi Ital. *tom. II*) tradit (*Ibid., p.* 150) quod *Romani* Innocentium die *non comedunt carnem, nec sagimen nisi venerit in Dominico die;* rationes mysticas lege apud Micrologum (*cap.* 36), Amalarium, aliosque. Porro ista consuetudo hoc loco improbari videtur. Sane sanctus Chrodegangus, in regula (*Cap.* 74), festivitatem Infantum *inter præcipuas solemnitates* recenset. Et in Ecclesiis Galliarum, teste Amalario, et in monasteriis, in officio Innocentium *Te Deum* canebatur, et in Missa *Alleluia* et *Gloria*. Soli quidem clerici usum Romanum imitabantur.

[f] *Pro ætate.* Sanctus Cyprianus (*Epist.* 56) : *Ætas necdum habilis ad pugnam idonea exstitit ad coronam, ut appareret Innocentes esse qui propter Christum necantur, Infantia innocens ob nomen ejus occisa est.*

[g] *Ægypto.* Exodi X, 9; XIV, 37.

imitetur infantium : et fortitudinem vindicet pugnatorum. ℟. Amen.

Post nomina. [a] Deus omnipotentie ac benignitatis : Deus misericordie ac pietatis : qui bethleemitice ac dominice civitati pro temporalibus erumnis gaudia eterna tribuisti : ut Rachel sanctos plorans filios suos : que proferebat ex dolore luctum : nollet ex consolatione solatium : que licet videretur de presenti infantium amissione conterrita : erat tamen beata : ac de martyrum perpetuitate secura. Da cunctis Domine in hoc loco consistentibus et universe plebi istius loci : ut sic habeant ex sancte vite conversatione palmam : sicut habuerunt parvuli ex passione victoriam : quo eorum meritis : et salus viventium : et defunctorum requies impetretur.

℟. Amen.

Ad pacem. [b] Deus qui martyrio innocentium parvulorum triumphalem hunc diem esse fecisti : et exempla ad augendam ecclesie tue fidem proficientibus tribuere dignatus es : dum beatissimi infantes illi etiam passionem hodie prompte [c] vicerunt. Da huic populo tuo nomini consecrato per consimilis gratie admirationem meritorum similium dignitatem : ut ad hanc sanctorum infantium beatitudinem et profectum fidei et pacis semper ascendat.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Pater : nos tibi gratias agere semper : et Jesu Christo filio tuo Domino nostro : cujus suscepte in carne nativitatis infantiam sic rex impius ac profanus expavit : ut cogeretur metuere, quem non merebatur agnoscere. Et habet conscientia dejecta tremendum : quem non habebat superbia peritura dejectum. Hic ipsum specialiter perire volens : quo invenire posset: ignarus omnes jussit infantes interfici : si fortuitu usque ad ipsius caput membris **50** pereuntibus perveniret : et [d] regalem necem vagantis gladii funera prebella compingeret. Sic decepti furoris insania fecit martyres esse per mortem : qui adhuc confessores non erant per etatem. Et ubi non accessit possibilitas judicandi : cessit felicitas pereundi : Christum igitur in omnium visceribus ceca litoris manus mucrone querebat : et cum non inveniret ignorantia quem interrogaret : non discernebat imprudentia quem feriret. Erat decretus ad occidendum : qui non erat idoneus ad loquendum. Sed nihil laudis derogat infantibus non loquentibus. Plus est enim causa clamare quam lingua. Nec prejudicat : quod illis defuit sermo : quos constat perire pro verbo. Docuit esse vocem sanguinis mors fraterna : infantia quam intellectus non adiit : exitus coronavit : O nefandi furoris immanitas ipso quo perimebatur vulnere : portabatur occisus et tenerum pendebat cadaver in capullum : plus lactis [e] egrediens : quam cruoris. Sic dulcia Christi ubera parvulorum labia suxerunt. Et qui tunc non poterant discernere quid sitirent : nunc habent in gaudio quod biberunt. Unde merito tibi Domine omnes angeli non cessant clamare ita dicentes. *Chorus.* Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus es Nazarene : qui ex ore infantium perfecisti laudem, ut non humana sed divina confessio nasceretur : et immatura loquendi etas agnosceret : quem periti lege nescirent. Per te Domine ac Redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Tibi soli Christe Domine a nobis gloria et honor gratiarumque actio datur : qui fecisti parvulos per ignotam temporis mortem pervenire ad eternitatis beate hereditatem. Qui glorificatus es melius in eorum sanguinis voce : quam in etatis professione. Apud quem non est quesita cognitio rationis : in quibus coronata est materia parvitatis. Tribue proinde nobis illis intercedentibus : et deesse in quo male sumus : et adesse in quo semper bene tecum vivamus. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Oratio. Fratres charissimi Martyrum parvulorum exempla incitent nos ad virorum fortium acta. Et sicut illorum vox sanguinis clamavit ad Deum : ita nos unita pietatis voce exclamemus ad celum : et dicamus in terris. Pater noster, etc.

Benedictio. Dominus Jesus Christus : cui parvulorum non vox etatis : sed effusio sanguinis laudem dedit : clamorem vestre confessionis miseratus accendat. ℟. Amen. Qui illos moriendi actione : non expugnationis certamine coronavit : ipse det vobis contra omnia spiritualia nequicie gloriari spirituali victoria. ℟. Amen. Et qui illos non ex etate : sed ex sanguine consecravit : ipse vos non pro opere condemnet : sed pro sua miseratione justificet. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum.

Chorus. Gustate et videte.

Oratio. Post Communio. Gratias agimus tibi. *Quere in natale Domini fol.* 49.

[a] *Deus.* Hæc oratio eadem est atque *collectio sequitur* in missa Infantium Missalis Gallo-Gothici. In Sacramentario Bobiensi eadem quoque est, sed brevitatis causa dimidiata.

[b] *Deus.* Initium hujus orationis in Sacramentario Bobiensi pro tota oratione *post pacem* adhibetur.

[c] *Vicerunt.* Ecclesia hosce infantes Christi causa interfectos inter martyres ab initio recensuit. Sanctus Irenæus (*Lib.* III, *cap.* 18) : *Christus ipse infans cum infantes hominum martyres parans*..... Sanctus Cyprianus (*Epist.* 56) scribit : *Christi nativitas a martyriis Infantum statim cœpit.* Sanctus Hilarius (*In cap.* I *Matth.*) de infantibus ab Herode occisis ait : *Non enim ii erant qui mortui putabantur; in æternitatis enim profectum per martyrii gloriam efferebantur.* His similia apud Patres tam Latinos quam Græcos recurrunt passim, cum de iis Infantibus loqui contingit.

[d] *Regalem necem.* Sanctus Leo (*Serm.* 3 *de Epiphania*) : Herodes enim *in omnes Bethlehem pueros rabiem crudelitatis effundit*...... *æstimans fore ut nullo illic puerulo non occiso occideretur Christus.*

[e] *Egrediens.* Lege *egerens.*

[a] IN SANCTI JACOBI FRATRIS DOMINI.

Ad Missam. Officium.

Gloriam et magnum decorem. *Require in sancti Saturnini fol.* 25.

Oratio. Hodie nobis thesaurus. *Require in natale Domini fol.* 37.

Lectio libri sapientie Salomonis ([b] *Cap. XVIII*).

℟. Deo gratias.

Tetigit [c] justum tentatio mortis : et commotio in heremo facta est multitudinis : sed non diu permansit ira tua. Properans enim homo sine querela [d] propugnavit proferens servitutis sue scutum orationem : et per incensum deprecationem alligans. Restitit ire et finem imposuit necessitati : ostendens quoniam tuus est famulus. Vicit autem turbas non virtute B corporis : sed [e] armature potentieque verbo vexatorem subjecit : [f] juramenta parentum commemorans : cum enim jam [g] catervatim cecidissent super alterutrum mortui : interstetit : et amputavit impetum et divisit illam que ad vivos ducebat viam. In veste enim poderis quam habebat : totus erat orbis terrarum : et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta : et magnificentia tua in diademate capitis illius inscripta. ℟. Amen.

[h] *Psallendo.* Os justi meditabitur sapientiam : et lingua ejus loquetur judicium. ℣. Lex **51** Dei ejus in corde ipsius : et non supplantabuntur gressus ejus. *P.* Et lingua.

Sequentia epistole Pauli apostoli ad Timotheum ([i] *I, Cap. I, II*).

Deo gratias.

Charissime. Hoc preceptum commendo tibi fili Timothee secundum precedentes in te prophetias : ut milites in illis bonam miliciam : habens fidem et bonam conscientiam. Quam quidam repellentes : circa fidem naufragaverunt : ex quibus est Himineus A et Alexander : quos tradidi Sathane : ut discant non blasphemare. [j] Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes : orationes : postulationes : gratiarum actiones. Pro omnibus hominibus : pro regibus : et pro omnibus qui in sublimitate sunt : ut quietam et tranquillam vitam agamus : in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo. Qui omnes homines vult salvos fieri : et ad agnitionem veritatis venire. Dominus enim Deus : unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus : testimonium temporibus suis. In quo positus sum ego predicator et apostolus [k] et magister. Veritatem dico : non mentior. Doctor gentium in fide et veritate.

℟. Amen.

Evangelium.

Una dierum Dominus noster Jesus etc. *Quere in festo Sancti Clementis Pape fol.* 21.

[l] *Lauda.* Alleluja. ℣. Beatus homo quem tu erudisti Domine : et de lege tua docuisti eum. *P.* Alleluja.

[m] *Sacrificium.* Justiciam tuam Domine non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi. non celavi misericordiam tuam et veritatem tuam. A congregatione multa alleluja. [n] ℣. In capite libri scriptum est de me ut faciam voluntatem tuam : Deus meus volui et legem tuam in medio cordis mei : bene nunciavi justiciam tuam in Ecclesia magna. *P.* A congregatione.

C *Missa.* Letare sterilis que non paris : gaude nimium quod habes premium : non tantum per integritatem mentis : sed et per dignitatem illibate carnis. Magnum tibi siquidem est premium : si servas pudicitiam corporis : magnificentius si conserves et cordis. Intuere gloriam Jacobi : qui dignus est nuncupari [o] frater Domini. Estoque constans in Domino :

[a] *In sancti Jacobi fratris Domini.* Minime dubium est quin Mozarabes hac die in Missa et officio celebrent natalem passionis sancti Jacobi fratris Domini, cognomento Justi, Hierosolymorum episcopi, etsi titulus qui summis paginis inscribitur, et Kalendaria, tam Breviario quam Missali prælixa, festum *Translationis sancti Jacobi* exhibeant. Vide plura de hac re in nota ad Breviarium.

[b] *Cap. XVIII.* Vers. 20-24.

[c] *Justum.* Vulg. et Græc., *Justos.*

[d] *Propugnavit.* In Vulg. et Gr. non reperitur.

[e] *Sed armaturæ.* Vulgata : *Nec armaturæ potentia, sed verbo illum qui se vexabat subjecit.*

[f] *Juramenta parentum.* Vulgata addit : *Et testamentum commemorans.*

[g] *Catervatim.* Vulg., *acervatim.*

[h] *Psallendo.* Ps. xxxvi, 30. ℣. Ibid., 31.

[i] *Cap. I.* Vers. 18. ii, 1-8.

[j] *Obsecro.* Initium capitis secundi.

[k] *Et Magister.* Nec in Vulg. nec in Græco legitur, neque apud Theodoretum, Primasium et divum Chrysostomum.

[l] *Lauda.* Ps. xciii, 12. Vulg. et sanctus Augustinus, *erudieris* et *docueris* habent.

[m] *Sacrificium.* Ps. xxxix, 11, 12, *a congregatione multa* legit sanctus Augustinus. Vulgata, *concilio multo.* LXX, *a Synagoga multa.*

[n] ℣. Ps. xxxix, 9; xxx, 10.

[o] *Frater Domini.* Sanctum Jacobum primum Hierosolymorum episcopum divus Paulus (*Galat.* i, 19) et antiqui omnes *fratrem Domini* constanter appellant. Josephus quoque (*Antiquitat., lib.* x, *cap.* 9) Jacobum hunc dicit *fratrem illius Jesu qui dicebatur Christus.* Unde et a Græcis ἀδελφόθεος, *frater Dei,* et Ecclesia Hierosolymitana honoris causa *sedes Theadelphica* cognominatur. Id autem appellationis sancto Jacobo adhæsit, non quod ex Deo natus fuerit, ut Christus Dominus (*Dial. impatibilis, inter* D *opera Theodoreti*), neque quod beatam Virginem matrem habuerit, ut impii quidam asserere non dubitaverunt, de quibus sanctus Hilarius (*In Matth. c.* i), sanctus Hieronymus (*Adv. Helvidium*), sanctus Epiphanius (*Hær.* 78 *Antidicomar.*), Ambrosiaster (*In Epist ad Galat. c.* i, 19), sed, vel quia erat filius sancti Josephi ex alia uxore, ut antiquorum plurimi tenuerunt : in his Eusebius (*Hist. l.* ii, *c.* 1), sanctus Epiphanius (*Hær.* 66, 78), sanctus Gregorius Nyssenus (*Orat.* 2 *de Resurrect.*), Ambrosiaster (*In Epist. ad Galat. c.* i), sanctus Gregorius Turonensis (*Hist. Franc. l.* i, *c.* 22); vel, ut alii melius docent, quibus evangelistæ (*Matth.* xxvii, 55; *Marc.* xv, 14; xvi, 1) favent, quia Jacobus natus erat ex Maria, sorore beatæ Virginis, et Cleopha fratre sancti Josephi. In his sunt sanctus Chrysostomus (*In Epist. ad Galat., c.* i), Theodoretus (*In Epist. ad Galat., c.* i, 19), sanctus Hieronymus (*De Viris illustribus, cap.* 2).

et ejus mereberis computari collegio. Illi etenim soli ingredi licuit [a] sancta sanctorum et merito. Ut qui [b] ex utero matris gestabat castimonie puritatem : adipisceretur in interiora templi veram a Domino claritatem. Ideoque hunc digne sustulit hec passio ad paradisum : et castitas exaltavit usque ad celum. Nam et si qui similia ascendunt certamina si inlesi viriliter dimicando permaneant : parili exornantur corona.

℟. Amen.

Alia Oratio. Multa quidem erant replicanda quantum habeat castimonia gratiam : sed quod ex conservato pudore confertur a Deo : humana lingua non valet proferre in medio. Cum et inestimabile sit quod speratur : et gloriosum quod acquiritur. Qui enim carnem mentemque suam gestat : [c] ut Johannes et Iacobus publicam : pectoris Christi Domini esse merebitur [d] recuba. Nec enim quispiam in sanctum pectus poterit recumbere : qui non suum domicilium mundum certaverit custodire : illosque solum puto quod [e] digne suscipiet Christus in requiem : quos aut integritas mentis commendat : aut cruoris effusio juste delibat. Unde precamur te Christe Dei filius et Salvator noster : ut hujus viri justi suffragio ecclesiam tuam liberes ab adversis : qui eam ejus dignatus es ampliare doctrinis.

℟. Amen.

Post nomina. Exultans plebs tua Domine in hoc festum Jacobi apostoli tui summe te flagitat precibus, ut sicut idem ab omnibus cognominari promeruit [f] justus : ita nos mereamur in melius mutatis moribus remota vanitate : et esse et appellari tam justicie cultores : quam misericordie sectatores. Obtinentes apud te dum vivimus : et nobis pietatis tue solacium : et defunctis beatitudinis locum. quo et hic misericordia tua in nobis miseris ostendatur : et post justificantis in nobis remuneratio declaretur.

℟. Amen.

Ad pacem Oratio. Deus qui beatissimum Jacobum Apostolum tuum a Phariseis ex alto precipitatum : valentem efficis et robustum. cum fides tua inter undas evexerit Petrum : hunc ex alto salvaret elapsum. Tu ecclesiam tuam inter procellosas commotionum **52** secularium undas pius gubernator tuere. et quotidie gubernationis amminiculo ad portum salutis eam facito pervenire. quo hic liberata a malorum pressuris : ad te perveniat in abundantia pacis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vero et pulchrum est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater omnipotens : et Jesu Christo filio tuo Domino nostro. Cujus ineffabilibus divitiis ditatus est nomine Jacobus : qui semper vocatus est justus : ut qui promissa justis premia populis predicabat : justi nomen merito [g] subjetaret. Nec defuit nomini sancto pronomini sacro martyrium a plebe impia irrogatum :

[a] *Sancta Sanctorum.* Hegesippus, apud Eusebium (*lib.* II, *c.* 22), sanctus Epiphanius (*Hær.* 29), sanctus Hieronymus (*De Vir. illustr., cap.* 2) aperte scribunt sancto Jacobo fratri Domini *soli licitum fuisse ingredi sancta sanctorum.* Scaligerus, in suis animadversionibus ad Chronologica Eusebii (*Pag.* 177, *col.* 2 *et seqq.*), multa congerit ad auctoritatem Hegesippi infringendam; quæ fuse postea prosecutus est Arnaldus, cujus *difficultates* Gallice editæ sunt ad calcem tomi primi Hist. Eccles. Tillemontii. Contra Scaligerum Petavius conatur tueri Hegesippum in notis ad Epiphanium (*Hær.* 78 *Antidicom.*, *n.* 4, *p.* 532 *et seq.*), et Tillemontius eumdem tuetur (*Tom. I*) tum in Vita sancti Jacobi (*Art.* 5 *et* 7) quam in notis 10, 17, et in notis marginalibus contra difficultates Arnaldi. Hanc rem totam ad examen iterum vocat reverendissimus Pater F. Antonius Orsi, ordin. prædicatorum sacri palatii apostolici magister, in erudito et præclaro opere quod de Historia Ecclesiastica Italice edidit (*Tom. I, lib.* II, *p.* 214 *et seq.*). Nodus sane Gordio indissolubilior est. Nam si fidem Hegesippo habes, ut alia plura omittam, incredibile videtur concessum fuisse soli Jacobo, episcopo Christianæ plebis, ingredi sancta sanctorum, quod lex non nisi summo Judæorum pontifici, idque semel in anno, permittebat. Difficultatem quidem minuit, sed non diluit, quod notat P. Halloix (*In Hegesippum*, *p.* 722) in textu Græco scriptum τὰ ἅγια, *sancta*, et ita revera legitur in Editione Valesii; additque Petavius *sancta* aliquando *sancta sanctorum* denominari. At ex alia parte si Hegesippum mendacii damnas, quod durum est, cogeris simul omnem antiquitatem, quæ ei fidem habuit, et inter cæteros Eusebium Cæsariensem, et sanctum Hieronymum, viros rerum et consuetudinum Judaicarum peritissimos, temere credulitatis damnare.

[b] *Ex utero matris.* Hegesippus apud Eusebium (*L.* II, *c.* 22) de sancto Jacobo ait : *Hic ab utero matris sanctus fuit.*

[c] *Ut Joannes et Jacobus.* Sanctus Epiphanius (*Hær.* 58, *Valesianorum*) scribit : *Joannes quidem et Jacobus filii Zebedæi manserunt in virginitate, neque nuptias contraxerunt.* Suspicor hanc orationem desumptam esse ex missa quæ olim (ut est in Missali Gallo-Gothico et in Sacramentario Bobiensi) de duobus fratribus Jacobo et Joanne apostolis dicebatur, et sane suspicari licebit in quibusdam Ecclesiis Hispaniæ olim una cum sancto Joanne celebrari consuevisse diem passionis, aut ordinationis sancti Jacobi fratris Domini die 27 Decembris. Sane ex Epiphanio constat (*Hær.* 78, *Antidicom.*) hos tres apostolos cælibes vixisse. et de sancto Jacobo fratre Domini scribit sanctus Hieronymus (*Adv. Helvidium*) cum *perpetuæ virginitatis* cultorem exstitisse.

[d] *Recuba.* Fortasse, *recubus.*

[e] *Digne suscipiet Christus.* Non ait Christum omnino non suscepturum in requiem quos aut martyrium aut integritas mentis non commendat; sed opinando ait Christum *digne* non suscepturum in requiem, nisi quos, etc. Cæterum castitas, ut auctor est sanctus Cyprianus, si modo ille auctor sit libri de Bono pudicitiæ, ad omnes omnino pertinet; ea enim non solum *in virginibus*, sed *in continentibus*, et etiam *in matrimoniis* invenitur. Qui autem fornicati aut mœchati fuerant, ægre, nec nisi post multorum annorum exactam pœnitentiam, ad communionem Ecclesiæ recipiebantur. At si iterum in eadem prolapsi fuissent peccata, pœnitentia illis minime concedebatur. Non igitur mirandum si antiqui, juxta suorum temporum disciplinam loquentes, dura de iis sentire videntur qui in conservanda mentis et corporis integritate negligentiores fuerint. Lege quæ sanctus Cyprianus in tractatu de disciplina et habitu virginum scribit, qui sane longe abfuit a dogmate Novatiani.

[f] *Justus.* Eusebius (*Hist. Eccl. lib.* II, *c.* 1) : Jacobus, *qui ob eximiam virtutem Justus est ab antiquis cognominatus.*

[g] *Subjetaret.* Lege : *Justi nomen merito eum subsequeretur.*

cum ab eis et templi sublimatus [a] pinaculo et inde A dejectus pro nomine filii tui lapidibus impressis obruitur. [b] Qui dum tot tunderetur saxis quotque flagellis : inter suprema supplicia advocat misericordiam tue pietatis amicam : non immemor preceptorum Magistri et Domini persecutoribus ad percutiendum terga prebebat : et parciturum te Dominum his flebili oratione rogabat. In hujus ergo honore oblationes quas sancto nomini tuo offerimus omnipotens Deus : libenter suscipe mitis atque placabilis : nosque tuis semper facito inherere mandatis. per ipsum quem collaudant omnes angeli atque archangeli : throni : dominationes : et potestates ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius qui fibram germi- B nis sui in Jacobo tanta sublimitatis gloria extulit : ut eum et [c] sacerdotio dignum : et martyrem pro se efficeret gloriosum. Cum idem vir Dei sanctus et commissos predicatione presentes imbuit populos : et passionis exemplo instruit securos. His igitur Deus Pater ecclesiam quam vivens edocuit verbo : nunc regat suffragio. Cuique olim remunerandam predicans exhibuit fidem : nunc precibus impendat salutem : ut eam tueatur patrocinio indefesso : ob cujus edificationem meruit de consummato exultare martyrio. Per te Domine ac Redemptor eterne.

Post pridie. Conserva Deus in nobis tue misericordie donum : qui in Jacobo et meritorum et nominis beneficium gratie conservasti collatum. Cum non immerito cognominatus est justus : qui justicie operibus habeatur idoneus. Et ideo te rogamus et petimus : ut in hac solennitate [d] passionis ejus hoc sacrificium serenus accipias : sanctifices : et pietate solita benedicas sumentibusque ex eo donum sanctificationis impendas. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Sit Christe Deus Jacobus Apostolus tuus apud te emundator facinoris nostri : qui carne frater extitit tibi : sit pro nobis advocatus piaculis : qui tibi fuit affinis. Sitque nobis patronus : qui tuus fuit ex advocatione [e] discipulus. Ut precepta orandi que in terris positus discipulis ostendisti : hic tuus martyr tibi commendet prece : qui ea a te propria percepit

[a] *Pinaculo.* Notat P. Halloix (*In Hegesippum, pag.* 726) pinnaculum hoc loco non accipiendum esse pro suprema interioris templi pinna in acumen desinente, sed pro edito quodam loco exterioris templi, in quo plures simul consistere poterant.

[b] *Qui dum.* Sanctum Jacobum lapidibus obrutum fuisse testantur Josephus (*Antiq. lib.* xx, *cap.* 9), Eusebius (*Demonst. Evang. lib.* VII, *cap.* 1; *Hist. Eccl. lib.* II, *cap.* 22), sanctus Hieronymus (*De Viris illu-* C *stribus, cap.* 2), Hegesippus et Clemens Alexandrinus, apud Eusebium (*Hist. Eccl.* II, *c.* 1, 22), qui addunt sanctum Jacobum, de edito templi loco dejectum, cum pro populo, a quo lapidibus petebatur, Deum oraret, fullonis vecte capite percussum interiisse : id autem inter Hegesippum et Josephum discriminis est, quod Hegesippus sanctum Jacobum a plebe, seditione concitata, sine ullo magistratus imperio, interfectum exhibet, nec de ullo qui cum eo passus sit loquitur. At Josephus (*Antiq. lib* xx, *c.* 9) scribit Ananum Juniorem, secta Saducæum, Pontificem, cum nactus esset opportunitatem quod Festus mortuus esset, et Albinus, quem Nero procuratorem Judææ constituerat, adhuc in itinere versaretur, convocato judicum concilio, sanctum Jacobum aliosque quosdam impietatis damnandos curavisse, et eosdem statim populo tradidisse lapidandos.

[c] *Sacerdotio dignum.* Hoc est *episcopatu*, ut sanctus Isidorus (*De off. Eccl.*, *l.* II, *cap.* 5), concilia Toletana, et Missale nostrum passim loquuntur. D Sanctus Chrysostomus (*Hom.* 38, *in Epist. ad Galatas*) sanctum Jacobum ab ipso Christo episcopum ordinatum scribit, cui consentire videtur sanctus Hieronymus (*In Epist. ad Galatas*). Eusebius (*Hist. Eccl. lib.* VII, *c.* 14) ait Jacobum a Christo et apostolis fuisse ordinatum, idemque ipse Jacobus apud auctorem Constitutionum apostolicarum (*lib.* VIII, *c.* 35) testatur. Ut aliis placet, ab apostolis constitutus fuit episcopus Hierosolymitanus. Ambrosiaster (*In Epist. ad Galatas*), Eusebius (*Hist. Eccl. l.* II, *c.* 1), Clemens Alexandrinus, apud Eusebium (*Ibid.*). Nec ab hac opinione multum recedit quod idem Clemens Alexandrinus (*Ibid.*) tradit, sanctum Jacobum fratrem Domini episcopum ordinatum esse ab apostolis Petro, Joanne et Jacobo Zebedæi, additque Eusebius (*Ibid.*) hoc contigisse post martyrium sancti Stephani.

[d] *Passionis ejus.* Vel hinc aperte patet Gotho-Hispanos hac die memoriam passionis sancti Jacobi fratris Domini recolere, et sane die prima Maii nihil de eo agunt. Sanctus Jacobus diebus paschalibus martyrium subiit, et in antiquissimis Occidentis Martyrologiis Epternacensi, Corbeiensi Dacherii, Gelonensi, Lucensi Florentinii, sancti Cyriaci ad Thermas, aliisque bene multis dies passionis ejus VIII Kal. Aprilis inscribitur; sed quia circa hoc tempus passio Christi in universa Ecclesia colitur, credibile est Gotho-Hispanos in finem mensis Decembris festum sancti Jacobi fratris Domini transtulisse, et sane in plerisque Martyrologiis ordinationis ejus dies 27 Decembris commemoratur.

[e] *Discipulus.* Eusebio (*Hist. Eccles. l.* I, *c.* 12) sanctus Jacobus aperte *unus septuaginta discipulorum* dicitur. Sanctus Epiphanius (*Hær.* 79, *Collyridian.*) nominatim recenset duodecim apostolos, et in his Jacobum Alphæi, tum extra hunc numerum Paulum, Barnabam et Jacobum fratrem Domini nominatim compellat. Sanctus Hieronymus (*In cap.* XVII *Isaiæ, vers.* 7) præter duodecim apostolos Jacobum fratrem Domini et Paulum recenset, ut sint quatuordecim qui Apostoli nominabantur, idemque (*In Epist. ad Galatas*), scribens : *Quod autem, exceptis duodecim, quidam vocentur apostoli, illud in causa est, omnes qui Christum viderant, et illum postea prædicabant, fuisse apostolos appellatos*, satis clare innuit se opinari sanctum Jacobum fratrem Domini fuisse solum e discipulorum numero. Cæterum an Jacobus Alphæi distinguendus sit a Jacobo fratre Domini, vetusta est et sæpius agitata quæstio, de qua consule Henschenium (*Apud Bolland.*, *tom. I Maii, p.* 18 *et seq.*), Florentinium (*In Breviar. Apostol. exercitatione secunda*), Tillemontium (*Collect. ad Hist. Eccles.*, *tom. I*). In Vita sancti Jacobi fratris Domini, pro utraque opinione citatur divus Paulus, qui tamen neutri aperte patrocinatur; nam ex eo quod (*I Cor.* XV, 7) dicat Christum a morte suscitatum visum esse *undecim... deinde... Jacobo, deinde apostolis omnibus*, non bene colligitur Jacobum ex numero undecim apostolorum non fuisse, sed solummodo quod Jacobo singillatim visus est Christus; neque ex eo quod Apostolus (*Galat.* I, 19) scribat : *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*, recte infertur ex numero duodecim apostolorum Jacobum fratrem Domini fuisse : nam, ut animadvertunt sanctus Hieronymus et sanctus Chrysostomus,

in aure : quo effectum capiamus in his verbis cum ad patrem proclamaverimus e terris. Pater noster qui es in celis.

Benedictio. Christus Dominus quem predicare inter Phariseorum cuneos Jacobus non veretur : intrepidos vos pro sui nominis defensione efficiat ad loquendum. ℟. Amen. Ejusque precibus vos sustollat in celo : quem pro se passus est persequentium manibus precipitari ab alto. ℟. Amen. Ut ad eum presentem respuentes vitam remuneraturi perveniatis : cum quo nunc idem apostolus collisis cerebris letatur de consummata gloria passionis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Gustate et videte.

Post communio. Gratias tibi agimus. *fol.* 40.

[a] IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

Ad Missam. [b] *Officium.*

Dominus regnavit decorem [c] induit alleluja. ℣. Induit Dominus fortitudinem et precinxit se. *P.* Alleluja. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Alleluja.

Oratio. Hodie nobis thesaurus. *Quere in Natale Domini fol. XXXVII.*

Lectio Esaye prophete (*Cap.* [d] *XLVIII*).

Hec dicit Dominus. Audi me Jacob : et Israel quem ego voco. Ego ipse ego primus : et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram : et dextera mea mensa est celos. Ego voco eos et stabunt **53** simul. Congregamini omnes vos : et audite : quis de eis annunciavit hec? Dominus dilexit eum. Faciet voluntatem suam in Babylone ; et brachium suum in Chaldeis. [e] Ego locutus sum et vocavi eum : adduxi eum : et directa est via ejus. Accedite ad me et audite hoc : non a principio in abscondito locutus sum : ex tempore antequam fieret ibi eram. Et nunc Dominus Deus misit me : et Spiritus ejus. Hec dicit Dominus Redemptor tuus sanctus Israel. Ego Dominus Deus tuus docens te utilia : gubernans te in via qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea : facta fuisset quasi flumen pax tua : et justicia tua sicut gurges maris. [f] Et fuisset quasi arena semen tuum : et stirps uteri tui ut lapilli ejus : non interisset : et fuisset nomen ejus attritum a facie mea. Egredimini a Babylone : fugite a Chaldeis. In voce exultationis annunciate : et auditum facite hoc : et ferte illum usque ad extremum terre. Et dicite. Redemit Dominus servum suum Jacob. ℟. Amen.

[g] *Psallendo.* Notum fecit Dominus salutare suum : ante conspectum gentium revelavit justiciam suam. ℣. Viderunt omnes fines terre salutare Dei nostri : jubilate Domino omnis terra : cantate et exultate et psallite. *P.* Ante.

---

aliqui, qui non erant de numero duodecim, apostoli vocabantur, et in his ipse divus Paulus qui se constanter Apostolum appellat. Græci Jacobum Alphæi a Jacobo fratre Domini distinguunt : hunc colunt die 23 Octobris, Jacobum Alphæi die 9 Octobris (*Menol. Basil., Menæa*). In Martyrologiis quoque antiquioribus Latinorum Jacobus Alphæi signatur die 22 Julii : ita in Epternacensi, in Corbeiensi Dacherii, in Gelonensi, in Lucensi Florentinii, et in aliis haud paucis. Dies vero passionis sancti Jacobi fratris Domini in iisdem aliisque tabulis ecclesiasticis die 25 Martii legitur. Quare cum dies passionis diversus inveniatur, cum plurimi ex antiquis Jacobum Alphæi in numero duodecim aperte recenseant, et aliquid Jacobum fratrem Domini ex numero duodecim apostolorum excludant, mihi, spectata antiquorum auctoritate, credibile videtur Jacobum fratrem Domini alium esse a Jacobo Alphæi; et libri liturgici Latinorum, quamvis a pluribus sæculis eosdem distinguere non videantur, raro tamen eosdem distinguendos esse negant. Neque ex eo quod in aliquibus Martyrologiis die 1 Maii signetur festivitas sancti Jacobi fratris Domini, in aliis sancti Jacobi Alphæi, sequitur hunc unum eumdemque esse apostolum Jacobum, qui pluribus nominibus appellatur. Sed tantum sequitur in aliis Ecclesiis et Martyrologiis commemorari Jacobum Alphæi, in aliis vero Jacobum fratrem Domini.

[a] *In Circumcisione Domini.* Ineunte sæculo VII Gotho-Hispani Kalendis Januarii novum annum cum jejunio incipiebant (*Conc. Tolet.* IV, *can.* 11 ; *S. Isidorus, de offic. lib.* I, *c.* 40) et ad vesperam missam Circumcisionis celebrabant (*Orat. Goth. pag.* 46). Idem mos in Gallia servabatur (*Conc. Turonen.* II, *can.* 17). Sed ante mortem sancti Isidori, quæ anno 636 contigit, Kalendis Januarii solemnitas Circumcisionis celebrari cœpit (*S. Isidorus, Reg. mon., cap.* 12), quæ circa medium hujus sæculi VII legibus Visigothorum inter præcipuas festivitates, quibus etiam forum vacabat, relata est (*Cod. leg. Visigoth. L.* II, *t.* I, *l.* 11 ; *lib.* XII, *tit.* IV, *l.* 6), ante quam epocham difficile erit invenire hujus solemnitatis certum aliquod testimonium. Nam concilium Turonense II (*Can.* 17) aperte Kalendas Januarii de festorum numero excipit, et statuta Ecclesiæ Rhemensis (*Apud Labbe, Concilior. t. V, col.* 1693) quæ Sonnatio episcopo, ei qui an. 625 concilio Rhemensi præfuit, tribuuntur, opus sunt recentioris ævi, ut animadvertit P. Longueval, eruditus Historiæ Ecclesiasticæ Gallicanæ scriptor (*Hist. Eccl. Gall. tom. III, l.* IX, *p.* 459), ex Hispania brevi in Galliam, inde in Germaniam festivitas Circumcisionis propagata est, ut probant statuta sancti Bonifacii Germaniæ apostoli et martyris (*Spicil. Dacher. tom. IX, p.* 66), quibus præscribitur, ut Circumcisio Domini Kal. Januarii observetur immunis ab omni opere servili. Et antea, Missale Gallo-Gothicum, Sacramentarium Bobiense, et Lectionarius Luxoviensis *Kal. Januarii* celebrant Circumcisionem Domini. Libri antiquiores Liturgici et Martyrologia, vel *octavas Domini*, ut Gelasianum em. Thomasii, et Ambrosianum Pamelii, vel *Circumcisionem Domini*, ut Missale et Breviarium Mozarabum, vel utrumque, ut pluraque Martyrologia commemorant. Cæterum, qui circumcisionis mysterium distincte colunt, non pauca de Incarnatione, de Infantia Christi, et de octavis Nativitatis miscent, ii vero qui octavarum Domini diem celebrant, Circumcisionem non prætermittunt, et in omnibus vetustioribus liturgiis, hac die, aliqua invenire est quibus fidelium mentes contra profanos paganorum ritus præmuniuntur.

[b] *Officium.* Ps. XCII, 1.

[c] *Induit.* Ita Ital. Vulg., *indutus est*

[d] *Cap. XLVIII.* Vers. 12-20. In Luxoviensi legitur prophetia ex Isaia, XLIV, 24-XLV, 1-7. In Bobiano nulla est prophetia.

[e] *Ego locutus sum.* Vulg. et LXX, *ego, ego locutus sum.*

[f] *Et fuisset.* Vulg., *et non fuisset.* Cæterum hæc lectio spectat ad fideles ab idolorum vanitate et a ritibus paganorum avertendos.

[g] *Psallendo.* Ps. XCVII, 2. ℣. Ibid., 3.

Sequentia epistole Pauli apostoli ad Philippenses (a *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum : vobis autem necessarium. Videte canes : videte malos operarios : videte concisionem. Nos enim sumus circumcisio : qui spiritu deservimus : et gloriamur in Christo Jesu : et non in carne fiduciam habentes : quamquam et ego habeam confidentiam in carne : si quis alius videtur confidere in carne : ego magis circumcisus octavo die ex genere Israel de tribu Benjamin. Hebreus ex Hebreis : secundum legem Phariseus : secundum emulationem persequens ecclesiam Dei : secundum justiciam que ex lege est conversatus sine querela, sed que mihi fuerunt lucra ? hec arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi. ℟. Amen.

Secundum Lucam. (b *Cap. II*).

Illo in tempore : postquam consummati sunt dies octo ; ut circumcideretur puer : vocatum est nomen ejus Jesus : quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus : secundum legem Moysi tulerunt illum in Hierusalem ; ut sisterent eum Domino. Sicut scriptum est in lege Domini : quia omne masculinum adaperiens vulvam : Sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini : par turturum aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalem : cui nomen Simeon : et homo iste justus et timoratus expectans consolationem Israel : et Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu Sancto : non visurum se mortem : nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum : et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus : ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Et ipse accepit eum in ulnas suas : et benedixit Deum et dixit. Nunc dimittis servum tuum Domine : secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium : et gloriam plebis tue Israel. Et erat pater ejus et mater mirantes super his que dicebantur de illo. Et benedixit illi Simeon : et dixit ad Mariam matrem ejus. Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel : et in signum cui contradicetur : et tuam ipsius animam pertransibit gladius : ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser. Hec processerat in diebus multis : et vixerat cum viro suo annos septem a virginitate sua. et hec vidua usque ad annos octoginta quatuor. que non descendebat de templo : jejuniis et orationibus serviens nocte et die. Et hec ipsa hora superveniens confitebatur Domino : et loquebatur de illo omnibus qui expectabant c redemptionem Hierusalem. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini : reversi sunt in Galileam : in civitate sua Nazareth. Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo.

℟. Amen.

54 d *Lauda.* Alleluja. ℣. Omnes gentes plaudite manibus ; jubilate Deo in voce leticie. *P.* Alleluja.

e *Sacrificium.* Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui : secundum nomen tuum Deus : ita et laus tua in finibus terre alleluja alleluja. ℟. Justicia plena est dextera tua : letetur mons Syon et exultent filie Jude alleluja. *P.* In finibus.

Missa. Deus qui nobis id prespicit convenire : ut eum debeamus jugiter conlaudare : tota poscamus dilectissimi fratres mentis intentione. ut concedat nobis hodierna die redemptionis et Domini nostri Jesu Christi filii sui preconiis solennibus exultare : ut mysterium incarnationis ejus pro nostre salutis redemptione f celebratum : augeat in nobis gaudia nunquam ulterius finienda : et vota multiplicet indisrupta : ut dum officiis impensius mancipamur : celestium sacramentorum participium consequi mereamur. ℟. Amen.

Alia oratio. Perfecta ingeniti sapientia Patris mentibus celesti munere inlabere nostris : contemnendo quod offendimus et condonando te inspirante quod querimus. Abscide quesumus cordium nostrorum auriumque prepucia : qui pro nobis dignatus es infantie gestare crepundia. Ut quod in tua carne secundum legis litteram fieri circumcisione voluisti corporea : id nostre saluti competenter impendens : ab omni superstitione voluptatum absterge nostra precordia. Lac tuum nutriat parvulos : qui fieri dignatus es pro nostra redemptione pusillus. Ut sicut in te cum ista prestares nullum sensit omnipotentia detrimentum : ita et fides nostra tuo munere confortata : nullum patiatur aliquando defectum : sed ad solidum gratie tue perveniat firmamentum. ℟. Amen.

Post nomina. Domine Jesu Christe qui mortalitatis hominem sic assumpsisti : ut mortem nostram consumeres. sic jugum legis in tua carne suscepisti : ut a nostra carne eum discuteres : sic circumcisus in carne corporis es : ut nos sine vulnere carnis in corde purgares : atque utroque sexui proficeret circumcisio spiritualis : cum ex virginitate genitricis

a *Cap. III.* Vers. 1-8. Sacramentarium Bobianum Epistolam ex eodem cap. I ad Philipp., 3-6, desumit. Luxoviensis contra superstitiones paganorum legit ex I *Cor.* x, 14-15.

b *Cap. II.* Vers. 21-40. Idem Evangelium in Luxoviensi legitur; in Bobiensi legitur ex eodem capite II, Lucæ, 21-24.

c *Redemptionem Hierusalem.* Ita Syr. Græc., *in Jerusalem* Vulg. *redemptionem Israel.*

d *Lauda.* Ps. XLVI, 2.

e *Sacrificium.* Ps. XLVII, 10. ℣. Ibid., 11, 12.

f *Celebratum.* Hæc oratio est de octavis Domini.

ipse tanquam Sponsus procederes : et utrumque sexum in sacramentum incarnationis amplecteres : suscipiens scilicet virum natum ex femina. Unde veneranda illa senectus in Simeone atque Anna purgata jam etas et defecata : sinceraque etiam in viro feminaque canicies te suscipiens non destitit conlaudare. Te quesumus ut sacrum circumcisionis diem solennitate votiva nobis prosequentibus : orationes supplicum placatus exaudias : et offerentium sacrificia sanctificanda suscipias : atque spiritus quiescentium quorum est facta commemoratio nominum in requiem electorum perducas. ℟. Amen.

Ad Pacem. Oratio. Christe finis ad justiciam omni credenti et bonorum omnium limes : qui ex circumcisione preputioque venientibus lapis effectus angularis : olim mysterio figurante : cum Jacob capiti unctus est suppositus lapis : cum et Abraham in se uno ostendit : cum alios ex circumcisione : alios ex fide sua venire portendit : quatenus ex utraque gente unam in se faceret plebem. Te quesumus : te rogamus : ut pro quibus precepta legis implesti [a] ut absolveres : preceptorum tuorum efficias effectores : ut in pace tua acquisiti : pace potiamur majestati tue placabili. ℟. Amen

Inlatio. Dignum et justum est : te ineffabilis immenseque sapientie Deum debitis conlaudare preconiis : cum precipue hoc die vel tempore transacta pro nobis circumcisione tue recordamur infantie. Et sicut dignum est laudare virtutem tue omnipotentie non valemus. Non enim in te Domine aliquid superfluum in suscepto homine ipse creaveras : quod necessario circuncidi debere mandares. Sed ut te Dominum legis natum fuisse sub lege : nec legem destruxisse probares. Universa enim que carnali populo figuris pretereuntibus adumbrata mandasti : etiam in te ipso secundum litteram fieri permisisti. Qui tamen in nobis per evangelicam veritatem etatemque perfectam sacramentis dignioribus perfecisti. Cum circumcisio nostri cordis non in cultro imprimitur : sed votis spiritualibus celebratur. Illis nos exuens videlicet **55** pellibus quibus Adam involutus a paradisi beatitudine extruditur moriturus : ut continentie virtus desideriis carnalibus amputatis : non corporis pelle : sed confusionis tegmine [b] exuatur. Et reformetur paradiso virginitas mentis et corporis : unde eliminata fuerat [c] corruptio transgressoris. Pro quibus indiciis impensius commendandis adest ille mortificato in corpore grandevus meritisque sanctissimus Simeon : amplexumque senilibus ulnis ingentem parvulum : salutare Domini se vidisse testatur. Sed et illa cui nomen [d] gratia resonat continentie : candore resplendens consimilis Anna preconiorum officio Dominum confitetur. Offeruntur deinde in sacrificio par turturum ; vel pulli gemini columbarum. Ut in combinatione mundissimarum avium tam anime quam corporis puritatem litandam Deo exemplis evidentibus doceremur. Et in his sacrificiis que acceptari desiderant : non imis inhereant : sed erigantur jugiter in supernis. Pro quibus omnibus mirabilibus omnes angeli celorumque virtutes tibi Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto cum cherubin et seraphin sine cessatione proclamant : ita dicentes.

Chorus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere incomparabiliter te esse sanctum Domine omnis profitetur a te condita creatura : a quo et creantur et sanctificantur omnia. Hinc quesumus ut quibus [e] jussis preceptisque tuis ad instar sanctitatis tue jubes esse nos sanctos : ob circumcisionis unigeniti tui diem cum oblatis sacrificiis sanctifices indignos. Quia tu es Domine ac Redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Deus auctor omnium et conditor creaturarum : qui et circumcisionem ex fide : et preputium per fidem justificare dignatus es : tu Ecclesiam tuam que ex circumcisione vel preputio veniens in te solidata consistit litatione hostie hujus : et vitiis facito circumcidi : et spirituali leticia innovari. Benedicens et nobis famulis tuis : et his sacrificiis tibi oblatis : qui solus pro cunctis factus hostia immolaris. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam. Unigenite Dei filius : qui nos non carne sed corde cupiens circumcidi : omne preputium circuncisionis in suscepto homine adimplesti : tu a cordibus nostris omne quod tibi non militat gladio verbi tui dissecando abscide : et virtutibus spiritualium actionum nos clementer accinge. Quibus potentialiter roborati : ad te proclamare possimus e terris : ea que nobis petenda instituisti : ut dicamus. Pater noster qui.

Benedictio. Dominus Jesus Christus qui ut legem adimpleret : suscepta carne circumcisionem suscepit corpoream : ipse cordibus vestrorum abscidat illecebras. ℟. Amen. Et qui in Simeonis justi manibus est susceptus : vos sibimet associet benedictione perpetua letabundus. ℟. Amen. Ut tam corporis quam anime vitiis dissecatis : ad eum sine confusione perveniatis : qui ad confirmandas promissiones patrum minister confirmatus est circumcisionis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc.

Oratio post communio. Gratias tibi agimus Domine. *Require in Natale Domini fol.* 40

IN DOMINICA [f] ANTE EPIPHANIAM DOMINI.

Officium.

Dominus regnavit decorem. *Require in Circumcisione Domini fol.* 52.

Oratio. Hic est justus noster : in quo sperabamus : fidem precinente propheta : et ad quem pervenimus

[a] *Ut absolveres.* Fortasse *ut fideles a legis jugo absolveres.*

[b] *Exuatur.* Lege : *sed confusionis tegmine exuto.*

[c] *Corruptio.* Fortasse, *corruptione.*

[d] *Gratia.* Apud sanctum Hieronymum et Bedam (*De Hebraicorum nominum Interpretatione*) Anna *gratia*, vel *respondens*, sive *donans*, aut *donatio*, interpretatur.

[e] *Jussis.* Lege *justis.*

[f] *Ante Epiphaniam.* Eodem modo in Breviario Mozarabum inscribitur. In Lectionario Luxoviensi : *In Dominica post Circumcisionem Domini.* De hac Dominica nihil invenitur in orationali Gothico, aut in Sa-

apparentem per gratiam : proinde poscamus clementiam ejus : ut liberet nos : et peccata populo suo dimittat : qui pro nobis impendi dignatus est totus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum.

℟. Deo gratias.

Lectio libri Esaye prophete ([a] *Cap. XLIX*).

Hec dicit Dominus. [b] Audite insule et attendite populi de longe : Dominus ab utero vocavit me : de ventre matris mee recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum : in umbra manus sue protexit me : et posuit me sicut sagittam electam. In pharetra sua abscondit me : et dixit mihi. Servus meus es tu Israel : quia in te glorificabor. Et ego dixi : in vacuum laboravi sine causa : et vane fortitudinem meam consumpsi. Ergo judicium meum cum Domino : et opus meum **56** cum Deo meo. Et nunc dicit Dominus. Formans me ab utero servum sibi : ut reducam Jacob ad eum : et Israel non congregabitur. Et glorificatus sum in oculis Domini : et Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit. Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob : et feces Israel convertendas : dedi te in lucem gentium : ut sis salus mea usque ad extremum terre. ℟. Amen.

[c] *Psallendo.* Laus tua Deus in fines terre : justicia plena est dextera tua. ℣. Letetur mons Syon et exultent filie Juda : propter judicia tua Domine. *P.* Justicia.

Sequentia epistole Pauli apostoli ad Hebreos ([d] *Cap. VI*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Abrahe promittens Deus : quoniam neminem habuit per quem juraret majorem : juravit per semetipsum dicens. Nisi benedicens benedicam tibi : et multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem. Homines enim per majorem suum jurant : [e] et omnes controversie eorum finis ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere [f] pollicitationes heredibus : immobilitate consilii sui interposuit jusjurandum. Ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum : fortissimum solatium habeamus : qui confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut ancoram habemus anime tutam ac firmam : et incedentem usque in interiora velaminis. Ubi precursor pro nobis introivit Jesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in eternum. Hic enim Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei summi : qui obviavit Abrahe regresso a cede Regum. Et benedixit ei. Cui decimas omnium divisit Abraham. Primum quidem qui interpretatur Rex justicie. Deinde autem et Rex Salem : quod est Rex pacis. Sine patre : sine matre : sine genealogia. Neque initium dierum : neque finem vite habens. Assimilatus autem filio Dei : manens sacerdos in perpetuum. ℟. Amen.

Principium sancti evangelii secundum Joannem ([g] *Cap. I*).

In principio erat verbum : et verbum erat apud Deum : et Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso : vita erat. Et vita erat lux hominum : et lux in tenebris lucet : et tenebre eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo : cui nomen erat Johannes. Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine. Ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux : sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat : et mundus per ipsum factus est : et mundus eum non cognovit. In propria venit : et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum : dedit eis potestatem filios Dei fieri : his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus : neque ex voluntate carnis : neque ex voluntate viri : sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est : et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus : gloriam quasi unigeniti a patre : plenum gratie et veritatis. Johannes testimonium perhibet de ipso : et clamat dicens. Hic erat quem dixi : qui post me venturus est : ante me factus est : qui prior me erat. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus : gratiam pro gratia : quia lex per Moysen data est : gratia et veritas per Jesum Christum facta est.

℟. Amen.

cramentario Bobiensi ; in Missali Gallo-Gothico, deficiente membrana, integra missa quæ Circumcisionem Domini consequitur deficit, præter benedictionem. Hanc ego missam, non *ad prohibendum ab Idolis*, de qua nulla est mentio in Lectionario Luxoviensi, qui hoc loco integer est, sed *ad Dominicam post Circumcisionem Domini*, de qua meminit Lectionarius ille Gallicanus, pertinuisse crediderim. Cæterum missa quam *in Dominico ante Epiphaniam canunt* Mozarabes ea ipsa est quam olim Kalendis Januarii, ineunte novo anno, celebrabant, antequam Circumcisionis solemnitas instituta fuisset, ut aperte patebit legenti orationes hujus missæ. Lectiones scripturæ tempori maxime conveniunt quod cadit Nativitatis inter et Epiphaniæ festivitates, divinam enim Christi humanamque ejus naturam et sacerdotium prædicant, adumbratum in regio Melchizedechi sacerdotio, ipsumque Messiam ad Judæos et gentes per se ipsum loquentem ostendunt.

[a] *Cap.* XLIX. Vers. 1-7. In Luxoviensi legitur prophetia ex Ezechiele, XLIII, 18 ; XLIV, 4.

[b] *Audite insulæ.* Totam hanc prophetiam de Christo intelligendam esse consentiunt Patres. Sanctus Hieronymus (*In Isaia*, XLIX, 1) : *Scio*, inquit, *hæc omnia ex persona Christi debere accipi.* Lege, si vacat, P. Cornelium a Lapide, in hunc locum.

[c] *Psallendo.* Ps. XLVII, 11. ℣. Ibid. 12.

[d] *Cap. VI.* Vers. 13-VII, 1-3. In Luxoviensi legitur ex Epistola ad Ephesios, I, 3-14.

[e] *Et omnes.* Vulg., *omnis.*

[f] *Pollicitationes.* Primasius, *pollicitationes ;* Ambrosiaster, *pollicitationem ;* Syriaca, *pollicitationem suam immutabilem ;* Vulg., *pollicitationis hæredibus*, Græc., *pollicitationis immobilitatem.*

[g] *Cap. I.* Vers. 1-18. In Luxoviensi ex Matth. IX 32-35 desumitur.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Timebunt gentes nomen tuum Domine : et omnes reges terre gloriam tuam. P. Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Paratum panem de celo prestitisti filiis tuis Domine : omne delectamentum in se habentem odore suavitatis alleluja alleluja.

Missa. Principium exorientis anni : quod hodierno die cum jejunii voto celebrandum suscepimus : humili devotione fratres dilectissimi Deo muneribus dedicemus. Poscentes ut idem Christus qui est caput omnis principatus : ac Dominus det nobis ita venientis anni spacia fideli mente transigere : qualiter oculis pietatis ejus mereamur in omnibus complacere.

℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui idem Ipse es cujus anni non deficient : prebe nobis ita hunc annum cum placita tibi servitutis devotione 57 transigere : qualiter et substantiis non privemur : et divinis obsequiis devotione optabili obsequamur. ℟. Amen.

Post nomina. Christe qui es alpha [c] et o : initium et finis : tu benedicito his sacrificiis ob principium presentis anni tibi oblatis : et ita offerentium vocabula in libro vite conscribens : ut defunctis requiem prestes. quo omnes qui initia hujus anni tripudio laudationis attollimus : reliquum excursum ejus in tua servitute transigere mereamur. ℟. Amen.

Ad pacem. Benedic Domine coronam anni benignitatis tue : ut et campi tui ubertate pinguedinis repleantur. et nos qui in convallem plorationis consistimus : abundantia pacis ac dulcedinis redundemus. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi gratias agere Domine sancte pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui ante tempus natus ex te Deo patre tecum pariter et cum Spiritu Sancto condidit tempora : dignatus est nasci et ipse sub tempore ex utero virginis Marie. Qui tamen cum sit sempiternus : statutos annorum discrevit recursus : per quos evolutus deduceretur hic mundus. Distinguens annum certis atque congruentibus vicissitudinibus temporum : quibus Sol certa cursus sui dimensione anni orbem in confusa varietate distingueret. Illi etenim Deo vivo hodie et finem expleti anni : et subsequentis initium oblatis muneribus dedicamus. per quem et decursum annorum transegimus : et principium alterius inchoamus. Hunc igitur quia in annum nos ad supplicandum sancta et communis fecit devotio convenire : tibi Deus Pater simplices fundimus preces. Ut qui in nativitate ejusdem filii tui presentis temporis curricula consecrasti : prebeas nobis hunc annum habere placabilem : et dies ejus in tua transigere servitute. Terram quoque fructibus reple : animas corporaque facito morbis delictisque carere. Scandala remove. contere hostem. Cohibe famem : et omnes in commune nocivorum casuum eventus a nostris finibus procul exclude. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum : quem in unitate trinitatis throni dominationes et potestates sine cessatione conlaudant : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Oratio. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : quo inspirante januam presentis anni in confessione intramus : quove acti compungimur : ut reliquos excursus temporum in divinis obsequiis transigere delectemur. Ipse est vere Salvator noster et Dominus Jesus Christus filius tuus : qui est et consecratio temporum : et conditor seculorum : Christi Domini ac Redemptoris eterni.

Post pridie. [d] Vespertini hujus sacrificii litatione placari te cupientes omnipotens Deus : quesumus ut appositum tibi hoc holocaustum : ita placide acceptare digneris : quo omnes qui a te sanctificari hujus anni initia cupimus : in sanctis eum nos transegisse actibus gratulemur. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Domine qui magnus dies es angelorum : parvus in die hominum. Verbum Deus ante omnia tempora verbum caro opportuno in tempore conditus. Sub sole conditor solis : da nobis hujus diei in tuis laudibus ecclesiastice dignitatis solennem conventum. Ut qui initium anni talibus primitiis tibimet consecrasti : benedic nobis famulis tuis : et sanctifica his sacrificiis tibi oblatis : ut totius temporis spatium tibi placitis excursibus : atque operibus facias immolari : qui nos docuisti orare et dicere e terris. Pater noster qui es etc. ℟. Amen.

Benedictio. Omnes qui initium presentis anni laudibus excolendum attollitis Salvatoris nostri muniti presidiis : absque crimine ad finem ejus usque perveniatis. ℟. Amen. Idem quoque Redemptor noster ita contribuat vobis hunc annum habere placidum ac jocundum : ut cor vestrum semper sibimet efficiat preparatum. ℟. Amen. Ut benedicti a Deo qui fecit celum et terram : quod nunc inchoatis in lacrymis : post in canticis spiritualibus expleatis. ℟. Amen. 58 Per misericordiam ipsius Dei etc.

Dominus sit semper vobiscum.

Post Communio. Oratio. Gratias tibi agimus. *Require in Natale Domini fol.* 40.

[e] IN JEJUNIO EPIPHANIE

Ad Missam prophetia.

Lectio libri ecclesiastici Salomonis (*Cap.* [f] *IIII*).

Fili conserva tempus et devita a malo pro anima

[a] *Lauda.* Ps. CI, 16.

[b] *Sacrificium.* Sapientia, XVI, 20.

[c] *Et o,* id est, *alpha et omega,* ut est in Apocalypsi, I, 8.

[d] *Vespertini.* Hinc apparet hanc missam olim die jejunii dictam fuisse.

[e] *In jejunio Epiphanie.* Feriæ Kalendarum Januarii pluribus diebus celebrabantur (*Gothorf., in lib.* II *Cod. Th., tit.* 8, *de feriis*), *quibus ad conculcandam gentilium consuetudinem Ecclesia triduanum jejunium indixerat* (*Conc. Turon.* II, *c.* 17), de quo Jejunio sanctus Augustinus (*Serm.* 198, *oper. t. V, Ed. nov.*), Concilium Toletanum IV (*Can.* 11) et sanctus Isidorus (*De Off.*

[f] *Cap. IV.* Vers. 23-31. In vigiliis Epiphaniæ Lectionarius Luxoviensis prophetiam ex Isaia LX, 1-16, desumit.

tua. Non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum : et est confusio adducens gloriam et gratiam. Nec accipias faciem adversus faciem tuam : nec adversus animam tuam mendacium. Non reverearis proximum tuum in casu suo : nec retineas verbum in tempus salutis. Ne abscondas sapientiam tuam in decore ejus. In lingua enim cognoscitur sapientia : et sensus scientie. Et doctrina in verbo [a] veritatis : et firmamentum in operibus justicie. Non contradicas veritati ullo modo : et de mendacio ineruditionis tue confundere. Non confundaris confiteri peccata tua : et ne subjicias te [b] omnino peccato. Noli resistere contra faciem potentis : nec coneris contra ictum fluvii. Pro justicia agonizare : pro anima tua : et usque ad mortem [c] certare pro justicia : et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

℟. Amen.

Lectio libri Numeri ([d] *Cap. XXIIII*).

℟. Deo gratias.

In diebus illis. Levans Balaam oculos : vidit Israel commorantem per tribus suas. Et introeunte in se spiritu Dei : assumpta parabola ait. Dixitque Balaam filius Beor. Dixit homo : cujus obduratus est oculus. Dixit auditor sermonum Domini : qui visionem omnipotentis intuitus est. Qui cadit et sic aperiuntur oculi ejus. Quam pulchra tabernacula tua Jacob : et tentoria tua Israel. Ut valles nemorose : ut horti juxta fluvium irrigui : et tabernacula que [e] finxit Dominus. Quasi cedri juxta aquas : fluet aqua [f] distillata ejus : et semen illius erit in aquas multas. Accubans dormivit sicut leo : et quasi leena quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi erit ipse benedictus : qui maledixerit tibi : in maledictione reputabitur. Sumpta igitur rursum parabola ait. Dixit Balaam filius Beor. Dixit homo cujus obturatus est oculus. Dixit auditor sermonum Dei. Qui novit doctrinam Dei altissimi : et visiones omnipotentis videt : qui cadens apertos habet oculos. Videbo eum : sed non modo : intuebor illum : sed non prope. Orietur stella ex Jacob : et consurget virga ex Israel. Et percutiet duces Moab : vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumea possessio ejus : et hereditas Seyr cedet inimicis suis. Israel vero fortiter [g] sit. De Jacob erit qui dominetur : et perdat reliquias Civitatis. Assumptaque parabola : et iterum locutus est. [h] En qui venturus est : quando ista faciet Deus. Venient in trieribus de Italia superabunt Assyrios : vastabuntque Hebreos : et ad extremum etiam ipsi peribunt. Surrexitque Balaam : et reversus in locum suum. Balaach quoque via qua evenerat : iterum rediit.

℟. Amen.

[i] *Psallendo.* Propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum Domine : nequando dicant gentes ubi est Deus eorum. ℣. Propter honorem nominis tui Domine libera nos. *P.* Nequando.

Sequentia epistole Pauli apostoli ad Corinthios (*I, cap. XV*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate juste : et nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reverentiam enim vobis loquor. Sed dicet aliquis. Quomodo resurgunt mortui ? Quali autem corpore veniunt ? Insipiens : tu quod seminas non vivificatur : nisi prius moriatur. Et quod seminas non corpus : quod futurum est seminas. Sed nudum granum ut puta tritici : aut alicujus ceterorum seminum. Deus autem dat illi corpus sicut voluit : et unicuique [k] seminum proprium corpus. Non omnis caro : sed alia hominum : alia pecudum : alia volucrum : alia autem piscium. Et corpora celestia : et corpora terrestria. Sed alia quidem celestium gloria : alia autem terrestrium. Alia autem claritas solis : alia claritas lune : alia claritas stellarum. Stella enim ab stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum. seminatur in corruptione : surgit in incorruptione. **59** Seminatur in ignobilitate : surgit in gloria. Seminatur in infirmitate : surgit in virtute : Seminatur corpus animale : surgit corpus spirituale. Si est corpus animale : [l] et spirituale. Sicut scriptum est. Factus est primus homo Adam in animam viventem : novissimus autem in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spirituale est : sed quod animale est. Deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus. Secundus homo de celo celestis. Qualis terrenus : tales et terreni. Qualis celestis : tales et celestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni : portemus et imaginem celestis. ℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Johannem ([m] *I.*)

Deum nemo vidit unquam : [n] nisi unigenitus filius : qui est in sinu patris : ipse enarravit. Et hoc testi-

(*De Off. lib* I, *cap.* 40) mentionem fecerunt. At postquam Kalendis Januarii Circumcisio Domini solemniter celebrari cœpit, triduanum hoc jejunium in dies tertium, quartum et quintum Januarii translatum est, et modo jejunium *Kalendarum Januarii*, ut olim denominabatur, modo *jejunium Epiphaniæ*, a festivitate quæ proxime sequitur, et cujus vigiliæ cadunt in diem tertium hujus Jejunii appellari consuevit. Vide quæ de vigilia Epiphaniæ notavi ad Breviarium.

[a] *Veritatis.* Vulg., *in verbo sensati.*

[b] *Omnino peccato.* Vulg., *omni homini pro peccato.*

[c] *Certare.* Vulg., *certa.*

[d] *Cap. XXIV* ad XXVI ; plura tamen prætermittuntur.

[e] *Finxit.* Vulg., *fixit.*

[f] *Distillata.* Vulg. et Hebr., *de situla.*

[g] *Ait.* Vulg., *agat.*

[h] *En qui venturus est.* Vulg., *heu ! quis victurus est ?* Hebr., *væ ! quis vivet ?*

[i] *Psallendo.* Ps. LXXVIII, 9, 10. ℣. Ibid., 9.

[j] *Cap. XV.* Vers. 33-50. Luxoviensis desumit ex Epistola ad Ephesios, I, 3-14.

[k] *Seminum.* Ita Syr. Vulg. et Græc. vox illa deficit.

[l] *Et Spirituale.* Lege, cum Vulgata, *est spirituale.*

[m] *Cap. I.* Vers. 18-34.

[n] *Nisi.* Vox illa neque in Vulgata neque in textu Græco legitur.

monium Johannis quando miserunt Judæi ab Hierosolymis Sacerdotes et Levitas ad eum; ut interrogarent eum: tu quis es? Et confessus est et non negavit: et confessus est: quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum. Quid ergo? Helyas es tu? Et dicit. Non sum. Propheta es tu? Et respondit. Non. Dixerunt ergo ei. Quis es tu: ut responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait. Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini: sicut dixit Esayas propheta. Et qui missi fuerant: erant ex Phariseis. Et interrogaverunt eum et dixerunt. Quid ergo baptizas: si tu non es Christus: neque Helyas: neque propheta? Respondit eis Johannes dicens. Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit: quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est: qui ante me factus est. Cujus ego non sum dignus: [a] ut solvam calciamenta. Hec in Bethania facta sunt trans Jordanem: ubi erat Johannes baptizans. Altero die vidit Johannes Jesum venientem ad se: et ait. Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: [b] post me factus est qui prior me erat: et ego nesciebam eum. Sed ut manifestetur in Israel: propterea veni ego in aqua baptizans: et testimonium perhibuit Johannes dicens. Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de celo: et mansit super eum: Sed qui misit me baptizare in aqua: ille mihi dixit. Super quem videris spiritum descendentem et manentem super eum: hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi: et testimonium perhibui. Quia hic est filius Dei. ℟. Amen.

[c] *Lauda.* Alleluja. ℣. Laudate Dominum de celis: laudate eum in excelsis. *P.* Alleluja.

[d] *Sacrificium.* Vos qui transituri estis Jordanem: edificate altare Domino ex lapidibus quos ferrum non tetigit: et offerte coram eo holocausta et hostias pacificas alleluja.

Missa. Principium exorientis. *Et omnia alia require in Dominico ante Epiphaniam Domini fol.* 56.

Oratio. Post Communio. Gustantes Domine suavitatis dulcedinis plenitudinem: quesumus ut sit nobis hec in remissionem peccatorum: et sanitatem mentium. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster: qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat. Presb. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

[e] IN APPARITIONE SEU EPIPHANIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Ad Missam. [f] *Officium.*

Vos qui in Christo baptizati estis: Christum induistis alleluja. ℣. Benedicti vos a Domino qui fecit celum et terram. *P.* Christum. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. *P.* Christum.

Oratio. Rex omnium seculorum Christe Deus altissime: qui in diebus Herodis regis de virgine natus: Magis querentibus novo sidere declaratus: appareat in nobis virtutis tue presidium ad depellendos omnes principes tenebrarum: quo sic majestatis tue sidus in nobis resplendeat: ut ad te querendum

[a] *Ut solvam calciamenta.* Vulg. et Gr.: *Ut solvam ejus corrigiam calciamenti.*

[b] *Post me.* Vulg. Gr., Syr.: *Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.*

[c] *Lauda.* Ps. CXLI, 1.

[d] *Sacrificium.* Deut. XXVII, 45; Josue VIII, 31.

[e] *In Apparitione.* Breviario Mozarabum inscribitur: *In festo Apparitionis Domini*; Orationali Gothico: *Orationes in die apparitionis Domini*; fragmento vetusti Kalendarii Gotho-Hispani, VIII Id. Januarii: *Apparitio, quod est Epiphania*; Codici legum Visi-Gothorum (*Lib.* II, *tit.* I, *leg.* 11): *Epiphania*; et lib. XII (*Tit.* IV, *leg.* 6): *Apparitio Domini.* Scilicet Gotho-Hispani utraque appellatione aut *Apparitionis Domini* aut *Epiphaniæ* promiscue utebantur. Sanctus Isidorus (*Orig. lib.* VI, *c.* 18): *Epiphania Græce, Latine apparitio sive manifestatio vocatur.* Eadem solemnitas passim *Theophaniæ* etiam a Latinis nuncupatur et a Gotho-Hispanis peculiari illis vocabulo *Acceptatio*, de quo infra recurrit mentio. De solemnitate Epiphaniæ silet Kalendarium Bucherianum: de ea meminit Kalendarium Carthaginense: *VIII Id. Jan., sanctum Epiphania.* Est enim vetustissima festivitas, quæ ante finem sæculi III in Occidente seorsim a Nativitate Domini celebrabatur. De ea distincte mentionem faciunt Acta sancti Philippi Heraclææ episcopi, quem credibilius est ante immanem Diocletiani persecutionem passum esse, cum vix persuasibile sit edicta persecutionis non nisi post decem menses e Bithinia in Thraciam allata esse. De eadem festivitate, in Galliis celebr., meminit Ammianus Marcellinus (*Lib.* XXI). Plurimæ supersunt Patrum conciones et homiliæ hac die ad populum habitæ: inter quas est oratio 39 sancti Gregorii Nazianzeni (*In sacra lumina*, εἰς τὰ ἅγια φῶτα); a Græcis enim Epiphania ἑορτὴ τῶν φωτῶν, *festum luminum*, appellatur; quo nomine sanctus Asterius (*Hom. in fest. Kalendar.*) utitur. Legibus Visigothorum citatis prohibetur ne festo Epiphaniæ forum contentiosum frequentetur; et Theodosius Junior Augustus (*Cod. Th. leg. Dominico 5 de spect.*) prohibet ne hac solemnitate spectacula ederentur. Cæterum, apud scriptores ecclesiasticos *Epiphania* numero singulari et genere feminino passim legitur, et nonnunquam *Epiphania* numero singulari genere neutro, et pariter numero multitudinis genere neutro apud eosdem recurrit.

[f] *Officium.* Ex Epistola Pauli ad Romanos, VI, 3. ℣. Ps. CXIII, 15. Hoc officium indicium est antiquitatis Missalis Mozarabum, et simul ostendit Hispanos more vetustissimo missam diebus festivis psalmorum cantu inchoasse, quem ritum in Ecclesia Romana Cœlestinus papa I instituisse perhibetur; pertinet enim hoc officium ad ea tempora quibus in Hispania baptismus solemniter conferebatur, in vigiliis, aut in solemnitate Epiphaniæ. Hujus consuetudinis exstant haud obscura indicia in Breviario Mozarabum; et in Orationali Gothico (*pag.* 48, *orat.* 6). De eadem Himerius, Tarraconensis episcopus, tanquam de abusu conquestus est in Epistola ad Damasum papam. Mos idem in Africa (*Vict. Vitens., de Persec. Vandal., lib.* VI), et in quibusdam Occidentis provinciis olim vigebat, et in Oriente adhuc viget, ubi die Epiphaniæ solemniter benedicuntur fontes et flumina. At in Hispania sublatus est decretis concilii Gerundensis (*Can.* 4), Siricii papæ (*Epist. ad Himer. Tarrac., cap.* 2), aliisque, in Codice canonum Ecclesiæ Gotho-Hispanæ (*Lib.* IV, *Tit.* XXVI) relatis, quem si lubet consulas, a viro clarissimo Cajetano Cenni, in libro de Antiquitate Ecclesiæ Hispaniæ (*Tom. I*) editum, et ab em. de Aguirre (*Conc. Hisp. t.* II).

nulli se nobis errorum objices interponant : quo ad A te videndum curramus : et te viso jocundemur instanter. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum.

Lectio libri Esaye prophete ([a] *Cap. LX*).

℟. Deo gratias.

60 Surge illuminare Hierusalem : quia venit lumen tuum : et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebre operient terram : et caligo populos. Super te autem orietur Dominus : et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo : et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos : et vide. Omnes isti congregati sunt : venerunt tibi. Filii tui de longe venient : et filie tue a latere surgent. Tunc videbis et afflues : et mirabitur et dilatabitur cor tuum. Quando conversa fuerit ad te multitudo maris : fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te : dromedarii Madian et Epha. Omnes de Sabba venient : aurum et thus deferentes : et laudem Domino annunciantes. Argentum et aurum eorum cum eis : nomini Domini Dei tui : et sancto Israel qui glorificavit te. Et edificabunt filii peregrinorum muros tuos : et reges eorum ministrabunt tibi. In indignatione autem mea percussi te : et in reconciliatione mea misertus sum tui. Et aperientur porte tue jugiter : die et nocte : et non claudentur. Ut auferatur a te fortitudo gentium : et reges eorum adducantur. Gens enim et regnum quod non servierit tibi peribit. Et gentes solitudine vastabuntur. Gloria Libani ad te veniet : abies et buxus et pinus simul : ad ornandum locum sanctificationis mee : et locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curvi filii eorum : qui humiliaverunt te : et adorabunt vestigia pedum tuorum. Non audietur ultra iniquitas in terra tua : vastitas aut contritio in terminis tuis. Sed occupabit salus muros tuos : et portas tuas laudatio. Non erit tibi Sol amplius ad lucendum per diem : nec splendor Lune illuminabit te. Sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam : et Deus tuus in gloriam tuam.

℟. Amen.

[b] *Psallendo*. Omnis terra adoret te et psallat tibi. ℣. D Psalmum dicam nomini tuo altissime super filios hominum. *P.* Et psallat.

Sequentia epistole Pauli apostoli ad Galatas ([c] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Quicumque in Christo baptizati estis : Christum induistis. Non est Judeus : neque Grecus : non est servus · neque liber. Non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si autem vos Christi : ergo Abrahe semen estis : secundum promissionem heredes. Dico autem. Quanto tempore heres parvulus est : nihil differt a servo : cum sit Dominus omnium : sed sub tutoribus et auctoribus : usque ad prefinitum tempus a patre. Ita et nos cum essemus parvuli : sub elementis hujus mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis : misit Deus filium suum [d] natum ex muliere : factum sub lege : ut eos qui sub lege erant redimeret : ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii Dei : misit Deus spiritum filii sui in corda vestra : clamantem abba pater. Itaque jam non est servus : sed filius. Quod si filius : et heres per Deum.

℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Mattheum ([e] *Cap. II*).

Illo in tempore. Cum natus esset Jesus in Bethleem Jude : in diebus Herodis Regis : ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes. Ubi est qui natus est Rex Judeorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente : et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex : turbatus est : et omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes Sacerdotum et Scribas populi sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt. In Bethleem Jude. Sic enim scriptum est per Prophetam. Et tu Bethleem terra Juda : nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis : diligenter didicit ab eis tempus stelle : que apparuit eis. Et mittens illos in Bethleem dixit. Ite et interrogate diligenter de puero : et cum inveneritis : renunciate mihi : ut et ego veniens adorem eum. Qui cum audissent Regem : abierunt. Et ecce stella quam viderant in Oriente : antecedebat eos : usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam : gavisi sunt gaudio magno 61 valde. Et intrantes domum : invenerunt puerum cum Maria matre ejus. Et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis : obtulerunt ei in munera. Au-

[a] *Cap. LX. Vers.* 1-20, quibusdam omissis. Eadem prophetia in Lectionario Luxoviensi, sed ad versum 17 tantummodo pertingit. Eadem quoque olim in Ecclesia Taurinensi, die hac legebatur, ut ex homilia 6 in Epiphaniam sancti Maximi Taurinensis colligere licet. Sic enim incipit : *Ait prophetarum præcipuus Esaias, sicut audistis, fratres charissimi : Illuminare, illuminare, Jerusalem, adest enim lumen tuum et majestas Domini in te exorta est*; ubi etiam animadvertenda Scripturæ lectio diversa a versione Vulgata, quam Lectionarius Luxoviensis, et Missale Mozarabum sequuntur; cæterum in Bobiano deficit prophetia.

[b] *Psallendo.* Ps. LXV, 4. ℣. Ibid., 5. P. 60, *altissime.* Ita legit sanctus Augustinus; in Vulgata vox illa deficit.

[c] *Cap. III. Vers.* 27-IV, 1-7. In Luxoviensi, et Bobiano legitur ex Epistola ad Titum, cap. II. In Luxoviensi lectio prolixior a vers. 11 ad cap. III, 8, pertingit; in Bobianio brevior a vers. 11 ad 14. Et hic cum Mabillonio, si lubet, nota pseudographiam vocis Epiphaniæ quæ in Bobiano *Epiphania*, in Lectionario Luxoviensi et Missali Gallo-Gothico *Ephiphania* pingitur.

[d] *Natum.* Vulg., *factum.*

[e] *Cap. II.* In Luxoviensi et Bobiano Evangelium consutum est ex fragmentis Matth. III, 13-17 : Lucæ III, 23; Joannis II, 1-11.

rum : Thus : et Mirrham. Et responso accepto in A somnis : ne redirent ad Herodem : per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Qui cum recessissent : ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens. Surge et accipe puerum et matrem ejus et fu₀e in Egyptum : et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim : ut Herodes querat pu rum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte : et recessit in Egyptum. Et erat ibi : usque ad obitum Herodis. Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem. Ex Egypto vocavi filium meum. Tunc videns Herodes : quoniam illusus esset a Magis : iratus est valde. Et mittens occidit omnes pueros : qui erant in Bethleem : et in omnibus finibus ejus : a bimatu et infra : secundum tempus quod B exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Iheremiam prophetam dicentem : Vox in Rama audita est : ploratus et ululatus multus : Rachel plorans filios suos : et noluit consolari : quia non sunt. Defuncto autem Herode : ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Egypto dicens. Surge : accipe puerum et matrem ejus : et vade in terram Israel : defuncti sunt enim qui querebant animam pueri. Qui consurgens : accepit puerum et matrem ejus : et venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judea pro Herode patre suo : timuit illuc ire. Et admonitus in somnis : secessit in partes Galilee : et veniens habitavit in civitate que vocatur Nazareth : ut adimpleretur quod dictum est per prophetam : quoniam Nazareus vo- C cabitur. ℟. Amen.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Laudate Dominum Sol et Luna : laudate eum omnes stelle et lumen. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Omnes de Sabba venient offerentes : aurum et thus et lapides preciosos : salutare Domini evangelizabant alleluja alleluja. ℣. Viri excelsi ad te transibunt et tui erunt servi subsequentes te colligati vinculis : et adorabunt te. quia in te est Deus : et preter te non est alius : renovamini insule Israel et salvamini a Domino in salute eterna. *P.* Salutare.

Missa. Omne dilectissimi fratres in laudem Dei Salvatoris Redemptorisque nostri charitatis excitetur officium. Spei ponatur integritas : fidei surgat devota confessio. Qui nobis per istam suam [c] assumpte matris [d] nativitatem : illam ingeniti patris dignatus est significare naturam. Quia verbum caro factum hodie in agnitionem Dei locum generationis ostendit : unde in virginem initium originis introduxit. En Christus proditus virtute : qua genitus. novoque sidere daret infantie signum : potentie ministerium : ignorantie documentum. Et qui terram factus ex muliere : lege parturitionis inviseret : celum indiscreto patris jure coherens possideret : Novamque elementi : quam creaverat claritatem habuit Deus in officio. parvulus in testimonio : mundus in nuncio. Reges in miraculo : pastores in gaudio. Gentilitas in stupore : credulitas in munere : crudelitas in timore. In hac tremuerunt impii : in hac exultaverunt commoniti : in hac adoravere subjecti. Hac illuminante qui fuerat salvandus occurrit. hac terrente qui fuerat periturus expavit. Sic celo nova lampade corruscante : et illuminata fides est : et cecata perfidia.

℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui nobis ad [e] revelandos istius vite labores diversa donorum tuorum solatia et gaudia contulisti : quibus insignis annuis recursibus dies agimus. Ut Ecclesie tue vota solennia presenti festivitate celebremus. Unde et proxime Natalem Domini Salvatoris peregimus : qui nobis natus in tempore est : qui de te natus sine tempore : omnium seculorum et temporum est antecessor et conditor. Deinde subsecutum diem circumcisionis octavum : unigeniti luce signatum pari observantia recolentes : sacrificiis solennibus honoravimus. **62** Nunc Epiphanie diem revelante in homine divinitate excolimus : diversa Domini nostri Jesu Christi filii tui in hoc mundo suum adventum manifestantia insignia predicantes. [f] Sive quod stellam ortus sui nunciam misit e celo : quam stupentibus Magis usque ad cunabula sue carnalis infantie previam fecit. Sive quod aquas baptismate suo ad omnium gentium lavationem Jordanis alveum sanctificaturus intravit. Ubi ipsum esse filium unigenitum dilectum spiritu columbe specie advolante monstrasti : et paterna insuper voce docuisti. Sive

[a] *Lauda.* Ps. CXLVIII, 3.

[b] *Sacrificium.* Isaiæ VI, 6.

[c] *Assumptæ matris.* Lege, ut habet codex Eminentissimi Corsini, *assumptæ carnis.*

[d] *Nativitatem.* Etiam in Gallia die Epiphaniæ Christi *Nativitatem ex Virgine* iterum celebrabant (*Miss. Gall. Goth., præf. in vigil. Epiph.*), et ordo Romanus, quintus Hittorpii (*P.* 21), Epiphaniam secundam Christi nativitatem appellat. Ubi *Nativitas* accipienda est pro *festo Nativitatis*, sic enim ait : *Nec hoc prætermittendum quod secunda Nativitas Christi, tot illustrata mysteriis, sit honoratior quam prima*, nimirum majori cum solemnitate in quibusdam Ecclesiis celebrabatur *Epiphania*, quam festum Natalis Christi, quia præter Natalem Christi, in Epiphaniæ solemnitate pleraque alia celebrabantur mysteria. At sanctus Isidorus (*Orig. lib.* VI, *cap.* 18) vocem *Epiphania* pro numinis præsentia, apparitione et manifestatione usurpans (quo sensu ἐπιφάνεια etiam ab auctoribus profanis usurpatur), Natalem Christi primam ejus Epiphaniam dixit : *Duæ sunt*, inquit Hispaniæ doctor, *Epiphaniæ*, D *prima in qua natus Christus pastoribus Hebræorum angelo nuntiante apparuit ; secunda, in qua ex gentium populis stella indice ad præsepis cunabula magos adoraturos exhibuit.* Utramque hanc Epiphaniam una eademque festivitate Orientales et Ægyptii die VIII Idus Januarii olim celebrabant (*Cassian., coll.* 10, *cap.* 1). At modo Ecclesiarum Occidentis consuetudinem imitantur, quæ ab initio utramque hanc festivitatem sub die VIII Kal. et VIII Idus Januarii singilatim coluerunt.

[e] *Revelandos.* Lege *relevandos.*

[f] *Sive quod.* Sanctus Isidorus (*Orig. lib.* VI, *c.* 18. *Offic. lib.* I, *c.* 6), Maximus Taurinensis (*Hom.* 6 *de Bapt. Christ.*), Sanctus Petrus Chrysologus (*Serm.* 157, 160, *Edit. Rainaud.*), Missale Gallo-Gothicum (*In missa Epiph.*), Sanctus Paulinus (*Carm.* 9), ordo Romanus quintus Hittorpii, easdem causas hujus solemnitatis celebrandæ afferunt.

quod primum in Chana Galilee prodidit signum : cum in [a] connubio nuptiali aquas in vinum vertit. Alto et admirabili Sacramento docens : quod [b] a seculis sponse sibi jungendus Ecclesie advenerat : [c] ac vinum prudentie spiritualis saporis fidem veritatis esse mutandam. Itaque in his tribus mirabilium tuorum causis fide hodierne solennitatis edita : Dominus noster Jesus Christus filius tuus : nihilominus tue virtutis operatio : et nostre salutis preparatio est. Propterea Domine secundum hec tria magna mirabilia maneat in nobis gratie spiritualis integritas. Sapiat in cordibus nostris vinum prudentie : fulgeat in operibus stella justicie.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. [d] Ecclesie tue quesumus Domine munera propitius intuere ; quibus non jam aurum : thus : et mirrha profertur : [e] sed iisdem muneribus unigenitus tuus declaratur : offertur : immolatur : et sumitur. Offerentibus quoque Domine gaudia tribue sempiterna : et refrigerium quietis defunctis accumula.

℟. Amen.

Ad pacem Oratio. Christe qui ad humana veniens humilis Deus in sidere declararis : inlabere sensibus nostris quo Ecclesia tua que apparitionis tue festum hodierno die ovando concelebrat : in pace tua jugi tempore solidata consistat. Ut et hic opera charitatis instanti devotione retentet : [f] sed ad te [g] remuneratura perveniat gaudens : qui olim ad liberationem ejus per [h] ammirabile sidus apparere dignatus es.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : omnipotentiam tuam Domine Jesu Christe per vite nostre vel maxima spacia : vel minima momenta laudare. Maxime A que in festivitate presenti : in qua multimoda mirabilium tuorum preconia celebrantur : ex totis precordiis venerari. Et licet ea ipsa que perstringere de pluribus pauca presumimus : sacramentis sint preciosiora quam factis. Eoque fiat : ut quod mens non concipit : lingua non pariat. attamen si qua vel forinsecus ammirationi fuere perspicua convenit memorare. Hodierna igitur die quod incarnationis tue testimonium perhibet ignerutilum : lucilatuum : contemplatione placidum : expectatione votivum : nativitate mirabile : significatione terribile sidus apparuit. cujus splendoris magnitudinem expavit subito Chaldeorum cervicosa curiositas : et in omni Babyloniorum ritu vetusta superstitione calcata : Magi sagaces viderunt quantis jacerent in tenebris : B qui nisi discuterent visibilium luminum qualitatem nescissent lucis auctorem. Neque ultra supercilio gentis Assyrie colendos homines inter celestia quesierunt : qui cœlo judice adorandam divinitatem inter humana repererunt. Additur his quod Jordanis aquas sanctificaturus intrasti ad humilitatem exempli : non ad necessitatem peccati. [i] Et vox patris de filio testificantis audita est : atque novum Adam spiritus gratie septiformis insedit : hinc in quo baptizari Baptista possit ostendit. Nec hunc eundemque Jordanem seculis anterioribus illustratum esse plus dixerim : cujus gurgitibus abruptis undifluis fluctibus qui precesserant in mare reconditis. Hinc exaltatis qui subsisterant : et in ethera fastigiatis juxta sceram liquentis elementi secures tribus per vada pulve- C rulenta transduxit. Insuper infudisti aquas hydriis : aquis vinum ; atque ad tue jussionis imperium [j] votivi distinguntur in aquis : et vindemie **63** oriuntur ex hydriis. Nec minori miraculo quondam largitas

[a] *Connubio.* Forte, *convivio.*

[b] *A seculis.* Forte, *a cœlis.* Ordo Romanus Hittorpii, haud dissimili sensu, *eidemque cœlesti sponso Ecclesia conjuncta est*, de Epiphania habet.

[c] *Ac vinum.* Aliquid videtur hic deesse. Fortasse supplendum *et aqua* prudentiæ *carnalis* in vinum spiritualis saporis, *umbra legalis* in fidem veritatis esset mutanda. Galli, in Missali Gallo-Gothico apertius de Eucharistia loquuntur quando (*In præf. Epiphaniæ*) Dominum rogant *ut qui tunc aquas in vina mutavit*, *nunc in sanguinem suum oblationum vina convertat.*

[d] *Ecclesie.* Eadem ferme est oratio post *mysterium* missæ Gallo-Gothicæ, et secunda oratio in Sacramentario Gregoriano, et in Missali Romano sancti Pii V, quæ fortasse e liturgia Hispana aut Gallicana in Sacramentarium Gregorianum translata est ; certe in Sacramentario Gelasiano hac die non legitur.

[e] *Sed iisdem muneribus.* Forte, *sed munera quibus*, etc.

[f] *Sed.* Lege *et.*

[g] *Remuneratura.* Lege *remuneranda.* Frequenter in hoc Missali participium futurum terminationis activæ pro participio terminationis passivæ usurpatur.

[h] *Ammirabile.* Lege *admirabile.* Ejusdem rationis sunt *ammiratio*, pro admiratio, *ammiror*, pro admiror, et similia quæ haud raro occurrunt.

[i] *Et vox Patris.* Prætermissa est apparitio sancti Spiritus instar columbæ, et ignis ille in flumine accensus, de quo forte sanctus Ephrem Syrus (*Apud Assemanum, Bib. orient. t. I*, *p.* 101), in hymno de fide cecinit : *En ignis et Spiritus in flumine quo baptizatus fuisti*; et sanctus Justinus (*Dial. cum Tryph.*, *sect.* 88. *Edit. Maurin.*) clare locutus est : *Cumque tum ad Jordanem fluvium venisset, ubi Joannes baptizabat, descendente Jesu in aquam , etiam ignis accensus est in Jordane, et ei. de aqua prodeunti , Spiritum sanctum instar columbæ volasse scripserunt hujus Christi nostri apostoli.* Hic autem animadvertendum, sanctum Justinum utrumque miraculum particula copulativa καὶ, *et*, conjungere, eodemque contextu utramque apparitionem ignis et columbæ complecti ; et sine ullo discrimine, pro utroque miraculo auctoritatem apostolorum, id est, evangelistarum, citare ; attamen, cum Evangeliorum testimonio constet de apparitione san- D cti Spiritus instar columbæ, de igne in Jordane accenso in Evangeliis, paucis admodum Codicibus exceptis, altum silentium est. At olim ignis miraculum in quibusdam Evangeliorum Codicibus legebatur, ut auctoritas minime dubia sancti Justini evincit ; et in Codice vetustissimo Vercellensi a sancto Eusebio, ut creditur, exarato, Matth. III, 15, legitur : *Et cum baptizaretur, lumen ingens circumfulsit de aqua, ita ut timerent omnes qui venerant* ; et in Codice Sangermanensi (apud cl. virum Josephum Blanchinium in Evangelistario quadruplici) : *Et cum baptizaretur Jesus, lumen magnum fulgebat de aqua, ita ut timerent omnes qui congregati eran* ; num forte, ab hac luce, festum Epiphaniæ, quo baptismus Christi celebatur, *festum luminis* dictum est? Baptizare a Græcis φωτίζειν, *illuminare* (*Hebr.* x, 32), ab apostolorum ævo, et baptismus *illuminatio*, φωτισμὸς, dicuntur, quarum appellationum aliæ quidem afferuntur rationes, sed hæc fortasse primæva fuit.

[j] *Votivi.* Lege *botri.*

tua flumen irriguum de visceribus aride [a] cutis elicuit. sed non amplius est verbo liquorem siccis : quam saporem accidis indidisse. [b] Quinque quoque panibus et pisce geminato quinque virorum milia intra deserta pavisti. Hoc potentialiter tue benedictionis operatus : ut tantus populus qui magno impleri vix poterat : parvo posset impleri. Ita in ora hominum cibus ipsa sui imminutione proficiens : incrementum proprium inter detrimenta sumebat : ut [c] edulibus ampliatis fragmine crescente : [d] frustrorum plurima relata sunt cophinis : [e] que non fuerant illata conviviis. Operante hoc omnipotentia tua ad magnificandam gloriam, tuam : cui omnes angeli non cessant clamare ita dicentes.

Chorus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Deus : qui observationem diei hujus : atque reverentiam toto orbe venerabilem tripliciter [f] et acceptionis et [g] luminationis et declarationis honore donasti. Appare in his solemnitatibus : et accepta oratione plebis tue : qui solemnitatem hanc ipso acceptionis nomine consecrasti. Illumina sacrificantem cultui tuo populum : qui festa hec etiam [h] vocabulo illuminasti : declara cordibus nostris veritatis tue lucem : qui et ipsam appellationem dedisti his solennitatibus claritatem : Quia tu es Deus ac Redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Appare Domine : cognoscere Domine : sicut apparuisti manifestus in carne : ortus ex virgine : inventus a pastoribus : cognitus in virtute. Declaratus in sidere : adoratus in munere. Ostensus in flumine · creditus in fide : habitus in nube : promissus in judice. Ut sacrate solennitatis gratia ita suscipiat ecclesia tua nunc gaudia : ut pretulit quondam mysteria. ℟. Amen :

Ad orationem Dominicam.

Christe Deus qui virginali prodiens ex utero novum hodie lumen apparuisti : in mundo agnitus in stella : adoratus per munera. ciba nos [i] favo mellis et sermonibus bonis : orationibus justis ac responsionibus pietatis. Ut dulcedo auditus tui sanitas sit anime vel corporis nostri : Ut gustantes et videntes quam suavis es Domine : nequaquam percogamur ad amaritudinem seculi declinare · sed celestibus suspensi oraculis : cordibus et vocibus per patrem impetremus e terris. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

Benedictio. Jesus Christus Rex noster qui [j] profanum Regem sua nativitate terruit : ipse in vobis cum suis virtutibus regnet. ℟ Amen. Cujusque signum stella radiante Magis apparuit : ejus vos gratia sine fine clarificet. ℟. Amen. Det vobis spiritualem intelligentiam : qui aquarum naturam vini in suavitate fecit esse saporem. ℟. Amen. Et qui populorum millia exiguo panis fragmine satiavit : corda vestra doctrine sue alimento locupletet. ℟. Amen. Conferens vobis veram innocentiam : qui Spiritus Sancti tranquillam simplicitatem demonstrare voluit per

[a] *Cutis*. Lege *cautis*.

[b] *Quinque*. Miraculum multiplicati panis, festo Epiphaniæ, celebratum esse testantur Hymnus Breviarii Mozarabum, Missale Gallo-Gothicum in Benedictione hujus diei, ordo Romanus Hittorpii, sanctus Petrus Chrysologus (*Serm*. 160), aliique.

[c] *Edulibus*. Lege *eduliis*.

[d] *Frustrorum*. Lege *frustorum*.

[e] *Que non*. Lege *quam quæ fuerunt*.

[f] *Et acceptionis*. Rursus, infra, *qui solemnitatem hoc ipso Acceptionis nomine consecrasti*. In Hispania igitur Epiphania *Acceptio* et festum *Acceptionis* appellabatur. Huic appellationi alludunt orationes in Breviario Mozarabum et in Orationali Gothico (*P*. 51, *orat*. 3, 7). Ratio autem nominis inde fortasse petenda est, quemadmodum citatæ orationes innuunt, quod hac die Christus Dominus in magis adoratoribus primitias gentium acceptavit.

[g] *Luminationis*. Lege *illuminationis*.

[h] *Vocabulo illuminasti*. Sanctus Petrus Chrysologus (*Hom*. 157) Epiphaniam *diem illuminationis* Christi appellavit.

[i] *Favo mellis*. Addo *et lacte*. Sanctus Barnabas (In Epistola, *sect*. 5, *Ed. Menard*.) : *Quid ergo lac et mel? Quia nimirum infans lacte et melle vivificatur, sic et nos fide promissionis et verbo nutrimur*. Alludit autem ad ritum vetustum occidentalium Ecclesiarum dandi neophytis lac et mel, quem in Hispania receptum fuisse, præter alia, suadet quod aptissimus fuerit ad Manichæos atque adeo Priscillianistas, delegendos, qui, teste sancto Augustino (*Hæres*. 46, *tom*. *VIII*, *Ed. Maur*., *col*. 16), *lactis alimonia non vescuntur*. Ut in Missali nostro *favus mellis*, ita in aliis scriptoribus *lac* tantum commemoratur. Zeno Veronensis (*Tr*. 32) proxime baptizandos alloquens : *Intrate ergo*, inquit, *intrate felices mox omnes simul subito futuri lactentes*, et tract. 42 : Ecclesia, inquit, communis omnium mater, *ne quem plus amare videatur, aut minus, unam nativitatem, unum lac, unum stipendium, unam Spiritus sancti præstat omnibus dignitatem*. Et sanctus Petrus (*I Petr*. II, 2) : *Quasi modo geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite*. Nihilominus lac et mel non seorsim dabantur, sed simul commista ad modum potus neophytis porrigebantur ; unde sanctus Hieronymus (*Contra Luciferian*., *n*. 8) lavacro *egressos lactis et mellis prægustare concordiam* dixit. Tertullianus (*De Coron. milit*., *c*. 3) inter traditiones apostolicas et hanc enumerat quod a fonte suscepti *lactis et mellis prægustamus concordiam* ; et (*Lib*. I, *adv*. *Marcion*., *cap*. 14) idem Tertullianus *lactis et mellis societatem* potum hunc mysticum nuncupavit, ad modum enim potus eam mistionem lactis et mellis datam fuisse neophytis probat etiam vetusta formula benedicendi lac et mel, quæ in Sacramentario sancti Leonis exstat (*Tom. IV Anastas*., *proleg*. 2, *pag*. 19), eadem atque illa quæ exstat in ordine Romano Hittorpii (Pag. 79) : *Benedic, Domine, has creaturas fontis mellis et lactis, et pota famulos tuos ex hoc fonte..... et enutri eos de hoc lacte* et *melle..... conjunge*, *Domine*, *famulos tuos Spiritui sancto*, *sicuti conjunctum est lac et mel*, etc. Et in Epistola Joannis Diaconi (ejus qui Vitam sancti Gregorii scripsit, ut opinatur Mabillonius) ad Senarium (*Musæi Ital*. *part*. II, *pag*. 72) legitur : *Lac ergo et mel potantur novi homines*, etc., atque adeo sæculo IX in Italia mos potandi neophytos lacte et melle adhuc vigebat. Adverte tamen, ex eadem epistola, quod sæculo IX Itali lac et mel in sacro calice offerebant, et benedicebant, cum olim Romæ, et in Italia, lac et mel nec in sacro calice, nec ad altare, sed in baptisterio benedicerentur, in Africa autem lac et mel semel quotannis *in mysterio Infantum*, *ad altare offerebantur*, non tamen eadem qua *sacramentum dominici corporis et sanguinis* benedictione sanctificabantur (*Cod. Eccl. Afric*., *c*. 37), quem ritum ex Africa in Italiam venisse credibile est.

[j] *Profanum regem*. Herodem, scilicet, Matth. II, 3.

columbam. ℟. Amen. Quod ipse prestare dignetur : cujus regnum et imperium sine fine manet in secula seculorum. ℟. Amen. A

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Post communio. Oratio. Verbum ante secula ineffabiliter patris ore prolatum : et in tempore hominem pro nobis ex virgine ortum : humili prece poscamus : ut invocationem nostram de monte sancto suo placatus exaudiat : ejusque benedictio pectora credentium repleat. Ac sicut incerta secretorum sapientia manifestans ad se agnoscendum corda excitet nostra : ita catholicam plebem alarum suarum protectione defendat : eisque eum judex venerit existat placabilis : pro quibus redimendis in carne apparuit humilis. ℟. Amen.

B Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Presb. Solennia completa sunt in nomine Domini Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace.

℟. *Chorus.* Deo gratias.

64 IN PRIMO DOMINICO POST OCTAVAM EPIPHANIE DOMINI.

[a] *Officium.*

Dominus regnavit decorem induit alleluja. ℣. Induit Dominus fortitudinem et precinxit se. *P.* Alleluja. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Alleluja.

C *Dicat Presb.* Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

Gloria. *Chorus* ℟. In excelsis Deo.

Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

Oratio. Te excelsa laus in altissimis decet : tibi e terris gloria Ecclesia canit : atque hujus caterve concentu ad astra hymnum emittit. Rogamus omnipotens Deus : ut sicut tuas solenniter porrigimus laudes : ita precum nostrarum jubeas efficaciter suscipere voces. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaye prophete ([b] *Cap. LII*)

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Consurge consurge : induere fortitudine tua Syon induere vestimentis glorie tue Hierusalem [c] civitas sancta. Quia non adjiciet ultra : ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. Excutere de pulvere : consurge : sede Hierusalem : solve vincula colli tui captiva filia Syon : quia hec dicit Dominus. Gratis venundati estis : et sine argento redimemini. Quia ego ipse qui loquebar : ecce adsum. Quam pulcri super montes pedes annunciantis et predicantis pacem. annunciantis bonum : predicantis salutem : dicentis Syon : regnabit Dominus Deus tuus. Quia oculum ad oculum videbunt : eum converterit Dominus Syon. Gaudete et laudate simul deserta Hierusalem : quia consolatus est Dominus populum suum : redemit Hierusalem. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium. Et videbunt omnes fines terre : salutare Dei nostri. ℟. Amen.

[d] *Psallendo.* Deus docuisti me a juventute mea et usque ad senectam et summam senectutem ne derelinquas me Domine. ℣. Ne projicias me in tempore senectutis cum defecerit virtus mea. *P.* Ne derelinquas.

---

[a] *Officium.* Ps. XCII, 1. Cantus ille, quem vetusta consuetudine Ecclesia Gotho-Hispanica divinorum mysteriorum celebrationi præmittebat, in Missali Mozabarum, et in Missali Toletano, aut simpliciter *officium*, aut certe *officium ad missam* denominatur, qua appellatione in Missali Carthusianorum, teste P. Le Brun, et in Pontificali Arelatensi, teste Martenio (*De ant. Eccl. Rit.*, *l.* IV, *c.* 15) denominatur; apud Gallos aut *prælegere* aut *antiphona ad prælegendum* dicitur, teste sancto Germano Parisiensi (*Thes. novus anecdot.*, *t.* V, *col.* 91). In Missali Ambrosiano *ingressa*, in Ecclesia Romana *introitus*, vel *antiphona ad introitum*, ab aliis *invitatorium*, ab Amalario (*De eccl. Off.*, *l.* III, *c.* 5) describitur *officium quod dicitur introitus missæ*. Constat hoc officium apud Mozarabes antiphona, versu, psalmo et *Gloria*; additur *alleluia* iis temporibus quibus canitur. Officium ad missam bis profertur, semel ante *Gloria et honor*, et iterum post *Gloria et honor*. A Cœlestino primo cantum ante initium missæ institutum tradunt qui de rebus liturgicis scripserunt, quibus præivit liber Pontificalis, in Cœlestino : *Hic constituit, ut psalmi David centum quinquaginta ante sacrificium psallerentur antiphonatim ab omnibus, quod antea non fiebat, sed tantum Epistolæ Pauli recitabantur, et sanctum Evangelium*, scilicet, ut interpretantur, ante Cœlestinum missa a lectione Scripturarum incipiebat, quemadmodum adhuc apud Mozarabes, diebus jejunii, incipit; ille autem instituit ut cantus psalmorum antiphonatim lectioni Scripturarum præmitteretur. In Africa, sancti Augustini ævo, missam a Scripturarum lectione etiam diebus Dominicis incepisse, ex iis quæ sanctus doctor (*libro* XXII *de Civ. Dei*, *cap.* 8) scribit eruit Thomasius (*Disquis. de antiph. ad introitum missæ*) animadvertit; alii autem cantum psalmorum ante initium missæ, dum populus conveniret, et Pontifex ad altare procederet, instituisse sanctum Cœlestinum concedunt. Antiphonas autem ad introitum missæ, eo ferme ordine quo modo canuntur sanctum Gregorium digessisse (*Bona*, *Rer. liturg.* *l.* II, *c.* 3). Sed quidquid sit de Ecclesia Romana, Hispanos ante Cœlestini tempora missam cantu incœpisse suadet officium ad missam quod die Epiphaniæ canitur, quodque manifeste ad ea tempora D pertinet quibus baptismus solemniter die Epiphaniæ conferebatur, ut supra, pag. 59, notavi, quo etiam spectat *sacrificium* quod pridie in missa canitur : *Vos qui transituri estis Jordanem*, etc. Et sane, cum priscorum Patrum auctoritate et Plinii secundi (*Lib.* X, *epist.* 103) testimonio constet fideles olim in sacris conventibus psalmos et hymnos cantasse, ad quam consuetudinem alludere videtur Apostolus (*I Cor.* XIV; *Ephes.* V), non video cur tam sero, hoc est sæculo V, psalmos ante initium sacrificii canere cœperint, cum aptissimus sit psalmorum cantus ad populum, dum in ecclesiam convenitur, pie detinendum, et hinc fortasse Dionysius ille, quisquis tandem sit, vetustus scriptor (*Eccles. Hierar. cap.* 3, *n.* 2) statim post thuris incensum missam a psalmorum cantu orditur.

[b] *Cap. LII.* Vers. 1-10, quibusdam omissis. In Lectionario Luxoviensi *die Dominico post Epiphaniam* prophetia ex Isaia legitur cap. LX, Vers. 1-16.

[c] *Civitas Sancta.* Ita LXX. At Vulgata, *sancti*.

[d] *Psallendo.* Ps. LXX, 17, 18. ℣. ibid., 9.

Principium epistole Pauli apostoli ad Romanos (a *Cap. I*).

℟. Deo gratias.

Paulus servus Jesu Christi vocatus apostolus : segregatus in evangelium Dei : quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis suis sanctis de filio suo. qui factus est ex semine David secundum carnem : qui prædestinatus est filius Dei in virtute : secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri. Per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus : in quibus estis et vos vocati Jesu Christi : omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis. Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Domino Jesu Christo. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis : quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Testis enim mihi est Deus : cui servio in spiritu meo in evangelio filii ejus : quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Obsecrans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos : ut aliquid impartiar gratie vobis spiritualis ad confirmandum vos : id est simul consolari in vobis per eam que invicem est fides vestra atque mea. Nolo autem vos ignorare fratres quia sepe proposui venire ad vos et prohibitus sum usque adhuc : ut aliquem fructum habeam in vobis : sicut et in ceteris gentibus : Grecis ac Barbaris : sapientibus atque insipientibus debitor sum. Itaque in me promptum est et vobis qui Rome estis evangelizare. Non enim erubesco evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti : Iudeo primum et Greco. Justicia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem. Sicut scriptum est. Justus autem ex fide vivit. ℟. Amen.

A *Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam* (b *Cap. II*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus cum factus esset annorum duodecim : ascendentibus illis in Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi : consummatisque diebus eum redirent : remansit puer Jesus in Hierusalem : et non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem **65** illum esse in comitatu : venerunt iter diei et requirebant eum c inter cognatos. Et non invenientes regressi sunt in Hierusalem requirentes eum. Et factum est post triduum : invenerunt in templo sedentem in medio doctorum audientem illos et d interrogantem. Stupebant autem omnes qui eum audiebant ; super prudentia et responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum. Fili : quid fecisti B nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes querebamus te. Et ait ad illos. Quid est quod me querebatis? Nesciebatis : quia in his que patris mei sunt : oportet me esse. Et ipsi non intellexerunt verba que locutus est ad illos. Et descendit cum eis : et venit Nazareth : et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hec in corde suo. Et Jesus proficiebat sapientia et etate et gratia apud Deum et homines.

℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

e *Lauda*. Alleluja. ℣. Laudate Dominum quia benignus est Dominus : psallite nomini ejus quoniam suave est. *P*. Alleluja.

Sacrificium. Formavit Dominus Deus hominem de C limo terre : et inspiravit in faciem ejus spiraculum vite : et factus est homo in animam viventem alleluja alleluja. ℣. Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio in Eden ab Oriente in quo posuit hominem quem formaverat. *P*. Et factus est.

Missa. f Dominicos dies dilectissimi fratres sancte

a *Cap I*. Vers. 1-18. In Luxoviensi, Ex I Cor. I, 6-31.

b *Cap. II*. Vers. 42-52. In Luxoviensi ex Lucæ IV, 16-22.

c *Inter cognatos*. Vulg. et Gr. addunt *et notos*.

d *Interrogantem*. Vulg. et Gr. addunt *eos*.

e *Lauda*. Ps. CXXXIV, 3.

f *Dominicos*. Primus septimanæ dies quique ethnicis Latine *dies Solis*, Judæis, *una Sabbati*, vel *Sabbatorum*, et *prima Sabbati* dicebatur, Christianis *dies Dominicus* dictus est. Cod. Th., leg. 5, de spectaculis : *Dominico die, qui septimanæ totius primus est*; et leg. 3, tit. 8. *Solis die, quem Dominicum rite dixere majores*. Sanctus Marcus in Evangelio (*Cap*. XVI, 9) : *Surgens autem mane prima Sabbati, apparuit*, etc. Sanctus Joannes in Evangelio (*Cap*. XX, 1) : *Una autem Sabbati*, et ibid. (Vers. 19) : *Cum sero esset, die illo, una Sabbatorum*. Apostoli, abdicato Judaico Sabbato, qui dies ultimus hebdomadis erat, in ejus locum diem primum hebdomadis substituerunt, quia eo die Christus a mortuis resurrexit, qua de causa et diem hunc speciali modo Dominicum appellaverunt, et cultui divino sacrisque conventibus habendis dedicaverunt (*Act*. XX, 7 ; *I Cor*. XVI, 2). Sanctus Joannes in Apocalypsi : *Fui in spiritu die Dominico*. Sanctus Irenæus epist. ad Victorem (*Euseb. lib*. V, *c*. 24). Sanctus Justinus (*Apol*. 2, *al*. 1). Sanctus Dyonisius, Corinth. episc., epist. ad Sanctum Soterem (*Euseb. lib*. IV, *c*. 23). Sanctus Augustinus, epist. 36, ad Casulanum. Sanctus Leo epist. ad Turibium, cap. 4. Sanctus Isidorus (*Off. eccl*, *l*. I, c. 24). Sanctus Augustinus (*Serm*. 169, *de verb. Dom*.) : *Domini resuscitatio consecrarit nobis diem Dominicum, qui vocatur Dominicus, quia eo die Dominus resurrexit*. A fidelibus singulari veneratione dies Dominicus semper habitus est, et tanquam festum Christianorum semper et ubique celebratus. Christiani omnes, inquit Eusebius (*De Laud. Constantini*), per orbem universum dispersi, sive in mari, sive in terra versantur, D diem Dominicum cultu festivo celebrant, qui in agris, et qui in urbibus degunt, die solis, ad Ecclesiam confluunt. Justinus (*Apol*. 2). Plinius Junior (*Epist*. 10, *lib*. 97). Neque id tempore persecutionis omissum, etiam cum vitæ periculo (*Acta SS. Saturnini, Dativi*, etc.). Die Dominico nefas erat opera servilia aut ipsis facere, aut servis eorum. (*Const. apol. lib*. VIII, *cap*. 33 ; *concil. Laod*., *can*. 29 ; *Cod. leg. Visigoth*., *lib*. XII, *tit*. XIII, *l*. 6 ; *Cod. Just*., *leg*. 3, *tit. de feriis*), nisi forte quæ aut charitas, aut necessitas exigebat ; nefas quoque erat negotiis forensibus vacare (*Cod. Th*., *leg*. 8, *de feriis* ; *Cod. leg. Visigoth*., *lib*. II, *tit*. I, *leg*. 11), nisi causa charitatis, ut servum manumittere, aut necessitatis, ut proditorem accusare. Die Dominico elegantiori cultu corporis, et lautiori mensa utebantur fideles (*Tert*., *de Idolol*., *cap*. 14 ; *Apol*., *c*. 16 ; *Euseb*., *de Resurrect. et Ascensione*, *lib*. II ; *Sirm*., *oper. t. I*, *col*. 85). Solebant quoque Agapes et collectiones pecuniarum facere die Domi-

religionis legibus consecratos : grandi diligentia mens ad solenne officium parata concelebret. Non sint hinc studio despicabiles : quod in numero sint frequentes. Nec ex eo exiguus eorum cultus : quo assiduus sit recursus. Desiderabile enim debet esse omnibus tempus quod humana fragilitas tante majestatis ministerio jubetur assistere : quo in offerendis sacrificiis Deus hominem dignatur assumere. Cum mortalibus immortalitas per fidem quesita [a] participat : que panis hac vice oblatione suscepta gratia sanctificationis aspectum corporis Christi ac sanguinis munere fidelibus [b] representat. Et dum celesti benedictione creatura visibilis [c] animatur : credentium viscera invisibilis creator ingreditur : qui ad hoc inferri sibi imperat : que dicavit. Ut ad salutem nostram illa redeant : que requirit : et ad beatitudinem illa proficiant que promisit. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri qui cum Patre et Spiritu Sancto unus Deus vivit et regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus quem omni tempore colere et laudare sine intermissione debemus. Dona ut quatenus perpetim serviendi curam per negligentiam non implemus : saltem Dominicorum dierum festivitatem diligentius excolamus. Cedat cura seculi : pereat causa peccati. Convalescat potentia fidei : vigeat gratia Sacramenti. Sibi homo prestet : quod tibi debet. Ut dum Dominicorum dierum jocunditate perfruitur : intollerabilium occupationum onere non prematur. Anima dominantibus sibi vitiis voluptatis sue lassa servitio : in tristicia refectionem inveniat. Et que libertatis sue arbitrio patitur : quod laborat pietatis tue beneficio : pareat ut quiescat. Negotium bonis : otium malis ponat. Sint excubie precum ferie peccatorum : salubriori se animus commutatione distendat : ut in eo se reficiat : si ad meliora convertat. Et bonorum actuum saltim habeat vicem : si non habeat jugitatem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster [d] qui in tuo conspectu sanctorum Apostolorum.

Post nomina. Dicato solenniter famulatu : omnipotentiam tua Domine supplices imploramus : ut concesso nobis sanctorum omnium patrocinio : oblationes populi tui clemens accipias : et propitius benedicas. Prestes etiam prosperitatem vivis : refrigerium et quietem fidelibus defunctis. Et qui ad testimonium devotionis defuerunt consecranda : ad remedium salutis mereantur recipere consecrata. ℟. Amen. Quia tu es vita vivorum etc.

Ad pacem. Deus omnipotens : qui docuisti humilitatis bono et charitatis studio posse servari : respice ad membra Ecclesie **66** tue : atque ea que emulatione discreta : aut indignatione viciata sunt in pacem revoca atque compone. ℟. Amen. Quia tu es vera pax nostra.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Deus qui tibi credulitatem cordis : confessionem oris : devotionem laudis : obedientiam voluntatis : quam in potestate nostra ponere dignatus es exhibere. Atque utinam tam continue : quam debite : tantoque studio [e] aucti : quanto beneficio sublimati. Quamque abundanti gratia vivimus : tam cura perpetim serviremus. Ut qui totum accepimus : aliquid redderemus. Per te hominem facis : quamvis in opere non labores. Inclinat pietas : quem necessitas non fatigat. [f] Tuis illis gloriosis manibus [g] luto tractas : limo imaginem divinitatis imponis : vultus fingis : membra discriminas : flatum tui oris inspiras : atque animam ratione secum exstante vivificas. Totam tamen ante mundi machinam parans : cunctas futuri orbis delicias coacervas : ad quas eum quem tibi amabilem : non solum factum sed faciendum feceras : [h] introducas. Ut bonorum omnium copia serviret ocio. Et ut dominum se judicio nosset esse : sed Deo auctori [i] debiturus beatitudinem : non labori. Ponitur lex precepti : ne mens fieret ignara consilii. Dicitur quod preceperit : quid vitaret : ne nesciret quid esset : si non metueret quicquid didicisset. Sed quamvis jubentis imperium temeritas plectenda [j] transiret : et concupiscentie culpam secuta sit mortis

nico (*I Cor.* XVI, 1, 2), et divites mensa tenuiores excipere ; die Dominico nec jejunare, nec genua flectere mos erat (*Conc.* I *Cæsaraug.*, *can.* 1 ; *Bracar.* I, *cap.* 4 ; *Tertull.*, *de Coron. mil.*, *c.* 3 ; Isid., *de Offic.* *l.* I, *c.* 24). Nefas erat die Dominico spectacula publica edere (*Cod. Th.*, *leg.* 2, 5, *de spectaculis* ; *Cod. Just.*, *leg.* 11, *de feriis*), aut eadem, relicto Ecclesiæ conventu, frequentare (*Conc.* IV *Carth.*, *can.* 88). Demum concilium Cojacense, anno Christi 1050, nondum abrogata liturgia Gotho-Hispana, celebratum (*Cap.* 9) statuit *ut omnes Christiani, die Sabbato advesperascente, ad Ecclesiam concurrant, et die Dominica, Matutina, Missas et omnes horas audiant, opus servile non exerceant, non sectentur itinera nisi orationis causa, aut sepeliendi mortuos, aut visitandi infirmos, aut pro regis secreto, aut pro Saracenorum impetu...... si quis autem hanc nostram constitutionem fregerit, per septem dies pœnitentiam agat ; quod si noluerit, si major persona sit, per annum integrum communione careat, si inferior persona fuerit, centum flagella accipiat.*

[a] *Participat*. Lege *participatur*.

[b] *Representat*. Id est præsentem reddit, vel præsentem, re ipsa, exhibet. Vox Tertulliano, hoc sensu, familiaris. Unum do exemplum ex libro de Patientia (*cap.* 5). Loquens de illo oppido Samaritanorum in quo non est receptus Christus (*Luc.* IX, 54), inquit : *Cum etiam discipuli tam contumelioso oppido cœlestes ignes repræsentare voluissent.*

[c] *Animatur*. Scilicet cum verbis Christi Domini panis et vinum in ejus corpus et sanguinem transsubstantiatur, creatura visibilis animatur, est Eucharistia *panis vivus* (*Joan.* VI).

[d] *Qui in tuo*. Fortasse, *quia in tuo*. In libro omnium Offerentium : *In cujus conspectu sanctorum apostolorum*, etc.

[e] *Aucti*. Lege *acti*.

[f] *Tuis illis*. Est contra Manichæos et Priscillianistas, qui negabant corpus humanum et *creationem universæ carnis esse opus Dei*, sed contra aiebant opus esse pravorum angelorum. (*Conc. Brac.* I, *in decretis contra Priscillianistas n.* 7, 12, 13.)

[g] *Luto*. Lege *lutum*.

[h] *Introducas*. Lege *Introducis*.

[i] *Debiturus*. Lege *debiturum*.

[j] *Transiret*. Lege *Transierit*.

pena : rediit tamen in damnatum pietatis affectus. A Major fuit misericordia liberare cum voluisse : quam fieri. Et plus indulgentie prestitit remittere injuriam : quam [a] contractare reatum. Quia non tantum debuerat ut existeret : qui non erat : quantum debuit ut evaderet que nolebat. Non parcis filio : parcis reo : traditur morti volens : cruci affigitur acquiescens. Secura divinitate vel conscientia : quod sic pietas redimendo eriperet : ut non consumeret impietas redemptorem. Cui merito omnes angeli et archangeli non cessant clamare quotidie una voce dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus

Post Sanctus. Osanna in excelsis quanta nobis omnipotens pater hoc sacrificium reverentia metuendum : quo adeundum tremore : quo honore sit celebrandum : iste dominicis laudibus pe henniter serB vientes celestium voces ammonent potestatum : quibus nos agere officii sui similitudinem contestantur : ut ad faciendam Dei voluntatem : eos pro nostris viribus imitemur : quos ad predicandam Dei majestatem nostris vocibus imitamur. Ad instar superni altaris : hoc nobis ad quod accedimus constitutum panem nos angelorum accipere manducandum : cum illorum statum meritis gloriosum : nostrum peccatis obsitum noverimus. Illi nunquam peccant : et semper laudant : nos et crebro peccamus : et raro laudamus. Rei per frequentiam criminum : rei per negligentiam gratiarum. Sed ab his nos conscientie peccatricis debitis : unici tui hostia in sanguine suo tibi oblata mundavit. Illa nobis etiam post redemptionem delinquentibus : hac spe et confessione subveniat : que etiam usque ad ultimum judicii diem solum in spiritu non peccantibus tribuit gratiam revertendi. Ut qui ad redimendos nos se fecit apud Patrem advocatum : ipse pro nostris iniquitatibus sit interventor Christus Dominus ac Redemptor eternus.

℟. Amen.

Post pridie Oratio. Domine sacrificia dependentes supplices flagitamus : ut effundas in his hostiis sancti tui spiritus largitatem. Ut dum a te benedicta sumimus : omni nos benedictione refectos : et a criminum vinculis liberatos : omnibus modis gaudeamus. ℟. Amen. Te prestante sancte Domine : per quem tu hec omnia nobis indignis etc.

Ad orationem Dominicam.

Diligentes Deum fratres charissimi : pietatis ejus in nos petamus operari dilectionem : ut divine virtutis dono repleti : orationem dominicam in qua spes est nostre salutis : sic dicere mereamur e terris. Pater noster.

67 Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

Benedictio. Multiplicet vos Dominus copia benedictionis : et confirmet propitius in spe regni celestis. ℟. Amen. Id vos in presenti seculo dilige e non libeat : quod e celestis paradisi hereditate dividat. ℟. Amen. Atque his repleamini beneficiis ; quibus omnipotenti Deo in perpetuum placeatur. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Post Communio. Refecti Christi corpore et sanguine pariterque sanctificati Deo patri omnipotenti gratias referamus : ut nos in eadem refectione sanctificationem habentes : hic et in futuro seculo gloriam percipiamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Presb. In nomine Domini Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

[b] IN SECUNDO DOMINICO POST OCTAVAS EPIPHANIE.

Officium.

Dominus regnavit. *Quere in Circumcisione Domini fol. LII.*

Oratio. Hic est justus noster. *Quere in Dominico ante Epiphaniam fol. LV.*

Lectio libri Esaye prophete ([c] *Cap. LXV*).

C Hec dicit Dominus. Ecce ego creo celos novos et terram novam : et non erunt in memoria priora. Et nos ascendent super cor : sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in his que ego creo. Quia ecce ego creo Hierusalem exultationem : et populum ejus gaudium. Et exultabo in Hierusalem : et gaudebo in populo meo. Et non audietur in eo ultra vox fletus : et vox clamoris. Non erit ibi amplius infans dierum : et senex qui non impleat dies suos. Nam puer centum annorum morietur : et peccator centum annorum maledictus erit. Et edificabunt domos et habitabunt : et plantabunt vineas et comedent fructum earum. Non edificabunt : et alius habitabit. Non plantabunt : et alius comedet. Secundum enim dies ligni : erunt dies populi mei : [d] et D opera manuum eorum inveterabunt electis meis. Non laborabunt frustra : neque generabunt filios in conturbatione. Quia semen benedictorum Domini est :

[a] *Contractare.* Forte, *contrectare reum*, hoc est jus Domini exercere in reum.

[b] *In secundo.* In Missali et Breviario Mozarabum, nulla facta mentione ejus Dominicæ quæ infra octavam Epiphaniæ cadit, ab octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ, Dominicæ novem recensentur, quarum ultima *Dominica ante diem cineris*, vel *Dominica ante Carnes tollendas* appellatur. In Lectionario Luxoviensi, huic temporis spatio, quinque Dominicæ assignantur, quarum binæ *post Epiphaniam*, tres reliquæ *post Cathedram sancti Petri*, a festivitatibus quas proxime consequuntur nomen sortitæ sunt; at in Missali Gallo-Gothico et in Sacramentario Bobiano nullæ sunt Dominicæ seu missæ Dominicales huic anni tempori specialiter attributæ, neque ulla mentio fit Septuagesimæ, Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, in libris liturgicis Gallorum, aut Gotho-Hispanorum, quas concilia Aurelianensia primum (*Can.* 24) et secundum (*Can.* 2) prohibuerant.

[c] *Cap. LXV.* Vers. 17-25. In Lectionario Luxoviensi *Dominica secunda post Epiphaniam* prophetia legitur ex Jeremia XVI, 9 15.

[d] *Et opera.* In Vulgata et LXX : *Et opera manuum eorum inveterabunt, electi mei non laborabunt frustra.*

et nepotes eorum cum eis. Eritque antequam clament : ego exaudiam. Adhuc illis loquentibus : ego audiam : dicit Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Psallendo.* Paratum cor meum Deus paratum cor meum : cantabo [b] et psallat tibi gloria mea. [c] ℣. In me sunt Deus vota mea que reddam : laudationes tibi : quia liberasti animam meam de morte [d] oculos meos a lachrimis pedes meos a lapsu ut placeat tibi. *P.* Et psallat.

Sequentia epistole Pauli Apostoli ad Romanos ([e] *Cap. VI*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore : ut obediat is concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato : sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes : et membra vestra arma justicie Deo. Peccatum enim in vobis non dominabitur. Non enim sub lege estis : sed sub gratia. Quid ergo? [f] Peccavimus : quoniam non sumus sub lege : sed sub gratia? Absit. Nescitis quoniam cui [g] exhibuistis vos servos ad obediendum : servi estis ejus cui obedistis : sive peccati ad mortem : sive obeditionis ad justitiam. Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati : obedistis autem ex corde in eam formam doctrine : in qua traditi estis. Liberati autem a peccato : servi facti estis justicie. [h] In Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([i] *Cap. IIII*).

Illo in tempore : Dominus noster Iesus Christus regressus est in virtute spiritus in Galileam. Et fama exiit per universam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorum : et magnificabatur [j] ab hominibus. Et venit Nazareth : ubi erat nutritus : et intràvit secundum consuetudinem suam die sabbati in sinagogam : et surrexit legere. Et traditus est ei liber Esaye prophete. Et ut revolvit librum : invenit locum ubi scriptum erat. Spiritus Domini super me : propter quod unxit me : evangelizare pauperibus [k] misit me. Predicare captivis remissionem : et cecis visum. Dimittere confractos in remissionem : predicare annum Domini acceptum : et diem retributionis. Et cum plicuisset librum : reddidit ministro : et sedit. Et omnium in **68** sinagoga oculi erant intendentes in eum. Cepit autem dicere ad illos : quia hodie impleta est hec Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant : et mirabantur in verbis gratie : que procedebant de ore ipsius. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

[l] *Lauda.* Alleluja. ℣. Laudate Dominum in tympano et choro : laudate eum in cordis et organo. *P.* Alleluja.

[m] *Sacrificium.* Edificavit Noe altare Domino et sumpsit ex omni pecude mundo : et ex omni ave munda et obtulit hostias ad altare : et immolavit et cremavit : et odoratus est Dominus odorem suavitatis alleluja. [n] ℣. Locutus est Dominus ad Noe dicens : egredere de archa tua tu et [o] omnis cognatio tua et cuncta animantia que sunt apud te ex omni carne : tam in volucribus quam in bestiis universis reptilibus que erant super terram : crescite et multiplicamini super eam : et egressus est Noe. *P.* Et immolavit.

Missa. Si credimus fratres charissimi divinum esse quod agimus : studium affectumque placendi hominibus omnibus modis respuamus. Offeramus Deo si non acceptabiles hostias : voces saltim [p] patiente lachrymosas. Non debemus hic quasi nulle reatu obnoxii impudentes assistere : sed velut in præsentia metuendi judicis cum timore saltim diebus dominicis convenire. Ne idcirco Deum latuisse que gerimus suspicemur : quod in presenti non puniamur : cum ideo forsitan ad penas posteras differamur : quia momentanea emendatione corrigi non meremur. Si igitur filii sumus : dulciora nobis sint verbera paterna : quam mella. Si servi solliciti : panem Dominicum non debemus comedere ociosi. Hec nostrum singuli quique prout universitati congruit cogitantes : aut debemus plangere si defecimus : aut de aliis sollicitudinem gerere : per gratiam Domini qua valemus.

℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei.

Alia Oratio. Deus sine principio qui fecisti [q] eterna : principiis perpetua condidisti : sine conditione perpetuus : te fusis ex affectu mentis precibus imploramus. Ut concessa nobis in presenti seculo venia : dignos misericordie eterne nos facias. Illudque nobis dum misereris indulgeas : unde in nobis propter quod semper miserearis invenias. ℟. Amen.

Post nomina Oratio. Attende Deus omnipotens devotionem populorum fidelium : et propicius accipe hoc munus oblatum. Sit nobis oramus ita Sanctorum tuorum commemoratio in suffragium : ut eorum meritis impetremus et remedia viventium : et requiem fidelium defunctorum. ℟. Amen.

[a] *Psallendo.* Ps. LVI, 8.
[b] *Et psallat.* Vulg : *Cantabo et psalmum dicam, exsurge gloria mea.*
[c] ℣ Ps. LV, 12, 13.
[d] *Oculos meos a lachrimis.* Ita LXX. At hæc verba in Vulgata non leguntur, nec in sancto Augustino.
[e] *Cap. VI.* Vers. 12 18. In Luxoviensi (*I Cor.* I, 6-31).
[f] *Peccavimus.* Vulg., *peccabimus.*
[g] *Exhibuistis.* Vulg. et Gr., *exhibetis.*
[h] *In Christo.* Sunt verba quibus finis lectioni imponebatur.
[i] *Cap. IV.* Vers. 14-22. In Lectionario Luxoviensi legitur ex Matth. XXII, 36-XXIII, 1-12.
[j] *Ab hominibus.* Vulg. et Gr., *ab omnibus.*
[k] *Misit me.* Vulg. et Gr. addunt *sanare contritos corde.*
[l] *Lauda.* Ps. CL, 4.
[m] *Sacrificium.* Genesis cap. VIII 20
[n] Ibid., cap. VIII, 15, 16, 17.
[o] *Omnis cognatio tua.* Vulgata, *et uxor tua, et filii tui, et uxores filiorum tuorum.*
[p] *Patientie.* Fortasse, *Pœnitentiæ.*
[q] *Eterna.* Forte, *externa.*

Ad pacem Oratio. Deus bonorum omnium copia : et Sanctorum indeficiens charitas : presta nobis in bona voluntate concordiam : ut tua semper pacifici sequamur : et faciamus precepta. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere equum et salutare est : nos tue pietati semper gratias agere omnipotens Deus : et omnium solennitatum in tuo nomine mysteria celebrare : et offerre tibi hoc sacrificium : quod nulla possunt digne preconia conlaudare : ad offerendum populo facile : delectabile ad sumendum. Non hic balatus ovium : non mugitus bovium : non volatilium vox sub ictu mortis [a] dolorem incurrit. Non horror est sanguinis : non fastidii cruditas : sed tam mirabilis atque stupenda est hostia : ut incruenta sit : cum viva sumatur. Nam licet verum corpus edatur : et sanguis manifestissimus hauriatur : nullus tamen horror incutitur : cum salus animarum [b] in spiritoali cibo et poculo ministratur. Benedictus enim Dominus noster Jesus Christus filius tuus : in nomine tuo veniens : hec tibi sacrificia deferri mandavit. Cujus nos precepta tenentes : et jussa meminimus : et gesta memoramus. Quem merito tecum et cum Spiritu Sancto laudant celestia pariter ac terrena : Cherubin quoque ac Seraphin incessabili voce proclamant : ita dicentes. ℟. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Post Sanctus. Oratio. Vere Sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Ille patriarcharum fides. Ille plenitudo legis. ille umbre veritatis. ille predicatio prophetarum. ille 69 apostolorum magister : ille omnium credentium pater. Ille debilium firmamentum : ille infirmantium virtus : ille redemptio captivorum : ille hereditas redemptorum. Ille viventium salus : ille morientium vita. [c] Qui sacrificandam novam legem Sacerdos Dei verus instituit : hostiam se tibi placitam et ipse obtulit : et [d] a nobis jussit offerri : Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Vitam nostram Domine unigeniti tui mortem votiva confessione promerentes : [e] in resurrectionem ejus et ascensionem in celis vita indubitata fatemur : vetus quoque rursus : ac pro meritis singulos judicaturus reatu licet trepidi : sed tua freti misericordia prestolamur. Ob hoc ergo quesumus famulantes : ut oblationem hanc spiritus tui permixtione sanctifices : et corporis ac sanguinis Domini nostri Jesu Christi plena transformatione [f] conformes. Ut hostia qua nos redemptos esse meminimus : mundari

[a] *Dolorem.* Adde *exprimens.* Videtur hæc illatio scripta esse cum adhuc in Hispania fierent cruenta gentilium sacrificia.

[b] *In spirituali.* Non igitur opponitur veritati corporis et sanguinis Christi quod cibus spiritualis fit, *nam verum corpus* editur, et *sanguis* Christi *manifestissimus* hauritur. Cibus autem spiritualis dicitur, quia cibus est quo anima reficitur, quia cibus est qui modo spirituali existit; quia instar spiritus, sine ullo sui dispendio; et omnibus, et singulis dispensatur; demum spiritualis dicitur cibus, quia corpus est Dei, ut sanctus Ambrosius (*De Myster.*, *cap.* 9) docet : *In sacramento Christus est, quia corpus est Christi, non ergo corporalis esca, sed spiritualis; unde et Apostolus de typo ejus ait quia Patres nostri escam spiritualem manducaverunt; et potum spiritualem biberunt, corpus enim Dei, corpus est spirituale, corpus Christi corpus est divini Spiritus.*

[c] *Qui sacrificandam.* Sanctus Isidorus, Offic. l. I, cap. 18; *Sacrificium quod a Christianis Deo offertur Christus Dominus noster et magister instituit.*

[d] *Et a nobis jussit offerri.* Scilicet a nobis *sacerdotibus*, aut *presbyteris*. Christum Dominum præcepisse ut in sui memoriam offeratur sacrificium eucharisticum, liturgiæ passim testantur, de quo præcepto distincte sanctus Paulus (*I Cor.* XI, 24) et evangelista sanctus Lucas (XXIII, 19) mentionem fecerunt : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quare Theodoretus (*In Epist. ad Heb.* VIII, 4, 5), scribit, sacerdotes non aliud sacrificium offerre quam quod Christus obtulerat : *Hoc enim*, inquit, *præcepit ipse Dominus : Hoc facite in meam commemorationem*; et sanctus Chrysostomus (*Hom.* 34, *in Ep. I ad Cor.*) : Christus, inquit, mutavit sacrificium, et pro cæde brutorum animalium *seipsum jussit offerri.* Sanctus Cyprianus (*Ep.* 63, *Ad Cæcilium*) : *Jesus Christus, Dominus Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, et sacrificium seipsum obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem præcepit.* Tertullianus (*Apol. cap.* 30) : *Deo offerre opimum et majorem hostiam quam ipse præcepit.* Sanctus Justinus (*Dial. cum Tryph.*, *Edit. Maur.*, *n.* 41) docet quod oblatio similæ a lege præscripta pro iis qui a lepra purgabantur offerenda *figura erat panis Eucharistiæ, quem Dominus noster Jesus, in recordationem passionis, pro his qui ab omni pravitate purgantur suscepta, fieri præcepit*, et rursus (*Ibid.*, *n.* 70) cum retulisset locum Isaiæ (*Cap.* XXXVI, 16), *panis ei datus est*, subdit : *Liquet, in hac quoque prophetia et de pane illo prædici, quem nobis Christus noster in memoriam corporis a se assumpti.... et de calice quem in memoriam sanguinis sui cum gratiarum actione fieri præcepit.* Eamdem doctrinam tradit sanctus Irenæus, tum alibi, tum lib. IV adv. Hær. (*Cap.* 32, *Edit. Erasmi*). Sanctis Patribus astipulantur liturgiæ. In liturgia sancti Chrysostomi (*Euchol. Græc. pag.* 77) post verba Christi subdit Sacerdos : *Memores igitur salutaris hujus mandati... tua de tuis tibi offerimus.* In liturgia quæ libro octavo constitutionum Apostolicarum inseritur : *Offerimus tibi Regi et Deo nostro secundum ipsius* Christi *mandatum*, et in aliis, ut in liturgiis Nestorianorum *præceptum* dicitur, in aliis *monitum*, aut *doctrina divina Christi*, ut in liturgiis pluribus Syrorum (*Apud Renaudot.*, *Liturg. Orient. tom. II*). In canone Romano, post recitatum Christi mandatum, subdunt : *Unde et memores*, alludentes ad præcedens mandatum, eodemque modo in liturgiis Cophtitarum et in sancti Marci Alexandrina, et in liturgia sancti Jacobi tam Græca quam Syriaca, de hoc præcepto Domini mentionem faciunt.

[e] *In Resurrectionem.* Tolle illud *in* et lege *Resurrectionem et Ascensionem in cælos fide indubitata fatemur.*

[f] *Conformes.* Lege : *Et corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi plenam transformationem confirmes.* Hic *transformatio* corporis et sanguinis Christi idem sonat atque *transformatum* corpus et sanguinem Christi, eadem analogia qua *consecratio* nonnunquam rem consecratam, *sanctificatio* rem sanctificatam, et aliæ similes voces non ipsam actionem, sed effectum actionis significant. Postulant igitur ut Deus hostiam oblatam benedicat, eaque verba adhibent quæ in aliis rebus benedicendis adhiberi solebant, et ut palam faciant oblationem suam non aliam esse quam ipsum Christum, speciebus sacramentalibus tectum, subdunt, eamdem petitionem aliis verbis repetentes, *Et corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi plenam transformationem confirmes.* Quod autem legendum sit *confirmes*, eruitur tum ex ipso orationis contextu quæ, si retineatur *conformes*, sensu caret, tum etiam quia hic aperte alluditur ad modum loquendi Isidorianum (*Offic. lib.* I, *cap.* 15), ubi Hispaniæ doctor de hac ipsa oratione (quæ *post pridie* constanter in

a sordibus facinorum mereamur : nec nos transfixus A vulnere : a tua reprobes curatione. Medicus enim es : egri sumus. Misericors es : nos miseri. Ergo qui tibi nostra non abscondimus vulnera quibus placaris : sana nos sacrificio. ℟ : Amen. Presta Pater ingenite per unigenitum tuum Dominum nostrum Jesum Christum : per quem tu hec omnia nobis indignis servis etc.

Ad orationem Dominicam.

Preceptorum Domini memores fratres charissimi orationis Dominice verba dicturi : majestatem ejus deprecemur acclives : ut peccatorum misericorditer obliviscens : dono gratie sue corpora nostra cordaque sanctificet. Quatenus omnium criminum labe purgati : libera voce dicamus e terris. Pater noster.

Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper B vobiscum.

Benedictio. Omnipotentis Dei nostri benedictionibus repleamini : cujus estis sanguine precioso redempti. ℟. Amen. Ejus vos indeficiens gratia repleat : cujus ineffabilis plasmavit potentia. ℟. Amen. Et quibus in hoc mundo prestitit conditionem nascendi : in regno eterne tribuat mansionem sine fine vivendi. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Post Communio. Oratio. Refecti Christi corpore. *Require in primo Dominico post octavas Epiphanias. fol.* 67.

IN TERTIO DOMINICO POST OCTAVAS EPIPHANIE DOMINI.

Ad Missam Officium et oratio : ut in primo Dominico post octavas Epiph. fol. 64.

[a] *Lectio libri Esaye prophete* (*Cap.* [b] *LXVI*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Celum sedes mea est : et terra scabellum pedum meorum. Que ista domus quam B edificabitis mihi : et quis iste locus quietis mee ! Omnia hec manus mea fecit : et facta sunt universa ista dicit Dominus. Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu : et trementem sermones meos. Qui immolat bovem : quasi qui interficiat virum. Qui mactat pecus : quasi qui excerebres canem. Qui offert oblationem : quasi qui sangui-

Missali appellatur) loquens ait : *Ex hinc sexta* oratio *succedit, confirmatio sacramenti ; ut oblatio, quæ Domino offertur sanctificata per Spiritum sanctum corporis Christi et sanguinis confirmetur* ; in editis quidem libris *corpori Christi et sanguini* legitur, at, ut monet Hittorpius (*in variis lectionibus ad calcem operis* de divinis Ecclesiæ officiis *adjectis*), *omnes codices manuscripti corporis Christi et sanguinis confirmetur* legunt. Cæterum plenam transformationem C corporis et sanguinis Christi, sive, quod in idem recidit, corpus Christi et sanguinem ejusdem plene transformatum, transsubstantiatumque confirmari intelligebant per divini Spiritus benedictionem, non qua elementa transmutantur, siquidem transsubstantiata supponebant, sed qua, donis jam rite transmutatis, omnium æternorum et temporalium beneficiorum copia infunderetur, inter communicantes dispertienda, hoc, et nihil aliud, magna quidem varietate verborum, nam orationes *post pridie* omnes ferme diversæ sunt, sed eadem mente continuo flagitabant; duo enim præcipue in Eucharistia spectabant, quorum aliud ad sacrificium, aliud ad sacramentum pertinet : transsubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, et Spiritus sancti dona rite communicantibus conferenda ; sive, ut nunc loquimur, effectus sacramentales ; horum primum solis Christi verbis consecratoriis perfici pro certo habebant, ut vel ex hoc Missali constat : alterum vero speciali oratione postulabant, quæ Gotho-Hispanis *post pridie*, Gallis *post* D *mysterium*, aut *post secreta* denominabatur, neque hoc illis peculiare fuit, siquidem in omnibus liturgiis exstant orationes quibus effectus sacramentales postulantur, cum hoc discrimine, quod in aliquibus, ut in Romana, et in Constantinopolitanis, orationes istæ et ante, et post consecrationem recitantur, in Gotho-Hispana et Gallicana consecrationem plerumque consequuntur ; idem tamen omnium sensus, quamvis modi loquendi diversi sint, aut locum diversum in sacrorum mysteriorum celebratione occupent. Antiqui enim catholici episcopi circa Eucharistiam idem sentiebant quod modo docet Ecclesia, etsi verbis nonnunquam uterentur diversis. Cæterum Gallos etiam voces *transformare* et *transformatio* adhibuisse ad transsubstantiationem elementorum significandam ex eorum liturgiis aperte constat.

[a] *Lectio.* Apud Gotho-Hispanos, ut ex sancto Isidoro (*Ep. ad Ludifred.*) et ex Missali nostro eruitur, lectiones tres e Sacra Scriptura cunctis diebus Dominicis, et festis, et ferialibus per annum in missa legebantur : una e veteri Scriptura, quam *prophetiam* appellabant ; binæ e Novo Testamento, quarum una dicebatur *Epistola*, aut *Apostolus* ; altera *Evangelium*. Diebus vero Dominicis, dempta prima, et ferialibus Quadragesimæ, diebusque jejunii quatuor, in missa, recitabantur lectiones, binæ e Veteri, binæ e Novo Fœdere. Est tamen notandum, quod a Paschate ad Pentecosten nullæ sunt lectiones e Scriptura Veteris Testamenti, sed prima lectio ex Apocalypsi depromitur, quæ ex decreto concilii IV Toletani (*Can.* 17) hoc tempore legitur. Gallos quoque tres olim in missa legisse lectiones diebus Dominicis et ferialibus per annum, quarum una ex Antiquo Testamento, binæ e Novo, suadent Lectionarius Gallicanus, et Sacramentarium Bobianum, a nunquam satis laudando Mabillonio edita. Consuetudo quoque Gallorum erat, pro veteri Scriptura, Apocalypsim tempore Paschali legere ; solebant etiam, diebus festivis sanctorum, pro prima lectione, Acta eorum legere : hinc in Lectionario Luxoviensi hujusmodi diebus binæ plerumque assignantur lectiones. Hæc satis constant ; minus certum est an diebus jejunii mos Ecclesiæ Gallicanæ fuerit tres lectiones in missa legendi, an potius quatuor : de qua re aliqua jam in præfatione notavi. Romæ autem, paucis quibusdam diebus exceptis, duas tantum in missa lectas esse lectiones vetusta omnia Lectionaria, et Capitularia comprobant. Porro lectoris erat *prophetiam* (ita primam lectionem appellant) legere, ut aperte sanctus Isidorus (*Epist. ad Ludifredum Cordubensem*) docet. Igitur, absoluta prima oratione, quæ post cantatum hymnum angelicum *Gloria in excelsis Deo*, etc., funditur, sacerdos, more consueto, populum salutat, tum lector de loco superiore prophetiam, voce clara, legebat, et primum libri titulum pronuntiabat, puta *lectio libri Exodi*, aut dicendo *lectio Isaiæ prophetæ*, et deinde textum legebat. Populus autem, audito libri titulo statim respondebat *Deo gratias*, et facto silentio, atque signo crucis fronte præsignato, attente audiebat (*S. Isid. Offic. l.* I, *c.* 10, et *l.* II, *c.* 11). Lectione autem absoluta, populus *amen* dicebat.

[b] *Cap. LXVI.* Vers. 14. Sed tres versiculi prætermittuntur. In Lectionario Luxoviensi *die Dominico post Cathedram sancti Petri* prophetia legitur ex Osea, IV, 1-19.

carnem suillam offerat. Qui recordatur thuris: quasi qui benedicat idolo. Hec omnia elegerunt in viis suis: et in abhominationibus suis anima eorum delectata est. Unde et ego eligam illusiones eorum: et que timebant adducam eis. Quia vocavi: et non erat qui responderet. Locutus sum: et non audierunt. Feceruntque malum in oculis meis: et que nolui elegerunt. Audite verbum Domini: qui tremitis ad verbum ejus. Dixerunt fratres vestri odientes vos: et abjicientes propter nomen meum. Glorificetur Dominus et videbimus in leticia vestra: ipsi autem confundentur. Letamini cum Hierusalem: et exultate in ea omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea in gaudio universi qui lugetis super eam: ut suggatis et repleamini ab ubere consolationis ejus. Ut mulgeatis: et deliciis affluatis: ab omnimoda gloria ejus. Quia hec dicit Dominus. Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis: et quasi torrentem inundantem gloriam gentium: quam suggetis. Ad ubera portabimini: et super genua blandietur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur: ita ego consolabor vos: et in **70** Hierusalem consolabimini. Videbitis: et gaudebit cor vestrum: et ossa vestra quasi herba germinabunt. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

[a] *Psallendo.* Adjutor meus esto Domine: ne derelinquas me: et ne despicias me Deus salutaris meus. ℣. Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me. *P.* Et ne despicias.

Sequentia epistole Pauli apostoli ad Romanos (Cap. VI).

℟. Deo gratias.

Fratres. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestre. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immundicie: et iniquitati ad iniquitatem. Ita et nunc exhibete membra vestra servire justicie in sanctificationem. Cum enim servi essetis peccati: liberi eratis justicie. Quem enim fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato: servi autem facti Deo: habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem vero vitam eternam. Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei: vita eterna. In Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Lucam ([b] *Cap. XI*).

℟. Deo gratias.

Illo in tempore: Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis et turbis dicens. Generatio hec generatio nequam est. Signum querit: et signum non dabitur illi: nisi signum Jone prophete. Nam sicut Jonas fuit signum Ninivitis: ita erit et filius hominis generationi isti. Regina austri surget in judicio cum viris generationis huius: et condemnabit illos: quia venit a finibus terre audire sapientiam Salomonis: et ecce plusquam Salomon hic. Viri Ninivite surgent in judicio cum generatione hac: et condennabunt illam: quia penitentiam egerunt a predicatione Jone: et ecce plusquam Jonas hic. Nemo lucernam accendit: et in absconso ponit: neque sub modio: sed super candelabrum: ut qui ingrediuntur videant lumen. Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit: etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est: tenebre sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum erit: non habens aliquam partem tenebrarum: erit lucidum totum: et sicut lucerna fulgoris illuminabitur. Hec cum loqueretur: rogavit illum quidam phariseus: ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit. Phariseus autem cepit intra se reputans dicere: quare non baptizatus esset ante prandium? Et ait Dominus ad eum. Nunc vos pharisei quod deforis est calicis et parapsidis et catini mundatis: quod autem intus est vestrum: plenum est rapina et iniquitate. Stulte: nonne qui fecit quod deforis est: etiam id quod deintus est fecit? Verumtamen quod superest: date elemosynam. [c] Et hec omnia munda sunt vobis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Lauda.* Alleluja. ℣. Laudabo nomen Dei mei cum cantico: magnificabo eum in laude. *P.* Alleluja.

[e] *Sacrificium.* Edificavit Abraham altare in locum quem ostenderat ei Deus: et obtulit super illud Isaac filium suum: et elevans oculos vidit post tergum arietem quem accepit: et obtulit holocaustum pro filio alleluja. ℣. Dixit Dominus ad Abraham: tolle filium tuum unigenitum: quem diligis Isaac: et vade in terram visionis: et offeres mihi illud holocaustum super unum montium quem ostendero tibi. Tunc Abraham consurgens concidit ligna ad holocaustum: et abiit ad locum quem ostenderat ei Deus. *P.* Et elevans.

Missa. Ad obtinendam Domini misericordiam fratres charissimi: tota mentis nostre dirigatur oratio: et unite voluntatis societate: vel votis: ad eum a quo audiri cupimus exclamemus: ut ecclesia sua sancta catholica utilitatum nostrarum mater atque virtutum: ita omnium desideria in suo amore contineat: ut omnibus bene desiderata dispenset. Sit confessione una: dilatatione numerosa: singularis Sacramento: non loco. Diffusa sit: non divisa. Sit in Sacerdotibus gloriosa: in doctoribus circumspecta: in fraternitate pacifica: in ministris sancta: in ministeriis inlibata. In virginibus incorrupta: in viduis fructuosa. **71** In credentibus fecunda; in gentibus libera: in languentibus medicina: in penitentibus

[a] *Psallendo.* Ps. XXVI, 9. ℣. Ibid., 10. Infra, Cap. VI. Vers. 19-23. In Luxoviensi legitur ex Epistola ad Galatas, v, 13-vi, 1, 2.

[b] *Cap. XI.* Vers. 19-42. In Luxoviensi ex Matth. XVII, 1-9.

[c] *Et hæc omnia.* Vul. Gr., *et ecce omnia.*

[d] *Lauda.* Ps. LX, 31.

[e] *Sacrificium.* Gen. XXII, 9-12. ℣. Ibid., ℣. 2-3.

absoluta : in errantibus clemens : in egentibus dives. A in pauperibus humilis : in divitibus liberalis. Sicque bonis omnibus repleatur : ut in nobis potens facta pro nobis : et redimat quos requirit : et custodiat quos redemit. ℟. Amen.

Alia. Deus cujus ineffabilis est clementia : profunda pietas : infinita miseratio : inestimabilis magnitudo. Qui irasceris : ut corrigas : castigas : ut revoces. corripis : ut emendes : invitas : ut diligas : flagellas : ut parcas. Preces populi tui libenter amplectere : et propitius intuere. Et quoniam quid mereamur : vel quid patimur agnoscis : per te nobis tribue quod rogaris. Ut ab omnibus tentationibus inimici quibus adversus animam nostram illius sine cessatione grassatur invidia : virtutis tue dextera liberati : in regnum tuum mereamur B admitti. ℟. Amen

Post nomina. Adesto Domine supplicibus tuis : et famulorum tuorum oblationibus presentiam tue virtutis intersere : nullius sit vacua postulatio : nullius sit irritum votum. Ut quod singuli obtulerunt ad nominis tui honorem : cunctis viventibus proficiat ad salutem : et defunctis omnibus fideliter prestetur ad requiem. ℟. Amen.

Ad pacem. Adesto Deus pater omnipotens precibus nostris : et plenitudinem nobis tribue charitatis et pacis. Ut omnes nos qui de misericordia tua confidimus : in spe semper et charitate sine fine vivamus. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est eterne omnipotens C Deus : nos te semper laudare : tibique quantas possimus indesinenter gratias agere : qui cum unigenito filio tuo Domino nostro et Spiritu Sancto unus es Deus in personarum trinitate : et trinus es in unitate substantie. [a] Quod enim de gloria tua revelante te credimus : hoc de filio tuo Domino nostro Jesu Christo : hoc etiam de Spiritu Sancto sine ulla discretione sentimus. Ut in confessione vere sempiterneque deitatis : et in personis proprietas : et in majestate unitas : et in deitate adoretur equalitas. Per te enim unum verumque Deum constantiam fides accipit : per te virtutem sumit infirmitas. Et quicquid est in persecutionibus sevum : quicquid in morte terribile : nominis tui facis confessione feliciter superare. Unde merito tibi omnes angeli et D archangeli proclamare non cessant : ita dicentes

Chorus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus es Domine : et sanctorum omnium sanctitate preclarior : quem celestium et terrestrium creatura suum Dominum confitetur et laudat. Tu enim es propitiatio peccatorum et omnium fidelium : per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Sanctifica Domine oblata hostie munus : et votis fidelium adesto propitius. Ut et que offeruntur acceptes : et offerentes propitiatus sanctifices. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deum vite nostre auctorem fratres charissimi : et creatorem rerum omnium Dominum agnoscentes : pietatem ejus supplici confessione : ac sedula obsecratione poscamus : ut et peccatis nostris clementer ignoscat : et ex toto cordis affectu semper clamare nos faciat : ita dicentes. Pater noster qui es in celis.

℟. Amen.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Benedictio vos Domini comitetur ubique : sibique vos semper faciat adherere. ℟. Amen. Ipse vos benedictione sua salvificet : qui dignatus est plasmare potenter. ℟. Amen. Atque ita vos prestet fideliter vivere ; ut sanctorum omnium efficiat coheredes. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Chorus. Gustate et videte.

Post communio. Gustantes Domine suavitatis dulcedinis plenitudinem : quesumus : ut sit nobis hec in remissionem peccatorum et sanitatem mentium. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. 72 Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Dicat Presb. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

IN QUARTO DOMINICO POST OCTAVAS EPIPHANIE DOMINI.

Ad Missam Officium et oratio ut in primo Dominico fol. 64.

Lectio libri Hieremie prophete. ([b] *Cap. XXXI.*)

℟. Deo Gratias.

Ecce dies veniunt dicit Dominus : et feriam domui Israel : et domui Juda fedus novum. Non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum : ut ducerem eos de terra Egipti. Pactum sive [c] testamentum quod irritum fecerunt : et ego dominatus sum eorum dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel. Post dies illos dicit Dominus : dabo legem meam in visceribus eorum : et in corda eorum adscribam eam. Et ero eis in Deum : et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum : et vir fratrem suum : dicens cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me : a minimo eorum usque ad maximum ait Dominus. Quia propitiabor iniquitati eorum : et peccati eorum non ero memor amplius. ℟. Amen.

[a] *Quod enim.* Hæc nostra illatio e fragmentis conciliorum Hispaniæ, et maxime e Toletanis VI, XI, XVI, comparata est. Eadem ferme inter præfationes apud Pamelium (*Liturg. Tom. II, p. 572*) legitur, et in Missali Romano sancti Pii inter præfationes relata est die festo Trinitatis canenda.

[b] *Cap. XXXI.* Vers. 31-34. In Luxoviensi *secunda Dominica post Cathedram sancti Petri* prophetia est ex Jeremia, XXXV, 13-XXXVI, 1-3, quibusdam omissis.

[c] *Sive Testamentum,* in Vul. et LXX deficit.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

[a] ***Psallendo.*** Ubi sunt misericordie tue antique Domine : Sicut jurasti David in veritate tua. ℣. Quoniam dixisti Domine in eternum misericordia edificabitur in celis : preparabitur veritas tua : disposuisti testamentum electis tuis. *P.* Sicut jurasti.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia epistole Pauli Apostoli ad Romanos. ([b] *Cap. VII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Scimus quod lex spiritualis est : ego autem carnalis sum venundatus sub peccato : quod enim operor : non intelligo. [c] Non enim quod volo hoc ago : sed hoc illud quod odi facio. Si autem quod nolo illud facio : consentio legi quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud : sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quod non habitat in me : hoc est in carne mea bonum. Nam velle adjacet mibi : perficere autem bonum non invenio. Non enim [d] quod volo hoc facio : sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio : [e] non ego operor illud : sed quod habitat in me peccatum. Invenio autem legem volentem mihi facere bonum : quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem alteram legem in membris meis repugnantem legi mentis mee : et captivantem me in lege peccati : que est in membris meis. Infelix ego homo : quis me liberabit de corpore mortis hujus ? [f] Gratia Dei vita et pax : per Jesum Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Lucam ([g] *Cap. XII*).

℟. Gloria tibi Domine.

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Omnis qui dixit verbum [h] suum in filium hominis : remittetur illi. Ei autem qui Spiritum sanctum blasphemaverit : non remittetur ei. Cum autem induxerint vos in Synagogas ad magistratus et ad potestates : nolite solliciti esse qualiter : aut quid respondeatis : aut quid dicatis. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora que oporteat dicere. Ait autem [i] homo de turba. Magister : dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem. At ille dixit ei : o homo quis me con- A stituit judicem aut divisorem super vos ? Dixitque ad illos. Videte et cavete ab omni avaritia : quia non in abundantia cujusquam vita ejus est : ex his que possidet. Dixit autem similitudinem ad illos dicens. Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager tulit, et cogitabat intra se dicens. Quid faciam quia non habeo : quo congregem fructus meos ? Et dixit. Hoc faciam. Destruam horrea mea et majora faciam : et illuc congregabo omnia que nata sunt mihi et bona mea : et dicam anime mee. Anima habes multa bona reposita in annos plurimos. Requiesce : comede : bibe : et epulare. Dixit autem illi Deus. Stulte : hac nocte animam tuam [j] repetent a te : que autem parasti cujus erunt ? Sic est : qui sibi thesaurizat : et non est in Deo dives. Dixitque ad discipulos suos. B Ideo dico vobis nolite solliciti esse anime quid manducetis : neque corpori quid vestiamini. Anima plus est quam esca : et corpus quam vestimentum. Considerate **73** corvos quia non seminant : neque metunt : quibus non est cellarium neque [k] orreum : et Deus pascit illos : quanto magis vos pluris estis illis ? Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ? Si ergo neque quod minimum est potestis : quid de ceteris solliciti estis ? Considerate lilia quomodo crescunt : neque laborant, neque nent. Dico autem vobis quia nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem fenum quod hodie in agro est et cras in clibanum mittitur : Deus sic vestit : quanto magis vos pusilli fidei. Et vos nolite querere quid mandu- C cetis aut quid bibatis et nolite in sublime tolli. Hec enim omnia gentes mundi querunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. Verumtamen querite primum regnum Dei et justiciam ejus : et hec omnia adjicientur vobis.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[l] ***Lauda.*** Alleluja. ℣. Firmetur manus tua Deus et exaltetur dextera tua. *P.* Alleluja.

[m] ***Sacrificium.*** Edificavit Moyses altare Domino offerens super illud holocaustomata : et inferens victimas fecit sacrificium matutinum in odorem suavitatis Domino Deo. In conspectu filiorum Israel D alleluja. ℣. Locutus est Dominus ad Moysen dicens :

[a] *Psallendo.* Postquam lecta est prophetia, canitur hymnus trium puerorum, et versiculus primus psalmi *Confitemini.* Tum canitur *psallendo* quod sanctus Isidorus (*Off. l.* I, *c.* 8) responsoria, et Galli psalmum responsorium nominaverunt (*S. Greg. Tur. Hist. l.* VIII, *c.* 3). Olim in pulpito canebatur, ab uno præcentore. Viri eruditi *psallendo* Gotho-Hispanorum cum graduali Romano passim confundunt, cum quo nihil ferme commune habet, præter cantum responsorium. Plura de hac re in præfatione vide, et alia de *psallendo* satis fuse discussa.

[b] *Cap. VII.* Vers. 15-25. In Luxoviensi legitur ex Epistola ad Ephesios, V, 3-31.

[c] *Non enim.* Ita Ambrosiaster, Theodoretus, cum textu Græco legunt ; Primasius vero cum Vulgata : *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio.*

[d] *Quod volo.* Vulgata, *quod volo bonum.* Ambrosiaster, *non enim quod volo facio bonum.*

[e] *Non ego.* Vulg., Gr., Ambrosiaster, *jam non ego.*

[f] *Gratia Dei.* Hæc ad textum Scripturæ non pertinent.

[g] *Capit. XII.* Vers. 10-31. In Luxoviensi ex Lucæ X, 25-37.

[h] *Suum.* Vox illa nec in Græc., nec in Vulgata exstat.

[i] *Homo de turba.* Vulgata, *quidam de turba.*

[j] *Repetent.* Vulg., *repetunt.*

[k] *Orreum.* Lege *horreum.*

[l] *Lauda.* Ps. LXXXVIII, 4. Vox *Deus* in Vulgata non legitur.

[m] *Sacrificium.* Ex Exodi XXIV, 4-5. ℣. *Ibid.*, XXIV, 12 ; XXXIV, 2, 4, 5, 8, 9. Verbis Scripturæ et alienis permistis constat.

ascende ad me in montem Sina : stabis super cacumen ejus : audiens Moyses ascendit in montem : ubi constituit ei Deus et descendit ad eum Dominus in nube et adstitit ante faciem ejus. Videns Moyses procidens adoravit dicens : obsecro Domine dimitte peccata populi tui : et ait ad eum Dominus : faciam secundum verbum tuum. *P*. In conspectu.

***Missa*. [a] Accedentes ad Domini mysterium fratres charissimi : debemus [b] deferre ad publicum crimina : si ad judicium nolumus sustinere tormenta. Debemus hominibus humiliari : si volumus coram angelis gloriari. Debemus lugere in seculo : si volumus regnare cum Christo. Debemus honorem temporalem spernere : si volumus sempiternam gloriam obtinere. Non nobis hec verbis sunt querenda : sed meritis : non labiis pronuncianda : sed lachrymis. [c] Non vestium agenda abjectione : sed mentium. [d] Non sola crinium nuditate : sed criminum. In [e] regionis professione testimonium habeat habitus non proventus. Non ovium velleribus luporum est occultanda rapacitas. quo simulata innocentia credulum [f] calcat : eviscerat. Non candidis parietibus fetidi cadaveris est vestienda corruptio : que mentita species admirantem dum exteriori nitore provocat : interiore parte corrumpat. Non pravi mellis crate fellis claudenda pernicies : quo fucate suavitatis illecebra : dum gustantem insidioso sapore blanditur : amicitia labiorum amaritudo sit viscerum. Timeamus Deum occultum in conscientia testem : et publicum in examinatione censorem. Non ille querit pro ignorantia : sed pro misericordia confitentem. Et qui potest in occulto scelere habere noticiam non vult in prodito proferre vindictam. Sic sic absolvet pietas humiles : et punit severitas contumaces. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen.**

[a] *Accedentes*. Septimo sæculo defluente, vigebat adhuc in Hispania frequens Eucharistiæ usus, quare sanctus Isidorus (*Off. lib.* I, *cap.* 18), asserentes, *nisi aliquo interveniente peccato Eucharistiam quotidie accipiendam esse*, recte sentire pronuntiat, *si hoc cum religione, et devotione, et humilitate suscipiant; ne, fidendo de Justitia, superba præsumptione id faciant. Cæterum*, inquit, *si talia sunt peccata, quæ quasi mortuum removent ab altario, prius agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum sumendum .... Si tanta non sunt peccata ut excommunicandus quisque judicetur, non se debet a medicina dominici corporis separare, ne dum forte diu abstinens prohibetur* [lege *probetur*] *a Christi corpore separetur*. Et infra subdit : *Qui peccare jam quievit communicare non desinat*. Supra legi *diu abstinens probetur*, quia sensus, in vulgatis Editionibus ægre constat. Hoc viderat Hittorpius; quare ille edidit *nedum forte diu abstentus prohibetur* communicare, *a Christi corpore separetur*. At sic remedium non attulit, imo vulnus auxit, nam sanctus Isidorus de eo loquitur qui sponte sua, nullius delicti mortalis conscius, ad Eucharistiam non accedit; at ille *abstentus* dicitur qui, non sua sponte, sed episcopi jussu, ob crimen aliquod, vel saltem ob suspicionem criminis, a corporis Christi participatione amovetur. Igitur si legatur : *Ne, dum forte diu abstinens probetur, a Christi corpore separetur*, sententia scilicet episcopi, recte constat sensus; canones enim, quibus ejus temporis disciplina ecclesiastica regebatur, statuebant ut ii qui diebus festivis, aut Dominicis, sacrificio frequenter interfuisse deprehensi erant, quin communicassent, jussu episcopi abstinerentur (*Cod. can. Gotho-Hispanus, lib.* IV, *tit.* 11, *apud card. de Aguirre, tom. III Concil. Hisp.*), nec nisi post peractam legitime pœnitentiam ad communionem admittantur (*Concil. Antioch. can.* 2). Jam vero contingebat ut nimis multi, gravissimorum criminum sibi conscii, quorum tamen convinci minime poterant, ad mensam Domini accedebant, metu humano ducti, ne, si a communione frequenter abstinuisse deprehenderentur, cogerentur pœnitentiam agere, ut canones præscribebant. De his sancti Augustinus, Chrysostomus, aliique, passim et gravissime conqueruntur, eosque de suo periculo et impietate admonent. Eodem spectat hæc *missa*, ut qui occulta scelera admiserant prius pœnitentiam publicam agant, quam ad corporis Christi participationem accedant.

[b] *Deferre ad publicum* qui pœnitentiam agebant publicam ob delicta occulta, confitebantur quidem se peccasse, et graviter peccasse, et indefinite peccata sua confitebantur, at particulatim nullum crimen nominatim prodebant; satis illis erat ea confessio quam Deo et sacerdoti clam fecerant. Sanctus Leo (*Ep.* 136, *Ed. Ques.*) episcopos Samnii, Piceni et Campaniæ, graviter reprehendit, qui crimina a pœnitentibus singillatim palam exprimenda esse contendebant.

[c] *Non vestium*. His similia apud sanctum Cæsarium Arelatensem (*Hom.* 59) leguntur. Vestis pœnitentium propria ex Concilio Barcinonensi, circa annum 540 celebrato (*Can.* 6), habitus religiosus dicitur, et a sancto Gregorio Turonensi (*Hist. lib.* IX, *c.* 33) vestis religiosa. Hujus indumenti pars erat cilicium, quod capitibus pœnitentum solemniter imponebatur ab episcopo (*Conc. Agath., can.* 15), quo tempore etiam cinere aspergebantur (*S. Isid., Off. l.* II, *c.* 16).

[d] *Non sola*. Viris sæcularibus pœnitentibus omnino tondebantur capilli. Concilium Agathense (*Can.* 13) *pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum et cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur, si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur*. Concilium Barcinonense (*Can.* 6) statuit ut *pœnitentes viri, tonso capite, religioso habitu* utantur. Et concilium Toletanum III (*Can.* 12) diligenter præscribit ut viri pœnitentes comas deponant, a mulieribus vero id tantum requirit, ut habitum mutent. *Quicunque ab episcopo, vel presbytero, sanus, vel infirmus, pœnitentiam postulat, id, ante omnia episcopus observet, et presbyter, ut, si vir est, prius eum tondeat, et sic pœnitentiam tradat. Si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius mutaverit habitum*. At sanctus Ambrosius (*Ad Virg. laps., cap.* 8) voluit ut lapsæ virgini *amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt*. E contra, Fabiola, teste sancto Hieronymo (*Epist. ad Ocean.*) cum inter pœnitentes staret *sparsum* habuit *crinem*; et Ursicino Cadurcensi episcopo, ut auctor est sanctus Gregorius Turonensis (*Hist. lib.* VIII, *cap.* 20) injunctum fuit ut tribus annis quibus pœnitentiam agere debebat *neque capillum neque barbam tonderet*. Denuum sanctus Isidorus (*Offic. lib.* II, *cap.* 16) distincte scribit : *Hi qui pœnitentiam agunt, capillos et barbam nutriunt*. Nimirum hac in re varia erat Ecclesiarum disciplina, non modo pro temporum, sed etiam pro personarum et locorum varietate.

[e] *Regionis*. Lege *religionis*, ubi legendum *in religionis professione testimonium habeat proventus, non habitus*.

[f] *Calcat*. Lege *palpat et eviscerat*.

Alia oratio. Portamus Domine onera iniquitatum A nostrarum dura cervice : vultu dimisso : corde contrito. Et vix tandem in supplicio nostro didicimus penitere : qui reatum nostrum nolebamus ante cognoscere. Sed tu Domine qui mansuetas fecisti in vivario feras : et refrigerasti in fornacis medio flammas : alleva manum tuam in adjutorium nostrum : et tutissimum nobis presta defensionis tue in afflictione suffragium. Ut quos peccatorum pondus inclinat : misericordie tue virtus attollat. Et quamvis propter peccata nostra ad terram corruimus : per ineffabilem bonitatem tuam misericorditer sublevemur. Ut quos diversarum iniquitatum arguunt actiones : indulgentia pietatis tue faciat innocentes. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui in tuo conspectu sanctorum etc.

Post nomina. Oratio. Omnipotens eterne Deus qui nos ad eternam vitam confessione tui nominis et sacramento baptismatis clementer invitas : votis nostris quesumus presentiam tue virtutis intersere : et offerentium **74** munera dignanter intende. Ut et his sanctificationis gratiam : et defunctis fidelibus tribuas requiem sempiternam. ℟. Amen.

Ad pacem Oratio. Deus pacis conditor et charitatis individue attributor : presta quesumus omnipotens fideles vinculo charitatis astringi : ut pacifici pacis perseverantiam teneant : et discordes dono misericordie tue ad charitatem sese convertant. ℟. Amen. Quia tu es vera pax nostra.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi semper gratias agere Domine sancte pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum qui tecum in origine mundi et cum spiritu sancto mundo prebuit lucem. Extendit celum virtute : fundavit aridam sapientia : divisit aquas intellectu : simulque in eis universa creavit. Extremo hominem ad imaginis et similitudinis sue formam constituens : spiraculo vite rationalis animavit. Et nunc Domine tu es humani generis conditor et omnium in te credentium in assumpto homine sanguinis effusione redemptor. Te metuunt potestates tibique omnes famulantur virtutes. Te duodenus senum chorus : ordo te etiam conlaudat ineffabilis angelorum : ac multiplex legio. Tibi Cherubin ac Seraphin senarum volatus stridore alarum : eterne laudis trigemina concinentes incessanti voce canticum laudis exsolvunt : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere gloriosus es Domine Deus noster. Te in celestibus spiritualia : te in terrenis humana venerantur. Et dum in superB nis majestas glorie tue attollitur : in imis potentia virtutis augetur. Hic proferuntur obsequia mentium : illic gaudia relaxantur animarum. Christum igitur rogemus auctorem : quem scimus nobis celebrandum esse post mortem. Ipsum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Habemus quidem Domine relictum a te viaticum : sed promissum nostri desiderii expectamus effectum. Et qui corpus tuum illud accepimus ad edendum : in quo [a] es humiliatus in terra : illud concupiscimus ad videndum : in quo es exaltatus in gloria. Nunc enim videmus in speculo et enigmate : tunc autem facie ad faciem tuam licebit gloriam contueri. Ubi nemo cibum requiret : quia nullus esuC riet. Nemo peregrinum suscipiet : quia omnes in patria sua vivent. Nemo visitabit egrotum : ubi eterne salutis permanebit hereditas. Nemo operiet nudum quia omnes luce perpetua vestientur. Nemo mortuum sepeliet : ubi omnes sine termino vivent. [b] Sed tu Domine hic ista que a nobis sunt percipienda

[a] *In quo es humiliatus.* Certum est, Christum Dominum, qui sedet gloriosus ad dexteram Dei Patris in cœlis, eum esse qui pro hominibus natus, et passus, et cruci affixus est in terris, et qui vere substantialiter in Eucharistiæ sacramento, sub speciebus panis et vini, præsens in ecclesia adest, et adoratur a fidelibus, a quibus et comeditur, et bibitur; atque adeo certum est, corpus Christi, *in quo est humiliatus in terra*, illud idem esse *in quo est exaltatus in cœlo*, et quod in Eucharistia sacramento re ipsa D adest. Hinc sancti Patres, librique liturgici, de Christo in Eucharistia existente modo ut de passibili, modo ut de immortali loquuntur. Sic sanctus Chrysostomus (*Hom.* 3, *in Epist., ad Eph.*): Accedentes ad communionem, inquit, cogitemus quod *illius sanguinem bibimus qui supra* in cœlis *sedet, qui adoratur ab angelis, et qui virtuti immortali* Dei Patris *assidet.* Sanctus Ambrosius (*De Off. lib.* I, *c.* 48) : *Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem.* Etherius et Beatus (*Lib.* I *advers. Elipand.*) : *Quid tam acceptum et aptum immolari quam caro Christi mortalis?* Demum Sanctus Augustinus (*Enarr.* 2 *in ps.* XXI), proxime ad modum loquendi Missalis nostri accedens, Eucharistiam *corpus humilitatis Domini* appellavit. *Divites sæculi manducaverunt corpus humilitatis Domini sui, nec sicut pauperes saturati sunt usque ad imitationem, sed tamen adoraverunt.* Synonyma enim pene sunt *corpus humilitatis Domini*, et *corpus in quo Christus est humiliatus in terra.* Rursus idem sanctus Doctor (*Epist.* 120, *ad Honoratum*) dixit : Divites sæculi *manducantes Christum pauperem dedignantur esse pauperes*; et (*Enar.* 2 *in ps.* XXXIII) docet quod *nos manducando crucifixum et bibendo illuminamur*. Qui modi loquendi veri omnes sunt, nam cum Christus Dominus in hoc Eucharistiæ sacramento revera præsens contineatur, ea omnia quæ de eo, secundum se spectato, cum veritate dicuntur, de eo etiam prout est in Eucharistia cum veritate dici possunt; quare qui Eucharistiam sumit cum veritate dicitur *sumere* aut *manducare* corpus Christi *in quo est glorificatus in cœlo*, et etiam sumere *corpus Christi in quo est humiliatus in terra.* Non enim sunt ista duo corpora, sed unum atque idem corpus Christi, una atque eadem Christi humanitas, Verbo divino unita, quæ in terra fuit aliquando passibilis, in cœlo et in Eucharistia existit immortalis, in Eucharistia modo invisibili, sensibus minime perceptibili, in cœlo sanctis suis visibili, ubi et eos beatos facit. Quare hac oratione rogant Gotho-Hispani ut aspectu Christi in cœlo regnantis aliquando illis frui concedatur, quem in terra, speciebus eucharisticis tectum vera fide ac pietate susceperant.

[b] *Sed tu Domine.* Hæc oratio una est ex iis quibus evincitur Gotho-Hispanos in orationibus *post-pridie* orasse pro elementis consecratis.

sanctifica : ut hec sumentes ad premia pervenire A mereamur eterna.

℟. Amen.

Dicat Presb. Te prestante sancte Domine : per quem tu hec omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas.

Ad orationem Dominicam.

Pietate Dei patris poscamus fratres charissimi : ut prestet nobis indignis servis suis corpus hoc Domini nostri Jesu Christi filii sui ad remedium anime nostre percipere hunc sacrosanctum sanguinem ejus sine ullo conscientie reatu bibere. Quatenus requiescente in cordibus nostris sue pietatis dilectione : orationem quam apostolus suos docere dignatus est : sic dicere mereamur e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus B sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Dominus peccatorum vestrorum maculas purget : et sua vos benedictione sanctificet. ℟. Amen. Repleat vos Dominus spiritualium dono virtutum : et perseverare faciat in bonis propositum vestrum. ℟. Amen. Sicque humilitatem vestram Dominus dignator acceptet : ut sue vos pietatis remuneratione locupletet. ℟ Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Gustate et Videte.

Postcommunio. Oratio ut in Dominico preterito.

IN QUINTO DOMINICO POST OCTAVAS EPIPHANIE.

C *Ad missam. Officium et oratio ut in primo Dominico fol.* 64.

Lectio Hieremie prophete [a] *(Cap. XXXI).*

℟. Deo gratias.

Audite verbum Domini gentes et annuntiate in insulis que procul sunt : et dicite. Qui dispersit Israel : congregavit eum : et custodivit eum sicut pastor gregem suum. Redimet enim Dominus Jacob et [b] liberabit eum **75** de manu potentioris. Et venient et laudabunt in monte Syon. Et confluent ad bona Domini super frumento : et vino : et oleo : et fetu pecudum et armentorum. Eritque anima eorum quasi hortus irriguus et ultra non esurient. Tunc letabitur virgo in choro : juvenes : et senes simul. Et convertat luctum eorum in gaudium et consola- D bor eos : et letificabo a dolore suo. Et inebriabo animas Sacerdotum pinguedine : et populus meus bonis meis implebitur : ait Dominus omnipotens.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Psallendo.* Adjutor meus est tu Domine suscipe me secundum verbum tuum : ne confundas me ab expectatione mea Deus meus. ℣. Recedant a me maligni : et perscrutabor mandata Dei mei : adjuva me : et salvus ero. *P.* Ne confundas me.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia epistole Pauli ad Romanos ([d] *Cap. VIII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati : etc., [e] propter peccatum damnavit peccatum in carne : ut justificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus : sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt : que carnis sunt sapiunt. Qui vero secundum spiritum : que sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis mors est. Prudentia autem spiritus vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est [f] in Deum. Legi autem Dei non subjicitur : nec enim potest. Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis : sed in spiritu. Si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet : hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est : corpus quidem mortuum est propter peccatum. Spiritus vero vivit propter justificationem. Quodsi spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis : qui suscitavit Jesum Christum a mortuis : vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.

℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Lucam ([g] *Cap. XII, XIII*).

Illo in tempore Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis : et turbis dicens. Cum videritis nubem orientem ab occasu : statim dicitis : nimbus venit et ita fit. Et cum austrum flantem videritis : dicitis quia estus erit et fiet. Ipocrite faciem celi et terre nostis probare. Hoc autem tempus quomodo non probatis? quid autem ex vobis non judicatis quod justum est? Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem in via : da operam liberari ab illo : ne forte tradat te ad judicem : et judex tradat te exactori : et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi non inde exies : donec etiam novissimum minutum reddas. Aderant autem quidam in ipso tempore nunciantes illi de galileis : quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum : Et respondens dixit illis. Putatis quod hi galilei pre omnibus galileis peccatores fuerunt : quia talia passi sunt? Non. Dico vobis nisi penitentiam habueritis : omnes [h] mul peribitis : sicut illi decem et octo supra quos cecidit turris in siloam : et occidit eos. Putatis quia et ipsi debitores fuerunt preter omnes homines habitantes in Jerusalem ? [i] Ideo dico vobis : sed si non penitentiam egeritis : omnes simul peribitis. Dicebat

[a] *Cap. XXXI.* Vers. 10-14. In Lectionario Luxoviensi *tertia Dominica post Cathedram sancti Petri* prophetia legitur ex Isaiæ XLIX, 8-26.

[b] *Liberabit.* Vulg., *liberavit.*

[c] *Psallendo.* Ex ps. CXVIII, 114, 116. Ibid., 115.

[d] *Cap. VIII.* Vers. 3 11. In Lectionario Luxoviensi legitur Epistola ad Colossenses, III, 12, 17.

[e] *Propter peccatum.* Ita Versio Syriaca, Vulg. et Gr., *de peccato.*

[f] *In Deum.* Vulgata, *D o.*

[g] *Cap. XII.* Vers. 58-XIII, 1-17. In Luxoviensi ex Luc. X, 25-37.

[h] *Simul.* Vulg. et Græc., *similiter.*

[i] *Ideo dico vobis.* Vulg. et Græc., *non dico vobis, sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

autem hanc similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua. Et venit querens fructum in illa et non invenit. Dixit autem ad cultorem vinee. Ecce anni tres sunt ex quo venio querens fructum in ficulnea hac : et non invenio. Succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat? At ille respondens dixit illi : Domine dimitte illam et hoc anno : usque dum fodiam circa illam : et mittam stercora : siquidem fecerit fructum : sin autem in futuro succido eam. Erat autem docens in sinagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier que habebat spiritum infirmitatis annos decem et octo. Et erat inclinata nec poterat omnino sursum respicere. Quam cum vidisset Jesus vocavit ad se et ait illi. Mulier dimissa es ab infirmitate tua : et imposuit illi manum : et confestim [a] erepta est et glorificabat Deum. B Respondens autem archisinagogus indignans quia sabbato curasset Jesus. Dicebat turbe : sex dies sunt in quibus oportet operari : in his ergo venite et curamini : et non in die sabbati. Respondit autem ad illum Dominus et dixit. **76** Ipocrite uniusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a presepio et ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahe quam alligavit Sathanas : ecce decem et octo annis : non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? Et cum hec diceret erubescebant omnes adversarii ejus : et omnis populus gaudebat in universis que gloriose fiebant ab eo. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Lauda.* Alleluja. ℣. Domine exaudi orationem C nostram : et clamor noster ad te perveniat. *P.* Alleluja.

[c] *Sacrificium.* Deprecatus est populus faciem Dei et exaudivit illum Dominus et dedit eis salutem. Et immolavit Sacerdos holocaustum matutinum in odorem suavitatis alleluja. ℣ Oravit Ezechias in conspectu Domini dicens : Domine Deus qui sedes super Cherubin inclina aurem tuam et audi : aperi oculos tuos et vide : et salva nos de manu mortis : ut sciant omnia regna terre quia tu es Dominus. *P.* Et immolavit.

Missa. Rogaturi Deum secretorum omnium conditorem fratres charissimi : hoc primum rogemus : ut det affectum quo eum vehementer oremus : et munera placitura offeramus. Ne nobis perfunctorie et D non veraciter supplicantibus : extra hoc sit animus quod oramus. Ne intus sancti desiderii virtute vacui : foris eloquii vanitate conspicui. Credamus sufficere honestas preces : etiamsi habeamus improbas voluptates. Det quoque hoc ipsum religionis veritate plenum esse : quod diximus : ne studio humane laudis inlecti : aliud mente : quam voce proferamus : capiamus. Et labia cordis officio destituta : inutilem reddant velut cimbala sonitum : aut eramenta tinnitum. Sed illum nobis amorem suum celestis pietas dignetur infundere qui totam conscientiam linguamque possideat : qui orationem cogitatione non deserat : qui aliud quam quod significat : non requirat. Pro qua nostra professio talis ante Deum studeat fieri : qualis inter homines vult videri. ℟. Amen.

Alia Oratio. Exaudi nos Domine Deus noster : et humane iniquitatis oblitus : divine solius misericordie recordare. Exaudi quesumus : dum peccare non pateris : dum emendare nos precipis : dum rogare permittis. Dum patientia redditum querende correctionis expectat : dum justicia metum future discussionis insinuat : dum misericordia locum evadende mortis ostentat. Inveniant ante oculos tuos sacrificia nostra gratiam : peccata veniam : vulnera medicinam. Suspiria pietatem : flagella consolationem : lamenta temperiem : tempora quietem : officia dignitatem : vota mercedem. Mereatur peticio effectum : contricio solacium : consecracio sacramentum. Oblatio sanctificatione pinguescat : trepidatio securitate discedat : benedictio salubritate proficiat : ut in omnibus multiplici pietatis tue gratia redundante erigas plebem : dum letificas Sacerdotem. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Oblationem familie tue sereno quesumus Domine vultu dignare respicere : et petitionibus eorum fave clementer : ut dono tue clementie premuniti : et vivis mereantur impetrare presentis vite suffragia : et defunctis omnibus fidelibus requies prestetur eterna. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui unanimitatem amplecteris : et in corde pacifico requiescis : da quesumus puram omnibus pacem : da cunctis fidelibus mutuam charitatem. Tribue fidelia oscula : sincera conloquia. Ut nec publicis quicquam inimicitiis liceat : nec secretis. Atque odisse nesciat fratrem : qui te suum ceperit amare factorem. ℟. Amen. Quia tu es vera pax.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Deus : nos tibi gratias agere per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui homo factus quod homo deliquerat : amputavit. Et in deitate paterna indemutabilis mansit. Qui novissimus Adam effectus in spiritu vivificavit quos Adam primus mortificaverat damnatione peccati. Denique et per obedientiam eterno Deo nos reconciliavit : et patri : quos a consortio beatitudinis : [d] transgressio terreni removerat genitoris : atque illo singulari remedio incarnationis sue passionisque sanguine innovatam reddidit creaturam : unde nos debilis vetustas expulerat. Peregit hec omnia humiliatus in **77** homine : qui nunquam probatur a paterna degenerasse virtute. Sic homo factus est : ut homini subveniret : et a paterna substantia nunquam recederet. Permansit in divinitatis natura : cum homines reconciliaret ex gratia.

[a] *Erepta.* Vulg., *erecta est.*

[b] *Lauda.* Ps. CI, 1.

[c] *Sacrificium.* Ex libro IV Regum, XIII, 4, 5; ex Levitico, I, 13. ℣. Isaiæ XXXVII, 15-20, multis prætermissis.

[d] *Transgressio.* Hæc illatio aperte agit de peccato originali contra Pelagium.

Similis effectus est nobis : qui nunquam est a pa- A terna potestate dissimilis. Ac sic prefuit hominibus assumendo humanitatem : ut nunquam naturalem amitteret deitatem. Quem tecum pater et cum Spiritu sancto omnes angeli laudare non cessant : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus. Unigenitus tuus [a] primogenitus noster. Primogenitus in gratia : unigenitus in natura. Primogenitus quia nemo ante ipsum : unigenitus quia nemo post ipsum. Qui cum in forma Dei esset : non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens : perfectus in tuis : et verus in nostris. Ipse Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. *Oratio.* Fratres commemorationem B passionis : mortis : et resurrectionis Domini nostri Jesu Christi filii tui precamur omnipotens pater : ut has hostias sancto altario tuo superpositas intendas propicius : sanctifices et benedicas ac sumentibus ad salutatem pertinere concedas. ℟. Amen. Presta pater sancte per quem tu hec omnia nobis indignis.

Ad Orationem Dominicam.

Sit licet fratres charissimi peccatorum nostrorum plurima multitudo : non tamen est de misericordia Domini diffidendum; sic totis ad eum nisibus convertamur. Quia ergo melius cordis humilitate : et oris confessione placatur : quam victimis : humiliemus nos ante eum omnes : et cum toto affectu mentis clamemus e terris. Pater noster qui es in celis. C

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Benedicat vobis Dominus : et propicius sanctificare dignetur. ℟. Amen. Fidem vestram roboret promissis donorum celestium. ℟. Amen. Ipse quoque glorificet premio eternitatis qui redimere dignatus est precio passionis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Gustate et videte.

Post communio. Oratio. Christi Domini nostri gratia satiati : gratias agimus perpetue trinitati : [b] cujus sanguine sumus precio magno redempti. Petimus itaque sacramentorum tuorum meritis : ut de hoc seculo nequam eripiamur illesi. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. Et in nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

IN SEXTO DOMINICO POST OCTAVAS EPIPHANIE DOMINI.

Ad Missam Officium et oratio ut in primo Dominico. fol. 64.

Lectio libri Hieremie prophete ([c] *Cap. III, IV*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Convertimini filii revertentes : et sanabo aversiones vestras. Ecce nos venimus ad te : tu es enim Dominus Deus noster. Vere mendaces erant colles et multitudo montium. Vere in Domino Deo nostro salus Israel. Confusio comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra. Greges eorum et armenta eorum filios eorum : et filias eorum. Dormiemus in confusione nostra : et operiet nos ignominia nostra. Quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos et patres nostri ab adolescentia nostra usque ad diem hanc : et non audivimus vocem Domini Dei nostri. [d] Si converteris Israel ait Dominus : ad me convertere. Si abstuleris offendicula tua a facie mea : non commoveberis et jurabis vivit Dominus in veritate : et in judicio et in justicia. Et benedicent eum gentes : ipsumque laudabunt.

℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

[e] *Psallendo.* Pone Domine custodiam ori meo et ostium circumstantie labiis meis : ut non declinet cor meum. In lingua mala. ℣. Custodi me Domine a laqueo quem statuerunt mihi : et a scandalis operantibus iniquitatem : quia ad te Domine oculi mei : in te speravi non tradas animam meam. *P.* In lingua. *Hic dicat Presb.* Silentium facite.

[f] *Sequentia epistole Pauli ad Corinthios* ([g] *I, cap. I*).

℟. Deo gratias.

78 Fratres. Obsecro vos per nomen Domini nostri Jesu Christi : ut id ipsum dicatis omnes : et non

[a] *Primogenitus noster.* Huc refer illud concilii XI D Toletani, in expositione fidei, art. 23 : *Hinc qui ante sæcula unigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus factus est : unigenitus propter deitatis substantiam, primogenitus propter assumptæ carnis naturam*; et concilii Mediolanensis, an. 679, relati in concilio VI œcumenico (*Apud Hard., tom. III Concil., col.* 1054) : *Ideo et unus Dominus Jesus Christus habens in semetipso perfectionem divinæ naturæ, et perfectionem humanæ naturæ, et unigenitus quidem, et Verbum, utpote ex Deo Patre natus, et primogenitus in multis fratribus, Filius enim Dei filius hominis factus est.*

[b] *Cujus Sanguine.* Est verborum transpositio. Lege : *Christi Domini nostri gratia satiati, cujus sanguine sumus redempti, gratias agamus perpetuæ Trinitati*, etc.

[c] *Cap. III.* Vers. 22-IV, 1, 2.

[d] *Si converteris.* Vulg., *si reverteris. LXX, si conversus fuerit Israel.*

[e] *Psallendo.* Ps. CXL, 3, 4. ℣. Ibid., 19.

[f] *Sequentia.* Post lectionem Veteris Testamenti, et cantum hymnorum psalmorumque, apud Gotho-Hispanos *Apostolus* legebatur, qua appellatione in Gallia quoque, in Italia, in Africa, Romæ, et in Oriente ea Novi Testamenti lectio significabatur, quam modo *Epistolam* nominare solemus. *Apostolus* autem dicebatur, quia plerumque ex Epistolis sancti Pauli desumebatur; nonnunquam tamen aliorum apostolorum Epistolas, et a Paschate ad Pentecosten librum Actuum apostolorum legunt. *Apostolum* olim in Hispania Lectores legebant, at jam tempore sancti Isidori moris erat ut diaconus *Apostolum* legeret; igitur diaconus lecturus *Apostolum* cum libro ambonem ascendebat, et primum quidem silentium indicebat, elata voce clamans : *Silentium facite;* tum titulum lectionis

[g] *Cap. I.* Vers. 10-18.

sint in vobis scismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei ab his qui sunt Cloes: quia contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico quod unusquisque dicit. Ego quidem sum Pauli : ego autem Apollo : ego vero Cephe : ego autem Ch isti. Divisus est ergo Christus. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis : aut in nomine Pauli baptizati estis ? Gratias ago Deo quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum et Gaium. Ne quis dicat : quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem et Stephane domum. Ceterum nescio si quem alium baptizaverim. Non enim misit me Christus baptizare : sed evangelizare. Non in sapientia verbi : ut non evacuetur crux Christi. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Lucam.

(a *Cap. XIIII*).

b Deo gratias.

Ilo in tempore : Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Si quis venit ad me : et non odit patrem suum et matrem uxorem et filios fratres et sorores adhuc et animam suam : non potest meus discipulus esse. Quis enim ex vobis volens turrem edificare et non sedens prius computat sumptus qui necessarii sunt : si habeat ad perficiendum : ne postea quam posuerit fundamentum : et non potuerit perficere omnes qui viderint incipiant illudere : dicentes quia hic homo cepit edificare et non potuit consummare : Aut quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem : non sedens prius cogitat si posset cum decem milibus occurrere ei : qui cum viginti milibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea que pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus que possidet : non

A potest esse meus discipulus. Bonum est sal Si autem sal quoque evanuerit in quo condietur ? neque in terra : neque in exterquilino utile est : sed foras mittetur. Qui habet aurem audiendi audiat.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

c *Lauda.* Alleluja. ℣. Domini est terra et plenitudo ejus : orbis terrarum et universi qui habitant in ea. *P.* Alleluja.

d *Sacrificium.* Edificavit Gedeon altare Domino et vocavit nomen loci illius pax Dei alleluja et apparuit ei Dominus dicens : tolle sacrificium et offeres super illud holocaustum mihi in odorem suavitatis alleluja

B alleluja alleluja. ℣. Alleluja. Venit angelus Domini ad Gedeon et dixit ad eum : Dominus tecum virorum fortissime : et ille respondens dixit ad eum : si nobiscum est Dominus : quare apprehenderunt nos omnia mala : ubi sunt mirabilia ejus que narraverunt patres nostri : in die qua eduxit eos de Egipto ? et aspexit ad eum Dominus : et dixit ad eum : tu liberabis populum meum de manu inimicorum ejus : quia ego ero tecum : et obtulit Gedeon victimas Domino. *P.* Et apparuit ei.

Missa. Deum a quo averti : cadere est : ad quem converti : resurgere est. A quo exire : mori : in quo manere : vivere et consistere atque vivescere est. Quem nemo querit nisi ratione commonitus : nemo invenit nisi corde purgatus : nemo amittit nisi er-

C rore deceptus : intentis fratres charissimi precibus orando rogemus. Ut in nobis quesitus existat : neque cum fuerit invocatus abscedat : sed sensibus nostris studio misericordie sue se insecat. ℟. Amen.

lectionis pronuntiabat dicendo, v. g. *Sequen in Epistolæ primæ Pauli ad Corinthios*, aut : *Lectio libri Actuum Apostolorum*, etc. Populus respondebat *Deo gratias*, et quisque se crucis signo muniens, aures attentas lectori præbebat; absolutaque lectione dicebat *amen*, et lector, de ambone descendens, librum in sacrarium referebat, aut ei cui sacrarii cura erat mandata tradebat.

a *Cap. XIV*. Vers. 26-35, omisso integro versu 27. In Hispania olim Evangelium a lectoribus legebatur, deinde munus legendi Evangelii diacono mandatum est. Sanctus Isidorus (*Epist. ad Ludifr.*) docet, *ad diaconum pertinere prædicare Evangelium et Apostolum*; eadem disciplina in Gallia vigebat (*Greg. Turon.*, *Hist. lib.* VIII, *cap.* 4). Diaconus lecturus Evangelium submissa voce hanc orationem dicebat : *Munda cor meum, corpusque et labia mea, omnipotens Deus*, etc., ut in libro omnium Offerentium (*pag.* 219, *l.* 78), tum ad episcopum accedens benedictionem petebat, dicendo : *Jube, domne, benedicere*; et episcopus benedictionem impertiens dicebat : *Corroboret Dominus sensum tuum ac labia tua ut recte pronunties no is eloquia sancta sua* (*Vid. p.* 219). Accepta benedictione, diaconus ad altare accedens, inclinato capite, Evangelium veneratus, elata voce dicebat : *Laus tibi*, et continuo populus et clerus respondebant : *Laus tibi, Domine Jesu Christe, Rex æternæ gloriæ*; tum elevans Codicem de altari ad ambonem procedebat, præeuntibus cereis accensis, et fortasse thuribulo, quamvis de thure Etherius sileat; ad ambonem perveniens ascendebat in supremum pulpiti gradum, et inde clara voce titulum lectionis pronuntiabat dicendo : *Lectio sancti Evangelii secundum Lucam*, aut secundum *Matthæum* aut *Joannem*, et populus respondebat : *Gloria tibi, Domine*, et signum crucis faciebat; tum diaconus incipiebat lectionem dicendo : *In illo tempore*, aut *in illis diebus*, *Dominus noster Jesus loquebatur discipulis suis*, aut *ambulabat*, etc. Absoluta lectione, populus respondebat *amen*; omnes autem, tam episcopus quam clerus, et populus, erecti stabant cum legeretur Evangelium, et attente

D audiebant. Diaconus de ambone descendens cum Evangelio ad altare redibat. Codicem tamen super altare non deponebat, sed apertum alteri tradebat, qui eum osculandum ad episcopum deferebat. Episcopus autem osculando Evangelium dicebat : *Ave, verbum divinum, reformatio virtutum et restitutio sanitatum*, infra (*Pag.* 219). Galli, saltem in nonnullis Ecclesiis, procedente ad ambonem Evangelio, cantabant Grece *Hagios*, et redeunte Evangelio ab ambone *Sanctus* Latine cantabant.

b *Deo gratias.* Lege *Laus tibi, Christe.* Oscitantia hoc loco *Deo gratias* irrepsit, hæc enim respondebat chorus, aut populus, cum titulus Apostoli legeretur.

c *Lauda.* Ps. XXV, 1. Statim post lectionem Evangelii canebatur Lauda; a psalmistis autem canebatur, neque unquam omittebatur, nam tempore quadragesimali, omisso *alleluia*, canitur Lauda.

d *Sacrificium.* Judicum VI, 20, 24. ℣. Ibid., VI, 12 seq.

Alia oratio. Domine Deus [a] qui tu a nobis indesinenter rogaris; et clementer tribuis: ut rogeris. Qui das votum optanti: et pie viventibus nihil denegas: proroga quod audias: aut perficias quod acceptas. Da nobis quod ames in nobis: ut digneris semper exaudiri pro nobis. Tribue vota fidelia: sancta desideria prompta officia sedula mysteria: verba supplicia grata eloquia: preconia indefessa. Sint pure preces peticiones commode supplicationes juste: rogationes crebre: laudes assidue: ut ad salutem eternam omnia prestes omnibus dum invocaris ab omnibus. ℟. Amen. *Post nomin.*

Omnipotens sempiterne Deus: adesto quesumus precibus supplicantium tibi propicius: et humilitatis sancte oblationem attende placatus: ac presta Domine ut sacrificium hoc quod offerimus: et nobis omnibus proficiat ad salutem: et defunctis prestetur ad requiem. ℟. Amen.

Ad pacem. Omnipotens Domine a quo est humilitatis bonum et charitatis studium. **79** Da quesumus nobis omnibus charitatis et humilitatis affectum: ut humiles ac pacificos in charitate Dei et proximi: nos vivere gratulemur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est te Domine orare semper et invocare: qui servorum tuorum precibus ab initio propicius annuis: et placatus ostenderis. Quibusque te invocantibus et beneficia prorogas: et mirabilia patras: indulgentiam non denegas: benevolentiam prestas: et providentiam monstras. Sic Moyses manibus in tipum crucis te orando porrectis in Amalech diabolum superavit. Sic Josue invocans Deum in tanto nomine: dum hostem prosternit: diem tetendit: ut Jesus noster lux vera cresceret: venturus in exordio tenebrarum semper excresceret. Sic Samuel teste Christo Dei evangelicis intonans monitis: populi dura precordia precibus emissis turbine terruit tonitruaque concessit. Sic David hymnidicus orationum gratiam psalmorum modulatione reddidit dulciorem. Sic Salomon extensis et ipse manibus dum orando crucis figuram expressit: templum Domini dedicavit. Sic Asaph et Josaphat nobilissimi reges: dum pie Dei populo presunt hostium catervas immensas prece potius quam ense prostrarunt. Sic Ezechias flendo dum de morte rediit ad vitam: solis occiduas horas convertit in ortum. Sic Helias quasi clavem etheris ore gestaret: oratione celum clausit et reseravit. Sic Heliseus exanimes incumbendo calefaciens artus: vivificavit oratione defunctum. Sic Jonas pelago immersus per cetum voratus nequaquam ab oratione cessavit: quem in sinuosi ventris antro precantem: nec bellua potuit ledere: nec procella. Sic tres orantes pueri incendia non senserunt rotancia: et crepitantium flammarum strepitum precum concentu vicere. Sic in lacu Danielis oratio leonum avidos rictus et edacia ora restrinxit. Sic diem Dominus noster Jesus Christus fidelis in verbis suis: et sanctus in omnibus operibus suis: sequentibus se orandi normam in qua sit summa salutis instituit. Sed orare et nunquam deficere apostolis imperavit. Sic pie fideliterque poscentibus quicquid oratione credentes petierint: se prestaturum spondit. Sic ante passionem orando non solum patri discipulos commendavit: sed etiam in passione pro inimicis oravit. Sic in Dei dextera exaltatus perpetim regnat: et pro nobis jugiter interpellat. Quem tecum pater in unitate Spiritus Sancti celorum ille exercitus innumerabilis creatorem laudat: extollit: precatur: adorat: glorificat: honorat: veneratur: exaltat: atque indefesso preconio benedicit: attollit: confitetur: ac dicit. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus: vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui repudiata immundorum cogitatione libaminum: simplicem ritum [b] nove sanctionis instituit: docuitque discipulos suos: inter hec sacrosancta solemnia innocentiam puram vovere et Deo soli hostiam laudis offerre. [c] Ipso Domino redemptorique nostro eterno.

Post pridie. Oratio. Credentes Domine universa mirabilia Domini nostri Jesu Christi filii tui: atque incarnationis ejus: et divinitatis potentiam confitentes in tuis laudibus exultamus tibique sacrificium laudis offerimus. Rogamus clementiam tuam summa Trinitas Deus et infinita majestas: ut hec oblatio quam in sancto altario tuo deferimus, pro nostrorum expiatione facinorum: sit oculis tuis placita: [d] sit semper accepta: simulque efficiatur illo seculo su-

[a] *Qui tu.* Tolle illud *tu*, et lege: *Qui a nobis indesinenter rogaris.*

[b] *Novæ sanctionis.* Hoc est Novi Testamenti. Huc spectat illud Missalis Gallicani in oratione *post sanctus*, feria 5 in Cœna Domini: *Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus ob diem jejunii Cœnæ dominicæ, in qua Dominus noster Jesus Christus Filius tuus in Novo Testamento sacrificandi ritum destituit, dum panem et vinum, quæ Melchizedech, in præfiguratione futuri mysterii, sacerdos obtulerat, in sacramento sui corporis et sanguinis transformavit, quæsumus, Domine, ut placatus accipias*, etc.; et illud sancti Irenæi (*Adv. Hær.*, *lib.* IV, *cap.* 32, *Edit. Erasmi*), docentis, Christum Dominum, repudiatis Judæorum sacrificiis, Novi Testamenti novam instituisse oblationem, quando in ultima cœna panem in corpus, vinum in sanguinem transformavit: *Discipulis suis dans consilium primitias Deo offerre... Eum qui ex creatura panis est accepit, et gratias egit dicens: Hoc est corpus meum; et calicem simili er qui est ex ea creatura, quæ est, secundum nos, vinum, suum sanguinem confessus est, et NOVI TESTAMENTI NOVAM DOCUIT OBLATIONEM, quam Ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.... De quo, in duodecim prophetis, Malachias sic præsignavit: Non est mihi voluntas in vobis*, etc. *Malach.* I, 10, 11.

[c] *Ipso Domino.* Lege *ipse Dominus et Redemptor æternus.*

[d] *Sit semper accepta.* In omnibus liturgiis habetur vel expressa vel tacita oratio pro donis sacris consecratis. Hujusmodi est in canone Missæ Romanæ: *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere*, etc., quibus in hac nostra oratione *post pridie* correspondent: *Sit oculis tuis placita, sit semper accepta*, quæ minime dicuntur nomine principalis et primarii offerentis, qui est Christus Dominus, neque ratione victimæ, sed nomine secundarii offerentis proferuntur, sacerdotis nimirum mortalis, peccatis et imperfectionibus plurimis obnoxii. Rogat igitur sacerdos, minister Christi, ut sacrificium, quod

perveniente [a] septiformi spiritu benedicta [b] quo ubique Deus veraciter manifestetur [c] in eo. Ut te hanc hostiam benedicente : si qui ex ea libaverint te largiente : et in hoc seculo percipiant medicinam et in futuro consequantur vite eterne coronam. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Simus ad Deum fratres charissimi solliciti : qui de meritorum nostrorum non sumus felicitate securi. Et quia omnibus opus est indulgentia redemptoris : ad impetrandam ejus misericordiam omnes unanimiter clamemus e terris. Pater noster.

℟. Amen.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum

Benedictio. Clementissimus Dominus in cujus manu est universa prosperitas : caritatis semper et pacis vobis tribuat incrementa. ℟. Amen. **80** In bonis actibus unanimes atque concordes sitis : ut a preceptis Domini nullatenus devietis. ℟. Amen. In timore Domini mens vestra firma permaneat : et ejus vos misericordia perenniter regat. ℟. Amen. Per misericordiam Ipsius Dei nostri qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Gustate et videte. *Post communio alia oratio. Require retro in Dominico quinto Epiphanie. fol.* 77.

IN SEPTIMO DOMINICO POST OCTAVAS EPIPHANIE DOMINI.

Ad Missam officium et oratio ut in primo Dominico. LXIIII.

Lectio libri Hieremie prophete ([d] *Cap. VII*).

℟. Deo gratias.

Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino dicens. Sta in porta domus Domini et predica ibi verbum istud : et dic. Audite verbum Domini [e] domus Juda : qui ingredimini per portas has : ut adoretis Dominum. Hoc dicit Dominus exercituum : domus Israel : bonas facite vias vestras et studia vestra : et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii dicentes. Templum Domini templum Domini : templum Domini est. Quoniam si [f] benedixeritis vias vestras et studia vestra. Si feceritis judicium inter virum et proximum ejus : advene et pupillo et vidue non feceritis calumniam : nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc et post Deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis : habitabo vobiscum in loco isto a seculo et usque in seculum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

[g] *Psallendo.* Deus virtutum convertere nunc respice de celo et vide et visita vineam istam. ℣. Extendisti palmites ejus usque ad mare et usque ad flumen propagines ejus. Quare Domine destruxisti maceriam vinee tue : et vindemiant eam omnes transeuntes viam : devastavit eam aper de silva et singularis ferus depastus est eam. *P.* Respice.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia epistole Pauli ad Chorinthios ([h] *I, cap. II, III*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Nobis revelavit Deus per Spiritum suum sanctum. Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum que sunt hominis nisi spiritus hominis : qui in ipso est. Ita et qui Dei sunt : nemo cognovit nisi spiritum Dei. Nos autem spiritum mundi non accepimus : sed spiritum qui ex Deo est : ut sciamus que a Deo donata sunt nobis : que et loquimur. Non in doctis humane sapientie verbis : sed in doctrina spiritus spiritalibus spiritalia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea que sunt Spiritus Dei. Stulticia est enim illi : et non potest intelligere. Quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia : et ipse a nemine judicatur. Quis enim cognovit sensum Domini : aut quis instruat eum. Nos autem sensum Christi habemus. Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus : sed quasi carnalibus : tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi : non escam. Nondum enim poteratis : sed nec nunc quidem potestis : adhuc enim estis carnales. Cum enim sit inter vos zelus et contentio : nonne carnales estis : et secundum hominem ambulatis : cum enim quis dicit : ego quidem sum Pauli : alius autem : ego Apollo : nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis : et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi : Apollo rigavit : et Dominus incrementum dedit.

℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Lucam ([i] *Cap. XV*).

In diebus illis. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis in parabolis dicens. Homo quidam habuit duos filios : et dixit adolescentior ex illis patri. Pater da mihi portionem substantie que mihi contingit. Et divisit illi substantiam suam. Et non post multos dies congregatis omnibus : adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam : et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. Et postquam omnia consummasset facta est fames valida in regione illa : et ipse cepit egere. Et abiit et adhesit uni civium regionis illius : et misit illum in vil-

ratione victimæ et primarii offerentis non potest non esse gratissimum, et maxime acceptum Deo, sit etiam suo nomine Deo gratum, placitum et acceptum.

[a] *Septiformis* (Sic). Adde *gratiæ*, et lege : *Illo sancto superveniente septiformis gratiæ Spiritu.* Benedictio enim quam petunt ad effectus sacramentales spectat, scilicet ut dona Spiritus sancti rite Eucharistiam suscipientibus conferantur.

[b] *Quo ubique.* Scilicet ut Deus in hac oblatione *ubique* tam quoad effectus sacrificii, quam quoad effectus sacramenti manifestetur, condonando peccata, et conferendo gratiam, sive ut omnipotentia manifestetur per transsubstantiationem elementorum, et divina beneficentia per septiformis gratiæ donum.

[c] *In eo.* Lege *in ea*, scilicet *oblatione.*

[d] *Cap. VII.* Vers. 1-8.

[e] *Domus Juda.* Vulg. et LXX, *omnis Juda.*

[f] *Benedixeritis.* Vulg., *bene direxeritis.*

[g] *Psallendo.* Ps. LXXIX, 15. ℣. Ibid., 12.

[h] *Cap. II.* Vers. 10-ult., 1-7.

[i] *Cap. XV.* Vers. 11-32.

lam suam ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem de siliquis quas porci manducabant : et nemo 81 illi dabat. In se autem reversus dixit. Quanti mercenarii [a] patris mei abundant panibus : ego autem fame pereo? Surgam et ibo ad patrem meum et dicam illi. Pater peccavi in celum : et coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset : vidit illum pater ipsius : et misericordia motus est. Et adcurrens cecidit supra collum ejus : et osculatus est illum. Dixitque ei filius. Pater peccavi in celum : et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad servos ejus. Cito proferte stolam primam et induite illum : et date annulum in manu ejus et calciamenta in pedibus ejus : et occidite vitulum saginatum et manducemus et epulemur : quia hic filius meus mortuus fuerat : et revixit : perierat et inventus est. Et ceperunt epulari. Erat autem filius ejus senior in agro. Et cum veniret et appropinquaret domui audivit simphoniam et chorum : et vocavit unum de servis : et interrogavit quid hec essent. Et dixit illi. Frater tuus venit : et occidit pater tuus vitulum saginatum : quia salvum illum recepit. Indignatus est autem : et nolebat introire. Pater illius egressus cepit rogare illum. At ille respondens dixit patri suo. Ecce tot annis servio tibi : et nunquam mandatum tuum preterivi : et nunquam dedisti mihi edum : ut cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic qui devoravit substantiam suam cum meretricibus venit : occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi. Fili tu mecum semper es : et omnia mea tua sunt. Epulari autem et gaudere te oportebat : quia hic frater tuus mortuus fuerat et revixit : perierat et inventus est. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Lauda.* Alleluja. ℣. Dextera Domini fecit virtutem : dextera Dei exaltavit me. *P.* Alleluja.

[c] *Sacrificium.* Accepit librum Moyses coram altare Domini : et recitavit in aures populi dicens : hic est sanguis testamenti. In omnibus preceptis que constituit vobis Dominus alleluja. ℣. Convocavit Moyses omnem synagogam filiorum Israel : et dixit ad eos : hec sunt verba que precepit mihi Dominus : ut faciatis ea : et sumite vobis ipsis decimationem Domino : et omnis qui suscipit : ex toto corde offerat munera : et si quis in vobis sapiens est et rectus corde : veniens operetur. *P.* In omnibus.

Missa. Deum qui est eternitas angelorum : pax beatorum : et vita fidelium fratres charissimi attente rogemus. Ut quia ipso inspirante percepimus : ut hunc veraciter invocemus : ipso favente impetrare possimus : quod ab illo fideliter postulamus. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus une et [d] immense tam misericorditer lapsorum defectum reparas ; quam potenter eorum que non erant statum edificas. Da Ecclesie tue Catholice fidei plenitudinem : quam illi dedisti perfecte tenere : et his qui per lapsum operis in illa succumbunt : ex miseratione reparationem adesse. Quo et eternitatem per fidem acquirant : et glorie dignitatem per opus obtineant. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Eternum te Deum et indeficiens bonum acclives servi tui humiliter obsecramus. Ut qui et beatitudinem fidelibus : et remissionem delinquentibus [e] non nisi intra sanctam ecclesiam conferri posse sanxisti : des et viventibus in ea sine lapsu consistere : et defunctis per ejus supplicationem a debitis suppliciis liberari. Ut et viventium te lingua simul et vita glorificet : et defunctorum quies eterna exultatione concelebret. Amen.

Ad pacem. Oratio. Pax indiscissa et premium perpetue pacis eterne Deus : qui et pacem angelis eterno federe conlocasti : et ad hujus participium pervenire aditum etiam hominibus prebuisti : da nobis servis tuis et pacem temporis sequi : et pacem eternitatis habere. Ut dum in pacis voto transeunt tempora : in pacis regno conquiratur possessio sempiterna. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est magnarum virtutum terribilis Deus : et copiosarum 82 miserationum ineffabilis Domine te benedicere : te glorificare : et vocibus quibus possumus perenni devotione laudare. Qui Ecclesiam tuam sanctam Catholicam [f] tanto tibi redemptionis ejus mysteriorum celebritate junxisti : quanto et illam tibi conjungendam eternitatis consilio diffinisti. [g] Que quoniam nescit aliene perfidie contagio sauciari : merito tibi inherens : teque diligens atque sequens : in suis pressuris te invocat : teque rogat in hujus sacrificii singularis sacramento : per Sancti Spiritus acceptum pignus : veram fiduciam tenens : ut ab eis sinceritatis statu omnem contradictionem omnesque contradicentes avertas. Tollas questiones heresum : dissipes impugnationes

[a] *Patris mei.* Ita in Græco. Vulgata legit *in domo Patris mei.*

[b] *Lauda.* Ps. CXVII, 16.

[c] *Sacrificium.* Ex Exod. XXIV, 6, 7, 8. ℣. Ibid., XXXV, 13 seq., quibusdam mutatis, aliis omissis.

[d] *Inmense* (Sic). Lege *immense, qui tam misericorditer*, etc.

[e] *Non nisi.* Huc spectat quod (*Lib.* II *advers. Elipandum*) Etherius scribit : *Omnes intra* Ecclesiam *per eam salvari credo, extra illam, licet quanta bona quis videatur agere, etiamsi pro Christi nomine sanguinem fuderit, salvus esse non poterit, nisi ad Ecclesiam redierit catholicam, quæ sola recte credit, sola diligit proximum, sola patitur pro Christo, sola moritur pro eo.*

[f] *Tanto.* Lege *tanta.*

[g] *Quæ, quoniam nescit aliene perfidie contagio sauciari.* Rationem dat sanctus Augustinus : quia Ecclesia *pugnare potest, expugnari non potest*, quia manet inconcussa in radice sua, quia portæ inferi non prævalent adversus eam (*De Symbolo ad catechumen.*, *lib.* I, *in fine*) : *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans; pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa tamen manet in radice sua, in charitate sua, in vite sua; portæ inferorum non vincent eam.*

temptationum. Abjicias [a] erectiones insultantium : obstruas ora adversus veritatem ejus falsa loquentium : et comminuas prorsus omne quod in contradictionis : vel conturbationis ejus acie aut venenosum serpit : aut falsum insurgit : aut [b] heretum substat : aut exortum turbat : aut quodlibet recte fidei et sancte operationis dignitatem impugnat. Non lingua verbis elata : non manus gladiis plena : non temptatio crebra vel valida. Non potestas quelibet quocumque ictu nocendi pavenda insurgat : vel noceat : aut improbe convalescat. Sed elisis ac destructis adversantibus cunctis : tanto tibi in hac vita tranquilla serviat libertate : quanto tibi veritatis preconio eum universitate militie celestis : hunc laudis hymnum concinit : et proclamat : ita fideliter dicens. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus vere gloriosus : vere multe pietatis Dominus Unigenitus Jesus Christus filius Dei vivi. Qui cum Patre manens eternitatis tue prospectu [c] diffinieras unam tibi de gentibus congregandam ecclesiam copulare. Cujus copulationis mysterium in hoc [d] Sacramentum corporis et sanguinis tui vera exhibitione complesti : ad inherendum tibi emundans illam aqua baptismatis : exhilarans oleo unctionis : satians pane corporis : et letificans vino effusi cruoris. Ipse redemptor ejus : ipse pro ea factus precium emptionis. Non dans pro ea quamlibet preciosam rem : que tamen esset : que emenda erat : nec vetustatis putredine : et vilitatis sorde poterat quandoque fatiscere : sed vere te ipsum dans : et eternum atque immortalem ad mortem humilians [e] emisisti illam ita [f] erudiens eam a ditione mortis : ut conformares eam immortalitatis tue gloriam et beatitudinem sempiternam. Unde et hec talium benificiorum indesinenter memor existens : cum fide et gratulatione sincera tue institutionis et sue redemptionis verba commemorat Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Deferentes altaribus tuis Domine oblationum vota non merita : precamur multarum misericordiarum tuarum gloriam tuam ; et illa que se omnibus offert : si sit qui eam mereatur accipere pietatis tue omnipotentissimam bonitatem. Ut sit rationabile obsequium [g] vestrum : et fiat hec oblatio in remissionem peccatorum : per viscera misericordie charitatis divine : faciasque hanc hostiam vivam placentem tibi sanctam ac benedictam. Referatur in sacrificio justitie : ex quo in excelsis suavitatis odor ascendat : et holocaustum igne fidei ardens per membra populi dividendum : [h] quod

A omnium sanctorum nobis patrocinia acquirat : et per eorum fortissimas preces firmamenta auxilii celestis obtineat. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Sit jugis ad Deum fratres charissimi nostre humilitatis intentio : et pro quotidianis peccatis indefessa precatio. Ut corde creduli : et devotione strenui fideliter clamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Largitor gratiarum Dominus Jesus Christus benedictionis sue nobis remedia largiatur. ℟. Amen. Abstergat propitius mala omnia que gessitis : et tribuat veniam quam ab eo deposcitis. ℟. Amen. Ejusque concedente clementia : et indulgen-
B tiam criminum : et celestis glorie mereamini percipere regnum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus et vivit et omnia regit
83 in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* Gustate.

Post communio. Passionis Dominice calicem delibantes : et sacrosancti corporis suavitatem gustantes : gratias et laudem ei referamus : in domo ejus leti et hilares ambulantes. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

C
IN OCTAVO DOMINICO POST EPIPHANIE DOMINI.

Ad Missam officium et oratio ut in primo Dominico. fo. 64.

Lectio libri Hieremie prophete ([i] *Cap. XVII, XIV*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Benedictus vir qui confidit in Domino : et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas : quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit cum venerit estus. Et erit folium ejus viride : et in tempore siccitatis non erit sollicitum : nec aliquando desinet facere fructum. Maledictus homo qui confidit in homine : et ponet carnem brachium suum : ut a Domino recedat cor ejus. Erit enim quasi mirice in de-
D serto : et non videbit cum venerit bonum. Sed habitabit in deserto et in terra salsuginis et inhabitabili. Pravum est cor hominis et inscrutabile : quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor : et probans renes : qui do unicuique juxta viam suam : et juxta

[a] *Erectiones.* Apud sanctum Augustinum (*Serm. in vigil. Pentec.*) legitur : *De summa erectione ultima dejectio.*

[b] *Heretum.* Lege *erectum.*

[c] *Diffinieras.* Lege *definieras.*

[d] *Sacramentum.* Lege *sacramento.*

[e] *Emisisti.* Lege *emisti.*

[f] *Erudiens.* Lege *eripiens.* Fortasse totus hic locus legi poterit : *Non dans pro ea, quæ tamen redimenda erat, quamlibet rem pretiosam, quæ aut vetustatis putredine, aut vilitatis sorde, poterat quandoque fatiscere, sed te ipsum dans emisti illam, ita eripiens eam a ditione mortis, ut conformares immortalitatis tuæ gloriæ ac beatitudini sempiternæ.*

[g] *Vestrum.* Lege *nostrum.*

[h] *Quod.* Videtur illud *quod* abundare.

[i] *Cap. XVII.* Hæc prophetia consuta est laciniis capitum XVII et XIV Jeremiæ. Inchoatur ab extremitate versiculi 7 capitis XVII : *Benedictus vir;* mox adjungitur versiculus 5 ejusdem capitis : *Pravum cor hominis;* tum, ex capite XIV, pars media versiculi 18 : *Prophetia quoque,* et pars ultima versiculi 9 : *Tu autem*

fructum adinventionum suarum. Perdix fovit que non peperit : fecit divitias et non in judicio. In dimidio dierum suorum derelinquet eas : et in novissimo suo erit insipiens. Solium glorie altitudinis a principio locus sanctificationis nostre. Expectatio Israel. Domine omnes qui te derelinquunt : confundentur. Recedentes a te in terra scribentur : quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Propheta quoque et Sacerdos abierunt in terram : quam ignorabant. Numquid projiciens abjecisti Judam : aut Syon abhominata est anima tua? Quare ergo percussisti nos : ita ut nulla sit sanitas. Expectavimus pacem et non est bonum : et tempus curationis : et ecce turbatio. Cognoscimus Domine iniquitates nostras : impietatem patrum nostrorum qua peccavimus tibi. Ne nos des in opprobrium propter nomen tuum : neque facias nobis contumeliam. Solium glorie tue recordare : ne irritum facias fedus tuum nobiscum. Tu autem in nobis es Domine et nomen tuum invocatum est super nos : ne derelinquas. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Psallendo.* Deus judex justus fortis et patiens : non iram inferens per singulos dies. ℣. Confitebor Domino secundum justitiam ejus psallam nomini Domini altissimi. *P.* Per sin.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia epistole Pauli apostoli ad Corinthios ([b] *Cap. XII, XIII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Vos estis corpus Christi et membra de membro : et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia. Primum Apostolos. Secundo Prophetas. Tertio Doctores. Deinde Virtutes. Exinde gratias curationum. Opitulationes. Gubernationes. [c] Genera linguarum. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophete? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquentur? Numquid omnes interpretantur? Emulamini autem charismata meliora : et adhuc excellentiorem viam vobis [d] demonstrabo. Si linguis hominum loquar et angelorum charitatem autem non habeam : factus sum velut es sonans : aut cimbalum tinniens. Et si habuero prophetiam : et noverim mysteria omnia et omnem scientiam : et habuero omnem fidem ita ut montes transferam : charitatem autem non habuero nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas : et si tradidero corpus meum ita ut ardeam : charitatem autem non habeam : nihil mihi prodest. Charitas patiens est : benigna est. Charitas non emulatur : non agit perperam. Non inflatur : non est ambiciosa : non querit que sua sunt : non A irritatur ; non cogitat malum. Non gaudet super iniquitate : congaudet autem veritati : omnia suffert : omnia credit : omnia sperat : omnia sustinet. Charitas nunquam **84** excidit : que est in Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Lucam ([e] *Cap. XVI*).

Illo in tempore Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Homo quidam erat dives qui habebat villicum : et hic diffamatus est apud illum : quia dissipasset bona ipsius. Et vocavit illum : et ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationem [f] villicationis : jam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se : quid faciam : quia Dominus meus auferet a me villicationem. Fodere non valeo : mendicare erubesco. Scio quid faciam : B ut cum amotus fuero a villicatione : recipiant me in domos suas. Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui : dicebat primo. Quantum debes Domino meo? At ille dixit. Centum cados olei. Dixitque illi. Accipe [g] cautionem tuam : et scribe quinquaginta. Deinde alii dixit. Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici. Ait illi. Accipe litteras tuas : et scribe octoginta. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis : quia prudenter fecisset : quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Ego dico vobis facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut cum defeceritis : recipiant vos in eterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo : et in majori fidelis est. Et qui in modico iniquus est : C et in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis : quod vestrum est : quis credet vobis? Etsi in alieno fideles non fuistis : et quod vestrum est : quis dabit vobis? [h] Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habet : et alterum diliget : aut unum adherebit et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammone. Audiebant autem omnia hec Pharisei : qui erant avari et deridebant illum. Et ait illis. Vos estis qui justificatis vos coram hominibus. Deus autem novit corda vestra : quia quod hominibus altum est : abhominatio est ante Deum. Qui habet aurem audiendi audiat. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

D [i] *Lauda.* Alleluja. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : conlauda Deum tuum Syon. *P.* Alleluja.

[j] *Sacrificium.* Sacerdotes Domini et levite : et omnis Israel qui convenerant ad Dominum : ambulabant ante arcam : et immolabant victimas Domino alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Venerunt omnes seniores ex Israel : et tulerunt arcam Domini et portaverunt in tabernaculum testimonii : et omnia vasa sanctuarii que erant in tabernaculum. *P.* Et immolabant vi.

[a] *Psallendo.* Ps. VII, 12. ℣. Ibid., 18.
[b] *Cap. XII.* Vers. 27-XIII, 1-8.
[c] *Genera linguarum.* Vulgata, Theodoretus, et Ambrosiaster addunt *interpretationes sermonum.* Textus Græcus cum nostro Missali convenit.
[d] *Demonstrabo.* Vulg. et Gr. *demonstro.*
[e] *Cap. XVI.* Vers. 1-15.
[f] *Villicationis.* Vulg. et Græc. addunt *tuæ.*
[g] *Cautionem tuam.* Vulg. *Et vade cito scribe.*
[h] *Nemo.* Vulg. et Gr. addunt *servus.*
[i] *Lauda.* Ps. CXLVII, 1.
[j] *Sacrificium.* Ex lib. III Reg. VIII, 1-5. ℣. Ibid. 5.

Missa. Custodientes ordinem rei fratres charissimi prius ad Deum pro peccatis nostris preces fundamus. Quid compunctio cogitationum habeat: quid vanitas secularis extorqueat confitentes. Quo [a] saltim hic diaboli vincatur astucia: ubi omnipotentis est Dei exoranda clementia. ℟. Amen.

Alia oratio. Deus qui vastatoris antiqui perfidiam virtute filii tui: et Spiritus Sancti dona distribuendo vicisti: et dedisti nobis de captivitate victoriam: concede quesumus: ut qui nos impetere moliuntur: tue potentie dextera refrenentur. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Offerentium Deus pater quesumus vota suscipito: quo viventium oblatione susccepta: defunctis fidelibus requies impetretur eterna. — ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Effice nos Domine filios pacis: quos fecisti filios tue adoptionis. Ut pacifici viventes in terra: ad promissa pervenire mereamur celestia. — ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est: equum et salutare est: nos tibi semper laudes et gratias agere Domine sancte pater eterne omnipotens Deus. Una divinitas. Trina majestas. Natura inseparabilis: [b] persona individua. Deus unus: [c] et non solus: unitas triplex: trinitas simplex: sapientia multiplex. [d] Inconfusa conjunctio: et indivisa distinctio. Quem unum substantialiter confitemur: et trinum personaliter nunciamus: Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Qui in uno trinus appares: et in trino unus agnosceris. Quem conlaudant Angeli et Archangeli una voce ita dicentes. — ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Osanna in excelsis benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus **85** et inluxit nobis: Deus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Sanctifica Domine ministerium: exilara ministrantem: inlustra templum: orna altarium: ordina populum: cura morbum: dona remedium: proba votum. Ut omnes de diabolica astucia liberati: non insidiantem timeant sed curantem. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

[e] Preceptorum suorum: quesumus quod Christus suis commendavit discipulis: nos quoque fratres cum gemitu cordis proclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Deus conditor vester innovet in vobis dignitatis originem quam creavit. ℟. Amen. Idem A redemptor conservet operationem gratie: quam redemit. ℟. Amen. Ipse omnium judex pro nullo vos reatus examinatione futura condemnet. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Gustate et videte.

Post communio. Oratio. Require retro in septimo Dominico. fol. 81.

[f] IN DOMINICO ANTE DIEM CINERIS.

Ad Missam. Officium.

Dominus regnavit decorem induit alleluja: alleluja ℣. Induit Dominus fortitudinem et precinxit se. *P.* Alleluja: alleluja. ℣. Gloria et honor Patri B et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Alleluja.

Dicat Presb. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

Oratio. Te excelsa laus in altissimis decet: tibi e terris gloriam ecclesia canit: atque hujus caterve concentu ad astra hymnum emittit. Rogamus omnipotens Deus: ut sicut tuas solemniter porrigimus laudes: ita precum nostrarum jubeas efficaciter suscipere voces. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaye prophete ([g] *Cap. LV*).

C ℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Audite audientes me: et comedite bonum: et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram: et venite ad me: audite me et vivet anima vestra. Et feriam vobiscum pactum sempiternum: misericordias David fidelis. Ecce testem populis dedi eum: ducem ac preceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas: vocabis: et gentes que te non cognoverunt: ad te current propter Dominum Deum, tuum et sanctum Israel qui glorificavit te. Querite Dominum dum inveniri potest: invocate eum: dum prope est. Derelinquat impius vias suas: et vir iniquus cogitationes suas: et revertatur ad Dominum: et miserebitur ejus et ad Deum nostrum: quoniam multus est ad D ignoscendum. Non enim cogitationes mee: cogitationes vestre: neque vie vestre: vie mee: dicit Dominus. Quia sicut exaltantur celi a terra: sic

[a] *Saltim.* Lege *saltem;* frequenter *e* pro *i*, et vicissim *i* pro *e* exarata occurrunt.

[b] *Persona individua.* Forte *personæ individuæ*, id est, *inseparabiles*. Concilium Toletanum VI, de vera fide Catholica, n. 2: Credimus *Trinitatem discretam inseparabiliter personis;* et concilium Toletanum XI, in præf., docet tres personas dici *ut cognoscantur, non ut dividantur* et infra additur: *inseparabiles enim inveniuntur et in eo quod sunt, et in eo quod faciunt*, aut forte *personalitate individua*.

[c] *Et non solus.* Forte, *non solitarius*. Concilium Toletanum VI, *de Plen. Cath. fid.*, n. 2: Credimus *Trinitatem Patrem, et Filium* et *Spiritum sanctum*, unum Deum solum, non solitarium.

[d] *Inconfusa.* Confer concilium Toletanum XI, in præfat.

[e] *Præceptorum.* Lege: *Præceptorum Sacrorum, quæ quondam Christus suis commendavit discipulis*, memores, *nos quoque fratres.... proclamemus e terris*.

[f] *In Dominico.* Hæc Dominica, quæ ritu Romano *Dominica quinquagesimæ* in Missali Mozarabum *Dominica ante diem Cineris*, et etiam Dominica *ante carnes tollendas* appellatur: porro Dominica *in carnes tollendas* Mozarabum distinguenda est *a Dominica in carnes tollendas* Gotho-Hispana, quæ, ut habet Orationale Gothicum (*Pag.* 63), est Dominica 1 Quadragesimæ. Est etiam distinguenda *a Dominica carnis privii* Græcorum, quæ cadit in Dominicam Sexagesimæ.

[g] *Cap. LV.* Vers. 2-13.

exaltate sunt vie mee a viis vestris : et cogitationes A mee a cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber et nix de celo : et illuc ultra non revertetur : sed inebriat terram et infundit eam : et germinare eam facit : et dat semen serenti : et panem comedenti : sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum : sed faciet : quodcumque volui : et prosperabitur in his ad que misi illud. Quia in leticia egrediemini : et in pace deducemini. Montes et colles cantabunt [a] coram Deo laudem : et omnia ligna regionis plaudent manu. Pro saliunca ascendet abies : et pro urtica crescet myrthus. Et erit Dominus nominatus in signum eternum : quod non auferetur. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper. ℟. Et cum. [b] *Psallendo.* Deus virtutum convertere nunc. *P.* Respice de celo et B vide et visita vineam istam. ℣. Extendisti palmites ejus usque ad mare et usque ad flumen propagines ejus. Quare Domine destruxisti maceriam vinee tue : et vindemiant eam omnes transeuntes : devastabit eam aper de silva : et singularis ferus depastus est eam. *P.* Respice. *Dicat Presb.* Silentium facite.

Sequentia epistole Pauli apostoli ad Romanos
([c] *Cap. I, II*).

℟. Deo gratias.

Fratres. [d] Revelabitur ira Dei de celo super omnem impietatem et injustitiam **86** hominum eorum [e] qui veritatem in injusticia detinent. Quia quod notum est Dei : manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea que facta sunt intellecta, conspiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus ac divinitas : ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovisset Deum : non sicut Deum : glorificaverunt : aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis : et obscuratum est insipiens cor eorum dicentes enim se esse sapientes : stulti facti sunt ; et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis : et volucrum : et quadrupedum : et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immundiciam : ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium : et coluerunt et servierunt creature potius quam creatori : qui est Deus benedictus in secula. Amen. Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominie. Nam femine eorum immutaverunt naturalem usum : in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi relicto naturali usu feminarum : exarserunt in desideriis suis in invicem masculi in masculos turpitudinem operantes. Et mercedem quam oportuit erroris sui, in semetipsos recipientes. Et sicut non probaverant Deum habere noticiam : tradidit illos Deus in reprobum sensum : ut faciant que non conveniunt. Repletos omni iniquitate. Malicia. Fornicatione. Avaricia. Nequicia. Plenos invidia. Homicidiis. [f] Contemptione. Dolo. Malignitate. Susurrones. Detractores. Deo odibiles. Contumeliosos. Superbos. Elatos. Sibi placentes. Inventores malorum. Parentibus non obedientes. Insipientes. [g] Incompositores. Sine affectione : absque federe. Sine misericordia. Qui cum justitiam Dei cognovissent : non intellexerunt. Quoniam qui talia agunt : digni sunt morte : non solum qui ea faciunt. Sed et qui consentiunt facientibus. Propter quod inexcusabilis o homo es omnis qui judicas : in quo enim judicas alterum : te ipsum condemnas. Eadem enim agis : que judicas. Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimans autem hoc o homo qui judicas eos qui talia agunt : et facis ea quia tu effugies judicium Dei. An divitias bonitatis ejus : et patientie et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundum duritiam autem et impenitens cor thesaurizas tibi iram in die ire : et revelationis justi judicii Dei : qui reddet unicuique secundum opera ejus. [h] His quidem qui secundum patientiam : boni operis gloriam et honorem et incorruptionem querentibus vitam eternam. His autem qui ex contemptione sunt et qui non acquiescunt veritati : credunt autem iniquitati : ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam C hominis operantis malum : Judei primum et Greci. Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum Judeo primum et Greco. Non est enim personarum acceptio apud Deum. Quicumque enim sine lege peccaverunt : sine lege peribunt. Et quicumque in legem peccaverunt : per legem judicabuntur. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum ; sed factores legis justificabuntur. Cum enim gentes que legem non habent : naturaliter ea que legis sunt faciunt : hujusmodi legem non habentes : ipsi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Testimonium reddentes illis conscientia ipsorum : et inter se invicem [i] cogitationum accusantium : aut etiam defendentium in die qua judicabit Deus occulta hominum : secundum evangelium meum D per Jesum Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Lucam ([j] *Cap. XVI*).

Illo in tempore; Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Homo quidam erat dives : et induebatur purpura et bysso : et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus : qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus : et cupiens saturari de micis que cade-

[a] *Coram Deo.* Vulg. *Coram vobis.* LXX, *montes et colles exsilient exspectantes vos in gaudio.*

[b] *Psallendo.* Ps. LXXIX. 15. ℣ Ibid. 12.

[c] *Cap. I.* Vers. 18-II, 1-16.

[d] *Revelabitur.* Vulg. *revelatur.*

[e] *Qui veritatem.* Ita in Græco, Vulgata, Ambrosiaster, *qui veritatem Dei.*

[f] *Contemptione.* Lege *contentione.*

[g] *Incompositores.* Vulg. *incompositos.*

[h] *His quidem qui.* Ita Ambrosiaster, et Primasius. Vulgata : *Iis quidem qui quærunt.*

[i] *Cogitationum accusantium.* Verbatim e Græco. Vulgata, *cogitationibus accusantibus.*

[j] *Cap. XVI.* Vers. 19-31.

bant de mensa [a] divitis. Sed et canes veniebant et A lingebant ulcera ejus. Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahe. Mortuus est et dives : et sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos : **87** cum esset in tormentis : vidit Abraam a longe et Lazarum in sinu ejus : et ipse clamans dixit. Pater Abraam miserere mei ; et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aqua : ut refrigeret linguam meam : quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraam ; Fili recordare quia recepisti bona in vita tua : et Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur : tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est. Ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint : neque inde huc transmeare. Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei. Habeo B enim quinque fratres : ut testetur illis ne et ipsi veniant in locum tormentorum. Et ait illi Abraam. Habent Moysen et prophetas : audiant illos. At ille dixit. Non pater Abraam : sed si quis ex mortuis ierit ad eos penitentiam agent. Ait autem illi. Si Moysen et prophetas non audiunt : neque siquis ex mortuis resurrexerit credent. Qui habet aurem audiendi audiat.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[b] *Lauda.* Alleluja. ℣. Respice Domine de celo : et vide visita vineam istam. *P.* Alleluja.

[c] *Sacrificium.* Accepit librum Moyses. *Require retro in Dominico septimo post Epiphaniam Domini. folio* 81.

Missa. Ecce jam in proximo sunt dies illi salutis : in quibus revoluto anni circulo : per salutaris abstinentie opus : remedia cupimus suscipere pravorum actuum nostrorum. Etenim sicut ait Apostolus : hoc est acceptabile tempus : et hi sunt dies salutis. In quibus spiritualis medela exquirenti adveniat anime : et mala dulcia : scrabra peccaminum evellantur a mente. Ut qui consuetudine noxia semper cogimur deorsum fluere : tandem divina nos erigente clementia conemur sursum surgere. Ut horum dierum votiva exhibentes susceptione : et malorum nostrorum levemur a crimine : et beatitudinis electorum mereamur compotes esse. ℟. Amen.

Alia oratio. Quantum nos divina clementia fratres D charissimi expectat ad penitentiam : in hoc debemus cognoscere : in quo dum nos prospicit prava sine termino agere scelerum nostrorum : in hujus vite spacio terminationem dignetur concedere. Cum in ipsa etiam anni spacia statuta decrevit tempora : in qua nos ad bonorum operum acta invitat. Ut caro [d] que se ad sue combustionis incendia [e] crapulationi dedita : immoderata grassatur ruina : et indiscreto [f] temulentia vicio non solum inceditur culpa : sed etiam fuscata memoria creatoris sui obliviscitur benevolentiam : a quo statim non recipit secundum culpam : verum dum in utroque vicio refrenata consistit : quid aliud agit nisi quod ab imis ad sursum ascendit. Qui dudum corporali gravedine onerata : tetro herebi profundo devenerat mancipanda. Sed dum abstinentie miseratio conjungitur elemosyne : tanquam pinnato more sive mens ipsa : sive oratio elevatur in ethera. Et cum tanta superna beneficia nostra nobis non ambiant desideria : saltim adornante nos gratia divina alacres debemus occurrere ad hec celestia medicamenta. Ut concesso nobis penitendi spacio : sic defleamus commissa : ne iterum admittamus deflenda : sed hoc seminemus in lachrimis : quod metamus in gaudiis. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Recensita Domine tuorum fidelium nomina : quesumus ut liber vite eterne contineat. Ut qui misericorditer cuncta regis ac moderas : et vivis prestes feliciter vivere : et defunctis eruas a tenebrosa infernali caligine. ℟. Amen

Ad pacem. Oratio. Christe Dei filius qui per supplicium suscepte crucis pacificasti omnia que sunt in celis et in terris : quesumus ut nos pace illa locupletes : in qua electos tuos consistere facis. Ut pacato mentis receptaculo sic tibi in cordibus nostris dignum preparemus hospitium. Ut semper ad nos **88** venias : et apud nos cum Patre mansionem facias. Et ita nos tibi peculiares efficias : ut semper C Spiritus Sancti gratiam [g] in nos habitare concedas.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est equum et salutare est : nos tibi gratias agere Domine Deus noster. A quo indigni digne protegimur : et protectionis munera cecato cordis oculo non pensamus : dum sepe proni in culpa labimur : et nihil justum agimus : ex quo surgamus. Cum ergo nos tua larga clementia et per digna Patriarcharum invitat exempla : et per prophetarum salubria docet oracula : et per rutilantia incarnationis Domini nostri Jesu Christi inlustrat miracula : adhuc etiam et Apostolorum ejus melliflua predicamenta [h] nostra inserit corda. Ut eternam amantes vitam : desideria abjiciamus vana : et ea sequamur quam inluminati sine fine manere scimus perpetua. Sic Enoch perniciosam pra- D vorum execrans vitam : delectabilia paradisi obtinet arva. Sic Noe justiciam servans in opere : rector arce factus est in diluvii tempestate. Sic Habraam divino precepto obediens : dum domum reliquit et patriam : amicus Dei effectus beatitudinem obtinet infinitam. Sic Isaac castimonie dono prefulgens in semine suo [i] hereditat omnes gentes. Sic Jacob hu-

[a] *Divitis.* Vulgata addit : *Et nemo illi dabat.*
[b] *Lauda.* Ps. LXXIX, 15.
[c] *Sacrificium.* Ex Exod. XXIII, 6, 7, 8. ℣. Ibid., XXXV, 1, 5, 10.
[d] *Que se* (Sic). Lege *quasi.*
[e] *Crapulationi.* Id est, *crapulæ.*
[f] *Temulentia.* Lege *Temulentiæ.*
[g] *In nos.* Lege *in nobis.*
[h] *Nostra.* Lege *nostris inserit cordibus.*
[i] *Hæreditat omnes gentes.* Apud scriptores ecclesiasticos *hæredito* accusandi casui junctum non raro legitur.

militatis et sufferentie gratia fretus : promissum dilatavit paternum. Sic Joseph prava suadenti objecta repellens : dum nepharium recusaret stuprum : [a] principari meruit in Ægypto. Sic Moyses negando se esse filium Pharaonis : dum temporales respuit delectationes : magis eligens cum populo Dei habere afflictionem : extitit in miraculorum patratione. Dum et Egyptum decem quassit plagis : et virga equora divisit rubri maris. Producit limpha ex saxis . et quadraginta dierum vel noctium spacia continuando jejunii legem promulgat in populis. Sic Josue dum hostes conterit populi Dei : Solis cursum re inet in climate celi. Sic David dum misericors extat in gloria regni : regnare cum Christo in sempiternum promeruit. Sic Helias et ipse quadraginta dierum vel noctium spacia jejunans : igneo curru evectus alacriter paradisum defertur. Sic Daniel Propheta dum abstinentie inservit legibus: profunda et secreta mysteria enarrat legibus. Sic etiam Salvator noster ac Dominus noster Jesus Christus : ut temptator's destrueret figmenta : quadraginta dierum vel noctium jejunavit spacia. Sic tristiciam animi obtinuit passionis tempore. Sic etiam sacrum corpus sue divinitatis conexum flagellis : sputis : clavis : lanceis : jaculis prebuit vulnerandum. Et hic in illo accessu adversitatis : nostras diluit veternosas maculas pravitatis. Jam vero post hec : quid Apostolorum numerus doctrinis premisit virtutum : sedule sancta ecclesia prodet in publicum. Sed quis nos ob hanc gratiam tibi clementissime Domine valeamus respondere : nisi ut cum toto cordis affectu majestatis tue imploremus respectum. Ut non nos abjicias velut immundos: qui nos agnoscimus nimis squaloribus esse pollutos : sed exhibe nos ut tuos ministros : qui sepe de immundis jubes efficere mundos. Ut alacres occurramus ad hos dies : quos pro nostra purificatione tu ipse instituisti colendos : et sic in eis jussa tuorum impleamus preceptorum : ut semper te conlaudemus admixti in choro Sanctorum proclamantes atque ita dicentes.

℟. *Chorus.* Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post sanctus. Vere sanctus vere benedictus es Domine Deus noster. Qui nos per penitentiam invitas ad veniam : ut purificatis concedas vitam eternam. Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Christe Domine cujus passionis mortis et resurrectionis ideo facimus commemorationem : quia per id nos agnoscimus recepisse redemptionem : qui in prothoplausti parentis improba consensione eramus condemnati [b] in damnatione. Purifica nos ea miseratione : qua 89 dudum redemisti per sanguinis effusionem. Ut gratiam corporis et sanguinis tui suscepturi : careamus noxia : piaculi consueti suscipientes medelam salutis : quod est mysterium nostre redemptionis : in visceribus nostris. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Prope sunt ecce fratres charissimi dies illi salutis : in quibus nos convenit cum litatione jejunii : elemosynam et pietatem conferre indigenti. Ut caro adteratur jejuniis : et misericordie opera exhibeantur afflictis. Ut dum in his operibus occupati manemus : liberis semper vocibus ad Deum exclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Divina nos gratia benedictione superna locupletet : qui vos prospicit proximos abstinentie dies amabiliter prestolare. ℟. Amen. Ipse in cordibus vestris sibi beneplacitum preparet habitaculum : qui dies ipsos consecravit abstinentia ciborum. ℟. Amen. Ut tollentes crucem vestram sequamini eum : qui sponte pro vobis suscepit mortis supplicium. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus : et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Hic dicat chorus.* Gustate.

Post communio. Oratio. Refecti Christi corpore et sanguine pariter : quia sanctificati Deo Patri omnipotenti gratias referamus : ut nos in eadem refectione et sanctificationem habentes : hic et in futuro seculo gloriam percipiamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace ℟. Deo gratias.

[c] FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

Antiphona. [d] Exaudi nos Deus quoniam benigna est misericordia tua : secundum multitudinem miseratio-

[a] *Principari.* Lege *principare.* Lactantius *principans* dixit, Sidonius Appollinaris carm. 9, vers. 48, *Regnis principantem;* vox eadem in sancto Augustino, in concilio Toletano IX, et in aliis occurrit.

[b] *In damnatione.* Lege *in damnationem.* Non raro in hoc Missali casus accusativus pro ablativo, et vicissim ablativus pro casu accusativo. Præpositioni *in* junctus legitur.

[c] *Feria.* In Missali Mozarabum, et in Missali Toletano idem titulus legitur, at de feria quarta Cinerum, aut de feria quarta in capite jejunii silent Oratiouale Gothicum, sanctus Isodorus et concilia Gotho-Hispana. silent pariter libri liturgici Gallicani, lectionarium Luxoviense, Sacramentarium Bobianum, et Missale Gallo-Gothicum ; etiam Gotho-Hispani, uti et Galli, non plures quam quadraginta duos dies in quadragesima numerabant, et in his non nisi dies sex et triginta esuriales (*S. Isid. Off. lib.* I, *cap.* 36; *concil. Tolet.* VIII, *can.* 9). Quare Quadragesimam a die Dominica, quæ prima Quadragesimæ dicitur, incipiebant, et Jejunium a feria 2 proxime subsequente. Mozarabes igitur, cum in liturgia Gotho-Hispana nihil de feria quarta Cinerum invenirent, officium benedicendi cineres, eosque capitibus fidelium imponendi a Missali Toletano desumpserunt, prophetiam et Apostolum a feria 4 post Dominicam Quadragesimæ, Evangelium et orationes a Dominica Quadragesimæ mutuati sunt, idque tanta oscitantia præstiterunt, ut pleraque intacta remanserint, quæ nec diei solemnis jejunii, neque feriæ quartæ cinerum conveniunt ; et pulcherrimum ordinem Missarum quadragesimalium everterunt, quem in præfatione restituere conatus sum.

[d] *Exaudi.* Ps. LXVIII, 17. ℣. *Salvum.* Ps. VI, 2.

num tuarum : respice in nos Domine. ℣. Salvum me fac Deus : quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam, ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. ℟. Amen. *P.* Exaudi nos Deus. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster ℟. Et ne nos inducas. *P.* [a] Deus misereatur nostri. *Totum cum* Gloria et honor Patri. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Peccavimus cum patribus nostris. ℟. Injuste egimus : iniquitatem fecimus. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Oremus. [b] Concede nobis quesumus Domine presidia militie christiane sanctis inchoare jejuniis : ut contra spirituales nequicias pugnaturi : continentie muniamur auxilio. Per Christum. *Et postea Sacerdos benedicat cineres.* ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℣. Qui fecit celum et terram. ℣. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Oratio. [c] Deus qui non mortem sed penitentiam desideras peccatorum : fragilitatem conditionis humane benignissime respice : et hos cineres quos causa proferende humilitatis : atque promerende venie : capitibus nostris imponi decrevimus : bene ✠ dicere pro tua pietate digneris : ut qui nos cinerem esse : et ob pravitatis nostre meritum in pulvere reversuros cognoscimus : peccatorum omnium veniam : et premia penitentibus repromissa misericorditer consequi mereamur. Per Christum.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus qui misereris omnium : et nihil odisti eorum que fecisti : dissimulans peccata hominum propter penitentiam : qui etiam misericorditer subvenis clamantibus ad aures clementie tue : bene ✠ dicere : et sanctificare digneris hos cineres : quos super capita nostra : causa sancte religionis : et humilitatis pro peccatis nostris more Ninnivitarum ferre constituisti : da per invocationem sancti tui nominis : ut omnes qui eos ad pre- A candam misericordiam tuam super capita sua tulerint : mereantur a te Domine Jesu Christe omnium delictorum suorum veniam percipere : et hodie sic sancta inchoare jejunia : ut ad diem resurrectionis purificatis mentibus digne mereantur accedere : et in futuro perpetuam **90** et immarcescibilem accipere gloriam. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Benedictio. Benedictio ✠ Dei Patris omnipotentis : et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti descendat : et maneat super hos cineres. ℟. Amen.

Hic aspergat aquam benedictam super cineres. Benedictis cineribus incipiat cantor Antiph. [d] Immutemur habitu : in cinere et cilicio jejunemus : et ploremus ante Dominum : quia multum misericors est : dimitte peccata nostra Deus noster.

B *Dicatur tribus vicibus : deinde dicatur alia Antiph.* Inter vestibulum et altare plorabant Sacerdotes et Levite. Ministri Domini dicentes : parce Domine : parce populo tuo . et ne dissipe ora canentium ad te Domine. ℣. Gloria et honor Patri. ℟. Emendemus in melius quia ignoranter peccavimus : ne subito preoccupati die mortis : queramus spacium penitentie : et invenire non possimus. Attende Domine et miserere nostri : quia peccavimus tibi. ℣. Adjuva nos Deus salutaris noster : et propter honorem nominis tui Domine libera nos. *P.* Attende. ℣. Gloria et honor Patri. *P.* Attende.

Interim dum cantaverint Clerici has Antiphonas accipiant Clerici et laici cineres de manu Archiepiscopi vel Sacerdotis et dicat Sacerdos dum posuerit Antiph. [e]

C Memento homo : quia cinis es : et in cinerem reverteris : age penitentiam : et prima opera fac. [f] *Hoc facto eant omnes ad processionem : finita processione fiat sermo quo finito incipiant ad Missam* [g] *Officium.* Misereris omnium Domine Deus : et nihil odisti eorum que fecisti : dissimulans peccata hominum propter penitentiam : et parcens illis quia tu es Dominus Deus noster. ℣. Miserere mei Deus : Miserere mei : quoniam in te confidit anima mea. *P.* Et par-

[a] *Deus misereatur.* Ps. LXVI.

[b] *Concede.* Hæc oratio, quæ in omnibus Sacramentariis Gregorianis hac die legitur, in Gregoriano Pamelii inscribitur *collecta ad sanctam Anastasiam.*

[c] *Deus qui non mortem.* Hæc oratio legitur in vetusto Pontificali Arelatensi, apud Martene (*De antiqu. Eccl. Discip.*, *lib.* IV, *cap.* 17).

[d] *Immutemur.* Juxta priscam Ecclesiæ disciplinam, qui publicam suscipiebant pœnitentiam, habitum mutabant, illis cilicium solemniter imponebatur, et aspergebantur cinere. Hinc, cum de pœnitentia loquuntur Patres, adeo frequenter *saccum, cinerem et cilicium* commemorant. Tertullianus (*de Pudic. cap.* 5) pœnitentes *in sacco et cinere* describit. Sanctus Cyprianus (*De laps.*) pœnitentes *in cilicio et sordibus volutantes*, eosdemque *cineri et solo stratos*, et sanctus Ambrosius (*Ad Virg. laps.*, *c.* 8) vult ut corpus pœnitentis sit *incuria maceratum, cinere aspersum, et opertum cilicio;* quam vetustam disciplinam hæc antiphona in memoriam revocat; olim enim solis publice pœnitentibus cinis solemniter imponebatur, deinde alii, pietatis causa, ad accipiendos cineres accedebant, qui illis seorsim a publicis pœnitentibus dabantur ; demum Urbanus papa II, in concilio Beneventano, anno 1001 (*Can.* 4) statuit *ut omnes tam viri quam mulieres, tum clerici quam laici cinerem super capita sua acciperent;* exinde mos accipiendi ab omnibus indiscriminatim cineres ubique susceptus est. Cæterum hæc antiphona, *Inter vestibulum et altare,* et hæc alia, *immutemur habitu,* in Antiphonario Gregoriano Thomasii scribuntur *Antiphonæ per viam* processionis, quæ, Romæ, a sancta Anastasia, ubi erat collecta, ad sanctam Sabinam D ducebatur, ubi missam pontifex celebrabat. Consule ordines Romanos, in quibus etiam invenies quod pontifex, feria 4 cinerum hanc processionem, cum clero, et populo, nudis pedibus faciebat.

[e] *Memento.* Eadem formula integra in Missali Toletano legitur ; ultima pars habet admonitionem ad pœnitentes ex Apocalypsi (*Cap.* II, 5).

[f] *Hoc facto.* Eadem est rubrica in Missali Toletano : processio instituta fuerat ad publicos pœnitentes ad fores ecclesiæ deducendos, vel ut populus, ab ecclesia in qua collecta celebrata fuerat, ad aliam ecclesiam, in qua missa celebranda et concio habenda erat, duceretur. Concio, sive sermo habebatur ad populum de jejunio quadragesimali rite servando, et de aliis pietatis officiis, hoc tempore obeundis, commonendum. In Breviario Mozarabum exstat sermo *de carnes tollendas*, et de eleemosyna.

[g] *Officium.* Sapientiæ XI, 24, 25. ℣. Ps. LVI, 1. Ritu Gotho-Hispano missæ quæ diebus jejunii celebrantur a Scripturarum lectione incipiunt.

cens illis. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Et parcens illis. *Dicat Presb.* Per omnia semper secula seculorum.

℟. *Chorus.* Amen.

Oratio. Converte nos Deus salutaris noster : et averte iram tuam a nobis : ac super populum tuum pacem presta quam loqueris : ut plebs tua letetur in te : ac salutare tuum custodiat : salutem intelligens vel misericordiam tuam temporum prosperitate cognoscat : vel benignitatem tuam fructum fecunditatis suscipiat. ℟. Amen.

Dicat Presb. Per misericordiam tuam Deus noster. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Sapientie Salomonis [a] *Proverb. I.*

℟. Deo gratias.

Fili. Convertimini ad correptionem meam [b] et proferam vobis spiritum meum : [c] et ostendam verba mea. Quia vocavi : et renuistis. Extendi manum meam : et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum : et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo : cum vobis quod timebatis advenerit. Cum inruerit repentina calamitas : et interitus quasi tempestas ingruerit : quando venerit super vos tribulatio et angustia : tunc invocabunt me et non exaudiam. Mane consurgent : et non invenient me. Eo quod exosam habuerint disciplinam : et timorem Domini susceperint : nec adquieverint consilio meo : et detraxerint universe correctioni mee. Comedent igitur fructus vie sue : suisque consiliis saturabuntur. Aversio parvulorum interficiet eos : et prosperitas stultorum perdet illos. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Ecce veniet dies Domini magni elemosyne et jejunii : estote parati benefacere oppressis : viduis et orphanis. *P.* Ut recipiatis mercedem in novissimis temporibus dicit Dominus. ℣. Quiescite agere perverse : discite benefacere : querite judicium : subvenite oppresso. *P.* Ut re. *Dicat Presb.* Silentium facite.

Sequentia epistole Jacobi Apostoli ad duodecim tribus (Cap. I).

℟. Deo gratias.

Charissimi. Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit : parit peccatum. Peccatum vero cum consummatum fuerit : generat mortem. Nolite itaque errare fratres mei delectissimi : omne datum optimum : et omne donum perfectum desursum est : descendens a patre luminum apud quem n n est 91 transmutatio : nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie genuit vos verbo veritatis : ut simus initium aliquod creature ejus. Scitis fratres mei dilectissimi : sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum : et tardus ad iram. Ira enim viri justiciam Dei non operatur. Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malicie : in mansuetudine suscipite insitum verbum : quod potest salvare animas vestras.

℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Mattheum ([e] *Ca. IIII*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus ductus est in desertum a spiritu : ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus : et quadraginta noctibus : postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es : dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit ei. Scriptum est. Non in pane solo vivit homo : sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem : et statuit eum supra pinnaculum templi : et dixit ei. Si filius Dei es mitte te deorsum. Scriptum est enim. Quia angelis suis mandavit de te : et in manibus tollent te : ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus rursum. Scriptum est. Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi : et gloriam eorum : et dixit illi. Hec omnia tibi dabo : si cadens adoraveris me. Tunc dixit ei Jesus. Vade Sathana. Scriptum est enim. Dominum Deum tuum adorabis : et illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus : et ecce angeli accesserunt : et ministrabant ei. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[f] *Lauda.* Alleluja. ℣. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui : visita nos Deus in salute tua. *P.* Alleluja. *Dicat Presb.* Adjuvate me fratres.

[g] *Sacrificium.* Hi dies orationis sancti erunt vobis : et humiliabitis animas vestras applicantes holocau ta Domino Deo vestro.

Missa. [h] Appropinquantibus beate quadragesime diebus : oremus Deum dilectissimi fratres corpore et mente prostrati. Et licet omni vite nostre tempore ejus operi cujus imaginem accepit anima de-

[a] *Cap. I.* Vers. 23-33.

[b] *Et proferam.* Vulg. *En proferam.*

[c] *Et ostendam.* Vulgata addit *vobis.*

[d] *Psallendo.* Est certo ex verbis Scripturæ et alienis consutus. ℣. Isaiæ I, 16, 17.

[e] *Cap. IV.* Vers. 1-12. Hoc Evangelium olim legi consuevisse Dominica prima Quadragesimæ orationes quæ consequuntur ostendunt, et in Sacramentario Bobiano (*Pag.* 309) hoc idem habetur Evangelium, cui titulus præmittitur : *Lectio Evangelii secundum Matthæum, quæ legitur initio Quadragesimæ.* Idem denique Dominica prima Quadragesimæ legitur in Missali Toletano, in Kalendario Frontonis, in libro comitis Pamelii, et in Capitularibus Evangeliorum Georgii et Thomasii

[f] *Lauda.* Ps CIX, 4. Alleluja canitur, quod diei solemnis jejunii non convenit.

[g] *Sacrificium.* Est compactum ex verbis Scripturæ (*Judith* IV, 8 *et seq.*) et aliis.

[h] *Appropinquantibus.* Hæc oratio Dominicæ primæ Quadragesimæ recte conveniebat quando jejunium quadragesimale die luna proxime sequenti incipiebat.

beat mancipari : tamen specialiter quamdam observationem horum dierum esse debere : patrum docemur exemplis : qui non solum sermone : sed et opere : quid nobis imitandum esset egerunt : e quibus primus Moyses legislator occurrit : qui in hoc numero dierum excelsi montis verticem conscendit : nihil in his diebus nisi tantum verbo Dei pascebatur : quod ex ore Domini procedebat. Secundus vero occurrit nobis Helias propheta : [a] qui unicus esse virtutem contestans : quadraginta diebus montium excelsa lustravit : ubi sacri oris alloquium de Israelitarum salute audire promeruit. Tertius autem ipse nobis Dominus noster Jesus Christus occurrit : qui totis quadraginta diebus heremi secreta penetrans : omnia diabolica temtamenta destruxit. Horum igitur nos exemplis edocti laborantes per hos dies quadraginta : ejiciamus a nobis malicie fermentum : quo azimi sinceritatis et veritatis inveniri postmodum mereamur. ℟. Amen.

Alia oratio. Salutaris vie initia hodierne solennitatis sacrificio cupientibus consecrare : occurrat Deus Pater unigenitus Filius tuus : qui olim callidi temtatoris astuciam : trimoda se suasione inlicientem sacri oris alloquio reprobavit [b] ac pertulit. Ipse a nobis virulenta temtationum semina pellat : ipse consensum malarum suggestionum a nobis retrudat. Ipse ariditatis nostre inediam [c] divinis pedibus foveat. Protegat nos contra hujus temtatoris insidias : lorica justicie : et galea salutis eterne. Exhibens de celorum editibus fragilitati nostre fortitudinem cibi perennis : quo et hodie validius roborati : [d] inditum e crastino abstinentie tempus incipientes : petulancie carnalis habitus in nobis decidant : ira diffugiat : voracitas pereat : temulentie vitium evanescat. Secedant doli : **92** corpora salus habeat : animas vis divina. Utraque servent in opere pacem jejunii actu : virtutem in voto : constantiam in affectu : actuum disciplinam. Quo spiritualiter suscipientes predicte abstinentie tempus : per eum nobis salubriter efficiatur pervium : per quem id ad expiationem novimus institutum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Christe Dei filius quo docente didicimus : non in solo pane vivere : sed in omni verbo quod tuo procedit ex ore. Presta nobis ut qui magisterium tuum sequentes presentis quadragesime initia hodierna die incipimus festivis consecrare in canticis : optata remedia a te impetrare possimus : tam viventibus quam defunctis. Quo et nobis ser- A viendi tibi concedatur cum affectu effectus : et illis a te prestetur eterne beatitudinis locus. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus cui transferendus Helias quadraginta dierum jejunium consecravit : et spiritualiter donec ad celestia mereretur ascendere jejunavit : prophetalem quesumus gratiam dona populis christianis : in qua superemus delectationes carnis et sanguinis. Fac in omnibus et per omnia continentes fac pacificos : fac celestia precepta servantes : quibus et in hoc sacrificio benignus appareas : et humiliter te invocantibus propiciatus occurras. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi gratias agere trinitas Deus : qui das escam omni carni : et imples omnem animam benedictione. Tuere nos Domine qui B non solum carnalibus cibis pascis : sed et spiritualibus escis alis. Ut non in solo pane vivamus : sed in omni verbo tuo vitalem habeamus alimoniam. Nec tantum epulando : sed etiam jejunando pascamur. Nam ut dapibus : et poculis corpora : sic jejuniis et verbis tuis anime saginantur. [e] Magnam enim in hoc munere corporibus salubritatem : et sanitatem mentibus prebuisti : jamque ab initio seculi nobis jejunium venerabile dedicasti. Quod si illa generis humani mater Eva [f] interdictam sibi arborem custodisset : et immortalitatem retinuisset : et patriam. Sed peccatum matris antique : quod inlicita ligni vetiti usurpatione commisit : in nostris [g] ablue jejuniis. Ut qui de paradiso [h] per inobedientiam Ade non abstinendo cecidimus : nunc autem per obedientiam Christi jejunando surgamus. Qui nobis ex C eadem materia calicem salutis remiscuit de qua mortis poculum biberamus. Ut quibus per cibum ligni acquisiti mors venerat : per crucis lignum salus perdita redderetur. Cui merito omnes angeli et archangeli non cessant clamare quotidie : una voce dicentes.

℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus et benedictus in altissimis Jesus Christus filius tuus Dominus noster. Qui assumpta humane fragilitatis natura : non solum infidelium sterilitatem convertendo fecundavit : verum etiam antiquissimum serpentem seductionibus blandis inlecebrantem : totiusque mundi copiam promittentem sterilitate [i] tibi premissa post jejunii D peracta solemnia omnipotenti brachio supplantavit. Docens discipulos suos : nostros autem apostolos non numerositate taurorum : aut hircorum : non

[a] *Qui unicus.* Fortasse *qui unius panis.* Confer. III Regum, xix, 6.

[b] *Ac pertulit.* Est verborum transpositio, qualis non raro in hoc Missali occurrit. Lege : *Qui olim callidi temptatoris astuciam pertulit, ac trimoda se suasione inlicientem sacri oris alloquio reprobavit.*

[c] *Divinis pedibus.* Lege *de vivis panibus foveat.* Immolatio missæ *Initio Quadragesimæ* in Missali Gallo-Gothico de Christo Domino hæc habet : *Ipse enim est panis vivus et verus qui de cœlo descendit, et habitat semper in cœlo, qui est substantia æternitatis et esca virtutis... hunc panem, Domine, nobis per hos quadraginta dies... ministrare digneris, cujus carne a te ipso sanctificata dum pascimur roboramur, et sanguine, dum hausto sitienter potamur, abluimur.*

[d] *Inditum.* Lege *indictum.*

[e] *Magnam enim.* Idem in Gallo-Gothico legitur in illatione *missæ jejunii*, n. 22, et in Sacramentario Bobiano, p. 304, in illatione missæ jejunii, in nostro autem illatio integra legitur, quæ in citatis Missalibus Gallicanis ab initio et in fine decurtatur.

[f] *Indictam* (Sic) *sibi arborem custodisset.* Ita Gallo-Gothicum et Bobianum legunt.

[g] *Ablue.* Gallo-Gothicum et Bobianum, *absolve.*

[h] *Per inobedientiam Ade.* In Bobiano et Gallo-Gothico hæc missa sunt uti et illa, *per obedientiam Christi.*

[i] *Tibi permissa* (Sic). Lege *sibi permissa.*

vitulorum ubertate : non agnorum pinguium victi- A
mis tuam placare clementiam : sed puris mentibus lotisque innocentie manibus sacrificia libare tue serenitati supplicia. Quia tu es Deus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Adsunt Domine Deus dies illi quos colendos nobis documento tui exempli : sub quadragenaria jejunio decursione [a] signasses. Proinde tuam pietatem poscimus et rogamus ut hodierne solennitatis sacrificio delibutus : largiaris supplicantibus famulis spiritalis alimonie cibum : et tue sermocinationis edulium. Quo ad instar prophete tui Helie hujus sacrificii libatione muniti : ita [b] a crastino laboriosa divino institutionis salubriter expediamus jejunia : ut sermocinationis tue mereamur potiri loquela. ℟. *Chorus.* Amen B

93 *Ad orationem Dominicam.*

Ecce Salvator noster : et Domine : qui per paginam veteris testamenti offerri tibi decimas rerum precipis annuales : tibi [c] dierum decimas consecrare conamur. Pie largissimam tue pietatis clementiam implorantes : ut in congressione vie hujus instruas nos documentis justicie : et perceptionibus legis tue. Quibus instructi : et hodierni diei suscepta solennia expleamus et devotissime a crastino instituta jejunia inchoemus. Pater noster. *Dicat Presb.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dei filius qui quaterdecies diebus in abstinentiam devolutis : se tentari permi- C
sit : ipse vos non patiatur ullis tentationibus a sancto proposito submoveri. ℟. Amen. Quique eidem callido tentatori non in solo pane : sed in verbo Dei hominem vivere posse respondit : celestis vos reficiat alimonia cibi. ℟. Amen. Ut dapibus satiati divinis : indictas a crastino parsimonie leges explere possitis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum : ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* Gustate.

Post communio. Oratio. Gustantes Domine suavitatis dulcedinis plenitudinem : quesumus ut sit nobis hic in remissionem peccatorum et sanitatem mentium. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

[d] DOMINICO PRIMO IN QUADRAGESIMA.

Ad missam. Officium.

Ecce nunc tempus acceptabile alleluja. *P.* Ecce nunc dies salutis alleluja. ℣. Dominus regnavit decorem induit : induit Dominus fortitudinem et precinxit se. *P.* Ecce nunc dies. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. ℟. Amen. *P.* Ecce. *Dicat Presb.* Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. *Hic dicatur.* Gloria in excelsis. *Dicat Presb.* Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

Oratio. Audiant simul te Domine omnes gentes et dives ac pauperes aurem tibi cordis accommodent. Nec timeamus in die mala : neque fidei onere relicto : jumentis insipientibus comparemur. Ut te solum intelligentia nostra adsequens ambiat : quem eterno in gaudio cum sanctis omnibus laudans premia sempiterna suscipiat. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. [e] *Prophetia.* Audite audientes me.

Require in Dominica ante diem cinerum. fo. 85. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum.

[a] *Signasset.* Lege *signasti.*

[b] *A crastino.* Ita supra, in *alia oratione* : *Indictum e crastino abstinentiæ tempus incipientes*, et infra orationem Dominicam : *Quibus instructi et hodiernæ diei suscepta solemnia expleamus, et devotissime a crastino instituta jejunia inchoemus;* et rursus (*Ibid.*) in Benedictione : *Ut dapibus satiati divinis indictas a crastino parcimoniæ leges explere possitis.* Hæc tam sæpe repetita ostendunt, et hanc missam olim propriam fuisse Dominicæ primæ Quadragesimæ, et Gotho-Hispanos jejunium quadragesimale incœpisse D
non feria quarta quæ præcedit, sed feria secunda quæ proxime subsequitur Dominicam primam Quadragesimæ.

[c] *Dierum decimas.* Concilium Toletanum VIII (*can.* 9) Quadragesimam appellat totius anni decimas *quæ in oblatione jejunii Domino consecrantur.* Eadem sanctus Isidorus (*de Offic. Eccles. lib.* I, *c.* 36). Et ante istos sanctus Gregorius papa (*Hom.* 16, *in Evang.*) distincte scribit : *A præsenti die usque ad Paschalis festivitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt, ex quibus cum sex dies dominici ab abstinentia subtrahuntur, non plus quam dies sex et triginta remanent, dum vero per trecentas sexaginta dies annus ducitur, nos autem per triginta et sex dies affligimus, quasi anni nostri decimas Deo damus.* Nec aliter Cassianus (*Collat.* 2, *cap.* 24) Quadragesimale jejunium anni decimas nuncupavit.

[d] *Dominico.* Hæc dominica in Missali et breviario Mozorabum prima Quadragesimæ scribitur in Orationali Gothico Dominica *in carnes tollendas*, quia proxime antecedebat jejunium quadragesimale, die luna subsequente inchoandum, ut ex orationibus quæ olim hac die recitabantur, et modo in Missali feria 4 cinerum leguntur, constat. Vulgo etiam appellatur Dominica *in Alleluia*, quia festive ab omnibus celebratur, unusquisque pro facultatibus splendide epulatur, et in ecclesia magna cum solemnitate *Alleluia* canitur, de quo orationes Missalis, Breviarii et Orationalis Gothici fidem faciunt. Apud Græcos Dominica prima Quadragesimæ festive celebratur ob restitutum cultum sacrarum imaginum, atque peculiari nomine ea de causa ἡ κυριακὴ τῆς ὀρθοδοξίας, *Dominica Orthodoxiæ*, nuncupatur; sed hæc festivitas apud Græcos instituta est post eversum imperium et Ecclesiam Gotho-Hispanam. Ex decreto concilii XVII Toletani Dominica prima Quadragesimæ claudebantur baptisterii fores, et sigillo episcopi muniebantur, feria 5 in Cœna Domini aperiendæ. De hoc ritu meminit sanctus Hildephonsus (*Lib. adnot. de cog. bapt. cap.* 107). Eadem quoque erat Galliarum Ecclesiæ disciplina (*S. Germ. de comm. Offic.*). Eadem pariter erat Ecclesiæ Alexandrinæ, atque adeo totius Ægypti (*Lect. Græc. Alexand. apud Zaccagnium*).

[e] *Prophetia.* Juxta rubricam prophetia hujus Dominicæ ea legenda est quæ Dominica ante feriam 4 cinerum lecta fuerat. At, ut alibi dixi, olim hac die prophetia ex III Regum XIX, 3-14. [illegible]

cum. ℟. Et cum. [a] *Tractus.* [b] Daniel Propheta. A tunc illi tres quasi ex uno ore hymnum canebant: et benedicebant Dominum de fornace dicentes. *Hic incipiat Sacerdos. Benedictus.* Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum: et admirabilis et superexaltatus in secula. Amen. ℣. Et benedictum nomen majestatis tue illud sanctum. *P.* Et super. ℣. Benedictus es qui vides abyssos: sedes super cherubim et laudabilis. *P.* Et super. ℣. Benedictus es in solidamento celi: et laudabilis et gloriosus in secula. Amen. *P.* Et super. ℣. Benedicite omnia opera Domini Dominum: benedicite angeli Dei Dominum: benedicite stelle celi Dominum. *P.* Hymnum dicite et superexaltate eum in secula. Amen. ℣. Benedicite filii hominum Dominum: benedicite Sacerdotis Dei Dominum. Benedicite sancti et hu- B miles corde Dominum. *P.* Hymnum dicite. ℣. Benedicite Anania Azaria et Misael Dominum. Hymnum dicite et superexaltate eum in secula. Amen. ℣. Quia liberavit nos ab inferis et de manu mortis salvavit nos et eripuit nos de medio camino ardentis flamme et e medio ignis eduxit nos. *Dicat Presb. Confitemini.* ℣. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia ejus.

[c] *Psallendo.* Ne memor fueris Deus iniquitatum nostrarum antiquarum: cito apprehendat nos misericordia tua Domine. ℣. Quoniam pauperes facti sumus valde: adjuva nos Deus salutaris noster. *P.* Cito appreben. [d] *Hic Sacerdos debet preparare calicem cum vino et aqua et hostiam in patena posita super calicem et accipiat illud* **94** *et prosternat se ad* C *pedem altaris flexis genibus et dicat has preces que sequuntur.* Indulgentiam postulamus. Christe exaudi. Placare et miserere. ℣. Jesu unigenite Dei patris filius: qui es immense bonitatis Dominus. *P.* Placare. ℣. Cuncti te gemitibus exorantes poscimus: cunctique simul deprecantes quesumus. *P.* Placare. ℣. Tua jam clementia mala nostra superet: tuo jam sereno vulto in nos respice. *P.* Placare. ℣. Remove propicius tuam iracundiam: da peccatis finem: da laboris requiem. *P.* Placare. ℣. Tranquillitatem temporum: rerum abundantiam: pacis quietem: et salutis copiam. *P.* Placare. ℣. [e] Illius Pontificis porrige presidium: atque universo supplicanti populo. *P.* Placare. ℣. Remissionem omnium peccatorum quesumus: indulge clemens mala que commisimus. *P.* Placare. *Hic dicat Sacerdos* [f] *Orationem submissa voce.*

Exaudi orationem nostram Domine: gemitusque nostros auribus percipe: nos enim iniquitates nostras agnoscimus: et delicta nostra coram te pandimus tibi Deus peccavimus: tibique confitentes veniam exposcimus. Et quia recessimus a mandatis tuis: et legi tue minime paruimus. Convertere Domine super servos tuos quos redemisti sanguine tuo. Indulge quesumus nobis: et peccatis nostris veniam tribue: tueque pietatis misericordiam in nobis largire dignare. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. *Hic elevet Sacerdos et dicat.* Silentium facite.

Sequentia epistole Pauli [g] *ad Corinthios (II, cap. V, VI).*

℟. Deo gratias.

[a] *Tractus.* Aut hæc vox omnino delenda, aut legenda *tractim*, quia præfatio hymni trium puerorum tractim canebatur.

[b] *Daniel Propheta.* Sic in Lectionario Luxoviensi, n. 8, *Daniel cum benedictione* legitur. Hæc enim indicant hymnum trium puerorum; qui non modo in Gallia (*S. Germ. in Explic. missæ*), sed etiam in Hispania *in omnium missarum solennitate* de pulpito canebatur ex decreto concilii IV Toletani (*Can.* 14). Canebatur autem tam a Gallis quam a Gotho-Hispanis antequam Apostolus legeretur. Plura in libris liturgicis exstant hujus hymni exemplaria, quorum vix unum occurrit quod cum alio perfecte, quoad voces, conveniat, etsi omnia, quoad sensum, e capite octavo Danielis deprompta sint. Absoluto hymno trium puerorum, canebatur psalmus centesimus quintus, D *confitemini*, cujus primum versum sacerdos canebat, reliqua psalmistæ et populus.

[c] *Psallendo.* Ps. LXXVIII, 8.

[d] *Hic Sacerdos.* Ista omnia recentiora sunt, nec ad munus sacerdotis olim pertinebant. Sanctus Isidorus (*Epist. Ludifr. Cordub.*) *ad Diaconum pertinet... oblationes inferre, et disponere in altari... ad ipsum quoque pertinet officium precum.* Latini *officium precum*, aut simpliciter *preces* nominabant orationes illas, quæ pro diversis hominum statibus necessitatibusque funduntur. A Græcis *pacificæ* dicuntur, quia ab his vocibus incipiunt, *in pace Dominum precemur*, aut *diaconicæ*, quia a diacono recitantur. Adhuc apud Græcos, et Orientales, et olim apud Gotho-Hispanos diaconus *preces* recitabat, populus autem respondebat apud Græcos *Kyrie eleison*, apud Gotho-Hispanos, *placare*, *miserere*, aut tantummodo *placare*, et aliquando, ut est in libro offerentium, *præsta, æterne omnipotens Deus.* Apud Mediolanenses respondet modo chorus, olim populus respondebat, vel Latine, *Domine, miserere*, vel Græce, *Kyrie eleison.* Harum precum usus apostolicus est, in liturgiis Græcorum Orientalium, in Ambrosiana, Gallicana et Gotho-Hispana inveniuntur, erant etiam fortasse in Africana, in liturgia Romana nullum harum exstat vestigium, præter eas quæ in majori hebdomada recitantur; at in officio divino quotidie preces Romæ recitabantur, et in Breviario Romano ad laudes, ad vesperas, et ad completorium preces dicuntur. Cæterum in Ecclesia Mediolanensi preces adhuc recitantur in missa diebus Dominicis Quadragesimæ, exceptis prima, et Dominica Olivæ, sive Palmarum; recitantur autem statim post ingressum, sive introitum.

[e] *Illius Pontificis.* Olim, loco vocis *illius*, quam litteræ *Ill.* exprimebant, nomen episcopi distincte recitabant.

[f] *Orationem.* In liturgiis Gallicanis hæc oratio *post precem* appellatur. A sacerdote recitabatur, qui missam celebrabat. Rubrica nostra præscribit ut *secreto*, id est, submissa voce, dicatur; et sane, in liturgia sancti Chrysostomi, orationes secreto recitantur, quæ post synaptas a sacerdote funduntur.

[g] *Ad Corinth. cap. V.* Vers. 20-VI, 1-11. In Sacramentario Bobiano Apostolus legitur ex II Cor. VI, 2-11; prophetia autem ex lib. III Regum, XIX, 3-15. In Lectionario Luxoviensi, *in initium Quadragesimæ*, prophetia signatur ex Isaia, LVIII, 1 14; Apostolus ex II Cor. II. Finis lectionis cum membrana deficit. Eadem lectio ex Apostolo in Missali nostro, et in libris Gallicanis hac die legitur; at, in nostro, lectio ab initio prolixior est.

Fratres. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus : pro Christo reconciliamini Deo. Cum qui non noverat peccatum : pro nobis peccatum fecit : ut nos efficeremur justicia Dei in ipso. Adjuvantes autem exhortamur : ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim. Tempore accepto exaudivi te : et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem : ut non vituperetur ministerium nostrum : sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. In tribulationibus. In necessitatibus. In angustiis. In laboribus. In plagis. In carceribus. In seditionibus. In vigiliis. In jejuniis. In castitate. In scientia. In longanimitate. In suavitate. In Spiritu Sancto. In charitate non ficta. In verbo veritatis. In virtute Dei. Per arma justicie a dextris : et sinistris. Per gloriam et ignobilitatem. Per infamiam et bonam famam. Ut seductores et veraces. Sicut qui ignoti : et cogniti. Quasi morientes : et ecce vivimus. Ut castigati : et non mortificati. Quasi tristes : semper autem gaudentes. Sicut egentes : multos autem locupletantes. Tanquam nihil habentes : et omnia possidentes. [a] In Christo Jesu Domino nostro

℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Joannem ([b] *Cap. IIII*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus reliquit Judeam : et [c] abiit in Galileam. Oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in civitatem Samarie : que dicitur Sichar juxta predium quod dedit Jacob Joseph filio suo. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic super puteum : hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus. Da mihi bibere. Discipuli autem ejus abierant in civitatem : ut cibos emerent. Dicit ei mulier illa Samaritana. Quomodo tu Judeus cum sis : bibere a me poscis : que sum mulier Samaritana. Non enim coutuntur Judei Samaritanis? Respondit Jesus : et dixit ei. Si scires donum Dei : et quis est qui dicit tibi : da mihi bibere : tu forsitan petisses ab eo : et dedisset tibi aquam vivam. Dicit ei mulier. Domine neque in quo haurias habes : et puteus altus est : unde ergo habes aquam vivam. Nunquid tu major es patre nostro Jacob : qui dedit nobis puteum hunc : et ipse ex eo bibit : et filii ejus et pecora ejus. Respondit Jesus : et dixit ei. Omnis qui biberit ex aqua quam ego dabo ei : non sitiet in eternum. Sed aqua quam ego dabo ei : fiet. **95** in eo fons aque salientis in vitam eternam. Dicit ad eum mulier. Domine da mihi hanc aquam : ut non sitiam : neque veniam huc haurire. Dicit ei Jesus. Vade voca virum tuum et veni huc. Respondit mulier et dixit. Non habeo virum. Dicit ei Jesus. Benedixisti : quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti. Et hunc quem habes : non est tuus vir. Hoc vere dixisti. Dicit ei mulier. Domine video quia propheta es tu : patres nostri in monte hoc adoraverunt : et vos dicitis quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet. Dicit ei Jesus. Mulier crede mihi : quia venit hora quando neque in monte hoc : neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis : nos adoramus quod scimus : quia salus ex judeis est. Sed venit hora et nunc est : quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate. Nam et pater tales querit : qui adorent eum. Spiritus est Deus : et eos qui adorant eum : in spiritu et veritate oportet adorare. Dicit ei mulier. Scio quia Messias venit qui dicitur Christus. Cum ergo venerit : ille nobis annunciabit omnia. Dicit ei Jesus. Ego sum qui loquor tecum. Et continuo venerunt discipuli ejus : et mirabantur quia mulieri loquebatur. Nemo tamen dixit : quid queris : aut quid loqueris cum ea. Reliquit ergo idriam suam mulier : et abiit in civitatem : et dicit illis hominibus. Venite et videte hominem qui dixit mihi omnia quecumque feci. Nunquid ipse est Christus? Exierunt de civitate et veniebant ad eum. Interea rogabant discipuli dicentes. Rabbi manduca. Ille autem dixit eis. Ego cibum habeo manducare : quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad invicem. Numquid aliquis attulit ei manducare? Dixit eis Jesus : meus cibus est : ut faciam voluntatem ejus qui misit me. Ut perficiam opus ejus. Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt : et messis venit? Ecce [d] ego dico vobis : levate oculos vestros et videte regiones : quia albe sunt jam ad messem. Et qui metit mercedem accipit : et congregat fructus in vitam eternam. Ut et qui seminat : simul gaudeat : et qui metit. In hoc est enim verbum verum : quia alius est qui seminat : et alius est qui metit. Ego misi vos metere : quod vos non laborastis. Alii laboraverunt : et vos in laboribus eorum introistis. Ex civitate autem illa multi crediderunt Samaritanorum : propter verbum mulieris testimonium perhibentis ; quia dixit mihi omnia quecumque feci. Cum venissent autem ad

[a] *In Christo Jesu Domino nostro*. Verba eadem in Bobiano leguntur, quibus scilicet finis imponebatur lectioni.

[b] *Cap. IV*. Vers. 5-43. Hoc Evangelium revera spectat ad sequentem Dominicam, ut alibi ostendi, ad hanc vero illud quod feria 4 Cinerum legitur. In Lectionario Luxoviensi, deficiente membrana, deficiunt legenda usque ad Dominicam Palmarum. In Sacramentario Bobiano (*P.* 301, *col.* 2), inter alias lectiones quæ *initio Quadragesimæ* leguntur, est Evangelium *secundum Matthæum*, VI, 1-9. Rursus extra ordinem in eodem Sacramentario (*Pag.* 307, *col.* 1) occurrit *lectio sancti Evangelii secundum Matthæum* IV, 1-12, *quæ legitur initio Quadragensimæ*. Porro, ut animadvertit Mabillonius, Galli illius ævi *Quadraginsima* et *Quadraginsimalis* dicebant, ut libri eorum liturgici probant.

[c] *Abiit in Galileam*. Vulgata, Codex Vercellensis et Veronensis, legunt, *iterum in Galilæam*.

[d] *Ego dico vobis*. Vulgata, Codices Vercellensis, Veronensis et Brixiensis, illud *ego* non legunt.

illum Samaritani rogaverunt eum : ut ibi maneret : et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem ejus et mulieri dicebant. Quia jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus : et scimus quia hic est vere Salvator mundi.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Attende popule meus legem meam. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Multiplicabit vos Dominus sicut astra celi diligite illum : et observabitis precepta ejus : et cerimonias omni tempore : ut discant filii vestri disciplinam Domini Dei alleluja. ℣. Locutus est Moyses universo Israeli dicens : dum descenderem de monte : et tabulas federis in manibus tenerem : et vidissem vos reliquisse vias Domini quas vobis ostenderam : projeci tabulas de manibus meis : et confregi eas ad radicem montis : et procidi ante Deum quadraginta diebus et quadraginta noctibus : panem non comedens : et aquam non bibens propter peccata que fecistis ante Deum et timens pro vobis oravi ad illum : et exaudivit me. *P.* Ut dicam.

Missa. Solliciti queso dilectissimi fratres redemptionis nostre perpendentes mysterium : reddamus ut possumus Salvatori nostro gloriam : offerentes ei hostiam vivam : [c] et qui ex gentibus unam in se voluit congregari ecclesiam. In muliere etenim illa Samaritana : in qua dudum est gentilitas figurata : nos ipsos advocatos ex gentibus agnoscamus : et pro illa Deo contriti cordis hostiam immolemus. Novit ille suffragantibus adsistere : qui se [d] nascenti jam seculo dignatus est subvenire. Dabit **96** precantibus efficaciam : qui in se suscepit infirmitatem nostram. Attribuet postulationi effectum qui lassus sedit ad puteum. Componet nobis in oratione precem : qui Samaritane mulieri inspiravit ut crederet. Dabit in eterna beatitudine premium acquisitis : qui misertus est quam voluit parituris. ℟. Amen.

Alia oratio. Jesu Redemptor noster et Domine qui ad salvandum genus humanum : [e] sexta etate seculi venisti : ab hujus extremitatis nostre profunde conserva atque sanctifica ecclesiam tuam in unitate sancte fidei : quam olim a tenebrosa profunditate eruens putei : tibi illam copulare per gratiam voluisti. Da cunctis in ea manentibus : ut sicut ad te fide venerunt : ita eterno solacio potiantur. Ut per te introducamur ad regnum eterne vite : per quem accepimus fidei inluminationem. Tribue nobis sicientibus eterni fontis ita bibere potum : ut nunquam sitiamus in eternum. Expelle a cordibus nostris omnem profunditatem tenebrosam errorum : nequando operiat super nos puteus os suum. Te te Christe inveniamus ad puteum relevantem qui nostro ex vicio quocumque lapsi fuerint in crimine : ut toties reparemur tue pietatis dono : quoties cecati labimur in delicto. Amove a cordibus nostris inveterata veluste vite maliciam : qui novitate spiritus in Samaritanam illam fidei operatus es incrementa. Da quesumus omnibus in commune Jesu bone : ita dies istos sancti desiderii plenitudine gratiosos habere : sicut illa promeruit dono sancte fidei te in veritate cognoscere. Ut in horum celebritate dierum te custodiente : non libidine polluamur : non malicia sauciemur : non scandalis discindamur. Sed in sancte fidei omnes unitate collecti ita spiritus tui sancti defensione protecti : et inluminati mundemur a criminibus nostris. Qualiter ad sanctum pascha pervenientes : et ardenter suscipiamus mysterium nostre redemptionis : et veraciter reparatos nos gratulemur in statu eterne lucis.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Christe filius Dei vivi : cujus virtute mulier illa Samaritana prenoscere meruit : cujus fidem casto corde concepit : cujusque nomen abiens in civitatem celebre nunciavit. Da nobis ut ea veritate nomen nostrum eternis ascribatur in paginis : [f] que veritate nomen glorie tue ob miraculum deitatis ammirabile factum est Samarie in populis. Presta etiam sancte Deus ut omnes qui fideli intentione fatemur et credimus nomen tue sanctissime trinitatis : nunquam eternis mancipemur suppliciis. Quique in eadem quam a te percepimus fide vocati sunt : nullis flammarum adfustionibus crucientur. Sed concede eis : ut sicut in hac vita inconcusse statum vere fidei tenuerunt : ita illius vite gaudiis eterno munere potiantur. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Salvator mundi verbum Patris eterni : qui post acceptam fidem mulieris : rogatus a Samaritanis biduum apud eos facis : ut in illorum duorum figura dierum mystice commendaretur duorum numerus preceptorum : charitatis videlicet Dei ac proximi : munda cor nostrum omni crimine : omnique ignorantie cecitate. Qualiter mundissimam tibi in cordibus nostris preparantes mansionem : tribuas nobis quod illis tribuisti : proximi dilectionem veraciter retinere : per quam possimus pervenire ad te : et tuam omnimodo nose dilectionem : cum qua perveniamus ad gaudia vite eterne.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi semper gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui ad salvationem humani generis veniens e celo : sitiens atque fatigatus sedisse ad puteum dicitur. Ille etenim in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter permanebat : quia nostre mortalitatis corpus assumpserat : veritatem assumpte carnis quibusdam significationibus demonstrabat.

[a] *Lauda.* Ps. LXXVII, 1.
[b] *Sacrificium.* Ex Exod. x, 22. *Ibid.*, IX, 15-20.
[c] *Et qui ex gentibus.* Illud *et* abundat, aut forte legendum *qui ex Judæis et gentibus.*
[d] *Nascenti.* Lege *nocenti.*
[e] *Sexta etate.* Confer sanctum Isidorum (*Orig.* lib. v, cap. 38, 39).
[f] *Que.* Lege *qua.*

Fatigatum enim eum non aliter credimus ab itinere : A nisi infirmatum in carne. **97** Exivit quippe ad currendam viam : per significationem carnis assumpte. Ideo igitur etsi fatigatus ille in carne : non tamen nos sinit infirmari in sua infirmitate. Nam quod infirmum est illius : fortius est hominibus. Ideoque per humilitatem veniens eripere mundum a potestate tenebrarum : sedit et sitivit quando aquam mulieri petivit. Ille etenim humiliatus erat in carne : quando sedens ad puteum loquebatur cum muliere. Sitivit aquam : et exegit fidem ab ea. In ea quippe muliere : fidem quam quesivit : quamque petivit : exegit atque venientibus dicit de ea discipulis : Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Ille jam qui in eam creaverat fidei donum : ipse poscebat atque sibi ab ea porrigi potum. Quique eam dilectionis sue flamma B cremabat : ipse ab ea poculum quo refrigeraretur sitiens postulabat. Ob hoc nos ad ista tantarum virtutum miracula quid apponemus sancte et immaculate et piissime Deus : nisi conscientiam mundam : et voluntatem dilectioni tue omnimodo preparatam. Tuo igitur nomini offerentes victimam mundam : rogamus atque exposcimus : ut opereris in nobis salutem : sicut in muliere illa operatus es fidem. Operare in nobis extirpationem carnalium viciorum : qui in illa idolatrie pertulisti figmentum. Sentiamus quoque te in illa futura examinatione mitissimum : sicut illa te promeruit invenire placatum. Opus enim tuum sumus : qui nisi per te salvari non possumus. Subveni nobis vera redemptio : pietatis indeficiens plenitudo. Non perdas quod tuum est : quibus dedi- C sti rationis naturam : da eternitatis gloriam indefessam. Ut qui te in hac vita laudamus : in eterna quoque beatitudine multo magis glorificemus. Tu es enim Deus noster : non nos abjicias a facie tua : sed jam respice quos creasti miseratione gratuita : ut cum abstuleris a nobis omne debitum culpe : et placitos reddideris aspectibus gratie tue. Eruti ab illa noxialis putei profunditate facinorum : [a] idriam nostrarum relinquentes cupiditatum : ad illam eternam civitatem Hierusalem post hujus vite transitum convolemus. Et cum omnibus Sanctis nomen tuum celebre nunciemus : atque ita dicamus. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus vere benedictus Do- D minus noster Jesus Christus filius tuus. Cujus presentia visionis mortificationem operatur sceleris. Non est enim homo : qui ejus contueatur faciem : et suo possit remorari in crimine. Mulier quippe ista ejus presentiam cernens : verborum quoque ejus fluenta mirabiliter capiens : postquam manifestissime cognovit Jesum : reliquit idriam viciorum. Sicque abiens in civitatem : non tacet quod experta erat : de virtute ejus miraculum. Sit gloria ipsi : sit laus et honorificentia : Domino nostro et Salvatori. Cujus potentie cedunt retinacula criminum : ex quo etiam emendatior fit vita post lapsum. Reddamus ergo ei in quantum possumus contriti cordis sacrificium : per quod ipse testatus est : se posse inveniri placatum. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Deus qui in corde mulieris Samaritane spiritum tue sanctificationis dedisti : quo te crederet : quo te inspirata sentiret : quo etiam posset tue majestatis potentiam fideli intentione narrare. Emitte spiritum tuum de sanctis celis tuis : quo sanctificentur oblata : suscipiantur vota : expientur delicta : et cunctis ex hoc sumentibus donetur criminis indulgentia : atque eterne promissionis gaudia sempiterna. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Fons vite perennis Jesu filius Dei Patris : da nobis aquam vivam : da sitientibus vitam eternam. Efficiamur quesumus templum tuum : in quibus habites in eternum : ut et ipsi intra nos habeamur regnum tuum. Tu nos Christe Jesu exaudi de summis : cum Patrem sicut nos jussisti : exoraverimus e terris. Pater noster. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus filius Dei qui Samaritane mulieris sitire dignatus est fidem : ipse in vobis sitim accendat dilectionis sue. ℟. Amen. **98** Idem Redemptor qui operatus est [b] in illam : quod ad regnum vocaret : operetur in vobis quod in eterna remuneratione coronet. ℟. Amen. Quique discipulis suis orandi dedit precepta : ipse vos quocumque eum loco exoraveritis : exaudiat. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus : et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Ad confractionem panis dicat chorus.* Qui venit ad me non esuriet : qui credit in me non sitiet unquam. ℣. Ego sum lux mundi : et qui sequitur me non ambulabit in tenebris : sed habebit lucem vite. *P.* Qui venit ad me. ℣. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem : in me manet et ego in illo. *P.* Qui venit. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Qui bibit et credit in me non morietur in eternum.

Com. Repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra in exultatione.

Oratio. Reple Domine cor nostrum leticia : qui nobis dare dignatus es sacri corporis tui Eucharistiam. ut qui escarum perceptione reficimur : spiritualibus beneficiis adimpleri feliciter mereamur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace.

[a] *Idriam.* Lege *hydriam.*
[b] *In illam.* Lege *in illa.*

[c] *Ad confractionem panis.* Tolle ista oscitantér huc intrusa, et lege *ad accedentes.*

[a] FERIA IIII. IN PRIMA EBDOMADA QUADRAGESIME.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (Cap. [b] *XIII, XV).*

Fili : Bonus reliquit heredes : filios et nepotes : et custoditur justo substantia peccatoris. Multi cibi in novalibus patrum : et aliis congregantur absque judicio. Qui parcit virge : odit filium suum. qui autem diligit illum : instanter erudit. Justus comedit et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis. Sapiens mulier edificat domum suam : insipiens extructam quoque destruet manibus. Ambulans recto itinere : et timens Deum : despicitur ab eo qui infami graditur via. In ore stulti virga superbie : labia sapientium custodiunt eos. Ubi non sunt boves : presepe vacuum est : ubi autem apparent plurime segetes : ibi manifesta fortitudo bovis. Testis fidelis non mentietur : profert mendacium testis dolosus. Querit derisor sapientiam : et non inveniet : doctrina prudentium facilis. Vade contra virum stultum : et nescit labia prudentie. Sapientia callidi : est intelligere viam suam : et imprudentia stultorum errans. Stultus illudet peccatum : et inter justos morabitur gratia. Cor quod novit amaritudinem anime sue : gaudio ejus non miscebitur extraneus. Domus impiorum delebitur : tabernacula autem justorum germinabunt. ℟. Amen.

Lectio libri Exodi ([c] *Cap. XXXIIII*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Locutus est Dominus ad Moysen dicens. Scribe tibi verba hec : quibus et tecum et C cum filiis Israel pepigi fedus. Fuit ergo ibi cum Domino Moyses : quadraginta dies et quadraginta noctes : panem non comedit : et aquam non bibit. Et scripsit [d] in tabulas verba federis decem. Cumque descenderet Moyses de monte Sinay : tenebat duas tabulas testimonii : et ignorabat quod cornuta esset facies sua : ex consortio sermonis Domini. Videntes Aaron et filii Israel cornutam faciem Moysi : timuerunt prope accedere. Vocatique ab eo : reversi sunt : tam Aaron quam principes sinagoge. Et postquam locutus est : venerunt ad eum : etiam omnes filii Israel. Quibus precepit cuncta : que audierat a Domino in Monte Sinay. Impletisque sermonibus : posuit velamen super faciem suam. Quod ingressus ad Dominum et loquens cum eo : auferebat donec exiret. Et tunc loquebatur ad filios Israel omnia : que sibi fuerant imperata. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Tractus.* Threnos Hieremie prophete : ubi civitatis sue ruinas quadruplici plangit alphabeto. factum est postquam captivus ductus est Israel : nam et Hierusalem desolata : sed et Hieremias Propheta flens et lamentans lamentum hoc Deo et dixit. ℣. Quis dabit capiti meo aquam : et oculis meis aperiet fontem lachrymarum : ut plangam die ac nocte vulnera anime mee. ℣. Effundam lachrymas sicut aquas ante faciem Dei mei : extollam ad eum manus meas 99 pro remedio peccatorum meorum ℣. Propter multitudinem iniquitatis mee : quia multiplicate sunt prevaricationes.

[a] *Feria IV.* Gotho-Hispani omnibus diebus Dominicis, et qualibet feria quarta, et sexta (dempta feria sexta authenticæ hebdomadæ) tempore Quadragesimæ sacrificium offerebant, aliis diebus quadragesimalibus (excepto Sabbato sancto) missam non celebrabant. Varia erat, hac in re, aliarum Ecclesiarum disciplina. Mediolani per Quadragesimam quotidie celebrant, feria sexta cujusque hebdomadis excepta, ut ex Missali Ambrosiano, ann. 1548 typis edito, constat; quam vetustam eorum disciplinam sanctus Carolus Borromeus confirmavit, vetuitque ne feriis sextis Quadragesimæ missæ, etiam pro defunctis, dicerentur; nihilominus vetustum Capitulare epistolarum Ambrosianum, quod em. Thomasius edidit, prætermissis diebus ferialibus, præter feriam 5 in Cœna Domini, eas tantum lectiones signat quæ Dominicis diebus recitabantur. Romæ, si standum fuerit Sacramentario Gelasiano em. Thomasii, tempore Quadragesimæ, solæ feriæ quintæ alyturgicæ erant, præter feriam 5 majoris hebdomadæ; quæ consuetudo ad Gregorium secundum obtinuit, qui ab anno 715 sedit; is enim, teste Bibliothecario, *instituit ut Quadragesimali tempore in quinta feria jejunium atque missarum celebritas fieret, quod ante non agebatur.* Quidquid sit de Quadragesimali jejunio feriæ 5, quod magis vetustum videtur, sane in omnibus sacramentariis Gregorianis hactenus editis, et in Capitularibus Evangeliorum, missæ, Quadragesimæ tempore, quotidie dicendæ signantur, neque feria ulla prætermittitur, excepta feria 6 in Parasceve. De prisco Gallorum more illud tantummodo constare videtur, Gallos per Quadragesimam sacrificium obtulisse non modo diebus Dominicis, sed etiam ferialibus, quibus autem ferialibus diebus, et quoties singulis septimanis obtulerint, mihi incertum est. Lectionarium Luxoviense ab initio Quadragesimæ ad Dominicam Palmarum mutilum est; nihilominus, computatis numeris, cl. Mabillonius recte deducit nulla in hoc lectionario *singularia officia pro feriis Quadragesimæ* esse assignata (*De Litur. Gall. l.* II, *pag.* 124). Cave tamen inde concludas Gallos a sacrificando diebus ferialibus Quadragesimæ abstinuisse; nam in Sacramentario Bobiano sunt quatuor *missæ jejunii* et una *quadragesimalis*; in Missali Gallo-Gothico sunt pariter quatuor *missæ jejunii* et binæ quadragesimales, quæ omnes cum diebus jejunii, et quidem ante Dominicam Palmarum, dicendæ fuerint, probant, Gallos per Quadragesimam diebus etiam ferialibus sacrificium Eucharisticum obtulisse; at an semel tantum, aliquibus septimanis, an aliis bis, ut de prima septimana valde credibile est, nihil certi statuo. Ad Gotho-Hispanos redeo. Illi, ex decreto concilii Bracarensis (*Can.* 9), initio Quadragesimæ *convenientes in unum vicinæ Ecclesiæ, per triduum cum psalmis, per sanctorum basilicas ambulantes,* celebrabant *litanias, tertio autem die* (nimirum feria 4 post primam Dominicam Quadragesimæ) *celebratis hora nona, sive decima, missis, dimisso populo* præcipiebant *Quadragesimæ servare jejunia.* Hinc etiam colligitur quod Gotho-Hispani feria secunda et feria tertia hebdomadæ primæ Quadragesimæ missas non celebrabant; at Galli videntur ipsa feria secunda, qua jejunium quadragesimale inchoabant, missam celebrasse. Plura sane occurrunt in missa quæ initio Quadragesimæ in Sacramentario Bobiano et in Missali Gallo-Gothico assignatur, unde inferre licet, eam ad diem jejunii pertinuisse.

[b] *Cap. XIII.* Vers. 22-XIV, 1-12. Alibi dixi olim hac die prophetiam lectam esse ex capite primo Proverbiorum, quæ modo feria 4 Cinerum legitur.

[c] *Cap. XXXIV.* Vers. 27-34.

[d] *In tabulas.* Vulg., *in tabulis.*

[e] *Tractus.* In vetustissimis libris liturgicis invenitur tractus. Canebatur in ambone ab uno psalmista serie

[a] *Epistola*. Nemo cum tentatur dicat. *Evangelium*. Ductus est Jesus in desertum.

[b] *Require in quarta feria in capite jejunii fol. 91*. *Dicat Presb*. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. [c] *Lauda* Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus : Deo nostro sit jucunda laudatio. ℣. Precinite Domino in confessione : psallite Deo nostro in laude.

[d] *Antequam* [e] *Sacerdos faciat ablutionem manuum : prosternat se ad pedes Altaris flexis genibus : et dicat has preces in hunc modum*. Penitentes orate : flectite genua Deo : deprecemur Dominum : ut remissionem peccatorum et pacem nobis donare dignetur. ℣. Erigite vos in nomine Christi completa oratione vestra simul dicite Amen. ℟. Amen. State locis vestris ad Missam.

[f] *Sacrificium*. Offerte Domino mundum sacrificium. ℣. Offerte Domino gloriam et honorem. *P*. Mundum sacrificium. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P*. Mundum sacrificium. Kyrieleyson. *Tribus vicibus*.

Missa. Dies festos et Dominice Passionis reverentia consecratos advenisse fratres dilectissimi sentientes : ambulemus in humilitate : continentiam conservantes. Nemo seculari voluptate pascatur ; neque rursus adversitate frangatur. Ut dum ceperimus temporalia : sive bona sive mala contemnere : tunc A verissime valeamus quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunare. Post peractam vite hujus quadragesimam recepturi vitam sine fine perpetuam. Nunc igitur Deum nostrum tota mentis devotione poscamus : ut ita nos sua preveniat gratia : et misericordia protegat : qualiter ad celestia semper festinemus promissa. ℟. Amen.

Alia oratio. Exaudi nos Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : et secundum magnam misericordiam tuam : quam non negas pura mente petentibus : orationes omnium accepta propicius. Sanctifica ergo preces nostras : quas supplices ad te humilesque effundimus : et in effectum bonum nostri cordis desideria dignare convertere. Concede Domine jejunium nostrum ita inculpabile apud te inve- B niri : ut nunquam diaboli laqueis teneamur adstricti : sed a peccatis nostris immaculati inveniamur ac liberi. [g] quo tam anime quam corporis preparati : sancto altario tuo ministrare mereamur inlesi. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Coram altario tuo Domine et fidelium deferantur vota : et jejuniorum obsequia, pro quo humili prece rogamus : ut hujus jejunii libatione ita acceptentur a te obsequia familie tue : qualiter et universitas fidelium tuis remuneretur ex donis : et defunctorum anime amenitate foveantur in dulcedine beatitudinis.

continuata modulationis, nec intercinensium responsionibus interrupta. Et hinc dicitur *tractus*, quia canebatur *tractim*, hoc est vocem in longum protrahendo, sine orationis intermissione, sine vocis percussione, sine susurro. Plura lege apud em. Thomas., in præfatione ad Antiphonarium Gregorianum (*P*. 32 *et seq*.). Addendum tamen quod tractus Gotho-Hispanus differt a Gregoriano in hoc quod Gregorianus statim subsequatur responsorium gradale, et vices suppleat alleluiæ, ejusque versiculi; at tractus Gotho-Hispanorum pro *psallendo* canitur : quare apud eos nunquam simul inveniuntur *psallendo* et tractus.

[a] *Epistola*. Sive Apostolus. Idem legitur qui feria 4 cinerum.

[b] *Require*. Imo potius videtur legendum Evangelium ex Matth. 1-9.

[c] *Lauda*. Ps. CXLVI. Vers. 1 ℣. Ibid., 7.

[d] *Antequam*. Hinc patet pœnitentiæ publicæ disciplinam in Ecclesia Gotho-Hispana viguisse usque ad excidium regni Visigothorum; illud quoque ipsum ostendunt Codex canonum Ecclesiæ Gotho-Hispanæ em. de Aguirre (*Concil. Hisp. t. III*), el. Genni (*Antiq. Eccl. Hisp. t. I*) et canon. 12 concilii XI Toletani, et concilium XVI Toletanum (*Can*. 4). Pœnitentes igitur (quo nomine omnes quidem, sed præcipue ii intelligebantur qui in substratorum classe versabantur) quotiescunque solemnis Ecclesiæ conventus habebatur, ad impositionem manus accedebant, idque maxime diebus jejunii, ut in Codice canonum (*Lib*. 2, *t*. XII, 19) distincte præcipitur : *Omni tempore jejunii a sacerdote manus pœnitentibus imponendæ*. Post concionem, aut homeliam, et ante illationem munerum, clamabat diaconus : *Pœnitentes, orate, flectite genua Deo*; tum ad fideles conversus dicebat : *Deprecemur Dominum* pro fratribus nostris pœnitentibus, ut fletus eorum ac confessionem suscipere, illisque *remissionem peccatorum et pacem* Ecclesiæ *donare*, *dignetur*. Omnes enim, episcopus, clerus, et populus fidelis, simul cum pœnitentibus prostrati orabant (*Soz*., *lib*. VII, *cap*. 16, *Edit. Vales*.). Post aliquod tempus orationi datum iterum clamabat diaconus : *Erigite vos in nomine Christi*, omnisque clerus et populus ab oratione sur- C gebant, et episcopus imponebat manus super pœnitentes, et orationem fundebat. Oratio quæ a sacerdote dicebatur nostro Missali, hoc loco, excidit. Fortasse ea erat quæ sabbato sancto, post lectionem Jonæ prophetæ, pro pœnitentibus funditur; certe huic similis fuit. Absoluta oratione, diaconus clamabat : *Completa oratione vestra, pœnitentes, simul dicite Amen*. Et continuo omnes una voce respondebant *Amen*. Confer Ordinem Romanum quintum Hittorpii, ubi de scrutinio agitur (*pag*. 33, *col*. 1). Tum diaconus iterum clamabat : *State locis vestris ad missam*, hoc est *ad missam faciendam*; quasi dixisset : nolite per cœtum fidelium vagare, sed per classes *locis vestris state*, missionem ab Ecclesia faciendam exspectantes, ut ordinatim et sine tumultu fiat. Demum clamabat : *Catechumeni, exite; pœnitentes, exite*, et ab ecclesia recedebant si qui erant infideles, hæretici, Catechumeni et pœnitentes, omnes denique quibus sacris interesse fas non erat ordinatim abibant, remanebant soli fideles, qui etiam diligen- D ter observabant ne quis remansisset eorum qui abiisse debebant. Ostiarii fores ecclesiæ claudebant, et qui demissi fuerant ante januam, in porticu, tempore sacrificii orabant. Sanctus Augustinus : *Ecce post sermonem fit missa Catechumenis, manebunt fideles*. Mos idem in Gallia. Sanctus Germanus : *Catechuminum diaconus ideo clamat ut... exirent foris qui digni non erant stare dum inferebatur oblatio*. Cæterum, ut dixi, preces diaconus imperabat, collectam sacerdos, qui manus imponebat, aut presbyter dicebat.

[e] *Antequam Sacerdos faciat ablutionem manuum*. Hæ preces, ut ex aliis locis Missalis apparet, debent dici antequam offertorium, sive sacrificium dicatur, atque adeo antequam Sacerdos manus lavet.

[f] *Sacrificium*. Ex psal. XXVIII. ℣. Ibid., 2.

[g] *Quo tam anime quam corporis preparati*. Lege : *Quo tam anima quam corpore preparati*.

℟. Amen.

Ad pacem. Extingue in nobis Domine omnes libitus carnalis concupiscentie : per abstinentie sacrate virtutem. Ut cum a nostris cordibus radicitus cuncta eraseris vitia : tua in nobis permaneat charitas sempiterna.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Pater : nos tibi semper gratias agere : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. In quo nihil suum princeps mortis invenit : qui semper illum salutari jejunio jejunare cognovit. Ut volentibus vivere continenter et sobrie : principalis fieret forma justicie. Tunc posse repelli docens malignos spiritus : cum jejuniis et orationibus exercetur affectus. Unde merito eum crucifixum terra tremuit : morientem corruptio non invasit : resurgentem mundus credidit : et ascendentem celestis exercitus adoravit : reversurum vox angelica nunciavit. Cui merito etiam omnes angeli clamare non cessant : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post sanctus. Oratio. Vere sanctus vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : qui quadraginta diebus et noctibus jejunavit : et postea esuriit. Tantorum quippe dierum jejunando protelationem explens : quia Deus erat : et postea esuriens : quia hominem verum assumpserat : Christus Dominus ac Redemptor eternus.

100 *Post pridie.* Offerentes tibi Domine oblationum vota : celebrantesque jejuniorum festa supplici corde : et propria voluntate de tua misericordia presumentes : rogamus : ut hec hostia que a nobis indignis offertur : gratiam in conspectu majestatis tue inveniat : benedictionumque tuarum ubertate repleta : dum nostris fuerit percepta visceribus : cunctarum sordium squalores rad citus a nostris cordibus pellat : et remedium nostris mentibus : corporibusque salutem adquirat.

Ad confractionem panis. Antifona. usq. ad mediam Quadragesim. Fiat misericordia tua Domine super nos : sicut speravimus in te.

Ad orationem Dominicam.

Si nostis fratres charissimi Deum sibi decimas rerum velle offerri : noveritis etiam hos dies de diebus vite nostre : de expleto scilicet anno decimarum loco nos debere Deo persolvere. Ideoque preteritorum veniam implorantes : simus orationi et jejunio unanimiter insistentes : atque orationis dominice memores : cordis simul et oris officio clamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Confirmet Dominus in timore sui nominis corda vestra : et abstinentie vestre sanctificet obsequellam. ℟. Amen. Habitante quoque in vobis sanctificatione jejunii : ab omnibus mereamini criminibus expiari. ℟. Amen. Ut ei in vobis habitaculum mundissimum per abstinentiam preparetis : cujus fidei vexillum in fronte portatis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. ℣. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat chorus.* Qui venit ad me non esuriet. *Et oratio.* Reple Domine cor. *Require retro Dominica prima Quadrages. fol.* 98.

FERIA SEXTA AD MISSAM.

Lectio Libri Ecclesiastici Salomonis ([a] *Cap. XXIX*).

℟. Deo gratias.

Fili. Qui facit misericordiam : [b] fenerat proximum. et qui prevalet manu : mandata servet. Fenera proximum in tempore necessitatis illius : et iterum redde proximo in tempore suo necessitatem. Confirma verbum : et fideliter age cum illo : in omni tempore invenies quod tibi necessarium est. Multi quasi inventiones estimaverunt fenus : et prestiterunt molestiam his qui se adjuvaverunt. Donec accipiat osculatur manum dantis : et in promissionibus humiliat vocem suam : et in tempore redditionis postulabit tempus : et loquitur verba accidie et murmurationum : et tempus causabitur. Si autem potuerit reddere adversatur solide : et vix reddet dimidium : et computabit illud quasi inventionem. Si autem fraudavit eum pecunia sua : et possidebit eum inimicum gratis : et convicia et maledicta reddet ei pro honore et beneficio : reddet ei contumeliam. Verumtamen super humilem patiens esto : et in elemosynam non pertrahas illum. Propter mandatum adsume pauperem : et propter inopiam ejus ne dimittas illum [c] vacuum. Conclude elemosynam in corde pauperis : et hee pro te exorabit ab omni malo. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis ([d] *Cap. XXXI, XXXII*).

In diebus illis. Surrexit Jacob : Et impositis liberis et conjugibus suis super camellos : et abiit. Tulitque omnem substantiam suam et greges : et quicquid in Mesopotamia quesierat : pergens ad Isaac patrem suum in terra Chanaam. Eo tempore Laban ierat ad tondendas oves : et Rachel furata est idola patris fui. Noluitque Jacob socero confiteri quod fugeret. Cumque abisset tam ille quam omnia que juris ejus erant : et amne transmisso : pergeret contra montem Galaad : nunciatum est Laban die tertio : quod fugeret Jacob. Qui assumptis fratribus suis : persecutus est eum dies septem : et comprehendit eum in monte Galaad. Viditque in somnis dicentem sibi Deum. Cave : ne quicquam aspere loquaris contra Jacob. Jamque Jacob extenderat in montem tabernaculum. Cum ille consecutus eum fuisset cum fratribus suis in eodem monte Galaad : fixit tentorium et dixit ad Jacob. Quare ita egisti ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti : nec indicare mihi ut prosequerer te cum gaudio et canticis et timpanis et cithara? Non es passus : ut oscularer **101** filios meos ac

[a] *Cap. XXIX.* Vers. 1-16.
[b] *Feneat proximum.* Vulg., *feneratur proximo*

[c] *Vacuum.* Omittuntur versiculi 13 et 14.
[d] *Cap. XXXI.* Vers. 17-XXXII, 1.

filias. stulte operatus es. Et nunc valet quidem manus mea reddere tibi malum. Sed Deus patris vestri heri dixit mihi. Cave : ne loquaris cum Jacob quicquam durius. Et si tu ad tuos ire cupiebas : et desiderio tibi erat domus patris tui : cur furatus es Deos meos? Respondit Jacob. Quod inscio te profectus sum : timui ne violenter auferres filias tuas. Quod autem furti me arguis; apud quemcumque inveniris Deos tuos : necetur coram fratribus nostris. Scrutare quicquid tuorum [a] erga me inveneris : et aufer. Hec dicens : ignorabat quod Rachel furata esset idola. Ingressus itaque Laban tabernacula Jacob et Lie et utriusque familie : non invenit. Cumque intrasset tabernaculum Rachelis : illa festinans abscondit [b] idolum subter stramenta camelli : et sedit desuper. Scrutatique omne tentorium : et nihil invenienti ait : Ne irascatur Dominus meus quod coram te surgere nequeo : quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi. Sic delusa sollicitudo querentis est. Tumensque Jacob cum jurgio ait. Quam ob culpam meam : et ob quod peccatum sic exarsisti post me et scrutatus es omnem suppellectilem meam? Quid invenisti de cuncta substantia domus tue? Pone hic coram fratribus meis et fratribus tuis : et judicent coram me et te. Idcirco viginti annos fui tecum : oves tue et capre non fuerunt steriles : arietes gregis tui non comedi nec captum a bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam. Quidquid furti perierat : a me exigebas. Die noctuque estu [c] arebam et gelu : fugiebatque somnus ab oculis meis. Sic per viginti annos in domo tua servivi tibi : quatuordecim pro filiabus : sex pro gregibus tuis. Immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. Et nisi Deus patris mei Abraam et timor Isaac affuisset mihi : forsitan nudum me dimisisses. Afflictionem meam et laborem manuum mearum respexit Deus : et arguit te heri. Respondit Laban. Filii et filie et greges tui et omnia que cernis mea sunt. Quid possum facere filiis et nepotibus meis : Veni ergo et iniamus fedus : ut sit testimonium inter me et te. Tulit itaque Jacob lapidem : et erexit illum : dixitque fratribus suis. Afferte lapides. Qui congregantes : feceruntque tumulum : comederuntque super eum. quem vocavit Laban : tumulus testis. Et Jacob : acervum testimonii. uterque juxta proprietatem lingue sue. Dixitque Laban. Tumulus iste testis erit inter me et te hodie. Et idcirco appellatus est nomen ejus Galaad : id est tumulus testis. Intueatur Dominus et judicet inter nos : quando recesserimus a vobis. Si afflixeris filias meas : et si introduxeris uxores alias super eas : nullius sermonis nostri testis est absque Deo : qui presens respicit. Dixit rursus Jacob. En tumulus hic et lapis quem erexi inter me et te : testis erit tumulus inquam iste et lapis sit in testimonium. Si aut ego transiero illum pergens ad te : aut tu preterieris : malum mihi cogitans : Deus Abraam : Deus Nachor : judicet inter nos Deus patris eorum. Juravit Jacob per timorem patris sui Isaac : immolatisque victimis in monte : vocavit fratres suos : ut ederent panem. Qui cum comedissent : manserunt ibi. Laban vero de nocte consurgens : osculatus est filios ac filias suas : et benedixit illis : reversusque est in locum suum : Jacob quoque abiit itinere quo ceperat.

℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum etc.

Tractus. Deducant oculi mei lachrymas : et palpebre mee fluant aquas : quia vox lamentationis audita est super me. ℣. Propterea amare flebo : angustia possedit me : emarcuit cor meum : tenebre stupefecerunt me. ℣. Ve mihi quia defecit anima mea et sensus cordis mei turbati sunt in me.

Dicat. Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Jacobi Apostoli ad XII tribus ([d] *Cap. II*).

Deo gratias.

Fratres. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi glorie. Etenim si introierit in conventum vestrum : vir aureum anulum habens in veste candida. introierit autem et pauper in sordido habitu : et intendatis in eum qui indutus est veste preclara : et dixeritis ei : tu sede hic : bene. pauperi autem **102** dicatis : tu sta illic aut sede sub scabello pedum meorum : Nonne judicastis apud vosmetipsos : et facti estis Judices cogitationum iniquarum ? Audite fratres mei dilectissimi. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo : divites in fide et heredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicium ? Nonne ipsi blasfemant bonum nomen quod invocatum est super vos ? Si tamen legem perfecistis regalem secundum scripturas : diliges proximum tuum sicut te ipsum : benefacitis. Si autem personam accipitis : peccatum operamini : redarguti a lege quasi transgressores. Quicumque autem totam legem servaverit : offendat autem in uno : factus est omnium reus. Qui enim dixit non mechaberis : dixit et non occides. Quod si non mechaberis : occides autem : factus es trangressor legis. Propter quod sic loquimini : et sic facite : sicut per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim sine misericordia : illi qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia in [e] judicio. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Johannem ([f] *Cap. VI*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur Phariseis et turbis dicens. Operamini non

[a] *Erga me*. Vulg., *apud me*.
[b] *Idolum*. Vulg., *idola*.
[c] *Arebam*. Vulg., *urebar*.
[d] *Cap. II*. Vers. 1-14.
[e] *Judicio*. Vulg., *judicium*.

[f] *Cap. VI*. Vers. 27-38. In Sacramentario Bobiano (*Pag.* 310) extra ordinem occurrit *lectio Evangelii secundum Joannem quæ legitur tertia Dominica*, scilicet Quadragesimæ. Est autem, satis prolixa, desumpta ex Joan. VI, 28-56. In Missali nostro, in tria

cibum qui periit : sed qui permanet in vitam eternam : quem filius hominis [a] dabit vobis. Hunc enim pater signavit Deus. Dixerunt ergo ad eum. Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondit Jesus et dixit eis. Hoc est opus Dei : ut credatis in eum quem misit ille. Dixerunt ergo ei. Quod ergo tu facis signum : ut videamus et credamus tibi : quid operaris? Patres nostri manna manducaverunt in deserto : sicut scriptum est. Panem de celo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Jesus. Amen amen dico vobis : non Moyses dedit vobis panem de celo : sed pater meus dabit vobis panem de celo verum. Panis enim Dei est qui descendit de celo : et dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum. Domine : semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jesus. Ego sum panis vite. Qui venit ad me : non esuriet. Et qui credit in me : non sitiet unquam. Sed dixi vobis : quia et vidistis me : Et non credidistis. Omne quod dat mihi pater : ad me veniet : et eum qui venit ad me : non ejiciam foras. Quia descendi de celo : non ut faciam voluntatem meam : sed voluntatem ejus [b] qui misit me. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. [c] *Lauda.* Laudate Dominum qui timetis eum in medio Ecclesie. ℣. Laudabunt Dominum qui requirunt eum. *P.* In medio Ecclesie.

Preces : Penitentes orate. *Et Sacrificium.* Offerte Domino mundum.

Quere retro in quarta feria prime hebdomade. fol. 99.

Missa. Omnipotens Deus : tibi supplices fundimus preces : qui operis tui damno in deceptione primi hominis non letatus : salubre victorie gaudium prestitisti. Quo in declinando auctorem criminis : ipsum [d] peccati fomitem e mentibus posteritatis extirparet. Ut ille hostis jejunio ; haberet abstinentia vincente pernitiem : qui in edulio habuerat gula precipitante virtutem. Precipuoque jejunii medicamine calcaretur suggestio pernitiosa serpentis : si precepti custodia premisisset appetitum voluptatis. Et salutifero continentie rigore suscepto : atque edacis animi assentatione posthabita : hic caput anguis extingueret : qui principium damnaret erroris. Ergo Domine : qui sine te nec evadere nos constat nosse : nec vincere : tu in nobis operare pro nobis. Ut inter illum Adam qui periit in paradiso : et inter illum qui vicit in he-
A remo : non nobis imitabilis sit ille qui prior : sed iste qui melior. ac magis muneris consideratione quam temporis : ille [e] ad immolandum primus sit : qui secundus. Cujus sic in nobis exempli vivat utilitas : ut in tempore quo est anima sanctificanda jejunio : liberante Auctore : temperie ita habeat natura substantiam : ne per incontinentiam veniat ad ruinam. ℟. *Chorus.* Amen.

Alia Oratio. Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum : et quicquid in conceptum desiderii nostri [f] illud pestilens **103** animal nocendi : arte [g] sollicitum : commentis blandientibus innodavit : proposito terrore sententie sub imperio crucis : et testimonio redemptionis absolve. Ut nos in hac diversitate bonorum omnium que creasti : ad speciem paradisi
B constitutos : dulcia vini sui mala non capiant : et interdicte rei gustum : mens fraude corrupta, consilii non requirat. Sicque rigorem suum virilis animus : idest spiritus probabili virtute custodiat : ut deceptum feminee fragilitatis hortatum : idest carnis libidinem non sequatur. Vocem tuam Domine : qui peccat accipiat : et nudum coram se tuis oculis expavescat. Atque in conscientie sue agnitione confusus : penitentie se velamine a facie tui terroris abscondat. Et ita arguentis increpatione conterritus : expavescat : quod audivit : ut corrigat quod deliquit. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Recipe Domine jejunantium fidem : et offerentium pronam devotionem. Ut que te cum voto jejunii imploramus : tam in nobis quam defunctis fidelibus : necessaria remedia impetremus.
C ℟. Amen.

Ad pacem oratio. Jesu collatio vite perhennis : nostrum quesumus jejunium acceptabile fiat in oculis tuis. quo hujus jejunii litatione : et carnis nostre inedia convalescat : et anima donum perfecte dilectionis obtineat.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus. Qui postea quam plasma tuum fallacis tibi intemperans appetitus : in tran gressione preceptionis abductum habitaculo jocunditatis [h] extrusit : ne succiduam prolem peccati ex traduce lex teneret : verum nobis panem in filio : cujus esus vitam redderet contulisti. Qui de celo
D descendens : [i] archana fidelium gratia sue confes-

Evangelia distributa, eadem lectio feria 6 hebdomadæ primæ, feria 4 et 6 hebdomadæ secundæ legitur.

[a] *Dabit.* Vulg., Gr. : *Dat vobis panem de cœlo verum.* Cod. Vercellensis : *Dat vobis panem de cœlo illum verum.* Cod. Veronen. : *Dat vobis panem de cœlo, illum verum panem.*

[b] *Qui misit me.* Ita etiam legit Vulgata ; at Sacramentarium Bobianum legit *qui misit me Patris.* Codex Vercellensis, *qui me misit Patris.* Veronensis, *sed voluntatem Patris qui me misit.*

[c] *Lauda.* Ps. xxi, 24. ℣. Ps. xxi, 27.

[d] *Peccati fomitem.* Gulam appellat peccati fomitem.

[e] *Ad immolandum.* Forte *ad imitandum.*

[f] *Illud pestilens animal.* Diabolum indigitat ; antiquiores enim angelos tam bonos quam malos, animam humanam et hominem animalia appellabant. Sanctus Gregorius papa (*Hom.* 10 *in Evang., quæ est de Epiphania*) angelum *rationale animal* dixit. Theodoretus (*In Ezechielis caput* i, 1) : Est, inquit, *animal rationale et homo, et angelus, sed ille rationale mortale animal, hic rationale immortale animal.* Eodem sensu sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Cat.* 4) animam humanam definivit *animal rationale incorruptibile.*

[g] *Sollicitum.* Lege *solicitum.*

[h] *Extrusit.* Fortasse legendum : *Qui postea quam plasmatum intemperans, fallaci sibi appetitu in transgressionem præceptionis abductum, habitaculo jucunditatis extrusisti*, etc.

[i] *Archana.* Lege *arcana*, sacra nimirum fidelium mysteria.

sionis impleret : et per verbi potentiam prestaret A alimoniam : [a] nec sentiret expensam. Doceretque ita probabili jejunio se querendum : ut non escis servire nos cupiat : [b] sed preceptis. Solumque si esset simplex fides : victrix esset esuries. et vivere se credere posset in verbo : qui se redemptum nosset ex verbo. Ac fidei beneficio hoc sibi esset in cibo : quod fuisset in precio. Suique corporis oblatione vel sanguinis : qui erat vita : hoc daret ad vitam : unde redimeret vitam. Et per hoc maneremus in illum : per quod maneret in nobis. Sic potentiam retinens deitatis : sic gratiam dilectionis ostendens : ut per cujus cibi substantiam in eternum vellet vivere : quos vocasset : sed in ipsum vellent vivere : quos pavisset. Cui merito omnes angeli et archangeli non cessant clamare quotidie : una voce dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere gloriosus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : qui subsistendi nobis in labore fortitudinem donat : cum inedie nostre ubertatem sue dulcedinis administrat : ipse Dominus ac Redemptor eternus.

Post pridie. Pelle Domine a corde nostro scandalum : et oblatum tibi hujus jejunii nostri suscipe sacrificium. Quo emundati delictis horum sacramentorum perceptione : et parsimonie apud te mereamur invenire mercedem : et virtutum spiritualium consequi dignitatem. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Fiat misericordia tua Domine super nos : sicut speravimus in te.

Ad orationem Dominicam. Redemptor fortissime Deus noster : qui inspicis contritionis nostre affectum : probabile tibi effice hoc jejunium nostrum. Ut qui te Patrem habere dignoscimur : paternitatis a te gratia exaudiri promereamur e terris. Pater noster qui. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et. *Benedictio.* Sanctificet Dominus corda et corpora vestra : et sibi vos faciat militare per abstinentiam. ℟. Amen. Eo quippe auxiliante ab illicitis abstinere possitis : quo inspirante jejunii vos maceratione affligitis. ℟. Amen. Ab eo quoque reficiamini spiritualibus epulis : qui nostris apud Patrem intercessor est pro peccatis. ℟. Amen. Per misericordiam etc.

Dicat Chorus. Qui venit ad me non esuriet : qui credit in me non sitiet **104** unquam. ℣. Ego sum lux mundi : et qui sequitur me non ambulabit in tenebris : sed habebit lucem vite. *P.* Qui venit ad me. ℣. Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem : in me manet et ego in illo. *P.* Qui venit. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum Amen. *P.* Qui bibit et credit in me non morietur in eternum.

Hec Antifona dicatur post communionem. Repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra in exultatione.

Oratio. Reple Domine cor nostrum leticia : qui nobis dare dignatus es sacri corporis tui Eucharistiam : ut qui escarum perceptione reficimur : spiritualibus beneficiis adimpleri feliciter mereamur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui B es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace.

DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA.

Ad Missam. Prophetia.

Lectio libri proverbiorum Salomonis ([c] *Cap. XIIII, XV*).

℟. Deo gratias.

Fili : in corde prudentis requiescit sapientia : et indoctos quoque erudiet. Justicia elevat gentem : miseros facit populos peccatum. Acceptus est Regi Minister intelligens : iracundiam ejus inutilis sustinebit. Responsio mollis frangit iram : sermo durus C suscitat furorem. Lingua sapientium ornat scientiam. Os fatuorum ebullit stulticiam. In omni loco oculi Dei contemplantur bonos et malos. Lingua placabilis lignum vite : que immoderata est conteret spiritum. Stultus irridet disciplinam [d] patris : qui autem custodit increpationes : astutior fit. Domus justi plurima fortitudo : et in fructibus impii conturbatio. Labia sapientium disseminabunt scientiam : cor stultorum dissimile erit. Victime impiorum abhominabiles Domino : vota justorum placabilia.

℟. Amen.

Lectio libri Genesis ([e] *Cap. XLI*).

℟. Deo gratias.

In diebus illis. Post duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium : de quo ascen- D debant septem boves pulchre et [f] grasse nimis : et

[a] *Nec sentiret.* Fortasse, *quæ nec sentiret expensam.* Sanctus Chrysostomus (*Hom.* 17, *in Epist. ad Hebr.*) Eucharistiam appellat *victimam quæ consumi non potest.* Et in Missali Gallo-Gothico (*In contestatione fer.* 4 *post Pascha*) de Christo dicitur : *Hic est agnus Dei... qui se pro nobis offerendo non desinit, nosque apud te,* Deum Patrem, *perpetua advocatione defendit, quia nunquam moritur immolatus, et semper vivit occisus.* Eadem prorsus in veteri Missali Gallicano leguntur (*Fer.* 4 *post Pascha in immolatione missæ*) et in Sacramentario Bobiano, in tertia missa paschali.

[b] *Sed preceptis.* Catholicus enim non jejunat, neque a vino, a carnium esu, a lacte et similibus abstinet, quia alimenta in usum hominum a Deo creata mala esse putat et detestanda, hæc Priscillianistarum et Manichæorum insania est; sed jejunat ut Dei ejusque Ecclesiæ præceptis obtemperet.

[c] *Cap. XIV.* Vers. 33-xv, 1-8. In Sacramentario Bobiano (*Pag.* 309) habetur : *Lectio sancti Evangelii secundum Lucam, quando historia de Josep. legitur,* et subjicitur Evangelium de filio prodigo (*Luc.* xv, 1-32). Est ibid. (*Pag.* 308) satis prolixa *contestatio de Josep.* Historia Josephi apud Gotho-Hispanos hac die legebatur, et fortasse Dominica tertia Quadragesimæ Galli legebant Evangelium de filio prodigo, quod in nostro Missali legitur Dominica 8 post octavas Epiphaniæ.

[d] *Patris.* Vulg., *Patris sui.*

[e] *Cap. XLI.* Vers. 1-46.

[f] *Grasse.* Lege *crassæ.*

pascebantur in locis palustribus. Alie quoque septem A mergebant de flumine : fede confecteque macie pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus. Devoraveruntque eas : quarum mira species : et habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao : rursum dormivit : et vidit aliud somnium. Septem spice pullulabant in culmo uno plene atque formose. Alie quoque totidem spice tenues et percusse uredine oriebantur : devorantes omnem priorem pulchritudinem. Evigilans post quietem : et facto mane : pavore perterritus : misit ad conjectores Egypti : cunctosque sapientes. Et accersitis narravit somnium : nec erat qui interpretaretur. Tunc demum reminiscens pincernarum magister ait. Confiteor peccatum meum. Iratus rex servis suis : me et magistrum pistorum retrudi jussit in carcerem principis militum. B Ubi una nocte uterque vidimus somnium presagum futurorum. Erat ibi puer hebreus : ejusdem ducis militum famulus. Cui narrantes somnia audivimus quicquid postea rei probavit eventus. Ego enim redditus sum officio meo : et ille suspensus est in patibulo. Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt : ac veste mutata obtulerunt ei. Cui ille ait. Vidi somnia nec est qui edisserat : que audivi te sapientissime conjicere. Respondit Joseph. Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni. [a] Narravit ergo quod viderat. Putabam me stare super ripam fluminis : et septem boves de amne conscendere : pulcras nimis et obesis carnibus : que in pastu paludis virentia carpebant. Et ecce assequebantur alie septem boves in tantum deformes et macilente : ut nunquam tales in terra Egypti viderim. C Que devoratis et consumptis prioribus : nullum saturitatis dedere vestigium : sed simili macie : et squalore torpebant. Evigilans rursus sopore depressus : vidi somnium aliud. Septem spice pullulabant in culmo uno plene, atque pulcherrime : alie quoque septem tenues et percusse uredine oriebantur e stipula : **105** que priorem pulcritudinem pariter devorabant. Narravi conjectoribus somnium : et nemo est qui edisserat. Respondit Joseph. Somnium regis unum est : quod facturus est Deus ostendit Pharaoni. Septem boves pulcre et septem spice plene : septem ubertatis anni sunt : eandemque vim somnii comprehendunt. Septemque boves tenues atque macilentes : que ascenderunt post eas : et septem spice tenues et vento urente percusse : septem anni sunt venture famis : qui hoc ordine complebuntur. D Et septem anni venient fertilitatis magne in universa terra Egypti. Quos sequentes septem anni alii tante sterilitatis : ut oblivioni tradantur cuncta retro abundantie. Consumptura est enim fames omnem terram. Et ubertatis magnitudinem perditura est inopie magnitudo. Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium : firmitatis [b] judicium est : eo quod fiat sermo Domini : et velocius impleatur. Nunc ergo provideat rex virum sapientem et industrium : et preficiat eum terre Egypti. qui constituat prepositos per singulas regiones : et quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis : qui jam nunc futuri sunt : congreget in horrea : et omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur. Serveturque in urbibus : et paretur future septem annorum fami : que oppressura est Egyptum : et non consumetur terra inopia. Placuit Pharaoni consilium : et cunctis ministris ejus. Locutusque est ad eos. Num invenire possumus talem virum : qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph : quia ostendit tibi Dominus Deus omnia que locutus es : numquid sapientiorem et similem tui invenire potero? Tu eris super domum meam : et ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Uno tantum regni solio te precedam. Dicensque rursus Pharao ad Joseph. Ecce constitui te super universam terram Egypti. Tulitque anulum de manu sua : et dedit eum in manu ejus : vestivitque eum stola byssina : et collo torquem auream circumposuit. Fecitque ascendere super currum suum secundum [c] clamantem preconem ut omnes coram eo genu flecterent : et prepositum esse scirent universe terre Egypti. Dixit quoque Rex ad Joseph. Ego sum Pharao. Absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem : in omni terra Egypti. Vertitque nomen illius et vocavit eum lingua Egyptiaca : Salvatorem mundi.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu.

[d] *Psallendo.* Quam preciosa est misericordia tua Domine : Deus meus. ℣ Attrahe misericordiam tuam scientibus te : et justitiam tuam rectis corde. *P.* Deus. ℣. Ne veniat mihi pes superbie : et manus impiorum non me commoveat. *P.* Deus.

Hic dicat Sacerdos sequentes preces illo modo : ut dictum fuit in primo Dominico Quadragesime fol. 93. *Preces.* Miserere et parce clementissime Domine populo tuo : quia peccavimus tibi. ℣. Prostrati omnes lachrymas producimus : pandentes tibi occulta que admisimus : a te Deus veniam deposcimus. *P.* Quia. ℣. Orationes sacerdotum accipe : et queque postulant affluenter tribue : ac tue plebi miserere Domine. *P.* Quia. ℣. Furorem tuum adduxisti super nos : nostra delicta dira curvaverunt nos : et absque ulla spe defecimus. *P.* Quia peccavimus. ℣. Traditi sumus malis que nescimus : et omne malum inruit super nos : et invocamus : et non audivimus. *P.* Quia. ℣. Omnes clamamus : omnes te requirimus : te penitentes lachrymis prosequimur : cujusque iram ipsi provocavimus. *P.* Quia. ℣. Te deprecantes te gementes poscimus : te Jesu Christe prosternati petimus : tua potestas jam sublevet miseros. *P.* Quia. ℣. Confessionem tue plebis accipe : quam lamentantes coram te effundimus : et pro admissis corde ingemiscimus. *P.* Quia. ℣. Pacem rogamus pacem no-

[a] *Narravit ergo.* Vulg., *narravit ergo Pharao.*
[b] *Judicium.* Vulg., *indicium est.*

[c] *Clamantem preconem.* Lege *clamante præcone.*
[d] *Psallendo.* Ps. xxxv, 8, 11, 12.

his tribus : ammove bella et nos omnes erue : humili prece postulamus Domine. *P.* Quia. ℣. Inclina aurem Deus clementissime jam abluentur delictorum macule : et a periculis tu benignus exime. *P.* Miserere et parce.

Totum. Oratio. Exaudi orationem nostram.

Et omnia alia require in primo Dominico Quadragesime fol. 94. Presb. Silentium facite.

106 *Sequentia epistole Jacobi Apostoli ad XII tribus* ([a] *Cap. II*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Quid prodest si fidem quis dicat se habere : opera autem non habeat. Num potest fides salvare eum? Si autem frater aut soror nudi sunt : et egeant victu quotidiano : dicat aliquis : ite in pace : calefacimini : et saturabimini : et non dederitis autem eis que necessaria sunt corpori : quid proderit? Sic et fides. Si non habeat opera : mortua est in semetipsa. Sed dicit aliquis. Tu fidem habes : et ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus : et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est Deus : bene facis. Et demones credunt : et contremiscunt. Vis autem scire o homo inanis : quoniam fides sine operibus [b] ociosa est. Abraam pater noster : nonne ex operibus justificatus est : offerens Isaac filium suum super altare. Vides quoniam cooperabatur operibus illius : et ex operibus fides consummata est : et suppleta est Scriptura [c] dicente. Credidit Abraam Deo : et reputatum est illi ad justiciam : et amicus Dei appellatus est.

℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Johannem (*Cap.* [d] *IX*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus cum exiret de templo : vidit hominem cecum a nativitate. Et interrogaverunt eum discipuli sui. Rabbi : quis peccavit : hic aut parentes ejus : ut cecus nasceretur? Respondit Jesus. Neque hic peccavit : neque parentes ejus : sed ut manifestarentur opera Dei in illo. Me autem oportet operare opera ejus qui m sit me : dum adhuc dies est. Veniet nox : quando nemo potest operari. Quandiu in mundo sum : lux sum mundi. Hec cum dixisset : expuit in terram : et fecit lutum ex sputo : et liuivit lutum super oculos ejus : et dixit ei. Vade : et lava in natatoria Syloe : quod interpretatur Missus. Abiit ergo : et lavit : et venit videns. Itaque vicini et qui viderant eum prius : quia mendicus erat : dicebant. Nonne hic est qui sedebat et mendicabat? Alii dicebant : quia hic est. Alii autem. Nequaquam : sed similis est ei. Ille autem dicebat : quia ego sum. Dicebant ergo ei. Quomodo aperti sunt oculi tui? Respondit. Ille homo qui dicitur Jesus : lutum fecit et unxit oculos meos : et dixit mihi. Vade ad natatoria Syloe : et lava. Et abii et lavi : et ecce video. Dixerunt ergo ei. Ubi est ille? Ait. Nescio. Adducunt eum ad phariseos qui cecus fuerat. Erat autem sabbatum quando lutum fecit Jesus : et aperuit oculos ejus. Iterum ergo interrogabant eum pharisei : quomodo vidisset. Ille autem dixit eis. Lutum posuit mihi super oculos et lavi : et video. Dicebant ergo ex phariseis quidam. Non est hic homo a Deo : qui sabbatum non custodit. Alii dicebant : Quomodo potest homo peccator hec signa facere? Et scisma erat in eis. Dicunt ergo ceco iterum. Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit. Quia propheta est. Non crediderunt ergo Judei de illo : quia cecus fuisset et vidisset : donec vocaverunt parentes ejus qui viderat : et interrogaverunt eos dicentes. Hic est filius vester : quem vos dicitis quia cecus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes ejus : et dixerunt. Scimus quia hic est filius noster : et quia cecus natus est. Quomodo autem nunc videt : nescimus. aut quis ejus aperuit oculos : nescimus. Ipsum interrogate : etatem habet : ipse de se loquatur. Hec dixerunt parentes ejus : quia timebant Judæos. Jam enim conspiraverant Judei : ut si quis eum confiteretur Christum : extra sinagogam fieret. Propterea parentes ejus dixerunt : quia etatem habet : ipsum interrogate. Vocaverunt ergo rursus hominem qui fuerat cecus : et dixerunt ei. Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo ille. Si peccator est nescio : unum scio quod cecus cum essem : modo video. Dixerunt ergo illi. Quid fecit tibi : quomodo aperuit oculos tuos? Respondit eis. Dixi vobis . jam audistis. Quid iterum vultis audire? Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri? Maledixerunt ei : et dixerunt. Tu discipulus illius **107** sis : nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus. Hunc autem nescimus unde sit. Respondit ille homo et dixit eis. In hoc enim mirabile est : quia vos nescitis unde sit : et aperuit oculos meos. Scimus autem : quia peccatores Deus non exaudit. Sed si quis Dei cultor est : et voluntatem ejus facit : hunc exaudit. A seculo non est auditum : quis aperuit oculos ceci nati. Nisi esset hic a Deo : non poterat facere quicquam. Responderunt et dixerunt ei. In peccatis natus es totus : et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras. Et audivit Jesus quia ejecerunt eum foras. Et cum invenisset eum : dixit ei. Tu credis in filium Dei? Respondit ille et dixit. Quis est Domine : ut credam in eum? Et dixit ei Jesus. Et vidisti eum : et qui loquitur tecum ipse est. At ille ait. Credo Domine : et procidens adoravit eum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. [e] *Lauda.* Laudabo nomen Dei mei cum cantico :

[a] *Cap. II.* Vers. 14-23.

[b] *Ociosa est.* Vulg., Græc., *mortua est.*

[c] *Dicente.* Lege *dicens.*

[d] *Cap. IX.* Vers. 1 36. Evangelium hoc, de cæco nato, in Ecclesia Gotho-Hispana legebatur Dominica tertia Quadragesimæ. In F[illegible]olaneusi [illegible] minica *de cæco* tertia quoque numeratur; est tamen revera quarta : primam enim *in capite Quadragesimæ* in numerum Dominicarum quadragesimalium non recensent.

[e] *Lauda.* Ps. LXVIII, 31. ℣. Ibid. 35.

et magnificabo eum in laude. ℣. Laudent illum celi A ac terra et mare et omnia que in eis sunt.

Hic dicat Sacerdos. Penitentes orate etc. *Illo modo ut dictum est retro feria quarta prime hebdomade folio 93.*

[a] *Sacrificium.* Hi dies exorationis sancti erunt vobis : et humiliabitis animas vestras : applicantes holocausta Domino Deo vestro. ℣. Omnis anima quecumque non se observaverit : exterminabitur de populo suo : isti enim vobis sunt dies. *P.* Exorationis.

Missa. Erigamus queso dilectissimi fratres corda nostra : ad consideranda divini mysterii sacramenta. Lectio etenim sancti Evangelii : que hodierna die [b] ad audiendum vos esse sollicitos : efficiet etiam eternitatis fructibus opulentos. Et sicut auditu eam fide integra percepistis : ita quoque fideli devotione quid- B dam in illa mysticum requiratis. Ea quippe que fecit Dominus noster Jesus Christus obstupenda atque miranda : et opera fuerunt et signa. Quia et operatio extitit in virtute : et signum in visione. Si ergo quod significet hoc quod factum est requiramus. Omne genus humanum significat iste cecus. Hanc enim piaculi cecitatem traductam ducimus ex homine primo : de quo non solum originem trahimus [c] nationis : sed et pondus iniquitatis. Ideoque si ex illo lumen amisimus : quod nostro ex merito in nobis reparare non possumus. Ecce adest Jesus ultroneus ad sanandum : qui cor contritum spectat et humiliatum : qui lacrymantibus dare promittit eterne consolationis remedium. Deferamus nos ei vota : mundemus corda : proferamus suspiria. Offeramus Deo C victimam mundam : lachrymis pedes ejus rigemus : et cum internis ei rugitibus supplicemus. Ut jam auferat a nobis tenebras nostri cordis, et ita in nobis fimet vim sue dilectionis : ne ullatenus deflectamus ad lapsum proprie cecitatis.

Alia oratio. [d] Deus qui humanarum mentium lux eterna : tu paternis iniquitatibus obscuratos illumina : ut restauret gratuita gratia : quicquid perdidit viciata natura. Ut qui in nobis aliquando tenebre fuimus : in te semper lucidi esse possimus. Nulla nobis amplius delictorum nebula dominetur : nulla nox iniquitatis in nobis te jugiter lucente nascatur. Esto famulis tuis perpetuus dies : in quo ambulantes non erremus ulterius : sed proficiamus in melius. Ut jam D Christi tui dilatato corde currentes : et vestigia Salvatoris cum eo qui cecus natus est amplectentes. Hec est enim victima salutaris : hec est oblatio sacrificii singularis. Adorare unigenitum tuum in veritate nostri corporis natum : et spreta malignantium sinagoga : cognoscere te in gentibus exaltatum.

℟. Amen.

Post nomina. Jesu Redemptor humani generis : restaurator eterne lucis. Presta nobis famulis tuis : ut sicut abluti sumus originali peccato per tinctionem baptismatis : cujus significationem habuit piscina illa : que oculis lumen prestitit cecis : ita quoque nos [e] secundo lacrymarum baptismate purifices 108 a delictis. Sicque mereamur precones effici laudis tue sicut cecus ille annunciator factus est gratie. Et sicut ille ad confitendum te verum Deum adimpletus est fide : ita nos quoque repleamur boni operis confessione. Atque tanta excellentia pietatis occurras te invocantibus pius : ut per hec libamina que tibi offerimus : et vivi obtineamus remedium salutare : et defuncti percipere mereamur eternum gaudium sine fine.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui tanta pace et dilectione hunc mundum dilexisti : ut per unigenitum filium tuum cuncta terrestria celestibus sociares miseratione gratuita : que cecitate primi hominis facta fuerunt inter se dissidentia. Da nobis ut qui obscuritate nostrorum criminum : a proximi dilectione avertimur : te in nobis perpetualiter lucente : ita in nominis tui dulcedine solidemur. Quatenus et amicos in te et inimicos propter te : alterne dilectionis vinculo amplectamus.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi gratias agere : Domine sancte pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui inluminatione sue fidei tenebras mundi expulit : et fecit filios esse gratie : qui tenebantur sub legis justa dannatione. Qui ita in judicium in hoc mundo venit : ut non videntes viderent : et videntes ceci essent. qualiter et hi qui in se tenebras confi erentur errorum : perciperent lumen eternum : per quod carerent tenebris delictorum. Et hi qui de meritis suis arrogantes lumen in semetipsos habere justicie [f] extimabant : in semetipsis merito tenebrescerent. qui elevati superbia sua et de justicia confisi propria : ad sanandum medicum non querebant. Per Jesum enim qui ostium esse dixit ad Patrem : poterant introire. Sed quia de meritis elevati sunt improbe : in sua remanserunt nihilominus cecitate. Proinde humiles nos venientes : nec de meritis nostris presumentes aperimus ante altare tuum sanctissime Pater vulnus proprium : tenebras nostrorum fatemur errorum : conscientie nostre aperimus archanum. Inveniamus quesumus in vulnere medicinam : in tenebris lucem eternam : innocentie puritatem in conscientia. Cernere etenim totis nisibus volumus faciem tuam : sed impedimur cecati tenebra consueta. Celos aspicere cupimus : nec valemus : dum cecati tenebris peccatorum : nec hos pro sancta

[a] *Sacrificium.* Ex Levitico, xxv, 27, 29.

[b] *Ad audiendum.* Lege *ad audiendum vos fecit esse sollicitos, efficiet*, etc.

[c] *Nationis.* Hoc est, *nativitatis, generis.* Vide du Cange, in glossario Latino, verb. *Natio.*

[d] *Deus qui.* Lege *Deus qui es*, etc.

[e] *Secundo lacrymarum baptismate.* Sanctus Isidorus (*De Off. Eccl.*, *l.* II, *c.* 16) docet quod *lacrymæ pœnitentium apud Deum pro baptismate reputantur et* pœnitentia passim dicitur *secunda post naufragium tabula.*

[f] *Extimabant.* Lege *existimabant.*

vita attendimus : qui propter excellentiam vite celi A nomine nuncupati sunt. Occurre igitur Jesu nobis in templo tuo orantibus : et cura omnes in hac die qui [a] in virtutibus facientes : noluisti sabbatum custodiri. Ecce ante gloriam nominis tui aperimus vulnera nostra : tu appone nostris infirmitatibus medicinam. Succurre nobis ut promisisti precantibus : [b] qui ex nihilo fecisti quod sumus. Fac collirium et tange oculos nostri cordis et corporis : ne cecique labamur in tenebrarum erroribus consuetis. Ecce pedes tuos rigamus fletibus : non nos abjicias humiliatos. O Jesu bone : a vestigiis tuis non recedamus : qui humilis venisti [c] in terris. Audi jam nostrorum omnium precem : et evellens nostrorum criminum cecitatem : videamus gloriam faciei tue in illa pacis eterne beatitudine proclamantes : atque ita dicentes.

Dicat Chorus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Oratio. Vere dies sempiternus : vere lucifer verus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui sic luce divinitatis sue claruit mundo : ut eum tenebrarum eriperet dominatu. Ut nos qui aliquando eramus tenebre : efficeremur in eo verum lumen. Qualiter eum cognosceremus per inluminationem fidei sue : qui pro nobis omnibus animam suam tradidit usque ad mortem : Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Tange quesumus Jesu fili Dei tenebras cordis nostri digitis tuis : ut ita te in nobis lucente peccatorum eruamur a tenebris : **109** qualiter ea que tibi offerimus luce perlustras eterne sanctificationis. Et nos ita mundes a viciorum inlecebris : ut sanctificati percipere mereamur eucharistiam corporis tui in visceribus nostris. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Fiat misericordia tua Domine super nos : sicut speravimus in te.

Ad Orationem Dominicam.

Oratio. Jesu preceptor : occurre nobis ambulantibus viam : cupientibus pervenire ad patriam. Ut precedente luce tua ambulemus [d] in viam rectam : nec oberremus in tenebram istius noctis horrendam : te in nobis lucente : qui es via veritas et vita. Da igitur nobis : ut sicut cecus ille per confessionem vere credulitatis obtinuit donum indulte salutis : ita nos adipiscamur in istius verbis effectum pie petitionis : cum ea que nos docuisti proclamaverimus e terris. Pater noster qui es in celis. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Benedictio. Omnipotens Jesus Christus qui virtute potentie sue cecis oculis prestitit medicinam : ipse oculos vestros ab omni vanitate avertat. ℟. Amen. Et qui illi prestitit se in veritate cognoscere : ipse corda vestra in sui nominis dilectione confirmet. ℟. Amen. Quique se per hoc miraculum ostendit ammirabilem populis : ipse vos ita dono impleat sancte virtutis : qualiter ad eternam vitam sine macula pervenire possitis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Dicat Presb. ad accedentes. Antifona. Ego sum ostium dicit Dominus : si quis per me introierit salvabitur : et ingredietur et regredietur et pascua inveniet. ℣. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem : in me manet et ego in illo. *P.* Et ingre. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Ego sum.

Com. Repletum est gaudium nostrum : et lingua nostra exultatione.

Oratio post Com. Reple Domine cor nostrum etc.

B *Require retro in primo Dominico Quadragesime, folio 98.*

FERIA QUARTA.

Ad Missam.

Lectio libri proverbiorum Salomonis ([e] *Cap. XXVII, XXVIII*).

℟. Deo gratias.

Fili. Diligenter agnosce vultum pecoris tui : tuosque greges considera. Non enim habebis jugiter potestatem : sed corona tribuetur tibi in generatione et generatione. Aperta sunt prata : et apparuerunt herbe virentes : et collecta sunt fena de montibus. Agni ad vestimentum tuum : et hedi agri precium. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos : et in necessaria domus tue : et ad victum ancillis tuis. Fugit C impius nemine persequente : justus autem quasi leo confidens absque terrore erit. Propter peccata terre : multi principes ejus : et propter hominis sapientiam : et horum scientiam que dicuntur vita ducis longior erit. Vir pauper calumnians pauperi : similis est imbri vehementi : in quo paratur fames. Qui derelinquunt legem : laudant impium : qui autem custodiunt : succenduntur contra eum. Viri mali non cogitant judicium : qui autem requirunt Dominum : animadvertunt omnia. Qui declinat aures suas ne audiat legem : oratio ejus erit execrabilis. Qui decipit justos in via mala : in interitu suo corruet : et simplices possidebunt terram. ℟. Amen.

Lectio Libri Exodi (*Cap.* [f] *II*).

D In illis diebus. Postquam creverat Moyses egressus ad fratres suos : vidit afflictionem eorum : et virum Egyptium percutientem quemdam de Hebrais fratribus suis. Cumque circumspexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset : percussum Egyptium abscondit sabulo. Egressus die altera conspexit duos Hebreos rixantes : dixitque ei qui faciebat injuriam. Quare percutis proximum tuum? Qui respondit : quis te constituit judicem : aut principem super nos? Numquid occidere me tu vis [g] sicut occidisti Egy-

[a] *In virtutibus facientes.* Lege *in virtutibus faciendis.*

[b] *Qui ex nihilo.* Hæc sæpe contra Priscillianistas inculcant, Deum esse hujus mundi auctorem, hominisque creatorem.

[c] *In terris.* Lege *in terras.*

[d] *In viam rectam.* Lege *in via recta.*

[e] *Cap. XXVII.* Vers. 23-XXVIII, 1-11.

[f] *Cap. II.* Vers. 11-III, 1-15.

[g] *Sicut occidisti.* Vulg., *sicut heri occidisti.*

xiam? Timuit Moyses et ait. Quo palam factum est verbum istud? Audiensque Pharao sermonem hunc: querebat occidere Moysen. Qui fugiens de conspectu ejus: moratus est in terra Madian: et sedit juxta puteum. Erant autem Sacerdoti **110** Madian septem filie que venerant ad hauriendas aquas. Et impletis canalibus: adaquare cupiebant greges patris sui. Superveneruntque pastores: et ejecerunt eas. Surrexitque Moyses [a] indefensis puellis: et adaquavit oves earum. Que cum revertissent ad Raguel patrem suum: dixit ad eas. Cur velocius venistis solito. Responderunt. Vir Egyptius liberavit nos de manu pastorum: insuper et hausit aquam nobiscum; potumque dedit ovibus. At ille. Ubi est inquit: quare dimisistis hominem? Vocate eum: ut comedat panem. Juravit ergo Moyses ut habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam ejus uxorem. [b] Que peperit filium: quem vocavit Gersam: dicens. Advena fui in terra aliena. Post multum vero temporis mortuus est Rex Egypti: et ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt. Ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus: et audivit gemitum eorum: ac recordatus est federis quod pepigerat cum Abraam: Isaac: et Jacob: Respexit filios Israel et cognovit eos. Moyses autem pascebat oves Jetro [c] cognati sui Sacerdotis Madian. Cumque minasset gregem ad interiora deserti: venit ad montem Dei Oreb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: et videbat quod rubus arderet: et non combureretur. Dixit ergo Moyses. Vadam et videbo visionem hanc magnam: quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum: vocavit eum de medio rubi: et ait. Moyses. Moyses. Qui respondit. Adsum. At ille. Ne appropriers inquit huc. Solve calciamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas: terra sancta est. Et ait. Ego sum Deus Patris tui: Deus Abraam: Deus Isaac: et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum. Cui ait Dominus. Vidi afflictionem populi mei in Egypto: et clamorem ejus audivi propter duriciam eorum qui presunt operibus. Et sciens dolorem ejus: descendi: ut liberarem eum de manibus Egyptiorum: et educerem de terra illa in terram bonam et spaciosam. In terra que fluit lacte et melle: ad locum Chananei et Cethei et Amorrei et Pherisei et Evei et Jebusei. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me: vidique afflictionem eorum: quomodo ab Egyptiis opprimuntur. Sed veni: mittam te ad Pharaonem: ut educas populum meum filios Israel de Egypto. Et dixit Moyses ad Deum. Quis ego sum: ut vadam ad Pharaonem: et educam filios Israel de Egypto? Qui dixit ei. Ego ero tecum. Et hoc habebis signum quod miserim te. Cum eduxeris populum meum de Egypto: immolabis Deo super montem istum. Ait Moyses ad Deum. Ecce ego vadam ad filios Israel: et dicam eis. Deus patrum vestrorum misit me ad vos: Si dixerint mihi: quod est nomen ejus: quid dicam eis? Dixitque Deus ad Moysen. Hec dices filiis Israel. Ego sum qui sum ait. Sic dices filiis Israel. Qui est: misit me ad vos: Dixitque iterum Deus ad Moysen. Hec dices filiis Israel. Dominus Deus patrum vestrorum: Deus Abraam: Deus Isaac: et Deus Jacob misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in eternum: et hoc memoriale meum in generatione et generationem.

℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Tractus. Ecce ego deprecabor Deum et placabilis mihi erit: et videbo faciem ejus in exultatione. ℣. Consumpta est caro mea a suppliciis: abhominabilis est mihi panis: contabuit cor meum: et ossa mea emarcuerunt. ℣. Erue me a corruptione et illumina in lucem viventium.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia epistole Jacobi Apostoli ad duodecim tribus ([d] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Fructus justicie in pace seminatur facientibus pacem. Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris: que militant in membris vestris? Concupiscitis: et non habetis: occiditis et zelatis: et non potestis adipisci. Litigatis et belligeratis: et non habetis: propter quod non postulastis. Petitis: et non accipitis: eo quod male petatis: ut in concupiscentiis vestris [e] consummamini. Adulteri: nescitis **111** quod amicitia hujus mundi: inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi hujus: inimicus Dei constituitur. Aut putatis quia inaniter Scriptura dicat: ad invidiam concupiscit Spiritus: qui habitat in vobis? Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Subditi igitur estote Deo. Resistite autem diabolo: et fugiet a vobis. [f] Appropiate Deo: et appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores: et purificate corda: duplices animo miseri estote. Lugete et plorate. Risus vester [g] in lucto convertatur: et gaudium [h] in merore. Humiliamini in conspectu Domini: et exaltabit vos.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([i] *Cap. VI*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur phariseis et turbis dicens. Ecce voluntas ejus: qui misit me patris: ut omne quod dedit mihi: non perdam ex eo: sed resuscitem illud in novissimo die. Hec est enim voluntas patris mei qui misit me: ut omnis qui videt filium et credit in

[a] *Indefensis.* Vulg., *et defensis.*
[b] *Que peperit filium.* Vulg., *et peperit ei filium.* Omittitur media pars versiculi 23, in qua de alio Moysis filio fit mentio.
[c] *Cognati sui.* Vulg., *socri sui.*
[d] *Cap. III.* Vers. 18-IV, 1-10.
[e] *Consummamini.* Vulg., *insumatis.*
[f] *Appropiate.* Vulgata legit *appropinquate.*
[g] *In lucto.* Lege *in luctum.*
[h] *In merore.* Lege *in merorem.*
[i] *Cap. VI.* Vers. 39-47.

eum : habeat vitam eternam. Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Murmurabant ergo Judei de illo : quod dixisset [a] ego sum panis qui de celo descendi : et dicebant. Nonne hic est Jesus filius Joseph : cujus nos novimus patrem et matrem ? Quomodo ergo dicit hic : quia de celo descendi ? Respondit ergo Jesus : et dixit eis. Nolite murmurare in invicem. Nemo potest venire ad me : nisi pater qui misit me traxerit eum. Et ego resuscitabo eum : in novissimo die. Est scriptum in prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre : et didicit : venit ad me. Non quia patrem vidit quisquam : nisi is qui est a Deo : hic vidit patrem. Amen amen dico vobis ; quia qui credit in me : habet vitam eternam.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℣. Et cum.

[b] *Lauda.* Laudabo nomen Domini cum cantico : et magnificabo eum in laude.

Preces. Penitentes orate.

Et Sacrificium. Offerte Domino mundum. *Require retro in feria IIII. prime ebdomade. Fol.* 99.

Missa. Omnipotenti Deo fratres charissimi : totis sensibus supplicemus : qui superbis resistere : et humilibus dare gratiam repromisit. Ut nos in horum dierum observatione : quos jejuniorum depositus ordo vel traditio dedicavit : humiliatos corpore et contribulatos corde dignanter intendat. et quibus prestitit humiliationis obsequium. ℟. Amen.

Alia oratio. Domine misericordiarum : et Deus summe perfecteque bonitatis : qui peccatorum propiciationem jejuniis : orationibus : et helemosynis querendam et obtinendam esse monstrasti : respicere dignare ad hanc humilitatis nostre confessionem. Ut qui inclinamur conscientia nostra ; erigamur misericordia tua. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Intuere piissime Domine jejunii nostri devotissimam precem : et offensis nostris propiciatus ignosce. Quo et humiliatio abstinentie tibi gloriam deferat : et oblatio hujus sacrificii requiem defunctis impertiat. ℟. Amen.

Ad pacem. Piissime Deus : arentes jejunio dilectionis vel pacis tue refice incremento. Ut qui tue adoptionis filii sumus : et scandalis careamus : et sincero alterne pacis osculo sociemur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi semper gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum Dominum nostrum. Qui est vita pereuntium animarum : refectio abstinentium : salus debilium : et consolatio contritorum. Qui corpora fessa in labore sustentat : qui animas in periculis salvat : et omnium humilium precibus quesite suffragationis remedia subministrat. Per ipsum ergo nos Deus Pater sanctifica : per quem nobis donare dignatus es vitam. Per ipsum apud te sit no-

A stri jejunii parsimonia acceptabilis : qui nos tibi reconciliavit per oblatum sui sacrificii corpus. Ut ligno Crucis sue in hujus mundi procellosa fluctuatione portemur ; et ad eum repulsis vitiis : ac repleti virtutibus veniamus. Cui merito omnes angeli et Archangeli non **112** cessant clamare quotidie una voce dicentes.

Dicat Chorus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus : vere gloriosus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : qui sanat contritos corde : et merentes erigit sospitate. Qui cor contritum et humiliatum non sprevit in nobis. qui per spiritualis parsimonie abstinentiam et animam salvat : et corpus liberat a ruina. Quia ipse est Deus noster ac redemptor eternus.

B *Post pridie.* Emitte Christe Fili Dei de sanctis celis tuis copiam tue benedictionis : quo et jejunium nostre devotionis gratum efficiatur in oculis tuis : et hec libamina benedictione dignificentur virtutis.

℟. Amen.

Ad confractionem panis dicat Presbiter. Antifona. Fiat misericordia tua Domine super nos : quemadmodum speravimus in te.

Ad orationem Dominicam.

Ad fontem lucis et originem bonitatis : te summe Deus concurrentes : precamur ut arentem jejunio carnem : tue foveas claritatis amore. affectum quoque nobis dona petitionis : exaudi nos de celis : cum ad te proclamaverimus e terris. Pater noster. Humilitate C vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus : inediam vestram reficiat miseratione gratuita. ℟. Amen. Respiciatque petitionis vestre clamorem : cum afflicti invocaveritis in tempore. ℟. Amen. Ut ad eum puras semper manus cum cordibus extendatis : a quo vobis dari solacium jejunii litatione deposcitis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Qui venit ad me non esuriet. *Post. com. Oratio.* Reple Domine cor nostrum. *Require in primo Dominico Quadragesime. Fol.* 98.

D FERIA SEXTA.

Prophetia.

Lectio libri Sapientie Salomonis ([c] *Cap. XVIII*).

℟. Deo gratias.

Fili : Omnipotens sermo tuus Domine exiliens de celo a regalibus sedibus : durus debellator in medio exterminii terram prosilivit. Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans : et stans replevit omnia morte : et usque ad celum attingebat [d] stans in terram. Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos : et timores supervenerunt insperati. Et alius alibi projectus semivivus . propter

[a] *Ego sum panis qui de cœlo descendi.* Ita legunt Codices Vercellensis et Veronensis, et ita Bobianum legit. Vulgata legit *ego sum panis vivus*, etc.

[b] *Lauda.* Ps. LXVIII, 31.

[c] *Cap. XVIII.* Vers. 15-22.

[d] *Stans in terram.* Lege *in terra*.

quam moriebatur ª eam demonstrabat mortis. Visiones enim que illos turbaverunt : hec premonebant : ne inscii quare mala patiebantur perirent. Tetigit autem tunc et justos tentatio mortis : et commotio in heremo facta est multitudinis : sed non diu permansit ira tua. Properans enim homo sine querela [b] propugnabit proferens servitutis sue scutum orationem : et per incensum deprecationem allegans. Restitit ire et finem imposuit necessitati : ostendens quoniam tuus est famulus.

℟. Amen.

(Lectio libri Exodi [c] *Cap. XIII, XIIII.)*

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Cum dimisisset Pharao populum : non eos duxit Dominus per viam terre Philistiim que vicina est : reputans ne forte peniteret eum : si vidisset adversum se bella consurgere : et reverteretur in Egyptum : sed circumduxit per viam deserti : que est juxta mare Rubrum. Et armati ascenderunt filii Israel de terra Egypti. Tulitque Moyses ossa Joseph secum : eo quod adjurasset filios Israel dicens. Cum visitaverit vos Deus : afferte ossa mea hinc vobiscum. Profectique de Socoth : castrametati sunt in Etham : in extremis finibus solitudinis. Dominus autem precedebat eos ad ostendendam viam : per diem in columna nubis : et per noctem in columna ignis : ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per noctem coram populo. Locutus est Dominus ad Moysen dicens : loquere filiis Israel : et dices ad eos. Reversi castrametentur in regione Phiairoth : que est inter Magdalum et mare contra Beelsephon. In conspectu ejus castra ponetis super mare : dicturusque est Pharao super filiis Israel : Coartati sunt in terra : conclusit eos desertum. Et indurabo cor ejus ac persequentur vos :
113 et glorificabor in Pharaone : et in omni exercitu ejus scientque Egyptii quia ego sum Dominus. Fecerunt ita. Et nunciatum est Regi Egypti quod fugisset populus. Immutatumque est cor Pharaonis et servorum ejus super populum et dixerunt : Quid voluimus facere : ut dimitteremus Israel : ne serviret nobis? Junxit ergo currum et omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos : et quicquid in Egypto curruum fuit : et duces totius exercitus. Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Egypti : et persecutus est filios Israel. At illi egressi erant in manu excelsa. Cumque persequerentur Egyptii vestigia precedentium : repererunt eos in castris super mare : omnisque equitatus : et currus Pharaonis : et universus exercitus erat in Phiaroth contra Belsephon. Cumque appropinquasset Pharao : levantes filii Israel oculos viderunt Egyptios post se : et timuerunt valde. Clamaveruntque ad Dominum et dixerunt ad Moysen. Forsitan non erant sepulchra in Egypto : ideo tulisti nos : ut moreremur

A in solitudine? quid hoc facere voluisti? ut educeres nos ex Egypto? Nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Egypto dicentes : recede a nobis ut serviamus Egyptiis. Multo enim melius est servire eis : quam mori in solitudine. Et ait Moyses ad populum. Nolite timere. State et videte magnalia Domini : que facturus est hodie. Egyptios enim quos nunc videtis nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum. Dominus enim pugnabit pro vobis : et vos tacebitis.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum

Tractus. Quis est homo ut immaculatus sit : et ut justus appareat. Ecce inter Sanctos nemo immaculatus. B Et celi non sunt mundi in conspectu ejus. ℣. Quanto magis omnis homo qui bibet : quasi aquas iniquitatum. Memento quod sicut lutum feceris me : et in pulverem deduces me. ℣. Signasti quasi in sacculo delicta mea : sed curasti iniquitatem meam.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia epistole Jacobi Apostoli ad duodecim tribus (Cap. V).

℟. Deo gratias.

Charissimi. Nolite ingemiscere in alterutrum : ut non judicemini. Ecce Judex ante januam adsistit. Exemplum accipite fratres : laboris et patientie exitus mali [d] et longanimitatis. Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini : ecce beatificamus qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis : et finem Domini C vidistis : quam misericors est Dominus et miserator. Ante omnia autem fratres me nolite jurare neque per celum neque per terram neque per aliud quodcumque juramentum. Sit autem verbum vestrum est est : non non : ut non sub judicio decidatis. Affligitur aliquis vestrum : oret equo animo et psallat. Infirmatur quis ex vobis? inducat presbyteros Ecclesie : et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum : et allevabit eum Dominus. Etsi in peccatis sit : dimittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra. et orate pro invicem ut salvemini. Multum enim prevalet deprecatio justi assidua. Helias homo erat similis nobis passibilis : et oratione oravit : ut non plueret super terram. Et non pluit annos tres et menD ses sex. Et rursum oravit : et celum dedit pluviam et terra fructum suum. Fratres mei si quis ex vobis erraverit a veritate : et converterit quis eum : scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore vie sue : salvat animam ejus a morte : et cooperit multitudinem peccatorum. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem (ᵉ *Cap. VI*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus loquebatur Phariseis et turbis dicens. Ego sum panis vite. Patres vestri manducaverunt in deserto manna :

ª *Eam.* Lege *causam.*
ᵇ *Propugnabit.* Lege *propinquavit.*
ᶜ *Cap. XIII.* Vers. 17-XIV, 1-14.

ᵈ *Et longanimitatis.* Ita Syriaca. In Vulg. et Græc. deficit.
ᵉ *Cap. VI.* Vers. 48, 56.

et mortui sunt. Hic est panis de celo descendens. [a] et si quis ex ipso manducaverit : non morietur. Ego sum panis vivus qui de celo descendi. Qui manducaverit ex hoc pane : vivet in eternum. Et panis quem ego dabo : caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judei ad invicem dicentes. Quomodo potest hic nobis carnem suam **114** dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus. Amen amen dico vobis. Nisi manducaveritis carnem filii hominis : et biberitis ejus sanguinem : non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem : habet vitam eternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Lauda.* Laudabo nomen Dei cum cantico : et magnificabo eum in laude.

Preces. Penitentes orate.

Sacrificium. Offerte Domino.

Require retro in IIII. Feria. I. hebdomade folio 99.

Missa. Deum regem omnipotentem catholice legis et religionis auctorem consona fratres oratione poscamus : preces nostras religiosaque jejunia que corde contrito famulantes offerimus : illo quo primum voluit : quove primum docuit amore suscipiat : nos quoque famulos suos ab omni genere peccatorum absolutos et liberos paradiso reddat et celo. ℟. Amen.

Alia oratio. Deus cui militare consuevit abstinentia corporalis : ut expugnetur nequicia spiritualis : supereminentem nostris cordibus infunde dulcedinem : que beate vite desiderant mansionem. Nulla jejunantibus iracundie repentine amaritudo subripiat : nullaque cogitationum noxiarum conscientia remaneat. Memor esto sacrificii quod offerimus : et concede propicius misericordiam quam rogamus.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Offerentium Domine suscipe votum : nostrumque jejunium facito coram te esse acceptum. Quo nostra delens peccata : propicius ita defunctis fidelibus refrigerium prestes : ut beatorum consortio eos sine fine letifices. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Familie tue quesumus omnipotens Deus absolve peccata : mentesque purifica. Ut venerabiles jejunii dies congrua devotione repetentes : pacem et misericordiam quam fideliter poscimus : impetrare feliciter mereamur. ℟. Amen.

[c] *Inlatio.* Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi gratias agere omnipotens Pater et Jesu Christo filio tuo Domino nostro. In quo jejunantium fides alitur : spes provehitur : charitas roboratur. Ipse est enim panis vivus [d] et verus qui est et substantia eternitatis : et esca virtutis. Verbum enim tuum est : per quod facta sunt omnia : quia non solum humanarum mentium : sed ipsorum quoque panis est angelorum. Hujus panis alimento Moyses famulus tuus quadraginta diebus ac noctibus legem suscipiens jejunavit : et a carnalibus cibis : ut tue suavitatis capacior esset : abstinuit. De verbo tuo vivens [e] et valens : cujus et dulcedinem [f] bibebat in spiritu : et lucem accipiebat in vultu. [g] Inde nec famem sensit et terrenarum est oblitus escarum : quia illum et glorie tue [h] glorificabat aspectu : et influente Spiritu Sancto sermo pascebat interius. [i] Hunc panem etiam nobis ministrare non desinis : [j] sed ut eum indeficienter esuriamus hortaris. [k] Cujus carne dum pascimur : roboramur : et sanguinem dum potamus : abluimur. Cui merito omnes angeli et archangeli non cessant clamare quotidie ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. qui dono pietatis indulte refovet miseriam carnis nostre : quam affligit desudatio abstinentie interdicte. Ipse est enim a quo et nunc in labore reficimur : et post mercedem repromisse beatitudinis expectamus. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Omnipotens Deus Pater qui Filium tuum pro nobis omnibus tradidisti : non parcens illi : ut per illum parceres nobis. Ignosce nostris delictis : et jejunium quod offerimus fiat tibi victima salutaris. [l] Virtus quoque tua de celis descendens quesumus : ut et nos ob perceptionem ho-

[a] *Et si quis.* Vulg. et Codices Vercellensis et Veronensis legunt *ut si quis*, etc.

[b] *Lauda.* Ps. LXVIII, 3.

[c] *Inlatio.* Hæc illatio, paucis exceptis, eadem est atque *immolatio missæ* quæ initio Quadragesimæ habetur (*Pag.* 228) in Missali Gallo-Gothico, et (*Pag.* 303) in Sacramentario Bobiano.

[d] *Et verus.* In Gallo-Gothico, et in Bobiano additur : *Qui de cælo descendit, et habitat semper in cælo, qui est substantia*, etc.

[e] *Et valens.* Hoc deficit in Gallo-Gothico et in Bobiano.

[f] *Bibebat.* In Gallo-Gothico *videbat.* In Bobiano : *Cujus dulcedine vivebat in spiritu.*

[g] *Inde nec famem sensit.* In Gallo-Gothico et Bobiano, *unde nec famem corporis sensit.*

[h] *Glorificabat.* In Gallo Gothico et in Bobiano, *clarificabat aspectus, et, influente spiritu, Dei sermo pascebat.* Deficit illic vox *interius.*

[i] *Hunc panem.* Hoc loco in Gallo-Gothico et Bobiano quædam adduntur, alia mutantur, ut sensus aptetur initio Quadragesimæ.

[j] *Sed ut eum indeficienter esuriamus hortaris.* In Gallo-Gothico et Bobiano est *quem ut sitiamus indesinenter hortaris.*

[k] *Cujus carne.* In Gallo-Gothico et Bobiano est : *Cujus carne, a se ipso sanctificata, dum pascimur roboramur, et sanguine dum hausto sitienter potamur abluimur.*

[l] *Virtus quoque.* In hac oratione *post pridie* petunt ut Deus purificet ab omni labe peccati animas eorum qui corpus et sanguinem Christi suscepturi erant, et simul, ut infundat oblatis specialia sanctitatis dona. conferenda communicantibus. Hoc enim, et nihil aliud est quod petunt, quando rogant Deum, ut oblata libamina *sanctificationis dono perlustret*, aut ut *dignificentur benedictione virtutis*, etc. De cœlis autem ista sibi ut mittantur petunt, quia omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est. Sic in Sacramentario Gelasiano, n. 40, benedicentes oleum infirmorum dicunt : *Emitte Spiritum sanctum de cœlis in hanc pinguedinem olei*, etc.

rum sacramentorum purificet : et hec ipsa libamina A que tibi litamus sanctificationis dono perlustret.

℟. *Chorus.* Amen.

115 *Ad confractionem panis. Antifona.* Fiat misericordia tua Domine super nos : sicut speravimus in te.

Ad orationem Dominicam.

Miserere nostri fili David ne decidamus in via : nec laboris subruamur pressura : ne sine fructu perveniamus ad patriam. Ut parsimonie nostre propiciatus ex victimis : exaudias vocem nostre confessionis : cum ad te proclamaverimus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Jesus filius Dei qui est panis vivus : ineditam vestram donis spiritualibus repleat. ℟. Amen. Mentem consilio salutari premuniat. carnem viciis eluat. votum acceptet. jejuniumque benedicendo sanctificet. ℟. Amen. Ut ejus dono omni actu mereamini esse felices : cui abstinentie defertis humilimas preces. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum.

℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Qui venit ad me non esuriet.

Oratio. Reple Domine cor nostrum.

Require retro in VI. feria. I. hebdomada Quadragesime. Fol. 98.

IN TERTIO DOMINICO QUADRAGESIME.

Ad Missam.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis (Cap. [a] *XX).*

℟. Deo gratias.

Fili : suavis est homini panis mendacii : et postea implebitur os ejus calculo. Cogitationes consilii roborantur : et gubernaculis tractanda sunt bella. Et qui revelat mysterium : et ambulat fraudulenter : et qui dilatat labia sua ; ne commiscearis. Qui maledicit patri suo et matri : extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Hereditas ad quam festinatur in principio : in novissimo benedictione carebit. Ne dicas reddam malum [b] pro malo. expecta Dominum et liberabit te. Abhominatio est apud Deum pondus et pondus. statera dolosa non est bona. A Domino diriguntur gressus hominis. [c] Si quis autem hominum intelligere poterit viam suam. Ruina est homini devotare Sanctos : et post vota retractare. Dissipat impios rex sapiens : et incurvat super eos fornicem. Lucerna Domini inspiraculum hominis : qui investigat omnia secreta ventris. Misericordia et veritas custodiunt regem : et roborabitur clementia thronus ejus.

℟. Amen.

Lectio libri Numeri ([d] *Cap. XXII, XXIII).*

℟. Deo gratias.

In illis diebus : videns Balaac filius Sephor omnia que fecerat Israel Ammorreo : et quod pertimuissent eum Moabite : et impetum ejus ferre non possent : dixit ad majores natu Madian. Ita delevit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur : quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore Rex in Moab. Misit ergo nuncios ad Balaam filium Beor ariolum : qui habitabat super flumen terre filiorum Ammon : ut vocaret eum et diceret. Ecce egressus est populus ex Egypto : qui operuit superficiem terre sedens contra me. Veni igitur et maledic populo huic : quia fortior me B est : si quo modo possim percutere eum : et ejicere de terra mea. Novi enim quod benedictus sit cui benedixeris : et maledictus in quem maledicta congesseris. Perrexerunt seniores Moab et majores natu Madian habentes divinationis precium in manibus. Qui cum venissent ad Balaam et narrassent ei omnia verba Balaac ille respondit. Manete hic hac nocte et respondebo quicquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam : venit Deus et ait ad eum. Quid sibi volunt homines isti apud te? Respondit. Balaac filius Sephor Rex Moabitarum misit ad me dicens. Ecce populus qui egressus est de Egypto operuit superficiem terre. Veni et maledic eis si quomodo pugnans possim abigere eum. Dixit Dominus ad Balaam. Noli ire cum **116** eis neque male- C dicas populo : quia benedictus est. Qui mane consurgens dixit ad principes. Ite in terram vestram : quia prohibuit me Dominus ire vobiscum. Reversi principes dixerunt Balaac. Noluit Balaam venire nobiscum. Rursum ille multo plures et nobiliores quam ante miserat : misit. Qui cum venissent ad Balaam dixerunt. Sic dicit Balaac filius Sephor. Ne cuncteris venire ad me : paratus sum honorare te : et quicquid volueris dare. Veni et maledic populo isti. Respondit Balaam. Si dederit mihi Balaac plenam domum suam auri et argenti : non potero immutare verbum Domini Dei mei : ut vel plus vel minus loquar. Obsecro ut hic maneatis etiam hac nocte : ut scire queam : quid mihi rursum respondeat Dominus. Venit ergo D Dominus ad Balaam nocte et ait illi. Si vocare te venerunt homines isti : surge et vade cum eis. Ita dumtaxat : ut quod tibi precepero facias. Surrexitque Balaam mane et stravit asinam : profectusque est cum eis : et iratus est Dominus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam qui [e] sedebat asinam : et duos pueros habebat secum. Cernens asina Angelum stantem in via evaginato gladio : avertit se de itinere : et ibat per agrum. Cumque verberasset Balaam asinam et vellet ad semitam reducere : stetit Angelus in angustiis duarum maceriarum quibus

[a] *Cap. XX.* Vers. 7-28.

[b] *Pro malo.* Vulg., illud *pro malo* non legit. LXX, *ne dicas, Ulciscar inimicum.*

[c] *Si quis.* Illud *si* in Vulgata non legitur.

[d] *Cap. XXII.* Vers. 2-XXIII, 1-11.

[e] *Sedebat asinam.* Dicebant *sedere cathedram*, et similia ; in Vulgata, *insidebat asinæ.*

vinee cingebantur. Quem videns asina junxit se parieti : et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam : et nihilominus Angelus ad locum angustum transiens : ubi neque ad dexteram neque ad sinistram poterat deviari : obvius stetit. Cumque vidisset asina stantem angelum : concidit sub pedibus sedentis. Qui iratus vehementius cedebat fuste latera ejus. Aperuit Dominus os asine : et locuta est asina. Quid feci tibi : cur percutis me ecce jam tertio? Respondit Balaam. Quia commeruisti et inlusisti mihi : utinam haberem gladium : ut te percuterem. Dixitque asina. Nonne animal tuum sum : cui semper sedere consuevisti usque in presentem diem. Dic quid simile unquam fecerim tibi? At ille ait. Nunquam. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam et vidit Angelum stantem in via evaginato gladio : adoravitque eum pronus in terram. Cui Angelus. Cur inquit tertio verberasti asinam tuam? Ego veni ut adversarer tibi : quia perversa est via tua mihique contraria. Et nisi asina declinasset de via dans locum resistenti : te occidissem et illa viveret. Dixit Balaam, Peccavi. Nesciens quod tu stares contra me. Et nunc si displicet tibi ut vadam : revertar. Ait Angelus. Vade cum istis et cave : ne aliud [a] quam precepero tibi loquaris. Fuit igitur cum principibus. Quod cum audisset Balaac egressus est in occursum ejus in oppido Moabitarum : quod situm est in extremis finibus [b] Armon. Dixitque Balaac ad Balaam. Misi nuncios ut vocarent te : cur non statim venisti ad me? An quia mercedem adventui tuo reddere nequeo? Cui ille respondit. Ecce adsum. Numquid loqui potero aliud : nisi quod Deus posuerit in ore meo. Perrexerunt ergo simul et venerunt in urbem que in extremis regni ejus finibus erat. Cumque occidisset Balaac oves et boves : misit ad Balaam et principes qui cum eo erant munera. Mane autem facto duxit eum ad excelsa Baal : et intuitus est extremam partem populi. Dixit Balaam ad Balaac. Edifica mihi hic septem aras : et para totidem vitulos : ejusdemque numeri arietes. Cumque fecisset juxta sermonem Balaam : imposuerunt simul vitulum et arietem super aram. Dixitque Balaam ad Balaac. Sta paulisper juxta holocaustum tuum : donec vadam si forte occurrerit mihi Dominus : et quodcumque imperaverit : loquar tibi. Cumque abiisset velociter : occurrit ei Deus : locutusque est ad eum Balaam. Septem inquit aras erexi et imposui vitulum et arietem desuper. Dominus autem posuit verbum in ore ejus. Et ait. Revertere ad Balaac : et hec loqueris. Reversus invenit Balaac stantem juxta holocaustum suum : et omnes principes Moabitarum. Assumptaque parabola sua dixit. De Aram adduxit me Balaac Rex Moabitarum de montibus orientis. A Veni inquit et maledic Jacob : et propera et detestare Israel. Quomodo maledicam cui non maledixit Deus? qua ratione detester quem Deus non detestatur? De summis **117** silicibus videbo eum : et de collibus considerabo illum. Populus solus habitavit. et inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit pulverem Jacob : et nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte justorum : et fiant novissima mea horum similia.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu.

[c] *Psallendo.* Genua mea infirmata sunt. ℣. Jejunio et caro mea immutata est [d] propter misericordiam. ℣. Et ego factus sum obprobrium illis : vide-B runt me et moverunt capita sua. ℣. Adjuva me Domine Deus meus : et salvum me fac in tua misericordia. ℣. Libera me quia egens sum et pauper ego : et cor meum conturbatum est intra me.

Et hic sequentes preces dicantur modo ut dictum est in primo Dominico Quadragesime fol. 94.

Preces. Rogamus te rex seculorum Deus sancte jam miserere peccavimus tibi. ℣. Audi clamantes pater altissime : et que precamur : clemens attribue : exaudi nos Domine. P. Jam miserere. ℣. Bone Redemptor supplices quesumus de toto corde flentes : requirimus adsiste propicius. *P.* Jam. ℣. Emitte manum Deus omnipotens : et invocantes potenter protege ex alto piissime. *P.* Jam. ℣. Fertilitatem et [e] pacem tribue : remove bella : et famem cohibe : C Redemptor sanctissime. *P.* Jam. ℣. Indulge lapsis : indulge perditis : dimitte noxia : ablue crimina : acclines tu libera. *P.* Jam. ℣. Gemitus vide : fletus intellige : extende manum : peccantes redime. *P.* Jam. ℣. Hanc nostram Deus hanc pacem suscipe : supplicum voces placatus suscipe : et parce piissime. *P.* Rogamus.

Oratio. Exaudi orationem nostram.

Quere retro in primo Dominico Quadragesime fol. 94.

Principium epistole Petri Apostoli. ([f] *I, cap. I*).

℟. Deo gratias.

Petrus Apostolus Christi Jesu electis advenis dispersionis Ponti. Galicie. Cappadocie. Asie. et Bithynie : secundum prescientiam Dei Patris in sanctificatione spiritus : in obedientiam et aspersionem D sanguinis Jesu Christi : gratia vobis et pax adimpleatur. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi : qui per magnam misericordiam suam regeneravit nos [g] in spem vite eterne : per resurrectionem a mortuis Jesu Christi. In hereditatem incorruptibilem : et immarcescibilem conservatam in celis in vobis : qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novis-mediante.

[a] *Quam precepero.* Vulg., *quam quod præcepero tibi.*

[b] *Armon.* Vulg., *Arnon.* In Sacramentario Bobiano extra ordinem (*Pag.* 308) est titulus : *Item contestatio in medio Quadraginsimæ,* cui subjicitur *contestatio* quæ alludit ad hanc historiam Balaam et Balac, quam in aliquibus Ecclesiis Gallicanis legebant Dominica

[c] *Psallendo.* Ps. CVIII, 24, 25, 26, 22.

[d] *Propter misericordiam.* Vulg., LXX et sanctus Augustinus, *propter oleum.*

[e] *Pacem.* Lege *precem.*

[f] *Cap. I.* Vers. 1 12.

[g] *In spem vitæ eternæ.* Vulg., *in spem vivam.*

simo. In quo exultabitis modicum : nunc si oportet contristari in variis tentationibus. Ut probatio vestre fidei multo preciosior sit auro quod per ignem probatur : inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelationem Jesu Christi. Quem cum non videritis : diligitis : in quem nunc quoque non videntes creditis : credentes autem exultatis leticia inenarrabili et glorificata : reportantes finem fidei vestre salutem animarum vestrarum. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophete : qui de futura in vobis gratia Dei prophetaverunt. Scrutantes in quod vel quale tempus significaret : qui in eis erat spiritus Christi : prenuncians eas que in Christo sunt passiones et posteriores glorias : quibus revelatum est : quia non sibimetipsis : vobis autem ministrabant ea [a] que nunciata sunt vobis : per eos qui evangelizaverunt vobis : Spiritu Sancto misso de celo in quem concupiscunt angeli prospicere.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem
([b] *Cap. XI*).

Illo in tempore. Erat quidam languens Lazarus a Bethania de castello Marie : et Marthe sororis ejus. Maria autem erat que unxit Jesum unguento : et extersit pedes ejus capillis suis : cujus frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes : Domine : ecce quem amas infirmatur. Audiens autem **118** Jesus dixit eis. Infirmitas hec non est ad mortem : sed pro gloria Dei : ut glorificetur filius Dei per eum. Diligebat autem Jesus Martham et sororem ejus Mariam et Lazarum. Ut ergo audivit quia infirmatur : tunc quidem mansit in eodem loco duos dies. Deinde post hec dixit discipulis suis. Eamus in Judeam iterum. Dicunt ei discipuli. Rabbi nunc querebant te Judei lapidare : et iterum vadis illuc? Respondit Jesus. Nonne duodecim hore sunt diei. Si quis ambulaverit [c] in diem non offendet : quia lucem hujus mundi videt? Si autem ambulaverit in noctem : offendet quia lux non est in eo. Hec ait et post hec dixit eis. Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a somno suscitem eum. Dixerunt ergo discipuli ejus. Domine si dormit salvus erit. Dixit autem Jesus de morte ejus : illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste. Lazarus mortuus est et gaudeo propter vos : ut credatis quoniam non eram ibi : sed eamus ad eum. Dicit ergo Thomas qui dicitur Didimus ad condiscipulos. eamus et nos : et moriamur cum eo. Venit itaque Jesus et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. Erat autem Bethania juxta Hierosolymam quasi stadiorum quindecim. Multi autem ex Judeis venerunt ad Martham et Mariam : ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audivit quod Christus venit : occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Jesum. Domine si fuisses hic : frater meus non fuisset mortuus : sed nunc scio quia quecunque poposceris a Deo : dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus. Resurget frater tuus. Dicit illi Martha. Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dicit ei Jesus. Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit vivet. Et omnis qui vivit et credit in me : non morietur in eternum. Credis hoc? Ait illi. Utique Domine : ego credidi : quia tu es Christus filius Dei : qui in hunc mundum venisti. Et cum hec dixisset : abiit et vocavit Mariam sororem suam : silentio dicens. Magister adest : et vocat te : Illa ut audivit : surrexit cito et venit ad eum. Nondum enim venerat Jesus in castellum : sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha. Judei ergo qui erant cum ea in domo et consolabantur eam : cum vidissent Mariam quia cito surrexit et exiit : secuti sunt eam dicentes : quia vadit ad monumentum ut ploret ibi. Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus videns eum : cecidit ad pedes ejus et dixit ei. Domine : si hic fuisses : non esset mortuus frater meus. Jesus ergo ut vidit eam plorantem : et Judeos qui erant cum ea plorantes : fremuit spiritu et turbavit se ipsum et dixit. Ubi posuistis eum? Dicunt ei. Domine veni et vide. Et lachrimatus est Jesus. Dixerunt ergo Judei. Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem dixerunt ex ipsis. Non poterat hic qui aperuit oculos ceci : facere ut hic non moreretur? Jesus ergo rursum fremens in semetipso venit ad monumentum. Erat autem spelunca : et lapis superpositus erat ei. Ait Jesus. Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror ejus qui mortuus fuerat. Domine jam fetet : quatriduanus enim est. Dicit ei Jesus. Nonne dixi tibi : quia si credideris videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. Jesus ergo elevatis oculis sursum dixit. Pater : gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam : quia semper me audis. Sed propter populum qui circumstat dixi : ut credant quia tu me misisti. Hec cum dixisset : voce magna exclamavit. Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus ligatus pedes et manus institis : et facies illi sudario erat ligata. Dicit eis Jesus. Solvite eum : et sinite abire. Multi ergo ex Judeis qui venerant ad Mariam et viderunt que fecit : crediderunt in eum : Quidam autem ex ipsis abierunt ad Phariseos : et dixerunt eis : que fecit Jesus. Collegerunt ergo Pontifices et Pharisei concilium et dicebant. Quid facimus : quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic : omnes

[a] *Que nunciata sunt vobis.* Vulg., Gr. : *Ea quæ nunc nunciata sunt vobis.*

[b] *Cap. XI.* Vers. 1-53. In Missali Romano sancti Pii V, et in omnibus Capitularibus Evangeliorum Georgii hoc Evangelium legitur feria sexta post quartam Dominicam Quadragesimæ ; in Missali Mediolanensi, anno 1548 edito, legitur Dominica 4 Quadragesimæ, quæ aliis est Dominica 5 et Dominica Passionis in Missali Romano appellatur. Gotho-Hispani hoc Evangelium Dominica 5 Quadragesimæ, sive *Dominica post vigesimam*, ut Orationali Gothico inscribitur, olim legebant, ut ex eodem Orationali Gothico (*Pag.* 8J *et seq.*) colligitur.

[c] *In diem.* Vulg., *in die.* Cod. Vercel., *interdie.* Cod. Veron., *interdius.*

credent in eum : et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem. Unus autem ex ipsis Cayphas cum esset Pontifex anni illius dixit eis. Vos nescitis quicquam nec cogitatis : quia expedit vobis : ut unus **119** moriatur homo pro populo : et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit : sed cum esset Pontifex anni illius prophetavit : quia Jesus moriturus erat pro gente. Et non tantum pro gente : sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum.

℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

A [a] *Lauda.* Confitebor Domino nimis in ore meo : et in medio multorum laudabo eum. ℣. Quoniam a stitit a dextris pauperis : ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

Preces. [b] Penitentes orate.

Require retro IIII. feria. I. hebdomade Quadragesime fol. 59.

[c] *Sacrificium.* Serviamus Domino Deo nostro : et juris nostri sit offerre holocausta et victimas : et pacificas hostias. ℣. Confortamini et estote soliciti : ut custodiatis cuncta que scripta sunt in volumine legis Moysis. *P.* Et juris.

Missa. Ecce dilectissimi fratres audivimus verba

---

[a] *Lauda.* Ps. CVIII, 30, 31.

[b] *Penitentes.* Neque obstat quod die Dominica B flexis genibus non sit orandum, siquidem *Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectere debebant*, et ad manus impositionem venire (*Carth.* IV, *can.* 82).

[c] *Sacrificium.* Josue XXII, 27. ℣. Ibid. XXII, 6. Sacrificium in ordinibus Romanis *offertorium*, in Antiphonario Gregoriano *antiphona ad offerenda* appellatur. Sanctus Isidorus, in epistola ad Ludifr., *sacrificium*; at libro I de ecclesiasticis Officiis (*Cap.* 14) numero multitudinis *offertoria* dixit. A Gallis *sonus* dicebatur. Amotis ab Ecclesia iis quibus sacrificio interesse non licebat, diaconi pallium, quo eo usque tectum fuerat, de altari auferebant, et corporalia extendebant. *Quis fidelium* (inquit Optatus, lib. VI contra Parmenionem) *nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna altaris linteamine operiri?* Exstat in Missali nostro (*Fol.* 219, *col.* 2) oratio ad extendenda corporalia, sed quæ tum dicenda erat quando, altari composito, super oblata extendebatur *coopertorium*; nam et hoc etiam *palla corporalis*, et simpliciter C *corporale* dicebatur. *Palla* illa *corporalis*, quæ super altare extendebatur, syndon munda erat e puro lino texta, quæ totam mensam altaris cooperiebat, et undequaque defluebat (*S. Isid. Pelus.*, *epist.* 123, *ad Dorotheum comitem*; *Greg. Turon.*, *lib.* VII *Hist.*, *c.* 22; *Optatus Milevitanus*, *lib.* VI *contra Parmen.*; *Ord. Rom. Mabill.* II, *n.* 9). Postquam diaconi altari imposuissent corporalia, ritu Gallicano, et etiam, ut mihi credibile est, ritu Gotho-Hispano e sacrario prodibat diaconus corpus Domini in capsa, sive, ut Galli loquebantur, in turri deferens, illudque supra aram deponebat (*S. Greg. Turon.*, *de Glor. martyr.*, *lib.* I, *cap.* 86; *S. Germanus*, *in libello Quomodo solemnis ordo Ecclesiæ agitur*, *artic. de sono*). Chorus canebat *sacrificium*, et episcopus cum presbyteris et diaconis oblationes populi accipiebat, panem scilicet et vinum; et primum quidem viri, incipiendo a dignioribus, tum feminæ et demum presbyteri, diaconi et clerici offerebant, singuli suam oblationem D deferentes. Panem accipiebant episcopus et presbyteri, quem in oblatorium deponebant, quod acolyti pone sequentes gerebant. Erat *oblatorium* sive *offertorium* vas ingens ex argento, aut auro, aut cupro, aut certe, in Ecclesia Romana, erat syndon munda, quam extensam, ad excipiendos panes, acolyti deferebant; populus autem panes quos afferebant velo mundo tectos porrigebant, ne ipsi manibus impuris oblationem tangendo macularent. Velum illud *fanon* dicebant (*Ord. Rom.* I *Hittorp.*). Vinum autem accipiebant diaconi, et amulas, urceolosque, vasa scilicet in quibus populus vinum offerebant, in calicem majorem infundebant, quem subdiaconi ferebant, et cum calix ille plenus erat, illum in scyphum refundebant. Vinum Gotho-Hispani probum offerebant, non mustum, non acetum, et in vase mundo; panes quoque plerumque fermentatos, integros, mundos, ex optimo et candido frumenti polline factos offerre solebant, raro azymos. Oblatas vero, pro pane, nunquam (*Conc. Tol.* XVI, *can.* 6). At Mozarabes aliarum Occidentis Ecclesiarum disciplinam secuti, pro fermentatis panibus oblatas azymas altari admoverunt. Post populum clerus, incipiendo a presbyteris, et demum episcopus omnium postremus afferebat, populus extra cancellos altaris, clerus in choro, aut in sanctuario oblationes porrigebat; omnes tamen ad altare offerre dicebantur. Diaconi ex tota oblatione tantum panis et vini seligebant quantum communioni sufficere videbatur, reliquum suis usibus seponebant. Et panem quidem in grandiori patena, sive disco, decenter compositum altari imponebant, vinum in grandiori calice aqua miscebant, et calicem juxta discum statuebant, et aliquando plures discos et calices in altari collocabant. Gotho-Hispani enim et Mozarabes panem nunquam super corporale deponunt, sed semper in patena, sive disco retinent. Quare, quod ritu Romano fit, nec patenam sub corporali abscondunt unquam, neque subdiacono tenendam tradunt. Demum diaconi pallio amplo, et textura spisso, dona sacra ipsumque altare cooperiebant. Pallium hoc, quod plerumque sericum erat, et frequenter auro textum *coopertorium et Pallam*, et *pallam corporalem* appellabant (*S. Isidorus*, *Off. lib.* II, *cap.* 8; *Gregor. Turon.*, *Mir. S. Mart.*, *cap.* 25). Extat in Missali nostro (*Fol.* 219, *col.* 2) oratio *ad extendendum corporalia* quam diaconus dicebat cum coopertorio dona sacra tegebat; hujus autem orationis partem secundam tunc, ut puto, dicebat cum coopertorium tollebat. Exstant etiam in Missali orationes *ad offerendam hostiam cum calice*, et quando *ponit vinum in calice*, quando *ponit hostiam in patena* et quando deponit calicem super altare, et filiola cooperit, etc. Sed revera hæ orationes, quamvis in vetustissimis Codicibus harum aliquæ, aut his similes reperiantur, Gotho-Hispanæ non sunt, sed a Mozarabis positæ adjunctæ, nam sacerdos Gotho-Hispanus nec vinum in calicem fundebat, neque panem in patena collocabat, neque horum aliquid altari inferebat, quare credibile est oblationem munerum et compositionem altaris sine ulla oratione a Gotho-Hispanis et Gallis transactas esse, quemadmodum et Romæ transigebantur, Ordinibus Romanis, et ipso Micrologo (*Cap.* 10) testibus; aut si apud Gotho-Hispanos oratio aliqua dicta est, a diacono potius quam ab episcopo dici debuit. Absoluta igitur munerum oblatione, sacerdos ad thronum redit, et manus lavat. Est hic ritus plane antiquus : de eo constitutiones apostolicæ (*Lib.* 8, *c.* 11) et sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Cath. myst.* 5) meminere. In Hispania diaconus episcopo aquam lavandis manibus infundebat, subdiaconus vero presbyteris et diaconis aquam præbebat cum ad altare manus lavarent. Episcopus post hæc ad altare redibat : lineam canendo sacrificio imponebat, tum elata voce dicebat : *Adjuvate me, fratres, in orationibus vestris*, etc. Et ipse inclinatus versus altare dicebat, submissa voce, orationem *Accedam ad te*, etc., quam *apologiam sacerdotis* appellabant, qua absoluta, populum salutabat.

dominice lectionis : avide percipiamus illa in precordiis nostris : quia quedam sunt in ea figuraliter intelligenda pro nobis. Lazarum etenim quem suscitatum a Domino ex mortuis sanctum evangelium recensivit : nos sumus omnes ceno voluptatis et miserie ita sordentes : qui dum peccatis originalibus adgravamur : aliisque quod ipsi pati non volumus : impertimus. Legemque pristinam atque sanctum evangelium contemnendo irascendimus : propria nos voluptate quatriduanos in delicti sepultura dejicimus. Quaternis diebus quodammodo retenti in monumento sub morte quasi quaterna : divinarum legum devicti transgressione. Quid ergo nobis agendum est dilectissimi fratres : nisi ut credamus in illum qui Martham et Mariam de resurrectione letificavit fraterna ? Et ille nos eximet a tumuli dimersione obnoxia : et voce sua ut Lazarum attrahet ad superna ℟. *Chorus.* Amen.

Alia Oratio. Opitulare Jesu precibus supplicantium : et fletum lugentium verte in gaudium. Ipsi etenim ad te Domine cum Martha clamamus : ut adsis nobis semper per presentiam deitatis : ne unquam decidamus sub pressura dannationis. Jam solve Christe nostrorum pedum ligamenta facinoris : ut et manus nostre resolute restituant tibi sacrificium laudis : et os nostrum in decantando tibi non obstruatur sudario adversantis. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Christe Jesu qui es resurrectio mortuorum et vita : omnibus nobis subveniat misericordia tua. Et sicut occultis consiliis tuis Lazarum quatriduanum revocasti ad vitam : ita quoque miserationibus consuetis : et vivis morum correctionem atribuas post ruinam : et defunctis eterne mansionis gaudia indefessa. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. O virtus et refugium spei Salvator noster Christe filius Dei vivi : qui veniens ad Lazarum suscitandum spiritu fremis : lachrimas producis : in temetipso turbaris : da nobis ut ad evadendos laqueos perniciose deceptionis fremitum dei in nobis spiritus tue dulcedinis. Lachrimemus in nobis : et effectum a te optabiliter capiamus. Turbemur quoque a te pro te : et ita nos in compunctionis et pacis unione connecte : ut per eam pacem [a] quam tu es : videamus te in gloria : veniamus ad premia repromissa : et laudemus cum Lazaro majestatem tuam. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi semper gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Ille etenim discipulos ut per diem ambularent instituit : ac duodenarias horas esse diei sub sacramento predixit. Vere illum credimus esse diem in quo inluminate sunt hore. Nam cum dies noster Jesus Christus ortus est [b] in mundum per susceptam humanitatem : ex tunc ceperunt hore id est dies suo Domino nostro aptius coherere. Et inluminate sunt hore ab increata filii luce. Ob hoc Jesu bone per te qui dies et lucifer verus es : introire ad patrem querimus : non nos patiaris offendere : sed fac nos coram **120** Patre tuo sicut promisisti eterne vite pascua invenire. Ut aperiens nobis omnibus januam veniendi ad te : videamus faciem tuam in eterna exultatione : et cantemus tibi cum omni militia angelorum canticum redemptionis nostre proclamantes atque dicentes.

℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere benedictus et gloriosus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Cujus nos gratia liberavit a pondere legis : et fecit filios sue esse adoptionis. Qui ad suscitandum veniens Lazarum : tollite lapidem clamat : ut pressura auferretur ab eo dannationis : quem jam fetidum reddiderat horrenda actio sepulchralis. Tollite ab eo ait Jesus pondus legis : quod eum deprimit in morte : ut succurrat illi gratia vocis mee. Gratia quippe Dei est : cum vocem ejus audivimus : ut cum Lazaro rectis Jesum gressibus adsequamur. Quia ipse est Deus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Domine Jesu unigenite filius Dei Patris : qui Lazarum resuscitaturus elevatis sursum oculis Patri tuo gratias agis : presta nobis famulis tuis : [c] ut eo fremitu spiritus quo illum suscitasti ad vitam : ea quoque modificatione digneris hec oblata sanctificare libamina. Ut percipientes gratiam corporis et sanguinis tui in visceribus nostris : habeamus partem tecum in seculis sempiternis. ℟. Amen.

Ad confractionem panis Antifona. Fiat misericordia tua Domine super nos sicut speravimus in te.

Ad orationem Dominicam.

O Jesu bone amabilis et ammirabilis auctor accipe sacrificium servorum tuorum. Et qui prestitisti Lazaro : ut audiens vocem tuam : surgeret e sepulchro : presta nobis ut te auditu capientes interno : resurgamus per gratiam a proprii sceleris nostri profundo. Quo vocem pie orationis qua nos te exorare docuisti in terris : sicut eam nunc coram te fiducialiter premiserimus : ita quoque effectum ipsius petitionis a te percepisse nos gratulemur e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Jesus Christus filius Dei qui mortuum Lazarum vite reddidit pristine : ipse vos nove vite sanctificatione perlustret. ℟. Amen. Et qui illum solutis manuum ac pedum nexibus abire precepit :

[a] *Quam.* Lege *quæ.*

[b] *In mundum.* Lege *in mundo.*

[c] *Ut eo fremitu.* Vide notam *fol.* 69, et etiam fol. 69. Modus loquendi in hisce orationibus frequenter mutatur, sed sensus idem ubique est. Hic autem petitur ut Christus, oblata sanctificando, ea Spiritus sancti dona illis infundat quibus, percipientes *gratiam corporis et sanguinis* ejus, ad regnum æternum perducantur. Certe nemo unquam dixit formam elementa Eucharistica consecrandi sitam esse in eo spiritus fremitu quem Christus, Lazarum resuscitaturus, præmisit, atque adeo hinc constat oratione ista non postulari consecrationem elementorum.

vestrorum compedum resoluto ligamine : rectis vos semper semitis faciat ambulare. ℟. Amen. Quique pro tante rei miraculis manifestam fecit populis gloriam suam : ipse vos introducat ad gaudia sempiterna. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedendum. Hic est panis de celo descendens : si quis ex ipso manducaverit : non morietur : sed habebit vitam eternam : et ego suscitabo eum novissimo die Si quis sitit veniat ad me : et bibat. Qui crêdit in me flumina de ventre ejus fluent aque vive. ℣. Sic dilexit Deus mundum : ut filium suum daret pro mundo : ut omnis qui credidit in eum non pereat. *P.* Sed habebit. ℣. Gloria et honor Patris et filio et Spiritui Sancto in secula seculorum Amen. *P.* Sed habebit.

Communio. Repletum est gaudium.

Oratio. Reple Domine cor nostrum.

Require retro in F. Dominico Quadragesime. Folio 98.

FERIA QUARTA.

Ad Missam.

Proverbiorum Salomonis ([a] *Cap. XXI*).

℟. Deo gratias.

Fili. Civitatem fortium ascendet sapiens : et destruet robur fiducia ejus. Qui custodit os suum et linguam suam : custodit ab angustiis animam suam. Superbus et arrogans vocatur indoctus : qui in ira operatur superbiam. Desideria occidunt pigrum : noluerunt enim quicquam manus ejus operari. Tota die concupiscit et desiderat : qui autem justus est : tribuit et non cessabit. Hostie impiorum abhominabiles : [b] quia offeruntur ex scelere. Testis mendax peribit : vir obediens loquetur victoriam. Vir impius procaciter [c] affirmat vultum suum : qui autem rectus est : corrigit viam suam. Non est sapientia : non est prudentia : non est consilium contra Dominum. Equus paratur ad diem belli : Dominus autem salutem tribuat. ℟. Amen.

121 *Principium libri Judicum* ([d] *Cap. I*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum dicentes. Quis ascendet ante nos contra Chananeum, et erit dux belli? Dixitque Dominus. Judas ascendet. Ecce tradidi terram [e] in manu ejus. Et ait Judas Symeoni fratri suo. Ascende mecum in sorte mea : et pugna contra Chananeum : et ego pergam tecum in sorte tua. Et abiit cum eo Symeon. Ascenditque Judas et tradidit Dominus Chananeum ac Ferezeum in manus eorum : et percusserunt in Bezech decem millia virorum. Inveneruntque Adonibezech et in Bezech : et pugnaverunt contra eum : ac percusserunt Chananeum et Ferezeum. Fugit autem Adonibezech quem persecuti comprehenderunt : cesis summitatibus manuum ejus ac pedum. Dixitque Adonibezech : septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. Sicut feci : ita reddidit mihi Dominus. Adduxeruntque eum in Hierusalem : et ibi mortuus est. Oppugnantes ergo filii Juda Hierusalem : ceperunt eam et percusserunt in ore gladii : tradentes cunctam incendio civitatem. Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananeum : qui habitabat in montanis : et ad meridiem in campestribus. Pergensque Judas contra Chananeum qui habitabat in Hebron : cui nomen fuit antiquitus Chariatharbe : et percussit Sesai et Hayman et Tholmai. atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir : cujus nomen vetus erat Cariatsepher : id est civitas litterarum. Dixitque Caleph. Qui percusserit Cariathsepher et vastaverit eam : dabo ei Axam filiam meam uxorem. Cumque cepisset eam Othoniel filius Cene frater Caleph minor : dedit ei Axam filiam suam conjugem. Quam pergentem in itinere monuit vir suus ut peteret a patre suo agrum. Que cum suspirasset sedens in asino : dicit ei Caleph. Quid habes? At illa respondit. Da mihi benedictionem : quia terram arentem dedisti mihi : da et irriguam aquis. Dedit ergo Caleph irriguum superius et irriguum inferius. Filii autem Cinei cognati Moysi ascenderunt de civitate palmarum cum filiis Juda in desertum sortis ejus : quod est ad meridiem [f] Arach : et habitaverunt cum eo. Abiit autem Judas cum Symeone fratre suo : et percusserunt simul Chananeum : qui habitabat in Sephat : et interfecerunt eum. Vocatumque est nomen urbis Orma : id est anathema. Cepitque Judas Gazam cum finibus suis et Adascalonem atque Accaron cum terminis suis. Fuitque Dominus cum Juda et montana possedit · nec poterat delere habitatores vallis : quia falcatis curribus abundabant. Dederuntque Caleph Hebron : sicut dixerat Moyses. Qui delevit ex ea tres filios Enach. Jebuseum autem habitatorem Hierusalem non deleverunt filii Beniamin. Habitavitque Jebuseus cum filiis Beniamin in Hierusalem usque in presentem diem. Domus quoque Joseph ascendit in Bethel : fuitque Dominus cum eis. Nam cum obsiderent urbem : que prius Luza vocabatur : viderunt hominem egredientem de civitate : dixeruntque ad eum. Ostende nobis introitum civitatis . et faciemus in te misericordiam. Qui cum ostendisset eis : percusserunt urbem in ore gladii. Hominem autem illum et omnem cognationem ejus dimiserunt. Qui dimissus abiit in terram Ethim : et edificavit ibi civitatem. Vocavitque eam Luzam que appellatur usque in presentem diem. ℟. Amen.

Dicat Presbit. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Tractus. Peccavi : quid faciam o custos hominum : quare me posuisti contrarium tibi : et factus sum mihimetipsi gravis. ℣. Cur non tollis peccatum meum : et quare non aufers iniquitatem meam : ec-

[a] *Cap. XXI.* Vers. 22-32.
[b] *Quia offeruntur.* Lege *quæ offeruntur.*
[c] *Affirmat.* Vulg., *obfirmat.*
[d] *Cap. I.* Vers. 1-27.
[e] *In manu.* Vulg., *in manus.*
[f] *Arach.* vulg , *Arad.*

ce nunc in pulvere dormiam : et si mane me quesieris non subsistam. ℣. Parce ergo mihi : nihil enim sunt dies mei.

Dicat Presbit. Silentium facite.

Sequentia Epistole Petri Apostoli ([a] *I, cap. II, III*).

℟. Deo gratias.

Charissimi : eratis sicut oves errantes : sed conversi estis nunc ad pastorem : et episcopum animarum vestrarum. Similiter et mulieres subdite sint viris suis. Ut siqui non credunt in verbo : per mulierum conversationem sine verbo lucrificentur. Considerantes in timore castam vestram **122** conversationem : [b] quarum si non extrinsecus capillorum implicatio et circumdatio auri : aut indumenti vestimentorum cultus : sed qui absconditus corde est homo in incorruptibilitate quiete et modesti spiritus : qui est in conspectu Dei locuplex. Sic enim aliquando et sancte mulieres sperantes in Deo ornabant se subjecte viris suis. Sicut Sara obediebat Abrae : Dominum eum vocans. Cujus estote filie benefacientes : et non timentes ullam perturbationem. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam : quasi infirmiori [c] vaso muliebri impartientes honorem tamquam coheredibus gratie vite : ut non impediantur orationes vestre. In fine autem omnes unanimes compatientes. Fraternitatis amatores. Misericordes. Humiles. Non reddentes malum pro malo : nec maledictum pro maledicto : sed contrario benedicentes. Quia in hoc vocati estis : ut benedictionis hereditatem possideatis. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([d] *Cap. VI*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis et turbis dicens : Caro enim mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem : et bibit meum sanguinem : in me manet : et ego in illo. Sicut misit me vivens pater : et ego vivo propter patrem. Et qui manducat me : et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de celo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna : et mortui sunt. Qui manducat hunc panem : vivet in eternum. Hec dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis ejus : dixerunt. Durus est hic sermo : quis potest audire eum ? Sciens autem Jesus apud semetipsum : quia murmurarent de hoc discipuli ejus dixit eis. Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius : spiritus est qui vivificat : caro autem non prodest

A quicquam. Verba que ego locutus sum vobis : spiritus et vita sunt : sed sunt quidam ex vobis : qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent credentes : et qui traditurus esset eum et dicebat. Propterea dixi vobis quia nemo potest venire ad me : nisi fuerit ei datum a Patre meo. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro : et etiam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim. Nunquid et vos vultis abire? Respondit ergo Simon Petrus. Domine ad quem ibimus? Verba vite eterne habes. Et nos [e] credimus et cognovimus : quia tu es Christus filius Dei. ℟. Amen.

Dicat. Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Lauda.* Confitebor Domino nimis in ore meo in

B medio multorum laudabo eum.

Preces. Penitentes.

Sacrificium. Offerte Domino.

Quere in IV. feria I. Heb. Quadrag. fo. 99.

[g] *Missa.* Si gustatis : dilectissimi fratres quam suavis sit Dominus : quamque in omittendis iniquitatibus sit piissimus : ad eum ex fide accedite : et votum jejunii vestri ante altare suum exolventes exposcite : ut deleat delicta nostra : et conferat gratiam suam. Qualiter abstinentie nostre votum accumulet : et desideria nostre petitionis clementer jubeat acceptare. ℟. Amen.

Alia Oratio. Memento Domine miserationum tuarum : quas semper mentibus clementer impendis : ut tui nos auxilii gratia prosequente tale tibi spiri-

C tualis continentie jejunium persolvamus : in quo non inveniantur nostre voluntates a tua voluntate dissimiles. ℟. Amen.

Post nomina. Deus cujus nomen magnum est : atque mirabile : tu et nomina offerentium in libro vite adscribe : et defunctorum animas eterne quietis amenitatibus refove. Quo abstinentie nostre suscipiens precem : omnibus in commune a te concedatur donum indulgentie sempiterne. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui jejunantium humilitate placaris et humiliantium se tibi precibus libenter inflecteris. Exaudi quesumus preces nostras et diversorum turbinum quibus quatimur tempestate discussa : pacem nobis tue serenitatis infunde : ut

D quam peccatorum nostrorum nimietate perdidimus : tue pietatis indulgentia consequamur. ℟. Amen.

123 *Inlatio.* Dignum et justum est nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus.

[a] *Cap. II.* Vers. 25 III, 1-10.

[b] *Quarum si non extrinsecus.* Vulg., *quarum non sit extrinsecus.*

[c] *Vaso.* Vulg., *vasculo.*

[d] *Cap. VI.* Vers. 56 71.

[e] *Credimus.* Vulg., *credidimus.*

[f] *Lauda.* Ps. CVIII, 30.

[g] *Missa.* Postquam sacerdos *apologiam* ad altare in secreto absolvit, elevans se populum salutabat dicendo *Dominus sit semper*, etc., et respondebat populus *Et cum spiritu tuo* ; de qua responsione plebis meminit *sanctus Isid. Pelusiot.* (*Lib.* I, *cap.* 122), et statim Sacerdos primam orationem, quam *missam* proprio nomine appellant, recitabat. In Sacramentario Bobiano hæc oratio frequenter titulo caret, semel inscribitur *missa*, nimirum pag. 373; semel *collectio* simpliciter, et bis *præfatio.* Missali Gallicano vetere *præfatio* quoque inscribitur, et Missali Gallo-Gothico *præfatio missæ* et simpliciter *præfatio*, estque prima earum septem orationum in missa Gotho-Hispana, de qua sanctus Isidorus (*Off. lib.* I, *c.* 15). Prima, inquit, *oratio admonitionis est erga populum, ut excitentur ad impetrandum Deum.* Dicitur autem *missa* quia est prima oratio quæ in missa fidelium funditur. Aliquando petitiones habet pro diversis populi necessitatibus, sed hoc raro contingit.

[a] Qui paras adinventiones tuas sapienter: et disponis omnia suaviter. Qui ascendisti super occasum: Dominus nomen est tibi. Tu panis es vivus et verus, qui descendisti de celo: ut dares escam esurientibus: imo ut ipse esses esca viventium. Qui es nobis in pane: quo corda firmantur: ut in virtute panis hujus per hos dicatos nomini tuo dies: sine impedimento carnis et sanguinis jejunare valeamus: te ipsum panem habentes. Qui pauperes tuos celestibus saturas panibus: qui Moysi et Helie per quadraginta dies jejunia continuantibus: quadragenum numerum dedicasti. Deinde etiam ipse jejunans eundem nobis dierum numerum jejunii solemnitate signasti. Ut quod ipse in nostri corporis infirmitate pro nobis jugiter in quadraginta diebus vel noctibus implesti: nos vel minutatim eundem numerum dierum adimplentes: [b] calculi distributa observantia vespertinis semper orationibus terminemus: te nos adjuvante atque salvante. Cui merito omnes angeli et archangeli non cessant clamare quotidie una voce dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus: vere in altissimis gloriosus. Cujus melior est misericordia super vitam: qui dives est in misericordia. Ille etenim jejuniis visceribus spiritualis alimenti epulum donat: et animabus vitio abstinentibus: gratie celestis donaria subministrat. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Sanctifica Domine quod per manus nostras tibi cum abstinentie contritione litamus: ut benedictionis tue foveamur ex donis: qui majestati tue cum jejunii contritione offerimus hoc sacrificium laudis. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Fiat misericordia tua Domine super nos: sicut speravimus in te.

Ad orationem Dominicam.

Deus qui nos spe repromisse beatitudinis foves: et panem illum celorum e sedibus porrectum: nostre abstinentie hereditati impartis: atque concedis: tu pius nobis et in presenti jejunii erumna consolationem tribue: et orantibus atque clamantibus ad te verba doctrine tue: patule pietatis accommoda aurem. Pater noster.

Dicat. Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Jesus Salvator ac Dominus noster emundet vos per abstinentie puritatem ab omni delicti contagione. ℟. Amen. Quique est vestrorum redemptio animarum: sit remuneratio vestrorum jejuniorum. ℟. Amen. Ut ab eo donetur vobis eterna gloria: a quo sanctificari vultis per abstinentiam. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus: et vivit et omnia regit in secula seculo-

A rum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Qui venit ad me.

Com. Repletum est cor nostrum.

Oratio. Reple Domine cor nostrum.

Quere retro in I. Dominico Quadragesime. Fol. 98

SEXTA FERIA.

Ad Missam.

Ecclesiasticum Salomonis (Cap. [c] *VIIII).*

℟. Deo gratias.

Fili. Non zeles mulierem sinus tui: ne ostendat super te maliciam doctrine nequam. Non des mulieri potestatem anime tue: ne ingrediatur in virtute tua: et confundaris. Ne respicias mulierem multivolam:
B ne forte incidas in laqueis ejus. Averte faciem tuam a muliere composita: et non circum inspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Omnis mulier que est fornicaria: quasi stercus in via computatur. Speciem mulieris aliene multi admirati: reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Cum aliena muliere non sedeas omnino: nec adcubes cum ea super cubitum. Et non alterceris cum ea in vino: ne forte declinet cor tuum in illa et sanguine tuo labores in perditionem. [d] Non te preterent narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis quoniam ab ipsis disces doctrine intellectum. ℟. Amen.

C **124** *Lectio libri Judicum* ([e] *Cap. XVI).*

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Abiit Samson in Gazam. Et vidit ibi meretricem mulierem: ingressusque est ad eam. Quod cum audissent Philistiim et percrebuisset apud eos intrasse Samson urbem: circumdederunt eum: et positis in porta civitatis custodibus: et ibi tota nocte cum silentio prestolantes: ut facto mane exeuntem occiderent. Dormivit autem Samson usque ad noctis medium. Et inde consurgens apprehendit ambas porte fores cum postibus suis et sera. [f] Impositisque humeris portavit ad verticem montis qui respicit Hebron. Post hec [g] amabat mulierem que habitabat in valle Sorech: et vocabatur [h] Dalida. Veneruntque ad eam principes Philistinorum atque dixerunt. De-
D cipe eum et disce ab illo: in quo tantam habeat fortitudinem: et quomodo eum superare valeamus: et vinctum affligere. Quod si feceris dabimus tibi mercedem singuli [i] mille centum argenteos. Locuta est ergo Dalida ad Samson. Dic mihi obsecro in quo sit tua maxima fortitudo: et quid sit quo ligatus erumpere nequeas. Cui respondit Samson. Si septem [j] nervis funibus: necdum siccis et adhuc humentibus

[a] *Qui paras.* Hæc et quæ sequuntur satis ostendunt aliquid hoc loco deesse, vel certe his verbis, *V. D. et Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus* Christum Dominum designari, cæterum pleræque hujus illationis leguntur in oratione *post Sanctus* Missalis Gallo-Gothici, *initio Quadragesimæ.*

[b] *Calculi.* Forte *calculo,* ut in Gallo-Gothico legitur.

[c] *Cap. VIIII.* Vers. 1-14, omissis versiculis quatuor, 4 ad 7.

[d] *Non te.* Hæc ex Ecclesiastici VIII, 11, 12.

[e] *Cap. XVI.* Vers. 1-31.

[f] *Impositisque.* Lege *impositasque.*

[g] *Amabat.* Vulg., *amavit*

[h] *Dalida.* Vulg., *Dalila.*

[i] *Mille centum.* Vulg., *mille et centum.*

[j] *Nervis.* Vulg., *nerviceis.*

ligatus fuero : infirmus ero ut ceteri homines. Attuleruntque ad eam Satrape Philistinorum septem funes ut dixerat. Quibus vinxit eum : latentibus apud se insidiis in cubiculo finem rei expectantibus. Clamavitque ad eum : Philistiim super te Samson. Qui rupit vincula : quomodo si erumpat quis filum de stuppa : et tortum putamine cum odore ignis acceperit. Et non est cognitum in quo esset fortitudo ejus. Dixitque ad eum Dalida. Ecce inlusisti mihi : et falsum locutus es. Statim nunc indica mihi : quo ligari debeas. Cui ille respondit. Si ligatus fuero novis funibus : qui nunquam fuerunt in opere : infirmus ero : et aliorum hominum similis. Quibus rursum Dalida vinxit eum et clamavit. Philistiim super te Samson : in cubiculo insidiis preparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum. Dixitque Dalida rursum ad eum. Usquequo decipis me : et falsum loqueris? Ostende de quo vinciri debeas. Si inquit septem crines capitis mei cum licio plexueris; et clavum his circum ligatum terre fixeris infirmus ero. Quod cum fecisset Dalida dixit ad eum. Philistiim super te Samson. Qui consurgens de somno extraxit clavum cum crinibus et licio. Dixitque ad eum Dalida Quomodo dicis quod amas me : cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi : et noluisti dicere in quo sit tua maxima fortitudo. Cumque molesta ei esset : et per multis dies jugiter adhereret : spacium ad quietem non tribuens : defecit anima ejus : et ad mortem usque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam. Ferrum nunquam ascendit super caput meum : quia Nazareus idest [a] consecratus sum de utero matris mee. Si rasum fuerit caput meum recedet a me fortitudo mea : et deficiam : eroque ut ceteri homines. Videns illa quod confessus ei esset omnem animam suam : misit ad principes Philistinorum atque mandavit. Ascendite adhuc semel : quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt adsumpta pecunia quam promiserant. At illa dormire fecit eum super genua sua : et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem : et rasit septem crines ejus · et cepit abigere eum et a se repellere. Statim enim ab eo fortitudo discessit. Dixitque. Philistiim super te Samson. Qui de somno consurgens dixit in animo suo. Egrediar sicut antea feci : et me excutiam : nesciens quod Dominus recessisset ab eo. Quem cum apprehendissent Philistiim statim eruerunt oculos ejus : et adduxerunt eum in Gazam vinctum catenis : et clausum in carcere molere fecerunt. Jamque capilli ejus renasci ceperant : et principes Philistinorum convenerunt in unum : ut immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo : et epularentur dicentes. Tradidit Dominus inimicum nostrum Samson in manus nostras. Quod etiam populus videns : laudabant Deum suum eudemque dicebant. Tradidit Deus noster in manus nostras adversarium : qui delevit terram nostram : et occidit plurimos. Letantesque per convivia sumptis jam epulis preceperunt : ut vocarent Samson : ut ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos. Feceruntque eum stare inter duas columnas. Qui dixit puero : dimitte me ut tangam columnas quibus omnis imminet domus : ut recliner super eas et paululum requiescam. Domus autem plena erat virorum ac mulierum : et erant ibi omnes principes Philistinorum ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexus : spectabant ludentem Samson. At ille invocato Domino ait. Domine Deus memento mei : et redde mihi nunc pristinam fortitudinem Deus meus ut ulciscar me de hostibus meis. Et pro amissione duorum luminum : unam ultionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas : quibus imminebat domus alteramque earum dextera et alteram leva tenens ait. Moriatur anima mea cum Philistiim. Concussisque fortiter columnis : cecidit domus super omnes principes et ceteram multitudinem que ibi erat. Multoque plures interfecit moriens : quam antea vivus occiderat. Descendentes autem fratres ejus : et universa cognatio tulerunt corpus ejus et sepelierunt in terra sua in [b] Asthaol in sepulchro patris sui Manue. Judicavitque Israel viginti annis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Tractus. Audite obsecro omnes : et videte dolorem meum quia iratus est super me Deus propter multitudinem iniquitatis mee. ℣. Complevit furorem suum in me et effudit iram indignationis sue : et oppressit me amaritudine. ℣. Sed et cum clamavero ad eum : exclusit orationem meam.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Petri Apostoli ([c] *1, cap. V*).

℟. Deo gratias.

Charissimi subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate : quia Deus superbis resistit : humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti Dei manu : ut vos exaltet in tempore visitationis sue : omnem solicitudinem vestram projicientes in eum : quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote. Vigilate : quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit querens quem devoret : cui resistite fortes in fide : nihil verentes. Scientes eandem passionem ei qui in mundo est vestre fraternitati fieri. Deus autem omnis gratie qui vocavit vos in eternam suam gloriam in Christo Jesu modicum passus : ipse perficiet. Confirmabit : solidabit : ipsi imperium in secula seculorum.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem ([d] *Cap. VIII*).

℟. Deo gratias.

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus venit in templum : et omnis populus venit ad eum. Et sedens docebat eos. Adducunt autem scribe et pharisei mulierem in adulterio deprehensam : et statuerunt eam in medio : et dixerunt ei. Magister hec mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem

[a] *Consecratus* Vulg. addit *Deo*.
[b] Asthaol. Vulg., *inter Saaru et Asthaol*.

[c] *Cap. V*. Vers. 5-12.
[d] *Cap. VIII*. Vers. 2-12.

Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare : tu ergo quid dicis? Hec autem dicebant tentantes eum : ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum : digito scribebat in terra. Cum autem perseverarent interrogantes eum : erexit se et dixit eis. Qui sine peccato est vestrum : primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem unus post unum exibant incipientes a senioribus : et remansit [a] solus : et mulier in medio stans. Erigens autem se Jesus dixit ei. Mulier : ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit. Que dixit. Nemo Domine. Dixit autem Jesus. Nec ego te condemnabo. Vade et amplius jam noli peccare.

℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

[b] *Lauda.* Confitebor Domino nimis in ore meo : in medio multorum laudabo eum.

Preces. Penitentes.

Sacrificium. Offerte Domino.

Quere in IV. feria I. hebdomade Quadragesime f. l. 99.

Missa. Ungentes oleo misericordie caput cordis interni fratres charissimi : et mentis faciem spiritualis : atque nitore mundantes acceptabile Deo sacrificium **126** precepti evangelici memores offeramus : non vultu sed corde contrito : non hominibus appareamus jejunantes : sed Domino : nec ipocritarum more faciem nostram tristis squalor exterminet : sed cum tribulato corde exultatio pura letificet. Ut intrinsecus humiles : et extrinsecus hilares jejunium quale ipse Dominus precepit impleamus. ℟. Amen.

[c] *Alia Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus : qui nos humilitatis formam exemplis unigeniti sui docuisti : ut quod ille jejuniorum continuatione complevit : nos per dierum partes et intervalla virium imitemur. Da quesumus nostre fragilitati firmitatem : da infirmis conatibus effectum. Ut exclusis cogitationum carnalium suadellis : placabile tibi contriti cordis holocaustum in odorem suavitatis valeamus offerre. ℟. Amen.

Post nomina. Deus qui sanare omnibus modis peccata populi tui cupiens : observantiam jejuniorum sanitatem jejunantium esse dixisti. Da ut jejunium nostrum sit et salvatio animarum : et humiliatio corporum : et veniam obtineat omnium delictorum. Atque ita exhomologesis hec populo tuo prosit : ut pro universe Ecclesie membris et pro totius mundi corpore tibi supplicantes exaudiamur. Ac dum pro omnibus preces effundimus : salutem viventium : et requiem defunctorum impetrare facilius mereamur. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Da nobis quesumus omnipotens Deus : jejuniorum magnifica sacramenta : et dignis semper tractare mysteriis : et puris pacificisque precordiis celebrare. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui est veritas Vita. Principium. Verbum. Sapientia. Plenitudo. Innocentia. Charitas. Lux. Ex assumpto dilectus : in proprio gloriosus. Exemplum patientie. Conditor discipline. Esuriens non fame umbratili : sed humani necessitate jejunii : ubi certa ad desiderium panis ambitione tentantem substantia deitatis invenit : et cum nihil falsum fictumve perpatuit : fallenti facta est veritas ipsa confusio. Ipse esurientium cibus esuriit : ipse inanes animas satiabit in sua eternitate perennis : et pro nostra immortalitate mortalis. Cui merito omnes angeli et archangeli non cessant clamare quotidie una voce dicentes.

℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui nobis precepta salutaris abstinentie dedit : per quem adjuncta oratione : et incursus demonum pelleremus : et emundati a vitiis in sanctitate et justitia serviremus. Ipsi Domino Redemptorique nostro.

Post pridie. Oratio. Descendat Domine de sedibus tuis benedictio tua : qua et nostri jejunii oblatio sanctificetur : et te hec libamina benedicente a nobis sanctificata sumantur. ℟. Amen.

Ad confractionem panis Antif. Fiat misericordia tua Domine super nos : sicut speravimus in te.

Ad orationem Dominicam.

Exaudi Domine vocem precis nostre : et hujus jejunii nostri litationem propicius acceptare digname. Quo semper te propicium habeamus : cum te patrem piissimum invocaverimus : ita dicentes. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotentis Domini vos gratia protegat : famemque vestram spirituali cibo reficiat. ℟. Amen. Sitim quoque vestram justicie fluminibus inriget : atque novum dulcedinis sue animis vestris infundat saporem. ℟. Amen. Ut tam carne contriti : quam spiritu vivificati : ab eo mereamini celesti dono repleri. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Qui venit ad me.

Communio. Repletum est gaudium nostrum.

Oratio. Reple Domine cor nostrum.

Quere retro in I Dominico Quadrages. folio 98.

[a] *S lus.* Vulg., *Solus Jesus.*

[b] *Lauda.* Ps. CVIII, 30.

[c] *Alia oratio.* Absoluta prima oratione *missa*, sacerdos in medio altaris dicebat *per misericordiam*, etc. Tum diaconus elevando manus clamabat *Oremus*, et inchoabat *preces*, de quibus vide notata pag. 95. His absolutis, sacerdos dicit *aliam orationem*, quæ sic vocatur tanquam pro vio nomine, ut in liturgiis Gallicanis *collectio sequitur* nuncupatur, de qua sanctus Isidorus (*Off. l.* I, *c.* 15) : Oratio *secunda invocationis est ut Deus clementer suscipiat preces fidelium, oblationesque eorum.* Hac oratione semper gratiam aliquam peculiarem a Deo postulant, et non raro oblationem Deo commendant.

127 [a] IN IIII. DOMINICO QUADRAGESIME.

Mediante die Festo.

Ad Missam.

Ecclesiasticum Salomonis ([b] *Cap. XIV*).

℟. Deo gratias.

Fili. Si habes benefac : et Deo bonas oblationes offer. Memor esto quoniam mors non tardat : et testamentum inferorum jam demonstratum est tibi. Testamentum enim hujus mundi [c] mortem operatur. Ante mortem benefac amico tuo : et secundum vires tuas extendens da pauperi. Non defrauderis in die bona : et particula boni doni non te pretereat. Nonne aliis relinques dolores et labores tuos. In divisione sortis : da et accipe : et justifica animam tuam : ante obitum tuum operare justiciam : quoniam non est apud inferos invenire cibum. Omnis caro sicut fenum veterascit : et sicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generat : et alia decidit. Sic generatio carnis et sanguinis. Alia finitur : et alia nascitur. Omne opus corruptibile in fine deficiet : et qui illud operatur ibit cum ipso. Et omne opus electum justificabitur : et qui operatur illud [d] justificabitur.

℟. Amen

Lectio libri [e] *Samuelis prophete* (*Cap. I*).

℟. Deo gratias.

Fuit vir unus de Ramathaim Sophim de monte Effraym : et nomen ejus Helcana filius Hieroboam filii Helio filii Thau : filii Suph Eufratheus : et habuit duas uxores. Nomen uni Anna : et nomen secunde Fenenna. Fueruntque Fenenne filii : Anne autem non erant liberi. Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus : ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant ibi autem duo filii Heli : Ofni et Finees sacerdotes Domini. Venit ergo dies ut immolaret Helcana. Deditque Fenenne uxori sue et cunctis filiis ejus et filiabus partes. Anne autem dedit partem unam tristis quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam ejus. Affligebat quoque eam emula ejus : et vehementer angebat. In tantum ut exprobraret : quod conclusisset Dominus vulvam ejus. Sicque faciebat per singulos annos. Cum redeunte tempore ascenderent templum Domini : et sic provocabat eam. Porro illa flebat et non capiebat cibum. Dixit ergo ei Helcana vir suus. Anna cur fles : et quare non comedis : et quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior sum tibi : quam decem filii? Surrexit autem Anna

A postquam comederat in Silo et biberat : et Heli Sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini. Cum esset amaro animo : oravit Domino flens largiter : et votum vovit dicens. Domine exercituum si respiciens videris afflictionem famule tue ; et recordatus mei fueris nec oblitus ancille tue : dederisque serve tue sexum virilem : dabo eum Domino omnes dies vite ejus : et novacula non ascendet super caput ejus. Factum est ergo cum illa multiplicaret preces coram Domino : et Heli observaret os ejus. Porro Anna loquebatur in corde suo : tantumque labia illius movebantur : et vox penitus non audiebatur. Estimavit igitur eam Heli temulentam : dixitque ei. Usquequo ebria eris? Digere paulisper vinum quo mades. Respondens Anna : Nequa-

B quam Domine mi inquit : nam mulier infelix ego sum. Vinum et omne quod inebriari potest : non bibi : sed effudi animam meam in conspectu Domini. Ne putes ancillam tuam : quasi unam de filiabus Belial : quia ex multitudine doloris et meroris mei locuta sum usque in presens. Tunc Heli ait ei. Vade in pace : Dominus Deus Israel det tibi petitionem quam rogasti eum. Et illa dixit. Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam : et comedit : vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati. Et surrexerunt mane . et adoraverunt coram Domino. Reversique sunt et venerunt in domum suam in Ramatha. Cognovit autem Helcana Annam uxorem suam : et recordatus est ejus Dominus. Et factum est post circulum dierum concepit Anna : et

C peperit filium : vocavitque nomen ejus Samuel : eo quod a Domino postulasset eum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Psallendo.* Tu es patientia mea Domine spes mea a juventute mea. ℣. Deus quis similis tibi? quia ostendisti mihi tribulationes multas et malas : et conversus consolatus es me. *P.* Domine. ℣. Qui custodiebant animam meam : consiliati sunt in unum dicentes : **128** persequimini et comprehendite eum : quia non est qui liberet eum. Deus meus ne elonges a me. *P.* Domine. ℣. Quia firmamentum meum et refugium meum es tu : Deus meus eripe me de manu contra legem agentis et iniqui : quia tu

D es patientia mea. *P.* Domine.

Hic dicat Presb. preces sequentes modo ut supra scriptum est in I. Dominico Quadragesime fol. 94.

Vide Domine humilitatem meam : quia erectus est inimicus. *P.* Miserere pater juste : et omnibus in-

[a] *In IV Dominico.* Hæc Dominica, quæ sine addito Missali Romano *quarta Quadragesimæ*, Missali nostro inscribitur *quarta Quadragesimæ* MEDIANTE DIE FESTO. Quod nomen sortita est tum a verbis illis quæ in Evangelio leguntur : *Jam autem die festo mediante ascendit Jesus in templum*; tum etiam quia jejunium quadragesimale bifariam dividit. Nam Gotho-Hispani, aliique antiquiores, triginta sex dies in Quadragesima jejunabant, quarum decem et octo ante hanc quartum Dominicum absolverant, et totidem jejunio transigendæ supererant. Dominica hæc *mediante* in Orationali Gothico denominatur *Dominica in vigesima*, eodemque modo in comite Thomasii designatur, quia ab hoc die ad Dominicam Resurrectionis dies omnino viginti supererant, denominatur etiam *Dominica de traditione* quia ab hac die catechumenis Symbolum memoriter mandandum tradebatur (*Conc. Brac.* II, *can.* 1); demum ab hac die passionem Domini specialiter colebant.

[b] *Cap. XIV.* Vers. 11-22.

[c] *Mortem operatur.* Vulg., *morte morietur.* In Græco deficit.

[d] *Justificabitur.* Vulg., *honorabitur in illo.* In Græco deficit.

[e] *Samuelis.* I Regum I, 1-21.

[f] *Psallendo.* Ps. LXX, 9, 20, 10, 11, 3, 4.

indulgentiam dona. ℣. A patre missus veni perditos A requirere et hoste captivatos sanguine redimere: plebs dira abjecit me. *P.* Miserere ℣. Predictus a prophetis: natus sum ex virgine: adsumpsi formam servi dispersos colligere: venantes ceperunt me. *P.* Miserere. ℣. Mihi pro bonis mala reddita sunt plurima: adversum me dederunt iniqua consilia venditum pecunia. *P.* Miserere. ℣. Spineam coronam [a] posuerunt capiti: sputis sordidato: inluserunt impii afflictum crudeliter. *P.* Miserere. ℣. Cum noxiis latronibus suspensum patibulo: amaro cibo pastum: et acerbo poculo traditum supplicio. *P.* Miserere. ℣. Quos veni liberare: hi accusaverunt me: flagellis verberatum cruci affixerunt me: lancea percusserunt me. *P.* Miserere. ℣. Qui impio latroni dimisisti scelera: tu solve vincula nostra et relaxa B crimina: salva nos cruce tua. *P.* Miserere. ℣. Traditus sum sepulchro: confregi portas inferi: ejeci [b] vinculatos et reduxi ad superos. Ostendi in victima. *P.* Miserere. ℣. Dimitte illis noxia pater clementissime cuncta: dele peccata: et relaxa crimina ignorantium quid faciant. *P.* Miserere.

Oratio. Exaudi orationem nostram Domine.

Quere retro in I. Dominico Quadragesime fol. 94.

Dicat Presb. Silentium facite.

Principium Epistole Petri Apostoli ([c] *II, cap. I*).

℟. Deo gratias.

Symon Petrus servus et Apostolus Jesu Christi: his qui coequalem nobiscum adepti sunt fidem in justicia Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi: Gratia vobis et pax adimpleatur [d] in regeneratione Dei et C Christi Jesu Domini nostri. Sicut omnia nobis Divine virtutis sue: que ad vitam et pietatem pertinent: donata sunt per cognitionem ejus: qui vocavit nos in propria gloria et virtute. Per quem maxima et preciosa vobis promissa donavit: ut per hec efficiamini divine consortes nature: fugientes ejusque in mundo est concupiscentie corruptionem. Sed et vos solicitudinem omnem subinferentes. Ministrate in fide vestra: virtutem. In virtute vero: scientiam. In scientia autem: [e] continentiam. In continentia autem: patientiam. In patientia vero: pietatem. In pietate autem: amorem fraternitatis. In amore vero fraternitatis: charitatem. Hec enim cum vobis presto sint et superent: non vacuos nec sine fructu D vos constituent in Domini nostri Jesu Christi agnitione. Cui enim non presto sunt hec: cecus est et manu tentans; oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter fratres mei magis satagite: ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Hec enim facientes: non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in eternum regnum Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi.

℟. Amen

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([f] *Cap. VII*).

Illo in tempore: proximus erat dies festus Judeorum Scenophegia. Dixerunt autem ad Jesum fratres ejus. Transi hinc et vade in Judeam: ut et discipuli tui videant opera tua que facis. Nemo enim in occulto quid facit: et querit ipse in palam esse. Si hec facis: manifesta te ipsum mundo. Neque enim fratres credebant in eum. Dixit ergo eis Jesus. Tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper adest paratum. Non potest mundus odisse vos. Me autem odit quia ergo testimonium perhibeo de illo: quia opera ejus mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc. Ego non ascendam ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. Hec cum dixisset: ipse mansit in Galilea. Ut autem ascenderunt fratres ejus: tunc et ipse ascendit ad diem festum: non manifeste: sed quasi in occulto. Judei autem querebant eum in die festo: et dicebant. Ubi est ille. Et murmur **129** magnum de eo erat in turba. Quidam enim dicebant: quia bonus est. Alii autem dicebant: non: sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judeorum. Jam autem die festo mediante: ascendit Jesus in templum. et docebat. Et mirabantur Judei dicentes: Quomodo hic litteras scit: cum non didicerit? Respondit eis Jesus et dixit. Mea doctrina non est mea: sed ejus qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere: cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit: an ego a me ipso loquar? Qui a semetipso loquitur: gloriam propriam querit. Qui autem querit gloriam ejus qui misit illum: hic verax est: et injustitia in illo non est. Nonne Moyses dedit vobis legem: et nemo ex vobis facit legem? Quid me queritis interficere? Respondit turba et dixit. Demonium habes: quis te querit interficere? Respondit Jesus: et dixit eis. Unum opus feci: et omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: non quia ex Moyse est: sed ex patribus: et in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato: ut non solvatur Lex Moysi: mihi indignamini: quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite judicare secundum faciem: sed [g] rectum judicium judicate. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu.

[h] *Lauda.* Gaudebunt labia mea dum cantavero tibi: et anima mea quam redemisti. ℣. Sed et lingua mea annunciabit justiciam tuam: tota die laudem tuam. ℣. Dum confusi et reveriti fuerint omnes qui querunt animam meam.

Preces. Penitentes orate etc.

Require fol. 99.

[a] *Posuerunt.* Forte, *imposuerunt.*
[b] *Vinculatos.* Id est, *vinctos.*
[c] *Cap. I.* Vers. 1-12.
[d] *In regeneratione.* Vulg. et Gr., *in cognitione.*
[e] *Continentiam.* Vulg., *abstinentiam.*
[f] *Cap. VII.* Vers. 2-15.
[g] *Rectum.* Vulg., Codd. Vercel., Veron., Brixien. et Corbeien., *justum.*
[h] *Lauda.* Ps. LXX, 23, 24.

[a] *Sacrificium.* Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despicit. ℣. Benefac Domine in bona voluntate tua Syon : ut edificentur muri Hierusalem. *P.* Cor contritum.

Missa. Expectantes beatam illam spem passionis ac resurrectionis filii Dei fratres charissimi : et manifestationem glorie beati et Salvatoris nostri Jesu Christi resumite virium fortitudinem : et non quasi futuro terreamini de labore : qui ad paschalis Dominice cupitis anhelando pervenire celebritatem. Sacrate enim quadragesime tempore mediante arripite de futuro labore fiduciam : qui præteriti jejunii jam transegistis erumnas. Dabit Jesus lassis fortitudinem : qui pro nobis dignatus est infirmari. Tribuet perfectionem futuri : qui initia donavit preteriti. Aderit in auxilio filii : qui sue nos cupit prestolari gloriam passionis.

℟. Amen.

Alia Oratio. Deus conditor et reparator vite humane : repara in nobis quod nascatur ex nobis : nec tamen reparari potest a nobis. Da igitur : ut qui ad horum medietatem dierum te annuente pervenimus : ad paschalis gaudii dies te propiciante celebrius accedamus. Reficiamur quesumus bone Deus pane lachrymarum in hac jejunii via : ut deponentes veteris hominis indumenta : expiati mereamur sacrosanctum pervenire ad Pascha. Crea in nobis desideria visionis tue : quo excellentem in cordibus nostris : et præsentibus non terreamur laboribus : et beate spei premia avidius prestolemur.

Post nomina. Ecce Jesu his diebus salutaris abstinentie mediatis : deferimus tibi hoc sacrificium nostre redemptionis. Ob hoc te poscimus et rogamus : ut per hujus sacrificii oblationem gratissimam : et vivis bonorum tribuantur spiritualium incrementa : et defunctis fidelibus requies concedatur eterna.

Ad pacem. Christe cujus doctrina in templo mediante die festo ammirabilis visa est : fac nos in doctrinis tuis jugi meditatione manere : atque ex semper ex ipsis memorie nostre commendabilia esse : que et ad amorem nos fraternum absque ullius simultatis vitio pertrahant : et in tui dilectione desiderio ardentiori succendant.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi gratias agere Domine sancte pater omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Hic quippe diei festi tempore mediante : ascendit in templum docere : cujus doctrinam ammirabantur turbe : occultam divinitatis in eo nescientes **130** esse virtutem. Quo enim sic loqueretur litterarum elementa nesciens : ammirabantur videntes hominem : et
A Deum omnimodo nescientes. Ecce omnes ammirabantur : nec tamen omnes convertebantur. Omnibus quidem erat in verbis Domini ammiratio : sed non omnibus in factis ejus credulitatis inerat plenitudo. Unde quia ignoraverunt : ignorati sunt : et qui Deum in carne positum videntes non cognoverunt ignorantie sue obcecati malicia; in suis tenebris remanserunt. Nos igitur quamlibet eumdem Dominum Jesum Christum filium tuum corporalibus oculis non viderimus in carne : veraciter tamen scimus credimus et fatemur eum tecum et cum Spiritu Sancto unum Deum esse in Trinitate. [b] Assumptaque carne nostre mortalitatis pro pignore nostre salutis deportasse in celis. Ob hoc te quæsumus sancte et piissime Deus : ut hec nos confessio perducat ad gloriam :
B hec credulitas servet a morte secunda : hec spes et in his erumnis lugentibus consolationem exhibeat : et in eternum gaudia conferat sempiterna. Ut cum post vitæ hujus excursum pervenerimus ad superne vocationis bravium destinatum : et viderimus pignus carnis nostre glorificatum esse in Deum : glorificentur corpora nostra a capite : sicut glorificatum caput nostrum viderimus in gloria divinitatis sue. Sic et nos qui sumus membra capitis nostri Jesu Christo Domino nostro pro acceptis muneribus gratie sue concelebremus hymnum redemptionis nostre : proclamantes atque ita dicentes.

℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus uni-
C genitus filius tuus Dominus noster. Qui passione crucis sue allevat pondus iniquitatis nostre : et dat finem piaculis per oblationem officii singularis. Unde tali spei robore solidati : cum magna fiducia : et ea que non reprobet salubriter impetremus : et ea que diligit : gratissime deferamus : ponamus interim in illo spem nostram : confidentes de misericordia sua. Ipse enim qui hos jejuniorum dies fecit nos pietatis sue beneficiis mediare : faciet ad calicem passionis sue : et nunc immaculatos accedere : et ad sanctum Pascha ablutis delictorum sordibus pervenire : Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Jesu Dei filius : qui noster factus es advocatus : qui sine tempore natus a Patre : in tempore processisti ex Virgine : [c] Accipe hoc sacrificium
D quod tibi offerimus : præsentis quadragesime tempore mediante : ut a te sanctificentur oblata : a te nostra expientur delicta : a te quoque donetur omnibus eterne promissionis felicitas exoptata.

℟. Amen.

Ad confractionem panis. Ant. Tu Domine da escam nobis in tempore opportuno : aperi manum tuam et imple omnem animam benedictione.

[a] *Sacrificium.* Ps. L, 19. Vulg., *non despicies.* LXX, *non despiciet.* S. August. *non spernit.*

[b] *Assumptaque carne.* Lege *assumptamque carnem.*

[c] *Accipe hoc sacrificium.* Huc refer illud sancti Fulgentii Ruspensis episcopi (*De Fide, ad Petrum Diaconum, cap.* 19) scribentis : *Firmissime tene, et nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium et hostiam Deo in odorem suavitatis. Cui, cum Patre et Spiritu sancto, a patriarchis, et prophetis, et sacerdotibus tempore Veteris Testamenti animalia sacrificabantur, et cui nunc, id est, tempore Novi Testamenti, cum Patre, et Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, sacrificium panis et vini in fide et charitate sancta Ecclesia catholica, per universum orbem terræ, offerre non cessat.*

Ad orationem Dominicam.

Christe qui es omnium creaturarum conditor et redemptor : repara queque sunt in nobis lassa virtutis tue potentia. Ut qui te duce retroacte abstinentie dies peregrinus : futura que supersunt jejuniorum obsequia : te adjuvante celebrius impleamus. quo te et in bonorum principiis laus a nobis debita subsequatur : et in mediis vel ultimis [a] obsequellis : honorificentie tibi gratie deferantur. Accipe ergo quesumus hujus jejunii tempore mediante prolatam a nobis hanc [b] perceptionis tue hostiam : tribuens nobis per illam et præsentibus non dejici in erumnis : et futuris revelari de gaudiis : cum ad te proclamaverimus e terris. Pater noster.

Dicat. Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dei filius : qui mediante die festo ammirabilis visus est docens in templo : ipse vos mundet ab omni contagione peccaminum. ℟. Amen. Det vobis in his mediatis jejuniorum obsequiis obtinere que poscitis : ut cum fructu bonorum operum ad sacrosanctum Pascha pervenire possitis. ℟. Amen. Cujusque presidio retroactorum dierum transegistis jejunia : ejus quoque opitulatione que restant parcimonie perficiatis obsequia. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedendum. Antiphona. Amen dico vobis si manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem : habebitis vitam **131** in vobis. *P.* Qui venit ad me non esuriet : et qui credit in me non sitiet unquam. ℣. Ego sum lux mundi : qui sequitur me non ambulabit in tenebris : sed habebit lumen vite. *P.* Qui venit. *Com.* Repletum est gaudium nostrum : et lingua nostra in exultatione. *Oratio post Com.* Reple Domine cor nostrum. *Require in I. Dominico Quadragesime fol.* 98.

QUARTA FERIA.

Ad Missam.

Lectio libri proverbiorum Salomonis ([c] *Cap. XIII*).

℟. Deo gratias.

Fili : Lex sapientis fons vite : ut declinet a ruina mortis. Doctrina bona dabit gratiam : in itinere [d] contentorum vorago. Astutus omnia agit cum consilio : qui autem fatuus est : aperit stulticiam. Nuncius impii cadit in malum : legatus fidelis sanitas. Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam : qui autem acquiescit arguenti glorificabitur. Desiderium si compleatur : delectat animam : detestantur stulti eos qui fugiunt mala. Qui cum sapientibus graditur : sapiens erit : A amicus stultorum efficitur similis. Peccatores [e] sequetur malum ; et justis retribuentur bona. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis id est Regum I. ([f] *Cap. XII*).

℟. Deo Gratias.

In illis diebus : dixit Samuel ad universum populum Israel. Ecce audivi vocem vestram : juxta omnia que locuti estis ad me : et constitui super vos Regem. Et nunc Rex gradietur ante vos : ego autem senui et canui. Porro filii mei vobiscum sunt : itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad diem hanc. Ecce presto sum. Loquimini de me coram Domino : et coram Christo ejus. Utrum bovem cujusquam tulerim : an asinum : si quempiam calumniatus sum : si oppressi aliquem. Si de manu cujusque munus accepi : et contemnam illud hodie : restituamque B vobis. Et dixerunt : Non es calumniatus nos : neque oppressisti : neque de manu alicujus quippiam tulisti : dixitque ad eos. Testis est Dominus adversum vos : et testis Christus ejus in hac die : quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt. Testis. Et ait Samuel ad populum. Dominus qui fecit Moysem et Aaron : et eduxit patres nostros de terra Egypti. Nunc ergo state : ut judicio contendam adversum vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini : quas fecit vobiscum et cum patribus vestris. Quorum ingressus est Jacob in Egyptum : et clamaverunt patres vestri ex Egypto : [g] et conlocavit eos in loco hoc. Qui obliti sunt Domini Dei sui · et tradidit eos in manu Sisare magistri milicie [h] Asor : et in manu Philistinorum : et in manu Regis Moab : et pugnaverunt adversum eos. C Postea autem clamaverunt ad Dominum et dixerunt. Peccavimus : quia dereliquimus Dominum : et servivimus Baalim et Astaroth. Nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum : et serviemus tibi. Et misit Dominus Hierobaal : et [i] Badam : et Barach : et Jephte : et Samuel : et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum : et habitastis confidenter. Videntes autem quod Naas Rex filiorum Ammon venisset adversum vos : dixistis mihi. Nequaquam : sed Rex imperabit nobis. Cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. Nunc ergo presto est Rex vester quem elegistis et petistis : ecce Dominus dedit vobis Regem. Si timueritis Dominum et servieritis ei : et audieritis vocem ejus : et non exasperaveritis os Domini : eritis vos et Rex vester qui imperat D vobis sequentes Dominum Deum vestrum. Si autem non audieritis vocem Domini : sed exasperaveritis os Domini : erit manus Domini super vos : et super patres vestros. Sed et nunc state et videte rem istam grandem : quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid non messis tritici est. Hodie invo-

[a] *Obsequellis.* Lege *obsequelis.*

[b] *Perceptionis.* Forte *præceptionis*, hoc est, *præcepti tui*, sive hostiam quam tu, ut offeratur, præcepisti. Cæterum, hæc oratio formam quamdam exhibet orationis *post pridie.*

[c] *Cap. XIII.* Vers. 14-22.

[d] *Contentorum.* Lege *contemptorum.*

[e] *Sequentur.* Vulg., *persequentur.*

[f] *Cap. XII.* Vers. 1-24.

[g] *Et conlocavit.* Hoc loco quædam prætermissa sunt. Lege ex Vulgata : *Et clamaverunt patres vestri ad Dominum, et misit Dominus Moysen, et Aaron, et eduxit patres vestros de Ægypto et collocavit in loco hoc.*

[h] *Asor.* Ita LXX. Vulg., *Hasor.* Hebr., *Chasor.*

[i] *Badam et Barach.* Ita LXX. Vulg. et Hebr., *Badan et Jephte et Samuel.* Syr. et Arab. *misit Dominus Deboram, Barac, et Gedeonem, et Nevtath, et Sampsonem.*

cabo Dominum : et dabit voces et pluvias : et scietis A et videbitis quod grande malum feceritis vobis in conspectu Domini : petentes super vos Regem. Et clamavit Samuel ad Dominum : et dedit Dominus voces et pluviam in die illa. Et timuit omnis populus Dominum nimis et Samuelem. Dixitque universus populus ad Samuelem. Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum : ut non moriamur. Addidimus enim universis peccatis nostris malum : ut peteremus nobis Regem. Dixit autem Samuel ad populum. Nolite timere : vos fecistis universum malum hoc. 132 Verumtamen nolite recedere a tergo Domini : et servire Domino in omni corde vestro : et nolite declinare post vana : que non proderunt vobis : neque eruent vos que vana sunt : et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum ma- B gnum : quia juravit Dominus facere vos sibi populum. Absit autem a me hoc peccatum in Domino : ut cessem orare pro vobis : et docebo vos viam bonam et rectam. Igitur timete Dominum : et servite ei in veritate . et ex toto corde vestro.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Tractus. Vide Domine et considera quoniam factus sum vilis : vide afflictionem meam quia erectus est inimicus. ℣. Aperuerunt super me inimici ora sua : et exprobrantes percusserunt maxillam meam : sibilaverunt et fremuerunt : dixerunt devoremus eum. ℣. Ipse autem gemens et conversus retrorsum.

Dicat Presb. Silentium facite. C

Sequentia epistole Petri Apostoli (ᵃ *II, cap. II, III.*)

℟. Deo gratias.

Charissimi. Novit Dominus pios de tentationibus eripere : iniquos vero in diem judicii cruciandos reservare. Magis autem eos qui post carnem in concupiscentiam immundicie ambulant : dominationemque contemnunt. Audaces. Sibi placentes. ᵇ Majestatem non metuunt. Blasphemantes. Ubi angeli fortitudini et virtute cum sint majores : non portant adversum se a Domino execrabile judicium. Ili vero velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem et in perniciem : in his que ignorant : blasphemantes in corruptione sua peribunt. Percipientes mercedem injustitie : estimantes voluptates diurnas delicias. Quo inquinati et D commaculati deliciis affluentes : et in conviviis suis luxuriantes vobiscum. Oculos habentes plenos adulteriis et indesinenter delictis inlicientes animas instabiles. Cor exercitatum avaricie habentes : maledictionis filii dereliquerunt rectam viam : erraverunt secuti viam Balaam ᶜ filii Beor qui mercedem injusticie dilexit. Increpationem vero habuit sue vesanie : subjugale mutum in hominis voce : loquens perhibuit prophetie insipientiam. Hi sunt fontes sine aqua : et nebule turbinibus exagitate : quibus caligo tenebrarum reservatur. ᵈ Superbia autem vanitatis loquentes inliciunt in desideriis carnis luxurie eos qui paululum effugerunt : qui in errore conversantur. Libertatem aliis promittentes ; cum ipsi sint servi peccati. A quo enim quis superatus est ; hujus et servus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in agnitionem Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi : et rursus impliciti superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justicie : quam post agnitionem retrorsum converti a tradito sibi sancto mandato. Contigit enim illis res veri proverbii : canis reversus ad suum vomitum : et sus lota in volutabro ceni. Hanc ecce vobis charissimi secundam scribo epistolam ; in quibus excito vestram in commonitione sinceram mentem : ut memores sitis eorum que predixi verborum sanctorum Prophetarum et Apostolorum vestrorum preceptorum Domini et Salvatoris nostri. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Joanem (ᵉ *Cap VIII*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus loquebatur phariseis et turbis dicens. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me non ambulabit in tenebris ; sed habebit lucem vite. Dixerunt ergo pharisei. Tu de te ipso testimonium perhibes : testimonium tuum non est verum. Respondit Jesus et dixit eis. Et si ego testimonium perhibeo de me ipso : verum est testimonium meum : quia scio unde veni et quo vado. Vos autem nescitis unde venio : aut quo vado. Vos autem secundum carnem judicatis : ego non judico quemquam : et si judico ego : judicium meum verum est : quia solus non sum : sed ego et qui me misit pater. Et in lege vestra scriptum est : quod duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso : et testimonium perhibet de me : qui misit me pater. Dicebant ergo ei. Ubi est pater tuus? Respondit Jesus. Neque me scitis : neque patrem meum. Si me sciretis : forsitan et patrem meum sciretis. Hec verba locutus est in Gazophilatio : docens in templo. Et nemo apprehendit eum : quia necdum venerat hora ejus. Dixit ergo eis iterum Jesus. 133 Ego vado et queritis me : et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado : vos non potestis venire. Dicebant ergo Judei : Numquid interficiet semetipsum ? Quia dicit : quo ego vado : vos non potestis venire. Et dicebat illis. Vos de deorsum estis : ego ᶠ de superius sum. Vos de hoc mundo estis : ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis : quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum : moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei : Tu quis es ? Dixit eis Jesus. Principium qui et loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui et judicare : sed qui misit me verax est : et ego que audivi ab eo : hec loquor in mundo : et non cognoverunt : quia patrem eis dicebat Deum. Dixit ergo eis Jesus. Cum exaltaveritis filium hominis tunc cognoscetis :

ᵃ *Cap. II.* Vers. 9 *III*, 1-3.

ᵇ *Majestatem.* Vulg., *sectas non metuunt introducere blasphemantes.*

ᶜ *Filii Beor.* Num. XXII, 5. Balaam dicitur filius Beor.

ᵈ *Superbia.* Lege *superbi.*

ᵉ *Cap. VIII.* Vers. 12-31.

ᶠ *De superius.* Gr., *de sursum*, ἐκ τῶν ἄνω. Vulg., *de supernis.*

quia ego sum : et a me factum est nihil. Sed sicut docuit mihi pater : hec loquor. Et qui misit me : mecum est : et non relinquet me solum : quia et ego que placita sunt ei facio semper. Hec illo loquente : multi crediderunt in eum. ℟. Amen.

Dicat Presbit. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

[a] *Lauda.* Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi : et anima mea quam redemisti.

Preces. Penitentes.

Sacrificium. Offerte Domino.

Require retro in quarta feria I. hebdomade XL. folio 93.

Missa. Omnis conventus dominice plebis : et coadunatio christiane religionis effundite coram Domino corda vestra : pandite [b] probra : solvite vota. Nam acceptabit hujus jejunii votum : qui inspicit intentionis vestre affectum. Tantum est ut ita humiliemini sub manu Dei potentis : qualiter vos exaltet in tempore tribulationis. ℟. Amen.

Alia Oratio. Jesu filius Dei : qui contriti cordis sacrificio placaris : nostris quesumus parce offensis. Da nobis et abstinendi devotionem : et abstinentie promereri virtutem. Quo et voluntate habeamur idonei : et corporali robore inveniamur condigni. ℟. Amen.

Post nomina oratio. Offerentium tibi Deus pater vota sanctificas : sic jejunantium precibus adesto propicius : ut defunctis fidelibus eterne concedatur beatitudinis locus. ℟. Amen.

Ad pacem oratio. Pace tua Domine poscimus : muniantur intima pectoris nostri : que et jejunantibus fiat in permixtione sanctificationis : et non jejunantibus maneat in expiatione facinoris. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi semper gratias agere Domine sancte pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum dominum nostrum. Qui per jejunium spirituales effecti : liberius copulamur : Angelisque suis adjungimur. Per jejunium enim et sacramenta mysteriorum celestium revelantur : et tela demoniorum fortissima devincuntur. Eo quippe et vivificatur anima : et corpora atteruntur superba. Quo homo exterior exhibens abstinentie votum : interior facilius per orationem penetret celum. Unde quia tu es summus Deus : per quem ista et ordinatim aguntur : et ammirabili potentia exercentur. Te acclivi ex oratione precamur : ut per jejunium hoc quod agimus : vel orationem : quam coram te fundimus : ejiciantur a nobis cuncta in commune tentamenta demoniorum : ut nullis sordidati malis : tuis deserviendo preceptis : proclamemus tibi semper atque ita dicamus. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere ammirabilis et Sanctus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : qui nobis instituit nostrum coram hominibus non ostendere jejunium : ne labentis vite transitoria laude bona male uteremur. Nec jam esset in retributione futura : quos hic subsecuta fuisset merces vanitatis admissa. Ob hoc perlargissime te Deus pater exposcimus : ut te propiciante et jejunium nostrum : habeatur a vanitate disjunctum : et merces nobis non hic ore hominum : sed post in concilio prelargiatur Sanctorum : per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Ante te Domine effundentes desiderium cordis nostri precamur : ut ita hec que offerimus benedicas : qualiter ex his [c] potantes et repulsa inedia convalescant : et concessa speciali virtute : celesti desiderio inardescant. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Tu Domine da escam.

134 *Require retro in Dominico quarto XL. fol.* 130.

Ad Orationem Dominicam.

Domine Jesu Christe : cujus in fame pascimur verbo : cujus in siti reficimur alloquio tuo : et jejunium nostrum sanctifica tue gratie incremento : et vocem nostram exaudi e summo celo : qua te jubente dicimus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotenti Domino sociemini per jejunii puritatem : et copulemini per mentis afflictionem. ℟. Amen. Eum quoque habeatis in munere : quem consortem videmini habere in labore. ℟. Amen. Ut ab eo remuneretur jejunium vestrum : a quo in vobis conlatum est fidei incrementum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedendum. Qui venit ad me non esuriet. *Quere in I. Dominico XL. fol.* 98. *Com.* Replebuntur.

Oratio. Replo Domine. *Quere ut supra.*

FERIA SEXTA.

Lectio libri proverbiorum Salomonis ([d] *Cap. XXVI, XXVIII*).

℟. Deo gratias.

Fili : sicut noxius est qui mittit lanceas ac sagittas in mortem : sic vir qui fraudulenter nocet amico suo. Et cum fuerit deprehensus : dicet : ludens feci. Cum defecerint ligna : extinguitur ignis : et susurrone subtracto jurgia conquiescunt. Sicut carbones ad prunas et ligna ad ignem : sic homo iracundus provocat rixas. Verba susurronis quasi simplicia : et ipsa perveniunt usque ad intima ventris. Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile : sic labia tumentia cum pessimo corde sociata. Labiis suis intelligitur inimicus : cum in corde tractaverit dolum. Quando submiserit vocem suam : ne credideris ei quoniam septem nequicie sunt in corde illius Qui operit odium fraudulenter : revelabitur malicia ejus in concilio. Qui fodit foveam : incidit in eam : et qui revolvit lapidem : revertetur ad eum. Lingua

[a] *Lauda.* Ps. LXX, 23.

[b] *Probra.* Forte se, *ora.*

[c] *Potantes.* Lege *edentes et potantes.*

[d] *Cap. XXVI.* Vers 18, ad finem capitis.

bilax non amat veritatem : et os lubricum operatur A ruinas. [a] Qui se jactat et dilatat : jurgia concitat : qui autem sperat in Domino salvabitur. ℟. Amen.

Lectio libri Samuelis id est Regum ([b] *I, cap. XX*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : dixit David ad Jonatham. Fac misericordiam in servum tuum : quia fedus Domini me famulum tuum inire fecisti. Si autem in me est aliqua iniquitas tu me interfice : et ad patrem tuum ne introducas me. Et ait Jonathas. Absit hoc [c] a me. Neque enim fieri potest : ut si certo cognovero completam patris mei esse maliciam contra te : [d] non adducerem tibi. Responditque David ad Jonathan. Quis annunciabit mihi si quid forte responderit tibi pater tuus dure de me? Et ait Jonathas ad David. B Veni : egrediamur in agrum. Cumque exissent ambo in agrum : ait Jonathas ad David. Domine Deus Israel : si investigavero sententiam patris mei crastino vel perendie : et aliquid boni fuerit super David : et non statim misero ad te et notum tibi fecero : hec faciat Dominus in Jonatham : et hec augeat. Si autem perseveraverit patris mei malicia adversum te : revelabo aurem tuam et dimittam te : ut vadas in pace. Et sit Dominus tecum : sicut fuit cum patre meo : et si vixero : facias mihi misericordiam Domini. Si ante mortuus fuero : non auferas misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum. [e] Aut si non fecero : quomodo eradicaverit Dominus inimicos David unumquemque de terra : auferat Jonatham de domo sua : et requirat Dominus de manu C inimicorum David. Pepigit ergo fedus Jonathas cum David : et addidit Jonathas dejerare David eo quod diligeret illum : sicut animam suam ; ita diligebat illum. Dixitque Jonathas. Cras Kalende sunt : et requireris : requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendens ergo festinus et veniens in locum ubi celandus es : in die quo operari licet : et sedebis juxta lapidem cui nomen est Ezel : et ego tres sagittas mittam juxta eum : et jaciam quasi exercens ad me signum. Mittamque et puerum dicens ei. Vade affer mihi sagittas. Si dixero puero : ecce sagitte intra te sunt tolle eas : tu veni ad me : quia pax tibi est et nihil mali : vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero : ecce sagitte ultra te sunt : vade quia dimisit te Dominus. **135** De verbo quod locuti fuimus ego et tu : sit dominus inter D me et te usque in sempiternum. Absconditus est ergo David in agro : et venerunt Kalende : et sedit Rex ad comedendum panem. Cumque sedisset Rex super cathedram suam : secundum consuetudinem que erat juxta parietem : surrexit Jonathas et sedit : et Abner ex latere Saul : vacuusque apparuit locus David. Et non est locutus quicquam Saul in illa die. Cogitabat enim quod forte evenisset ei : et non esset mundus : nec purificatus. Cumque inluxisset dies secunda post Kalendas : rursum vacuus apparuit locus David. Dixit autem Saul ad Jonatham filium suum. Cur non venit filius Isay nec heri nec hodie ad vescendum? Et respondit Jonathas Sauli. Rogavit me obnixe ut iret in Bethleem : Et ait. Dimitte me. quoniam sacrificium solenne in civitate unus de fratribus meis accersivit mihi. Nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis : vadam cito et videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam Regis. Iratus autem Saul adversus Jonathan : dixit ei. Fili mulieris ultro virum rapientis : numquid ignoro quia diligis filium Isay in confusionem tuam : et in confusionem ignominiose matris tue? Omnibus enim diebus quibus filius Isay vixerit super terram : non stabilis eris tu : neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte : et adduc eum ad me : quia filius mortis est. Respondens autem Jonathas Sauli patri suo ait. Quare morietur? quid fecit? Et arripuit Saul lanceam : ut percuteret eum. Et intellexit Jonathas quod diffinitum esset patri suo : ut interficeret David. Surrexit ergo Jonathas a mensa in ira furoris : et non comedit in die secunda Kalendarum panem. Contristatus est enim super David : eo quod [f] confodisset eum pater suus. Cumque inluxisset mane venit Jonathas in agro juxta placitum David : et puer parvulus cum eo : et ait ad puerum suum. Vade : et affer mihi sagittas quas ego jacio. Cumque puer cucurrisset : jecit aliam sagittam trans puerum. Venit itaque puer ad locum jaculi : quod miserat Jonathas : et clamavit Jonathas post tergum pueri : et ait. Ecce ibi est sagitta. Porro ultra te. Clamavitque iterum Jonathas post tergum pueri dicens. Festina velociter : ne steteris. Collegit autem puer Jonathe sagittas : et attulit ad Dominum suum. Et quid ageretur penitus ignorabat. Tantummodo enim Jonathas : et David rem noverant. Dedit ergo Jonathas arma sua puero : et dixit ei. Vade, et defer in civitatem. Cumque abiisset puer surrexit David de loco : qui vergebat ad austrum. Et cadens pronus in terram : adoravit tertio. Et osculatus alterutrum : fleverunt pariter : David autem amplius. Dixit ergo Jonathas ad David. Vade in pace : quecumque juravimus ambo in nomine Domini : dicentes. Dominus sit inter me et te : et inter semen meum, et semen tuum usque in sempiternum. Et surrexit David : et abiit. Sed et Jonathas ingressus est civitatem. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Tractus. Nunc ecce oppressit me dolor meus : et ad nihilum redacti sunt artus mei : fratres mei testimonium dicunt contra me : et suscitatus falsiloquus adversus faciem meam. ℣. Aperuerunt contra me inimici ora sua : et exprobrantes percusserunt maxillam meam : satiati sunt penis meis : conclusit me Deus in manus impiorum. ℣. Collegit furorem suum in me : et comminans mihi infremuit contra me.

Diac. Presb. Silentium facite.

[a] *Qui se jactat.* Sunt verba quibus finis imponitur lectioni, ex xxviii, Proverb., 25, deprompta.

[b] *I Regum XX*, 8. Ad finem capitis.

[c] *A me.* Vulg., *a te.*

[d] *Non adducerem tibi.* Syr., Arab., *non indicabo tibi.* Vulg., *non annuntiem tibi.*

[e] *Aut si non fecero.* Hæc non leguntur in Vulgata.

[f] *Confodisset.* Lege *confudisset.*

Sequentia Epistole Petri Apostoli ([a] *II, cap. III*).

Deo gratias.

Charissimi : adveniet autem dies Domini sicut fur : in qua celi magno impetu transcurrent. Elementa vero calore solventur : et terra et que in ipsa sunt opera exurentur. [b] His ergo pereuntibus : quales oportet esse vos in sanctis conversationibus et pietatibus expectantes : et properantes ad presentiam diei Domini : per quem celi ardentes solventur : et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero celos et novam terram secundum promissa ipsius expectamus : in quibus justitia inhabitat. Quapropter charissimi hec expectantes : satagite immaculati et inviolati apud eum inveniri in pace : et Domini nostri longanimitatem salutem arbitramini. Sicut et charissimus **136** frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis : sicut et in omnibus epistolis loquens in eis de his in quibus sunt quedam difficilia intellectu : que indocti et instabiles depravant . sicut et ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur fratres prescientes cavete : ne insipientium errore seducti : excidatis a propria infirmitate. Crescite vero in gratia et in cognitione Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc et in die eternitatis.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem ([c] *Cap. VIII*).

Illo tempore : Dominus noster Jesus Christus dicebat ad eos qui crediderunt ei Judeos. Si permanseritis in sermone meo : vere discipuli mei eritis. Et cognoscetis veritatem : et veritas liberabit vos. Responderunt ei. Semen Abrahe sumus : et nemini servivimus unquam. Quomodo tu dicis liberi eritis? Respondit eis Jesus. Amen amen dico vobis : quia omnis qui facit peccatum : servus est peccati. Servus autem non manet in domo in eternum : filius manet in eternum. Si ergo filius vos liberaverit : vere liberi estis. Scio quod filii Abrahe estis : sed queritis me interficere : quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud patrem meum : loquor. Et vos que vidistis apud patrem vestrum : facitis. Responderunt et dixerunt ei. Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus. Si filii Abrahe estis : opera Abrahe facite. Nunc autem queritis me occidere : hominem qui veritatem vobis locutus sum : quam audivi a Deo : hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei. Nos ex fornicatione non sumus nati : unum patrem habemus Deum. At illis Jesus. Si Deus pater vester esset : diligeretis utique me. Ego enim a Deo processi et veni. Neque enim a meipso veni : sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis : et A desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio : et in veritate non stetit : quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium : ex propriis loquitur : quia mendax est et pater ejus. Ego autem qui veritatem dico : non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico : quare non creditis mihi? Qui ex Deo est : verba Dei audit. Propterea vos non auditis : quia ex Deo non estis. Responderunt Judei : et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos : quia Samaritanus es tu : et demonium habes? Respondit Jesus. Ego demonium non habeo : sed honorifico patrem meum : et vos inhonorastis me. Ego autem non quero gloriam meam : est qui querat et judicet. Amen amen dico vobis : siquis sermonem meum servaverit mortem non videbit in B eternum. Dixerunt ergo Judei. Nunc cognovimus quia demonium habes. Abraham mortuus est et prophete : et tu dicis siquis sermonem meum servaverit : non gustabit mortem in eternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham qui mortuus est : et prophete mortui sunt. Quem te ipsum facis? Respondit Jesus. Si ego glorifico me ipsum : gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me : quem vos dicitis quia Deus vester est : et non cognovistis eum. Ego autem novi eum : et si dixero quia non scio eum : ero similis vobis mendax. Sed scio eum : et sermonem ejus servo. Abraham pater vester exultavit : ut videret diem meum : et vidit et gavisus est. Dixerunt ergo Judei ad eum. Quinquaginta annos nondum habes : et Abraham vidisti. Dixit eis Jesus. Amen C amen dico vobis : antequam Abraham fieret ego sum. Tulerunt ergo lapides : ut jacerent in eum. [d] Et nemo extendit in illum manus : quia nondum venerat hora ejus.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[e] *Lauda.* Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi : et anima mea quam redemisti.

Preces. Penitentes orate. *folio* 99.

Sacrificium. Offerte Domino, *Quere ut supra.*

Missa. Omni cura fratres charissimi jejuniorum nobis est observanda devotio : et tanquam cum [f] allophilis quotidiana congressio diebus ac noctibus D pugna cum diabolo. **137** [g] Quia in opere decipere non valuit : cogitationibus pravis subvertit. Et quem tentare non potuit vigilantem falsis illusionibus solicitat dormientem. Nemo ergo jejunium violet. Nemo contemnat. Ut cum Dominus noster Jesus Christus advenerit : [h] saciet quos invenerit jejunantes.

℟. Amen.

Alia Oratio. Audivimus et cognovimus Domine per abstinentiam sacri jejunii : quanta virtutum premia collata sint patribus nostris. Ex hoc tue ma-

[a] *Cap. II.* Vers 10, ad finem capitis.

[b] *His ergo pereuntibus.* Vulg., *cum igitur hæc omnia dissolvenda sint.*

[c] *Cap. VIII.* Vers. 31-59.

[d] *Et nemo.* His finis imponebatur lectioni.

[e] *Lauda.* Ps. LXX, 23.

[f] *Allophilis.* Hoc est, *alienigenis.* Hæc vox Græca apud Prudentium et sanctum Paulinum legitur.

[g] *Quia.* Lege *qui quem.*

[h] *Saciet.* Fortasse *salvos faciat.*

jestati Moyses adscriptus est fidelis amicus. Ob hoc Helias raptus igneis curribus obsequentibus flammis paradiso deputatus est vivus. Per ejus quoque quadragesime perpetuitatem jejunii tentator a Christo devictus est inimicus. Ex hoc Johannes enituit in deserto precipuus. Ob hoc te quesumus sanctissime Deus : ut hoc salutiferum opus prestes nobis jugiter frequentare : per quod ad promissa mereamur premia future beatitudinis pervenire.

℟. Amen.

Post nomina Oratio. Pro delictis nostris jejunio humiliatis corporibus : tuam te quesumus Deus gratiam concede placatus : quo tam vivis : quam defunctis remedia poscimus impetrare salutis. ℟. Amen.

Ad Pacem Oratio. Dilatetur omnipotens Deus anima nostra in pace tua : et caro obsequatur tibi per abstinentie parcimoniam. Ut utraque tibi fideliter obsequendo : charitatis tue remuneretur ex dono. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere eterne omnipotens Deus per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui gloriosum de diabolo triumphum jejunus obtinuit : et certandi formulam militibus propriis suo exemplo monstravit. Quadraginta igitur diebus et quadraginta noctibus Deus et Dominus omnium jejunavit : ut et verum Deum et hominem suscepisse monstraret : et quod Adam per escam perdiderat : suo jejunio repararet. [a] Adgreditur itaque diabolus virginis filium : Dei quoque nesciens unigenitum. Et licet veternosa calliditate : eisdem machinis quibus Adam primum dejecerat : etiam secundum seducere [b] obtineret : tamen hoc non valuit : nec fortissimum bellatorem in ulla potuit omnino fraude subripere. Ille etenim quadraginta diebus vel noctibus jejunavit : et postea esuriit : qui quadraginta dudum annorum temporibus innumeras pane celesti multitudines saginavit. Hic est qui virtute propria fretus : cum diabolo tenebrarum principe dimicavit : et eo postrato victorie tropheum ad celos magnifice portavit. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie una voce dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : a quo et abstinentium vita et contritorum remunerantur obsequia. Qui est et refectio abstinentium : et panis indeficiens Angelorum. Nunc igitur quia ipse est per quem datur esca esurientibus : te Deus pater exposcimus et rogamus : ut per eum nobis concedas : et digne tibi soli per jejunium complacere : et dignissime tibi hostiam in nobis abstinentie immolare. Deus Domine ac Redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Oblatis tibi Domine libaminibus : respice humilitatis nostre jejunium. Ut et hec oblata sanctifices : et sumentium ariditatem tuo benedictionis ubertate sustentes. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Tu Domine da escam nobis in tempore opportuno : aperi manum tuam et imple omnem animam benedictione.

Ad Orationem Dominicam.

Satis dulcis est Domine solennitas jejuniorum : qua vivi homines perducuntur ad celum. Dona ergo nobis Christe Deus semper illa sectari : per que a te mereamur facillime audiri : quia te jubente dicimus. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Benedictio. Deus apud quem est misericordia copiosa : efficiat vos sibi per jejunium vasa mundissima. ℟. Amen. Quique est indeficiens divinitatis natura : ipse spiritualibus deliciis reficiat infirmitatem vestram. ℟. Amen. Ut corda vestra eum semper esuriant : ad quem vota nostre abstinentie **138**
clamant. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedendum. Qui venit ad me.

Com. Repletum est. *Oratio.* Reple Domine cor. *Quere in I. Dominico Quadragesime. fol.* 98.

[c] IN QUINTO DOMINICO QUADRAGESIME.

Ad Missam.

Jesu filii Sirach id est Ecclesiasticus ([d] *Cap. XLVII*).

℟ Deo gratias.

Fil : Deus non derelinquet misericordiam suam : et non corrumpet : neque delebit opera sua : neque perdet ab stirpe nepotes electi sui : et semen ejus qui diligit Dominum non corrumpetur. Dedit autem reliquum Jacob et David de ipsa stirpe : [e] et requievit Salomon cum patribus suis. Et reliquit post se de semine suo gentis stulticiam : et imminutum a pru-

[a] *Adgreditur.* Lege *aggreditur.*

[b] *Obtineret.* Forte, *speraret.*

[c] *In quinto Dominico Quadragesime.* Ita simpliciter inscribitur in Breviario nostro, et in vetustioribus libris liturgicis. In Gelasiano Sacramentario Thomasii quinta *Dominica* additur *quæ pro scrutinio celebratur.* In Kalendario Frontonis : *Hebd.* 6, *die Dominica, ad sanctum Petrum*; in Capitularibus em. Thomasii : *Hebdomada* 5, die Dominico, ad sanctum Petrum; in Capitularibus Georgii signatur : *Ebd.* 5, *Dominica, ad sanctum Petrum*; in Ordine Romano Benedict. sancti Petri canonici, circa annum 1150 composito, et in aliis posterioribus *Dominica de passione* scribitur ; et sic in Gregorianis Menardi, Pamelii, Muratorii, et Roccæ, in Antiphonario Gregoriano Thomasii, et in Kalendario Martenii et Durandi (*In tomo V Thesauri novi anecdotorum, col.* 72) legunt. In Missali Ambrosiano, anno 1548 edito, est *Dominica quarta Quadragesimæ de Lazaro*, et in vetusto Capitulari epistolarum Ambrosiano em. Thomasii simpliciter *in Dominico IV.* Mediolanenses enim quinque tantummodo Dominicas in Quadragesima numerabant. In Orationali Gothico signatur *Dominica post vigesimam.* Jam vero illud animadvertendum, quod Gotho Hispani hac quinta Dominica Evangelium de Lazaro legebant, quam modo Dominica 3 legunt, hoc autem Evangelium de bono pastore, et orationes, quæ nihil ad Evangelium pertinent, Mozarabes huc intulerunt ad numerum missarum quadragesimalium supplendum, quibus una deerat, ob feriam 4 Cinerum adjectam, quemadmodum alibi præmonui.

[d] *Cap. XLVII.* Vers. 24-30; XLVII, 21-23.

[e] *Et requievit.* Ita in Græco. Vulg. legit *et finem habuit Salomon.*

dentia Roboam qui avertit gentem consilio suo. Et Hieroboam filium Nabat : qui fecit peccare Israel : et dedit Effrem viam peccandi : et plurima redundaverunt peccata ipsorum [a] valde. Tunc mota sunt corda : et manus ipsorum : et doluerunt quasi parturientes mulieres. Et invocaverunt Dominum misericordie : et patentes manus extulerunt ad celum : et sanctus Dominus Deus audivit vocem ipsorum. Non est commemoratus peccatorum illorum : neque dedit illos inimicis suis. [b] Usque dum perveniret ad eos defensio : et ab omnibus peccatis eorum liberavit eos Dominus. ℟. Amen.

Lectio Libri Samuelis idest I. Regum ([c] *Cap. XXVI*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Venerunt Ziphei ad Saul in Gabaa : dicentes. Ecce David absconditus est in colle [d] Achille qui est ex adverso solitudinis [e] in via. Et surrexit Saul et descendit in desertum Ziph : et cum eo tria millia virorum de electis Israel : ut quereret David in deserto Ziph. Et castrametatus est Saul in Gabaa Achille quod erat ex adverso solitudinis in via. David autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saul post se in desertum misit exploratores et didicit quod venisset certissime. Et surrexit David clam : et venit ad locum ubi erat Saul. Cumque vidisset locum in quo dormiebat Saul et Abner filius Ner princeps milicie ejus : Saulem dormientem in tentorio et reliquum vulgus per circuitum ejus : ait David ad Abimelech [f] Cetheum et Abisai filium Sarvie fratrem Joab dicens. Quis descendet mecum ad Saul in castra ? Dixitque Abisai. Ego descendam tecum. Venerunt ergo David et Abisai ad populum nocte : et invenerunt Saul jacentem et dormientem in tentorio : et hastam fixam in terra ad caput ejus. Abner autem et populus dormientes in circuitu ejus. Dixitque Abisai ad David. Conclusit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas. Nunc ergo perfodiam eum lancea in terram semel : et secundo opus non erit. Et dixit David ad Abisai. Ne interficias eum : quis enim extendit manum suam in Christum Domini et innocens erit ? Et dixit David : vivit Dominus quia nisi Dominus percusserit eum : aut dies ejus venerit ut moriatur : aut [g] in infernum descedens perierit : propicius sit mihi Dominus : ne extendam manum meam in Christum Domini. Nunc autem tolle hastam que est ad caput ejus et scyphum : atque abeamus. Tulit ergo hastam et scyphum aque : qui erat ad caput Saul : et abierunt. Et non erat quisquam qui videret : et intelligeret et vigilaret : sed omnes dormiebant : quia sopor Domini irruerat super eos. Cumque transisset David ex adverso : et stetisset in vertice montis de longe : et esset grande intervallum inter eos : clamavit David ad populum et ad Abner filium Ner dicens. Nonne respondebis Abner ? Et respondens Abner ait. Quis es tu qui clamas et inquietas Regem ! Et ait David ad Abner. Nunquid non vir tu es ? et quis alius similis tui in Israel ? Quare ergo non custodisti Dominum tuum Regem ? ingressus est enim unus de turba : ut interficeret Dominum tuum Regem. Non est bonum hoc quod fecisti. Vivit Dominus quia filii mortis estis vos : qui non custodistis Dominum vestrum Christum Domini. Nunc ergo vide ubi sit hasta Regis : et ubi scyphus aquæ qui erat ad caput ejus. Cognovit autem Saul vocem David et dixit. Numquid vox tua est hec fili mi David ? Et ait David. Vox mea domine mi Rex. Et ait. Quam ob causam Dominus meus persequitur servum suum ? Quid feci ? aut quod est malum in manu mea ? Nunc ergo audi oro Domine mi Rex verba servi tui. Si Dominus incitat te adversum me : **139** odoretur sacrificium. Si autem filii hominum maledicti sunt in conspectu Domini : qui ejecerunt me hodie ut non habitem in hereditate Domini dicentes : vade : servi diis alienis. Et tunc non effundatur sanguis meus in terra coram Domino : quia egressus est Rex Israel : ut querat pulicem unum : sic persequitur perdix in montibus. Et ait Saul. Peccavi. Revertere fili mi David : nequaquam ultra male tibi faciam : eo quod preciosa fuerit anima mea in oculis tuis. Hodie apparet quod stulte egerim : et ignoraverim multa nimis. Et respondens David ait. Ecce hasta Regis : transeat unus de pueris et tollat eam. Dominus autem retribuet unicuique secundum justiciam suam et fidem. Tradidit enim te Dominus in manu mea : et nolui levare manum meam in Christum Domini. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis : sic magnificetur anima mea in oculis Domini : et liberet me de omni angustia. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[h] *Psallendo.* Ne derelinquas me Domine Deus meus ne discesseris a me. ℣. Quia [i] anima mea completa est inlusionibus : et non est salus in carne mea. *P.* Deus. ℣. Quoniam ego ad flagella paratus sum : et dolor meus contra me est semper. *P.* Deus. ℣. Et multiplicati sunt qui me oderunt injuste : qui retribuebant mala pro bonis detrahebant mihi : quoniam sequebar justiciam : et projecerunt me dilectum tanquam mortuum abominatum. *P.* Deus meus.

Preces sequentes dicantur modo ut scriptum est in I. Dominico Quadragesime fol. 94. Insidiati sunt mihi adversarii mei gratis. *P.* Tu pater sancte miserere et libera me. ℣. Portatus sum ut agnus innocens ad victimam : captus ab inimicis ut avis in muscipulam magis gratis. *P.* Tu pater. ℣. Aperuerunt

[a] *Valde.* Ita in Græco, et in Vulgata illud *valde* pertinet ad versiculum sequentem.

[b] *Usque.* Sunt verba quibus finis imponebatur lectioni, desumpta ex Ecclesiastico, XLVII, 31.

[c] *Cap. XXVI.* Vers. 1-25.

[d] *Achille.* Vulg., *Achilla.* Hebr., *Chachilach.*

[e] *In via* deest Hebr., LXX et Vulg.

[f] *Cetheum.* Ita LXX. Hebr., *Chitheum.* Vulg., *Hethæum.*

[g] *In infernum.* Vulg., LXX et Hebr., *in prælium descendens.*

[h] *Psallendo.* Vers. 22, 8, 18, 20.

[i] *Anima mea.* Ita sanctus Augustinus et Ital. Em. Thomasii Vulg., *lumbi mei.*

omnes ora sua contra me : dentibus fremuerunt A querentes deglutire me magis gratis. *P.* Tu pater. ℣. Sibilantes clamabant et movebant capita tractantes de me falsa proferre testimonia : magis gratis. *P.* Tu pater. ℣. Suspensum cruci damnant : fixum clavis ferreis : venditum a Judeis pro triginta argenteis magis gratis. *P.* Tu pater. ℣. In latere confossus [a] gladio horrifico : illico fluit latex cum sanguine innoxio : magis gratis. *P.* Tu pater. ℣. Omnes inundaverunt quasi aque super me dimersum in sepulchro : adposuerunt lapidem : magis gratis. *P.* Tu pater. ℣. Confusa palluerunt cuncta celi sidera : dies obtenebratur : cum vidit pati Dominum : magis gratis. *P.* Tu pater. ℣. Sic Judeorum turba ceca diffidentia deposcunt a Pilato milites pro custodia : magis gratis. *P.* Tu pater. ℣. Tunc milites dividunt B vestem meam sortibus : cernentes in me flagra injusta et sevissima : magis gratis. *P.* Tu pater. ℣. Intende pie pater et succurre miseris pro quibus tam acerbis afficior suppliciis : magis gratis. *P.* Tu pater.

Oratio. Exaudi orationem nostram. *Quere in I. Dominico Quadrag. fol.* 94.

Dicat Presb. Silentium facite.

Principium Epistole Johannis Apostoli ([b] *Cap. I*)

℟. Deo gratias.

Charissimi : [c] quod erat ab initio : quod audivimus : quod vidimus oculis nostris : quod perspeximus : et manus nostre contrectaverunt de verbo vite : et vita [d] manifestata est nobis : et vidimus : et testamur : et annunciamus vobis vitam eternam : C que erat apud Patrem : et apparuit nobis. Quod ergo vidimus : et audivimus adnunciamus vobis : ut et vos societatem habeatis nobiscum : et societas nostra sit cum Patre et Filio ejus Jesu Christo. Et hec scribimus vobis : ut gaudium vestrum sit plenum : et hec est adnunciatio quam audivimus ab eo : et adnunciamus vobis. Quoniam Deus lux est : et tenebre in eo non sunt ulle. Si dixerimus nos societatem habere [e] cum eo : et in tenebris ambulamus : mentimur : et non facimus veritatem. Si autem in luce ambulamus : sicut et ipse in luce est : societatem habemus cum eo : et sanguis Jesu Christi filii ejus mundet nos ab omni peccato. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([f] *Cap. X*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur Phariseis et turbis dicens. Amen amen dico vobis. Qui non intrat per ostium in ovile ovium : sed ascendit aliunde : ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium : pastor est ovium. Huic ostiarius aperit : et oves vocem ejus audiunt : et proprias oves vocat nominatim : et educit eas. Et cum proprias oves omiserit ante eas vadit : et oves illum sequuntur : quia sciunt vocem ejus. Alienum autem **140** non sequuntur : sed fugiunt ab eo : quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit Jesus : illi autem non cognoverunt : quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Jesus. Amen amen dico vobis : quia ego sum ostium ovium : omnes quotquot venerunt : fures sunt et latrones : sed non audierunt eos oves. Ego sum ostium. Per me siquis introierit salvabitur : et ingredietur et regredietur : et pascua inveniet. Fur non venit nisi ut furetur : et mactet : et perdat : Ego veni ut vitam habeant : et abundantius habeant. Ego sum pastor bonus. Bonus autem pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem et qui non est pastor : cujus non sunt oves proprie videt lupum venientem : et dimittit oves et fugit : et lupus rapit : et dispergit oves. Mercenarius autem fugit : quia mercenarius est : et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus : et cognosco meas : et cognoscunt me mee. Sicut novit me pater : et ego agnosco patrem : et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias habeo oves : que non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere : et vocem meam audient : et fiet unus grex et unus pastor. ℟. Amen.

Dicat. Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[g] *Lauda.* Eripe me Domine ab homine malo : a viro iniquo libera me. ℣. Qui cogitaverunt malicias in corde suo : tota die constituebant prelia. ℣. Acuerunt linguas suas sicut serpentes : venenum aspidum sub labiis eorum. ℣. Custodi me Domine de manu peccatoris : ab hominibus iniquis libera me.

Preces. Penitentes. *Quere in quarta Feria I. Hebdomade Quadragesime fol.* 99.

[h] *Sacrificium.* Isti sunt dies : quos debetis custodire temporibus suis : quartadecima die ad vesperum Pascha Domini est : et in quinta decima solennitatis celebrabitis altissimo Deo vestro. ℣. Locutus est Moyses filiis Israel dicens : in die octavo venturo sumite vobis ramos palmarum : et exultate in conspectu Domini et secundum legem quod vobis precepi. *P.* Solennitatem.

Missa. Deus qui mystico olim presagio famulo tuo D Moysi inter alias preceptorum tuorum cerimonias : etiam horum dierum solennia in monte Synai propicius ostendisti : ut octavo die venturo sumerent diversarum arborum fructus : ramos quoque palmarum : et exultarent in conspectu Domini Dei sui cum hymnis. Concede nobis famulis tuis : ut innocentio et fidei veritate sinceri : tuis semper coram altaribus assistamus. Sicque tibi parcimoniam corporum offe-

[a] *Gladio.* Imo *lancea*, sed gladius pro telo hoc loco sumitur.

[b] *Cap. I.* Vers. 1-8.

[c] *Quod erat.* Ita in Græco, et in sancto Augustino. Vulg., *quod fuit.*

[d] *Manifestata est nobis.* Ita Syriaca. Illud *nobis* deest Vulgat. et Græc.

[e] *Cum eo.* Vulg. et Gr., *ad invicem*, et ita legit sanctus Augustinus.

[f] *Cap. X.* Vers. 1-17.

[g] *Lauda.* Ps. CXXXIX, 1-6.

[h] *Sacrificium.* Ex Levitico, XXIII, 4, 56. ℣. Ibid. 40, 41. Hoc *sacrificium* alludit ad proximam festivitatem Paschæ, quæ post dies quindecim, et ad Dominicam Palmarum quæ octava die futura erat.

ramus : ut actuum plenitudinem : perfectis apud nos moribus retentemus. ℟. Amen.

Alia Oratio. Omnipotens Deus qui per abstinentiam sacri jejunii [a] in mensa patribus nostris virtutum premia condonasti : presta nobis famulis tuis : ut eorum mereamur esse sequipedes : quorum exemplis ad meliora perducti : et carnalibus inlecebris maneamus invicti : et in tuis jugiter in istamus preceptis indefessi. ℟. Amen.

[b] *Post nomina Oratio.* Deus qui omnium nomina : temporumque mensuras : pia semper largitate dispensas : Sanctorum tuorum nos quesumus recitatis nominibus purifica precibus : absolve a criminibus : et salutaris continentie dita muneribus : ut per hoc sacre festivitatis jejunium sincerissimum : tibi nostri cordis offeramus holocaustum. Hanc itaque fidelium tuorum oblationem : propicius ac sereno vultu Domine dignare respicere : ut decurrente jam jejuniorum nostrorum tempore : hec nos oblatio : et a preteritis delictorum sordibus abluat : et a futuris ut caveamus : te miserante custodiat : ut occursuri ob viam tue majestati : non pedum passibus : sed contriti cordis nostri gressibus : conclamare tibi puro mentis affectu gloria in excelsis Deo cum Hebreorum pueris mereamur. ℟. Amen.

Ad pacem Oratio. Fidei nostre omnipotens Deus crescit augmentum : si sedulum jejuniorum nostrorum tue majestatis solvimus votum. Ac per hoc pervenire poterimus tue claritati occursum : si pacifici semper manentes : a nobis custodita fuerit parcimonia jejuniorum : quibus opprimimur : et tollantur omnia pondera vitiorum. Pacem itaque perfectam nobis omnibus benignus concede : ut quam tui jam Sancti fruuntur in celis : nos quoque meditemur jugiter in terris. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est vere sanctum et pulchrum est : nos tibi semper hic et ubique gratias agere : laudesque referre **141** per unigenitum filium tuum Dominum nostrum. Qui hoc sacrum jejunii tempus famulis tuis Moysi et Helie propicius olim concessit. Per quod unus legem accepit : alius igneo curru transvectus paradisi secreta rimavit. Ipse quoque mediator Dei et hominum Dominus noster Jesus Christus filius tuus : quod dudum servis concessit hoc in sue majestatis clementia postea consecravit. Per hoc enim jejunium Ninnivitis venia datur : per hoc jejunium leonum ora concluduntur. Per hoc jejunium Amorreus devincitur. Per hoc jejunium clades a terra depellitur. Per hoc jejunium Aman superbus in ligno suspenditur. Per hoc jejunium populus Dei a necis periculo liberatur. Per hoc jejunium Sancti ad celestia regna perveniunt. Per hoc jejunium peccatores ad veniam revocantur. Per hoc jejunium fugantur demonia : comprimuntur vitia : concrescunt virtutes. Per hoc jejunium Angelis copulatur sancta virginitas. Per hoc jejunium impartitur viduis continentia. Per hoc jejunium potentibus inspiratur justicia : et omnibus conjugatis prudentia. Presta ergo nobis omnipotens Deus : ut mortificato corde et corpore et hic legem tuam splendide observemus : et illic cum Sanctis tuis intra paradisi aulam solenniter gaudeamus : consona voce proclamantes ac dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere hec illa preclara et ammirabilis supernarum creaturarum eterna laudatio. Que in celestibus sine defectu psallitur ab Angelis : et hic solenniter decantatur a populis. Illic conlaudant celestia : hic adorant terrestria. Illic sanctis tuis eterna retribuis premia : hic fidelibus largam prestas misericordiam. Illa non deseris : ista non despicis : quia redemptorem nostrum piissime pater pro totius mundi salute ad nos misisti : Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Recitatis Domine unigeniti tui sacramentorum preceptis : simulque preclare passionis et resurrectionis et in celos ascensionis memoriam facientes majestatem tuam supplices rogamus ac petimus. Ut in his sacrificiis benedictionum tuarum plenitudo descendat : et infundas in eis imbrem Spiritus tui Sancti de celis. Ut fiat hoc sacrificium secundum ordinem Melchisedech : fiat hoc sacrificium secundum ordinem Patriarcharum et Prophetarum tuorum. Ut quod ab illis tipice facientibus unigeniti filii tui significantibus adventum : tua majestas acceptare dignata est : sic hoc sacrificium respicere et sanctificare digneris : quod est verum corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi filii tui : qui pro nobis omnibus factus est Sacerdos et hostia. Hanc itaque hostiam tu piissime pater de tue claritatis respectu [c] sanctifica : ut sumentibus eam : et hic delictorum veniam : et eternam in celis conferas vitam. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Tu Domine das escam nobis in tempore opportuno. Aperi manum tuam : et imple omnem animam benedictione.

Ad orationem Dominicam.

Omnes fratres charissimi : qui conditos nos ac redemptos Domini pietate gaudemus : orationis Dominice memores : precibus indefessis ejusdem Domini

[a] *In mensa.* Lege *Immensa.*

[b] *Post nomina.* Absoluta alia oratione et dicto *Per misericordiam tuam Deus noster*, etc., diaconus diptycha, sive, ut loquebantur, *nomina* recitabat, sanctorum scilicet, et vivorum (inter quæ nomina offerentium) et defunctorum; quibus recitatis, sacerdos orationem fundebat, quæ *post nomina* tam in Missali nostro quam in libris liturgicis Gallorum constanter appellatur; hac autem oratione orant pro oblationibus, ut Deus benigne eas accipere dignetur, pro offerentibus et pro defunctis. Sanctus Isidorus (*Off. l.* 1, *c.* 15) : *Tertia*, inquit, oratio *effunditur pro offerentibus, sive pro defunctis fidelibus, ut per idem sacrificium veniam consequantur.* Sunt quædam, sed admodum paucæ, orationes *post nomina* in quibus non fit aperta mentio defunctorum, harum una hæc est, in aliis quandoque pro oblationibus non orant, sed in omnibus vel est commendatio oblationum, vel petitio pro offerentibus, vel supplicatio pro defunctis.

[c] *Sanctifica.* Hinc clare patet Gotho-Hispanos pro donis consecratis orasse ut Deus illis sanctitatem infunderet conferendam rite suscipientibus.

misericordiam imploremus clamantes e terris. Pater noster.

Dicat Presbit. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Benedictionis gratia vos semper protegat : et ab omni malo defendat. ℟. Amen. Mundet vos Dominus ab omni crimine peccatorum : et sibi placere faciat in eternum. ℟. Amen. Ubique vos Dominus placatus occurrat : et sue benedictionis opem dignanter attribuat. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc.

Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Ad accedentes. Amen dico vobis ego sum panis vite : qui de celo descendi : siquis ex ipso manducaverit . non morietur in eternum : et qui biberit ex aqua quam ego dabo ei : non sitiet unquam : sed fiet in eo fons aque salientis in vitam eternam. *P.* Sicut misit me vivens pater : et ego vivo propter patrem : et qui manducat me : ipse vivet propter me. *P.* Siquis ex. ℟. Gloria et honor Patri. *P.* Siquis.

Com. Repletum est gaudium nostrum : et lingua nostra in exultatione.

Oratio. Reple Domine cor nostrum.

Quere in I. Dominico XL. fol. 98.

142 FERIA QUARTA.

Ad Missam.

Proverbiorum Salomonis ([a] *Cap. XXXIII*).

℟. Deo gratias.

Fili : quando sederis ut comedas cum principe diligenter adtende que posita sint ante faciem tuam. Et statue cultrum in gutture tuo : si tamen habes potestatem in animam tuam. Ne desideres de cibis ejus : in quo est panis mendacii. Noli laborare ut diteris : sed prudentie tue pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes : quas non potes habere : quia facient sibi pennas quasi aquile et volabunt in celum. Ne comedas cum homine invido : et ne desideres cibos ejus. Quoniam in similitudinem arioli et conjectoris estimat quod ignorat. Comede et bibe dicet tibi : et mens ejus non est tecum. Cibos quos comederas : evomes : et perdes pulchros sermones tuos. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum : et aures tue ad verba scientie. Noli subtrahere a puero disciplinam : si enim percusseris eum virga : non morietur. Tu virga percuties eum : et animam ejus de inferno liberabis. ℟. Amen.

Lectio libri Malachim id est Regum ([b] *II, cap. XIII, XIV*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Venit Absalon ad regem David : et ait ad eum. Ecce tondentur oves servi tui : veniat oro Rex cum servis suis ad servum suum. Dixitque Rex ad Absalon. Noli fili mi. noli rogare ut veniamus et gravemus te. Cum autem cogeret eum : et noluisset ire benedixit ei. Et ait Absalon. Si non vis venire : veniat obsecro nobiscum saltim [c] Annon frater meus. Dixitque ad eum Rex. Non est necesse ut vadat tecum. Cogit autem Absalon : et dimisit cum eo [d] Annon et universos [e] filios Regis. Preceperat autem Absalon pueris suis dicens. Observate cum temulentus fuerit Annon [f] vino : et dixero vobis percutite eum : et interficite : nolite timere. Ego enim sum qui precipio vobis. Roboramini : et estote viri fortes. Fecerunt ergo pueri Absalon adversus Annon sicut preceperat eis Absalon. Surgentesque filii Regis ascenderunt singuli mulas suas : et fugerunt. Cumque adhuc pergerent in itinere : fama pervenit ad David dicens. Percussit Absalon omnes filios Regis : et non remansit ex eis saltem unus. Surrexit itaque Rex : et excidit vestimenta sua : et cecidit super terram et omnes servi ipsius : qui adsistebant ei exciderunt vestimenta sua. Respondens autem Jonadab filius Semmæ fratris David dixit. Ne estimet Dominus meus Rex : quod omnes pueri filii Regis occisi sunt : Annon solus mortuus est : quoniam in odio Absalon erat positus : ex die qua oppressit Thamar sororem ejus. Nunc ergo ne ponat Dominus meus Rex super cor suum verbum istud dicens : omnes filii Regis occisi sunt : quoniam Annon solus mortuus est. Fugit autem Absalon : et levavit puer speculator oculos suos et aspexit : et ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis. Dixit autem Jonadab ad Regem. Ecce filii Regis adsunt juxta verbum servi tui : sic factum est. Cumque cessasset loqui apparuerunt filii Regis : et intrantes levaverunt voces et fleverunt. Sed et Rex et omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis. Porro Absalon fugiens abiit ad Tholomai filium [g] Amiur Regem Gessur : luxit ergo David filium suum [h] multis diebus. Absalon autem cum fugisset et venisset in Gessur : fuit ibi tribus annis. Cessavitque Rex David persequi Absalon : eo quod consolatus esset super Annonis interitu. Intelligens autem Joab filius Sarvie : quod cor Regis versum esset ad Absalon : misit Thecuam et tulit inde mulierem sapientem : dixitque ad eam. Lugere te simula et induere veste lugubri : et ne ungaris oleo : ut sis quasi mulier plurimo jam tempore lugens mortuum : et ingredieris ad Regem : et loqueris ad eum sermones hujuscemodi. Posuit autem Joab sermones in ore ejus. Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuites ad Regem : cecidit coram eo super terram et adoravit et dixit. Serva me Rex. Et

[a] *Cap. XXIII.* Vers. 1-15, amissis versiculis a vers. 8 ad 12.

[b] *Cap. XIII.* Vers. 24, ad finem sequentis capitis XIV.

[c] *Annon.* Lege *Ammon.*

[d] *Annon.* Lege *Ammon.*

[e] *Filius Regis.* In Vulgata additur *feceratque Absalon convivium quasi convivium regis*, quod in Hebraico et in nostro deficit.

[f] *Annon.* Lege *Ammon.*

[g] *Amiur.* Vulg., *Amim.* LXX, Ἐμιοὺδ. Hebr., *Hammichud.*

[h] *Multis diebus.* Ita Syr. et Arab., at Vulgata cum Hebr. legit *cunctis diebus.*

xit ad eam. Quid cause habes? Que respondit. A Heu mulier vidua ego sum : mortuus est enim vir meus : et ancille tue erant duo filii. Qui rixati sunt adversum se in agro : nullusque erat qui eos prohibere posset : et percussit alter alterum et interfecit eum. Et ecce consurgens universa cognatio **143** adversum ancillam tuam dicit : Trade eum qui percussit fratrem suum : ut occidamus illum pro anima fratris sui quem interfecit : et deleamus heredem. Et querunt extinguere scintillam meam que relicta est : ut non supersit viro meo nomen : et reliquie super terram. Et ait Rex ad mulierem. Vade in domum tuam : et ego jubebo pro te. Dixitque mulier Thecui es ad Regem : in me Domine mi Rex sit iniquitas et [a] in domo patris mei. Rex autem et thronus ejus sit innocens. Et ait Rex. Qui B contradixerit tibi adduc eum ad me : et ultra non addet : ut tangat te. Que ait. Recordetur Rex Domini Dei sui : et non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum : et nequaquam interficiat filium meum. Qui ait. Vivit Dominus : quia non cadet de capillis filii tui super terram. Dixit ergo mulier. Loquatur ancilla tua ad Dominum meum Regem verbum. Et ait. Loquere. Dixitque mulier. Quare cogitasti istiusmodi rem contra populum Dei : et locutus est Rex verbum istud ut peccet : et non reducat electum suum. Omnes morimur : et quasi aqua dilabimur in terram : que non revertuntur. Nec vult perire Deus animam : sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abjectus est. Nunc igitur veni : ut loquar ad Dominum meum Regem verbum hoc C presente populo : et dixit ancilla tua. Loquar ad Regem : si quo modo faciat Rex verbum ancille sue. Et audivit Rex : ut liberaret ancillam suam de manu omnium : qui volebant delere me : et filium meum de hereditate Dei. Dicat ergo ancilla tua : ut fiat verbum Domini mei Regis quasi sacrificium : sicut enim Angelus Dei : sic est Dominus meus Rex : ut nec benedictione nec maledictione moveatur. Unde et Dominus Deus tuus est tecum. Et respondens Rex dixit ad mulierem. Ne abscondas a me verbum quod te interrogo. Dixitque mulier. Loquere Domine mi Rex. Et ait Rex. Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier et ait. Per salutem anime tue Domine mi Rex : nec ad dexteram nec ad D sinistram est ex omnibus his que locutus est Dominus meus Rex. Servus enim tuus Joab ipse precepit mihi : et ipse posuit in os ancille tue omnia verba hec : ut verterem figuram sermonis hujus. Servus tuus Joab precepit istud. Tu autem Domine mi Rex sapiens es : sicut habet sapientiam Angelus Dei : ut intelligas omnia super terram. Et ait Rex ad Joab. Ecce placatus feci verbum tuum. Vade igitur et revoca puerum Absalon. Cadensque Joab super faciem suam in terram : adoravit et benedixit Regi : et dixit Joab. Hodie intellexit servus tuus : quia inveni gratiam in oculis tuis : Domine mi Rex : fecisti enim sermonem servi tui. Surrexit ergo Joab et abiit in Gessur : et adduxit Absalon in Hierusalem. Dixit autem Rex. Revertatur in domum suam : et faciem meam non videat. Reversus est itaque Absalon in domum suam : et faciem Regis non vidit. Porro sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israel : et decorus nimis : a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. Et quando tondebat capillum : semel autem in anno tondebatur : quia gravabat eum cesaries : ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. Nati sunt autem Absalon filii tres et filia una nomine Thamar eleganti forma. [b] Hec fuit in matrimonio Roboam filio Salomonis : et peperit ei Abiam. Mansitque Absalon in Hierusalem duobus annis : et faciem Regis non vidit. Misit itaque ad Joab : ut mitteret eum ad Regem. Qui noluit venire ad eum. Cum que secundo misisset : et noluit venire : dixit servis suis. Scitis agrum Joab juxta agrum meum habentem messem ordei. Ite igitur et succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalon segetem igni. Et venientes servi Joab scissis vestibus dixerunt : Succenderunt servi Absalon partem agri igni. Surrexitque Joab : et venit ad Absalon in domum suam et dixit : Quare succenderunt servi tui segetem meam igni? Et respondit Absalon ad Joab : Misi ad te obsecrans ut venires ad me : et mitterem te ad Regem, ut diceres ei : Quare veni ad te de Gessur : melius mihi erat ibi esse. Obsecro ergo ut videam faciem Regis. Quod si memor est iniquitatis mee : interficiat me. **144** Ingressus itaque Joab ad Regem : nunciavit ei omnia. Vocatusque est Absalon : et intravit ad Regem : et adoravit super faciem terre coram eo : osculatusque est Rex Absalon. ℟. Amen.

Dicat Presbit. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Tractus. Nunc ecce derident me inimici mei : nunc in eorum canticum versus sum : abominantur me : et longe fugiunt a me et faciem meam conspuere non verentur. ℣. Ad dexteram calamitatis mee illico surrexerunt : pedes meos subverterunt : et oppresserunt quasi fluctibus semitas meas. ℣. Quapropter in memet ipso arescit anima mea : et possident me dies afflictionis.

Dicat Presbit. Silentium facite.

Sequentia epistole Johannis Apostoli ([c] *I, cap. II*).

℟. Deo gratias.

Charissimi. Non novum mandatum scribo vobis : sed mandatum vetus : quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum quod audistis. Iterum mandatum novum scribo vobis quod est verum et in ipso et [d] in nobis. Quoniam tenebre transierunt :

[a] *In domo.* Vulg., *in domum.*

[b] *Hec fuit.* Ita in LXX ; at in Vulgata, Hebr., Syr. et Arab., desunt. Imo Paral. II, XIII, 2, ut Vulgata legit. Abia, ille qui post Jeroboam regnavit, dicitur matrem habuisse Michaiam filiam Uriel de Gaba, quod etiam in LXX legitur.

[c] *Cap. II.* Vers. 7-13.

[d] *In nobis.* Vulg. et sanctus Augustinus, *in vobis.*

et lumen verum jam lucet. Qui dicit se in luce esse et fratrem suum odit : in tenebris est usque adhuc. Nam qui diligit fratrem suum in lumine manet : et scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum : in tenebris est : et in tenebris ambulat et nescit quo eat : quoniam tenebre obcecaverunt oculos ejus. Scribo vobis filioli : quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem (ª *Cap. X*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur phariseis et turbis dicens. Propterea me pater diligit : quia ego pono animam meam ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me : sed ego pono eam a me ipso. Potestatem habeo ponendi animam meam : et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo. Dissensio itaque facta est inter Judeos propter sermones hos. Dicebant enim multi ex ipsis : Demonium habet : et insanit : quid eum auditis? Alii dicebant : hec verba non sunt demonium habentis. Numquid demonium potest cecorum oculos aperire? Facta sunt autem encenia in Hierosolymis et hyems erat. Et ambulabat Jesus in templo ᵇ in porticum Salomonis. Circumdederunt ergo eum Judei et dicebant ei. Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus : dic nobis palam. Respondit eis Jesus. Loquor vobis : et non creditis. Opera que ego facio in nomine patris mei : hec testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis : quia non estis ex ovibus meis : oves mee vocem meam audiunt : et cognosco eas et sequuntur me. et ego vitam eternam do eis : et non peribunt in eternum : et non rapit eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi : majus omnibus est : et nemo potest rapere de manu patris mei. Ego et pater unum sumus. Sustulerunt lapides Judei : ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus. Multa bona opera ostendi vobis a patre meo : propter quod opus me lapidatis? Responderunt ergo Judei. De bono opere non lapidamus te : sed de blasphemia. Et quia tu homo cum sis : facis te ipsum Deum. Respondit eis Jesus. Nonne scriptum est in lege vestra : quia ego dixi Dii estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est : et non potest solvi scriptura : quem pater sanctificavit : et misit in hunc mundum. Vos dicitis quia blasphemas : quia dixi filius Dei sum. Si non facio opera patris mei : nolite credere mihi : si autem facio et mihi non vultis credere : operibus credi e : ut cognoscatis et credatis quia in me est pater et ego et in patre.

℟. Amen.

Dicat Presbit. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Lauda. Eripe me Domine. *Quere retro in V. Dominico fol.* 140.

Preces. Penitentes.

Sacrificium. Offerte Domino. *Quere in IV. feria. I. hebdomade quadragesime fol.* 99.

ª *Cap. X. Vers.* 17-39.

Missa. Memores delictorum nostrorum fratres charissimi : peccata nostra coram Domino defleamus : seminantes lachrimis : quod metamus in gaudiis. Simus in oratione assidui : jejuniis prompti : in elemosynis **145** liberales : ut promisse retributionis gloriam : devota fide et fructuosa devotione mereamur percipere. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus cui cor mundum : et corpus placet intactum. Cuique puritas mentis et sinceritas non displicet carnis subjuga : quesumus per abstinentie rigorem anime : carnem : atque per effectum timoris et dilectionis animam tibi adsocia. Ut tu solus domineris in omnia nobis : qui conditor noster esse agnosceris. Posside ergo et redime nos Domine : ut qui hoc jejunium studiose agimus : te tribuente satietate incorruptibilis tue glorie perfruamur. ℟. Amen

Post nomina. Oratio. A te Deus piissime benedicantur jejunantium vota : sacrificiorumque libamina. Acceptentur quoque orationes fidelium ac suspiria contritorum : ut votiva abstinendi devotio : et cunctos in commune fideles santificet : et defunctis omnibus requiem prestet. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Foveat omnipotens Deus charitas tua jejunantium ariditatem internam : ut dono affluamus dilectionis : qui tibi afflicte immolamus hostiam carnis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est equum et salutare est : nos te magnificare in diebus sanctificationis tue : et venerabile nomen sanctum tuum Domine sancte pater omnipotens eterne Deus. Quoniam hoc est tempus acceptabile : et hi sunt dies salutis. In quibus Moyses famulus tuus : ut legem tuam mereretur accipere : dies quadraginta in Sinay monte jejunavit. Similiter Jesus Salvator noster Christus in deserto : jejunatis quadraginta diebus et quadraginta noctibus : omnia diaboli tentamenta destruxit : nobisque abstinentie exemplum reliquit. Nunc igitur quia te docente Domine : beati sunt qui esuriunt : et sitiunt justiciam : quoniam ipsi saturabuntur : precamur ut in vigiliis et jejuniis : carnis desideria et universas mundi concupiscentias te propiciante a nostris corporibus abscindamus. Quo ab omnibus vitiis ac voluptatibus profanis nos omnibus modis caveamus : ut in diebus jejuniorum non inveniantur voluntates nostre : sed etiam tuam Domine per singulos dies operemur in omnibus voluntatem : proclamantes atque ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : qui nos et vitiis abstinere et cibis edocuit. Ab illo quippe et abstinendis docemur exemplis : et abstinentie remuneramur ex donis. Proinde te Deus pater rogamus : ut per illum sit nobis : et in presenti hujus mundi labore consolatio : et in eterna vita donetur beatitudinis plenitudo. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Deus qui es sanctificator oblationum

ᵇ *In porticum.* Lege *in porticu.*

et substentatio abstinentium : tu benedictione gratie tue : et appositum tibi sacrificium [a] sanctifica : et jejunantium pectora ab omni contagione delictorum emunda. Quo hec oblata uberius benedicens : horum perceptione inediam nostre debilitationis substentes : internaque sanctifices. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Tu Domine da escam nobis in tempore opportuno : aperi manum tuam : et imple omnem animam benedictione.

Ad orationem Dominicam.

Christe Deus qui jejunii non renuis votum : qui nobis per te magnum abstinendi prebuisti exemplum : quique docuisti te per orationem petere : per lectionem querere : elemosynis etiam vel lachrymis propulsare : accipe nostram petitionem : que in nobis et amorem lectionis enutriat : et lachrymas nostras tibi commendabiles reddat. Ut cum te petierimus orando : te nos invenisse gratulemur querendo. Cumque lacrimando pulsaverimus : a te exaudiri promereamur. Pater noster.

Dicat Presbit. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Christus Dei filius ob cujus exemplum corporale jejunium exercetis : animas vestras virtutum repleat sacramentis. ℟. Amen. Idem quoque Dominus cordibus vestris atque corporibus jejunio aridis : vitam tenere tribuat sanctitatis. ℟. Amen. Ut cum abstinentia servantes unitatem spiritus in vinculo pacis : perveniatis ad eum recipientes ab illo premium eterne salvationis. **146** ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Qui venit ad me.

Com. Repletum est gaudium.

Oratio. Reple Domine cor nostrum.

Quere in I. Dominico fol. 98.

FERIA SEXTA ANTE [b] RAMIS PALMARUM.

Ad Missam.

Jesu filii Sirach : id est Ecclesiasticus ([c] *Cap. XLIIII, XLVI*).

℟. Deo gratias.

[d] Fili : Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua. [e] Dilectus a Domino Samuel propheta Domini renovavit imperium et unxit principes in gente sua. [f] Et post hec dormivit : et notum fecit Regi : et ostendit illi finem vite sue. [g] Post hec surrexit Nathan propheta in diebus David Regis : et quasi adeps separatus est a carne : sic David a filiis Israel. In leonibus lusit : quasi [h] cum hedis : in ursis similiter fecit : sicut agnis ovium. In juventute sua numquid non occidit gigantem : et sustulit obprobrium de gente ? [i] Ubi invocavit Dominum potentem : et dedit dexteram ejus tollere hominem fortem in bello : et exaltare cornu gentis sue. [j] De omni corde suo laudavit Dominum : et dilexit Deum qui fecit illum : ut [k] laudaret sanctum nomen Domini : et amplificaret mane diei sanctitatem [l]. Christus purgavit peccata ipsius : exaltavit in eternum cornu ipsius et dedit illi testamentum Regum et sedem glorie in Israel. Post ipsum surrexit filius sensatus : et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum. Salomon imperavit in diebus pacis : cui subjecit Deus omnes hostes : ut conderet donum in nomine suo : et pararet sanctitatem in sempiternum. Quemadmodum eruditus est in juventute sua : et impletus est quasi flumen sapientia. ℟. Amen.

Lectio libri Malachim. Id est Regum ([m] *III, cap. I, III.*)

℟. Deo gratias.

In illis diebus : ait David. Benedictus Dominus Deus Israel : qui dedit hodie sedentem in solio meo. Videntibus oculis meis. Territi sunt et surrexerunt omnes qui invitati fuerant ab Adonia : et ivit unusquisque in viam suam. Adonias autem timens Salomonem surrexit et abiit in tabernaculum Domini : tenuitque cornu altaris. Et nunciaverunt Salomoni dicentes. Ecce Adonias timens Regem Salomonem tenens cornu altaris dicens. Juret mihi hodie Rex Salomon : quod non interficiat servum suum gladio. Dixitque Salomon. Si fuerit vir bonus : non cadet nec unus quidem capillus ejus in terra. Sin autem malum inventum fuerit in eo : morte morietur. Misit ergo Rex Salomon et eduxit eum ab altari. Et ingressus adoravit Regem Salomonem. Dixitque ei Salomon : vade in domum tuam. Appropinquaverunt autem dies David ut moreretur. Precepitque Salomoni filio suo dicens. Ecce ego ingredior viam universe terre. Conforture et esto vir. Et observa custodias Domini Dei tui : ut ambules in viis ejus : et custodias ceremonias ejus : et precepta ejus : et testimonia et judicia : sicut scriptum est in lege Moysi : ut intelligas universa que facis : et quocumque te verteris. Ut confirmet Dominus sermones suos : quos locutus est de me dicens : si custodierint filii tui vias meas : et ambulaverint coram me in veritate in omni corde suo : et in omni anima sua : non auferetur tibi vir de solio Israel. Tu quoque nosti que fecerit mihi Joab filius Sarvie : que fecerit duobus principibus exercitus Israel Abner filio Ner et Amase filio [n] Lether : quos occidit et effudit sanguinem belli in pace : et posuit cruorem in baltheo suo : qui erat

[a] *Sanctifica.* Hoc est, acceptum habe, idem enim Deo est sacrificium accipere, atque illud sanctificare.
[b] *Ramis.* Lege *Ramos.*
[c] *Cap. XLIV.* Hæc prophetia contexta est ex fragmentis Ecclesiastici, XLIV, 16, 17.
[d] *Fili.* Eccl. XLIV, 1.
[e] *Dilectus.* Ibid., XLVI, 16.
[f] *Et post hec.* Ibid., 23.
[g] *Post hoc.* Ibid., XLVII, 1-3.
[h] *Cum hedis.* Ita in Græco. In Vulgata legitur *quasi cum agnis.*
[i] *Ubi invocavit.* Ibid., 6.
[j] *De omni.* Ibid., 10.
[k] *Laudaret.* Ibid. 12-16.
[l] *Christus.* Vulg., *Dominus.*
[m] *Cap. I.* Vers. 28-v, 1-13.
[n] *Let er.* Vulg., *Jether.*

circa lumbos ejus : et in calciamento suo quod erat in pedibus ejus. Facias ergo ei juxta sapientiam tuam : et non deduces caniciem ejus pacifice ad inferos. Sed et filiis Berzelai Galaditidis reddes gratiam eruntque comedentes in mensa tua. Occurrerunt enim mihi : quando fugiebam a facie Absalon fratris tui. Habes quoque apud te Semei filium Jera filii Hiemini de Baurim : qui maledixit mihi maledictione pessima quando ibam ad castra. Sed quia descendit mihi in occursum : cum transirem Jordanem et juravi ei per Dominum dicens : non te interficiam gladio. Tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es : et scies quid facies ei : deducesque canos ejus cum sanguine ad infernum. Dormivit igitur **147** David cum patribus suis : et sepultus est in civitate David. Dies autem quibus regnavit David super Israel : quadraginta anni sunt. In Hebron regnavit septem annis : et in Hierusalem triginta tribus annis. Salomon autem sedit super thronum David patris sui : et firmatum est regnum ejus nimis.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Tractus. Tu Domine demonstrasti mihi : et ego cognovi : ostendisti mihi studia inimicorum adversum me. ℣. Quasi agnus mansuetus : qui portatur ad victimam . et nunc cognovi que super me cogitaverunt mala. ℣. Ne propicieris iniquitati eorum : et peccata eorum non deleantur.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia epistole Johannis Apostoli (a *I, cap. IIII, V*).

℟. Deo gratias.

Charissimi. [b] Si Deus dilexit nos : et nos debemus alterutrum diligere : Deum nemo vidit unquam. Quodsi diligimus invicem : Deus in nobis manet et charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc intelligimus : quoniam in eo manemus et ipse in nobis : quoniam [c] de Spiritu Sancto dedit nobis. Et nos vidimus et testificamur : quoniam pater misit filium suum Salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit : quod Jesus est filius Dei : Deus in eo manet et ipse in Deo. Et ipsi cognovimus et credimus charitati : quam habet Deus in nobis. Deus charitas est : et qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei in nobis : ut fiduciam habeamus in diem judicii : ut sicut ille est et nos simus in hoc mundo. Timor non est in charitate : sed perfecta charitas foras mittit timorem : quoniam timor penam habet. Qui autem timet : non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum : quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit : quoniam diligo Dominum : et fratrem suum oderit mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt : Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus [d] ab eo : ut qui diligit Deum : diligat et fratrem suum. Omnis qui credit : quod Jesus Christus ex Deo natus est : et omnis qui diligit genitorem : diligit eum qui ex eo natus est. In hoc cognoscimus : quoniam diligimus filios Dei : cum Deum diligimus : et mandata ejus servamus. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem (e *Cap. XII*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus loquebatur phariseis et turbis dicens. Ambulate dum lucem habetis : ut tenebre vos non comprehendant. Et qui ambulat in tenebris nescit quo vadat. Dum lucem habetis credite in lucem : ut filii lucis sitis. Hec locutus est Jesus [f] et abscondit se ab eis. Cum autem tanta signa fecisset coram eis : non credebant in eum : ut sermo Esaie impleretur quem dixit. Domine quis credidit auditui nostro : et brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere : quia iterum dixit Esaias : [g] excecavit oculos eorum et cor : ut non videant oculis et non intelligant corde : et convertantur et sanem illos. Hec dixit Isaias : quando vidit gloriam ejus : et locutus est ad eos de eo. Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum. Sed propter Phariseos non confitebantur : ut de sinagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum : magis quam gloriam Dei. Jesus autem clamavit et dixit. Qui credit in me : non credit in me : sed in eum [h] qui misit me. Ego lux in mundum veni : et omnis qui credit in me : in tenebris non manet. Et siquis audierit verba mea et non custodierit ea : ego non judico eum. Non enim veni ut judicem mundum : sed ut salvificem mundum. Qui spernit me : et non accipit verba mea : habet qui judicet eum. Sermo quem locutus sum : ille judicabit eum in novissimo die. Quia ego a me ipso non sum locutus : sed qui misit me pater : ipse mihi mandatum dedit : quid dicam : et quid loquar. Et scio quia mandatum ejus vita eterna est.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Lauda.* Eripe me Domine. *Quere in I. Dominico Quadragesime. fol.* 140. *Preces.* Penitentes. *Sacrificium.* Offerte Domino. *Quere in IV. feria. I. hebdomade Quadrages. fol.* 98.

Missa. Salvatoris nostri : et Domini fratres dilectissimi precepto deservientes : **148** vigilanter attendamus justiciam : ne justiciam nostram hominibus ostendamus : nec jejuni videamur ab eis : qui nos possint demulcere oleo transitorie laudis. [i] Nos igitur quia intus est qui coronet : si tamen talem inve-

a *Cap. IV.* Vers. 1-v, 1-13.

b *Si Deus.* Vulg., *si sic Deus.* Sanctus Augustinus, *ita Deus.*

c *De Spiritu Sancto.* Vulg. et Gr., *de Spiritu suo.*

d *Ab eo.* Ita Gr., Syr. Sanctus August., *ab ipso.* Vulg., *a Deo.*

e *Cap. XII.* Vers. 35-50.

f *Et abscondit.* Vulg., Gr., Syr. : *Et abiit et abscondit se ab eis.*

g *Excæcavit.* Syr. : *Abcæcati sunt oculi eorum, et tenebris offusa sunt corda eorum.* Vulg. et Gr. : *Induravit cor eorum.*

h *Qui misit me.* Vulg., Gr., Syr., addunt : *Et qui videt me, videt eum qui misit me.*

i *Nos igitur.* Fortasse *nos igitur (quia intus est qui coronet, si tamen talem inveniat quem remuneret) prout possumus, intus in corde nostro,* etc.

niat quem remuneret : prout postumus intus in A corde nostro : sic nos Domino nostro in omni virtute spirituali exhibeamus : ut intra nos semper habeatur regnum ipsius. ℟. Amen.

Alia Oratio. Christe qui incursionem malorum spirituum superari posse per jejunium docuisti : tu a carne nostra et petulantiam libidinis pelle : et gule libitum refrenando compesce : ut corpus nostrum per abstinentiam subjiciatur : quod per ingluviem mancipatum est inlecebris viciorum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus immortalis atque eterne tu votis offerentium propiciatus occurre : ut sacrificii hujus litatione : sic jejunii nostri acceptetur precatio : qualiter quiescentibus defunctis donetur beatitudinis plenitudo. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Christe qui es origo et auctor B pure dilectionis : pacem tuam quesumus permisce parcimoniis nostris : quo tibi : et per jejunium obsequamur : et per dulcedinem copulemur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine sancte pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Cujus juvamine fessum corpus reficitur ; cujus verbo anima fecundatur. Cujus Daniel ille trium hebdomadarum j junans diebus visione roboratus. Per jejunium quippe ejus faciem videre meruit : cujus in captivitate positus leges nullo modo violavit. Igitur quia hec et talia non humano merito : sed solius aguntur divine gratie dono. Te Deus quesumus et rogamus : ut sis nobis inluminatio et salus. Quo te nobis inspirante : et intelligere possimus quid agere debeamus : et intellecta subsequente nos gratia tua opere impleamus : qualiter te cum omni milicia angelorum conlaudemus atque ita dicamus. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui et consolatio nobis est in labore : et promissor possessionis eterne. Per eum te igitur flagitamus omnipotens pater : ut [a] eo intercedente sanctificans jejunia nostra : dones nobis vitam beatam : quem pro nobis oblatum suscepisti in hostiam vivam. Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Hoc sacrificium jejunii litatione dicatum : quesumus Deus pater sanctifica : ut ex eo libantibus sit correptio morum : sit indulgentia criminum : concedatur etiam : et celestis glorie summa virtutum. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Ant. Tu Domine da escam nobis in tempore opportuno : aperi manum tuam : et imple omnem animam benedictione.

Ad orationem Dominicam.

Memento Domine : quod terra sumus : et aspire contritionem nostri spiritus : ut qui carnis infirmitate ad terram prosternimur ad celos castigatione spiritualis jejunii sublevemur. Et quia ex nostro est ut cadamus : ex tuo sit ut surgamus. Pater noster. *Dicat Presb.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Dominus qui per abstinentiam vos fecit esse devotos : efficiat castitate mundissimos. ℟. Amen. Quique vobis inspiravit jejunii votum habere : tribuat apud se mercedem beatitudinis invenire. ℟. Amen. Ut sitis spiritu fructificantes : qui carnales per jejunium cupitis extinguere passiones. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vob. ℟. Et cum.

Ad accedendum. Qui venit ad me non esu i. t. *Com.* C Repletum est gaudium. *Oratio.* Reple Domine cor nostrum. *Quere retro in I. dominico Quadrag. fol. XCVIII.*

[b] IN DOMINICO RAMIS PALMARUM AD [c] BENEDICENDOS FLORES VEL RAMOS.

Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc. ℣. Dominus sit semper vob. ℟. Et cum.

---

[a] *Eo intercedente.* Huc refer illud Joan. I, II, 2 : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.*

[b] *In Dominico.* Lege *in Dominico in ramis Palmarum.* Nam et ita Breviario Mozarabum inscribitur, et Orationali Gothico *in Ramos Palmarum*, etsi in Orationali et in Breviario officium fiat de traditione D Symboli, et de Passione. Sacramentario Gelasiano em. Thomasii inscribitur *Dominica in Palmas de passione Domini.* Sacramentariis Gregorianis Menardi, Pamelii, Roccæ et Muratorii et calendario Martenii et Durandi, signatur *Dominica in palmis.* At in vetusto Lectionario Ambrosiano Thomasii, in calendario Frontonis, in Capitularibus Evangeliorum Thomasii, Georgii et Alatii, nulla fit de palmis mentio, uti nec in comite Thomasii, in quo *Dominica Indulgentia* legitur, et tamen illustrissimus Georgius opinatur Codices suos, qui antiquissimi sunt, non præcedere pontificatum Adriani I. Quare suspicari licet sæculo VIII exeunte ne nomen quidem *Dominicæ in Ramis Palmarum* Romanæ Ecclesiæ libris liturgicis notum fuisse. Sed in Hispania et Gallia longe antiquior erat cultus *Dominicæ Palmarum.* Sanctus Isidorus (*Orig. lib.* VI, *cap.* 18; *Offic. eccl. lib.* I, *cap.* 27), de festis agens, *diem Palmarum* commemorat; in Gallia, Lectionarius Luxoriensis habet *legenda in Dominica Palmarum*, et in Sacramentario Bobiano exstat *Benedictio Palmæ et Olivæ super altario.* In eodem Sacramentario et in Missalibus Gallo-Gothico, et Gallicano, quamvis titulus sit *in traditione Symboli*, Evangelium, contestatio, et altera e collectis sunt de Palmis. De festo Palmarum concilium Francofurdense, an. 794, et sanctus Adelmus, exeunte sæculo VII, meminit. In oriente magis vetustum est festum Palmarum, de quo Cyrillus Scythopolitanus mentionem facit in Vita sancti Euthymii, qui anno 472 obiit. Græcis hæc Dominica ἡ τῶν βαΐων ἑορτή, *Palmarum festum*, aut, ut est in Lectionario Græco-Alexandrino *Zaccagni*, denominatur ἡ κυριακὴ τῆς βαϊοφόρου, *Dominica Palmifera*, aut simpliciter ἡ βαϊοφόρου, *Palmifera*, qua etiam commemorant Lazari ad vitam a Christo revocati miraculum, quod et Galli faciebant, ut ex Missali Gallo-Gothico et Sacramentario Bobiano habemus. Gotho-Hispanorum vulgus *Capitularium* vocabat, *quia moris erat capita infantium, qui ungendi sunt lavandi, ne forte observatione Quadragesimæ sordidata, ad unctionem accederent*, inquit sanctus Isidorus (*Off. l.* I, *c.* 27), et hinc vides pœnitentes, quorum e numero erant catechumeni, a balneo abstinuisse.

[c] *Ad benedicendos.* Nullam apud auctores mentionem fieri benedictionis palmarum ante sæculum VIII, vel

149 *Oratio.* [a] Domine Jesu Christe qui ante A mundi principium : cum Deo patre et Spiritu Sancto regnas et regni tui non erit finis qui pro mundi salute in plenitudine temporum veniens : sicut per legem et prophetas fueras promissus : et veniente te in civitatem Hierusalem ad diem festum turbe multe ocurrerunt tibi : gaudentes acceperunt ramos palmarum clamantes Osanna fili David. Ideo et nos supplici obsecratione deposcimus majestatem tuam : ut qui nostra venisti redemptione : solvas nos a vinculis peccatorum nostrorum. ℟. Amen. Morbos omnes expelle. ℟. Amen. Infirmitates cura. ℟. Amen. Aerum temperiem presta. ℟. Amen. Securitatem temporum cum remissione peccatorum omnibus nobis dona. ℟. Amen. Hos quoque ramos et flores palmarum quos populus tuus per manus B servitutis nostre accepturus est : hodie tua bene ✝ dictione sanctifica. ℟ Amen. Ut quicumque ex eis acceperint tua in omnibus repleantur gratia : et salutis consequantur medelam. ℟. Amen. Et sicut pro hujus diei solennitate letantur : ita eorum habitacula tua bene ✝ dictione repleas corporaque et animas ab omni contagione mundas efficias : atque spiritualium eis tribuas charismata gratiarum. ℟. Amen. Ut paschalia festa te auxiliante cum omni alacritate suscipere mereantur. Pater noster qui es in celis. [b] Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Dominus Jesus Christus qui per legem et prophetas veniens : assumpsit formam filii hominis : ipse vos benedicat : et sua protectione custodiat. ℟. Amen. Et qui hujus diei solennitatem elegit : tribuat vobis suam gratiam : ut nunquam sitis servi peccati. ℟. Amen. Corda quoque vestra et corpora ab omni delicti mundet contagione : ut participes efficiamini cum Sanctis omnibus in regno eterno. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Benedictio Dei patris omnipotentis et filii et Spiritus Sancti descendat : et maneat super hos ramos vel palmas. ℟. *Chorus.* Amen. *Ramis sic bened.ctis aspergat aquam benedictam super illos : et super circumstantes. Et statim incipiat Cantor antiph. S.* [c] Sparsit nos Deus. *sine* [d] Glori ι et honor patri. *Deinde dicat antiph.* Pueri Hebreorum tollentes ramos olivarum. *Duabus vicibus. Dicitur etiam alia antiph.* Pueri Hebreorum vestimenta prosternebant. *Semel. Quibus peractis progreditur ad processionem : in exitu chori antiph.* Dum appropinquaret Dominus. *Antiph.* Cum audisset populus. *Antiph.* Veniente Domino.

ux asserit Edm. Martenius (*De antiq. Eccl. Rit., tom. III, lib.* IV, *cap.* 20, *col.* 196), atque Amalarium Metensem, qui an. 826 scribebat, omnium primum de ramis arborum hac solemnitate gestari solitis locutum esse (*De eccl. Off. l.* I, *cap.* 10), ubi de die palmarum agens : *In memoriam illius rei*, inquit, *nos per ecclesias nostras solemus portare ramos, et clamare hosanna.* Sanctus Adelmus (*De laud. virgin., cap.* 15) ait se instituisse ut duplici choro in Ecclesia sua *hosanna* cantaretur, innuit etiam festum Palmarum in Anglia vetustum fuisse. Sanctus Isidorus (*Off. l.* I, *cap.* 27) expressis verbis non dicit, Gotho-Hispanos ramos palmarum gestasse, aut hac die hosanna C cantasse, utrumque tamen innuere videtur. Galli hac Dominica traditionem Symboli, miraculum Lazari a sepulcro excitati, et triumphum Christi Hierosolymam cum *hosanna* et ramis palmarum ingredientis celebrabant, et in Sacramentario Bobiano (*Pag.* 390) exstat *benedictio palmæ et olivæ super altario*, quæ, paucis mutatis, est illa oratio quam ex Pontificali Narbonensi primo loco Martenius exhibet. Eam autem ad palmas et olivarum ramos benedicendos adhibitam fuisse die ipsa Palmarum ex ipsa oratione patet : atqui, si qua fides est Mabillonio de antiquitate Codicis judicanti, Codex Bobianus ante annos mille, atque adeo ante annum 685, exaratus D fuit. Idem Mabillonius (*Analect. vet. tom. IV, pag.* 454) ex Codice Augustano, sancti Udalrici *ordinem officii in domo sancti Benedicti* exhibet, in quo dies Palmarum denominatur *Dominica in olivæ benedictionem.* Sic habet in Dominica quæ est in *olivæ benedictionem..... Introitus, et lectio Apostoli, et gradalis, ad ipsum diem pertinentes, et Evangelium de Ramis palmarum, et benedicunt olivas, et incipiunt antiphonam Hosanna filio David.* Hic Codex, inquit Mabillonius, ante annos nongentos exaratus erat. Non ignoro quam fallax sit argumentum chronologicum, quod sola characterum figura nititur, at auctoritas Mabillonii me movet ut credam Codicem Bobianum ante sæculum VIII exaratum esse, atque adeo consuetudinem benedicendi arborum ramos die Palmarum ante finem seculi VII tam in Hispania quam in Gallia receptam esse.

[a] *Domine Jesu.* Eadem oratio, paucis mutatis, in benedictione palmarum habetur in Missali Toletano, et parum discrepat ab ea quam ex vetusto sexcentorum annorum Missali Turonensi exhibet Martenius (*De ant. Eccl. Rit. tom. III, lib.* IV, *cap.* 20, *col.* 197, *Ed. fol.*). In Codice Turonensi oratio incipit ab his verbis : *Domine Jesu Christe, qui pro salute mundi, sicut promiseras*, etc. In Toletano et in nostro Missali, oratio interseratur responsionibus *amen*, quæ in Turonensi non habentur. Cæterum in antiquioribus libris unica oratio palmis benedicendis attribuitur, in aliis minus antiquis binæ, in aliis plures assignantur.

[b] *Humiliate.* Hæc et consequens benedictio sunt Gotho-Hispanæ, nec in missali Toletano inveniuntur.

[c] *Sparsit.* Antiphona petenda est integra a benedictione aquæ benedictæ.

[d] *Gloria, laus et honor.* Hymnus est notissimus, sed diu post eversum Gotho-Hispanorum regnum compositus. Anonymus quidam apud Menardum (*In not. ad Sacram. Greg., pag.* 59) hunc hymnum, tanquam auctori, tribuit Rainaldo (qui potius Renardus aut Hugo appellandus fuit), episcopo Lingonensi, anno 1085 exstincto, viro Græce et Latine egregie docto (*Gallia Christ., Edit. Maur. tom. V, col.* 560, 562). Sed cum Lupus Ferrariensis, qui ducentis, et amplius, annis ante Renardum Lingonensem vixit (*epist.* 20, *Edit. Baluz.*) auctorem hujus celebris hymni citet Theodulphum, et hymnus ipse loquatur apud Andegavos compositum esse (*Vide Sirmundum, in notis ad Theodulp., carmen* III, *lib.* II, *et Baluzium, in notis ad epist.* 20 *Lupi Ferrarien.*), non est cur a recepta opinione recedamus, quæ autumat, Theodulphum, ob conjurationem initam cum Bernardo Italiæ rege contra imperatorem Ludovicum Pium, sententia episcoporum depositum, Andegavi, ubi in custodia detinebatur, hunc hymnum anno 818 composuisse. Nec tamen ea de causa, ut vulgo fertur, libertati pristinæ restitutus est ; id enim aliquot annis postea contigit, cum, ob nuptias Lotharii cum Irmengarda, Ludovicus Augustus Pius, anno 821, in conventu ad Theodori Villam, conjuratis pœnam omnem condonasset, cujus amnestiæ beneficio Theodulpho ad Ecclesiam suam redire permissum fuit.

Antiph. Ceperunt omnes. *Et debent exire ab Ecclesia* A *per portam olive ad dexteram : et pervenire ad plateam ante januam venie : et finita antiph. pueri stent supra dictam portam et cantent hunc versum S.* Gloria laus et honor. *Quibus finitis Pontifex vel Decanus ascendat ad januam indulgentiarum : que debet esse clausa : et percutienda cum baculo vel ligno crucis : et dicat alta voce hunc* ℣. Attollite portas principes vestras : et elevamini porte eternales : et introibit Rex glorie. *Deinde duo Canonici intra Ecclesiam stantes : respondeant in eodem tono.* Quis est iste Rex glorie. *Deinde pontifex dicat.* Dominus fortis et potens. *Iterum Pontifex vel Sacerdos percutiat portam et dicat magis alte elevando vocem.* Attollite portas. *Et respondeant illi qui sunt intra Ecclesiam altius ut prius S.* Quis est iste Rex glorie. *Et tunc Pontifex vel* B *Sacerdos dicat.* Dominus potens in prelio. *Et iterum Sacerdos percutiat portam et magis alte elevet vocem et dicat.* Attollite portas. *Et respondeant illi qui sunt intra Ecclesiam altius.* Quis est iste Rex glorie. *Et tunc respondeat Sacerdos.* Dominus virtutum ipse est Rex glorie. *Quo finito aperiantur valve : et cantor incipiat.* ℟. Ingrediente Domino. *Quere ante fol. 150. Et sic pervenitur prope altare beate Marie : ad stationem fiendam inter choros : et ibi dicitur antiph.* Ave Rex noster. *a Cantore cum ceptro in manibus : ter flectendo genua : exaltando in utraque vice vocem in choro respondente.* Fili David Redemptor mundi. *In tertia responsione perficiatur tota antiph. Cum qua ingreditur chorus. Deinde dicitur tertia in qua dicitur a duobus Diaconis.* ℟ Circumdederunt. *cum suo* ℣. C *et finita tertia Diaconus petita benedictione a Presbytero dicat* [a] *Evang. S.* Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis. **150** *Quo finito dicat Sacerdos hanc orationem.* Alme pater omnipotens rerum omnium creator etc. *Hic dicatur.* Ingrediente Domino *cum aliis sequentibus : et postea incipiat cantor.* Sparsit nos Deus. *Et subsequantur omnia per ordinem.* Ingrediente Domino in sanctam civitatem sedens super pullum asine festinans pervenire ad passionem : ut adimpleret legem et prophetas : pueri Hebreorum cum ramis et palmis vestimenta prosternebant : intonabile hymnum novum cantantes Osanna in altissimis Deo. *II. Ant.* Cum appropinquaret Dominus Hierosolymam : misit duos ex discipulis suis D dicens : ite in castellum quod est contra vos : invenietis pullum asine alligatum super quem nemo hominum sedit : solvite et adducite mihi : Siquis vobis interrogaverit dicite ei. Opus Domino est. Solventes adduxerunt ad Jesum imposuerunt illi vestimenta et sedit super eum. Alii expandebant vestimenta sua in via : alii ramos de arboribus externebant : et qui sequebantur clamabant : Osanna benedictus qui venit in nomine Domini benedictum regnum patris nostri David Osanna in excelsis miserere nobis fili David. *III. Ant.* Cum audissent turbe que venerant ad diem festum : quia venit Jesus Christus : acceperunt ramos palmarum : et exierunt obviam ei : et clamabant : Osanna benedictus qui venit in nomine Domini. *IIII Ant.* Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bone voluntatis : Osanna filio David benedictus qui venit in nomine Domini. [b] *Finita processione dicat Presb. hanc orationem.* Alme pater omnipotens rerum omnium creator Domine : cuius super ethera sedes est : quem nullus cernit : et omnis laudat in excelsis angelica dulci fragore potestas : qui ut genus humanum a discrimine mortis erueres : et paradisi gaudiis participem faceres: unicum filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum : ineffabili pietate plenum ad terras mittere es dignatus : ut prisce legis sacramenta et prophetica adimpleres vaticinia : sedens super pullum asine Hierusalem civitatem intraret : et ab omni populo laudis concentu consona voce : Osanna clamantibus audiret. Ob hoc et nos indigni ejus in laude cum omni leticia concinentes : te supplices quesumus : te humiles flagitamus : ut nos [c] amminiculo dextere tue : a cunctis malis liberare digneris ℟. Amen.

Qua finita oratione incipiat Chorus ad Missam.

Jesu filius Sirach. Idest Ecclesiasticus ([d] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

Judicium patris audite filii dilecti : et sic facite ut salvi sitis. Deus autem honoravit patrem in filiis : et judicium matris exquirens in filios. Qui diligit Deum : exorabit pro peccatis : et continebit se ab illis. In oratione dierum exaudietur : et sicut qui thesaurizat : ita et qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem : jocundabitur in filiis. Qui honorat patrem suum vitam vivet longiorem. Et qui obaudit patri : refrigeravit matrem. Qui timet Deum : honora parentes : et quasi dominis serviet his : qui se genuerunt in opere et sermone et in omni sapientia. Fili : honora patrem tuum ut superveniat tibi benedictio a Deo : et benedictio illius in novissimo manet. Benedictio patris firmat domos filiorum. Maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glorieris in contumelia patris tui : non est enim tibi gloria : sed confusio : gloria enim hominis ex honore patris : et dedecus filiis pater sine honore. Fili suscipe senectam patris tui : et ne contristes eum in vita illius. Et si defecerit sensu : da veniam : et ne spernas eum in tua virtute. Elemosyna enim patris non erit in oblivione : nam pro peccato matris restituetur tibi bonum. Et in justitia edificabitur tibi : et in die tribulationis memorabitur tui. Sicut in sereno glacies solventur tua peccata.

℟. Amen.

[a] *Evangelium cum appropinquasset.* Hoc Evangelium habetur Dominica tertia Adventus.

[b] *Finita processione.* De hac processione in qua crux deferebatur, et in aliquibus locis Evangelium, in aliis sacra Eucharistia. Plura habes apud Martenium (*Lege de antiq. Rit. tom. III, l. IV, cap. 20, col. 199 seq.*)

[c] *Amminiculo.* Lege *adminiculo.*

[d] *Cap. III.* Vers. 2-18.

Dicat Presbit. [a] Erigite vos. Dominus sit semper vobiscum. ℟ Et cum.

Lectio Libri Deuteronomii ([b] *Cap. II*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Locutus est Dominus ad Moysen dicens. Loquere filiis Israel : et dices ad eos. Ponite hec verba mea in cordibus et in animis vestris : et suspendite ea pro signo in manibus : et inter ocu los vestros [c] conlocate. Docete filios vestros : ut illa meditentur. Quando sederis in domo tua : et ambulaveris in via : et accubueris atque surrexeris : scribes ea super postes et januas domus tue : **151** ut multiplicentur dies tui et filiorum tuorum [d] in terram : quam juravit Dominus patribus tuis : ut daret quamdiu celum imminet terre. Si enim custodieritis mandata que ego precipio vobis : et feceritis ea : ut B diligatis Dominum Deum vestrum : et ambuletis in viis ejus adherentes ei : disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram : et possidebitis eas que majores et fortiores vobis sunt. Omnis locus quem calcaverit pes vester : vester erit. A deserto et Libano a flumine magno Eufrate : usque ad mare occidentale erunt termini vestri : nullus stabit contra vos. Terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram : quam calcaturi estis : sicut locutus est vobis. En propono hodie in conspectu vestro benedictionem et maledictionem. Benedictionem : si obedieritis mandatis Domini Dei vestri : quia ego hodie precipio vobis. Maledictionem : si non audieritis mandata Domini Dei vestri, sed recesseritis de via : quam ego nunc ostendi C vobis : et ambulaveritis post Deos alienos quos ignoratis. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram : ad quam pergis habitandam : pones benedictionem super montem Garizin : Maledictionem super montem Hebal : qui sunt trans Jordanem post viam que vergit ad solis occubitum in terram Chananei : qui habitat in campestribus contra Galgalam que est juxta vallem tendentem et intrantem procul. Vos enim transibitis Jordanem : ut possideatis terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis : et habeatis ac possideatis illam. Videte ergo ut impleatis cerimonias : atque judicia : que ego hodie ponam in conspectu vestro : [e] ut benedicat vobis Dominus Deus vester ℟. Amen.

Dicat Presbit. D minus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

[f] *Psallendo.* Venite venite filii audite me : timorem Domini docebo vos. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. *P.* [g] Venite. ℣. In Domino laudabitur anima mea : audiant mausueti et letentur. *P.* Venite. ℣. Magnificate Dominum mecum : et exaltemus nomen ejus in unum. *P.* Venite filii.

Hic [h] *fiat sermo ad populum.*

Charissimi : accipite regulam fidei : quod Symbolum dicitur. Et cum acceperitis in corde scribite : et quotidie apud vosmetipsos dicite. Antequam dormiatis : antequam procedatis vestro Symbolo vos munite. Symbolum nemo [i] scribit : ut legi possit. Sed [j] ad recessendum : ne forte deleat oblivio : quod non tradidit lectio : sit vobis [k] quod ex vestra memoria.

[a] *Erigite.* Hoc olim proclamabat diaconus catechumenos alloquens, qui genuflexi orabant. Vide Ordinem Romanum Hittorpii ubi de scrutinio agitur (*Pag.* 35, *col.* 1).

[b] *Cap. II.* Lege *Cap. XI.* Vers. 18-32. In Lectionario Luxoviensi legitur ex Isaia XXXI, 1-34. Deficit enim lectionis initium. In Bobiano legitur quoque ex Isais cap. XXXVII, 1-5, et in fine adjicitur pars versiculi 13.

[c] *Conlocate.* Lege *collocate.*

[d] *In terram.* Lege *in terra.*

[e] *Ut benedicat.* Sunt verba quibus finis imponebatur lectioni.

[f] *Psallendo.* Ps. XXXIII, 12, 2, 3, 4.

[g] *Venite.* Huc spectat illud sancti Petri Chrysologi (*Serm.* 59), qui est de traditione Symboli : *Audistis Patris vocem, vocem vocantis audistis; venite, filii, venite, quia venit tempus fidei, credulitatis dies, confessionis hora ; venite, petitores fidei, afferte sincerum pectus, cor mundum, ut quod per nos sermo salutaris insinuat, vos sancto accipiatis auditu.* Quare haud temere suspicari licet, psalmum hunc trigesimum tertium etiam Ravennæ esse cantatum ante traditionem Symboli. Cæterum de die quo Symbolum competentibus erat tradendum, non eadem erat omnium Ecclesiarum disciplina, de qua consule Martenium (*De antiq. Eccl. Ritib. tom. I, lib.* I, *cap.* 1, *art.* 11, *col.* 86) ubi ex Ordine Romano eruit Romæ Symbolum traditum fuisse feria 4 Hebdomadæ quartæ Quadragesimæ; in Africa vero, ex sancto Augustino, sabbato ante Dominicam 4 tradi consuevisse; Constantinopoli, ex Theodoro Lectore, in Parasceve tantum traditum esse baptizandis Symbolum ; at Hierosolymis, ex sancto Hieronymo (*Epist.* 61, *ad Pammachium*), id moris obtinuisse, ut per quadraginta dies baptizandi sacra doctrina imbuerentur. Quod ad Gotho-Hispanos et Gallos attinet, il Symbolum publice tradebant omnes uno eodemque die, scilicet ultima Quadragesimæ Dominica, sive Dominica Palmarum (*Concil. Agath. can.* 13; *Codex Canonum Ecclesiæ Gotho-Hisp. lib.* IV, *tit.* 6); sanctus Isidorus (*Offic. l.* I, *cap.* 27), ubi de Dominica Palmarum agens : *Hac autem die*, inquit, *Symbolum competentibus traditur.* Quibus addenda Missale Mozarabum, Sacramentarium Bobianum, et Missalia Gallicanum, et Gallo-Gothicum, quibus omnibus testatum invenimus Symbolum die Palmarum traditum esse solemniter competentibus. Eodem quoque die Mediolani olim tradebatur, ex sancto Ambrosio (*Epist.* 20, *Edit. Maur. ad Marcellinum*). Decretum autem concilii II Bracarensis (*Cap.* 1) non ad solemnem Symboli traditionem, ab episcopo exsequendam, sed ad privatam catechumenorum institutionem pertinet, ut alibi explicavi.

D [h] *Fiat sermo.* Sermo ejusmodi exstat in sacramentario Bobiano (*Pag.* 312); alius ab hoc diversus in Missali Gallicano (N. 11). Plures autem de traditione Symboli exstant sermones inter opera sancti Augustini, sancti Petri Chrysologi, sancti Maximi Taurinensis et aliorum Patrum.

[i] *Nemo scribit.* Eadem prohibitio ne Symbolum scribatur apud citatos Patres frequenter recurrit. Missale Gallicanum (N. 11) : *Symbolum non in tabulis scribitur, sed in corde susceptum memoriter retinetur.* Et rursus infra (N. 16) : *Symbolum non atramento depingitur, sed memoria retinetur.* Sacramentarium Gelasianum : *Symbolum, quod vobis, sicut accepimus, tradidimus, non alicui materiæ quæ corrumpi potest, sed paginis vestri cordis ascribite.*

[j] *Ad recessendum.* Lege *ad recensendum.*

[k] *Quod ex.* Lege *Codex.*

Quod audituri estis : hoc credituri. Et quod credituri : hoc etiam lingua [a] reddituri. Ait enim Apostolus. Corde creditur ad justiciam : oris confessio fit ad salutem. Hoc enim Symbolum quod retenturi estis et credituri. [b] Signate ergo vos et [c] respondete.

[d] *Fides*. Credo in Deum patrem [e] omnipotentem. Et in Jesum Christum filium ejus [f] unicum Dominum nostrum. Natum de Spiritu Sancto [g] ex utero Marie Virginis. Passus sub Pontio Pilato. [h] Crucifixus et sepultus : tertia die resurrexit [i] vivus a mortuis. Ascendit [j] in celum. Sedet ad dexteram Dei patris [k] omnipotentis. Inde venturus [l] judicaturus vivos et mortuos. Credo in sanctum Spiritum : Sanctam Ecclesiam Catholicam : [m] Sanctorum communionem : remissionem [n] omnium peccatorum. Carnis [o] hujus resurrectionem : et [p] vitam eternam : amen.

Submissa voce. Ut facile memorie vestre possint inherere que dicta sunt : textum Symboli ordinemque repetamus. Credo in Deum patrem omnipotentem.

Submissa voce. Tertio quoque textum Symboli recenseamus : ut quia fidem divine Trinitatis Symbolum in se continet : ipse numerus repeticionis cum sacramento conveniat Trinitatis. Credo in Deum patrem omnipotentem.

Submissa voce. Hanc sancte fidei regulam : quam vobis nunc tradidit sancta Mater Ecclesia : firmissima mentis vestre retinete sententia : ne aliquando

[a] *Reddituri*. Nimirum feria quinta in Cœna Domini Symbolum reddere debebant. Codex Canonum (*Lib*. IV, *tit*. 26) statuit *ut baptizandi Symbolum discant, quod quinta feria Paschæ sacerdotibus reddant*, et sanctus Hildefonsus (*Adnotat. de cognit. baptism.*, *cap*. 34) distincte docet : *Hoc autem Symbolum quod competentes in die unctionis accipiunt, aut per se, si majoris ætatis sunt, aut per ora gestantium, si parvuli sunt, feria quinta ante Pascha sacerdoti recitant*.

[b] *Signate ergo vos*. Hoc est, signum crucis facitote. Confer sanctum Petrum Chrysologum (*Sermon*. 60).

[c] *Et respondete*. Hoc est simul mecum Symbolum pronuntiate. Primum enim elata voce, et tantum non cantando, episcopus integrum Symbolum recitabat, et simul cum eo competentes, et qui astabant, fideles Symbolum pronuntiabant; tum iterum, ac tertio, submissiore voce, integrum Symbolum, omnes repetebant, et post ternam hanc repetitionem episcopus singillatim articulos Symboli singulos primum dicebat, et deinde explicabat, demum totam explicationem brevi paræuesi concludebat.

[d] *Fides*. Idem est *fides* ac fidei Symbolum. Romæ competentibus Symbolum Constantinopolitanum tradebant, ut est in Ordine Romano v Hittorpii, et in Sacramentario Gelasiano, ubi articulum de Spiritu sancto ita legunt : *et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem ex Patre procedentem*. In latino Hittorpii est : *Ex Patre Filioque procedentem;* at in Græco ejusdem legitur solum ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον. Symbolum enim Romæ Græce et Latine recitabant ob magnum Græcorum numerum qui Urbem incolebant, at Gotho-Hispani et Galli Symbolum Apostolorum competentibus tradebant, quod antiquitus etiam Romæ factum esse opinor.

[e] *Omnipotentem*. Ita sanctus Hildephonsus (*Adnot. cap*. 36), Etherius et Beatus (*Contra Elipandum*), Ruffinus (*De Symb*.), sancti Augustinus, Maximus et Petrus Chrysologus; at Missale Gallicanum, in utroque Symbolo, et Sacramentarium Bobianum addunt *creatorem cœli et terræ*.

[f] *Unicum Dominum nostrum*. Ita Ruffinus, sanctus Augustinus, sanctus Maximus, sanctus Petrus Chrysologus, ita etiam secundum Symbolum Missalis Gallicani, et secundum Bobianum; at Etherius et Beatus (*Contr. Elipand., lib*. I), et sanctus Hildephonsus (*Adnot., cap*. 39) habent : *Filium ejus unicum Deum ac Dominum nostrum*, et in primo Symbolo Gallicani Missalis, et in primo Symbolo Sacramentarii Bobiani legitur : *Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum sempiternum*. Advertendum in Sacramentario Bobiano (*Pag*. 312, *col*. 1) exstare Symbolum integrum, et ibid. (*Col*. 2) exstare aliud Symbolum quod explicatur ; pariter in Missali Gallicano (*Pag*. 339) exstare Symbolum quod cum primo Symbolo Bobiano verbatim ferme convenit, et (*Pag*. 348) aliud quod a secundo Bobiano in nonnullis differt.

[g] *Ex utero Mariæ Virginis*. Illud *ex utero* peculiare est nostro Missali, fortasse contra errores Priscillianistarum positum est; certe sanctus Hildephonsus, et ipse Toletanus episcopus (*Cap*. 40) quocum conveniunt Etherius et Beatus, recitat : *Qui natus est de Spiritu sancto et Maria virgine*.

[h] *Crucifixus et sepultus*. Ita Etherius, sancti Maximus Taurinensis et Chrysologus; at in utroque Bobiano et utroque Gallicano legitur : *Crucifixus, mortuus et sepultus*. In sancto Hildephonso (*Cap*. 49) legitur : *Descendit ad infera*. In Etherio et Beato, in utroque Bobiano Symbolo, et in primo Gallicano, *ad inferna*; in secundo Gallicano et in nostro deficit. Ruffinus hunc articulum habet in suo Aquileiensi Symbolo, sed monet illum non inveniri in Symbolo Ecclesiæ Romanæ, neque in Symbolis Orientalium. Cæterum descensum Christi Domini ad infera non uno in loco Missale nostrum prædicat.

[i] *Vivus*. Convenit illatio die secunda Paschæ, *Resurrexit ergo vivus a mortuis*. Et ita legitur in sancto Hildephonso (*Adnot. cap*. 50), in Etherio et Beato, alibi autem non inveni.

[j] *In cœlum*. Ita sanctus Hildephonsus (*Adnot. de cognit. bapt., cap*. 51). Gallicani Missalis Symbolum secundum habet : *Ascendit victor ad cælos*.

[k] *Omnipotentis*. Ita sanctus Hildephonsus (*Cap*. 51), Etherius, utrumque Bobianum et utrumque Gallicanum; at deficit vox *omnipotentis* in Symbolo Aquileiensi Ruffini.

[l] *Judicaturus*. Sanctus Hildephonsus (*Cap*. 53). Etherius, utrumque Bobianum et Gallicanum utrumque, *judicare*.

[m] *Sanctorum communionem*. Ita primum Bobianum et utrumque Gallicanum. Sed hic articulus non legitur in sancto Hildephonso, in Etherio, in Aquileiensi Symbolo Ruffini, in sanctis Augustino, Chrysologo, Maximo Taurinensi, neque in Symbolis Orientalium vetustioribus.

[n] *Omnium*. Ita in Etherio et Beato. Vox *omnium* non invenitur in sancto Hildephonso (*Cap*. 81) nec in aliis Symbolis.

[o] *Hujus*. Hæc vox, teste Ruffino, peculiaris erat Symbolo Aquileiensi; certe in sancto Hildephonso (*Adnot. de cogn. bapt., cap*. 83) nec in Etherio legitur. Tamen concilium Toletanum IV (*Cap*. I, *de evidenti catholicæ fidei veritate*), docendo nos resurrecturos *in ea in qua nunc vivimus carne*, revera docuit *hujus carnis* resurrectionem esse credendam.

[p] *Vitam æternam*. Ita sanctus Hildephonsus (*Cap*. 83), Etherius, Bobianum et Gallicanum utrumque. Hunc tamen articulum aliqui prætermittunt, alii explicationis instar adjiciunt. Missale Gallicanum (*Pag*. 339) concludit : *Qui fidem cum operibus habuerit in hoc sæculo, vitam æternam recipiet in futuro*.

dubitationis scrupulum in corde vestro oriatur. Quia si quod absit in hoc vel tenuiter dubitatis : omne fidei fundamentum subruitis : et anime periculum generatur. Et ideo si aliquem vestrum inde quippiam movet : reputet quia hoc intelligere non possit. Vera tamen esse credat omnia que audivit. Deus autem omnipotens ita cor **152** vestrum inluminet ut intelligendo et credendo que diximus: et fidem rectam custodiatis : et sanctis operibus fulgeatis : ut per hec ad beatam vitam pervenire possitis. ℟. Amen. Ipso prestante et auxiliante : qui vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbit. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Galatas (a *Cap. I*)

℟. Deo gratias.

Fratres. Gratia vobis et pax a Deo patre nostro : et Domino Jesu Christo. Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris : ut eriperet nos de presenti seculo neque secundum voluntatem Dei et patris nostri : cui est gloria in secula seculorum amen. Miror quod sic tam cito transferimini ab eo : qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud evangelium : quod non est aliud : nisi sunt aliqui qui vos conturbant : et volunt [b] subvertere Evangelium Christi. Sed licet nos aut Angelus de celo evangelizet vobis : preterquam evangelizavimus vobis : anathema sit amen. Sicut predixi et nunc iterum dico. Siquis vobis evangelizaverit preter id quod accepistis : anathema sit [c] amen. Modo enim hominibus suadeo : [d] audeo : aut quero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem : Christi servus non essem. Notum enim vobis facio fratres Evangelium : quod evangelizatum est a me : quia non est secundum hominem : neque enim ego ab homine accepi illud : neque didici : sed per revelationem Jesu Christi. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem (e *Cap. XI, XII*).

Illo in tempore. Proximum erat Pascha Judeorum. Et ascenderunt [f] multi de regione ante Pascha : ut sanctificarent se ipsos. Querebant ergo Jesum et conloquebantur ad invicem in templo stantes. Quid putatis : quia non veniet ad diem festum? Dederant autem Pontifices et Pharisei mandatum : ut si quis eum cognovisset : ubi esset : indicaront et apprehenderent eum. Jesus ergo ante sex dies Pasche venit Bethaniam ubi fuit Lazarus mortuus : quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cenam ibi : et Martha ministrabat. Lazarus autem unus erat de discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi : et unxit pedes Jesus : et extersit capillis suis pedes ejus : et domus impleta est ex odore unguenti. Dixit ergo unus ex discipulis suis Judas [g] Scariothes qui erat eum traditurus. Quare hoc unguentum non venditur trecentis denariis : et datum est egenis. Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum : sed quia fur erat et loculos habebat : et que mittebantur [h] exportabat. Dixit ergo Jesus : sinite illam : ut in die sepulture mee servet illud. Pauperes enim semper habebitis vobiscum : me autem semper non habebitis. Cognovit ergo turba multa ex Judeis : quia illic est : et venerunt non propter Jesum tantum : sed ut et Lazarum viderent : quem suscitavit a mortuis. Cogitaverunt autem principes Sacerdotum : ut et Lazarum interficerent ; quia multi propter illum abibant ex Judeis et credebant in eum. In crastinum autem turba multa que venerat ad diem festum : cum vidissent quia venit Jesus Hierosolymam : acceperunt ramos palmarum et processerunt obviam ei et clamabant. Osanna benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel. ℟. Amen.

Dicat Presbit. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

[i] *Lauda.* Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in seculum misericordia ejus. ℣. Confitemini Deo Deorum. *P.* Quoniam in seculum. ℣. Confitemini Domino dominorum. *P.* Quoniam.

[j] *Sacrificium.* In tempore illo proximum erat Pascha et ascenderunt multi [k] Hierosolymis de regione : ut sanctificarent seipsos : *P.* Clamantes Osanna : benedictus qui venit in nomine Domini. [l] ℣. Venit Jesus Bethaniam ante sex dies Pasche cum discipulis suis : et fecerunt illi cenam magnam et discumbentibus cum eo : accepit Maria libram ungenti nardi pistici preciosi : et unxit pedes Jesu : domus enim impleta est ex odore unguenti. *P.* Clamantes.

[m] *Missa.* Catholicam fidem fratres charissimi cordis integritate servantes. Deum patrem Deum filium Deum fateamur et Spiritum Sanctum. Nec tamen deos plures affirmare gentiliter audeamus : sed in tribus unum Deum fiducialiter adoremus. Una quippe est Trinitatis essentia : nec est altera creatrix et eterna substantia. Nullus ergo ibi differentes potestates : **153** ubi unam potestatem permanere cognovimus : temeraria disputatione contingat. Nullus impares gradus : ubi summa equalitas reperitur interserat. Non

[a] *Cap.* 1. Vers. 3-13. In Luxoviensi legitur ex Epist. ad Hebræos, *cap.* XI, 3-31. In Sacramentario Bobiano legitur ex Epist. sancti Petri, II, II, 21, 22.

[b] *Subvertere.* Vulg., *convertere.*

[c] *Amen.* Hoc *amen* nec in Vulgata nec in Græco legitur.

[d] *Audeo.* Lege *an Deo.*

[e] *Cap. XI.* Vers. 58-XII, 1-14. Idem Evangelium in Bobiano et in Luxoviensi legitur, in quibus incipit a capite XII, 1, et in Sacramentario Bobiano extenditur ad vers. 17; in Lectionario Luxoviensi ad 21. In comite Pamelii et in capitularibus Evangeliorum Georgii legitur Passio secundum Matthæum.

[f] *Multi*, Vulg. et Gr. addunt *Hierosolymam.*

[g] *Scariothes.* In Bobiano, *Scariothis*; Syriaca, *Scariento.* Græc., *Judas Simonis Iscariotes.* Vulg., *Iscariotes.*

[h] *Exportabat.* Vulg., *portabat.*

[i] *Lauda.* Ps. 117, *v.* 1. ℣. Ps. XXXV, 2, 3.

[j] *Sacrificium.* Joan. XI, 55.

[k] *Hierosolimis.* Lege *Hierosolymas.*

[l] ℣. Joan. XII, 1 seq.

[m] *Missa.* Eadem missa habetur Dom. 1 post Pentecosten.

est Pater a Filio quem generavit antiquior : neque Filius est gignente posterior. Non est etiam donatoris : doni : vel potestas separata naturaliter vel voluntas. Simul individua Trinitas condidit tempora : simul pereuntia restauravit. Simul Pater et Filius et Spiritus Sanctus ad fideles veniunt : simul impios deserunt : simulque super humiles requiescunt. Istam proinde fidem delectemur usque ad sanguinem vindicare : si volumus Dei Patris heredes existere. Ut hac fidei firmitate muniti ad celeste regnum perveniamus inlesi. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus fidelis qui fidelia promissa confirmas : dum vocatas gentes ex fide justificas : tu cognitionem nobis tribue Trinitatis : ut pacifici conversemur inter filios unitatis : quo istius sancte confessionis sacrificio competenter oblato : visitationem tuam mereamur obtinere ex alto. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, etc.

Post nomina. Oratio. Offerentium quesumus Domine vota multiplica : et omnes in commune vere credulitatis instrumento perlustra. Sicque nobis per hoc sacrificium quod tibi cum voto fidei dedicamus adesto placatus : ut et viventibus veniam : et sepultis requiem impetremus eternam. ℟. Amen. Quia tu es vita vivorum etc.

Ad pacem. Oratio. Deus qui es unitas sancta et Trinitas indivisa adauge in nobis fidei donum : et beate charitatis affectum. Quo utroque a te ditati ex munere heredes efficiamur promissionis eterne. ℟. Amen. Quia tu es vera pax nostra etc.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Pater : nos tibi semper gratias agere : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Quem tu clementissime pater ante secularia tempora genuisti : nec divisionem vel mutationem generando sensisti. Sed essentialiter totus in Filio : totus in temetipso sine ulla tui diminutione mansisti. Nihil tibi retrahens : cum condidisse omnia cognoscaris ut existens unigenitus ab ingenito consubstantialis : coeternus : equalis una tecum divinitatis plenitudinem possideret. Una et perpetuitate gauderet et unius dominationis qualitate regnaret. Simul cum Spiritu Sancto regnante : [a] qui procedens de utroque non est genitus aut creatus : sed creator universitatis et Dominus. Ipse etiam creavit carnem Christi : quando pro salute gentium crucem voluit pati. Quem pro pignore celestis hereditatis accepimus : cujus nomen in baptismate confiteri salutiferum credimus : ut [b] regnati ad imaginem Trinitatis : computari mereamur filii Dei Patris omnipotentis : quem conlaudant omnes angeli ita dicentes. ℟ Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Hoc cantant angeli : hoc resonant celi : benedictus qui venit in nomine Domini : benedictum quod venit regnum patris nostri David osanna in excelsis. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Christe Dei filius quem olim ob hodierne solennitatis festum turba multiplex Hebreorum ramis et palmis ovantibus animis susceperunt. Concede nobis : ut sicut illi presentia tua gavisi sunt : ita hec sacrificia pietatis tue obtutu sanctificentur. Quo ex his libantes : ita per veram fidem rectamque dilectionem : vivam tibi preparemur in hostiam : ut securi accedamus ad tue passionis sacratissimam cenam. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Tu Domine da escam nobis in tempore opportuno : aperi manum tuam : et imple omnem animam benedictione.

Ad orationem Dominicam.

Emunda Domine conscientias nostras fidei Catholice confessione sincera : et cordis contritione continua : ut semper a te exaudiamur e celis : cum pro nostris delictis ad te proclamaverimus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟ Et cum.

Benedictio. Respiciat vos placata divinitas : et sensum vobis sapientie salutaris infundat. ℟. Amen. Catholice fidei vos documentis **154** enutriat : et sanctis operibus perseverabiles reddat. ℟: Amen. Gressus vestros ab errore convertat : et viam vobis pacis ostendat. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Memento nostri Domine dum veneris in regno tuo. ℣ Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum celorum. *P.* Memento. ℟. Gaudete et exultate : quoniam merces vestra copiosa est in celis. *P.* Memento. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Memento.

Com. Repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra in exultatione.

Oratio. Reple Domine cor nostrum leticia : qui nobis dare dignatus es sacri corporis tui Eucharistiam. Ut quia escarum perceptione reficimur : spiritualibus beneficiis adimpleri feliciter mereamur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

FERIA QUARTA POST RAMOS PALMARUM.

Ad Missam.

Ecclesiasticum Salomonis ([c] *Cap. XLVI, XLVIII*).

℟. Deo gratias.

Fili. Magnus et sanctus est Deus in saxis : [d] gran-

[a] *Qui procedens de utroque.* Sanctus Hildefonsus (*Lib. adnot. de cognit. bapt., cap. 59*) hanc distinctionem inter Filium et Sp. sanctum constituit, quod Filius nascatur de uno Patre, Spiritus sanctus de Patre et Filio procedat. *Hoc interest inter nascentem Filium et procedentem Spiritum sanctum, quod Filius ex uno nascitur, Spiritus sanctus ex utroque procedit.*

[b] *Regnati.* Lege *regenerati.*

[c] *Cap. XVI.* Vers. 6-9, XLVIII, 1-16.

[d] *Grandis.* Lege cum Vulgata, *grandinis.*

dis virtutis : valde fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem : et [a] in descensum perdidit contrarios. Ut cognoscant gentes potentiam ejus : quia contra Deum pugnare non est facile. Qui [b] suscitavit prophetam Heliam quasi ignem : et verbum ipsius quasi fax ardens. Qui induxit in illos famem : et irritantes illum [c] invidia pauci facti sunt : non poterant enim sustinere precepta Domini. [d] Verbum Domini exaltavit celum : et dejecit a se ignem [e] terre. Sic amplificatus est Helias in mirabilibus suis : et quis potest similitèr gloriari tibi? Qui sustulisti mortuum ab inferis : de sorte mortis in verbo Domini Dei. Qui dejecisti Reges ad perniciem : et confregisti facile potentiam ipsorum et gloriosos [f] delicto suo. Qui audis in Sinay judicium : et in Horeb judicia defensionis. Qui ungis reges ad penitentiam : et prophetas facis successores post te. Qui receptus es in turbine ignis in curru equorum igneorum. Qui inscriptus est in judiciis temporum lenire iracundiam Domini. Et conciliare cor patris ad filium : et restituere tribus Jacob. Beati sunt qui te viderunt : et in amicitia tua decorati sunt. Nam nos qui vita vivimus tantum : post mortem non erit tale nomen nostrum. [g] Helias qui in turbine tectus est : et in Heliseo completus est spiritus ejus. In diebus suis non pertimuit principem : et potentia nemo vicit illum. Nec superavit illum verbum aliquod : et mortuum prophetavit corpus ejus. In vita sua fecit monstra : et in morte mirabilia opera ejus.

℟. Amen.

Lectio libri Malachim, id est Regum (*IV*, [h] *cap. II*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Factum est cum levare vellet Dominus Heliam per turbinem in celum : ibant Helias et Heliseus de Galgalis. Dixitque Helias ad Heliseum. Sede hic quia Dominus misit me usque Bethel. Cui ait Heliseus. Vivit Dominus et vivit anima tua : quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel egressi sunt filii Prophetarum qui erant in Bethel ad Heliseum et dixerunt ei. Numquid nosti quia hodie Dominus tollet Dominum tuum a te? Qui respondit. Et ego novi : silete. Dixit autem Helias ad Heliseum. Sede hic quia Dominus misit me in Hierico. Et ille ait. Vivit Dominus et vivit anima tua. quia non derelinquam te. Cumque venissent Hierico : accesserunt filii prophetarum qui erant in Hierico ad Heliseum : et dixerunt ei. Numquid nosti quia hodie Dominus tollet Dominum tuum a te? Et ait. Et ego novi : silete. Dixit autem Helias ad Heliseum. Sede hic quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Qui ait. Vivit Dominus et vivit anima tua : quia non derelinquam te. Ierunt ergo ambo pariter : et quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos. Qui et steterunt e contra longe : illi autem ambo stabant super Jordanem. Tulitque Helias pallium suum : et involvit illud : et percussit aquas : que divise sunt in utraque parte : et transierunt **155** ambo per siccum. Cumque transissent Helias dixit ad Heliseum. Postula quod vis ut faciam tibi : antequam tollar a te. Dixitque Heliseus. Obsecro ut fiat duplex spiritus tuus in me. Qui respondit. Rem difficilem postulasti. Attamen si videris me quando tollar a te : [i] erit quod petisti. Si autem non videris : non erit. Cumque pergerent : et incedentes sermocinarentur : ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque : et ascendit Helias per turbinem in celum. Heliseus autem videbat : et clamabat. Pater mi. Pater mi. Currus Israel : et auriga ejus. Et non vidit eum amplius. Apprehenditque vestimenta sua et scidit illa in duas partes. Et levavit pallium Helie : [j] quod ceciderat ei. Reversusque stetit super ripam Jordanis : et pallio Helie quod ceciderat ei et dixit. Ubi est Deus Helie etiam nunc? Percussitque aquas : et divise sunt huc atque illuc : et transiit Heliseus. Videntes autem filii prophetarum qui erant in Hierico de contra : dixerunt. Requievit spiritus Helie super Heliseum. Et venientes in occursum ejus : adoraverunt eum proni in terram. Dixeruntque illi. Ecce cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes : qui possint ire et querere Dominum tuum : ne forte tulerit eum spiritus Domini : et projecerit eum in uno montium aut in una vallium. Qui ait. Nolite timere. Coegeruntque eum donec acquiesceret : et diceret mittite. Et miserunt quinquaginta viros. Qui cum quesissent tribus diebus : non invenerunt : et reversi sunt ad eum. At ille habitabat in Hierico. Dixitque eis. Numquid non dixi vobis nolite mittere? Dixerunt quoque viri civitatis ad Heliseum. Ecce habitatio civitatis hujus optima est : sicut tu ipse Domine perspicis : sed aque pessime sunt et terra sterilis. At ille ait. Afferte mihi vas novum et mittite in illud sal. Qui cum attulissent : egressus ad fontem aquarum misit in eum sal : et ait. Hec dicit Dominus. Sanavi aquas has : et non erit ultra in eis mors : neque sterilitas. Sanate sunt ergo aque usque ad diem hanc juxta verbum Helisei : quod locutus fuerat. ℟ Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[k] *Psallendo.* Cogitaverunt adversum me. Ne derelinquas me Domine ne forte exaltentur. ℣. Eripe me Domine ab homine malo : a viro iniquo libera me. Qui cogitaverunt [l] injusticias in corde : tota die constituebant [m] bella. *P.* Ne derelinquas.

[a] *In descensum.* Vulg., *in descensu.*
[b] *Suscitaret.* Vulg. *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis.*
[c] *Invidia.* Vulg., *invidia sua.*
[d] *Verbum.* Lege *verbo.*
[e] *Terræ.* Vulg. et Gr., *ter.*
[f] *Delicto suo.* Vulg., Gr., de *lecto suo.*
[g] *Helias qui.* Ita in Græco et in sancti Hieronymi versione. Vulgata legit *Helias quidem.*
[h] *Cap. II.* Vers. 21-23.
[i] *Erit.* Vulg., *erit tibi.*
[j] *Quod ceciderat ei.* Addit Vulgata : *Percussit aquas, et non sunt divisæ.*
[k] *Psallendo.* Ps. CXXXIX, 9. ℣. Ibid., n. 1, 2.
[l] *Injustitias.* Ita S. August. LXX, ἀδικίαν. Vulg., *iniquitates.*
[m] *Bella.* Ita sanctus Augustinus. Vulg., *prælia.*

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Johannis Apostoli ([a] *I cap II*).

℟. Deo gratias.

Scribo vobis filioli. Quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. Scribo vobis patres: quoniam cognovistis eum qui ab initio est. Scribo vobis juvenes: quoniam vicistis malignum. Scribo vobis infantes: quoniam cognovistis patrem. Scribo vobis adolescentes: quia fortes estis: et verbum Dei in vobis manet et vicistis malignum. Nolite diligere mundum: nec ea que in mundo sunt. Si quis diligit mundum: non est charitas patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo: concupiscentia carnis: et concupiscentia oculorum est: et superbia vite: que non est ex patre: sed ex hoc mundo est. Et mundus transit et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum: [b] quomodo Deus manet in æternum.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([c] *Cap. XXVI*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus: dixit discipulis suis. Scitis quia post biduum pascha fiet: et filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes Sacerdotum: et seniores populi in atrium principis Sacerdotum: qui dicebatur Cayphas: et consilium fecerunt: ut Jesum dolo tenerent: et occiderent. Dicebant autem. Non in die festo: ne forte tumultus fieret in populo. Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi: accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti preciosi: et effudit super caput ejus recumbente ipso. Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes. Ut quid perditio hec! potuit enim hoc venundari multo et dari pauperibus? **156** Sciens autem Jesus ait illis: quid molesti estis [d] mulieri? Opus bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis. Mittens autem in corpus meum: ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis: ubicumque predicatum fuerit evangelium hoc in toto mundo: dicetur et quod hoc fecit in memoriam ejus. Tunc abiit unus de duodecim qui dicitur Judas Scarioth ad principes Sacerdotum: et ait illis. Quid vultis mihi dare et ego vobis illum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde querebat opportunitatem: ut eum traderet. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Lauda.* Diligam te Domine fortitudo mea. ℣. Domine firmamentum meum et refugium meum et liberator meus.

[f] *Sacrificium.* Ingressus Dominus Jesus in domum: discubuit: et ecce mulier habens alabastrum unguenti preciosi stans retro secus pedes ejus: et osculabatur eos: et lachrimis suis rigans: et capillis suis extergebat eos: et ungebat unguento. [g] ℣. Quod cum vidissent qui cum eo erant: dicebant intra se. Hic si propheta esset: sciret mulierem que tangit eum: quia peccatrix est. Sciens Dominus cogitationes eorum dixit ad eos: quid molesti estis mulieri? quia bonum opus operata est in me: propter quod dico vobis remissa sunt ei peccata multa: quia dilexit multum. *P.* Et ungebat unguento.

Missa. Accessuri in crastinum dilectissimi fratres ad Dominicam cenam hodie faciem Domini Jesu ac redemptoris nostri preveniamus in confessione cum omni fiducia. Petentes ab illo cum lachrimis: ut expiatos nos ab omnibus criminibus nostris: faciat in crastinum accedere ad calicem sue sacratissime passionis. ℟. Amen.

Alia oratio. Non nos abjicias Jesu bone in crastinum: per inveterate vestis abjectionem a convivio mense tue. Hodie dona nobis nuptialis dignitatis vestimentum: quo cras leti accedamus ad tue passionis epulum preparatum. Hodie sit in nobis vera confessio: et cras peccatorum celerrima subsequatur remissio. Hodie accipe vota: cras votorum tribue premia. Hodie nos propina gustu tue dulcedinis: et in crastinum attribue plenitudinem charitatis. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Conditor et redemptor humani generis Christe filius Dei Patris concede nobis famulis tuis: ut hodie tam viventibus quam defunctis criminum donetur remissio: qualiter cras omnibus in commune sit exaltationis omnimoda plenitudo.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Prepara nos tibi Salvator noster ac Domine per pacis bonum hostiam vivam: ut qui in crastinum sumpturi sumus dominicam cenam: nulla ad invicem convellamur discordia: sed fructu pleni tue dilectionis: sumamus in crastinum flumina charitatis: que profluentia decurrunt e visceribus tuis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est: nos tibi semper gratias agere Domine sancte pater eterne omnipotens Deus: per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui pati pro impiis voluit: et pro sceleratis indebite condemnari. Qui latroni deprecanti omisit delictum: promittens ei voluntate gratissima paradisum. Cujus mors delicta nostra detersit: et resurrectio justificationem nobis exibuit. Ob hoc te Deus noster exposcimus: ut hodie dimittas nobis peccata nostra: et cras reficias nos dulcedine tua. Hodie nostrorum peccaminum confessione accepta: et cras donorum spiritualium tribue incrementa. Hodie quicquid odis a nostris corporibus abjice: et cras nos refice vulneribus crucis tue. Hodie os nostrum reple gaudio: et lingua nostra exultatieri.

[a] *Cap. II.* Vers. 12-18.

[b] *Quomodo Deus.* Sanctus Augustinus, *sicut ipse manet in æternum,* sed in Vulgata et in Græco deficiunt.

[c] *Cap. XXVI.* Vers. 2-17.

[d] *Mulieri.* Ita in Græco. Vulgata legit *huic mu-*

[e] *Lauda.* Ps. XVII, 2, 3.

[f] *Sacrificium.* Luc. VII, 37, 38.

[g] ℣. Luc. VII, 39. Matth. XXVI, 10; Luc. VII, 47.

tione : qualiter nunc et usque in seculum laudemus A te piissimum Salvatorem proclamantes : atque ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere gloriosus et pius : Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui suam pro nobis posuit animam : et tribuit mundo novam per effusionem sui sanguinis vitam. Ipsi ergo hodie humiliatum 157 cor in laudis sacrificium immolamus : petentes ab eo : ut hodie vel cras seu cunctis vite nostre diebus : ablutis criminibus : calicem supplicii sui expiati bibere mereamur. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Sanctifica summe Deus hec libamina : que tibi offerimus mente devota. Ut hodie perceptione sui sumentibus exhibeant omnium criminum expiationem : et cras mundatis cordibus B preparent exundantem tue dulcedinis ubertatem. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Ant. Tu Domine das escam nobis in tempore opportuno : aperi manum tuam : et imple omnem animam benedictione.

Ad orationem Dominicam.

Jesu redemptor piissime cura vulnera nostra stigmate crucis tue. Hodie nos oratio quam ipse docuisti reddat idoneos : et cras passio tua efficiat in tue mortis unione connexos. Hodie bone Christe exaudi nos e celis : [a] cum ea que nos docuisti proclamaverimus e terris. Pater noster qui es in celis. *Dicat Presb.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

C *Benedictio.* Unigenitus filius Dei Patris hodie vos sibi in vivam preparet hostiam : et cras in sui dilectione consolidet corda vestra. ℟. Amen. Hodie vos sanctificet ad perfectum : et cras merito accedere faciat ad convivium suum. ℟. Amen. Hodie [b] omittat pius peccata vestra : et cras ostendat vobis passionis sue abscondita sacramenta. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Qui venit ad me non esuriet. *Com.* Repletum est gaudium nostrum et lingua nostra.

Require retro in I. Dominico Quadragesime. folio 98.

FERIA QUINTA IN CENA DOMINI [c].

Ad missam.

Sapientie Salomonis ([d] *Cap. I, II, III*).

℟. Deo gratias.

Fili. Deus mortem non fecit : nec letatur in perditione vivorum. Creavit enim ut essent omnia et sanabiles [e] esse voluit nationes orbis terrarum. Et non est in illis medicamentum exterminii : nec inferorum regnum in terra [f] viventium. Justicia enim immortalis est : injusticia enim mortis est acquisitio. Impii autem verbis et manibus accerserunt illam : estimantes illam amicam defluxerunt. Et sponsionem posuerunt super illam : quoniam digni sunt quia sunt ex parte illius. Dixerunt apud se [g] cogitationes non recte : exiguum et cum tedio tempus vite nostre : et non est refrigerium in fine hominis : et non est qui agnitus sit reversus ab inferis. Venite ergo et fruamur bonis que sunt : et utamur creatura : tanquam in juventute celeriter. Circumveniamus ergo justum : quoniam inutilis est nobis et contrarius operibus nostris : et improperat nobis peccata legis : et diffamat in nos peccata discipline nostre. Promittit scientiam Dei se habere : et filium Dei se nominat. Factus est nobis [h] in contradictione cogitationum nostrorum : gravis est nobis : etiam ad videndum. Quoniam dissimilis est aliis et vita ejus : et immutate sunt vie ejus : tanquam nugaces estimati sumus ab illo : et abstinet se a viis nostris : tanquam ab immunditiis. Et profert novissima justorum : et gloriatur patrem Deum se habere. Videamus si sermones ejus veri sunt : et tentemus que ventura sunt illi : et sciemus que erunt novissima illius. Si enim verus est filius Dei : suscipiet illum : et liberabit eum de manu contrariorum. Contumelia et tormento interrogemus eum :

[a] *Cum ea.* Lege *cum ea, quam nos docuisti,* oratione, *proclamaverimus.*

[b] *Omittat.* Lege *Demittat.*

[c] *In cœna Domini.* Ita inscribitur Orationali Gothico (*Pag.* 97), Lectionario Luxoviensi, Missali Gallo-Gothico, Gallicano, Sacramentario Bobiano, et Lectionario Ambrosiano Em. Thomasii, sed Breviario Mozarabum, capitularibus Evangeliorum Georgii et Sacramentario Gelasiano Thomasii simpliciter inscribitur *feria quinta.* Ante medium sæculi v denominabatur *natalis calicis,* ut ex calendario apud Holland, tom. VII Junii, pag. 178, habemus. Rationem reddit sanctus Eligius Noviomensis, aut alius, ejus sub nomine (*Bib. Patr. Colon. tom. VII*), editus (*Hom.* 10, *de cœna Domini*), ubi hæc habet : *Vocatur enim hæc dies cœna Domini; vocatur et natalis calicis, et merito, quia hac die mysticum pascha Dominus cum discipulis suis celebrans, sacramenta corporis et sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, et ipse celebrationis initium fecit.* In aliquibus locis olim, hac die, jejunium quadragesimale solvebant causa solemnitatis, et in aliis, quia feria quinta omnino non jejunabant (*Atto Vercellens., Capitular., cap.* 70; *S. Augustinus, epist.* 54, *ad Januarium*). Priscillianistæ, in contemptum dominicæ passionis, non modo, hac die, solvebant jejunium Quadragesimæ, sed missas defunctorum celebrabant. Hos concilium Bracarense (*Can.* 16) repressit, statuens : *Si quis, feria paschali, quæ est cœna Domini, hora legitima, post nonam jejunus in ecclesia missas non tenet, sed secundum sectam Priscilliani festivitatem diei, ab hora tertia, per missas* D *defunctorum, soluto jejunio, colit, anathema sit.* Ad hunc abusum ex Hispania penitus exterminandum in Codice canonum Ecclesiæ Gotho-Hispanæ (*Lib.* IV, *tit.* XIX) nonnulla leguntur conciliorum decreta. Jam vero ex sancto Isidoro (*Off. lib.* I, *cap.* 27) hac die conficiebatur sanctum chrisma, episcopus pedes subditorum suorum lavabat, altaria, vasa sacra, templorum pavimenta et parietes lavabantur. Ostia baptisterii ex decreto Concilii XVII Toletani (*Can.* 2) aperiebantur, missa quoque post nonam, in qua fideles omnes communicabant, celebrabatur.

[d] *Cap. I.* Vers. 1-IV, 1-15. Est autem prophetia centonis instar ex fragmentis horum quatuor capitum consuta.

[e] *Esse voluit.* Vulg., *fecit.*

[f] *Viventium.* Deest Vulgatæ.

[g] *Cogitationes.* Lege *cogitantes.*

[h] *In contradictionem.* Vulg., *in traductionem.* LXX, *in redargutionem.*

et sciemus reverentiam illius : et probemus patientiam ipsius. Morte turpissima condemnemus eum : erit enim respectus ex sermonibus illius. Hec cogitaverunt et erraverunt : excecavit enim illos malicia ipsorum : et nescierunt sacramenta Dei. Nec mercedem speraverunt justicie : nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. Quoniam Deus creavit hominem [a] inestimabilem : et ad imaginem sue similitudinis fecit illum. Qui confidunt in illum : intelligunt veritatem : **158** et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam donum et pax est electis illius : impii autem secundum quod cogitaverunt : correptionem habebunt. Qui neglexerunt justum : et a Domino recesserunt. Mulieres eorum insensate sunt : et nequissimi illorum filii : maledicta creatura eorum. Ex iniquis autem omnes filii qui nascuntur : testes sunt nequicie adversus parentes in interrogatione sua. Placens Deo factus est dilectus : et vivens inter peccatores translatus est. Populi autem videntes : et non intelligentes nec ponentes in precordiis suis talia. Quoniam misericordia Dei et gratia in sanctos illius : et respectus in electos ipsius. ℟. Amen.

Lectio Libri Hieremie Prophete ([b] *Cap. XI. XII*).

℟. Deo gratias

Hec dicit Dominus. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sancte auferent a te malicias tuas : in quibus gloriata es? Olivam. Uberem. Pulchram. Fructiferam. Speciosam [c] vocabit Dominus nomen tuum. Ad vocem loquele grandis exarsit ignis in ea : et combusta sunt fructeta ejus. Et Dominus exercituum qui plantavit te : et locutus est super te malum pro malis domus Israel : et domus Juda : que fecerunt sibi [d] ad invitandum me : libantes Baalim. Tu autem Domine demonstrasti mihi : et ego cognovi. [e] Nunc ostendisti mihi studia eorum : [f] et salvam fecisti a persequentibus animam meam. Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam : et [g] nunc cognovi quia super me cogitaverunt consilia. Dixerunt : venite mittamus lignum in panem ejus : et eradamus eum de terra viventium : et nomen ejus non memorabitur amplius. Tu autem Domine Sabaoth qui judicas juste et probas renes et corda. Videam ultionem tuam ex eis. Tibi enim revelavi causam meam. Propterea hec dicit Dominus [h] ad viros qui querunt animam tuam : et dicunt : non prophetabis in nomine Domini : et non morieris in manibus nostris. Propterea hec dicit Dominus exercituum. Ecce ego visitabo super eos : et juvenes eorum morientur gladio : et filii et filie illorum morientur in fame : et reliquie non erunt ex eis. Inducam enim malum super viros illos et annum visitationis ejus. Justus quidem tu es Domine : si disputem tecum. Veruntamen juste loquar ad te. Quare via impiorum prospera facta est : bene est omnibus qui prevaricantur : et inique agunt? Plantasti eos et radicem miserunt : proficiunt et faciunt fructum. Prope es tu ori eorum : et longe a renibus eorum. Et tu Domine nosti me : et vidisti me : et probasti cor meum. Congrega eos quasi gregem ad victimam : et sanctifica eos in die occisionis. Usquequo lugebit terra : et herba omnis regionis siccabitur : propter maliciam habitantium in ea? Consumptum est animal : et volucre : quoniam dixerunt : non videbit novissima nostra. Si cum peditibus currens laborasti : quomodo contendere poteris cum equis? Cum autem in terra pacis [i] secura non fueris : quid facies in superbia Jordanis? Nam et fratres tui et domus patris tui etiam ipsi pugnaverunt adversum te : clamaverunt post te plena voce. Ne credas eis cum locuti fuerint tibi bonum. Reliqui domum meam. Dimisi hereditatem meam. Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem suam : ideo odivi eam. Numquid avis discolor hereditas mea mihi? Numquid avis distincta per totum? Venite congregamini omnes bestie terre : properate ad devorandum. [j] Peccatum Juda scriptum est in stilo ferreo : in ungue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum. Pastores multi demoliti sunt vineam meam : conculcaverunt partem meam : dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. Posuerunt eam in dissipationem luxitque super me. Desolatione desolata est omnis terra : quia nullus qui recogitet corde. Super omnes vias deserti venerunt vastatores : quia gladius Domini devorabit ab extremo terre usque ad extremum ejus. Non est pax universe carni dicit Dominus omnipotens.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[k] **159** *Psallendo.* Dominus regit me : et nihil mihi deerit : in loco pascue ibi me conlocavit. ℣. Super aquam refectionis educavit me : animam meam ibi convertit. ℣. Deduxit me super semitam justicie propter nomen suum. ℣. Nam etsi ambulavero in medio umbre mortis : non timebo mala : quoniam tu mecum es. ℣. Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt ℣. Parasti in conspectu meo mensam : adversus eos qui tribulant me. ℣. Impinguasti in oleo caput meum : et calix meus inebrians : quam preclarus est. ℣ Et misericordia tua subsequatur me : omnibus

[a] *Inestimabilem.* Vulg., *inexterminabilem.*

[b] *Cap. XI.* Vers. 15-XII, 1-13. Sed capite XII, post versiculum nonum, inseritur versiculus primus capitis XVII : *Peccatum Juda*, etc: In Lectionario Luxoviensi deficiunt legenda in missa cœnæ Domini. In Sacramentario Bobiano deficit prophetia. Hæc nostra prophetia ex Isaia, in Lectionario Luxoviensi legitur feria 6 in Parasceve *ad tertiam*, sed minus prolixa est quam in nostro Missali.

[c] *Vocabit.* Lege *vocavit.*

[d] *Ad invitandum.* Lege *ad irritandum.*

[e] *Nunc.* Vulg., *tunc.*

[f] *Et salvam fecisti a persequentibus animam meam.* In Vulg. et Gr. non legitur.

[g] *Nunc cognovi.* Vulg. et LXX, *et non cognovi.*

[h] *Ad viros.* Addunt Vulg. et LXX, *Anatoth.*

[i] *Secura non fueris.* Vulg., *securus fueris.* LXX, *in terra pacis tu confidisti.*

[j] *Peccatum Juda.* Jerem. XVII, 1.

[k] *Psallendo.* Ps. XXII, 1-7.

diebus vite mee. Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

Dicat Presbyter. Silentium facite.

Sequentia Epistole beati Pauli Apostoli ad Corinthios (*I*, [a] *Cap. XI*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Convenientibus ergo vobis in unum jam non est Dominicam cenam manducare. Unusquisque enim suam cenam presumit ad manducandum. Et alius quidem esurit : alius quidem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum : et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis . et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos : in hoc non laudo. Ego enim accepi a Domino : quod et tradidi vobis. Quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem et gratias agens : fregit et dixit. Accipite et manducate : hoc est corpus meum : quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cenavit dicens. Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite quotiescunque [b] biberitis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducaveritis panem hunc : et calicem istum biberitis : mortem Domini annunciabitis : donec veniat [c] in claritatem de celis. Itaque quicunque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne : reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se homo : et sic de pane illo edat : et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne : judicium sibi manducat et bibit : non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles : et dormiunt multi. Quodsi nosmetipsos judicaremus : non utique judicaremur. Dum judicamur autem a Domino corripimur : ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque fratres mei dum convenitis ad manducandum : invicem exspectate. Siquis esurit : domi manducet : ut non in judicium conveniatis. Cetera autem cum venero : disponam vobis.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([d] *Ca. XXII*).

In diebus illis : Venit [e] dies pasche : in quo oportebat immolari pascha. Et misit Jesus duos ex discipulis suis : Petrum et Johannem : dicens eis. Euntes parate nobis pascha : ut manducemus. Et illi dixerunt ei. Ubi vis paremus? Dixit autem ad eos. Ecce introeuntibus vobis in civitatem : occurret vobis homo amphoram aque portans. sequimini eum in domum [f] qua introierit. [g] Et ingressi januam : dicite patrifamilias domus. Dicit tibi Magister. Tempus meum [h] in proximo est : apud te facio pascha. Ubi est ergo diversorium : ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis ostendet cenaculum grande stratum : ibi parate nobis. Euntes autem discipuli : venerunt in civitatem : et invenerunt sicut dixerat illis Jesus : et paraverunt pascha. Vespere autem facto discubuit Jesus et duodecim Apostoli cum eo . et ait illis. Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico autem vobis : quia ex hoc non manducabo illud : donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit et dixit. Accipite et dividite inter vos. Dico autem vobis : quod non bibam de generatione vitis usque in diem illum : quo illud bibam vobiscum novum in regno patris mei. Acceptoque pane gratias agens dedit eis dicens. Hoc est corpus meum : quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter postquam cenavit accipiens calicem : **160** gratias egit et dedit illis dicens. Hic est calix novum testamentum in sanguine meo : qui pro vobis : et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Sciens vero quoniam venit hora ejus : ut transiret de hoc mundo ad patrem. Cum dilexisset suos : qui erant in hoc mundo : usque in finem dilexit eos. Et cum sciret quia omnia dedit ei pater in manus : et quia a Deo exivit : et ad Deum vadit : surgit a cena : et ponit vestimenta sua. Et cum accepisset linteum precinxit se. Deinde misit aquam in pelvim : et cepit lavare pedes discipulorum : et extergere linteo quo erat precinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum : et dicit ei Petrus. Domine tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus ; et dixit ei. Quod ergo facio : tu nescis modo : scies autem postea. Dicit ei Petrus. Non lavabis mihi pedes in eternum. Respondit ei Jesus. Si non lavero te : non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus. Domine non tantum pedes : sed manus et caput. Dicit ei Jesus. Qui lotus est : [i] non indiget lavari : sed est mundus totus. Et vos mundi estis : sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit : non estis mundi omnes. Postquam ergo lavit pedes eorum : accepit vestimenta sua. Et cum recubuisset iterum dixit eis. Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister et Domine : et benedicitis. Sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister vester : et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis : ut quemadmodum ego feci vobis ; ita et vos faciatis. Amen amen dico vobis non est servus major Domino suo : neque Apostolus major eo qui misit eum. Si hoc scitis beati eritis : si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico. Ego enim scio

[a] *Cap. XI*. Vers. 20-34. In Sacramentario Bobiano Epistola est eadem, I Cor. XI, 20-27. In vetusto Lectionario Ambrosiano em. Thomasii Epistola est I Cor. XI, 23.

[b] *Biberitis*. Vulg. et Gr., *bibetis*.

[c] *In claritatem de cœlis*. Nec in Vulg. nec in Græco, et vix alibi invenitur.

[d] *Cap. XXII*. Hoc Evangelium complectitur historiam passionis Christi ab initio usque ad negationem et fletum sancti Petri contextam ex verbis omnium evangelistarum.

[e] *Dies Paschæ*. Vulg., *dies azymorum*. At Codd. Vercellensis et Veronensis, *dies Paschæ* legunt.

[f] *Qua*. Ita Cod. Vercellen., sed Codd. Veron., Brixian. et Vulg., *in quam intrat*, Lucæ XXII, 10.

[g] *Et ingressi januam*. In Vulg. et Gr. non legitur.

[h] *In proximo est*. Vulg. et Gr., *prope est*. Matth. XXVI, 18.

[i] *Non indiget lavari*. Cod. sancti Gratiani Turonen. : *Non indiget ut lavet sed est...* Vulg. et Gr. : *Non indiget nisi ut pedes lavet*. Joan. XIII, 10.

quos elegerim : sed ut impleatur scriptura. Qui manducat mecum panem : levabit contra me calcaneum suum. Amodo dico vobis : antequam fiat : ut credatis cum factum fuerit : quia ego sum. Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa : et filius quidem hominis secundum quod deffinitum est vadit. Ve autem homini illi : per quem filius hominis tradetur : bonum erat ei : si natus non fuisset homo ille. Amen amen dico vobis : quia unus ex vobis tradet me. Et contristati sunt discipuli. Aspiciebant autem ad invicem hesitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu quem [a] diligébat valde. Innuit ergo huic Simon Petrus : et dicit ei. Quis est de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu dicit ei. Domine : quis est? Respondit Jesus : ille est : cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem : dedit Jude Simonis Scariothis. Et post bucellam : introivit in illum Sathanas. Et dicit ei Jesus. Quod facis : fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium : ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant : quia loculos habebat Judas : eo quod diceret ei Jesus : eme ea que opus sunt nobis ad diem festum : aut ut egenis aliquid daret. Respondit autem Judas qui tradidit eum dicens. Nunquid ego sum Rabbi? Dixit ei Jesus. Tu dixisti. Et cum accepisset bucellam : exivit continuo. Erat autem nox. Cum ergo exisset : surrexit Jesus a cena cum discipulis suis : et hymno dicto exierunt in montem Oliveti : et ait illis Jesus. Omnes vos scandalum patiemini hac nocte in me. Scriptum est enim. Percutiam pastorem : et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero : precedam vos in Galileam. Respondit Petrus : et ait illi. Etsi omnes scandalizati fuerint in te : ego autem numquam scandalizabor. Nam paratus sum et in custodiam : et in mortem ire : et animam meam pro te ponere. Respondit ei Jesus. Animam tuam pro me pones? Amen dico tibi quoniam hac nocte antequam gallus cantet : ter me negabis. At ille abundantius loquebatur dicens. Etiam si oportuerit me mori tecum : non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. Tunc venit Jesus cum eis in villam que dicitur Gethsemani : et dixit discipulis suis. Sedete hic donec vadam illuc et orem. Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedei : cepit contristari et mestus esse. Tunc ait illis : Tristis est **161** anima mea usque ad mortem. Sustinete hic : et vigilate. Ipse vero discessit ab eis : quantum lapidis jactus. Et ponens genua sua : procidit in faciem super terram : orans et dicens. Pater : omnia possibilia tibi sunt : si vis transfer calicem hunc a me. Verumtamen non sicut ego volo : sed sicut tu vis. Et venit ad discipulos suos : et invenit eos dormientes. Et ait Petro. Simon dormis? Sic non potuisti una hora vigilare mecum? Vigilate et orate : ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus : caro autem infirma. Iterum secundo abiit : et oravit dicens. Pater mi : si non potest calix iste

A transire nisi bibam illum : fiat voluntas tua. Exsurgens ab oratione venit ad discipulos suos : et invenit eos dormientes pre tristicia. Erant autem oculi eorum gravati : et nesciebant quid ei responderent. Et relictis illis : iterum abiit tertio. et oravit. Sublevatisque oculis in celum dixit. Pater venit hora : clarifica filium tuum : ut filius tuus clarificet te. Apparuit autem illi Angelus de celo : confortans eum : Et factus est sudor ejus : sicut gutte sanguinis decurrentis in terram. Tunc venit ad discipulos suos : et dixit illis. Dormite jam et requiescite : ecce appropinquavit hora : et filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus : ecce appropinquavit qui me tradet. Et egressus est cum eis trans torrentem Cedron : ubi erat hortus in quem introivit ipse

B et discipuli ejus. Sciebat autem et Judas qui tradebat eum ipsum locum : quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. Judas ergo : cum accepisset cohortem : venit illuc et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus : missi a principibus Sacerdotum et senioribus populi. Dedit autem eis signum dicens. Quem osculatus fuero : ipse est tenete eum : [b] et ducite. Jesus itaque sciens omnia que ventura erant super eum : dixit eis. Quem queritis? Responderunt. Jesum Nazarenum. Dicit illis. Ego sum. Stabat autem et Judas qui eum tradebat cum illis. Ut ergo dixit : ego sum. abierunt retrorsum : et ceciderunt in terram. Iterum interrogavit eos dicens : Quem queritis? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum. Respondit Jesus. Dixi vobis : ego sum. Cum autem dixisset :

C ego sum : accessit ad eum Judas et dixit. Ave Rabbi : et osculatus est eum. Jesus autem dixit ei. Ad quid venisti amice? Juda osculo filium hominis tradis? Si me queritis : sinite hos abire : ut adimpleretur sermo quem dixit. Quia quos dedisti mihi : neminem ex ipsis perdidi. Simon itaque Petrus habens gladium eduxit eum : et percussit servum principis Sacerdotum : et amputavit auriculam ejus dextram. Dixit ergo Jesus Petro. Remitte gladium tuum in vaginam. Omnis enim qui gladio fuerit operatus : gladio peribit. An putas : quia non possum rogare patrem meum : et exhibebit mihi modo plusquam duodecim millia legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripture? quia sic oportet fieri. Et contingens auriculam servi Dominus : sanavit eam. Ait autem his

D qui ad eum venerant. Quasi ad latronem venistis cum gladiis et fustibus comprehendere me? Quotidie eram apud vos in templo docens : et non tenuistis me. Sed hec est hora vestra et potestas tenebrarum. Hoc totum factum est : ut complerentur scripture prophetarum. Cohors igitur et tribunus et ministri Judeorum comprehenderunt Jesum : et ligaverunt eum : et adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim socer Cayphe : qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Cayphas qui consilium dederat Judeis : quia expedit unum hominem mori pro populo. Tunc discipuli omnes relinquentes Jesum : fugerunt. Adolc-

[a] *Diligebat valde.* Ita Cod. Corbeien., at Vulg. legit *quem diligebat Jesus.* Joan. XIII, 23.

[b] *Et ducite.* Syr., *abducite.* Gr., *abducite tuto.* Vulg., *et ducite caute.* Marci XIV, 44.

scens autem quidam sequebatur illum : amictus sindone super nudo : et tenuerunt eum. At ille relicta sindone : nudus fugit. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus : et alius discipulus. Discipulus autem ille notus erat Pontifici : et introivit cum Jesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiit autem discipulus ille alius : qui erat notus Pontifici : et dixit ostiarie : et introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria. Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Negavit ille dicens. Non sum. **162** Stabant autem servi et ministri ad prunas : quoniam frigus erat : et calefaciebant se. Erat autem cum eis et Petrus stans : et calefaciens se. Princeps igitur Sacerdotum : interrogavit Jesum de discipulis suis : et de doctrina ejus. Respondit Jesus. Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in sinagoga et in templo : in quo omnes Judei conveniunt : et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt : quid locutus sum eis. Ecce sciunt hi que dixerim ego. Hec autem cum dixisset : unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu : dicens. Sic respondes Pontifici? Respondit illi Jesus. Si male locutus sum : testimonium perhibe de malo. Si autem bene : quid me cedis? [a] Misit ergo illum vinctum : ubi scribe et pharisei convenerant. Petrus autem sequebatur a longe : usque in atrium principis Sacerdotum. Et ingressus intus : sedebat cum ministris : ut videret finem rei. Summi vero Sacerdotes et omne consilium : querebant adversus Jesum testimonium : ut eum morti traderent : nec inveniebant. Multi falsum testimonium dicebant adversus eum : et convenientia testimonia non erant. Novissime autem venerunt duo falsi testes : et dixerunt. Nos audivimus eum dicentem. Ego dissolvam templum manufactum : et per triduum non manufactum edificabo. Et non erat conveniens testimonium illorum. Exurgens autem summus Sacerdos in medio : dixit ad Jesum. Non respondes quicquam ad ea : que tibi objiciuntur ab his? Ille autem tacebat : et nihil respondit. Dixitque ei summus Sacerdos. Adjuro te per Deum vivum : ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei? Dixit illi Jesus : Tu dixisti. Verumtamen dico vobis : amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei : et venientem in nubibus celi. Tunc summus Sacerdos scindens vestimenta sua : ait. Quid adhuc desideramus testes? Ecce nunc audistis blasphemiam : Quid vobis videtur? At illi dixerunt. Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem ejus : et colaphis eum ceciderunt. Et velantes faciem : alapis eum cedebant : et dicebant. Prophetiza nobis Christe : quis est : qui te percussit? Et multa alia blasphemantes dicebant in eum. Erat autem Petrus in atrio deorsum. Qui adstabant autem : dixerunt ei. Et tu ex discipulis ejus es : nam et loquela tua manifestum te facit. Iterum negavit ille cum juramento dicens. Nec vidi eum. Et intervallo facto quasi hore unius : dicit unus ex servis principis Sacerdotum : cognatus illius cujus absciderat Petrus auriculam. Nonne ego te vidi in horto cum illo? Tunc Petrus cepit detestari : et jurare : quia non novisset hominem. Et statim gallus cantavit. Conversus autem Jesus : respexit Petrum. Et quia dixerat ei : priusquam gallus cantet : ter me negabis. Egressus foras Petrus : flevit amare. Et recordatus est verbi Domini : quod locutus fuerat ad eum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Lauda.* Deus laudem meam ne tacueris : quia os [c] impii et os dolosi contra me apertum est. II. [d] Locutus fuit de me verba mendacii : verbis odii circumdederunt me : et expugnaverunt me gratis. III. Pro eo [e] quia eos diligebam adversabantur : ego autem orabam [f] pro eis. IV. Posuerunt adversum me mala pro bonis : et odium pro delectione mea. V. Constitue super eum [g] diabolum : et sathan stet a dextris ejus. VI. Cum judicatur exeat condemnatus : et oratio ejus fiat in peccatum. VII. Tu autem Domine fac mecum [h] misericordiam propter nomen tuum : quia suavis est misericordia tua libera me.

Et statim Sacerdos Missam celebrans accipiat duas hostias : unam de qua communicet : et aliam ad reservandum in monumento in crastinum : et accipiat vinum et aquam et offerat sicut mos est. Deinde faciat alias cerimonias que fieri solent in aliis diebus. Quibus factis inclinet se Sacerdos junctis manibus et dicat. Adjuvate me fratres in orationibus vestris : et orate pro me ad Deum.

Chorus respondeat. Adjuvet te Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Postea dicat Chorus.

163 [i] *Sacrificium.* Edificavit Moyses altare sub monte ex duodecim lapidibus : et misit de filiis Israel et obtulerunt holocaustomata : et immolaverunt hostias pacificas Deo. ℣. Dixit Dominus ad Moysen : ecce ego veniam ad te in columna nubis : ut audiat populus loquentem me ad te : et credat tibi in sempiternum. Descende nunc testare populo : purifica illos hodie : et cras lavent vestimenta sua : et sint parati in diem tertium : tertia autem die descendet Dominus in monte Syna coram omni populo. Descendens Moyses ad populum purificavit illos. *P.* Et immolaverunt hostias.

[a] *Misit ergo illum vinctum.* Hoc loco quædam verba deficiunt. Cod. Vercel. legit : *Misit ergo illum Anna vinctum ad Caiphan principem sacerdotum.* Vulgata : *Misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.* Joan. XVIII, 24. Illud autem, *ubi Scribæ et Pharisæi convenerant*, est ex Matthæi XXVI, 57, ubi *Scribæ et seniores* legitur.

[b] *Lauda.* Ps. CVIII, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 21.

[c] *Impii.* Vulg., *peccatoris.*

[d] *Locutus fuit.* Vulg., *locuti sunt adversum me lingua dolosa, sermonibus odii*, etc.

[e] *Quia eos diligebam.* Ita translatio sancti Hieronymi. Vulgat. et LXX, *pro eo ut me diligerent.*

[f] *Pro eis.* In Vulg., LXX et Hieron. non legitur.

[g] *Diabolum.* Vulg., LXX : *Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus.*

[h] *Misericordiam.* In Vulg., LXX et Hieron., deficit.

[i] *Sacrificium.* Exod. XXIV, 4. ℣. Ibid., XIX, 9-14, omisso 13.

Missa. Diligamus et sequamur fratres charissimi justitiam sempiternam : manducare cupientes dominicam cenam. Veniente enim patrefamilias : in exteriores tenebras reprobatus conviva projicitur : et sine nuptiali veste repertus damnatur. Nemo pravis cogitationibus sordidatus adveniat : nemo sacramenta celestia simulator accipiat. Imitemur potius patientiam Salvatoris : a quo sic videmus toleratam esse fraudulentiam traditoris : ut maligna cogitantem : rerum omnium prescius Dominus Jesus Christus secum cenare permitteret : nec sanctificato pane fraudaret. Imitemur ejus humilitatem : qui discipulorum pedes humiliter lavit. Imitemur bonitatem ejus : qui neganti Petro fructuosas lachrymas donavit. Caveamus inquietos fratres corporaliter declinare : et charitatem humilitatemque omnibus delectemur simpliciter exhibere. Sacrificium penitentie jejunantes orantesque solvamus : ut securi semper ad celeste convivium festinemus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Alia oratio. Occurrentes Domine cum cetu totius populi : ut [a] solenne pascha celebremus initium nos propiciatus attende : supplicantes humiliter et orantes : ut qui ab hujusmodi operibus fatigati : et corporis amictu sordentes : ad tuam sacratissimam convenimus cenam : expurgatos nos ab omni cibo malicie in novam convertas prosapiam. Ut cum tua gratia : et victu terreno : et celesti pane mereamur in tuo saturari convivio. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Pietatis tue Christe Domine rogamus clementiam : ut hec ad altare tuum nomina recitata : liber vite contineat : fiatque hoc ceno tue sacrificium defunctis ad requiem : et viventibus ad salutem. ℟. Amen. Quia tu es vita vivorum etc.

Ad pacem. Oratio. Pax nostra omnipotens Christe sincere nobis osculum pacis attribue : ut non cum Juda proditore rei : sed tue mereamur pacis haberi discipuli. ℟. Amen. Quia tu es vera pax nostra etc.

Et Sacerdos dicat omnia alia ut in aliis diebus usque ad gratia Dei Patris omnipotentis. *Et chorus respondeat.* Pacem meam do vobis. *Et* [b] *non detur pax nec Presbyter accipiat.*

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi Domine sancte pater omnipotens gratias agere : et Jesu Christo filio tuo. Cujus nos humanitas colligit : humilitas erigit : traditio solvit : pena redimit : crux salvificat. Sanguis emaculat : caro saginat. Qui se ipsum pro nobis hodie tradidit : et culpe nostre vincula relaxavit. Qui ad commendandam fidelibus bonitatis sue : humilitatisque magnificentiam : etiam traditoris A sui non dedignatus est pedes abluere : cujus jam manus previdebat in scelere. Sed quid mirum : si dum ministerium forme servilis voluntarie morti vicinus adimplet : posuit vestimenta sua : qui cum in forma Dei esset : semetipsum exinanivit. Quid mirum si precinxit se [c] linteo : qui formam servi accipiens : habitu est inventus ut homo? Quid mirum si misit aquam in pelvim : unde lavaret pedes discipulorum : **164** qui in terra sanguinem suum fudit : quo immundicias dilueret peccatorum : Quid mirum si linteo quo erat precinctus : pedes quos laverat tersit : qui [d] carne qua erat indutus evangelistarum vestigia confirmavit. Et linteo quidem ut se precingeret : posuit vestimenta que habebat : ut autem formam servi acciperet : quando semetipsum exinanivit : non B quod habebat deposuit : sed quod non habebat accepit. Crucifigendus sane suis expoliatus est vestimentis : et mortuus involutus est linteis : et tota illa ejus passio credentium est facta purgatio. Passurus igitur exitia : premisit obsequia. Non solum eis pro quibus subiturus venerat mortem : sed etiam illi qui fuerat eum traditurus ad mortem. Tanta quippe est humane humilitatis utilitas : ut eam suo commendaret exemplo divina sublimitas. Quia homo superbus in æternum periret : nisi illum Deus humilis inveniret. Ut qui periret superbia deceptoris : salvaretur humilitate piissimi redemptoris. Cui merito omnes angeli et archangeli non cessant clamare quotidie : una voce dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Do- C minus noster Jesus Christus filius tuus. Qui traditus ac mortuus est pro peccatis nostris : et resurrexit propter justificationem nostram. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Predicamus Domine : [e] nec tacemus pro nostra redemptione traditum : mortuum : et sepultum : ad celos ascendisse post transitum : et ad judicandum in fine venturum. Unde petimus ut hec oblata sanctifices : et sumentium pectora propiciatus emacules.

℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Dominus Jesus misit discipulos suos et dixit ad eos. Euntes parate nobis pascha : ut manducemus ; quia desiderio de- D sideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. II. Cenantibus autem illis : accepit Jesus panem et benedixit : deditque discipulis suis et dixit : accipite et comedite. *P.* Desiderio etc. ℣. Accepit et calicem postquam cenavit : deditque discipulis suis et dixit. Accipite ex hoc omnes ; hic est enim sanguis meus novi testamenti : qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum : non bibam amodo cum illud dicam vobiscum novum in

[a] *Solemne Paschæ initium.* Ita enim feriam hanc quintam appellabant. Missale Gallo-Gothicum : Inchoandæ *Paschæ solemnitatem.* Sacramentarium Bobianum : *Da, quæsumus, plenius atque perfectius omnia festi paschalis introire mysteria.* Eadem verbatim in Sacramentario Gelasiano leguntur.

[b] *Non detur pax.* Hæc rubrica e Missali Toletano desumpta ritibus Mozarabicis satis male aptatur.

[c] *Linteo.* Eadem leguntur in immolatione missæ Missalis Gallo-Gothici.

[d] *Carne.* Eadem in Missali Gallo-Gothico verbatim leguntur.

[e] *Nec.* Fortasse : *Nec tacemus te pro nobis*, etc.

regno patris mei. *P.* Quia desiderio desideravi.

Ad Orationem Dominicam.

Oratio. Cogitationes et delicta nostra cernentes: non cruentas tibi Domine victimas immolamus: sed supplicibus votis tibi sempiterni Sacerdotis corpus offerimus. Memorare itaque Domine; [a] quod pro nobis pertulerit: quia peccata nostra portavit. Indue ergo nos justicie stola: ut in cena tua sine veste nuptiali nullus accumbat; gaudiisque celestibus novi testamenti convivium floreat. Procul absit dolus; quo deceptus est malus ille discipulus. Sit in omnibus fides vera: spes certa: et charitas pura. Ut spiritualibus sacramentis non dannetur conscientia: sed per pacis charitatisque tue dulcedinem ab omnibus emundati vitiis: ad te proclamemus e terris. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Christus Dominus qui pro salute omnium se tradi permisit; ipse vos sue gratie dono locupletet. ℟. Amen. Et qui per bucellam panis suum prodidit traditorem: ipse vos sui panis perceptione sibimet faciat complacere. ℟. Amen. Quique discipulorum pedes eluere dignatus est hodie; ipse vos ab omnibus delictis emaculet: et cetui discipulorum associet. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri: qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen.

Ad accedentes. Antiphona. Memor esto nostri Christe in regno tuo: et dignos fac nos de resurrectione tua. ℣. Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum: antequam patiar. ℣. Euntes parate nobis pascha ut manducemus. *P.* Antequam patiar. ℣. Ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo amphoram aque **165** portans: sequimini eum in domum in qua introierit. et ingressi januam: dicite patrifamilias domus. *P.* Quia desiderio. ℣. Dicit tibi magister: tempus meum in proximo est: ubi est ergo diversorium ubi pascha cum discipulis meis manducem. *P.* Antequam patiar. ℣. Et ipse vobis ostendet cenaculum grande stratum: ibi parate nobis. *P.* Antequam patiar. ℣. Euntes autem discipuli venerunt in civitatem; et invenerunt sicut dixerat illis Jesus: et paraverunt pascha. *P.* Desiderio desideravi. ℣. Vespere autem facto discubuit Jesus et duodecim Apostoli cum eo: et ait illis. *P.* Desiderio desideravi. ℣. Dico enim vobis: quia ex hoc non manducabo illud: donec impleatur in regno Dei. *P.* Desiderio. ℣. Accepit panem et benedixit ac fregit: deditque discipulis suis et ait illis. *P.* Desiderio. ℣. Accipite et manducate: hoc est corpus meum: quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. *P.* Desiderio. ℣. Similiter et calicem postquam cenavit dicens: accipite: et gratias egit: deditque illis dicens. *P.* Desiderio. ℣. Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti: qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *P.* Desiderio. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Desiderio.

Com. Repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra in exultatione.

Dicat Presbiter.

Communio Oratio. Corpus Domini Nostri Jesu Christi quod accepimus: et sanctus sanguis ejus quem potavimus: adhereat in visceribus nostris eterne omnipotens Deus: ut non veniat nobis ad judicium nec ad condennationem: sed proficiat ad salutem et ad remedium animarum nostrarum in vitam eternam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster: qui es benedictus: et vivis et omnia regis etc.

[b] *Et postquam Sacerdos communicaverit: accipiat calicem bene mundatum: et ponat intus in calicem* [c] *filiolam cum qua calix cooperitur: et reverenter accipiat corpus Christi Sacerdos: et ponat intus in calicem supradictam filiolam. Deinde accipiat aliam filiolam cum qua cooperiat calicem: et desuper ponat patenam calicis: et supra dictam patenam et calicem ponat unam* [d] *implam pulcram: que quidem impla cooperiat totum calicem. Et ponat eam super humeros: et sic honorifice deferat Eucharistiam ad monumentum cantando;* [e] Hoc corpus *totus chorus humiliter et devote precedentibus cereis et incenso coram Eucharistia: et unus puer deferat* [f] *esquillam pulsando. Et velum seu pallium super corpus Domini honorifice deportetur a quatuor vel a sex dominis de nobilioribus civitatis qui deferunt* [g] *pallium vel velum. Et sic unus de operariis Ecclesie; qui continue ab exitu chori projiciat* [h] *annovam viridem subtus pedes portantium seu deferentium corpus Domini. Et sic fiat alia die in reversione corporis Domini de monumento ad altare. Et cum perventum fuerit ad monumentum: ascendant Pontifex seu Presbyter in superpelliceis: Decanus vel ejus locum tenens Thesaurarius: vel in ejus absentia alia dignitas. Vel antiquior Canonicus ipsius Chori.*

Et posita eucharistia in monumento: Pontifex vel Presbyter debet discooperire calicem: et humiliter monstrare istis duobus dominis hostiam consecratam: et cooperto calice ut prius et positis in dicto monumento cruce et Missali mixto vel biblia et thuribulo sine pru-

[a] *Quod.* Lege *quid.*

[b] *Et postquam.* Tota hæc rubrica, quæ exstat in Missali Toletano, Mozarabica est. Nam Gotho-Hispani et Galli ante susceptos ritus Romanos, sequenti biduo nullas missas, et nequidem præsanctificatorum communionem celebrabant (*Concil. Tolet.* XVI, *can.* 8).

[c] *Filiolam.* Hoc est palla qua calix tegitur.

[d] *Implam.* Aliter *Guimpla*, et *Wimpla*, hoc loco est velum quo calix tegitur, sed aliquando velum majus est, quod humeros sacerdotis, et simul pixidem sacram, tegit cum Eucharistiam defert, et quod aliquibus in locis *superhumerale* dicitur.

[e] *Hoc corpus.* Missale Toletanum: *Hoc corpus quod pro vobis tradetur, hic calix novi testamenti est in meo sanguine, dicit Dominus, hoc facite quotiescunque sumitis in meam commemorationem.*

[f] *Esquillam.* Campanulam, quæ etiam *squilla* et *skella* dicitur.

[g] *Pallium.* Vulg., *baldachinum.*

[h] *Annovam.* In Missali Toletano *annonam* legunt, nimirum virides arborum frondes.

nis : et naveta cum incensu et campanella : et incenset cum alio thuribulo monumentum reverenter : et cum summa diligentia claudatur cum duabus clavibus et cum cera rubea sigilletur cum duobus sigillis : que sigilla et claves servent dicti duo domini : et debet esse lumen semper coram sepulchro. Sepulto Domino clausoque monumento : dum Sacerdos cum Ministris revertitur ad altare : pulsetur ad vesperos cum [a] *mastratis ligneis : et reversis ad altare : ab* [b] *Archidiacono clara voce dicetur.* [c] Pro hymno audiendo [d] locis vestris accedite. *Ac deinde stante Episcopo vel Sacerdote juxta cancellum altaris vadunt ad preparatorium : et acceptis duodecim cereis cum canolis argenteis fixis modicam moram facientes* **166** *progrediuntur sex Levites precedentes ante crucem et alii sex post crucem properantes ad altare. Dum vero circumdatum fuerit altare ab omnibus Presbyteris : ingrediuntur Levite cum cereis a parte sinistra usque ad dextram. Venientes prius ab Archidiacono crux ponenda est super mensam altaris : deinde sex Levites pariter et stans in medio Episcopus imponit hanc Antiphonam.* Quomodo ad latronem cum gladiis et fustibus venistis comprehendere me : vobiscum fui docens et non tenuistis me : unus ex vobis traditurus est me. *P.* Responderunt discipuli dicentes : numquid ego Domine? qui mecum sit manum mittit in parapside ille me traditurus est hodie. *Psalm* [e] Deus laudem meam ne tacueris. *Usque ubi dicit.* Et ejiciantur de habitationibus suis. *Reiteretur Antiphona.* Responderunt discipuli. *Iterum.* ℣. Scrutetur fenerator. *Usque ubi dicit.* Et compuncti corde morti tradidit. *Reiteretur Antiphona.* Responderunt discipuli. *Iterum.* ℣. Et dilexit maledictionem. *Usque ubi dicit.* Et tu Domine fecisti. *Iterum.* ℣. Maledicent illi et tu benedices. *Totum usque in finem. Reiteretur Antiphona.* Responderunt discipuli. *Si quis hic psalmus in quatuor clausis : et quinta* gloria *ab utrisque omnibus recitatur : et caput iterum repetitur. Et post hec dicit Episcopus vel Sacerdos orationem tantum sine patena.*

Oratio. Quas tibi Domine Jesu Christe pro cruce lachrymas? que pro sanguinis effusione suspiria vel lamenta reponamus : que premia : que vota reddamus? Ecce nunc caperis pro nobis penis cruciandus indebitis. En caperis expuendus : expueris. Flagellandus : flagellaris. Crucifigendus : crucifigeris. Deridendus : derideris. Aceto propinandus : propinaris. Consumandus : consumaris. Mirabiliter surrecturus. Parce nobis Christe Domine : parce rogamus per admirabilem sancte passionis ac resurrectionis tue virtutem. Et sicut paradisi civem reddidisti latronem : ita per crucis tue victoriam : omnem a malo liberes mundum : atque universam redimas hominum creaturam. Ut nos quos conscientiarum obscuritas postravit in luctum : resurrectionis claritas attollat in gaudium. ℟. Amen.

Alia oratio. Expia quesumus Domine nostrorum cunctas facinorum culpas : ut deposito veteris hominis indumento : per magnificentissime tue passionis exemplum : divine resurrectionis tue innovati leticia : celestibus nos sentiamus operibus inlustrari. ℟. Amen. *Postea dicit Diaconus.* Eamus cum pace. ℟. Amen.

[f] *Ad lavandos pedes.*

Post peracta hec omnia vadit Episcopus cum Presbyteris et Diaconibus vel omni clero ad atrium : et sedilia juxta consuetudinem posita : clausis ostiis et laicis omnibus foris projectis. Succingit se Episcopus linteo : et imponit albam : et presbyteri quibus pedes lavantur cantant hanc Antiphonam : Bone Magister lava me ab injusticia mea : et a peccato meo munda me. ℣. Si enim ego lavi pedes vestros Magister et Dominus : exemplum enim relinquo vobis : ut quemadmodum ego facio : et vos similiter faciatis. *P.* Bone magister lava. *Pro versibus autem littere dicantur in ordine. id est Psalmus* Beati immaculati in via. *totum. cum* Gloria Patri. *et locis competentibus Antiphona replicatur. Cui vero pedes lavantur : mox illum Episcopus cum pedes aqua laverit* [g] *osculatur : ille cui pedes lavantur similiter in caput ipsi Episcopi osculatur. Postea vero Archipresbyter succinctus linteo extergit pedes eorum : et ita ipsi alterutros sibi faciunt. Qua expleta : Abbates Presbyteri et Levite vel qui non occurrerunt aut pedibus infirmi sunt aquam manibus tantum ab Episcopo accipiunt : et ab utrisque similiter caput vel manus deosculantur. Post hec expleta : dicit Episcopus hanc orationem.*

Oratio. Unigenite Dei Patris Filius : qui pro mundi salute nostre humilitatis assumere dignatus es carnem : qui misericorditer hominem quem formaveras deceptum a persuasione diaboli : per humilitatis tue **167** gratiam ad paradisi iterum fecisti revocare januam : qui discipulorum tuorum pedes non dedignasti lavare : ut nos imitando exemplum salutare :

[a] *Mastratis.* Machina malleolis ligneis instructa, qua hisce diebus pro campana utuntur.

[b] *Archidiaconus.* Hæc rubrica in Toletano non legitur.

[c] *Pro himno.* Nimirum *Pange lingua* e Breviario petendo, quem alii Venantio Fortunato, alii Claudiano Mamerto, presbytero Viennensi, tanquam auctori tribuunt : huic opinioni favet Sirmundus in notis ad Sidonium (*Lib.* III, *epist.* 4) et pro ea citat Gennadium, ut in Cod. mss. sancti Michaelis de Tumba auctior legitur.

[d] *Locis vestris.* Viri a mulieribus segregati, plebs a magistratu, clerus a populo, pœnitentes a fidelium turba.

[e] *Deus laudem.* Ps. CVIII.

[f] *Ad lavandos.* Neque hæc rubrica exstat in Missali Toletano. Lotio pedum, feria 5 in Cœna Domini, in quibusdam Ecclesiis Hispaniæ et Galliæ vetusta consuetudine recepta fuerat, in aliis aut nunquam admissa, aut desidia episcoporum in desuetudinem abierat, quare concilium Toletanum XVII, cap. 3, præcepit ut episcopi per omnem Hispaniam et Galliam, Christi Domini exemplum secuti, feria quinta in Cœna Domini pedes suorum subditorum lavent, proposita in negligentiores pœna suspensionis a communione per duos menses. Exinde ritus lavandi pedes pauperum ubique etiam a principibus Christianis frequentari cœpit.

[g] *Et osculatur.* Hinc in concilio Aquisgranensi, anno 817, capite 24, statutum ut in Cœna Domini pedes *fratrum abbas lavet, et osculetur, et demum propria manu potum eis porrigat.*

tecum faceres conregnare. Petimus clementiam tuam omnipotens Deus : ut nostrorum deleas facinora peccatorum : quatenus abluti a delictis : mereamur sanctis effici participes in regno celorum. ℟. Amem.

[a] *Deinde prostrati omnes cum Episcopo in terram plorant modicum. Et illi similiter plorantes cum eo : sicque consurgentes : postea ad cenam conveniunt. Consumptis autem omnibus escis vel potis : accedant Presbyteri et Diachones ad Episcopum et accipiant ab eo cerea incensa : et precedunt eum usque ad cellam : et ipse manu sua Presbyteris et Diachonibus vinum ad bibendum tribuit : ac post simul omnes propriis domibus revertuntur. Eadem vero nocte nullo jam lumine perlustratur nisi coram sepulchro.*

[b] *In Parasceve* [c] *ad Nonam pro indulgentia.*

Oratio. O Sancta Crux in qua salus nostra pependit : per te introibimus ad patrem : veniam mereamur : per te apud Christum habeamus indulgentiam et veniam. ℟. Amen.

Mox autem cum Episcopus cum Presbyteris et Diachonibus decincti juxta consuetudinem ascenderint ad sedes : et Levite in ordinem suum quem supra notatum est in via sacra steterint. A Clerico incipiatur prophetia.

Lectio libri proverbiorum Sulomonis (Cap. [d] *III).*

Fili : si dormieris : salvus eris. [e] Quiescis : et suavis erit somnus tuus. Ne paveas repentino terrore . et irruentes tibi potentias impiorum. Dominus erit in latere tuo : ut custodiat pedem tuum : ne capiaris [f] a malo. ℟. Amen. *Post hec ab Archidiacono dicatur.* Erigite vos. *Deinde* [g] *salutat Episcopus dicendo.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Deinde dicat Episcopus* [h] ℣. Popule meus quid feci tibi : aut in quo contristavi te : responde mihi. Quia eduxi te de terra Egipti : parasti crucem mihi. *Respondetur a clero caput similiter per singulos versos.* ℣ Audite que Dominus loquitur : surge et contende judicium adversus montes : et audiant colles vocem tuam. *P.* Quia eduxi te. ℣. Audite montes judicium Domini et fortia fundamenta terra : quia judicium Domini cum populo suo et cum Israel altercabitur dicens. *P.* Quia eduxi te. ℣. Popule meus quid feci tibi aut in quo te contristavi : aut in quo tibi molestus fui : responde mihi. quia eduxi te de terra Egyti : et de domo servitutis liberavi te : et misi ante faciem tuam Moysen Aaron et Mariam. *P.* Parasti crucem mihi. ℣. Si affiget homo Deum : quia vos confixistis me et dixistis : in quo confiximus te : invaluerunt super me verba vestra : et confixistis me gens tota. *P.* Parasti crucem mihi. ℣. Quid dignum offeram Domino : curvabo genua Deo excelso : numquid offeram ei holocaustomata : aut vitulum anniculum numquid placari poterit Dominus in millibus arietum : aut in multis millibus hircorum pinguium. *P.* Parasti crucem mihi. ℣. Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo : fructum ventris mei pro peccato anime mee. *P.* Parasti crucem. ℣. Indicabo tibi homo quid sit bonum : aut quid Dominus querat a te ; utique facere judicium et diligere misericordiam ; et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *P.* Parasti crucem.

Lectio libri Esaye Prophete. ([h] *Cap LII, LIII*).

℟. Deo gratias.

Hec dixit Dominus. Ecce intelliget servus meus : exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi : sic [i] gloriosus erit inter viros aspectus ejus : et forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas : super ipsum continebunt Reges os suum. Quia quibus non est nunciatum de eo viderunt : et qui non audierunt :

[a] *Deinde.* Neque hæc rubrica legitur in Missali Toletano. Hinc autem discimus, episcopos Gotho-Hispanos, feria 5 in Cœna Domini, peracto divino officio, clerum ad mensam invitasse, et post cœnam poculum sua manu præbuisse presbyteris et diaconis, quem morem in monasteriis Galliæ concilium Aquisgranense citatum confirmavit.

[b] *In Parasceve.* In Orationali Gothico (*Pag.* 98) scribitur *in parasceben*, et in Lectionario Luxoviensi *in parasceven*. Sanctus Isidorus (*De off. Eccl. l.* I, *c.* 29) : *Parasceve, id est sexta Sabbati, ideo in festivitate habetur, quia eo die Christus mysterium crucis explevit.* Apud Gotho-Hispanos et Gallos nullæ hac die missæ antiquitus celebrabantur, idemque Romæ, traditione ecclesiastica, mos obtinuerat, teste Innocentio I, in epistola ad Decentium Eugubinum (*Cap.* 4). Unde in libris liturgicis Gallicanis neque orationes, neque lectiones ad missam assignantur. In quibusdam etiam Ecclesiis diem Passionis Domini, clausis basilicis, cum mœrore transigebant; in aliis autem *ab hora nona* soluto jejunio epulis indulgebant, utrumque hunc abusum concilii Toletani IV Patres sustulerunt, statuentes, can. 7, ut *feria sexta Passionis Domini omnibus prædicetur mysterium crucis*, atque ut omnis populus *Indulgentiam criminum postulet, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ resurrectionis remissis iniquitatibus suscipere mereamur, corporisque ejus et sanguinis sacramentum mundi a peccatis sumamus*; et canone octavo statuentes ut si quis, *exceptis parvulis et languentibus*, jejunium solvat *ante peractas indulgentiæ preces*, a gaudio et communione paschali repellatur. Exinde in omnibus Ecclesiis, Gothorum imperio, in Hispania et Gallia, subditis, feria sexta Passionis Domini publice pœnitentes reconciliabantur, et Passio Domini legebatur, quibus postea adjecta sunt adoratio crucis, et communio, seu missa præsanctificatorum.

[c] *Ad nonam.* In Breviario Mozarabum, *ad nonam pro Indulgentia*; in Sacramentarii Gelasiani rubrica legitur : *Hora nona procedant omnes ad ecclesiam et ponatur crux supra altare.* Et in vetusto Breviario ecclesiastici ordinis, quo monasteria quædam sæculo VIII in Gallia utebantur (*Thes. nov. Anec. tom. V, col.* 103) : *In Parasceven autem quod est feria sexta Passionis Domini hora nona colliguntur omnes in ecclesiam.* Igitur, post Concilium Toletanum IV, Gotho-Hispani, eorumque exemplo aliæ Ecclesiæ, ante nonam horam, hoc est ante horam tertiam pomeridianam, officium passionis Domini non incipiebant, quod proinde ad noctem usque, cum jejunio, protrahebant.

[d] *Cap. III.* Vers. 24-27.

[e] *Quiescis.* Lege *quiesces.*

[f] *A malo.* Sunt voces quibus finis imponebatur lectioni.

[g] *Salutat.* Gotho-Hispani hisce diebus consuetam populi salutationem *Dominus sit semper*, etc., non omittebant.

[h] *Cap. LII.* Vers. 13–LIII, 1-12. In Lectionario Luxoviensi, *ad secundam* leguntur eadem.

[i] *Gloriosus.* Vulg., *inglorius.*

contemplati sunt. [a] Domine quis credidit auditui nostro : et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo : et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei : nec decor. Et vidimus eum : et non erat aspectus : et desideravimus eum despectum : et novissimum virorum. Virum dolorum et scientem infirmitatem : et quasi absconditus vultus ejus et despectus : unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit : et dolores nostros ipse portavit. **168** Et nos putavimus eum quasi leprosum : et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras : et attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostre super eum : et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus : unusquisque in viam suam declinavit : et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrorum. Oblatus est : quia ipse voluit : et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur : et quasi agnus coram tondente se obmutescet : Et non aperiet os suum. De angustia et de judicio sublatus est : generationem autem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium. Propter scelus populi mei percussi eum : et dabit impios pro sepultura sua : et divites pro morte sua. Eo quod iniquitatem non fecerit : neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam : videbit semen longevum : et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus : videbit et saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos : et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo [b] dispersi ab eis plurimos : fortium dividet spolia. Pro eo quod tradidit mortem animam suam : et cum sceleratis deputatus est. Et ipse peccata multorum tulit : et pro transgressoribus rogavit. ℟. Amen. *Deinde ascendet cantor cum sociis ad sedes : et dicit singularis hunc prologum voce.* Pro susceptione matutina vicesimus primus in finem psalmus ipsi David. *Finito dicunt hunc psalmum tacentibus omnibus in choro duo* [c] *psallendo.* Deus Deus meus intende in me quare me dereliquisti. ℣. Longe a salute mea verba delictorum meorum. ℣. Deus meus clamabo per diem : nec exaudies : et nocte : et non ad insipientiam mihi. *Dicat* [d] *Presbiter.* Silentium facite. ℣. Ego autem sum vermis et non homo : opprobium hominum et abjectio plebis. ℣. Omnes qui videbant me subsanabant me : locuti sunt labiis et moverunt caput. ℣. Speravit in Domino eripiat eum : salvum faciat eum quoniam vult eum. *Dicat Presbiter.* Silentium facite. ℟. Quoniam tu es qui eduxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris mee. ℣. In te jactatus sum ex utero de ventre matris mee : Deus meus es tu ne discedas a me. ℣. Quoniam tribulatio est proxima : et non est qui adjuvet. *Dicat Presbiter.* Silentium facite. ℣. Circumdederunt me vituli multi : tauri pingues obsederunt me. ℣. Aperuerunt in me os suum sicut leo rapiens et rugiens. ℣. Sicut aqua effusus sum : et dispersa sunt omnia ossa mea. *Dicat Presbiter.* Silentium facite. ℣. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei. ℣. Exaruit sicut testa virtus mea : et lingua mea adhesit faucibus meis : et in pulverem mortis deduxisti me. ℣. Quoniam circumdederunt me canes multi : concilium malignantium obsedit me. *Dicat Presbiter.* Silentium facite. ℣. Foderunt manus meas et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea. ℣. Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me : diviserunt sibi vestimenta mea : et super vestem meam miserunt sortem. ℣. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me : ad defensionem meam Deus meus respice. *Dicat Presbiter.* Silentium facite. ℣. Eripe a framea animam meam : et de manu canis unicam meam. ℣. Libera me Domine de ore leonis : et a cornibus unicornium humilitatem meam. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio ecclesie laudabo te Domine

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Chorinthios (*I,* [e] *Cap. V, VI*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum : ut sitis nova conspersio sicut estis azimi. Etenim pascha nostrum immolatus est Chritus. Itaque epulemur. Non in fermento veteri : neque in fermento malicie et nequicie : sed in azimis sinceritatis et veritatis. Scripsi vobis in Epistola : ne commisceamini fornicariis. Non itaque fornicariis hujus mundi : aut avaris : aut rapacibus : aut idolis servientibus. Alioquin debuerat de hoc mundo exire. Nunc autem scripsi vobis : **169** non commisceri. Si is qui frater nominatus est fornicator : aut avarus : aut idolis serviens : aut maledicus : aut ebriosus : aut rapax : cum ejusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? Nonne de his qui intus sunt vos judicatis? Nam eos qui foris sunt : Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis. Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos : et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt : et si a vobis judicabitur mundus : indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam angelos judicabimus : quanto magis secularia? Secularia igitur judicia si habueritis : contemtibiles qui sunt in ecclesia : illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam : qui possit judicare inter fratrem suum : sed frater cum fratre judicio contendit : et hoc apud infideles? Jam quidem omnino delictum est in vobis : quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare

[a] *Domine.* Ita LXX. In Vulgata non legitur.

[b] *Dispersi ab eis.* Vulg., *di pertiam eis.*

[c] *Psallendo.* Ps. XXI.

[d] *Presbiter.* Olim diaconus silentium indicebat : porro *silentium* tam sæpe hoc loco indicitur ob singultus et fletus pœnitentium, et totius populi Christo Domino suo commiserantis.

[e] *Cap.* V. Vers. 6-VII, 1-12.

non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis: et fraudatis: et hoc fratribus. An nescitis: quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii: neque idolis servientes: neque adulteri: neque molles: neque masculorum concubitores: neque fures: neque avari: neque ebriosi: neque maledici: neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hec quidem fuistis: sed abluti estis: sed sanctificati estis. In nomine Domini nostri Jesu Christi: et in spiritu Dei nostri. ℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Mattheum
([a] *Cap. XXVII*).

Mane facto [b] cena pura: quod est ante sabbatum: concilium fecerunt summi sacerdotes et seniores populi de Jesu: ut interficerent eum. Et vinctum eum duxerunt: et tradiderunt Pontio Pilato presidi. Tunc Judas traditor cum videret: quoniam [c] ad judicium jam perductus est: penitentia motus: revocavit triginta argenteos summis Sacerdotibus et senioribus dicens. Peccavi: quia tradidi sanguinem justum. Cui dixerunt. Quid ad nos? tu videris. Et projecta pecunia in templo abiit: et laqueo se suspendit. Sacerdotes autem accepta pecunia illa: dixerunt. Non licet mittere illam in corbonam: quia precium sanguinis est. Sed consilio accepto emerunt agrum figuli: in sepulturam peregrinorum. Propter quod appellatus est ager ille Aceldemach: hoc est ager sanguinis: usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per [d] Hieremiam prophetam dicentem. Et acceperunt triginta argenteos precium estimati: quod estimaverunt filii Israel: et dederunt eos in agrum figuli sicut precepit mihi Dominus. Jesus autem stetit ante presidem: et interrogavit eum preses dicens. Tu es Rex Judeorum? Respondit Jesus. Tu dicis quia Rex sum. Ego ad hoc natus sum et ad hoc veni in hunc mundum: ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui de veritate est: audit vocem meam. Pilatus autem produxit foras Jesum: et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Licostratus: hebraice autem Gabatha. Erat autem preparatio pasche: hora quasi sexta. Et ait Judeis Pilatus. Ecce Rex vester. At illi clamaverunt dicentes. Tolle: crucifige eum. Ait illis Pilatus: Regem vestrum vultis ut crucifigam? Responderunt principes sacerdotum. Nos non habemus Regem nisi Cesarem. Sedente autem illo pro tribunali: misit ad eum uxor sua dicens. Nihil tibi et justo illi: multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt turbis: ut peterent Barrabam: Jesum autem perderent. Respondit Pilatus: et dixit illis. Quem vultis ex duobus dimittam vobis? Illi autem dixerunt. Barrabam. Dicit illis Pilatus. Quid ergo faciemus de Jesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes. Crucifigatur. Dicit illis Pilatus. Quid enim mali fecit? Illi autem magis clamabant dicentes. Crucifigatur: crucifigatur. Cum vidisset autem Pilatus quia nihil proficit: sed magis tumultus fit: accepit aquam et lavit manus coram populo dicens. Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis. Et respondens **170** universus populus dixit. Sanguis hujus super nos: et super filios nostros. Tunc dimisit illis Barrabam: Jesum autem flagellis cesum tradidit eis: ut eum crucifigerent. Tunc milites presidis cum accepissent Jesum in pretorio: congregaverunt ad eum totam cohortem: et vestierunt eum clamidem coccineam: et purpura circumdederunt eum. Et intexentes coronam de spinis: imposuerunt super caput ejus: et arundinem in dextera ejus. Et pedibus ejus provoluti: irridebant eum dicentes. Ave Rex Judeorum. Et conspuentes in faciem ejus: accipiebant arundinem et percutiebant caput ejus. Jesus autem portans ipse sibi crucem: pervenit in locum qui appellatur Calvarie: quod dicitur hebraice Golgotha: ubi eum crucifixerunt. Et cum eo duos latrones hinc atque illinc: medium vero Jesum. Scripsit autem et titulum Pilatus: et posuit supra crucem. Erat autem scriptum. Jesus Nazarenus Rex Judeorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Judeorum: quia prope civitatem erat locus ubi eum crucifixerunt. Tunc dixerunt Pilato. Noli scribere Rex Judeorum: sed quia ipse dixit Rex sum Judeorum. Respondit Pilatus. Quod scripsi scripsi. Milites ergo cum crucifixissent Jesum: acceperunt vestimenta ejus: et fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem. De tunica autem que de superiori parte non consutilis: sed per totum textilis fuit: dicunt ad alterutrum. Non scindamus eam: sed sortiamur de illa cujus sit. Ut scriptura impleretur que dicit. Diviserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hec fecerunt. Pretereuntes autem blasphemabant eum: moventes capita et dicentes. Vah qui destruis templum: et post triduum edificas illud. Salvum fac temetipsum: et descende de cruce. Similiter autem et unus de latronibus: qui cum illo simul crucifixi erant blasphemabat illum: dicens: Nonne tu es Christus? libera te et nos. Respondens autem alius: increpabat illum: dicens. Nec sic times Deum: cum in eadem damnatione es? nos quidem juste: digna enim factis nostris recipimus: hic vero nihil mali fecit. Et dicebat ad Jesum. Domine memor esto mei: cum veneris in regno tuo. Dicit ei Jesus. Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso. A sexta autem hora tenebre facte sunt in totam terram usque in horam nonam. Circa nonam autem horam: exclamavit Jesus voce magna dicens. Heloy:

[a] *Cap. XXVII.* Sancti Matthæi nomen præfigitur lectioni Passionis Christi, etsi contexta sit ex verbis omnium evangelistarum. Idem observare licet de Sacramentario Bobiano, in quo nomen sancti Joannis præponitur lectionibus de Passione Christi, quæ ex omnium Evangeliorum sententiis compactæ sunt.

[b] *Cœna pura quod est ante Sabbatum.* Hæc in nulla Evangeliorum versione inveni, forte *mane, facta cœna pura, quod est...*

[c] *Ad judicium jam perductus esset.* Verbatim e versione Gothica; confer Evangelium Gothicum Junii. Vulgata et Gr. legunt *quod damnatus esset.* Matth. xxvii, 3.

[d] *Heremiam.* Modo textus e Zacharia citatur xi, 12. Confer sancti Hieronymi notam in hunc locum.

Heloy : lamazabathani. Hoc est : Deus meus : Deus A meus : quare me dereliquisti ? Quidam autem ex eis qui illic adstabant : cum audirent dicebant. Heliam clamat iste. Et continuo unus cucurrit ex eis : et accepta spongia aceto plena circumdata arundine : potum dabat ei. Ut scriptura impleretur que dicit. Dederunt in escam meam fel : et in siti mea potaverunt me aceto. Jesus autem exclamans voce magna : dixit. Pater : in manus tuas commendo spiritum meum : et tradidit spiritum. ※ Et ecce velum templi scissum est in duas partes : a sursum usque deorsum. Et terra mota est : et petre disrupte sunt : et monumenta aperta sunt. Et multa corpora sanctorum dormientium resurrexerunt. Et exeuntes de monumentis . venerunt in civitatem sanctam Hierusalem : et apparuerunt multis. Centurio autem : et qui cum B illo custodiebant Jesum : cum vidissent terremotum : et illa omnia que facta sunt : timuerunt nimis dicentes. Vere Dei filius est iste. Judei ergo quoniam cena pura erat : ne remanerent in cruce corpora sabbato : erat enim magnus dies illius sabbati : rogaverunt Pilatum ut frangerentur crura eorum et tollerentur. Venerunt ergo milites et primi quidem fregerunt crura : et alterius similiter qui simul crucifixi erant cum illo. Ad Jesum autem cum venissent : ut viderunt eum mortuum : non fregerunt crura ejus : sed unus ex militibus lancea latus ejus pupugit : et exivit continuo sanguis et aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit : et verum est testimonium ejus. Et nos credimus quia verum est : ut credentes vitam C habeamus in nomine ejus.

℟. Amen.

[a] *Evangelium.*

Tunc venit quidam homo, dives ab Arimathia nomine Joseph : qui et **171** ipse discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pilatum : et petiit corpus ejus. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Et accepto corpore Jesu : involvit eum in sindone munda : et posuit [b] eum in monumento suo novo : quod exciderat in petra. Et advolvit lapidem magnum ad ostium monumenti : et abiit. Tunc convenerunt principes Sacerdotum et pharisei ad Pilatum dicentes. Domine : recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens : post tertium diem resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum in diem ter- D tium : ne forte veniant discipuli ejus nocte : et furentur illum : et dicant plebi quia surrexit a mortuis : et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus. Habetis custodes : ite : custodite sicut scitis. Illi autem euntes munierunt sepulchrum : signantes lapidem cum custodibus.

Dicat Presb. Preces. Penitentes orate : flectite genua Deo : deprecemur Dominum Deum nostrum : ut indulgentiam criminum et remissionem peccatorum nobis donare dignetur.

Reiteretur a choro. Postea presbyter dicat. Erigite vos : orate : flectite genua Deo. Deprecemur Dominum Deum nostrum ut lapsis manum porrigat : et presidium quod ab eo requiritis clementer impertiat.

℟. Penitentes. Erigite vos : orate, flectite genua Deo : deprecemur Dominum Deum nostrum : ut reminiscentes mala que gessimus : deinceps vitemus insidias inimici : ut quos diaboli persuasione sua : [c] ab altario Dei subtraxerat : patrona revocet effusio lachrymarum. ℟. Penitentes. Erigite vos completa oratione vestra : omnes pari voce indulgentiam a Domino postulemus.

Impleta prece exclamat Archidiaconus. Indulgentia similiter et omnis clerus vel populus non plusquam trecentis vicibus.

Postea dicat preces. Tu pastor bone animam tuam pro ovibus posuisti.

Reiteretur a choro. Tu pastor bone.

Diaconus dicat. Prosternimus preces ante faciem tuam : exaudi : placare : indulge Domine et miserere nobis. *P.* Tu pastor.

Archidiaconus dicat. Deprecemur Dominum : ut remissionem peccatorum et pacem nobis propicius donare dignetur. *Episcopus dicat.* Te precamur Domine. *P.* Indulgentia. ℣. Procedat ab altissimo. *P.* Indulgentia. ℣. Succurrat nobis miseris. *P.* Indulgentia. ℣. Delicta purget omnibus. *P.* Indulgentia. ℣. Prestetur penitentibus. *P.* Indulgentia. ℣. Patrona sic lugentibus. *P.* Indulgentia. ℣. Errantes fide corrigat. *P.* Indulgentia. ℣. Lapsos peccatis erigat. *P.* Indulgentia. ℟. Te deprecamur Domine. *P.* Indulgentia.

Post hec dicat Diaconus. Erigite vos.

Et Sacerdos dicit Orationem.

Unigenite fili Dei patris : cujus caro preciosa a Judeis damnatur : ab ingratis inluditur : et cruci figenda latronum corporibus comparatur. Ex cujus latere sanguis et aqua profluxit : sed sanguinem non miror ex carne : aquam vero ex eo quod intelligo non mirabor. Illa est enim utique aqua que nos quondam per Adam mortuos vivificavit regeneratos : procedens ex mortuo. Clementiam ergo tuam quesumus : ut sicut pro amore generis non dedignatus es adsumere mortem nostram : ita et resurgens a mortuis obtinere nos facias de triumphato hoste victoriam.

℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster : qui vivis cum Deo Patre et regnas cum Spiritu Sancto in secula seculorum.

℟. Amen.

Qua expleta exclamat Diachonus. Indulgentiam.

Secundam suscipiunt clerici pariter et clamantes non plusquam ducentis vicibus. CC.

Et post hec dicit preces Sacerdos. Tu pastor bone. *Ut supra scriptum est. Et Diaconus dicat.* ℟. Peccavimus tibi Deus : recedentes a te : nobis confusio : tibi clementia et propitiatio. *P.* Tu pastor.

[a] *Evangelium*. Matth. XXVII, 57-66. Hoc Evangelium in Sacramentario Bobiano legitur Sabbato sancto mane.
[b] *Eum*. Vulgata, *illud*.

[c] *Ab altaris.* Hoc est a communione corporis et sanguinis Christi, a qua removebantur etiam ii qui pro occultis peccatis pœnitentiam publicam agebant.

Post hec dicat Archidiaconus. Deprecemur Dominum.

Episcopus dicat. Te deprecamur. *P.* Indulgentia. ℣. Nos Patri reconciliet. *P.* Indulgentia. ℣. Christi confirmet gratia. *P.* Indulgentia. **172** ℣. Confirmet Sancto Spiritu. *P.* Indulgen. ℣. Medelam egris conferat. *P.* Indulgen. ℣. Captivos reddat patrie. *P.* Indul. ℣. Vices aerum temperet. *P.* Indulgentia. ℣. Te deprecamur Domine indulgentiam.

Post hec dicit Diachonus. Erigite vos.

Et Sacerdos legit hanc orationem.

Oratio.

Unigenite fili Dei Patris : qui celum rediturus in terris dignatus es nasci : ut nos elevares ad celos. Qui ideo in ligno crucis manus proprias extendisti : ut nos ad lignum vite propicius revocares. De quo Adam gustare non meruit : posteaque crimen prevaricationis incurrit. Crux ergo tua Deus : vite arbor est : in eternum vivificet : quemque ex ea gustaverit. Tuam ergo clementiam petimus : ut auferantur ab oculis tuis mala nostra preterita : et bona futura nascantur. Hujus mundi lux infida negligatur : et perennitatis tue a nobis eternitas requiratur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui vivis cum Deo Patre et regnans cum Spiritu Sancto in secula seculorum. ℟. Amen. *Post hec decantat hunc* [a] *Psalmum cum Antiphona sua ab Episcopo imposita. Antiphona.* Parce Deus quia sprevimus precepta tua : qui das post peccata indulgentiam. *P.* Miserere mei Deus secundum magnam. *Dicto Psalmo una cum* [b] Gloria Patri. *dicit Diachonus tertio.* Indulgentia. *non plusquam centum vicibus. C. Et dicat Episcopus.* ℣. Tu pastor bone. etc. Miserere mei Deus quia omnia potes : tu enim dissimulas peccata hominum propter penitentiam. *Deinde dicat Presbyter.* Deprecemur Dominum. etc. *Dicat Episcopus.* Te precamur Domine. *P.* Indulgentia. ℣. Restituat paradiso. *P.* Indul. ℣. Claustra celorum reseret. *P.* Indul. ℣. Removeat supplicium. Indul. ℣. Extinguat gehenne incendia. ℣. *P.* Indulgentia. ℣. Defunctis donet requiem. *P.* Indulgen. ℣. Locum quietis conferat. *P.* Indul. ℣. Sanctis consortes faciat. *P.* [c] Indul. [d] *Finitis precibus duo nobiles Presbyteri in superpelliceis accipiant crucem coopertam panno nigro versus S. Crucifixum : et ascendant ad sinistrum cornu altaris et cantent ambo hanc Antiphonam.* Popule meus quid feci tibi aut in quo contristavi te. Responde mihi quia eduxi te de terra Egypti in signis magnis et prodigiis excelsis : et parasti crucem Salvatori tuo. *Et cum dixerit.* Parasti crucem Salvatori tuo. *In fine Antiphone duo Diachoni induti superpelliceis in medio chori ante altare majus incipiant et cantent.* [e] Agyos. Otheos. Agyos. Isquiros. Agyos. Athanatos. Eleyson. Ymas. *Quibus finitis : chorus respondeat flexis genibus ut sequitur.* Sanctus Deus : Sanctus fortis. Sanctus et immortalis miserere nobis. *Finita prima statione duo supradicti Presbyteri qui crucem tenent pergant ad dextrum cornu altaris cum cruce sicut prius. Et cantent secundam Antiphonam sequentem.* Quia eduxi te per desertum quadraginta annis : et manna cibavi te : et introduxi in terram satis optimam. *P.* Parasti crucem salvatori tuo.

[a] *Psal.* L.

[b] *Gloria.* Hinc constat Gotho-Hispanos non omisisse, tempore Passionis, solemnem psalmorum clausulam *Gloria et honor Patri*, etc.

[c] *Indulgentia.* Antiquitus post ultimum hoc *indulgentia* orationem a sacerdote recitatam fuisse constat ex Orationali Gothico, in quo (*Pag.* 99) exstat *oratio dicenda in parasceben post Indulgentias explicitas*, quæ incipit, *Ingeniti Patris unigenite Christe*, etc., et in Breviario Mozarabum (*Fol.* 229, *col.* 3) legitur. Quare credibile est non aliter olim officio Parasceves finem factum esse quam adhuc in Breviario Mozarabum terminatur ; nimirum, postquam populus ultimum *indulgentia* clamasset, diaconus de more dicebat *Erigite vos*, et sacerdos orationem fundebat *Unigenite Filius Dei Patris*, etc., aut ejusmodi aliam, quam oratio Dominica excipiebat, et *Eruti a malo*, quo dicto, sacerdos populum salutabat, quem diaconus, solemni formula, *Eamus cum pace*, missum faciebat. At postquam crucis adorationem et missam præsanctificatorum adjungere placuit, orationes illæ quibus olim officium hujus diei concludebatur, a loco suo longius remotæ quidem sunt, non tamen prætermissæ.

[d] *Finitis precibus.* Hæc rubrica, cum reliquis ad crucis adorationem pertinentibus, in Missali Toletano legitur in Breviario Mozarabum. Ante nonam legitur hymnus *ad salutationem ligni dominici*, de quo vide not. p. 165, *Pange, lingua, gloriosi prælium certaminis.* Hymnum oratio una et tres antiphonæ consequuntur, sed nihil de adoranda cruce adjicitur ; fortasse quia reliqua e Missali petenda erant ; tamen ritum adorandi crucem Domini feria 6 in Parasceve haud puto Gotho-Hispanum aut Gallicanum esse ; de eo certe silent sanctus Isidorus, Orationale Gothicum, libri liturgici Gallicani, et concilia Gotho-Hispana. Græci quidem crucem Domini adorant, sed Dominica quarta Quadragesimæ, qua die, et per totam hebdomadam quartam crux Domini adoranda solemniter proponitur, illamque omnes, inquit Leo Allatius (*De Domin. et fest. Græcor.*, *sect.* 18) prius se signo crucis signantes, *adorant, ac demum deosculantur.* Est etiam plane vetusta consuetudo feria 6 in Parasceve adorandi crucem Christi, nam sæculo æræ Christianæ IV, ut ex epistola 31 sancti Paulini episcopi Nolani ad Severum scripta conjicere licet, Hierosolymis, *qua die crucis ipsius mysterium colebatur*, episcopus ejus urbis, crucem Domini quotannis *adorandam proponebat, princeps ipse venerantium.* Ex Oriente consuetudo hæc in Occidentem delata in Sacramentariis Gelasiano, et Gregorianis, in Ordinibus Romanis, in Amalario, Rabano, vulgato Alcuino, aliisque his recentioribus rerum liturgicarum scriptoribus, commemoratur.

[e] *Agyos.* Hymnum hunc, quem τρισάγιον, *trisagium*, appellant Græci, quotidie in divinis officiis canunt, et apud eos, populus insigni pietatis affectu frequenter ingeminat. In Occidente autem semel quotannis feria 6 Parasceves, cum crux adoratur, et Græce et Latine canitur. Constantinopoli primum, tempore Junioris Theodosii, in Ecclesiis cani cœptus est. Petrus, cognomine Gnapheus, episcopus Antiochenus, hymnum corrupit, adjiciendo *qui crucifixus est pro nobis*, quibus, pietatis specie, hæresim Theopaschitarum, qua ipse affectus erat, plebi instillabat ; pulso in exsilio Gnapheo, Calendio, ejus successor, additamentum non sustulit, sed de suo adjecit *Christe Rex*, et canebatur in Oriente *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, Christe Rex, qui passus es pro nobis, miserere nobis*, at in Occidente hymnum sine additamentis canebant, quæ tandem canone 18 concilii quinitisexti sublata sunt, hymnusque, etiam in Oriente, primævæ simplicitati restitutus est.

Et cum perventum fuerit ad finem dicendo. Parasti crucem salvatori tuo. *supradicti Diachoni ut prius cantent.* Agyos. *Per totum ante altare ut supradictum est. Quibus finitis chorus flexis genibus cantet.* Sanctus Deus. *ut prius modo et forma supradicta. Et dum chorus cantat* Sanctus. *duo supradicti Presbyteri cum cruce veniant ad medium altaris : et tenentes crucem cantent tertiam Antiphonam sequentem. Antiphona.* Quid ultra debui facere tibi et non feci. Ego quidem plantavi vineam meam speciosissimam : et tu facta es mihi nimis amara : aceto namque sitim meam potasti · et lancea perforasti latus Salvatori tuo. *Et cum dixerint* Salvatori tuo. *Diachoni supradicti ut prius cantent* Agyos. *Et chorus flexis genibus cantet.* Sanctus Deus. *sicut prius. Interim quod ita finietur: paretur stratum coram altare : cum pannis sericis et aliis ornamentis ad adorandum crucem. Et finitis stationibus prout dictum est superius : Sacerdos faciens officium exuat cappam et accipiat crucem velatam de manibus duorum Presbyterorum canentium : qua suscepta accedat Sacerdos ad dextrum cornu altaris verso Crucifixo ad populum : incipiat Antiphonam.* Ecce lignum crucis. *Discooperiendo brachium dextrum*
173 *crucis. et continuo chorus respondeat.* In quo salus mundi pependit : venite. *Et dum chorus cantat supradictam antiphonam Sacerdos transeat ad sinistrum cornu altaris : et iterum incipiat supradictam antiphonam scilicet.* Ecce lignum crucis. *Elevando vocem aliquantulum altius quam prima vice : discooperiendo aliud brachium crucis. Chorus vero respondeat.* In quo salus mundi. *Et populus flectat genua ad quamlibet ostensionem cujuslibet brachii crucis. Et dum chorus cantat antiphonam.* S. In quo salus. *Presbyter veniat ad medium altaris et incipiat tertio supradictam antiphonam. Scilicet.* Ecce lignum crucis. *Elevando vocem altius quam aliis vicibus : et tunc discooperiat crucem totaliter : elevando ipsam cum brachiis quantum potuerit. Et dum chorus cantat antiphonam : Presbyter*

A *pergat cum cruce devote et honeste ad stratum et ibi cum maxima reverentia ponat eam : et statim Presbyter cum suis Ministris* [a] *adorent crucem flectendo genua ter : cum summa reverentia et humilitate osculando terram : et offerant oblationem cruci : ut aliis prebeant exemplum.*

Et dicat Presbyter osculando : hanc orationem.

Oratio ad Crucem. Domine Jesu Christe adoro te in crucem ascendentem : et spineam coronam portantem in capite : Deprecor te : ut ipsa crux liberet me de angelo percutiente. Domine Jesu Christe adoro te in cruce vulneratum : felle et aceto potatum. Deprecor te ut tua vulnera sint remedium anime mee. Domine Jesu Christe : in sepulchro te adoro positum. Deprecor te : ut tua mors sit vita mea. Domine
B Jesu Christe adoro te venturum ad judicium : et judicaturum vivos et mortuos. Deprecor te : ut in tuo sancto adventu non intres in judicium cum me indigno et misero peccatore : sed pro tua magna clementia peccata mea dimittas mihi : qua juste judices. Qui vivis. *Et chorus cantet antiphonas.* Crucem tuam adoramus Domine. *Cum aliis antiphonis ad hoc deputatis. Et* [b] *dum Clerus et populus adorant crucem : Sacerdos cum Ministris descendat ad Sacrarium et ibi se calcient. Et presbyter accipiat casulam nigram : et Diachonus et Subdiachonus dalmaticas nigras : et veniant ad portam chori majoris precedentibus cereis et thuribulo. Et adorata cruce a Clero et populo : duo supradicti Presbyteri qui prius crucem tenuerunt : reverenter accipiant eam de stratu cum suo panno : et*
C *pergant cum ea ante medium altaris : incipientes hanc antiphonam.* Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior : in qua vita mundi pependit : in qua Christus triumphavit : et mors mortem superavit in eternum. *Et per istos supradictos Presbyteros finiatur. Qua finita reverenter ponant crucem in altare : qua dimissa Sacerdos et Ministri : Clerus et populus in processionem silentio facto : precedentibus. S. alia cruce*

[a] *Adorent Crucem.* Propter eos qui nodum quærunt in scirpo animadvertendum quod in libris liturgicis promiscue, tanquam synonyma adhibentur *crucem adorare, et salutare crucem.* In Sacramentario Gelasiano em. Thomasii rubrica : *Et venit sacerdos ante altare adorans crucem Domini et osculans ;* rursus eadem rubrica : *his expletis adorant omnes sanctam crucem, et communicant.* In Sacramentario Gregoriano Menardi rubrica : *Venit pontifex, adoratam deosculatur crucem ;* infra eadem rubrica : *Salutante pontifice vel populo crucem canitur antiphona,* etc. In ordine Romano, quem citat Amalarius (*De eccl. Off., lib.* I, *cap.* 14), legebatur : *Præparetur crux ante altare, quam salutant et osculantur omnes.* In Breviario Mozarabum hymnus legitur *ad salutandum lignum Domini.* In Missali Mozarabum *adorare crucem* legitur. Idem igitur significat *crucem adorare* ac *lignum Domini salutare.*

[b] *Cum clerus.* Hæc rubrica in Missale nostrum translata est postquam Mozarabes feria hac sexta communionem præsanctificatorum celebrare cœperunt, de qua nihil apud sanctum Isidorum, aut in conciliis Gotho-Hispanis legitur. Apud Græcos concilium in Trullo, can. 52, statuerat ut *omnibus sanctæ Quadragesimæ diebus, Sabbato et Dominica, et sanctæ Annuntiationis die exceptis, sacra præsanctificatorum missa.* In Occidente præsanctificatorum, semel quotannis, die Passionis, missa, seu communio usu et consuetudine recepta est, in eorum gratiam qui quotidie communicabant ; at quo tempore, quave in Ecclesia primum cœpta, nihil certi constat. Mihi credibile est in monasteriis originem habuisse, post medium sæculi VII. Regula Magistri, sæculo VII scripta, obscure loquitur ; nam (*Cap.* 53) agens de sexta feria Passio-
D nis, requirit, non tamen præscribit, ut omnes, præter infantes, infirmos et senio confectos, diem Passionis sine ulla refectione transigant ; eos vero qui refici volunt eo die, communione privat. Statuit itaque ut *Sacramenta altaris in patena majori vitrea finiantur,* et post pauca addit : *Qui sexta feria refecturi sunt sine communione reficiant ;* quibus satis clare patet, Monachos hosce feria sexta Passionis communicasse, quoniam ii qui vespere refecturi erant non communicabant. At non adeo certum est an præsanctificatorum communionem celebraverint, an potius ipsa sexta feria Parasceves missam celebraverint. Mabillonius (*Comment. in Ord. Rom. pag.* 72) hunc locum pro antiquo usu præsanctificatorum affert : *Sacramenta vero altaris in patena majori vitrea finiantur,* id est, ait Mabillonius, *recondantur.* Sed viro doctissimo de hac interpretatione non assentior ; nam Magister agens de Cœna Domini nihil dixit de Eucharistia in diem sequentem conservanda, et hoc loco manifeste agit

nigra et cereis : et thuribula [a] *cum brasis : veniunt usque ad monumentum. Et cum perventum fuerit : ascendat Presbyter cum duobus dominis qui habent claves monumenti et sigilla. Et interim provideatur de brasis in thuribulo : et aperto sepulchro accipiat Presbyter de incenso quod est intus : et ponat in thuribulo et incenset statim corpus Domini. Quo facto excooperiat calicem et ostendat secrete et humiliter dictis dominis hostiam consecratam : et cooperto calice cum corpore Domini : reverenter deferat cum sua impla ut pridie portavit : Ministris videlicet Diachono et Subdiacono juvantibus : alias sustentantibus eum : ut levius et securius pergat cum corpore Domini. Et velum sericum ut supradictum est portetur a quatuor vel sex nobilibus dominis civitatis super corpus Christi : semper cruce precedente cum cereis : et incenso et thuribulo : et projiciendo de annona viride ut dictum est. Et quidam* [b] *Portionarius de antiquioribus indutus superpelliceo albo : deferat vexillum nigrum in medio processionis scilicet inter Canonicos et Portionarios : et sic ordine isto perveniatur ad altare majus. Cum perventum fuerit : Diachonus expandat corporalia sua per aram : et Sacerdos maxima cum reverentia ponat corpus Christi cum calice* 174 *in quo venit super aram : quo posito descendat ad gradum altaris : et ibi faciat confessionem. Qua facta ascendat ad altare et lavet manus. Deinde accipiat corpus Christi reverenter de calice : et ponat super aram ad pedem calicis : et provideat de vino et aqua ut moris est aliis diebus. Tamen videat et revideat : si forte aliqua pars hostie maneat plicata filiole corporalium : que erat in calice. Calice collocato super aram cum vino et aqua : cooperiat eum filiola : quo facto dicat hanc Orationem.*

Unigenitus filius Dei Patris : de quo ante tam innumeros annos propheta cantavit hunc versum : In medio duorum animalium cognosceris. Cognitus plane est non solum inter duos latrones pendens in ligno : vel duorum testamentorum in medio : verum etiam fuga solis : occasu diei : concussione terrarum. Tu Christe descendisti ad inferos : et sanctos sepulcra laxarunt. Pietatem ergo quesumus tuam : ut intelligere possimus quantum nobis resurgens prestabis in regno : qui nos moriens resuscitasti cum gloria de inferno. Pater noster. *Cantando : et cum pervenerit ad* Panem nostrum quotidianum : *ostendat populo corpus Christi* [c] *in suo loco super aram. Et cum Sacerdos dixerit :* Et ne nos inducas in tentationem. ℟. *Chorus.* Sed libera nos a malo. [d] *His peractis Sacerdos accipiat corpus Christi : et faciat novem particulas : et ponat eas per ordinem in patena : ut fieri solet : et accipiat unam ex illis que dicitur* regnum : *et mittat illam in calice. Et deinde accipiat aliam particulam que dicitur* gloria : *et ponat eam super calicem : et dicat illas orationes que aliis diebus dicebantur : et finitis accipiat illam particulam et cooperiat calicem : et cooperto : accipiat alias particulas que sunt in patena per ordinem. Et deinde accipiat patenam et mundet eam super calicem cum pollice : et mundatam ponat eam sub mento : et posita sumat vinum de calice cum sua particula : que* [e] *secundum quosdam consecrat vinum*

de iis quæ feria sexta Passionis peragenda erant ; et cum inter alia præscribit ut, ob diei tristitiam, sacramenta altaris non in patena argentea, sed in vitrea finiantur, de consecratione sacramentorum loqui videtur. Est sane modus loquendi Græcus in Latinum translatus, τελειῶ enim, quod est *finio, perficio*, cum de Eucharistia sermo est, frequenter idem atque *consecro* significat ; quare Magister (*Cap.* 53) præscribit ut die Passionis missæ in suis Monasteriis celebrentur, ita tamen ut sacramenta *finiantur*, hoc est *consecrentur*, in patena vitrea. Sed de præsanctificatorum ritu distincte loquitur Sacramentarium Gelasianum : *Istis orationibus suprascriptis expletis, ingrediuntur diaconi sacrarium, procedunt cum corpore et sanguine Domini, quod ante die remansit, et ponunt super altare, et venit sacerdos, adorans crucem Domini, et osculans, et dicit* Oremus : *et sequitur* Præceptis salutaribus moniti, et *oratio dominica* ; *inde* Libera nos quæsumus ; *his omnibus expletis, adorant omnes sanctam crucem et communicant.* Nec minus distincte de eodem ritu loquitur Breviarium Ecclesiastici ordinis a Martenio et Durando (*Tom. V Thes. nov. Anecdot.*) editum, et quod ad usum monasterii cujusdam sæculo VIII fortasse compositum fuit. Agens autem de Parasceve hæc habet : Recitatis orationibus *dicat presbyter* Oremus, *et dicit orationem* Præceptis salutaribus moniti *cum oratione Dominica, et sequitur oratio* Libera nos, quæsumus, Domine, *et accipit diaconus corpus Domini, quod ante die Cœnæ Domini remansit, et consecratum fuit, et communicant omnes corpus et sanguinem Domini cum silentio, nihil canentes.* Hæc sunt antiquissima testimonia de hujus ritus usu in Ecclesia Latina, eaque, quod animadvertendum est, ostendunt sæculo VIII sanguinem simul cum corpore feria quinta in Cœna Domini consecratum repositum fuisse in diem sequentem, omnesque, feria sexta Passionis Domini, verum corpus verumque Christi sanguinem sumpsisse, atque adeo sæculo VIII nondum introductam fuisse consuetudinem vinum non consecratum, in calice, ad altare deferendi, quod in verum Christi sanguinem per commistionem particulæ consecratæ transmutari haud pauci docuerunt.

[a] *Cum brasis.* Id est cum ignitis carbonibus.

[b] *Portionarius.* Alias, *beneficiarius.*

[c] *In suo loco.* Hic duas lineas integras omiserunt. Lege ergo ut habet Missale Toletanum : *Et cum pervenit ad* Panem nostrum quotidianum, *ostendat populo corpus Christi, cum summa reverentia, ita ut ab omnibus videri possit, et adorari, quo ostenso ponat illud in loco suo super aram.*

[d] *His peractis.* Hæc rubrica, quæ in Missali Toletano non exstat, eo spectat ut missa præsanctificatorum juxta ritus Gotho-Hispanos fiat.

[e] *Secundum quosdam.* Opinio multorum fuit, vinum non consecratum, quod feria sexta Parasceves altari inferebatur, per solam commistionem et contactum corporis Domini, seu per solam immissionem particulæ consecratæ in calicem, vere consecrari, et in verum sanguinem Christi transmutari. Hæc opinio, quæ sæculo VIII nota est, unice nitebatur auctoritate Ordinis Romani, in quo olim legebatur, ut modo apud Hittorpium (*Pag.* 67) legitur : *Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem*, quod cum plures Ecclesiæ, aliæ totidem verbis, aliæ quibusdam mutatis, in libros suos Rituales retulissent, opinionem ex errore ortam sua auctoritate adeo confirmarunt, ut eidem quamplurimi, et in his viri docti, tanquam veritati adhæserint. Porro verba illa (supra allata, quæ errori huic occasionem dederunt) ut contendit Mabillonius, ad Ordinem Romanum minime pertinent, cum sint merum glossema, privata auctoritate Codicibus quibusdam insertum, nec in melioribus Codicibus, quibus ille usus est, inveniantur. Sed esto glossema non sint, nam in Codice,

in calice : [a] *communione facta lavet manus ut moris est dicendo.* Quod ore sumpsimus Domine. *Et non dicatur.* Corpus Domini nostri Jesu Christi. *Nec* Placeat tibi sancta Trinitas. *Et his omnibus peractis dicat Presbyter hanc Orationem.*

[b] Eruti a malo : stabiliti semper in bono : tibi adherere mereamur Deo et Domino nostro Jesu Christo. Da veniam peccatis nostris : et requiem famulis tuis omnibus fidelibus defunctis. Frange et percute omnes insidias inimicis nostris. Defende nos ab omnibus operibus malis : et confirma in cunctis bonis. Accipe jejunium vel votum nostrum : et exaudi orationem nostram in his diebus et in totis temporibus. Tribue nobis pacem et securitatem : pietatem : et sinceram charitatem : ac gratiam per misericor- A diam tuam : stigmate passionis tue Deus noster filius Dei : qui vivis cum Deo Patre et regnas cum Spiritu Sancto in Trinitate unus Deus permanens in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Et statim Diachonus dicat.* Eamus cum pace. ℟. Deo gratias.

[c] *In Vigilia gloriose Dominice Resurrectionis Sabbato* [d] *hora diei nona signum sonat : et congregatis omnibus : induunt semetipsos* [e] *Diachonus vel Clerici albis cum* [f] *aneboladiis : et ingrediuntur* [g] *processum : atque a primicerio accipiunt Diachones in ordinem suum lectiones : que in* [h] *tribunal ab ipsis legende sunt. Dum vero secundum et tertium sonaverit signum : et juxta consuetudinem posita sede Pontifici in processu : atque eo sedente :* [i] *accedunt Abbates Presbyteres*

quo usus est Amalarius inveniebantur, certe de vera consecratione intelligenda non erant, sed de externa quadam sanctitate, per contactum corporis Domini acquisita ; maxime quod in ordine Romano legebatur *sanctificatur autem*, non vero, ut in quorumdam Ecclesiarum Missalibus, *consecratur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem*. Cæterum opinio de hac fictitia consecratione, quæ a longe majori parte Ecclesiarum semper rejecta fuerat, nec antiquitatis auctoritate fulciebatur, detecto errore paulatim concidit. *Mentiuntur* inquit Jacobus a Vitriaco (*Hist. Occid. cap.* 38) *qui dicunt quod die Parasceves corpus Christi ex contactu mutat vinum in sanguinem.* Et eodem capite paulo supra agens de vino ablutionis quam aliqui in sanguinem converti docebant : *Non dicimus quod ex contactu sanguinis vinum ablutionis convertatur in sanguinem, sed remanet purum vinum ; licet*, inquit, *ex contactu sanctæ rei sit sanctificatum, sicut aqua fluminis aquæ benedictæ commista, dicitur sanctificari.* Plura de hac opinione vide si lubet apud Mabillonium (*Comment. in Ord. Roman., pag.* 76 *seq.*) copiose et erudite de ea tractantem, et apud Martenium (*De antiq. Ecclesiæ Ritibus, tom. I, lib.* 1, *c.* 5, *col.* 435 *seq.*), B gitur : *Alius ambolagium id est amictum, quod dicitur humerale : alius lineam dalmaticam quam dicimus albam, alius dalmaticam, alius orarium ;* et adverte quod rubrica nostri Missalis majorem antiquitatem sapit, quam ordines isti Romani, quippe quæ simpliciter et sine interpretatione adhibet vocem *anebolagium* quam illi interpretari coguntur, utpote jam antiquatam. Hic etiam adverte, quod aneboladium supra albam, juxta rubricam, induitur ; hinc enim patet nostræ rubricæ antiquitas, siquidem Amalarii ævo, ut ipse (*De eccl. Offic., lib.* II, *cap.* 17 *et* 18) ostendit, contraria consuetudo invaluerat, quæ etiam modo obtinet, ut *amictum* sive *anabolagium* infra albam induatur. Cæterum sanctus Isidorus (*Orig. l.* XIX, *cap.* 25) primariam et profanam vocis hujus significationem tradit docens *anabolagium* esse *amictorium lineum feminarum, quo humeri operiuntur, quod Græci et Latini sindonem vocant.*

[a] *Communione autem.* Hæc recentiora. Certe orationes *Quod ore sumpsimus* et *Placeat tibi* in fine missæ dicendæ ad ritus Gotho-Hispanos non pertinent.

[b] *Eruti.* Eadem oratione finis officio hujus diei imponitur juxta Breviarium Mozarabum.

[c] *In vigilia.* Orationali Gothico inscribitur *in vigilia Paschæ*. Lectionario Ambrosiano Thomasii, et Sacramentario Bobiano, *in vigiliis Paschæ*, Missalibus Gallicano, et Gallo-Gothico, *in vespera Paschæ*. Breviario Mozarabum, Capitularibus Georgii, et Lectionario Luxoviensi, *in Sabbato Sancto.*

[d] *Hora diei nona.* In Sacramentario Bobiano assignantur Evangelium *Altera autem die, quæ est parasceven, convenerunt*, etc., et orationes dicendæ *die Sabbato sancto mane ;* at in Breviario Mozarabum, in Orationali Gothico, et in Missali nihil invenitur ante vesperas hac die recitandum in ecclesia. Antiquitus autem non nisi post solis occasum, postea vero hora nona, hoc est hora tertia post meridiem, conveniebant in ecclesiam ; neque hoc recens, nam in Gelasiano Thomasii rubrica præscribit ut *hora octava procedant ad ecclesiam.*

[e] *Diaconus.* Lege *diacones.*

[f] *Anaboladiis.* Aneboladium, anaboladium, anabolagium, anagolagium, anaglojum, ambolagium, etc., idem significant : vestem sacram quam *amictum*, aut *superhumerale* appellant. Ordo Romanus, apud Hittorpium (*Pag.* 11, *col.* 1) : *Tunc cæteri subdiaconi regionarii secundum ordinem suum accipiunt ad inducendum pontificem ista vestimenta, alius lineam, alius cingulum, alius anabolagium id est amictum, alius lineam dalmaticam, alius planetam, et per ordinem sic induunt pontificem.* In ordine vero Romano (*Apud Hittorp., p.* 1, *col.* 19) qui tertius est Mabillonio (*Pag.* 54), le-

[g] *Processum.* Processio et processus idem sunt, et C primum processus, et processio, significat incessum militum, populi, cleri, ad locum aliquem ordinatim euntis, hinc cum imperatores aliquo irent, puta in villam, processionem, aut processum facere dicebantur. Trebellius Pollio in Gallieni cap. 17 : *Sæpe ad tibicinem processit, ad organum se recepit, cum processui et recessui cani juberet.* Hinc processiones religiosæ, quæ et litaniæ, cum clerus, monachi, populus ordinatim incedentes per urbem, aut agros, aut Basilicas Deo supplicant, aliæ etiam processiones religiosæ, cum clerus e sacrario ordinatim ad altare, ad chorum, ad Ecclesiam incedit. Deinde processio et processus significat aliquando ipsam synaxim, congregationem et conventum, sive sacram, sive profanam, sive mistam populi ; hoc sensu a Tertulliano (*De Præscrip. cap.* 43) usurpatur *processio modesta* pro ipsa Ecclesia, seu pro modesto fidelium in ecclesia conventu ; demum processio et processus locum significat in quo ii qui processuri erant congregabantur, quemadmodum *Ecclesia*, et conventum, seu congregationem, D fidelis populi, et locum in quo congregantur, significat, quo sensu hic accipitur, cum dicitur clerus ingredi *processum*, et sedes pontificis *in processu* poni, etc. Erat autem locus iste aula quædam vel in sacrario, vel tam prope sacrarium posita, ut, ex infra dicendis, pro ipso sacrario accipiatur.

[h] *Tribunal.* Lege *tribunali*. Tribunal autem pro pulpito, seu ambone ponitur ; et hinc disce, lectiones Sabbati sancti a diaconis, apud Gotho-Hispanos lectas esse, non vero ab inferioris ordinis clericis, easdemque pro tribunali legi consuevisse.

[i] *Accedunt Abbates, Presbyteres, Diacones Clerus.* Scilicet abbates monasteriorum diœcesis ad solemnitatem paschalem cum episcopo suo celebrandam in urbem conveniebant, quibus locus honoris supra presbyteros concedebatur, post abbates ergo presbyteri, postea diaconi, et post hos clerus quisque suo ordine accedunt.

Diachones Clerus omnisque populus per grados suos A *ad Episcopum : et accipiunt ab eo ceram. Diacones vero* [a] *locale accipiunt ab eo et duodecim cereos : et stantibus in locis suis ingreditur Episcopus cum Diaconibus tantum in sacrarium : et clausis ostiis vel fenestris ac velis :* [b] *ut nec modicum quidem lumen a foris videatur. Offertur vero episcopo* [c] *petra et esca et excussorium ignis :* [d] *et cum mox ipse manu sua ignem excusserit : accenditur stuppa et inde candela : et ex ea iterum lucerna tenente eam Diachono qui post eam in choro benedicturus est : et nulla suo cereo* [e]
175 *concedente. Sed precedentes Diachoni lucernam et Episcopus sequens eam ingreditur processum. Et mox posita Pontificis sella : prius accendet cereum suum : ac deinde accedit omnis Clerus ad lucernam et accendunt cerea sua. Post hec accedens Diachonus cum lucerna ad Episcopum : det ei benedictionem Episcopus quam voluerit : ille vero osculetur Episcopo manum.*

Ad benedicendum lucernam.

Oratio. [f] Exaudi nos lumen indeficiens Domine Deus noster unici luminis lumen. Fons luminis lumen. Auctor luminum : qui creasti et illuminasti. Lumen angelorum tuorum : [g] Sedium. Dominationum. Principatuum. Potestatum : et omnium intelligibilium qui creasti lumen sanctorum tuorum. Sint lucerne tue anime nostre. Accendantur a te et illuminentur abs te. Luceant veritate. Ardeant veritate. Luceant et non tenebrescant. Ardeant : et non cinerescant. Benedic hoc lumen. O lumen : qui et hoc quod portamus in manibus tu creasti : tu donasti. Ac sicut per hec lumina que accendimus de hoc loco expellimus noctem : sic et tu expelle tenebras de cordibus nostris. Simus domus tua lucens de te : lucens in te. Sine defectu luceamus : et te semper colamus. In te accendamur : et non extinguamur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. In nomine Domini nostri Jesu Christi : sanctificatum per- B manet cum pace. ℟. Deo gratias. *tribus vicibus.* [h] *Deinde benedicat quinque grana thuris infigenda in cereo benedicendo incipiens absolute.* Veniat quesumus omnipotens Deus super [i] hoc incensum larga tue Benedictionis † infusio : et hunc nocturnum splendorem invisibilis Regnator [j] accende : ut non solum sacrificium quod in nocte hac litatum est archana

[a] *Locale.* Lege *Jocale*, scilicet annulum episcopalem, gemmis ornatum; nam inter ornamenta episcopalia sanctus Isidorus (*De eccl. Off.*, *lib.* II, *cap.* 5) annulum enumerat, quem episcopo, cum ordinatur, dari ait *propter signum pontificalis honoris*; et concilium Toletanum IV (*Can.* 28) decrevit ut episcopo, gradu suo injuste amoto, cum, detecta innocentia, C red integratur, *annulus* cum baculo et orario, coram altari, restituatur. Annulum igitur episcopus digito detractum tradit diacono, qui postquam ornamentis pontificalibus illum induit, annulum quoque digito reponit; si autem *locale* retineatur, de munere aut salario quod hac occasione ab episcopo diaconis confertur, fortasse accipiendum erit (*Du Cange in Glossario Latino.*)

[b] *Ut ne modicum.* Nimirum cavebant ne novus ignis ab iis qui foris exspectabant cerneretur, antequam accenderetur lucerna.

[c] *Petra.* Mos erat apud Hispanos antiquus novum ignem e silice petere; quare Prudentius Hymn. 5 cathemer. ce init :

Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere,
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam
Qui dici stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis unde genus venit,
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis, aut facibus pascimus aridis.

In Gallia ignem novum aut e silice excutiebant, aut collectis crystallo solis radiis accendebant. Mos idem erat Ecclesiæ Ticinensi, atque adeo Mediolanensi, aut certe illi Ecclesiæ pro qua Ennodius benedictiones cerei scripsit, iis vero qui ritus Romanos sequebantur mos erat feria quinta, aut sexta, pro diversitate Ecclesiarum, unam aut plures lampades, in secreto quodam ecclesiæ loco, continuo ardentes habere; unde Sabbato sancto novum ignem accendebant. Vide epistolam Zachariæ papæ ad sanctum Bonifacium (*Epist.* 142, *inter epist. S. Bonif.*, *Bibl. Patr. Colon.*, *tom.* VIII, *p.* 133) et Breviarium ecclesiastici ordinis (*Thes. nov. Anecd. tom.* V). Demum adverte in aliquibus Ecclesiis singulis diebus hujus tridui, nimirum feria 5, 6 et Sabbato majoris hebdomadæ, excitatum esse novum ignem : in Hispania nonnisi Sabbato sancto ignem novum e silice excitatum inveni.

[d] *Et mox.* Episcopus ignem e silice excutit, quo lucernam et cereum paschalem accendit, deinde in processum redit, ibique, *posita pontificis sella*, ipse sedet, accedentique diacono, cum lucerna paschali, benedictionem impertit, *et prius cereum* admotum lucernæ *accendit; deinde accedit omnis clerus ad lucernam, et accendunt cerea sua;* tum episcopus *orationem ad benedicendam lucernam* dicit, *Exaudi nos, lumen indeficiens*, quæ Orationali Gothico (*Pag.* 94) inscribitur *Oratio quæ die Sabbato sancto ad benedicendam lucernam in sacrario dicitur.* Qua absoluta, aliam orationem *Offerimus tibi*, *Domine*, *cerei hujus*, etc., supra cereum paschalem fundit, quæ in Orationali Gothico (*Pag.* 99) exstat sub hoc titulo : *Item oratio, quæ in eodem die*, Sabbato sancto, *ad benedicendum cereum, in sacrario similiter dicitur*, et deinde omnes ordinatim ad ecclesiam procedebant, cereos accensos gerentes. Lucerna et cereus paschalis imponuntur candelabris grandioribus, quales adhuc, in vetustis ecclesiis, juxta pulpita ambonis cernuntur. Episcopus antiphonam *Lumen verum* incipiebat; qua expleta, benedicebantur diaconi, qui laudes lucernæ et cerei dicturi erant, deinde canebantur *benedictiones*, sive laudes, *lucernæ* et *cerei*, quas orationes ab episcopo fusæ excipiebant; ac tandem lectiones solemnes legebantur. Hoc ordine, ni fallor, olim officium Gotho-His- D pani peragebant; at Mozarabes, ritus Romanos imitantes, priscum ordinem perturbarunt, et cæremonias quasdam inseruerunt quæ cum orationibus quas recitant non bene cohærent.

[e] *Concedente.* Forte, *concendente*, sive simul accendente.

[f] *Oratio.* Eadem oratio exstat in Orationali Gothico (*Pag.* 99).

[g] *Sedium.* Id est *Thronorum.*

[h] *Deinde benedicat.* Hic ritus Gotho-Hispanus non videtur. Formula benedicendi desumpta est e Sacramentario Gelasiano Ven. Thomasii; cui inscribitur *Benedictio super incensum*, cereum scilicet; est enim extrema pars benedictionis paschalis cerei, neque ibi sermo ullus est de thuris benedictione, de quo nullibi.

[i] *Hoc incensum.* In Gelasiano, *hunc incensum*, subintelligendo *cereum*; at in Missali *incensum* pro *thure* accipitur.

[j] *Accende.* Lege *intende*, ut in Gelasiano legitur.

luminis tui ammixtione refulgeat : [a] sed in quocumque loco hujus sanctificationis mysterio fuerit deportatum : expulsa diabolice fraudis nequicia : virtus tue majestatis assistat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. [b] Benedictio Dei Pa ✝ tris omnipotentis : et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti : descendat et maneat super hoc lumen et incensum istud. ℟. Amen.

Et mox cum tota cera accensa fuerit precedunt Clerici vel Levite lucernam : et lucerna. Episcopum atque Presbyteros. Et vadunt [c] *per bubata ad chorum : dumque ascenderint juxta tribunal ab Episcopo imponitur Antiphona.* Lumen verum illuminans omnem hominem in hunc mundum venientem. ℣. Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbre mortis : lux orta est eis. *P.* Inluminans. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Lumen ve. *Cumque venerit Episcopus cum Presbyteris Diachonibus et Clero psallendo ad altare : ponitur lucerna a Diachono in stillo : dicanturque a Clero hi versus.* Populus qui sedebat. *Stantes* [d] *in locum ubi solent sacrificium canere : cui suscipitur a Clero qui in choro sinistro juxta vestibulum adstant.* Lumen verum. *Qua expleta, caput supradicte Antiphone replicatur.* Lumen verum. *Et statim egrediuntur Clerici et psallendo veniunt ad chorum. Dum hec Antiphona secundo fuerit replicata : accedet Episcopus vel Sacerdos ad altare et dicat sequentem orationem. Ad cereum benedicendum.*

[e] *Oratio.* Offerimus tibi Domine cerei hujus rutilantis speciem : Divino igne succensam : [f] per quem multimodam materiam nutu tuo produci jussisti : atque his eum [g] indignis manibus nostris oblatum incendimus : precantes bonitatem tuam : ut emissione Spiritus Sancti : qui quondam in similitudinem ignis : divisionemque linguarum in Apostolorum tuorum corda perspicuus fulgensque apparuit : cum bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris. Et sicut hic cereus exuberans larga visione noctis hujus jugulat cecitatem : et devotissime plebis tue resplendet obtutibus : ita et nos Domini nostri Jesu Christi Filii tui splendore repleti : internis mentibus fulgeamus : et peccatorum cecitate detersa : lux in nobis sempiterne fidei perseveret.

℟. Amen.

176 *Ad benedicendos Diachones.*

[h] *Oratio.* [i] Prima tibi et principalia Deus Pater omnipotens hec luminum munera in exordio venerande hujus noctis offerimus : et ob honorem Dominice Resurrectionis [j] lucernam et cereum claritatis aptavimus : quam unigenitus filius tuus Dominus noster Jesus Christus adventus sui faciat mysteriis inluminatam. Per quem te Deus supplices exoramus : ut hoc sanctum luminis munus libens accipias : pervigilem in nos devotionem flagrantia spiritali succendas. Simulque omnipotens Deus commendamus pio dilectionis affectu sanctos fratres nostros et [k] Condiachones. A. et A. tue majestatis laudes inenarrabiles narrare cupientibus. Ut eis scientie ac sapientie de tuis thesauris accomodes plenitudinem. Ut quicquid itaque mente conceperunt : aut sensu excogitaverunt : vel certe meditationibus crebris memoriter tenuerunt : oblivionis caligine depulsa : titubationis-

[a] *Sed in quocunque loco.* In Sacramentario Gelasiano paulo aliter legitur : *Sed quocunque loco ex hujus aliquid sanctificationis fuerit mysterio deportatum, expulsa,* etc. Rogant enim Deum ut dignetur specialem virtutem cereo infundere contra vires et nequitias diaboli, ut etiam particulæ a cereo avulsæ vi polleant malos dæmones et ab iis illata damna et incommoda averruncandi. Quo etiam spectat illud Ennodii in sua prima benedictione cerei paschalis (*Apud Sirmundum, oper. tom. I, col.* 1724), cum Deum orat : *In hujus autem cerei luminis corpus te, Domine, postulamus, ut supernæ benedictionis munus accommodes, et si quis hinc sumpserit adversus flabra ventorum, adversus spiritus procellarum, tua jussa faciens, sit illi singulare profugium, sit murus ab hoste fidelibus.* Notat autem in hunc locum Sirmundus quod Dominica in Albis solebant antiquitus post communionem populo distribuere particulas e cereo paschali discerptas, quibus in domibus, agris, vineis suis suffitum faciebant, ad præstigias dæmonum, ad fulgura, turbines ventorum, aerisve tempestates avertendas. Cæterum de benedictione thuris infigendi cereo paschali silent Orationale Gothicum et libri liturgici Gallicani, neque de ea quidquam habet Sacramentarium Gelasianum, aut ordo Romanus Hittorpii.

[b] *Benedictio.* Hæc benedictio in Sacramentario Gelasiano non legitur.

[c] *Per bubata.* Bubata, Bobeta et Boveta idem significant atque fornix, sive opus, aut ædificium concameratum, e processu, sive e sacrario ad Ecclesiam aut per porticum concameratam, quæ vulgo *Bubata* dicebatur.

[d] *In locum.* Lege *in loco.*

[e] *Oratio.* Exstat hæc oratio in Orationali Gothico (*Pag.* 99).

[f] *Per quem.* In Orationali Gothico (*Pag.* 99, *orat.* 7) legitur *quam per multimodo materia nutu tuo prodici jussisti.* Lege tamen *per quem multimodam materiam prodigi jussisti.* Cereus enim grandis erat.

[g] *Indignis manibus.* Nam antiquitus episcopus suis ipse manibus cereum accendebat.

[h] *Oratio.* Hæc oratio in Orationali Gothico (*Pag* 100) exstat, sed minus prolixa, sive potius est oratio Missalis nostri in compendium redacta ; titulum in orationali præfert : *Item oratio quæ in eodem die* Sabbati *post lumen lebatum ante altare dicitur.* Habet etiam precationem pro diaconis qui lucernam et cereum benedicturi erant. Olim postquam lucerna et cereus grandioribus candelabris infixi fuerunt, et clerus antiphonam *Lumen verum* absolvit, episcopus hanc orationem fundebat, qua et Deo offert lucernam, et cereum, et diaconos, qui laudes novi luminis dicturi erant Deo commendat.

[i] *Prima tibi et principali.* Principium hujus orationis Prudentius (*Hym.* 5. *cathemer.*) versibus complexus est :

O res digna, Deus, quam tibi roscido
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem qua tribuis nil pretiosius,
Lucem qua reliqua præmia cernimus

Et alludens ad antiphonam quam cantabant cum lucerna et cereus inferrentur, subdit :

Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris,
Lumen quod famulans offero suscipe
Tinctum pacifici chrismatis unguine
Per Christum genitum, summe Pater, tuum.

[j] *Lucernam et cereum.* Hinc patet non modo lucernam, sed etiam cereum accensum delatum esse in ecclesiam.

[k] *Condiachones.* Lege *condiacones.* Hoc loco nominabantur diaconi, qui lucernam et qui cereum erant benedicturi.

que formidine calcata : dicant voce canora : et oratione depromant luculentissima. Nihil quesumus in eis humanitatis operetur fragilitas : sed totum eis subministret tue clementie largitas. Dona eis post pallores genuum rubicundam sinceritatem : lingue volubilitatem : lacertorum firmissimam soliditatem. Ut in omnibus tuorum beneficiorum adjutorium sentientes : benedictionem lucerne cereique immurmurent : ac depromant maximam laudem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis. etc.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et. In nomine Domini nostri Jesu Christi : [a] votum vestrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Post hec vadit Episcopus post altare : et sedet in sella. Presbyteri vero juxta eum stantes : ac deinde Diachonus ante vestibulum juxta cancellos adstant : in ordinem suum : silentium admonent septies. Post hec accedent Diachones : et benedicent lucernam hac benedictione.

Benedictio lucerne. Dignum et justum est : vere dignum et sanctum est : nos tibi semper gratias agere laudesque referre. Domine sancte Pater omnipotens et Christe Deus : Quo mihi tribuas : ut in tuis laudibus semper resonent fauces mee : qui erigis a terra inopem : et ab stercore exaltas pauperem. Da directum et benesonantem in ore meo ministrari sermonem. Omnipotentem Deum substantie vitalis exordium : creature universalis auctorem Dominum : Salvatorem opificem : vocalis Ecclesie personet canora laudatio : ut ipsi rependat lingua mysterium : de cujus imperio sumpsit officium. Dignum est ut sponsi coruscantis adventum accensis prestoletur fidelis turba luminibus : ne nuptialis habitaculi respuat habere consortes : quos sub veterum umbraculo peccatorum invenerit dormientes. Quid dignius? Quidve sublimius? Quam ut tibi vigilet in se : eternitatis resuscitata mortalitas : cui totum ex origine : totum debet ex munere : vel quod formatur ex nihilo : vel quod reparatur ex perdito. Tu vas quod pronum culpa dederat in ruinam : figuli miserantis affectu de favillis cineribusque collectum spiritu vivificantem salvasti : ut faceres ex adoptione liberos : quos retineri videras ex prevaricatione captivos. Tu novelle vitis germina fecunda plantasti : ut antiquorum tabesceret suavitas amara pomorum. Nunc de cibo sumitur : vita non labitur. Solvit gratia : quos vinxit A illecebra. De arbore creata nox criminis : sed de ligno genita lux salutis. Vetuisti opera manuum tuarum clemens operator : interfici perpetue mortis excidio. Paradisi januam quam piaculum letale damnaverat : dextra mysterii celestis aperuit. Id perfecte judicans esse pietatis : ut quibus ad vitam fueras largitus introitum : tribueres et regressum. Mortificantur ex lapsu : qui vivificantur ex precio. Redempti clementius : [b] quam creasti. Namque ibi Deus operatus ut faceret : hic passus est ut prodesset. [c] Induit carnem : sed non exuit majestatem : nostram substantiam expetens : sed propriam non relinquens. Cum corpore editus : sed intemerato 177 pudore conceptus. Temporalis ex virgine : sed coeternus ex patre. Humilians divina : ut possit elevare B terrestria. Cui tanti fuit salvatio : ut ne nos perderemus celum : ille pateretur infernum. Suscepit mors : quem tenere non potuit. Amplificata successu : sed evacuata spolio. Exultavit in raptu : sed occidit in tropheo. In se refusa defecit [d] extremitas : postquam vite appetere tentavit auctorem : et dum ambit inlicita : perdidit adquisita. Adest nox lumine donata : perpetuo Dominicis sanctificata victoriis. Que recidivum mundi sortita natalem : debellata funeris regione : triumphos Christi resurgentis excepit. Que transgressionis maculas fluenta lavacri salutaris abstersit. Que veternosa criminis indumenta tactu liquidi resolvit elementi. In qua mercedem sanguinis presentat unda baptismatis : et dum vetus culpa decidit : novus homo consurgit.

C *Oratio que ante Altare dicitur.*

[e] Deus qui filios Israel educis ex Egypto; palpabiles Egypti tenebras relinquendo. Deus [f] qui duce luminis gratia : pondus horrende noctis exterminas : Deus [g] qui precedente Angelo tuo in columna nubis in diem : eoque in columna ignis in noctem posteriora servantem : curam nostre salutis exequeris : teque nobis in eo prestas in quo lucere nos lumine scientie tue jubes. Fac nos divinitatis tue fieri consortes : et larga tua pietate ex invisibilibus bonis visibilia bona concede : que nos et offerri doceant : et tuam in omnibus compleri faciant voluntatem.

℟. Amen.

Hec quinque grana incensi a Diachono infiguntur cereo in modum crucis. Post hanc explicitam [h] accedet D *Diachonus ipse et de ipsa lucerna accendit cereum. Post hec a Diachonibus tribus vicibus silentium datur. Deinde accedent Diachoni ad cereum : qui ad dexte-*

[a] *Votum vestrum.* Nimirum nova lumina lucernam et cereum.

[b] *Quam creasti.* Lege *quam creati*, aut *quos creasti.*

[c] *Induit.* Hunc locum citat Elipandus in epistola ad Albinum, inter opera Alcuini (*Ed. Paris. t. II, col.* 917). *Nam et ipsi*, inquit, *canimus in vigilia Paschæ, beato Isidoro dicente : Induit carnem, sed non exuit majestatem, nostram substantiam expetens, sed propriam non relinquens*, quibus hanc lucernæ benedictionem sancto Isidoro tribuit.

[d] *Extremitas.* Forte, *iniquitas.*

[e] *Deus.* Eadem oratio legitur in Orationali Gothico (*Pag.* 100, *orat.* 2), cui titulus præfigitur : *item oratio quæ post benedictionem lucernæ ante altare similiter dicitur.*

[f] *Qui duce luminis gratia.* Forte. *Qui hujusce luminis gratia.*

[g] *Qui, præcedente angelo.* Confer Exod. XIII, 21, 22, et adde Prudentium (*Hymn.* 5 *cath.*) laudes paschalis luminis canentem.

Hunc ignem populus sanguinis inclyti
Majorum meritis tutus, et impotens,
Suetus sub dominis vivere Barbaris
Jam liber sequitur longa per avia;
Qua gressum tulerat, castraque cerulæ
Noctis per medium concita moverat.
Plebem pervigilem fulgure prævio
Ducebat radius sole micantior.

[h] *Accedet Diachonus.* Huic rubricæ, quæ recentioris est ævi, contradicunt orationes quæ recitantur, qui-

r..m cornu altaris adstat : benedicent eum benedictione hac. Sicque [a] *alii duo cerei cum eo accenduntur : unus juxta cornu altaris a parte sinistra : et alius post altare astantes.*

[b] *Benedictio cerei.*

[c] Equum et justum est : vere Domine satis dignum et pulcrum est : in quantum nos munere tuo illustras : tibi semper gratias agere : apud quem est fons vite : in cujus lumine videbimus lumen. Previa tot tantisque virtutibus circa tue majestatis resplendens altaria serenat lux cerei. Premittunt [d] judicia ignea miracula secura lympharum. Nunciatur ex lumine : quod nascatur ex fonte. Patescunt actu : quo fuerant figurata mysterio. Instar columne veteris fomes iste [e] perfulget : aquis populum docet esse salvandum : per quas et liberatio tribuatur ad salutem : et regeneratio donetur ad requiem. Ascendat Domine in cons. ectu glorie tue ob ecratio devota famulorum. Visitentur benedietionis dono : que sacro dedicantur obsequio. Non hic tureis adoletur flamma virgultis : nec in sabeicis proscinduntur ligna : nemoribusque suavitatem cinnamomi [f] orantes exhalant. Sed cera famulatur ex lumine : que non polluitur ex parente. Cujus natura de flore : cujus ortus ex virgine. Cui illa dat genitrix nativitatis originem : que corruptionis nescit errorem. [g] Pharus cum etiam niveo adoperta sub tegmine : flammarum exequitur incremento. Neque hoc sine celestis agitur operatione virtutis : quod favet ignibus res [h] nutrita gurgitibus. Agnoscunt cuncta te Dominum : tibique se sciunt debere quod nata sunt. Dedisti pie opifex creature sensum : que suum possit intelligere et honorare factorem. Intende propicius Domine ad hujus cerei devotissimam servitutem :

bus docemur, non diaconum, sed episcopum suismet manibus cereum paschalem accendisse (*Pag.* 175). Iisdem docemur, cereum non fuisse accensum in ecclesia, sed in sacrario, aut in *processu :* atque ita accensum in ecclesiam, simul cum lucerna accensa, delatum suo fixum esse candelabro (*Vid. not. ad pag.* 174, 176). Demum hac ipsa benedictione infra, docemur cereum paschalem ritu Gotho-Hispano, thus non admisisse. Sed neque ritu Romano olim (*Vide not. ad pag.* 175), cereo infigebantur thuris grana. Suspicor autem hæc verba, *in hujus igitur noctis gratiam suscipe, sancte Pater, incensi hujus sacrificium vespertinum*, quæ in vulgari cerei paschalis benedictione recitantur, occasionem præbuisse grana thuris cereo infigendi; nam rubrica Missalis Toletani, Missalis Romani sancti Pii V, et aliorum recentiorum Missalium præscribit ut *diaconus infigat quinque grana* incensi cereo antequam dicat *In hujus igitur noctis gratiam*, etc. Sed cum verba illa in benedictione cerei Gotho-Hispana, qua Mozarabes constanter usi sunt, non legantur, et τὸ *incensi hujus* de cereo paschali, non de thure, illi infixo, intelligantur, haud puto antiquiores Mozarabes grana thuris cereo suo infixisse; neque cereum in ecclesia a diacono a quo benedicendus erat accensum esse.

[a] *Alii duo cerei.* Est quidem ritus vetustus, ut duo alii cerei, admoti cereo paschali, accendantur. De eo ordo Romanus Hittorpii, et plura antiqua Missalia et Pontificalia apud Martenium meminere, tamen hunc ritum Gotho-Hispanum esse haud puto.

[b] *Benedictio cerei.* O ationali Gothico (*P.* 109, *art* 1) inscribitur *laus luminis*, et a sancto Augustino (*lib.* XV *de Civit. Dei*, *cap.* 32) dicitur *Laus cerei.* Hujusmodi benedictionum binæ apud Ennodium habentur : una exstat in Sacramentario Gelasiano, *Deus mundi conditor*, quæ apud Hittorpium (*Pag.* 66) in quinto suo ordine Romano, inter orationes quibus novum lumen benedicitur prima est; ab hac differt *laus* sive *benedictio* cerei, quam sanctum Augustinum, cum esset diaconus, pronuntiasse ferunt, *Exsultet jam angelica turba*, etc., estque vulgaris; et notissima cerei paschalis benedictio, quæ in Sacramentario Bobiano, in Missalibus Gallicano, et Gallo-Gothico, in Ambrosiano Pamelii, in Missali Toletano, in Romano sancti Pii V et passim in Missalibus ritus Gregoriani, cum aliqua tamen varietate, legitur. Hanc recentiores quidam sancto Leoni, tanquam auctori, tribuunt, sed libri liturgici antiquiores sancto Augustino ascribunt, et sane sanctum Augustinum benedictionem cerei aliquando scripsisse, ipse (*De Civit. l.* XV, *c.* 22) haud obscure innuit : *In laude quadam cerei breviter*, inquit, *versibus dixi. Hæc tua sunt, bona sunt, quia tu bonus ista creasti, nil nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes.* Ab his omnibus benedictio cerei Missalis Mozarabici diversa est, quam Elipandus sancto Isidoro attribuit (*Ep. ad Albinum*, *oper. Alchuini col.* 917). Laus, seu benedictio cerei a diacono in Ecclesia Gotho-Hispana canebatur. In Ecclesia Romana, si fides sit rubricæ Sacramentarii Gelasiani em. Thomasii, aut ordini Romano quinto Hittorpii, cereus a primo diacono, sive ab archidiacono benedicebatur. Sanctus Gregorius papa (*Lib.* IX, *epist.* 28) permisit Mariniano episcopo Ravennati ut preces quæ supra cereum *in Ravennati civitate* dicebantur, et expositiones Evangelii, quæ, circa festum Paschæ, a sacerdote fieri consueverunt, per alium faceret; inde tamen minime consequitur episcopos Ravennates solitos fuisse cerei benedictionem canere; nam aliæ erant orationes quas episcopus super cereum *fundebat*, de quibus hic sanctus Gregorius agit, alia erat *laus luminis* quæ a diacono canebatur.

[c] *Equum et justum.* Gotho-Hispani solemni illationum formula benedictionem cerei inchoant, et Ennodius eodem modo benedictiones cerei orditur. Galli in Sacramentario Bobiano, in Missali Gallo-Gothico, et in Missali Gallicano præmittunt præfationem *Exsultet jam angelica turba*, deinde, alio vocis tono, dicunt *Sursum corda*, etc., ac deinde *dignum et justum est*, et reliqua benedictionis prosequuntur ferme ut in Sacramentariis Gregorianis exstant; at in Sacramentario Gelasiano, omissa omni præfatione, et solemni *Vere dignum*, simpliciter inchoatur benedictio ab his verbis : *Deus mundi conditor.*

[d] *Judicia.* Forte, *indicia.*

[e] *Perfulget.* Forte, *præfulget.*

[f] *Horantes.* Lege : *Non hic thureis adoletur flamma virgultis, nec in sabeicis proscinduntur ligna nemoribus, quæ suavitatem cinamomi rorantis exhalant.*

[g] *Pharus.* Est error Amanuensis, aut typographi; lege igitur (ut in Missali Mozarabum revera legitur) *papyrus*, quæ etiam pro ellychnio in candelis et cereis adhibebatur, hinc illud sancti Paulini (*Natal.* 3) :

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Et Prudentius (*Cathem. hym.* 5) de cereo paschali cantavit.

Quin et fila favis scirpea floreis,
Presso ute le prius, collita fingimus.

De papyro autem consule Plinium Seniorem (*Hist. nat. lib.* XIII, *sect.* 22, *Edit. Harduini*), Theophrastum (*Hist. plant. lib.* IV, *cap.* 9).

[h] *Nutrita gurgitibus.* Plinius (*Lib.* XIII, *sect.* 22) : *Papyrum nascitur in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudinem gurgitum.* Huc etiam refer illud Ennodii, in Benedict. 1 cerei paschalis, *papyrum ad alimenta ignium lympha transmisit.*

[a] ut qui flammam gignere cernitur : usuale tue benedictionis serenatus ex lumine : cunctis sit expedibilis ad salutem. [b] Resolvit gravium fomenta languorum. Asperitates casuum remedii tranquillitate confringat. Omnia votis largiantur humanis : [c] qui de tuis benedictionibus sumpsere [d] officium. Tribue etiam Domine sancte Pater omnipotens Deus : ut diei hujus solennia sacre paschalis : in qua redemptoris nostri gloria predicatur et gratia : cum antistite nostro A. cum [e] gloriosis Principibus : cum Pre byteris Diaconibus Clero atque omni fideli populo : sub multorum **178** celebrare curriculo mereamur annorum. ℟. Amen. Presta per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum : cum quo tibi est una et coequalis essentia in unitate Spiritus Sancti : in secula seculorum. ℟. Amen. Amen amen amen ad te descendat. ℟. Amen. Pax in celo. ℟. Amen. Pax in terra. ℟. Amen. Pax et plenitudo tua Domine super nos descendat. ℟. Amen. Pax Regibus et potestatibus fidelibus seculi hujus. ℟. Amen. Pax Ecclesie tue catholicæ : que est in hunc locum constituta : et per universum orbem terrarum in pace diffusa.

℟. Amen.

Deinde dicat Episcopus orationem ante Altare.

[f] *Oratio.* Expectati temporis dilectissimi fratres festa solemnitas : et annuum per secula sacre resurrectionis archanum votive noctis advenit. Hoc illud A est quod in perennem memoriam consecratum credentibus populis altissima de celis gratia spiritalis attribuit. Hilares vigilias gloriosis laudibus perferamus : diemque vincentes [g] qua funalibus crebris Ecclesia sancta resplendens coruscat : in lumine preconia Dominice passionis indefessis precibus celebremus. Intendentes auditu lectionibus sanctis : ac sedulis obsecrationibus patientiam non negantes. Ut ille regalis solii habitator altissimus a sede arcis etheree populo suo : qui solennia reddituras ad hec festa convenit : per Spiritum suum Sanctum clementer inlapsum placabilis ac propiciatus adspiret.

℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster : qui vivis et omnia regis in secula seculorum.

B ℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[h] *Deinde dicatur prophetia. Lectio libri Genesis* ([i] *Cap. I, II*).

℟. Deo gratias.

In principio creavit Deus celum et terram. Terra autem erat inanis et vacua : et tenebre erant super faciem abyssi : et spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus. Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona : et divisit lucem a tenebris. Appellavitque lucem diem : et tenebras noctem.

[a] *Ut qui flammam.* Lege *ut* CEREUS, *qui flamma igniri cernitur usuali* (i. e., consueta) *tuæ benedictionis serenatus ex lumine*, etc.

[b] *Resolvit.* Lege *resolvat.*

[c] *Qui.* Lege *quæ.*

[d] *Officium.* Fortasse, *initium.*

[e] *Gloriosis principibus.* Reges Gotho-Hispani gloriosi et glori-sissimi passim appellabantur. In benedictione cerei Sacramentarii Bobiani, Missalis Gallo-Gothici et Gallicani, Deo commendantur clerus et populus; de episcopo, rege, aut pontifice nulla fit mentio. In benedictionibus Ennodii pro solo episcopo oratur. In benedictione cerei Sacramentarii Gelasiani nullus Deo specialiter commendatur, ne clerus quidem et populus; at in benedictione, quæ ordini Romano Hittorpii (*P.* 72) inseritur : *Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos, omnem clerum, et devotissimum populum, una cum beatissimo papa nostro N. et gloriosissimo rege nostro N., nec non antistite nostro, in his paschalibus gaudiis conservare digneris.* Porro si hæc benedictio nostri Missalis tribuatur sancto Isidoro, *gloriosissimi principes* fortasse intelligendi sunt Suinthilla, et filius ejus Riccimirus, quem in consortium regni a patre assumptum scribit sanctus Isidorus, in Chronico, apud Labbeum (*In Bibl. t. I, p.* 69).

[f] *Oratio.* Eadem oratio legitur in Orationali Gothico (*Pag.* 100, *orat.* 3), sub hoc titulo : *Item oratio quæ post benedictionem cerei ante altare dicitur.*

[g] *Qua.* Ita etiam in Orationali Gothico legitur, attamen aliquid deesse videtur; fortasse supplendum *quæ cereis, qua funalibus crebris.* Sanctus Gregorius Nazianzenus (*Or.* 19, *tom. I oper.*) vigilias Paschatis splendidissimam illam noctem appellat, *qua nos magna luminis copia salutis nostræ festum celebramus*; et Prudentius (*Hym.* 5 *cathem.*) morem Hispanum sui ævi describens, ea quæ in Missali nostro leguntur carmine repræsentat.

Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaque prospera
Certatim vigili congerimus prece
C
Exstructoque agimus liba sacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquear a,
Et de languidulis fota natalibus
Lucem perspicuo flamma jacet vitro,
Credas stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare trionibus....

Et ibid., supra, idem poeta canit :

Splendent ergo tuis muneribus, Pater,
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentemque diem lux agit æmula,
Quam nox cum lacero victa fugit peplo

Quas autem Prudentius *flammas mobiles* dixit, Missale nostrum, *hic*, et sanctus Paulinus (*Nat.* 6) appellant funalia.

Ast alii pictis accendunt lumina ceris,
Multiforesque cavis Lychnos laquearibus aptant,
Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas.

[h] *Deinde dicatur.* Post lucernæ et cerei benedictionem, continuo legebantur lectiones, ut ex superiori oratione et ordine Missalis patet. Mos idem in Ecclesiis Galliæ observatur, ut in Missalibus Gallo-D Gothico et Gallicano videre est, et in Ecclesia Romana, ut indicant Sacramentaria Gelasianum et Gregoriana; at in Sacramentario Bobiano (an per errorem, an propter aliquam disciplinæ varietatem non mihi satis constat) orationes, post lectiones dicendæ, atque adeo lectiones ipsæ, ante cerei benedictionem ponuntur. De numero lectionum est haud exigua varietas : in Missali Toletano sunt lectiones quinque, in Gregoriano Pamelii, et in Comite Thomasii sex; in Gregoriano Menardi octo; in Missali Mozarabum, et in Sacramentario Gelasiano decem, in Orationali Gothico, in Sacramentario Bobiano, in Missali Gallo-Gothico, et in Lectionario Luxoviensi, duodecim. Demum in Missali Gallicano sunt tredecim. Legebantur lectiones in ambone a lectoribus. In Sacramentario Gelasiano, in Orationali Gothico, et in Missali Mozarabum lectionibus oratio præmittitur, non item in Sacramentariis Gregorianis.

[i] *Cap. I.* Vers. 1 ii, 1-4.

Factumque est vespere et mane [a] dies primus. Dixit A quoque Deus. Fiat firmamentum in medio aquarum : et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum : divisitque aquas quæ erant sub firmamento : ab his que erant super firmamentum. et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum celum. Et factum est vespere et mane dies secundus. Dixit vero Deus. Congregentur aque que sub celo sunt in locum unum : et appareat arida. Factumque est ita. Et vocavit Deus aridam terram ; congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum : et ait. Germinet terra herbam virentem et facientem semen : et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum. Cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem : et afferentem semen juxta genus suum : lignumque faciens fructum et habens unumquodque semen secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum : factumque est vespere et mane dies tertius. Dixit autem Deus. Fiant luminaria in firmamento celi : et dividant diem ac noctem : ut sint in signa et tempora et dies et annos : ut luceant in firmamento celi et inluminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo magna luminaria. Luminare majus ut preesset diei : et luminare minus ut preesset nocti : et stellas. Et posuit eas in firmamento celi : ut lucerent super terram : et preessent diei ac nocti : et dividerent lucem a tenebris. Et vidit Deus quod esset bonum : et factum est vespere et mane dies quartus. Dixit etiam Deus. Producant aque reptile anime viventis : et volatile super terram : sub firmamento celi. Creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem : quam produxerant aque in species suas : et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum : benedixitque eis dicens. Crescite et multiplicamini : et replete aquas maris. Avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane dies quintus. Dixit quoque Deus. Producat
179 terra animam viventem in genere suo : jumenta et reptilia : et bestias terre juxta species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terre juxta species suas : et jumenta et omne reptile in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum : et ait. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : ut presit piscibus maris et volatilibus celi : et bestiis universe terre : omnique reptili quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam : ad imaginem Dei creavit illum : masculum et feminam creavit eos. Benedixit que illis Deus : et ait. Crescite et multiplicamini et replete terram : et subjicite eam : et dominamini piscibus maris et volatilibus celi : et universis animantibus que moventur super terram. Dixitque Deus. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram : et universa ligna que habent in semetpsis sementem generis sui : ut sint vobis in escam et cunctis animantibus terre : omnique volucri celi et universis que moventur in terra : et in quibus est anima vivens : ut habeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta que fecit : et erant valde bona. Et factum est vespere et mane dies sextus. Igitur perfecti sunt celi et terra : et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus B die septimo opus suum quod fecerat. Et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit Deus diei septimo : et sanctificavit illum. Quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret.

℟. Amen.

Dicat Diaconus. [b] Pro solennitate paschali. Flectamus genua. Levate.

Oratio. Pro solennitate paschali flexis genibus : te Pater omnipotens obsecramus : ut mors unigeniti tui Domini nostri : qui vitam omni contulit mundo : toti gratiam conferat populo christiano. Resurrectio quoque ejus nos ad celestia sublevet : et a corruptione vitæ hujus ereptos immortalitati eterne consociet.

℟. Amen :

C Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum.

℟. Amen.

Lectio libri Genesis (*Cap.* [c] *V - VIII*).

℟. Deo gratias.

In diebus illis. Noe cum quingentorum esset annorum : genuit Sem. Cham. et Japhet. Cumque cepissent homines multiplicari super terram et filios procreassent : videntes filii Dei filias hominum : quod essent pulcre : acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Dixitque Deus. Non permanebit spiritus meus in homine in eternum : quia caro est. Eruntque dies vite illius : centum viginti annorum. Videns autem Deus quod multa malicia hominum esset in terra : penituit eum quod hominem D fecisset in terra. Dixitque Deus ad Noe. Finis universe carnis venit coram me. Fac tibi arcam de lignis levigatis : et ingredere in ea tu et filii tui : et uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum : et ex

[a] *Dies primus.* Vulg., Hebr., LXX, *dies unus.*

[b] *Pro solemnitate.* Post singulas lectiones singulæ consequuntur orationes, in quibus non est minor varietas quam in lectionibus. In Missali nostro, absoluta lectione, de more *Amen* respondetur, et continuo diaconus elata voce titulum orationis, sive id pro quo orandum sit, proponit, additque *Flectamus genua*, omnesque se prosternunt; et post breve tempus, orationi datum, iterum clamat diaconus *Levate*, et omnes surgunt ab oratione, et sacerdos orationem, sive collectam, dicit. At in orationali Gothico, et in Missalibus Gallicano et Gallo-Gothico occurrit primum præfatio quædam, quæ in Orationali *oratio*, in Missalibus Gallicanis *præfatio* nominatur. Hac absoluta, diaconus titulum orationis proponit, at non dicit *Flectamus genua*, nec *Levate*; sed, proposito orationis titulo, sacerdos *collectam*, sive orationem, dicit. In Sacramentario Bobiano, vox diaconi non auditur, et orationes ipsæ sine titulo, instar præfationum leguntur.

Cap. V. Vers. 1-VIII, 1-21, pluribus omissis.

cunctis animantibus universe carnis. Te enim vidi A justum coram me in generatione hac : ut salvetur semen super faciem universe terre. Adhuc enim et post dies septem : ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus : et delebo omnem substantiam quam feci de superficie terre. Fecit ergo Noe omnia que mandaverat ei Dominus. Factumque est diluvium : et delevit omnem substantiam : que erat super terram. Adduxit vero Deus spiritum super terram : et imminute sunt aque et prohibite sunt pluvie de celo : requievitque arca die septimo. Aperiens Noe fenestram arce quam fecerat : dimisit corvum. Qui egrediebatur [a] et revertebatur donec siccarentur aque super terram. Emisit quoque columbam post eum : ut videret si jam cessassent aque super faciem terre. Que cum non B invenisset ubi requiesceret pes ejus : reversa est ad eum in arcam. Extenditque manum : et apprehensam intulit in arcam. Expectatis autem ultra septem diebus aliis : rursum dimisit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vesperum : portans ramum olive virentibus foliis in ore suo. **180** Intellexit ergo Noe quod cessassent aque super terram. Et aperiens tectum arce aspexit : viditque quod exciccasset superficies terre. Locutus est autem Dominus ad Noe dicens. Egredere de arca tu et uxor tua : et filii tui et uxores filiorum tuorum tecum : cunctaque animantia que sunt apud te ex omni carne. Egressus ergo Noe : fecit ut dixerat ei Deus. Edificavitque altare Domino : et tollens de cunctis pecoribus et C volucribus mundis : obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis.

℟. Amen.

Dicat Diaconus. [b] Pro his qui variis necessitatibus detenti : pasche interesse non possunt. Flectamus genua. Levate.

Oratio. Deprecamur te Pater eterne omnipotens Deus pro his : qui diversis necessitatibus detenti : solemnitate paschali interesse non meruerunt. Ut quia gaudio presentium sunt exsortes : mereantur sanctorum meritis adesse participes. Ut sicut passio unigeniti filii tui Domini nostri pro multorum salute occurrit : ita et hec celebritas annue festivitatis : et presentibus tribuat gloriam : et absentibus conferat veniam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus : D qui vivis et omnia regis in secula seculorum.

℟. Amen.

Lectio libri Genesis ([c] *Cap. XXII*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. [d] Loquutus est Dominus ad Abraam dicens. Abraam Abraam. At ille respondit. Adsum : Ait illi. Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac : et vade in terram visionis : atque offeres eum ibi in holocaustum super unum montium : quem monstravero tibi. Igitur Abraam de nocte consurgens stravit asinum suum : ducens secum duos juvenes : et Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum : abiit ad locum quem preceperat ei Deus. Die autem tertio elevatis oculis vidit locum procul. Dixitque ad pueros suos. Exspectate hic cum asino : ego et puer vadam illuc usque properantes. Postquam adoraverimus : revertemur ad vos : Tulit quoque ligna holocausti : et imposuit super Isaac filium suum. Ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Cumque duo pergerent simul : dixit Isaac patri suo : Pater mi? At ille respondit. Quid vis fili? Ecce inquit ignis et ligna : ubi est victima holocausti? Dixit autem Abraam. Deus providebit sibi victimam holocausti fili mi. Pergebant ergo pariter : veneruntque ad locum : quem ostenderat ei Deus. In quo edificavit altare : et desuper ligna composuit. Cumque colligasset Isaac filium suum : posuit eum in altare super struem lignorum. Extenditque manum et arripuit gladium : ut immolaret filium suum. Et ecce angelus Domini de celo clamavit dicens. Abraam Abraam. Qui respondit, Adsum. Dixitque ei. Non extendas manum tuam super puerum : neque facias illi quicquam. Nunc cognovi quod timeas Deum : et non pepercisti filio tuo unigenito propter me. Levavitque Abraam oculos : viditque post tergum arietem inter vepres : herentem cornibus suis. Quem adsumens : obtulit holocaustum pro filio. Appellavitque nomen loci illius : Dominus videt. Unde usque hodie dicitur : in monte Dominus videbit. Vocavit autem Dominus Abraam secundo de celo dicens. Per memetipsum juravi dicit Dominus : quia fecisti rem hanc : et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi : et multiplicabo semen tuum sicut stellas celi : et velut arenam que est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum : et benedicentur in semine tuo omnes gentes terre : quia obedisti voci mee. Reversus est Abraam ad pueros suos : abieruntque Bersabe simul : et habitavit ibi.

℟. Amen.

Dicat Diaconus. [e] Pro Sacerdotibus ac ministris. Flectamus genua. Levate.

Oratio. Sacerdotes tuos Domine indue justiciam : et ministri tui letentur. Illos doctrinis et vite exemplis munifica : hos sanctitatis cultu officiique locupleta : ut dum utrique a te augmenta virtutum perceperunt : sine offensione tuis **181** altaribus famulentur. ℟. *Chorus.* Amen. *Dicat Presbiter.* Per misericordiam tuam Deus noster : qui vivis et omnia regis in secula seculorum.

℟ Amen.

[a] *Et revertebatur.* Ita Hebr. et Arab. legunt. At Vulg., LXX et Syr., *non revertebatur.*

[b] *Pro his.* In Orationali Gothico post quintam lectionem orant *pro his qui sanctæ festivitati interesse non possunt*, inter quos ægrotos comprehendunt.

[c] *Cap. XXII.* Vers. 1-19. Lectionario Luxoviensi binæ lectiones primæ deficiunt ; tertia est de Noe (*Gen.* VII, 1-VIII, 1-23); quarta est de Abraham (*Gen.* XII, 1-19).

[d] *Loquutus.* Vulg., *tentavit.*

[e] *Pro Sacerdotibus* In Orationali Gotnico ad tertiam orationem clamat diaconus : *Pro sacerdotibus et ministris precemur Dominum.*

Lectio libri Exodi ([a] *Cap. XII*)

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Loquutus est Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti dicens. Mensis iste vobis principium mensium : primus erit in mensibus anni. Loquimini ad universum cetum filiorum Israel : et dicetis eis. Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. Sin autem minor est numerus : ut sufficere possit ad vescendum agnum : adsumet vicinum suum qui junctus est domui ejus : juxta numerum animarum que sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula : masculus anniculus. Juxta quem ritum tolletis et hedum : et servabitis eum usque ad quartamdecimam diem mensis hujus. Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperum. Et sument de sanguine : ac ponent super utrumque postem : et insuper liminaribus domorum : in quibus comedent illum. Et edent nocte illa carnes assas igni : et azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid : nec coctum aqua : sed assum tantum igni. Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis : nec remanebit ex eo quicquam usque mane. Siquid residui fuerit : igni comburestis. Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis : et calciamenta habebetis in pedibus : tenentes baculos in manibus : et comedetis festinanter. [b] Pascha enim Domini est.

℟. Amen.

Postea dicat Diachonus. [c] Pro unitate fidei catholice. Flectamus genua : levate.

Oratio. Ecclesia tua Christe que dilatata per universam terram diffusa est : omnis tua gratia in unitatis gremio colligatur. Et quamvis semetipsam in gentium varietate diffundat : fidei tamen divisionem non sentiat. Dissolve heresis scismata : que subvertere cupiunt fidem : que nituntur corrumpere veritatem. Ut sicut tu in celis atque in terra unus atque idem dignosceris Dominus : ita tibi in unitate fidei serviat cunctarum gentium populus.

℟. Amen.

Lecto libri Exodi ([d] *Cap. XIV*).

℟. Deo gratias.

[e] Quinta progenie ascenderunt filii Israel de terra Egypti. Dixitque Dominus ad Moysen. Quid clamas ad me? Dic filiis Israel ut proficiscantur. Tu autem eleva virgam tuam : et extende manum super mare : et divide illud : ut gradiantur filii Israel in medio maris per siccum. Ego autem indurabo cor Egyptiorum : et persequentur vos. Et glorificabor in Pharaone et in omni exercitu ejus : in curribus et in equitibus ejus. Et scient Egyptii : quia ego sum Dominus : cum glorificatus fuero in Pharaone et in curribus atque equitibus ejus. Tollensque Angelus Domini qui precedebat castra Israel : abiit post eos. Et cum eo pariter columna nubis : priora dimittens post tergum. Stetitque inter castra Egyptiorum : et castra Israel. Et erat nubes tenebrosa : et inluminans noctem : ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. Cumque extendisset Moyses manum super mare : abstulit illud Dominus flante vento vehementi : et urente tota nocte : et evertit in siccum. Divisaque est aqua : et ingressi sunt filii Israel per medium maris sicci. Erat enim aqua quasi murus : ad dexteram eorum et levam. Persequentesque Egyptii : ingressi sunt post eos omnis equitatus Pharaonis : currus ejus et equites per medium maris. Itaque advenerat vigilia matutina : et ecce respiciens Dominus super castra Egyptiorum : per columnam ignis et nubis : interfecit exercitum eorum : et subvertit rotas curruum : ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Egyptii Fugiamus Israelem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dominus ad Moysen. Extende manum super mare : et revertantur aque super Egyptios : super currus et equites eorum. Cumque extendisset Moyses manum contra mare : **182** reversum est primo diluculo ad priorem locum. Fugientibusque Egyptiis occurrerunt aque : et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. Reverseque sunt aque : et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis : qui sequentes ingressi fuerant mare : nec unus quidem superfuit ex eis. Filii autem Israel perrexerunt per medium maris sicci : et aque eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris. Liberavitque Dominus in die illo Israel de manu Egyptiorum : et viderunt Egyptios mortuos super littus maris. Et manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos. Timuitque populus Dominum : et crediderunt Domino et Moysi servo ejus. Tunc cantavit Moyses canticum hoc Deo : et dixit.

Tractus. Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est. ℣. Equum et ascensorem projecit in mare. *P.* Gloriose. ℣. Adjutor et protector mihi fuit Dominus in salutem. *P.* Gloriose. ℣. Hic Deus meus et honorificabo eum : Deus patris mei et exaltabo eum. *P.* Gloriose enim hono.

Prosequatur prophetia ab Acolito. Sumpsit Maria soror Aaron prophetissa timpanum in manu sua : et exierunt cum ea universe mulieres cum timpanis et choris. Preibat autem eas Maria dicens. *Canticum.*

[a] *Cap. XII.* Vers. 1-12. In Luxoviensi septima lectio est de agno paschali (*Exod.* XII, 1-50).

[b] *Pascha enim.* Vulg. : *est enim Phase, id est transitus Domini.*

[c] *Pro unitate.* In Orationali Gothico secunda oratio est *pro pace Ecclesiarum et quiete populi.* In liturgicis libris tam in numero quam in ordine harum orationum haud exigua est varietas, mihi autem satis visum notasse discrimen quod inter Orationale Gothicum et Missale Mozarabum hac in re intercedit.

[d] *Cap. XIV.* Vers. 14-XV, 1-12, sed plurima pretermissa sunt. In Lectionario Luxoviensi, de transitu maris, et submerso Pharaone, septima lectio est ex Exod. XIV, 14-XV, 1-22, non paucis omissis.

[e] *Quinta progenie.* Confer Genesim, XV, 16. Sanctus Hieronymus : Quinta vero generatione egressi sunt; et LXX, apud Liranum : Quinta generatione.

Cantemus Domino gloriose enim honorificatus est. A
Diachonus dicat. Flectamus genua. Levate.

[a] *Oratio*. [b] Pro virginibus flectentes genua te Pater omnipotens Deus postulamus : ut hanc illustrem [c] portionem Christi tui : in qua maxime gaudet catholica Ecclesia : ampliori fecunditate enutrias : ut quantò plus numerosior et incorruptorum numerus exstat : tanto gaudium matris Ecclesie augeatur. ℟. Amen.

Lectio Libri Esaye Prophete ([d] *Cap. II*).

℟. Deo gratias.

Verbum Domini quod vidit Esayas filius Amos Propheta super Judam et Hierusalem. Et erit in novissimis diebus preparatus mons : domus Domini in vertice montium : et elevabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes : et ibunt populi multi B et dicent. Venite ascendamus ad montem Domini : et ad domum Dei Jacob. Et docebit nos vias suas : et ambulabimus in semitis ejus. Quia de Syon exibit lex : et verbum Domini de Hierusalem. Et judicabit gentes : et arguet populos multos. Et conflabunt gladios suos in vomeres : et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium : nec exercebuntur ultra ad prelium. Et nunc ingredimini in petris : et abscondite vos in terra : a facie timoris Domini : et a gloria majestatis ejus. Cum surrexerit confringere terram : et incurvabitur altitudo virorum : et exaltabitur Dominus in die illa. Illa etiam die Domini projiciet homo idola argenti sui : et simulacra auri sui : que fecerat sibi : ut adoraret vana et nociva. Dominus autem ad judicium veniet cum C senioribus populi sui : et principibus ejus. In die illa erit germen Domini in magnificentia et in gloria : et fructus terre sublimis : et exultatio his qui salvati fuerint de Israel. Et erit omnis qui relictus fuerit in Syon : et residuus in Hierusalem sanctus vocabitur : omnis qui scriptus est in Hierusalem. Si abluerit Dominus sordem filiorum Syon : et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus : spiritus judicii et spiritus ardoris. Et creabit Dominus super omnem locum montis Syon : et ubi invocatus est nubem per diem : et fumum et splendorem ignis flammantis per noctem. Super omnem enim gloriam protectio et tabernaculum erit in umbraculum diei ab estu : et in securitatem et absconsionem a turbine et plu- D via. [e] Tunc cantavit Esayas propheta canticum hoc Deo. Et dixit. ℟. Amen.

Canticum. Cantabo nunc dilecto meo canticum dilecte vinee me. Vinea facta est dilecto in cornu et in loco uberi. ℣. Et maceria circumdedi : et circumfodi et plantavi vineam Soreth : et edificavi turrim in medio ejus. ℟. Et torcular fodi in ea et sustinui ut faceret uvas : fecit autem spinas. ℣. Et nunc homo Juda : et qui habitatis Hierusalem judicate inter me et vineam mea. ℣. Vinea enim Domini Sabooth **183** domus est Israel : et domus Juda novellum dilectum. ℣. Sustinui ut faceret judicium : fecit autem iniquitatem : et non justiciam sed clamorem.

Dicat Diachonus. Pro his [f] qui elemosynas faciunt. Flectamus genua. Levate.

Oratio. Deprecamur te Domine pro his qui misericordie fructibus egentium subsidia conferunt : ut mereantur ex hac terrena dispensatione celestem percipere remunerationem. Et quicquid in usibus indigentium conferunt : proficiat illis ad fructum celestium premiorum. ℟. Amen.

Lectio libri Ezechielis Prophete ([g] *Cap. XXXVII*).

℟. Deo gratias.

Facta est super me manus Domini : et eduxit me in spiritu Dominus. Et dimisit me in medio campi : qui erat plenus ossibus : et circumduxit me per ea in giro. Erant autem multa valde super faciem campi : siccaque vehementer. Et dixit ad me. Fili hominis : putasne vivent ossa ista? Et dixi. Domine Deus tu nosti. Et dixit ad me. Vaticinare de ossibus his : et dices eis. Ossa arida audite verbum Dei. Hec dicit Dominus Deus ossibus his. Ecce ego intromittam in vobis spiritum : et vivetis : et dabo super vos nervos : et subcrescere faciam super vos carnes : et subextendam in vobis cutem : et dabo vobis spiritum et vivetis : et scietis quia ego sum Dominus. Et prophetavi sicut preceperat mihi. Factus est autem [h] somnus prophetante me : et ecce commotio. Et accesserunt ossa ad ossa : unumquodque ad juncturam suam. Et vidi : et ecce super ea nervi et carnes ascenderunt : et extensa est in eis cutis desuper : et spiritum non habebant. Et dixit ad me. Vaticinare ad spiritum : vaticinare fili hominis : et dices ad spiritum. Hec dicit Dominus Deus. A quatuor ventis venit spiritus : et insufla super interfectos istos : et revivescant. Et prophetavi sicut preceperat mihi. Et ingressus in ea spiritus : et vixerunt. Steteruntque super pedes suos exercitus grandes nimis valde : et dixit ad me. Fili

[a] *Oratio*. Hoc loco deficit titulus. Lege *pro virginibus*, et sane in Orationali Gothico septima oratio est *pro virginibus et continentibus*. In Sacramentario Bobiano, et in Missali Gallo-Gothico, quarta oratio simpliciter *pro virginibus* inscribitur, ut, in Missali Gallicano, quinta oratio.

[b] *Pro virginibus*. In hac oratione quinta distincte legimus : *Pro virginibus flectentes genua te, Pater omnipotens, postulamus*, etc. Et supra, in oratione prima : *Pro solemnitate paschali flexis genibus te, Pater omnipotens, obsecramus*. Et infra, oratione decima : *Pro regibus sæculi hujus, atque principibus tibi, Pater, flectentes genua, obsecramus*, etc. Quare videtur Gotho-Hispanos, saltem provinciæ Carthaginensis, ad singulas hasce orationes flexis genibus usos esse. Ne credam hunc morem ubique receptum fuisse, faciunt Orationale Gothicum, et libri liturgici Gallicani, quibus solemne illud *Flectamus genua Deo*, et illud *Erigite vos*, aut *Levate*, omittuntur. Scrupulum autem injicit quod diaconus hic dicat simpliciter *Flectamus genua* et *Levate*, cum aliis in locis dicat *Flectite genua Deo*, et rursus *Erigite vos*, sed fortasse aliter pœnitentes, aliter totum cœtum fidelium alloqui mos erat.

[c] *Portionem*. Adde *gregis*.

[d] *Cap. II*. Vers. 1-v, 1-8, multis omissis.

[e] *Tunc cantavit*. In Vulgata non legitur.

[f] *Qui eleemosinas*. In orationali Gothico septima oratio est *pro his qui eleemosinas faciunt*.

[g] *Cap XXXVII*. Hæc Lectionario Luxoviensi occurrit lectio est.

[h] *Somnus*. Vulg., *sonitus*.

hominis ossa hec universa domus Israel est. Ipsi dicunt. Aruerunt ossa nostra : et periit spes nostra : et abscisi sumus. Propterea vaticinare : et dices ad eos. Hec dicit Dominus Deus. Ecce ego aperiam tumulos vestros : et educam vos de sepulcris vestris populus meus : et inducam vos in terram Israel : et scietis quia ego sum Dominus. Cum aperuero sepulcra vestra : et eduxero vos de tumulis vestris populus meus : et dedero spiritum meum in vobis et dixeritis : et requiescere vos faciam super humum vestrum.

℟. Amen.

Dicat Diaconus. Pro peregrinantibus [a] et navigantibus. Flectamus genua. Levate

Oratio. Concede Pater omnipotens cunctos peregrinantes patrie fieri reduces. Et [b] quoscumque turbulenti maris pervenit fluctus : ad tranquillitatis revoca portum. Mereantur in hac solennitate utrique : et terre exilium : et maris evadere exitium. Ut commune hujus leticie votum : cunctis generale sit gaudium. ℟. Amen.

Lectio libri Abacuc prophete (*Cap.* [c] *I*).

℟. Deo gratias.

Visio quam vidit Abacuc propheta. Usque quo Domine clamo : ut non exaudies? vociferabor ad te vim patiens : et non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem : videre predam et injusticiam contra me? Et factum est judicium : et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex : et non pervenit usque ad finem judicium : quia impius prevalet adversus justum. Propterea egredietur judicium preversum. Aspicite in gentibus et videte : et admiramini et obstupescite : quia opus factum est in diebus vestris : quod nemo credet cum narrabitur. Quia ecce ego suscitabo Caldeos : gentem amaram et velocem ambulantem super latitudinem terre : ut possideant tabernacula non sua. Quia lapis de pariete clamabit : et lignum quod inter juncturas edificiorum est respondebit. Ve qui edificat civitatem in sanguinibus : et preparat urbem in iniquitate. Numquid non hec a Domino sunt exercituum? laborabunt enim populi in multo igni : et gentes in vacuum et **184** deficient. Quia replebitur terra ut cognoscant gloriam Domini : quasi aque operientis mare. Quid prodest sculptile : quia sculpsit illud fractor suus : et conflavit illud imaginem falsam? Quia speravit in figmento fictor ejus : ut faceret simulacra muta. Ve qui dicit ligno expergiscere : surge lapidi jacenti. Numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro et argento : et omnis spiritus non est in visceribus ejus. Dominus autem in templo sancto suo : sileat a facie ejus omnis terra. [d] Tunc cantavit Abacuc propheta canticum hoc Deo : et dixit.

Canticum. Domine audivi auditum tuum et timui : consideravi opera tua et expavi. ℣. In medio duorum animalium [e] cognosceris : dum appropinquaverint anni : innotesceris. ℣. Deus a Libano veniet : et sanctus a monte opaco et condenso. ℣. Operuit celos virtus ejus : et laudis ejus plena est terra

Dicat Diachonus. Pro [f] *Egrotis.* Flectamus genua. Levate.

Oratio. Miserere Domine his : quos corporalis egritudinis valitudo involvit. Sana cunctos in nobis mentis corporisque languores : atque omnibus indulgens : solitam impertire medelam. Ut tibi cuncti in salute ministerium expleant fidei : tibique referant laudes : qui solus et peccata cordis emundas : et languorem corporum sanas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui vivis et omnia regis in secula seculorum.

℟. Amen.

Lectio libri Jone Prophete ([g] *Cap. I, IIII*)

℟. Deo gratias.

Factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi dicens. Surge : vade contra Ninnivem civitatem grandem : et predica in ea : quia ascendit malicia ejus coram me. Et surrexit Jonas ut fugeret in Tharsis a facie Domini. Et descendit Joppem : et invenit navem euntem in Tharsis : et dedit naulum ejus. Et descendit in ea ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. Dominus autem misit ventum magnum in mari : et facta est tempestas magna in mari : et navis periclitabatur. Conterriti sunt naute : et clamaverunt viri ad Dominum suum : et miserunt vasa que erant in navi in mare : ut alleviaretur ab eis. Et Jonas descendit ad interiora navis : et dormiebat sopore gravi. Et accessit ad eum gubernator : et dixit ei. Quid tu sopore dormieris? Surge invoca Deum tuum : si forte cogitet Deus de nobis : et non pereamus. Et dixit vir ad collegam suum. Venite et mittamus sortes : et sciamus : quare malum hoc sit nobis. Et miserunt sortes : et cecidit sors super Jonam. Et dixerunt ad eum. Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis? Quod est opus tuum : que terra tua : quis vel ex quo populo es tu? Et dixit ad eos. Hebreus ego sum : et Dominum Deum celi ego timeo : qui fecit mare et aridam. Et timuerunt viri timore magno : et dixerunt ad eum. Quid hoc fecisti? Cognoverunt ergo viri quod a facie Domini fugerat : quia indicaverat eis. Et dixerunt ad eum. Quid faciemus tibi : et cessabit mare a nobis? Quia mare ibat et intumescebat. Et dixit ad eos. Tollite me : et mittite in mari : et cessabit mare a vobis. Scio enim ego quoniam propter me

[a] *Et navigantibus.* In Orationali Gothico (*pag.* 102), oratio decima est *pro peregrinantibus et navigantibus*, sed in oratione siletur de navigantibus

[b] *Quoscumque.* Lege *ad quoscunque.*

[c] *Cap. I.* Vers. 1 III, 1-4, multis omissis.

[d] *Tunc cantavit.* In Vulgata non legitur.

[e] *Cognosceris.* Ita LXX et Arab.; sed Vulg., Hebr. et Syr., *notum facies.*

[f] *Egrotis.* In Orationali Gothico nulla est specialis oratio pro ægrotis, quos, oratione quinta, cum aliis complexi sunt. In Sacramentario Bobiano septima est pro *ægrotis*, in Gallo-Gothico eadem *pro infirmis*, et in Gallicano *pro ægrotantibus.*

[g] *Cap. I.* vers. 1, ad finem capitis quarti, multis omissis. In Luxoviensi Lectionario lectio 11 est e prophetia Jonæ, a cap. I.

tempestas hec grandis super vos est. Et remigabant A viri ut reverterentur ad aridam : et non valuerunt : quia mare ibat et intumescebat super eos. Et clamaverunt viri ad Dominum : et dixerunt. Quesumus Domine : ne pereamus in animam viri istius : et ne des super nos sanguinem innocentem : quia tu Domine sicut voluisti fecisti. Et tulerunt Jonam : et miserunt in mari : et stetit mare a fervore suo et timuerunt viri timore magno : et immolaverunt hostias Domino : et voverunt vota. Et preparavit Dominus piscem grandem : ut deglutiret Jonam. Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus : et tribus noctibus. Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis : et [a] evomuit in aridam. Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo dicens : Surge et vade ad Ninnivem civitatem magnam : et predica in ea predi- B cationem : quam ego loquor ad te. Et surrexit Jonas : et abiit in Ninnivem juxta verbum Domini. Et Ninnive erat civitas magna : **185** itinere trium dierum. Et cepit Jonas introire civitatem : itinere diei unius : et clamavit : et dixit. Adhuc quadraginta dies : et Ninnive subvertetur. Et crediderunt viri Ninnivite in Deum : et predicaverunt jejunium. Et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. Et pervenit nuncius ad Regem Ninnive : et surrexit de solio suo : et abjecit vestimentum suum a se : et indutus est sacco. Et sedit in cinere : et clamavit dicens. In Ninnive ex ore Regis et principum ejus : dicens. Homines et jumenta : et boves et pecora non gustent quicquam : nec pascantur : et aquam non bibant. Et C operiantur saccis homines et jumenta : et clament ad Deum in fortitudine. Et convertatur vir a via sua mala : et ab iniquitate que est in manibus eorum. Quis scit si convertatur : et ignoscat Deus : et revertatur a furore ire sue : et non peribimus? Et vidit Deus opera eorum : quia conversi sunt a via sua mala. Et misertus est Dominus super maliciam : quam locutus fuerat : ut faceret eis : et non fecit. Et afflictus est Jonas afflictione magna : et iratus est. Et oravit ad Dominum : et dixit. Obsecro Domine : numquid non hoc verbum est meum : cum adhuc essem in terra mea? Propter quod preocupavi : ut fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens et misericors es : patiens et multe miserationis : ignoscens super maliciam. Et nunc Domine quesso : tolle animam meam D a me : quia melior est mihi mors quam vita. Et dixit Dominus. Putasne bene irasceris tu? Et egressus est Jonas de civitate : et sedit contra orientem civitatis. Et fecit sibimet umbraculum : et sedebat subter illud in umbra donec videret : quid accideret civitati. Et preparavit Dominus Deus hederam : et ascendit super caput Jone : ut esset umbra super caput ejus : et protegeret eum : laboraverat enim : et letatus est Jonas super hederam leticia magna. Et preparavit Dominus Deus vermem ascensu diluculi in crastinum : et percussit hederam : et exaruit. Et cum ortus fuisset Sol : precepit Dominus vento calido et urenti : et percussit Sol super caput Jone : et estuabat. Et petivit anime sue ut moreretur : et dixit. Melius est mihi mori : quam vivere. Et dixit Dominus ad Jonam. Putasne bene irasceris tu super hederam? Et dixit. Bene irascor ego usque ad mortem. Et dixit ei Dominus. Tu doles super hederam in qua non laborasti : neque fecisti ut cresceret : que sub una nocte nata est : et una nocte periit. Et ego non parcam Ninnive civitati magne : in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum : qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam : et jumenta multa? [b] Sed parcam et misereborei eis : quia magnum est nomen meum.

℟. Amen.

Dicat Diaconus. [c] Pro penitentibus. Flectamus genua. Levate.

Oratio. Cunctorum penitentium Pater omnipotens suscipe fletus : et quos hactenus diabolus variis viciorum sordibus inquinavit : respectu pietatis tue purifica. Tribue cunctis preterita peccata deflere : et futura non admittere. Ab illis misericordia tua preveniente mundentur : ab istis tua custodiente gratia liberentur.

℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster : qui vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Lectio libri Danielis Prophete ([d] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream : altitudine cubitorum sexaginta : latitudine cubitorum sex. Et statuit eam in campo Duran provincie Babylonis. Itaque Nabuchodonosor Rex misit ad congregandos Satrapes : et magistratus et judices : duces et tirannos et perfectos : omnesque principes regionum : ut convenirent ad dedicationem statue : quam erexerat Nabuchodonosor Rex. Tunc congregati sunt Satrape : magistratus : et judices : et tiranni et optimates : qui erant in potestatibus constituti : et universi principes regionum : ut convenirent ad dedicationem statue : quam erexerat Nabuchodonosor Rex. Stabant autem in conspectu statue quam posuerat Nabuchodonosor Rex : et preco clamabat valenter. Vobis dicitur populis tribus **186** et linguis : in hora qua audieritis sonitum tube et fistule et cithare : sambuce : et psalterii : et simphonie : et universi generis musicorum : cadentes adorate statuam auream : quam constituit Nabuchodonosor Rex. Si quis autem non prostratus adoraverit : eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Post hec igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tube : fistule : et cithare : sambuce : et psalterii : et simphonie : et omnis generis musicorum : cadentes omnes populi et tribus et lingue adoraverunt sta-

[a] *Et evomuit in aridam.* Vulgat., *evomuit Jonam in aridam.*

[b] *Sed parcam.* His verbis finis imponebatur lectioni.

[c] *Pro pœnitentibus.* In Orationali Gothico nona oratio funditur *pro pœnitentibus et confitentibus.*

[d] *Cap. III. Vers.* 1, ad finem capitis, multis in cantico, et a vers. 25 ad 46, omissis omnibus. In Lectionario Luxoviensi lectio 12 est ex cap. III Danielis.

tuam auream : quam constituit Nabuchodonosor Rex. Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldei . accusaverunt Judeos. Dixeruntque Nabuchodonosor Regi. Rex in eternum vive. Tu Rex posuisti decretum : ut omnis homo qui audierit sonitum tube : fistule : et cithare : sambuce et psalterij et simphonie et omnis generis musicorum : prosternat se et adoret statuam auream. Siquis autem non procidens adoraverit : mittatur in fornacem ignis ardentis. Sunt autem viri Judei quos constituisti super opera regionis Babylonie : Sidrac : Misac : et Abdenago. Viri isti contempserunt Rex decretum tuum : deos tuos non colunt : et statuam auream quam erexisti non adorant. Tunc Nabuchodonosor Rex in furore et in ira precepit : ut adducerent Sidrac : Misac : et Abdenago. Qui confestim adducti sunt in B conspectum Regis. Pronuncians que Nabuchodonosor Rex : ait eis. Vere Sidrac : Misac : et Abdenago : Deos meos non colitis ? et statuam auream quam constitui : non adoratis ? Nunc ergo si estis parati : quacumque hora audieritis sonitum tube : fistule : cithare : sambuce : psalterij : et simphonie : et omnis generis musicorum : prosternite vos et adorate statuam auream quam feci. Quodsi non adoraveritis : eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentem. Et quis est Deus qui eripiat vos de manu mea? Respondentes Sidrac : Misac : et Abdenago dixerunt Regi. Nabuchodonosor Rex non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster quem colimus : poterit eripere nos de camino ignis ardentis: et de manibus tuis o Rex liberare. Quod si noluerit : C notum sit tibi Rex : quia Deos tuos non colimus : et statuam auream quam erexisti non adoramus. Tunc Nabuchodonosor Rex repletus est furore : et aspectus faciei ejus immutatus est super Sidrac : Misac : et Abdenago. Et precepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat. Et viris fortissimis de exercitu suo jussit : ut legatis pedibus Sidrac : Misac : et Abdenago mitterent eos in fornacem ignis ardentem. Et confestim viri illi vincti [a] cum brachiis suis et tiaris : et calciamentis et vestibus : missi sunt in medium fornacis ignis ardentis : nam jussio Regis urgebat. Fornax autem succensa erat nimis. Porro viros illos qui miserant Sidrac : Misac : et Abdenago : interfecit flamma ignis. D Viri autem ii id est tres : Sidrac : Misac : et Abdenago : ceciderunt in medio camino ignis ardentis. Et non cessabant qui miserant eos succendere fornacem : [b] napta : stuppa : pice : et malleolis. Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem : et erupit : et incendit quos reperit juxta fornacem de Caldeis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem. Et excussit flammam ignis de fornace : et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Et non tetigit eos omnino ignis : neque contristavit : nec quicquam molestie intulit. Tunc ii tres quasi ex uno ore laudabant : et glorificabant et benedicebant Dominum de fornace dicentes

Benedictio. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum : et laudabilis et superexaltatus in secula amen. ℣. Benedicite omnia opera Domini Dominum : hymnum dicite et superexaltate eum in secula amen. ℣. Benedicite Sacerdotes Domini Dominum : hymnum dicite et superexaltate eum in secula. ℣. Benedicite sancti et humiles corde Dominum : hymnum dicite. *P.* Et. ℣. Benedicite Anania : Azaria : et Misael Dominum. *P.* Hymnum.

Prosequitur prophetia.

Tunc Nabuchodonosor Rex obstupuit et surrexit propere : et ait optimatibus suis. Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes dixerunt Regi. Vere Rex. Respondit 187 et ait. Ecce ego video quatuor solutos et ambulantes in medio ignis : et nihil corruptionis in eis est : et species quarti similis filio Dei. Tunc accessit Nabuchodonosor Rex ad ostium fornacis ignis ardentis et ait. Sidrac : Misac : et Abdenago servi Dei excelsi : egredimini et venite. Statimque egressi sunt Sidrac : Misac : et Abdenago de medio ignis. Et congregati Satrape : magistratus : et judices : et potestates Regis : contemplabantur viros illos : quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum : et capillus capitis eorum non esset adustus : et sarabela eorum non fuissent [c] imminuta : et odor ignis non transisset per eos. Et erumpens Nabuchodonosor ait. Benedictus Deus eorum : Sidrac videlicet : Misac : et Abdenago : qui misit Angelum suum : et eruit servos suos : qui crediderunt in eo : et verbum Regis immutaverunt. Et tradiderunt corpora sua ne servirent : et ne adorarent Deum : excepto Deo suo. A me ergo positum est hoc decretum : ut omnis populus et tribus et lingue quecumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrac : Misac : et Abdenago dispereat : et domus ejus vastetur. Neque enim est Deus alius : qui possit ita salvare. Tunc Rex promovit Sidrac : Misac : et Abdenago in provincia Babylonis. Nabuchodonosor Rex : omnibus populis gentibus et linguis qui habitant in universa terra : pax vobis multiplicetur. Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi predicare signa ejus : quia magna sunt : et mirabilia ejus : quia fortia. Et regnum ejus regnum sempiternum : et potestas ejus in generatione et generationem.

℟. Amen. *Diachonus dicat.* [d] Pro pace populi [e] et Regum. Flectamus genua. Levate.

[a] *Cum brachiis.* Lege *cum braccis suis.*

[b] *Napta.* Lege *naphtha.*

[c] *Imminuta.* Vulg., LXX, *immutata.*

[d] *Pro pace.* In Orationali Gothico oratio quarta est *pro prosperitate principum, et tranquillitate temporum.* In Sacramentario Bobiano decima est *pro pace populi et regum.* In Missali Gallo-Gothico decima est *pro pace regum*, et in Missali Gallicano quarta *pro regibus et pace.*

[e] *Et Regum.* In omnibus hisce titulis liturgicis ad Hispaniam et Galliam pertinentibus pro regibus numero multitudinis rogatur. Unde credibile est has liturgias, aut saltem has orationes, ad ea tempora pertinere quibus plures simul reges tam in Gallia,

Oratio. Pro Regibus seculi hujus atque principibus tibi Pater flectentes genua : obsecramus ut tribuas illis moderamen justicie : amorem pacis : virtutem pietatis : studium bene regende plebis. Ut in correptione et rectitudine eorum : pax simul et requies fidelium proveniat populorum.

℟. Amen.

[a] *Psallendo.* Sicut cervus sitiens desiderat ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te Deus. ℣. Sitivit anima mea ad Deum vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei. *P.* Ita desiderat.

Et propheciis et orationibus [b] *cum tractibus dictis : ordinata processione in choro duo Cantores induti cappis albis :* [c] *cereos in manibus tenentes : incipiant* [d] *litaniam in medio Cruciarij Ecclesie dicenda.*

Kyrieleyson. Christeleison.
Kyrieleison. Christe audi nos.
Christe exaudi nos. Christe defende nos.
Christe parce peccatis nostris.
Pater de celis Deus. Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus. Miserere.
Spiritus Sancte Deus. Miserere.
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere.
Sancte Sanctorum Deus. Miserere.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix. ora.
Sancta Virgo virginum. ora.

Hic exeat Subdiachonus cum cruce hoc ordine. Ceroferarij cum cereis pergant coram cruce : et cereus paschalis coram cereis et serpens coram cereo : et sic procedant ad fontem ordinatim : et sic stent processionaliter : et cantent litaniam usque ad propicius esto.

Sancte Michael. Ora pro nobis.
Sancte Gabriel. ora.
Sancte Raphael. ora.
Sancte Cherubin. ora.
Sancte Seraphin. ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli Dei. Orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines. Orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista. ora.
Omnes sancti Patriarche et Prophete. Orate pro nobis.
Sancte Petre. ora.
Sancte Paule. ora.
Sancte Andrea. ora.
Sancte Jacobe. ora.
Sancte Joannes. ora.
Sancte Thoma. ora.
Sancte Jacobe. ora.
Sancte Philippe. ora.
Sancte Bartholomee. ora.
Sancte Mathee. ora.
Sancte Simon. ora.
Sancte Thadee. ora.
Sancte Mathia. ora.
Sancte Barnaba. ora.
Sancte Luca. ora.
Sancte Marce. ora.
188 Omnes sancti Apostoli et Evangeliste. orate.
Omnes sancti Discipuli Domini. orate.
Omnes sancti Innocentes. orate.
Sancte Stephane. ora.
Sancte Line. ora.
Sancte Laurenti. ora.
Sancte Vincenti. ora.
Sancte Clemens. ora.
Sancte [e] Eugeni. ora.
Sancte Sebastiane. ora.
Sancte Fabiane. ora.
Sancte Christophore. ora.
Sancte [f] Genesi. ora.

quam in Hispania regnabant. Oratio Missalis Mozarabici *pro regibus sæculi hujus, atque principibus,* puta pro Leuba et Leovigildo, funditur ; si enim pro Recaredo et Recimiro, pro Chinda suinto, et Recessuinto orassent, aut pro catholicis Gothorum regibus, eosdem non simpliciter *reges sæculi hujus,* sed vel gloriosos reges, aut certe *catholicos, aut fideles,* appellassent, quemadmodum in cerei consecratione rogant pro *gloriosis principibus,* et rursus pacem precantur *regibus fidelibus.* In Orationali Gothico haud obscure pro imperatoribus Romanis precantur, nam *pro prosperitate principum* orantes, Deum rogant *ut adsit in ordinatione sua catholicis ducibus, et barbaras gentes refrenet.* Unde etiam docemur librum hunc ad Ecclesiam quamdam pertinuisse earum quæ in Hispania Romanorum præsidiis tenebantur. In Missali Gallo-Gothico orant ut, *mitigatis eorum* (regum) *mentibus, requies nobis congregationis istius perseveret;* et rursus : *Ut nobis regno tuo cœlesti liberius liceat deservire ;* quibus apparet, librum pertinuisse ad Ecclesiam quæ reges habebat barbaros, et hæreticos, Burgundos puta, aut Gothos, qui ante Recaredum regnarunt. At demum in Missali Gallicano orant, *ut regum nostrorum exercitum ita sua virtute corroboret, ut, per eosdem gentibus subditis vel fugatis, Deo vivo jugiter serviamus ;* et in collecta eosdem reges *Dei famulos* appellant : *Respice famulos tuos, Domine, quibus orbis regimen et rerum habenas dedisti,* etc. Nimirum liber iste ad Ecclesiam quamdam Gallicanam pertinebat, quæ sub Francorum regibus pace catholica fruebatur.

[a] *Psallendo.* Ps. XLI, 2. Absolutis Lectionibus canebatur psalmus XLI ; quo absoluto, clamabat diaconus : *Pro competentibus flectamus genua,* et deinde *Levate,* et oratio *Concede, Domine,* etc., quæ, nescio quo fato, loco suo mota, pag. 190 legitur. Exstant in Sacramentario Bobiano, et Missali Gallicano oratio *pro competentibus,* et in Gallo Gothico *pro catechumenis,* proxime, scilicet, baptizandis, et quidem oratio, quæ in Gallicano *pro competentibus* dicitur, aperte alludit ad psalmum hunc XLI, quem in Gallia quoque cantatum esse ostendit. Exstat etiam in Sacramentario Gelasiano *oratio post psalmum* XL, qua pro proxime baptizandis orabant.

[b] *Cum tractibus.* Forte, *tractatibus.* Hujusmodi breves tractatus inter opera sancti Zenonis Veronensis inveniuntur.

[c] *Cereos.* Est error typographicus : in Missali legitur *ceptros,* in Toletano, *sceptros.* Lege *sceptra.*

[d] *Litaniam.* Rubrica Sacramentalis Gelasii : *Inde procedunt ad fontes cum litania.*

[e] *Eugeni.* De sancto Eugenio episcopo Toletano et martyre die 15 Novembris agit Martyrologium Romanum.

[f] *Genesi.* De sancto Genesio Arelatensi exstat missa propria in hoc Missali.

Sancte [a] Romane. ora.
Sancte Blasi. ora.
Sancte [b] Zoyle. ora.
Sancte Antonine. ora.
Sancte [c] Saturnine. ora.
Sancte Georgi. ora.
Sancte [d] Juste et Pastor. ora.
Sancte Germane. ora.
Sancte [e] Fernande. ora.
Omnes sancti Martyres. orate.
Sancte Silvester. ora.
Sancte Hylari. ora.
Sancte Martine. ora.
Sancte Augustine. ora.
Sancte Hieronyme. ora.
Sancte Ambrosi. ora.
Sancte Gregori. ora.
Sancte Leander. ora.
Sancte Isidore. ora.
Sancte Illefonse. ora.
Sancte Iuliane. ora.
Sancte Nicolae. ora.
Sancte Benedicte. ora.
Sancte Egidi. ora.
Sancte Francisce. ora.
Sancte Dominice. ora.
Sancte Antoni. ora.

A Sancte Bernarde. ora.
Omnes sancti Confessores. orate.
Sancta Maria Magdalena. ora.
Sancta Anna. ora.
Sancta Felicitas. ora.
Sancta Perpetua. ora.
Sancta Agnes. ora.
Sancta Cecilia. ora.
Sancta [f] Cristina. ora.
Sancta [g] Justa. ora.
Sancta Rufina. ora.
Sancta [h] Leocadia. ora.
Sancta Eulalia. ora.
Sancta Marina. ora.
Sancta [i] Columba ora.
B Sancta Barbara. ora.
Sancta Lucia. ora.
Sancta Agatha. ora.
Sancta Eufemia. ora.
Sancta [j] Fides. ora.
Sancte [k] Quiteria. ora.
Omnes sancte virgines. orate.
Omnes sancti et sancte Dei. orate.

Hic silent omnes : et Sacerdos accedat ad fontem : et incipiat benedictionem hoc ordine. [l] *Insufflet in aqua tribus vicibus et dicat hunc exorcismum.* [m] Exorcizo te creatura aque : per Deum Patrem omnipo-

[a] *Romane.* De sancto Romano monacho et martyre Antiocheno Missale hoc Missam habet.

[b] *Zoyli.* Zoylus martyr Cordubensis.

C [c] *Saturnine.* Sanctus Saturninus, episc. Tolosanus et martyr, missam propriam habet in hoc Missali.

[d] *Juste et Pastor.* Fratres Complutenses martyres, quibus est missa propria in Missali hoc.

[e] *Fernande.* Forte, *Servande.* De sanctis Germano et Servando exstat missa in hoc Missali.

[f] *Cristina.* De sancta Christina martyre in Sabinis, ad lacum Velinum, passa, exstat missa in Missali nostro.

[g] *Justa.* Justa et Ruffina sorores martyres Hispalenses, quarum sunt missæ in hoc Missali.

[h] *Leocadia.* Sancta Leocadia martyr, aut confessor Toletana, in carcere obiit; ejus in Missali exstat missa.

[i] *Columba.* Sanctæ Columbæ virginis et martyris Senonensis exstat in Missali propria missa.

[j] *Fides.* Fides virgo et martyr Agennensis, de qua Tamaius, in Martyrologio Hispano, et Baronius, in Martyrologio Romano, die sexto Octobris, D agunt.

[k] *Quiteria.* De sancta Quiteria virgine et martyre Hispana Tamaius, in Martyrologio Hispano, et Baronius, in Romano, die 22 Maii, meminere.

[l] *Insufflet.* Ritus insufflandi a Christo Domino originem ducit, qui (*Joan.* xx, 24), facultatem remittendi peccata apostolis conferens, *insufflavit et dixit : Accipite Spiritum sanctum, quorum*, etc. Insufflatio priscis fidelibus frequenter in usu erat, tum ad malos dæmones in fugam vertendos (*S. Cyrill. Hier., catech.* 22. *Tertullian., de Idolol. cap.* 11, *Apologet. c.* 33), tum ad Spiritus sancti dona conferenda. Sic in Sacramentario Gregoriano Pamelii rubrica præscribit : *Insufflet in aquam tribus vicibus*, et additur : *Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti*, etc. De insufflatione in fontis baptismalis benedictione silent Sacramentaria Gelasianum, et Bobianum, et Missale Gallicanum. At insufflationem distincte præscribunt Missale Mozarabum, missale Gallo-Gothicum, et Græcorum Euchologium (*Offic. bapt., Edit. Goarii, pag.* 354). Gotho-Hispanis insufflatio cum exorcismo conjuncta erat (*S. Isid., Orig. lib.* vi, *c.* 19; *Offic. lib.* ii, *cap.* 20). Gallos quoque insufflationem cum exorcismo conjunxisse ostendit Missale Gallo-Gothicum (*N.* 35, *pag.* 248, *col.* 2, *Ed. Paris.*). Demum Missale Ambrosianum Pamelii præscribit exorcismum *cum insufflatione.*

[m] *Exorcizo.* In sanctificatione fontis adhibitum esse Exorcismum liturgiæ vetustissimæ, tam Orientis quam Occidentis Ecclesiæ, probant. Præter Missale nostrum et Euchologium Græcorum, Missalia Gallo-Gothicum, et Gallicanum, et Sacramentarium Bobianum, Missale Ambrosianum Pamelii, Sacramentaria Gelasianum, et Gregoriana, in fonte benedicendo exorcismos habent. Mos idem in Africa, teste sancto Cypriano (*Epist.* 7 ad Januarium) : *Oportet ergo prius mundari*, utique exorcismis, *et sanctificari aquam a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere*; et sanctus Ambrosius, aut certe auctor libri de Sacramentis (*Lib.* i, *cap.* 5) scribit : *Ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquæ, postea invocationem et precem defert, ut sanctificetur fons.* Porro formulæ exorcizandi et ritus diversi sunt : Gotho-Hispani primum insufflabant et faciebant signum crucis, tum aquam alloquebantur : *Exorcizo te, creatura aquæ*, etc. Aquam quoque Galli, in Sacramentario Bobiano : *Exorcidio* (sic) *te, creatura aquæ*, etc., et in Missali Gallicano, alloquuntur : *Exorcizo te, fons aquæ perennis*, etc. At, in Missali Gallo-Gothico, aquam simul et potestates tenebrarum alloquuntur : *Exorcizo te, creatura aquæ. Exorcizo te, omnis exercitus diaboli, omnis potestas adversaria, omnis umbra dæmonum*, etc. Et, absoluto exorcismo, aquam ter insufflant. In Sacramentario Gelasiano deprecatoria est formula exorcismi : *Procul ergo hinc, te jubente, Domine, omnis spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat*, etc. Apud Græcos etiam

tentem : rerumque omnium conditorem : qui te pro generatione humani generis et per officium nostre humilitatis consecrare precepit : et per Iesum Christum Dominum nostrum Dei et hominis filium : qui super te pedibus ambulavit : et se pro nostra salute in te a Johanne baptizari ostendit : et Spiritum Sanctum qui super eum in specie columbe in Jordane apparuit : ut, excluso a te omni malo spiritus nequicie : his qui [a] in te vel ex te perfusi a nobis : et in nomine trine majestatis baptizati fuerint, percepta divina gratia : in numero fidelium mereantur adscribi. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Benedictio.* [c] Deus qui solus habes immortalitatem : eamque ne solus possideres : nobis quoque B renovata per Jesum nativitate tribuisti : cum humano generi post admissam transgressionem : pristine originis dignitatem reformare in melius : per [d] baptismatis tinctionem voluisti. Adsiste quesumus ad invocationem nominis tui. ℟. Amen. Sancti ✠ fica fontem hunc sancti ✠ ficator generis humani. ℟. Amen. Fiat locus iste dignus : in quem Spiritus sanctus influat. ℟. Amen. Sepeliatur hic ille Adam vetus : resurgat novus. ℟. Amen. Moriatur hic omne quod carnis est : resurgat omne quod est spiritus. ℟. Amen. [e] Exuantur sordidissimis vitiis et discisis criminibus amictus : ut splendoris et immortalitatis tue indumenta sumantur. ℟. Amen. Quicumque in Christo baptizantur : induant Christum. ℟. Amen. Quicumque hic renunciant diabolo : da eis triumphare de mundo. ℟. Amen. [f] Quicumque in hoc loco confessus fuerit : tu eum recognoscas **189** in regno. ℟. Amen. Sic [g] in hunc fontem extinguantur crimina : ne resurgant. ℟. Amen. Sic invalescant aque istius beneficia : ut eterni ignis extinguantur incendia. ℟. Amen. [h] Mittant fontes altaribus tuis : quos altaria regnis tuis emittant. ℟. Amen. Totus

(*In officio baptismatis Euchol. Goarii, pag.* 333) forma exorcizandi est deprecatoria. Primum insufflando in aquam signum crucis faciunt, tum orant : *Conterantur sub signo figuræ crucis tuæ adversariæ cunctæ potestates.* Ter dicunt. Tum : *discedant a nobis aerea cuncta et invisibilia idola.* Gotho-Hispanos benedictionem fontis baptismalis ab exorcismo inchoasse innuit sanctus Gregorius Turonensis (*De Glor. martyr., lib.* I, *cap.* 24), quod rubrica Missalis Mozarabum aperte docet, et sanctus Hildefonsus (*Lib. adnot. de cogn. bapt.*, *cap.* 109) confirmat : *Accedit sacerdos ad fontem... signaculo ligni crucis contingit aquas... exorcismum apponit nequid illic lateat ex contagione C sinistræ partis admistum... oleum infundit... benedictionem profert.* Ubi animadvertendum quod sanctus Hildefonsus insufflationem omiserit, ut in missali nostro omiserunt signum crucis, sed quoniam insufflando signum crucis faciebant, satis erat alterutrum nominasse. Singulare est quod rubrica Missalis Gallo-Gothici præscribat ut ante exorcismos faciat *crucem de chrisma*, nimirum ut pollice, aut digitis chrismate linitis aquam in formam crucis signet, et, absolutis exorcismis, insuffletur in aquam, et deinde chrisma rursus infundant. Neque Gotho-Hispanis singulare erat ab exorcismo ordiri fontis sanctificationem, sic enim in Gallia fiebat, ut ex Sacramentario Bobiano et ex Missali Gallicano habemus, in quo quidem præmittitur *præfatio*; sed hæc ad sanctificationem fontis stricte non pertinet. In Italia quoque ex libro primo de Sacramentis, cap. 5, inter opera sancti Ambrosii, et in Africa, ex sancto Cypriano; epist. 7, fontis consecrationem ab exorcismis incipiebant. D Sed in hac re diversa erat Ecclesiarum disciplina, in quibusdam Galliæ locis, ut ex Missali Gallo-Gothico colligere licet (*N.* 36), fons primum benedicebatur, deinde exorcismi fiebant, post exorcismos chrisma fonti infundebatur. At Romæ, ut est in Sacramentariis Gelasiano et Gregorianis, et Constantinopoli, ut est in officio sancti baptismatis Euch. (*Pag.* 353), exorcismos faciebant circa medium consecrationis fontis, quod etiam in Ambrosiano Pamelii observare licet.

[a] *In te vel ex te perfusi.* Forte, *in te mersi, vel ex te perfusi.* Duplicem baptizandi modum indigitat, alium immergendo aquis, alium infundendo aquis : ritus immergendi apud antiquos magis in usu erat, eosque, qui baptismum aqua infusa consecuti erant superfusos, grabatarios, et clinicos appellabant veteres, contemptus causa; hos concilium Neocæsariense (*Can.* 12) ad presbyteratus dignitatem promovere vetat, concilium vero Parisiense anno 829 celebratum (*Can.* 8) prohibet ne in ægritudine baptizati in clerum cooptentur. Certe non defuerunt qui de istius modi baptismate dubitaverunt an validum fuerit necne (*S. Cornelius papa, epist. ad Fabium Antiochenum, apud Euseb., Hist. Eccl. lib.* VI, *cap.* 43 ; *S. Cyprianus, epist.* 76, *ad Magnum*). Immerito tamen, ut sanctus Cyprianus (*Ibid.*) fuse ostendit, solvitque contraria argumenta. Et sane Ecclesia nunquam censuit baptisma infusa aqua, in nomine Trinitatis, collatum minus validum esse, aut iterandum. Modo, raro immersione, plerumque autem infusione aquæ, baptizant, nimirum ut teneræ infantum ætati et adultorum pudori melius consulatur.

[b] *Benedictio.* Eadem exstat in Missali Gallicano (*N.* 25, *pag.* 363), ibique *contestatio fontis inscribitur*, et contestationis instar canitur. In nostro Missali instar *Benedictionis* recitatur in varias petitiones divisa.

[c] *Deus.* In Missali Gallicano, *Domine Deus æterne.*

[d] *Baptismatis tinctionem.* Missale Gallicanum : *Reformare in melius tam pretioso quam felici baptismatis munere voluisti.*

[e] *Exuantur.* Lege : *Exuatur sordidissimus vitiis et discissus criminibus amictus, ut*, etc. Missale Gallicanum : *Exuantur sordentes vitiis et discissis criminibus amictus, splendoris et immortalitatis indumenta sumantur.* Alludunt ad ea quæ contingebant baptizandis, qui vestibus quibus antea induti fuerant exuebantur, nudi in fontem mergebantur, et de fonte exeuntes veste candida induebantur. Sanctus Cyrillus Hieros. (*Catech. myst.* 2, *n.* 2) : *O rem admirabilem! nudi fuistis coram oculis omnium, nec pudore tangebamini.* Sanctus Zeno, episc. Veronensis (*Tr.* 35, *quæ est invitatio ad fontem*), proxime baptizandos alloquens : *In fontem quidem nudi*, inquit, *dimergimini, sed æthereæ veste vestiti mox candidati surgetis, quam qui non polluerit regna cœlestia possidebit.*

[f] *Quicunque in hoc loco.* Fortasse : *Quicunque te in hoc loco confessus fuerit.* Miss. Gall. : *Quicunque te in hoc loco invocaverit, tu eum cognoscas in regno.*

[g] *In hunc fontem.* Lege *in hoc fonte*, ut in Gallicano.

[h] *Mittant fontes.* Hinc corrigitur textus Missalis Gallicani, *mitte fontis altaribus.* Alludit ad morem veterum, qui neophytos e baptisterio in basilicam introductos seorsim a cœtu fidelium, circa altare collocabant. Sanctus Ambrosius, de iis qui myst. initian., cap. 8 : *His abluta plebs, dives insignibus ad Christi contendit altaria*, et sanctus Paulinus,

hic horror mortis [a] intercidat. ℟. Amen. Quicumque hic se sibi aggregaverit : te lucrificat. ℟. Amen. Quicumque hic tuus esse ceperit : tuus esse non desinat. ℟. Amen. Ut per ministerium nostrum tibi consecratus : eternis ad te virtutibus : eternis premiis consecretur. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus : et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oratio. Te deprecamur Domine Sancte Pater eterne omnipotens Deus : qui intonas super aquas : ut exultent deserta Jordanis. [b] Et vox tua preparet cedros : ut hanc aquam benedicas [c] ad gratiam. Et perfusi famuli tui nova restituantur [d] infantia : ut remissis sordibus delictorum : participes fiant vite eterne et regni celorum. ℟. Amen. [e] *Et antequam Chrisma et oleum ponantur in fonte : omnes qui causa devotionis voluerint accipere aquam benedictam de fonte ad aspergendum in domibus suis : sumant secundum decretum Alexandri Pape.* [f] *Deinde effundet chrisma et oleum* [g] *super vasculum in modum crucis et dicat.*

A Signo te sacratissime fons unctione sacri chrismatis : in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti regnantis Dei in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[h] *Oratio.* Abjecti et humiles licet vitiorum labe sordentes : te Pater Domine glorie : te Deum omnipotentem deprecamur : pro tua miseratione adesto benignus. Tu libens adspirator : ut has simplices aquas tua sanctificatione bene✠dicens : et ex tuis sedibus Angelum tuum sanctum dirigas : qui eas sancti✠ficet : ut qui in tuo et in Jesu Christo filio tuo et Spiritu Sancto in Trinitatis nomine in hac fluenta descenderint : in quo sanctificato oleo chrisme mixto et aque benedictione perpetuitatis confirmati : a cun- B etis mundi vitiis repurgentur : et in hoc lavacro sancto remissionem peccatorum suscipiant : et salutem consequantur eternam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Et benedictio Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti descendat super istum fontem. *Et peracta benedictione fontis :* [i] *bapti-*

epist. 12, ad Severum :

Unde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos, corpore, corde, habitu.
Circumdansque rudes festis altaribus agnos,
Cruda salutiferis imbuit ora cibis.

Nam neophyti offerebant et communicabant; unde in Sacramentario Gregoriano Menardi monet rubrica ut infantes *non prohibeantur lactari ante communionem, si necesse fuerit.* At in Ordine Romano Hittorpii C (*Pag.* 77) cavetur ne parvuli ante communionem lactentur *sine summa necessitate.* Nimirum ea tum erat disciplina Ecclesiæ ut neophyti omnino communicarent statim a lavacro, et nisi jejuni communicare non poterant, quod parvulis haud raro contingebat. Cæterum consuetudo dandi Eucharistiam recenter baptizatis, quæ vetustissima erat, ut ex sexcentis Patrum testimoniis constat, adhuc sæculo IX, in Occidente vigebat, neque sæculo XIV, quibusdam in Ecclesiis, in usu esse desierat. Infantes autem sacerdos solius vini specie communicabat. Vide Menardum (*De Ritib. Eccl. lib.* I, *cap.* 1, *art.* 15).

[a] *Intercidat.* Miss. Gall., *intereat.*

[b] *Et vox tua præparans cervos.* Verba desumpta sunt e psalmo XXVIII, 9, quæ Vulgata et LXX legunt : *Vox Domini præparantis cervos.* Sanctus Augustinus, *perficientis cervos.* Hebr., *obstetricans cervis.*

[c] *Ad gratiam.* Videtur aliquid deesse; fortasse : *Te deprecamur... ut hanc aquam benedicas ad gratiam regenerationis conferendam præparatam, et in eam immersi, aut ea perfusi, famuli tui novæ restituantur infantiæ.*

[d] *Infantia.* Lege *infantiæ.* Neophyti omnes, etsi ætate senes, infantes appellabantur. Hinc octavæ Paschæ, apud sanctum Augustinum, *octavæ infantum* appellantur, quotquot enim baptizati erant, ut pote regenerati, novam vitam ingressi erant. Hinc *infantes,* hinc etiam *infantia.* Huc refer illud Sacramentarii Gelasiani, in consecratione fontis, cum orant ut fons *sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam, progenies cœlestis emergat, et quos, aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in unam pariat gratia mater infantiam.*

[e] *Et antequam.* Eadem rubrica in Toletano et in Missali Romano sancti Pii V. Idem præscribitur in Capitularibus regum Francorum (*Lib.* VI, *tit.* 77), in Sacramentario Moisacensi, et passim in vetustis et recentioribus Missalibus. Sed in hac, ut in aliis quibusdam consuetudinibus, disciplina Ecclesiarum diversa fuit; imo pro varietate temporum varia fuit ejusdem Ecclesiæ disciplina. In Lusitania olim aquam hauriebant de fonte post conspersum desuper chrisma, teste sancto Gregorio Turonensi (*De Glor. mart., cap.* 35), scribens de fontibus Lusitaniæ quotannis insigni miraculo repleri aqua solitis. *Tunc,* inquit, *cum exorcismo sanctificatum fontem, conspersum desuper chrisma, omnis populus pro devotione haurit, et vas plenum domi pro salvatione reportat, agros vineasque aspersione saluberrima tutaturus.* Rubrica in Gregoriano Pamelii aquam *ad aspergendum in domo* hauriri permittit, postquam immissum fuerit chrisma in fontem.

[f] *Deinde.* De chrismate silet Sacramentarium Gelasianum edit. Thomasii. Sanctus Hildephonsus (*Lib. de annot. bapt., cap.* 109) de consecratione fontis agens, meminit de oleo, de chrismate silet. Scilicet Gotho-Hispani non oleum solum, neque solum chrisma, sed oleum et chrisma commista, ex eodem vasculo infundebant. Hinc aliquando simpliciter *oleum,* ut in sancto Hildephonso, aliquando simpliciter *chrisma,* et aliquando *oleum chrismæ mistum,* ut in sequentibus, appellatur.

D [g] *Super vasculum.* Lege *super fontem e vasculo.* Cæterum in Missali Gallo Gothico, et in Sacramentario Bobiano, præscribitur ut chrisma in modum crucis infundatur, et in Missali Gallicano ut fiant *tres cruces super aquam de chrisma.*

[h] *Oratio.* Sanctus Hildephonsus (*Libr. adnot. de cog. bapt., cap.* 109) benedictionem fontis tribus constare ostendit : exorcismo, infusione olei et benedictione. Quare cum *benedictionem* ultimo loco, post infusionem olei chrismatis ponat, videtur aut hanc orationem nomine *benedictionis* intellexisse, aut forte brevem illam precationem quæ orationem hanc consequitur : *Et benedictio Dei Patris omnipotentis,* etc.

[i] *Baptizentur.* Reliqua ad baptismum pertinentia aliunde petenda sunt : illud unum addo, Hispanos vetusto more pedes recenter baptizato lavare consuevisse (*Conc. Illiber., can.* 48), quod etiam Galli faciebant.

sent r *infantes si ibi sunt.* [a] *Quo facto : supradicti duo* A *Cantores incipiant et cantent tractum.* Cantemus Domino gloriose. *Tunc Chorus redeat cum Processione ut fuerat : et sacerdos cum Cruce et Ministris accedant ad Altare majus : et Processio in suo ordine vadat ad Chorum canendo Tractum.* Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est : equum et ascensorem projecit in mare. ℣. Adjutor et protector factus est mihi in salutem. ℣. Hic Deus meus et honorificabo eum : Deus patris mei : et exaltabo eum. *Et cum perventum fuerit ad Chorum : supradicti Cantores incipiunt ut sequitur*·

Propicius esto.	Parce nobis Domine.
Ab omni malo.	Libera nos Domine.
Ab insidiis diaboli.	Libera.
A periculo mortis.	Libera. B
Ab omni mala voluntate.	Libera.
A damnatione perpetua.	Libera.
A morte subitanea et eterna.	Libera.
A fulgure et tempestate.	Libera.
Per Passionem et sanctam Crucem tuam.	Libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam.	Libera.
Per gratiam Sancti Spiritus Paracliti.	Libera.
In die judicii.	Libera.
Peccatores.	Te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones.	Te rogamus,

Ut Ecclesiam tuam regere et defensare digneris. Te rogamus.

Ut fontem istum benedicere et consecrare digneris. Te rogamus. C

Fili Dei.	Te rogamus.
Fili Dei.	Te rogamus.
Fili Dei.	Te rogamus.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.

Et interim quo Litania perficitur : Sacerdos cum Ministris cruce et cereis et cereo paschali et serpente eo ordine quo prius ascenderunt : sic descendent ad sacrarium. Et deponat Sacerdos cum ministris ornamenta quadragesimalia : et accipiant ornamenta **190** *alba et veniant ad altare isto ordine. Cruce remanente in sacrario. In primis precedant duo Ceroferarii cum cereis accensis. Scilicet cereo paschali et tribus lucernis que sunt in serpente. Et cum pervenerint ad altare majus : Sacerdos faciat* [b] *confessionem ut moris est. Et facta confessione Sacerdos solenniter dicat hymnum* Gloria in excelsis Deo. *Et statim pulsentur omnes campane tam majores quam minores. Et discooperiantur altaria frontalibus* [c] *nigris : et retabula aurea : et omnia appareant solenniter. Et finito hymno angelorum Diachonus dicat.* [d] Pro competentibus. Flectamus genua. Levate.

Et Sacerdos dicat.

Oratio. Concede Domine omnes qui nunc fide meruerunt cognoscere veritatem : salutaris lavacri percipere innovationem. Sicque eos a cunctis peccatorum sordibus baptismi unda purificet : ut ultra eos pravi operis inquinamenta non maculent.

℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster.

Dicat Diaconus. Silentium facite.

[e] *Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos :* (*Cap.* [f] *VI*)

℟. Deo gratias.

Fratres : Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato : ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato : quomodo adhuc vivimus in illo? An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu : in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum : in morte. Ut quomodo resurrexit Christus a mortuis per gloriam patris : ita et nos in novitate vite ambulemus. Si enim complantati [g] salvi facti sumus similitudini mortis ejus :

[a] *Quo facto.* Aliter Gotho-Hispani. Ii enim, baptismate peracto, in gratiarum actionem hymnum *Gloria in excelsis Deo* canebant. Deinde neophytos ungebant, iisdemque impositione manuum episcopi Spiritum sanctum conferebant. Post hæc eosdem in ecclesiam et ad altare deducebant, canentes canticum Moysis, Exod. XV, *Cantemus Domino*. Demum orationem pro neophytis dicebant. Quibus omnibus expletis, missam incipiebant. Confer Prudentium (*Hym. 5 cathem.*), sanctum Ildefonsum (*Adnot. bap., cap.* 122; *de Itin. desert., cap.* 6), Sacramentarium Bobianum, et Missalia Gallicanum et Gallo-Gothicum. Eadem in hoc Missali habentur, sed perturbata et aliis mista.

[b] *Confessionem.* Sacerdos ad altare ascendit, et omisso *Officio ad missam*, statim dicit *Gloria in excelsis Deo*, etc.; sed hæc recentiora sunt.

[c] *Nigris.* Nam tempore Quadragesimæ, et diebus jejunii, vestes sacræ et pallia altaris, nigri coloris erant, quæ modo sunt violacei.

[d] *Pro competentibus.* Nescio qua oscitantia, recentiores Mozarabes hanc diaconi admonitionem et subjectam orationem suo loco motas huc intruserint (*Vid. not. pag.* 187). Quorsum enim oratio pro competentibus, quos jam omnes baptizatos esse oportebat? Adverte, apud Gotho-Hispanos et antiquiores Mozarabes, Missam Sabbati sancti a lectione Scripturarum incœpisse, atque adeo *Officio ad Missam*, hymno *Gloria* et oratione consequente, caruisse, erat enim missa jejunii, noctuque celebrabatur; sed, postquam Sabbato sancto missa clara luce, imo et ante meridiem, celebrari cœpta est, recentiores Mozarabes disciplinam Ecclesiæ Toletanæ, circa pulsationem campanarum, imitantes, missam hac die ab hymno *Gloria*, etc., inchoasse, eique, loco orationis, col- D lectam *pro neophytis* subjecisse, præmissa etiam solemni proclamatione *Flectamus genua*, quæ tempori paschali minime conveniebat, et dum *Gloria* caneretur campanas pulsasse.

[e] *Sequentia.* Huic missæ deficit prophetia non modo in Missali nostro, sed etiam in Lectionario Luxoviensi, et in Sacramentario Bobiano. Fortasse illis visum erat lectiones quæ ante baptismum e Veteri Testamento lectæ fuerant vicem prophetiæ supplere posse.

[f] *Cap. VI.* Vers. 1-12. Eadem in Lectionario Luxoviensi, sed incipit tantum a vers. 3 : *An ignoratis.* In Sacramentario Bobiano legitur ex Epist. I ad Corinthios, V, 6-9, ubi notandum quod particula *non* de industria omissa est, initio lectionis.

[g] *Salvi facti.* Vulgata legit : *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus*, etc. Illud *salvi* neque Primasius, neque Ambrosiaster legit.

Lectio libri Exodi ([a] *Cap. XII*)

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Loquutus est Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti dicens. Mensis iste vobis principium mensium : primus erit in mensibus anni. Loquimini ad universum cetum filiorum Israel : et dicetis eis. Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. Sin autem minor est numerus : ut sufficere possit ad vescendum agnum : adsumet vicinum suum qui junctus est domui ejus : juxta numerum animarum que sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula : masculus anniculus. Juxta quem ritum tolletis et hedum : et servabitis eum usque ad quartamdecimam diem mensis hujus. Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperum. Et sument de sanguine : ac ponent super utrumque postem : et insuper liminaribus domorum : in quibus comedent illum. Et edent nocte illa carnes assas igni : et azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid : nec coctum aqua : sed assum tantum igni. Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis : nec remanebit ex eo quicquam usque mane. Siquid residui fuerit : igni comburestis. Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis : et calciamenta habebetis in pedibus : tenentes baculos in manibus : et comedetis festinanter. [b] Pascha enim Domini est.

℟. Amen.

Postea dicat Diachonus. [c] Pro unitate fidei catholice. Flectamus genua : levate.

Oratio. Ecclesia tua Christe que dilatata per universam terram diffusa est : omnis tua gratia in unitatis gremio colligatur. Et quamvis semetipsam in gentium varietate diffundat : fidei tamen divisionem non sentiat. Dissolve heresis scismata : que subvertere cupiunt fidem : que nituntur corrumpere veritatem. Ut sicut tu in celis atque in terra unus atque idem dignosceris Dominus : ita tibi in unitate fidei serviat cunctarum gentium populus.

℟. Amen.

Lecto libri Exodi ([d] *Cap. XIV*).

℟. Deo gratias.

[e] Quinta progenie ascenderunt filii Israel de terra Egypti. Dixitque Dominus ad Moysen. Quid clamas ad me? Dic filiis Israel ut proficiscantur. Tu autem eleva virgam tuam : et extende manum super mare : et divide illud : ut gradiantur filii Israel in medio maris per siccum. Ego autem indurabo cor Egyptiorum : et persequentur vos. Et glorificabor in Pharaone et in omni exercitu ejus : in curribus et in

A equitibus ejus. Et scient Egyptii : quia ego sum Dominus : cum glorificatus fuero in Pharaone et in curribus atque equitibus ejus. Tollensque Angelus Domini qui precedebat castra Israel : abiit post eos. Et cum eo pariter columna nubis : priora dimittens post tergum. Stetitque inter castra Egyptiorum : et castra Israel. Et erat nubes tenebrosa : et inluminans noctem : ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. Cumque extendisset Moyses manum super mare : abstulit illud Dominus flante vento vehementi : et urente tota nocte : et evertit in siccum. Divisaque est aqua : et ingressi sunt filii Israel per medium maris sicci. Erat enim aqua quasi murus : ad dexteram eorum et levam. Persequentesque Egyptii : ingressi sunt post eos

B omnis equitatus Pharaonis : currus ejus et equites per medium maris. Itaque advenerat vigilia matutina : et ecce respiciens Dominus super castra Egyptiorum : per columnam ignis et nubis : interfecit exercitum eorum : et subvertit rotas curruum : ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Egyptii Fugiamus Israelem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dominus ad Moysen. Extende manum super mare : et revertantur aque super Egyptios : super currus et equites eorum. Cumque extendisset Moyses manum contra mare : **182** reversum est primo diluculo ad priorem locum. Fugientibusque Egyptiis occurrerunt aque : et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. Reverseque sunt

C aque : et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis : qui sequentes ingressi fuerant mare : nec unus quidem superfuit ex eis. Filii autem Israel perrexerunt per medium maris sicci : et aque eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris. Liberavitque Dominus in die illo Israel de manu Egyptiorum : et viderunt Egyptios mortuos super litus maris. Et manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos. Timuitque populus Dominum : et crediderunt Domino et Moysi servo ejus. *Tunc* cantavit Moyses canticum hoc Deo : et dixit.

Tractus. Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est. ℣. Equum et ascensorem projecit in mare. *P.* Gloriose. ℣. Adjutor et protector mihi fuit Dominus in salutem. *P.* Gloriose. ℣. Hic Deus

D meus et honorificabo eum : Deus patris mei et exaltabo eum. *P.* Gloriose enim bono.

Prosequatur prophetia ab Acolito. Sumpsit Maria soror Aaron prophetissa timpanum in manu sua : et exierunt cum ea universe mulieres cum timpanis et choris. Preibat autem eas Maria dicens. *Canticum.*

[a] *Cap. XII.* Vers. 1-12. In Luxoviensi septima lectio est de agno paschali (*Exod.* XII, 1-50).

[b] *Pascha enim.* Vulg. : *est enim Phase, id est transitus Domini.*

[c] *Pro unitate.* In Orationali Gothico secunda oratio est *pro pace Ecclesiarum et quiete populi.* In liturgicis libris tam in numero quam in ordine harum orationum haud exigua est varietas, mihi autem satis visum notasse discrimen quod inter Orationale Gothicum et Missale Mozarabum hac in re intercedit.

[d] *Cap. XIV.* Vers. 14-XV, 1-12, sed plurima prætermissa sunt. In Lectionario Luxoviensi, de transitu maris, et submerso Pharaone, septima lectio est ex Exod. XIV, 14-XV, 1-22, non paucis omissis.

[e] *Quinta progenie.* Confer Genesim, XV, 16. Sanctus Hieronymus : Quinta vero generatione egressi sunt; et LXX, apud Liranum : Quinta generatione.

Cantemus Domino gloriose enim honorificatus est. *Diachonus dicat.* Flectamus genua. Levate. A

[a] *Oratio.* [b] Pro virginibus flectentes genua te Pater omnipotens Deus postulamus : ut hanc illustrem [c] portionem Christi tui : in qua maxime gaudet catholica Ecclesia : ampliori fecunditate enutrias : ut quantò plus numerosior et incorruptorum numerus exstat : tanto gaudium matris Ecclesie augeatur. ℟. Amen.

Lectio Libri Esaye Prophete ([d] *Cap. II*).

℟. Deo gratias.

Verbum Domini quod vidit Esayas filius Amos Propheta super Judam et Hierusalem. Et erit in novissimis diebus preparatus mons : domus Domini in vertice montium : et elevabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes : et ibunt populi multi B et dicent. Venite ascendamus ad montem Domini : et ad domum Dei Jacob. Et docebit nos vias suas : et ambulabimus in semitis ejus. Quia de Syon exibit lex : et verbum Domini de Hierusalem. Et judicabit gentes : et arguet populos multos. Et conflabunt gladios suos in vomeres : et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium : nec exercebuntur ultra ad prelium. Et nunc ingredimini in petris : et abscondite vos in terra : a facie timoris Domini : et a gloria majestatis ejus. Cum surrexerit confringere terram : et incurvabitur altitudo virorum : et exaltabitur Dominus in die illa. Illa etiam die Domini projiciet homo idola argenti sui : et simulacra auri sui : que fecerat sibi : ut adoraret vana et nociva. Dominus autem ad judicium veniet cum C senioribus populi sui : et principibus ejus. In die illa erit germen Domini in magnificentia et in gloria : et fructus terre sublimis : et exultatio his qui salvati fuerint de Israel. Et erit omnis qui relictus fuerit in Syon : et residuus in Hierusalem sanctus vocabitur : omnis qui scriptus est in Hierusalem. Si abluerit Dominus sordem filiorum Syon : et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus : spiritus judicii et spiritus ardoris. Et creabit Dominus super omnem locum montis Syon : et ubi invocatus est nubem per diem : et fumum et splendorem ignis flammantis per noctem. Super omnem enim gloriam protectio et tabernaculum erit in umbraculum diei ab estu : et in securitatem et abscontionem a turbine et pluvia. [e] Tunc cantavit Esayas propheta canticum hoc D Deo. Et dixit. ℟. Amen.

Canticum. Cantabo nunc dilecto meo canticum dilecte vinee me. Vinea facta est dilecto in cornu et in loco uberi. ℣. Et maceria circumdedi : et circumfodi et plantavi vineam Soreth : et edificavi turrim in medio ejus. ℟. Et torcular fodi in ea et sustinui ut faceret uvas : fecit autem spinas. ℣. Et nunc homo Juda : et qui habitatis Hierusalem judicate inter me et vineam mea. ℣. Vinea enim Domini Saboath **183** domus est Israel : et domus Juda novellum dilectum. ℣. Sustinui ut faceret judicium : fecit autem iniquitatem : et non justiciam sed clamorem.

Dicat Diachonus. Pro his [f] qui elemosynas faciunt. Flectamus genua. Levate.

Oratio. Deprecamur te Domine pro his qui misericordie fructibus egentium subsidia conferunt : ut mereantur ex hac terrena dispensatione celestem percipere remunerationem. Et quicquid in usibus indigentium conferunt : proficiat illis ad fructum celestium premiorum. ℟. Amen.

Lectio libri Esechielis Prophete ([g] *Cap. XXXVII*).

℟. Deo gratias.

Facta est super me manus Domini : et eduxit me in spiritu Dominus. Et dimisit me in medio campi : qui erat plenus ossibus : et circumduxit me per ea in giro. Erant autem multa valde super faciem campi : siccaque vehementer. Et dixit ad me. Fili hominis : putasne vivent ossa ista? Et dixi. Domine Deus tu nosti. Et dixit ad me. Vaticinare de ossibus his : et dices eis. Ossa arida audite verbum Dei. Hec dicit Dominus Deus ossibus his. Ecce ego intromittam in vobis spiritum : et vivetis : et dabo super vos nervos : et subcrescere faciam super vos carnes : et subextendam in vobis cutem : et dabo vobis spiritum et vivetis : et scietis quia ego sum Dominus. Et prophetavi sicut preceperat mihi. Factus est autem [h] somnus prophetante me : et ecce commotio. Et accesserunt ossa ad ossa : unumquodque ad juncturam suam. Et vidi : et ecce super ea nervi et carnes ascenderunt : et extensa est in eis cutis desuper : et spiritum non habebant. Et dixit ad me. Vaticinare ad spiritum : vaticinare fili hominis : et dices ad spiritum. Hec dicit Dominus Deus. A quatuor ventis venit spiritus : et insufla super interfectos istos : et revivescant. Et prophetavi sicut preceperat mihi. Et ingressus in ea spiritus : et vixerunt. Steteruntque super pedes suos exercitus grandes nimis valde : et dixit ad me. Fili

[a] *Oratio.* Hoc loco deficit titulus. Lege *pro virginibus*, et sane in Orationali Gothico septima oratio est *pro virginibus et contin ntibus*. In Sacramentario Bobiano, et in Missali Gallo-Gothico, quarta oratio simpliciter *pro virginibus* inscribitur, ut, in Missali Gallicano, quinta oratio.

[b] *Pro virginibus.* In hac oratione quinta distincte legimus : *Pro virginibus flectentes genua te, Pater omnipotens, postulamus*, etc. Et supra, in oratione prima : *Pro solemn tate paschali flexis genibus te, Pater omnipotens, obsecramus.* Et infra, oratione decima : *Pro regibus sæculi hujus, atque principibus tibi, Pater, flectentes genua, obsecramus*, etc. Quare videtur Gotho-Hispanos, saltem provinciæ Carthaginensis, ad singulas hasce orationes flexis genibus mansisse. Ne credam hunc morem ubique receptum fuisse, faciunt Orationale Gothicum, et libri liturgici Gallicani, quibus solemne illud *Flectamus genua Deo*, et illud *Erigite vos*, aut *Levate*, omittuntur. Scrupulum autem injicit quod diaconus hic dicat simpliciter *Flectamus genua* et *Levate*, cum aliis in locis dicat *Flectite genua Deo*, et rursus *Erigite vos*, sed fortasse aliter pœnitentes, aliter totum cœtum fidelium alloqui mos erat.

[c] *Portionem.* Adde *gregis.*

[d] *Cap. II.* Vers. 1-v, 1-8, multis omissis.

[e] *Tunc cantavit.* In Vulgata non legitur.

[f] *Qui eleemosinas.* In orationali Gothico septima oratio est *pro his qui eleemosinas faciunt.*

[g] *Cap XXXVII.* Hæc Lectionario Luxoviensi octava lectio est.

[h] *Somnus.* Vulg., *sonitus.*

hominis ossa hec universa domus Israel est. Ipsi dicunt. Aruerunt ossa nostra : et periit spes nostra : et abscisi sumus. Propterea vaticinare : et dices ad eos. Hec dicit Dominus Deus. Ecce ego aperiam tumulos vestros : et educam vos de sepulcris vestris populus meus : et inducam vos in terram Israel : et scietis quia ego sum Dominus. Cum aperuero sepulcra vestra : et eduxero vos de tumulis vestris populus meus : et dedero spiritum meum in vobis et dixeritis : et requiescere vos faciam super humum vestrum.

℟. Amen.

Dicat Diaconus. Pro peregrinantibus [a] et navigantibus. Flectamus genua. Levate

Oratio. Concede Pater omnipotens cunctos peregrinantes patrie fieri reduces. Et [b] quoscumque turbulenti maris pervenit fluctus : ad tranquillitatis revoca portum. Mereantur in hac solennitate utrique : et terre exilium : et maris evadere exitium. Ut commune hujus leticie votum : cunctis generale sit gaudium. ℟. Amen.

Lectio libri Abacuc prophete (Cap. [c] I).

℟. Deo gratias.

Visio quam vidit Abacuc propheta. Usque quo Domine clamo : ut non exaudies? vociferabor ad te vim patiens : et non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem : videre predam et injusticiam contra me? Et factum est judicium : et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex : et non pervenit usque ad finem judicium : quia impius prevalet adversus justum. Propterea egredietur judicium preversum. Aspicite in gentibus et videte : et admiramini et obstupescite : quia opus factum est in diebus vestris : quod nemo credet cum narrabitur. Quia ecce ego suscitabo Caldeos : gentem amaram et velocem ambulantem super latitudinem terre : ut possideant tabernacula non sua. Quia lapis de pariete clamabit : et lignum quod inter juncturas edificiorum est respondebit. Ve qui edificat civitatem in sanguinibus : et preparat urbem in iniquitate. Numquid non hec a Domino sunt exercituum? laborabunt enim populi in multo igni : et gentes in vacuum et **184** deficient. Quia replebitur terra ut cognoscant gloriam Domini : quasi aque operientis mare. Quid prodest sculptile : quia sculpsit illud fractor suus : et conflavit illud imaginem falsam? Quia speravit in figmento fictor ejus : ut faceret simulacra muta. Ve qui dicit ligno expergiscere : surge lapidi jacenti. Numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro et argento : et omnis spiritus non est in visceribus ejus. Dominus autem in templo sancto suo : sileat a facie ejus omnis terra. [d] Tunc cantavit Abacuc propheta canticum hoc Deo : et dixit.

Canticum. Domine audivi auditum tuum et timui : consideravi opera tua et expavi. ℣. In medio duorum animalium [e] cognosceris : dum appropinquaverint anni : innotesceris. ℣. Deus a Libano veniet : et sanctus a monte opaco et condenso. ℣. Operuit celos virtus ejus : et laudis ejus plena est terra

Dicat Diachonus. Pro [f] Egrotis. Flectamus genua. Levate.

Oratio. Miserere Domine his : quos corporalis egritudinis valitudo involvit. Sana cunctos in nobis mentis corporisque languores : atque omnibus indulgens : solitam impertire medelam. Ut tibi cuncti in salute ministerium expleant fidei : tibique referant laudes : qui solus et peccata cordis emundas : et languorem corporum sanas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui vivis et omnia regis in secula seculorum.

℟. Amen.

Lectio libri Jone Prophete ([g] Cap. I, IIII)

℟. Deo gratias.

Factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi dicens. Surge : vade contra Ninnivem civitatem grandem : et predica in ea : quia ascendit malicia ejus coram me. Et surrexit Jonas ut fugeret in Tharsis a facie Domini. Et descendit Joppem : et invenit navem euntem in Tharsis : et dedit naulum ejus. Et descendit in ea ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. Dominus autem misit ventum magnum in mari : et facta est tempestas magna in mari : et navis periclitabatur. Conterriti sunt naute : et clamaverunt viri ad Dominum suum : et miserunt vasa que erant in navi in mare : ut alleviaretur ab eis. Et Jonas descendit ad interiora navis : et dormiebat sopore gravi. Et accessit ad eum gubernator : et dixit ei. Quid tu sopore dormieris? Surge invoca Deum tuum : si forte cogitet Deus de nobis : et non pereamus. Et dixit vir ad collegam suum. Venite et mittamus sortes : et sciamus : quare malum hoc sit nobis. Et miserunt sortes : et cecidit sors super Jonam. Et dixerunt ad eum. Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis? Quod est opus tuum : que terra tua : quis vel ex quo populo es tu? Et dixit ad eos. Hebreus ego sum : et Dominum Deum celi ego timeo : qui fecit mare et aridam. Et timuerunt viri timore magno : et dixerunt ad eum. Quid hoc fecisti? Cognoverunt ergo viri quod a facie Domini fugerat : quia indicaverat eis. Et dixerunt ad eum. Quid faciemus tibi : et cessabit mare a nobis? Quia mare ibat et intumescebat. Et dixit ad eos. Tollite me : et mittite in mari : et cessabit mare a vobis. Scio enim ego quoniam propter me

[a] *Et navigantibus.* In Orationali Gothico (*pag.* 102), oratio decima est *pro peregrinantibus et navigantibus*, sed in oratione siletur de navigantibus

[b] *Quoscumque.* Lege *ad quoscunque.*

[c] *Cap. I.* Vers. 1-III, 1-4, multis omissis.

[d] *Tunc cantavit.* In Vulgata non legitur.

[e] *Cognosceris.* Ita LXX et Arab.; sed Vulg., Hebr. et Syr., *notum facies.*

[f] *Egrotis.* In Orationali Gothico nulla est specialis oratio pro ægrotis, quos, oratione quinta, cum aliis complexi sunt. In Sacramentario Bobiano septima est pro *ægrotis.* in Gallo-Gothico eadem *pro infirmis*, et in Gallicano *pro ægrotantibus.*

[g] *Cap. I.* vers. 1, ad finem capitis quarti, multis omissis. In Luxoviensi Lectionario lectio 11 est e prophetia Jonæ, a cap. I.

tempestas hec grandis super vos est. Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam : et non valuerunt : quia mare ibat et intumescebat super eos. Et clamaverunt viri ad Dominum : et dixerunt. Quesumus Domine : ne pereamus in animam viri istius : et ne des super nos sanguinem innocentem : quia tu Domine sicut voluisti fecisti. Et tulerunt Jonam : et miserunt in mari : et stetit mare a fervore suo et timuerunt viri timore magno : et immolaverunt hostias Domino : et voverunt vota. Et preparavit Dominus piscem grandem : ut deglutiret Jonam. Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus : et tribus noctibus. Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis : et [a] evomuit in aridam. Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo dicens : Surge et vade ad Ninnivem civitatem magnam : et predica in ea predicationem : quam ego loquor ad te. Et surrexit Jonas : et abiit in Ninnivem juxta verbum Domini. Et Ninnive erat civitas magna : **185** itinere trium dierum. Et cepit Jonas introire civitatem : itinere diei unius : et clamavit : et dixit. Adhuc quadraginta dies : et Ninnive subvertetur. Et crediderunt viri Ninnivite in Deum : et predicaverunt jejunium. Et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. Et pervenit nuncius ad Regem Ninnive : et surrexit de solio suo : et abjecit vestimentum suum a se : et indutus est sacco. Et sedit in cinere : et clamavit dicens. In Ninnive ex ore Regis et principum ejus : dicens. Homines et jumenta : et boves et pecora non gustent quicquam : nec pascantur : et aquam non bibant. Et operiantur saccis homines et jumenta : et clament ad Deum in fortitudine. Et convertatur vir a via sua mala : et ab iniquitate que est in manibus eorum. Quis scit si convertatur : et ignoscat Deus : et revertatur a furore ire sue : et non peribimus? Et vidit Deus opera eorum : quia conversi sunt a via sua mala. Et misertus est Dominus super maliciam : quam locutus fuerat : ut faceret eis : et non fecit. Et afflictus est Jonas afflictione magna : et iratus est. Et oravit ad Dominum : et dixit. Obsecro Domine : numquid non hoc verbum est meum : cum adhuc essem in terra mea? Propter quod preocupavi : ut fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens et misericors es : patiens et multe miserationis : ignoscens super maliciam. Et nunc Domine quesumus : tolle animam meam a me : quia melior est mihi mors quam vita. Et dixit Dominus. Putasne bene irasceris tu? Et egressus est Jonas de civitate : et sedit contra orientem civitatis. Et fecit sibimet umbraculum : et sedebat subter illud in umbra donec videret : quid accideret civitati. Et preparavit Dominus Deus hederam : et ascendit super caput Jone : ut esset umbra super caput ejus : et protegeret eum : laboraverat enim : et letatus est Jonas super hederam leticia magna. Et preparavit Dominus Deus vermem ascensu diluculi in crastinum : et percussit hederam : et exaruit. Et cum ortus fuisset Sol : precepit Dominus vento calido et urenti : et percussit Sol super caput Jone : et estuabat. Et petivit anime sue ut moreretur : et dixit. Melius est mihi mori : quam vivere. Et dixit Dominus ad Jonam. Putasne bene irasceris tu super hederam? Et dixit. Bene irascor ego usque ad mortem. Et dixit ei Dominus. Tu doles super hederam in qua non laborasti : neque fecisti ut cresceret : que sub una nocte nata est : et una nocte periit. Et ego non parcam Ninnive civitati magne : in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum : qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam : et jumenta multa? [b] Sed parcam et miserebor eis : quia magnum est nomen meum.

℟. Amen.

Dicat Diaconus. [c] Pro penitentibus. Flectamus genua. Levate.

Oratio. Cunctorum penitentium Pater omnipotens suscipe fletus : et quos hactenus diabolus variis viciorum sordibus inquinavit : respectu pietatis tue purifica. Tribue cunctis preterita peccata deflere : et futura non admittere. Ab illis misericordia tua preveniente mundentur : ab istis tua custodiente gratia liberentur.

℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster : qui vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Lectio libri Danielis Prophete ([d] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream : altitudine cubitorum sexaginta : latitudine cubitorum sex. Et statuit eam in campo Duran provincie Babylonis. Itaque Nabuchodonosor Rex misit ad congregandos Satrapes : et magistratus et judices : duces et tirannos et perfectos : omnesque principes regionum : ut convenirent ad dedicationem statue : quam erexerat Nabuchodonosor Rex. Tunc congregati sunt Satrape : magistratus : et judices : et tiranni et optimates : qui erant in potestatibus constituti : et universi principes regionum : ut convenirent ad dedicationem statue : quam erexerat Nabuchodonosor Rex. Stabant autem in conspectu statue quam posuerat Nabuchodonosor Rex : et preco clamabat valenter. Vobis dicitur populis tribus **186** et linguis : in hora qua audieritis sonitum tube et fistule et cithare : sambuce : et psalterii : et simphonie : et universi generis musicorum : cadentes adorate statuam auream : quam constituit Nabuchodonosor Rex. Si quis autem non prostratus adoraverit : eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Post hec igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tube : fistule : et cithare : sambuce : et psalterii : et simphonie : et omnis generis musicorum : cadentes omnes populi et tribus et lingue adoraverunt sta-

[a] *Et evomuit in aridam.* Vulgat., *evomuit Jonam in aridam.*

[b] *Sed parcam.* His verbis finis imponebatur lectioni.

[c] *Pro pœnitentibus.* In Orationali Gothico nona oratio funditur *pro pœnitentibus et confitentibus*

[d] *Cap. III.* Vers. 1, ad finem capitis, multis in cantico, et a vers. 25 ad 46, omissis omnibus. In Lectionario Luxoviensi lectio 12 est ex cap. III Danielis.

tuam auream : quam constituit Nabuchodonosor Rex. Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldei, accusaverunt Judeos. Dixeruntque Nabuchodonosor Regi. Rex in eternum vive. Tu Rex posuisti decretum : ut omnis homo qui audierit sonitum tube : fistule : et cithare : sambuce et psalterij et simphonie et omnis generis musicorum : prosternat se et adoret statuam auream. Siquis autem non procidens adoraverit : mittatur in fornacem ignis ardentis. Sunt autem viri Judei quos constituisti super opera regionis Babylonie : Sidrac : Misac : et Abdenago. Viri isti contempserunt Rex decretum tuum : deos tuos non colunt : et statuam auream quam erexisti non adorant. Tunc Nabuchodonosor Rex in furore et in ira precepit : ut adducerent Sidrac : Misac : et Abdenago. Qui confestim adducti sunt in conspectum Regis. Pronunciansque Nabuchodonosor Rex : ait eis. Vere Sidrac : Misac : et Abdenago : Deos meos non colitis? et statuam auream quam constitui : non adoratis? Nunc ergo si estis parati : quacumque hora audieritis sonitum tube : fistule : cithare : sambuce : psalterij : et simphonie : et omnis generis musicorum : prosternite vos et adorate statuam auream quam feci. Quodsi non adoraveritis : eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentem. Et quis est Deus qui eripiat vos de manu mea? Respondentes Sidrac : Misac : et Abdenago dixerunt Regi. Nabuchodonosor Rex non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster quem colimus : poterit eripere nos de camino ignis ardentis : et de manibus tuis o Rex liberare. Quod si noluerit : notum sit tibi Rex : quia Deos tuos non colimus : et statuam auream quam erexisti non adoramus. Tunc Nabuchodonosor Rex repletus est furore : et aspectus faciei ejus immutatus est super Sidrac : Misac : et Abdenago. Et precepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat. Et viris fortissimis de exercitu suo jussit : ut legatis pedibus Sidrac : Misac : et Abdenago mitterent eos in fornacem ignis ardentem. Et confestim viri illi vincti [a] cum brachiis suis et tiaris : et calciamentis et vestibus : missi sunt in medium fornacis ignis ardentis : nam jussio Regis urgebat. Fornax autem succensa erat nimis. Porro viros illos qui miserant Sidrac : Misac : et Abdenago : interfecit flamma ignis. Viri autem ii id est tres : Sidrac : Misac : et Abdenago : ceciderunt in medio camino ignis ardentis. Et non cessabant qui miserant eos succendere fornacem : [b] napta : stuppa : pice : et malleolis. Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem : et erupit : et incendit quos reperit juxta fornacem de Caldeis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem. Et excussit flammam ignis de fornace : et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Et non tetigit eos omnino ignis : neque contristavit : nec quicquam molestie intulit. Tunc ii tres quasi ex uno ore laudabant : et glorificabant et benedicebant Dominum de fornace dicentes

Benedictio. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum : et laudabilis et superexaltatus in secula amen. ℣. Benedicite omnia opera Domini Dominum : hymnum dicite et superexaltate eum in secula amen. ℣. Benedicite Sacerdotes Domini Dominum : hymnum dicite et superexaltate eum in secula. ℣. Benedicite sancti et humiles corde Dominum : hymnum dicite. *P.* Et. ℣. Benedicite Anania : Azaria : et Misael Dominum. *P.* Hymnum.

Prosequitur prophetia.

Tunc Nabuchodonosor Rex obstupuit et surrexit propere : et ait optimatibus suis. Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes dixerunt Regi. Vere Rex. Respondit **187** et ait. Ecce ego video quatuor solutos et ambulantes in medio ignis : et nihil corruptionis in eis est : et species quarti similis filio Dei. Tunc accessit Nabuchodonosor Rex ad ostium fornacis ignis ardentis et ait. Sidrac : Misac : et Abdenago servi Dei excelsi : egredimini et venite. Statimque egressi sunt Sidrac : Misac : et Abdenago de medio ignis. Et congregati Satrape : magistratus : et judices : et potestates Regis : contemplabantur viros illos : quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum : et capillus capitis eorum non esset adustus : et sarabela eorum non fuissent [c] imminuta : et odor ignis non transisset per eos. Et erumpens Nabuchodonosor ait. Benedictus Deus eorum : Sidrac videlicet : Misac : et Abdenago : qui misit Angelum suum : et eruit servos suos : qui crediderunt in eo : et verbum Regis immutaverunt. Et tradiderunt corpora sua ne servirent : et ne adorarent Deum : excepto Deo suo. A me ergo positum est hoc decretum : ut omnis populus et tribus et lingue quecumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrac : Misac : et Abdenago dispereat : et domus ejus vastetur. Neque enim est Deus alius : qui possit ita salvare. Tunc Rex promovit Sidrac : Misac : et Abdenago in provincia Babylonis. Nabuchodonosor Rex : omnibus populis gentibus et linguis qui habitant in universa terra : pax vobis multiplicetur. Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi predicare signa ejus : quia magna sunt : et mirabilia ejus : quia fortia. Et regnum ejus regnum sempiternum : et potestas ejus in generatione et generationem.

℟. Amen. *Diachonus dicat.* [d] Pro pace populi [e] et Regum. Flectamus genua. Levate.

[a] *Cum brachiis.* Lege *cum braccis suis.*

[b] *Napta.* Lege *naphtha.*

[c] *Imminuta.* Vulg., LXX, *immutata.*

[d] *Pro pace.* In Orationali Gothico oratio quarta est *pro prosperitate principum, et tranquillitate temporum.* In Sacramentario Bobiano decima est *pro pace populi et regum.* In Missali Gallo-Gothico decima est *pro pace regum*, et in Missali Gallicano quarta *pro regibus et pace.*

[e] *Et Regum.* In omnibus hisce titulis liturgicis ad Hispaniam et Galliam pertinentibus pro regibus numero multitudinis rogatur. Unde credibile est has liturgias, aut saltem has orationes, ad ea tempora pertinere quibus plures simul reges tam in Gallia,

Oratio. Pro Regibus seculi hujus atque principibus tibi Pater flectentes genua : obsecramus ut tribuas illis moderamen justicie : amorem pacis : virtutem pietatis : studium bene regende plebis. Ut in correptione et rectitudine eorum : pax simul et requies fidelium proveniat populorum.

℟. Amen.

[a] *Psallendo.* Sicut cervus sitiens desiderat ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te Deus. ℣. Sitivit anima mea ad Deum vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei. *P.* Ita desiderat.

Et prophetiis et orationibus [b] *cum tractibus dictis : ordinata processione in choro duo Cantores induti cappis albis :* [c] *cereos in manibus tenentes : incipiant* [d] *litaniam in medio Cruciarij Ecclesie dicende.*

Kyrieleyson. Christeleison.
Kyrieleison. Christe audi nos.
Christe exaudi nos. Christe defende nos.
Christe parce peccatis nostris.
Pater de celis Deus. Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus. Miserere.
Spiritus Sancte Deus. Miserere.
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere.
Sancte Sanctorum Deus. Miserere.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix. ora.
Sancta Virgo virginum. ora.

Hic exeat Subdiachonus cum cruce hoc ordine. Ceroferarij cum cereis pergant coram cruce : et cereus paschalis coram cereis et serpens coram cereo : et sic procedant ad fontem ordinatim : et sic sient processionaliter : et canteut litaniam usque ad propicius esto.

Sancte Michael. Ora pro nobis.
Sancte Gabriel. ora.
Sancte Raphael. ora.
Sancte Cherubin. ora.
A Sancte Seraphin. ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli Dei. Orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines. Orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista. ora.
Omnes sancti Patriarche et Prophete. Orate pro nobis.
Sancte Petre. ora.
Sancte Paule. ora.
Sancte Andrea. ora.
Sancte Jacobe. ora.
Sancte Joannes. ora.
Sancte Thoma. ora.
Sancte Jacobe. ora.
B Sancte Philippe. ora.
Sancte Bartholomee. ora.
Sancte Mathee. ora.
Sancte Simon. ora.
Sancte Thadee. ora.
Sancte Mathia. ora.
Sancte Barnaba. ora.
Sancte Luca ora.
Sancte Marce. ora.
188 Omnes sancti Apostoli et Evangeliste. orate.
Omnes sancti Discipuli Domini. orate.
Omnes sancti Innocentes. orate.
Sancte Stephane. ora.
Sancte Line. ora.
Sancte Laurenti. ora.
C Sancte Vincenti. ora.
Sancte Clemens. ora.
Sancte [e] Eugeni. ora.
Sancte Sebastiane. ora.
Sancte Fabiane. ora.
Sancte Christophore. ora.
Sancte [f] Genesi. ora.

quam in Hispania regnabant. Oratio Missalis Mozarabici *pro regibus sæculi hujus, atque principibus,* puta pro Leuba et Leovigildo, funditur ; si enim pro Recaredo et Recimiro, pro Chinda suinto, et Recessuinto orassent, aut pro catholicis Gothorum regibus, eosdem non simpliciter *reges sæculi hujus,* sed vel gloriosos reges, aut certe *catholicos, aut fideles,* appellassent, quemadmodum in cerei consecratione rogant pro *gloriosis principibus,* et rursus pacem precantur *regibus fidelibus.* In Orationali Gothico haud obscure pro imperatoribus Romanis precantur, nam *pro prosperitate principum* orantes, Deum rogant *ut adsit in ordinatione sua catholicis ducibus, et barbaras gentes refrenet.* Unde etiam docemur librum hunc ad Ecclesiam quamdam pertinuisse earum quæ in Hispania Romanorum præsidiis tenebantur. In Missali Gallo-Gothico orant ut, *mitigatis eorum* (regum) *mentibus, requies nobis congregationis istius perseveret;* et rursus : *Ut nobis regno tuo cœlesti liberius liceat deservire;* quibus apparet, librum pertinuisse ad Ecclesiam quæ reges habebat barbaros, et hæreticos, Burgundos puta, aut Gothos, qui ante Recaredum regnarunt. At demum in Missali Gallicano orant, *ut regnum nostrorum exercitum ita sua virtute corroboret, ut, per eosdem gentibus subditis vel fugatis, Deo vero jugiter serviamus ;* et in collecta eosdem reges *Dei famulos* appellant: *Respice famulos tuos, Domine, quibus orbis regimen et rerum habenas dedisti,* etc. Nimirum liber iste ad Ecclesiam quamdam Gallicanam pertinebat, quæ sub Francorum regibus pace catholica fruebatur.

[a] *Psallendo.* Ps. XLI, 2. Absolutis Lectionibus canebatur psalmus XLI ; quo absoluto, clamabat diaconus : *Pro competentibus flectamus genua,* et deinde *Levate,* et oratio *Concede, Domine,* etc., quæ, nescio quo fato, loco suo mota, pag. 190 legitur. Exstant D in Sacramentario Bobiino, et Missali Gallicano oratio *pro competentibus,* et in Gallo Gothico *pro catechumenis,* proxime, scilicet, baptizandis, et quidem oratio, quæ in Gallicano *pro competentibus* dicitur, aperte alludit ad psalmum hunc XLI, quem in Gallia quoque cantatum esse ostendit. Exstat etiam in Sacramentario Gelasiano *oratio post psalmum* XL, qua pro proxime baptizandis orabant.

[b] *Cum tractibus.* Forte, *tractatibus.* Hujusmodi breves tractatus inter opera sancti Zenonis Veronensis inveniuntur.

[c] *Cereos.* Est error typographicus : in Missali legitur *ceptros,* in Toletano, *sceptros.* Lege *sceptra.*

[d] *Litaniam.* Rubrica Sacramentalis Gelasii : *Inde procedunt ad fontes cum litania.*

[e] *Eugeni.* De sancto Eugenio episcopo Toletano et martyre die 15 Novembris agit Martyrologium Romanum.

[f] *Genesi.* De sancto Genesio Arelatensi exstat missa propria in hoc Missali.

Sancte [a] Romane. ora.
Sancte Blasi. ora.
Sancte [b] Zoyle. ora.
Sancte Antonine. ora.
Sancte [c] Saturnine. ora.
Sancte Georgi. ora.
Sancte [d] Juste et Pastor. ora.
Sancte Germane. ora.
Sancte [e] Fernande. ora.
Omnes sancti Martyres. orate.
Sancte Silvester. ora.
Sancte Hylari. ora.
Sancte Martine. ora.
Sancte Augustine. ora.
Sancte Hieronyme. ora.
Sancte Ambrosi. ora.
Sancte Gregori. ora.
Sancte Leander. ora.
Sancte Isidore. ora.
Sancte Illefonse. ora.
Sancte Iuliane. ora.
Sancte Nicolae. ora.
Sancte Benedicte. ora.
Sancte Egidi. ora.
Sancte Francisce. ora.
Sancte Dominice. ora.
Sancte Antoni. ora.
Sancte Bernarde. ora.
Omnes sancti Confessores. orate.
Sancta Maria Magdalena. ora.
Sancta Anna. ora.
Sancta Felicitas. ora.
Sancta Perpetua. ora.
Sancta Agnes. ora.
Sancta Cecilia. ora.
Sancta [f] Cristina. ora.
Sancta [g] Justa. ora.
Sancta Rufina. ora.
Sancta [h] Leocadia. ora.
Sancta Eulalia. ora.
Sancta Marina. ora.
Sancta [i] Columba ora.
Sancta Barbara. ora.
Sancta Lucia. ora.
Sancta Agatha. ora.
Sancta Eufemia. ora.
Sancta [j] Fides. ora.
Sancte [k] Quiteria. ora.
Omnes sancte virgines. orate.
Omnes sancti et sancte Dei. orate.

Hic sileant omnes : et Sacerdos accedat ad fontem : et incipiat benedictionem hoc ordine. [l] *Insufflet in aqua tribus vicibus et dicat hunc exorcismum.* [m] Exorcizo te creatura aque : per Deum Patrem omnipo-

[a] *Romane.* De sancto Romano monacho et martyre Antiocheno Missale hoc Missam habet.

[b] *Zoyli.* Zoylus martyr Cordubensis.

[c] *Saturnine.* Sanctus Saturninus, episc. Tolosanus et martyr, missam propriam habet in hoc Missali.

[d] *Juste et Pastor.* Fratres Complutenses martyres, quibus est missa propria in Missali hoc.

[e] *Fernande.* Forte, *Servande.* De sanctis Germano et Servando exstat missa in hoc Missali.

[f] *Cristina.* De sancta Christina martyre in Sabinis, ad lacum Velinum, passa, exstat missa in Missali nostro.

[g] *Justa.* Justa et Ruffina sorores martyres Hispalenses, quarum sunt missæ in hoc Missali.

[h] *Leocadia.* Sancta Leocadia martyr, aut confessor Toletana, in carcere obiit; ejus in Missali exstat missa.

[i] *Columba.* Sanctæ Columbæ virginis et martyris Senonensis exstat in Missali propria missa.

[j] *Fides.* Fides virgo et martyr Agennensis, de qua Tamaius, in Martyrologio Hispano, et Baronius, in Martyrologio Romano, die sexto Octobris, agunt.

[k] *Quiteria.* De sancta Quiteria virgine et martyre Hispana Tamaius, in Martyrologio Hispano, et Baronius, in Romano, die 22 Maii, meminere.

[l] *Insufflet.* Ritus insufflandi a Christo Domino originem ducit, qui (*Joan.* xx, 24), facultatem remittendi peccata apostolis conferens, *insufflavit et dixit : Accipite Spiritum sanctum, quorum,* etc. Insufflatio priscis fidelibus frequenter in usu erat, tum ad malos dæmones in fugam vertendos (*S. Cyrill. Hier., catech.* 22. *Tertullian., de Idolol. cap.* 11, *Apologet. c.* 33), tum ad Spiritus sancti dona conferenda. Sic in Sacramentario Gregoriano Pamelii rubrica præscribit : *Insufflet in aquam tribus vicibus,* et additur : *Descendat in hunc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti,* etc. De insufflatione in fontis baptismalis benedictione silent Sacramentaria Gelasianum, et Bobianum, et Missale Gallicanum. At insufflationem distincte præscribunt Missale Mozarabum, missale Gallo-Gothicum, et Græcorum Euchologium (*Offic. bapt., Edit. Goarii, pag.* 354). Gotho-Hispanis insufflatio cum exorcismo conjuncta erat (*S. Isid., Orig. lib.* vi, *c.* 19; *Offic. lib.* ii, *cap.* 20). Gallos quoque insufflationem cum exorcismo conjunxisse ostendit Missale Gallo-Gothicum (*N.* 35, *pag.* 248, *col.* 2, *Ed. Paris.*). Demum Missale Ambrosianum Pamelii præscribit exorcismum *cum insufflatione.*

[m] *Exorcizo.* In sanctificatione fontis adhibitum esse Exorcismum liturgiæ vetustissimæ, tam Orientis quam Occidentis Ecclesiæ, probant. Præter Missale nostrum et Euchologium Græcorum, Missalia Gallo-Gothicum, et Gallicanum, et Sacramentarium Bobianum, Missale Ambrosianum Pamelii, Sacramentaria Gelasianum, et Gregoriana, in fonte benedicendo exorcismos habent. Mos idem in Africa, teste sancto Cypriano (*Epist.* 7 ad Januarium) : *Oportet ergo prius mundari,* utique exorcismis, *et sanctificari aquam a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere;* et sanctus Ambrosius, aut certe auctor libri de Sacramentis (*Lib.* i, *cap.* 5) scribit : *Ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquæ, postea invocationem et precem defert, ut sanctificetur fons.* Porro formulæ exorcizandi et ritus diversi sunt : Gotho-Hispani primum insufflabant et faciebant signum crucis, tum aquam alloquebantur : *Exorcizo te, creatura aquæ,* etc. Aquam quoque Galli, in Sacramentario Bobiano : *Exorcidio* (sic) *te, creatura aquæ,* etc., et in Missali Gallicano, alloquuntur : *Exorcizo te, fons aquæ perennis,* etc. At, in Missali Gallo-Gothico, aquam simul et potestates tenebrarum alloquuntur : *Exorcizo te, creatura aquæ. Exorcizo te, omnis exercitus diaboli, omnis potestas adversaria, omnis umbra dæmonum,* etc. Et, absoluto exorcismo, aquam ter insufflant. In Sacramentario Gelasiano deprecatoria est formula exorcismi : *Procul ergo hinc, te jubente, Domine, omnis spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat,* etc. Apud Græcos etiam

tentem : rerumque omnium conditorem : qui te pro A generatione humani generis et per officium nostre humilitatis consecrare precepit : et per Iesum Christum Dominum nostrum Dei et hominis filium : qui super te pedibus ambulavit : et se pro nostra salute in te a Johanne baptizari ostendit : et Spiritum Sanctum qui super eum in specie columbe in Jordane apparuit : ut, excluso a te omni malo spiritus nequicie : his qui [a] in te vel ex te perfusi a nobis : et in nomine trine majestatis baptizati fuerint, percepta divina gratia : in numero fidelium mereantur adscribi. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Benedictio.* [c] Deus qui solus habes immortalitatem : eam que ne solus possideres : nobis quoque B renovata per Jesum nativitate tribuisti : cum humano generi post admissam transgressionem : pristine originis dignitatem reformare in melius : per [d] baptismatis tinctionem voluisti. Adsiste quesumus ad invocationem nominis tui. ℟. Amen. Sancti ✠ fica fontem hunc sancti ✠ ficator generis humani. ℟. Amen. Fiat locus iste dignus : in quem Spiritus sanctus influat. ℟. Amen. Sepeliatur hic ille Adam vetus : resurgat novus. ℟. Amen. Moriatur hic omne quod carnis est : resurgat omne quod est spiritus. ℟. Amen. [e] Exuantur sordidissimis vitiis et discisis criminibus amictus : ut splendoris et immortalitatis tue indumenta sumantur. ℟. Amen. Quicumque in Christo baptizantur : induant Christum. ℟. Amen. Quicumque hic renunciant diabolo : da eis triumphare de mundo. ℟. Amen. [f] Quicumque in hoc loco confessus fuerit : tu eum recognoscas **189** in regno. ℟. Amen. Sic [g] in hunc fontem extinguantur crimina : ne resurgant. ℟. Amen. Sic invalescant aque istius beneficia : ut eterni ignis extinguantur incendia. ℟. Amen. [h] Mittant fontes altaribus tuis : quos altaria regnis tuis emittant. ℟. Amen. Totus

(*In officio baptismatis Euchol. Goarii, pag.* 353) forma exorcizandi est deprecatoria. Primum insufflando in aquam signum crucis faciunt, tum orant : *Conterantur sub signo figuræ crucis tuæ adversariæ cunctæ potestates.* Ter dicunt. Tum : *discedant a nobis aerea cuncta et invisibilia idola.* Gotho-Hispanos benedictionem fontis baptismalis ab exorcismo inchoasse innuit sanctus Gregorius Turonensis (*De Glor. martyr., lib.* I, *cap.* 24), quod rubrica Missalis Mozarabum aperte docet, et sanctus Hildefonsus (*Lib. adnot. de cogn. bapt., cap.* 109) confirmat : *Accedit sacerdos ad fontem... signaculo ligni crucis contingit aquas... exorcismum apponit nequid illic lateat ex contagione sinistræ partis admistum... oleum infundit... benedictionem profert.* Ubi animadvertendum quod sanctus Hildefonsus insufflationem omiserit, ut in missali nostro omiserunt signum crucis, sed quoniam insufflando signum crucis faciebant, satis erat alterutrum nominasse. Singulare est quod rubrica Missalis Gallo-Gothici præscribat ut ante exorcismos faciat *crucem de chrisma*, nimirum ut pollice, aut digitis chrismate linitis aquam in formam crucis signet, et, absolutis exorcismis, insuffletur in aquam, et deinde chrisma rursus infundant. Neque Gotho-Hispanis singulare erat ab exorcismo ordiri fontis sanctificationem, sic enim in Gallia fiebat, ut ex Sacramentario Bobiano et ex Missali Gallicano habemus, in quo quidem præmittitur *præfatio;* sed hæc ad sanctificationem fontis stricte non pertinet. In Italia quoque ex libro primo de Sacramentis, cap. 5, inter opera sancti Ambrosii, et in Africa, ex sancto Cypriano; epist. 7, fontis consecrationem ab exorcismis incipiebant. Sed in hac re diversa erat Ecclesiarum disciplina, in quibusdam Galliæ locis, ut ex Missali Gallo-Gothico colligere licet (*N.* 26), fons primum benedicebatur, deinde exorcismi fiebant, post exorcismos chrisma fonti infundebatur. At Romæ, ut est in Sacramentariis Gelasiano et Gregorianis, et Constantinopoli, ut est in officio sancti baptismatis Euch. (*Pag.* 353), exorcismos faciebant circa medium consecrationis fontis, quod etiam in Ambrosiano Pamelii observare licet.

[a] *In te vel ex te perfusi.* Forte, *in te mersi, vel ex te perfusi.* Duplicem baptizandi modum indigitat, alium immergendo aquis, alium infundendo aquis : ritus immergendi apud antiquos magis in usu erat, eosque, qui baptismum aqua infusa consecuti erant *superfusos*, grabatarios, et clinicos appellabant veteres, contemptus causa; hos concilium Neocæsariense (*Can.* 12) ad presbyteratus dignitatem promovere vetat, concilium vero Parisiense anno 829 celebratum (*Can.* 8) prohibet ne in ægritudine baptizati in clerum cooptentur. Certe non defuerunt qui de istius modi baptismate dubitaverunt an validum fuerit necne (*S. Cornelius papa, epist. ad Fabium Antiochenum, apud Euseb., Hist. Eccl. lib.* VI, *cap.* 43 ; *S. Cyprianus, epist.* 76, *ad Magnum*). Immerito tamen, ut sanctus Cyprianus (*Ibid.*) fuse ostendit, solvitque contraria argumenta. Et sane Ecclesia nunquam censuit baptisma infusa aqua, in nomine Trinitatis, collatum minus validum esse, aut iterandum. Modo, raro immersione, plerumque autem infusione aquæ, baptizant, nimirum ut teneræ infantium ætati et adultorum pudori melius consulatur. C

[b] *Benedictio.* Eadem exstat in Missali Gallicano (*N.* 25, *pag.* 365), ibique *contestatio fontis inscribitur*, et contestationis instar canitur. In nostro Missali instar *Benedictionis* recitatur in varias petitiones divisa.

[c] *Deus.* In Missali Gallicano, *Domine Deus æterne.*

[d] *Baptismatis tinctionem.* Missale Gallicanum : *Reformare in melius tam pretioso quam felici baptismatis munere voluisti.*

[e] *Exuantur.* Lege : *Exuatur sordidissimus vitiis et discissus criminibus amictus, ut,* etc. Missale Gallicanum : *Exuantur sordentes vitiis et discissis criminibus amictus, splendoris et immortalitatis indumenta sumantur.* Alludunt ad ea quæ contingebant baptizandis, qui vestibus quibus antea induti fuerant exuebantur, nudi in fontem mergebantur, et de fonte exeuntes veste candida induebantur. Sanctus Cyrillus Hieros. (*Catech. myst.* 2, *n.* 2) : *O rem admirabilem! nudi fuistis coram oculis omnium, nec pudore tangebamini.* Sanctus Zeno, episc. Veronensis (*Tr.* 35, *quæ est invitatio ad fontem*), proxime baptizandos alloquens : *In fontem quidem nudi,* inquit, *demergimini, sed ætherea veste vestiti mox candidati surgetis, quam qui non polluerit regna cœlestia possidebit.* D

[f] *Quicunque in hoc loco.* Fortasse : *Quicunque te in hoc loco confessus fuerit.* Miss. Gall. : *Quicunque te in hoc loco invocaverit, tu eum cognoscas in regno.*

[g] *In hunc fontem.* Lege *in hoc fonte*, ut in Gallicano.

[h] *Mittant fontes.* Hinc corrigitur textus Missalis Gallicani, *mitte fontis altaribus.* Alludit ad morem veterum, qui neophytos e baptisterio in basilicam introductos seorsim a cœtu fidelium, circa altare collocabant. Sanctus Ambrosius, de iis qui myst. initian., cap. 8 : *His abluta plebs, dives insignibus ad Christi contendit altaria,* et sanctus Paulinus,

hic horror mortis [a] intercidat. ℟. Amen. Quicumque hic se sibi negaverit : te lucrificat. ℟. Amen. Quicumque hic tuus esse ceperit : tuus esse non desinat. ℟. Amen. Ut per ministerium nostrum tibi consecratus : eternis ad te virtutibus : eternis premiis consecretur. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus : et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oratio. Te deprecamur Domine Sancte Pater eterne omnipotens Deus : qui intonas super aquas : ut exultent deserta Jordanis. [b] Et vox tua preparet cedros : ut hanc aquam benedicas [c] ad gratiam. Et perfusi famuli tui nova restituantur [d] infantia : ut remissis sordibus delictorum : participes fiant vite eterne et regni celorum. ℟. Amen. [e] *Et antequam Chrisma et oleum ponantur in fonte : omnes qui causa devotionis voluerint accipere aquam benedictam de fonte ad aspergendum in domibus suis : sumant secundum decretum Alexandri Pape.* [f] *Deinde effundet chrisma et oleum* [g] *super vasculum in modum crucis et dicat.*

A Signo te sacratissime fons unctione sacri chrismatis : in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti regnantis Dei in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[h] *Oratio.* Abjecti et humiles licet vitiorum labe sordentes : te Pater Domine glorie : te Deum omnipotentem deprecamur : pro tua miseratione adesto benignus. Tu libens adspirator : ut has simplices aquas tua sanctificatione bene✠dicas : et ex tuis sedibus Angelum tuum sanctum dirigas : qui eas sancti✠ficet : ut qui in tuo et in Jesu Christo filio tuo et Spiritu Sancto in Trinitatis nomine in hac fluenta descenderint : in quo sanctificato oleo chrisme mixto et aque benedictione perpetuitatis confirmati : a cun- B ctis mundi vitiis repurgentur : et in hoc lavacro sancto remissionem peccatorum suscipiant : et salutem consequantur eternam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Et benedictio Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti descendat super istum fontem. *Et peracta benedictione fontis :* [i] *bapti-*

---

epist. 12, ad Severum :

Unde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos, corpore, corde, habitu.
Circumdansque rudes festis altaribus agnos,
Cruda salutiferis imbuit ora cibis.

Nam neophyti offerebant et communicabant; unde in Sacramentario Gregoriano Menardi monet rubrica ut infantes *non prohibeantur lactari ante communionem, si necesse fuerit.* At in Ordine Romano Hittorpii C (*Pag.* 77) cavetur ne parvuli ante communionem lactentur *sine summa necessitate.* Nimirum ea tum erat disciplina Ecclesiæ ut neophyti omnino communicarent statim a lavacro, et ainsi jejuni communicare non poterant, quod parvulis haud raro contingebat. Cæterum consuetudo dandi Eucharistiam recenter baptizatis, quæ vetustissima erat, ut ex sexcentis Patrum testimoniis constat, adhuc sæculo IX, in Occidente vigebat, neque sæculo XIV, quibusdam in Ecclesiis, in usu esse desierat. Infantes autem sacerdos solius vini specie communicabat. Vide Menardum (*De Ritib. Eccl. lib.* I, *cap.* 1, *art.* 15).

[a] *Intercidat.* Miss. Gall., *intereat.*

[b] *Et vox tua præparans cervos.* Verba desumpta sunt e psalmo XXVIII, 9, quæ Vulgata et LXX legunt : *Vox Domini præparantis cervos.* Sanctus Augustinus, *perficientis cervos.* Hebr., *obstetricans cervis.*

D [c] *Ad gratiam.* Videtur aliquid deesse; fortasse : *Te deprecamur... ut hanc aquam benedicas ad gratiam regenerationis conferendam præparatam, et in eam immersi, aut ea perfusi, famuli tui novæ restituantur infantiæ.*

[d] *Infantia.* Lege *infantiæ.* Neophyti omnes, etsi ætate senes, infantes appellabantur. Hinc octavæ Paschæ, apud sanctum Augustinum, *octavæ infantum* appellantur, quotquot enim baptizati erant, ut pote regenerati, novam vitam ingressi erant. Hinc *infantes*, hinc etiam *infantia.* Huc refer illud Sacramentarii Gelasiani, in consecratione fontis, cum orant ut fons *sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam, progenies cœlestis emergat, et quos, aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in unam pariat gratia mater infantiam.*

[e] *Et antequam.* Eadem rubrica in Toletano et in Missali Romano sancti Pii V. Idem præscribitur in Capitularibus regum Francorum (*Lib.* VI, *tit.* 77), in Sacramentario Moisacensi, et passim in vetustis et recentioribus Missalibus. Sed in hac, ut in aliis quibusdam consuetudinibus, disciplina Ecclesiarum diversa fuit; imo pro varietate temporum varia fuit ejusdem Ecclesiæ disciplina. In Lusitania olim aquam hauriebant de fonte post conspersum desuper chrisma, teste sancto Gregorio Turonensi (*De Glor. mart., cap.* 35), scribens de fontibus Lusitaniæ quotannis insigni miraculo repleri aqua solitis. *Tunc*, inquit, *cum exorcismo sanctificatum fontem, conspersum desuper chrisma, omnis populus pro devotione haurit, et vas plenum domi pro salvatione reportat, agros vineasque aspersione saluberrima tutaturus.* Rubrica in Gregoriano Pamelii aquam *ad aspergendum in domo* hauriri permittit, postquam immissum fuerit chrisma in fontem.

[f] *Deinde.* De chrismate silet Sacramentarium Gelasianum em. Thomasii. Sanctus Hildephonsus (*Lib. de annot. bapt., cap.* 109) de consecratione fontis agens, meminit de oleo, de chrismate silet. Scilicet Gotho-Hispani non oleum solum, neque solum chrisma, sed oleum et chrisma commista, ex eodem vasculo infundebant. Hinc aliquando simpliciter *oleum*, ut in sancto Hildephonso, aliquando simpliciter *chrisma*, et aliquando *oleum chrismæ mistum*, ut in sequentibus, appellatur.

D [g] *Super vasculum.* Lege *super fontem e vasculo.* Cæterum in Missali Gallo Gothico, et in Sacramentario Bobiano, præscribitur ut chrisma in modum crucis infundatur, et in Missali Gallicano ut fiant *tres cruces super aquam de chrisma.*

[h] *Oratio.* Sanctus Hildephonsus (*Libr. adnot. de cog. bapt., cap.* 109) benedictionem fontis tribus constare ostendit : exorcismo, infusione olei et benedictione. Quare cum *benedictionem* ultimo loco, post infusionem olei chrismatis ponat, videtur aut hanc orationem nomine *benedictionis* intellexisse, aut forte brevem illam precationem quæ orationem hanc consequitur : *Et benedictio Dei Patris omnipotentis*, etc.

[i] *Baptizentur.* Reliqua ad baptismum pertinentis aliunde petenda sunt : illud unum addo, Hispanos vetusto more pedes recenter baptizato lavare consuevisse (*Conc. Illiber., can.* 48), quod etiam Galli faciebant.

sent v infantes si ibi sunt. [a] *Quo facto : supradicti duo Cantores incipiant et canent tractum.* Cantemus Domino gloriose. *Tunc Chorus redeat cum Processione ut fuerat : et sacerdos cum Cruce et Ministris accedant ad Altare majus : et Processio in suo ordine vadat ad Chorum canendo Tractum.* Cantemus Domino : gloriose enim honorificatus est : equum et ascensorem projecit in mare. ℣. Adjutor et protector factus est mihi in salutem. ℣. Hic Deus meus et honorificabo eum : Deus patris mei : et exaltabo eum. *Et cum perventum fuerit ad Chorum : supradicti Cantores incipiunt ut sequitur*

Propicius esto.	Parce nobis Domine.
Ab omni malo.	Libera nos Domine.
Ab insidiis diaboli.	Libera.
A periculo mortis.	Libera.
Ab omni mala voluntate.	Libera.
A dannatione perpetua.	Libera.
A morte subitanea et eterna.	Libera.
A fulgure et tempestate.	Libera.
Per Passionem et sanctam Crucem tuam.	Libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam.	Libera.
Per gratiam Sancti Spiritus Paracliti.	Libera.
In die judicii.	Libera.
Peccatores.	Te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones.	Te rogamus.

Ut Ecclesiam tuam regere et defensare digneris. Te rogamus.

Ut fontem istum benedicere et consecrare digneris. Te rogamus.

Fili Dei.	Te rogamus.
Fili Dei.	Te rogamus.
Fili Dei.	Te rogamus.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

A Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.

Et interim quo Litania perficitur : Sacerdos cum Ministris cruce et cereis et cereo paschali et serpente eo ordine quo prius ascenderunt : sic descendent ad sacrarium. Et deponat Sacerdos cum ministris ornamenta quadragesimalia : et accipiant ornamenta **190** *alba et veniant ad altare isto ordine. Cruce remanente in sacrario. In primis precedant duo Ceroferarii cum cereis accensis. Scilicet cereo paschali et tribus lucernis que sunt in serpente. Et cum pervenerint ad altare majus : Sacerdos faciat* [b] *confessionem ut moris est. Et facta confessione Sacerdos solenniter dicat hymnum* Gloria in excelsis Deo. *Et statim pulsentur omnes campane tam majores quam minores. Et discooperiantur altaria frontalibus* [c] *nigris :* B *et retabula aurea : et omnia appareant solenniter. Et finito hymno angelorum Diachonus dicat.* [d] Pro competentibus. Flectamus genua. Levate.

Et Sacerdos dicat.

Oratio. Concede Domine omnes qui nunc fide meruerunt cognoscere veritatem : salutaris lavacri percipere innovationem. Sicque eos a cunctis peccatorum sordibus baptismi unda purificet : ut ultra eos pravi operis inquinamenta non maculent.

℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster.

Dicat Diaconus. Silentium facite.

[e] *Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos : (Cap.* [f] *VI)*

℟. Deo gratias.

Fratres : Quid ergo dicemus? Permanebimus in pec- C cato : ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato : quomodo adhuc vivimus in illo? An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu : in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum : in morte. Ut quomodo resurrexit Christus a mortuis per gloriam patris : ita et nos in novitate vite ambulemus. Si enim complantati [g] salvi facti sumus similitudini mortis ejus :

[a] *Quo facto.* Aliter Gotho-Hispani. Ii enim, baptismate peracto, in gratiarum actionem hymnum *Gloria in excelsis Deo* canebant. Deinde neophytos ungebant, iisdemque impositione manuum episcopi Spiritum sanctum conferebant. Post hæc eosdem in ecclesiam et ad altare deducebant, canentes canticum Moysis, Exod. xv, *Cantemus Domino.* Demum orationem pro neophytis dicebant. Quibus omnibus expletis, missam incipiebant. Confer Prudentium (*Hym. 5 cathem.*), sanctum Ildefonsum (*Adnot. bap., cap.* 122; *de Itin. desert., cap.* 6), Sacramentarium Bobianum, et Missalia Gallicanum et Gallo-Gothicum. Eadem in hoc Missali habentur, sed perturbata et aliis mista.

[b] *Confessionem.* Sacerdos ad altare ascendit, et omisso *Officio ad missam*, statim dicit *Gloria in excelsis Deo*, etc.; sed hæc recentiora sunt.

[c] *Nigris.* Nam tempore Quadragesimæ, et diebus jejunii, vestes sacræ et pallia altaris, nigri coloris erant, quæ modo sunt violacei.

[d] *Pro competentibus.* Nescio qua oscitantia, recentiores Mozarabes hanc diaconi admonitionem et subjectam orationem suo loco motas huc intruserint (*Vid. not. pag.* 187). Quorsum enim oratio pro competentibus, quos jam omnes baptizatos esse oportebat? Adverte, apud Gotho-Hispanos et antiquiores Mozarabes, Missam Sabbati sancti a lectione Scripturarum incœpisse, atque adeo *Officio ad Missam*, hymno *Gloria* et oratione consequente, caruisse, erat enim missa jejunii, noctuque celebrabatur; sed, postquam Sabbato sancto missa clara luce, imo et ante meridiem, celebrari cœpta est, recentiores Mozarabes disciplinam Ecclesiæ Toletanæ, circa pulsationem campanarum, imitantes, missam hac die ab hymno *Gloria*, etc., inchoasse, eique, loco orationis, col- D lectam *pro neophytis* subjecisse, præmissa etiam solemni proclamatione *Flectamus genua*, quæ tempori paschali minime conveniebat, et dum *Gloria* caneretur campanas pulsasse.

[e] *Sequentia.* Huic missæ deficit prophetia non modo in Missali nostro, sed etiam in Lectionario Luxoviensi, et in Sacramentario Bobiano. Fortasse illis visum erat lectiones quæ ante baptismum e Veteri Testamento lectæ fuerant vicem prophetiæ supplere posse.

[f] *Cap. VI.* Vers. 1-12. Eadem in Lectionario Luxoviensi, sed incipit tantum a vers. 3 : *An ignoratis.* In Sacramentario Bobiano legitur ex Epist. I ad Corinthios, v, 6-9, ubi notandum quod particula *non* de industria omissa est, initio lectionis.

[g] *Salvi facti.* Vulgata legit : *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus*, etc. Illud *salvi* neque Primasius, neque Ambrosiaster legit.

simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes quia A vetus homo noster simul crucifixus est : ut destruatur corpus peccati : ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est : justificatus est a peccato. Si enim mortui sumus cum Christo : credimus quia simul etiam vivemus cum illo. Scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuum est peccato : mortuum est semel. Quod autem vivit : vivit Deo. Ita et vos extimate vos mortuos quidem esse peccato : viventes autem Deo : [a] in Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

[b] *Lauda.* Dicant qui redempti sunt a Domino in eternum et in seculum seculi. ℣. Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([c] *Cap. XXVIII*).

Vespere autem Sabbati que lucescit in prima Sabbati : venit Maria Magdalena et altera Maria videre sepulcrum. Et ecce terremotus factus est magnus. Angelus enim descendit de celo : et accedens revolvit lapidem : et sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur : et vestimenta ejus sicut nix. Pre timore autem ejus : exterriti sunt custodes : et facti sunt velut mortui. Respondensque Angelus : dixit mulieribus. Nolite timere vos. Scio enim quod Jesum qui crucifixus est queritis : non est hic : surrexit enim sicut dixit. Venite et videte locum : ubi [d] positus erat. Et cito euntes discipulis dicite quod surrexit : et ecce precedet vos in Galileam : C ibi eum videbitis. Ecce predixi vobis. Et exierunt mulieres cito de monumento : cum timore et gaudio magno : currentes nunciare discipulis suis. Et ecce Jesus occurrit illis dicens. Avete. [e] Illi autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus : et adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus. Nolite timere. Ite dicite fratribus meis : ut eant in [f] Galileam : ibi me videbunt. Que cum abiissent : ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem : et nunciaverunt principibus sacerdotum omnia que facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto : pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes. Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt : et furati sunt eum vobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a preside : nos D suadebimus ei : et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia : fecerunt sicut erant docti. Et divulgatum est verbum istud apud Judeos : usque in hodiernum diem. Undecim autem discipuli abierunt in Galileam : ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum adoraverunt. Quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jesus locutus est eis dicens. Data est 191
mihi omnis potestas in celo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes : baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti : docentes eos servare omnia quecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Lauda.* Alleluia. ℣. Ego sum primus et ego no-B vissimus : et fui mortuus : et ecce sum vivens in secula seculorum. *P.* Alleluia.

[h] *Sacrificium.* Alleluia. Angelus Domini descendit de celo : et accedens revolvit lapidem ab ostio monumenti alleluia alleluia. ℣. Alleluia. Erat respectus ejus sicut fulgur : et vestimenta ejus candida quasi nix : et dixit mulieribus nolite timere. *P.* Et accedens.

Missa. Istam [i] istam noctem qui tenebris fidelis aspiciat : istius cernat splendoris decorem : qui carceris minabatur horrorem. Mundum illuminat lux ista : non diabolum. Libet Christe ergastulis tua virtute confractis spoliatis insultare custodibus : et servientis tiranni contemptam irridere jactantiam. Dulcior semper captivis est restituta libertas. Quis tuam exhausit Judee vigilans sepulturam : soporem passus es : an timorem ? Fraude deceptus es : an virtute ? Non tuam inertiam miser accuses. Non fuisti negligens : sed crudelis. Adhuc certe cecitatem tuam pertinax excusares : si depositum tuum vel inferna servassent. Agnosce infelix : agnosce quid feceris. Corpus illud morientis affectum habuit : non defectum. Visceribus illis non infirmitas fuit clausa : sed pietas. Quod pependit ex homine est : quod resurrexit ex numine. Nihil dubites : nihil mireris. Hospitium Domino suo terra esse potuit : non sepulcrum. Mea tunc cum illis manibus delicta figebas : [j] meam necem tuamque salutem : cum osculandis si liceret corporaliter plantis clavis transverberantibus consuebas. Tuum facinus celum tremuit : Sol expavit : tellus ingemuit : et testantia factoris sui potentiam (terribile quoddam) montium prerupta sonue-

[a] *In Christo.* His finis imponitur lectioni.

[b] *Lauda.* Ps. CVI, 23. ℣. Matth. IV, 6; Isai. IX, 2, qui, teste sancto Hieronymo, proprie de vocatione gentium loquitur. Cæterum locus nullus esse potest pro lauda inter Epistolam et Evangelium, fortasse hæc, quæ nunc *lauda* appellatur, olim pro *psallendo* canebatur.

[c] *Cap. XXVIII.* Vers. 1, ad finem capitis. Idem Evangelium in Lectionario Luxoviensi, et Sacramentario Bobiano, legitur; idem pariter legitur in Kalendario Frontonis et in capitularibus Georgii, sed in his est minus prolixum.

[d] *Positus erat.* Vulg. Gr. et Sacram. Bobianum addunt *Dominus.*

[e] *Illi.* Vulgata, *illæ.*

[f] *Galileam.* Vulg. et Gr., et Sacr. Bobianum, addunt *in montem.*

[g] *Lauda.* ℣. Apoc. I, 18.

[h] *Sacrificium.* Matth. XVIII, 2. ℣. Ibid., 3. Missa Sabbati sancti ritu Romano caret *offertorio*, sed ejus loco olim *Credo in unum Deum* cantabant (*Vid. Antiph. Gregor. em. Thomasii*).

[i] *Istam noctem.* Missam hac nocte celebratam fuisse apud omnes antiquos constat ; unde in Missali Gallo-Gothico *sacrosanctæ noctis istius gratia, tenebris sæcularibus liberati*, etc. Sacramentario Gelasiano inscribuntur *orationes et preces ad missam de nocte*, et in Sacramentario Gregoriano *communicantes et noctem sacratissimam celebrantes.*

[j] *Meam necem.* Lege *tuam necem, meamque salutem*, diabolum enim alloquitur.

mut. Inferi vim pleni Deo corporaliter non tulerunt. Clamabant elementa de vivo : tartara de defuncto. Oportuit talia fieri miracula credituris : talia dari signa salvandis. Ut opera suum correcta nossent artificem : in quo se homo perditum : nisi fuisset inventus nesciret. ℟. Amen

Alia Oratio. Esurientes corpus tuum Domine : ac sanguinem sitientes : ut hoc nobis in remissionem peccatorum sumendum tribuas deprecamur. Quia nostra virtus et salus fit : si tamen non quod indigni sumus : irascaris. Sed facis vinci gaudio metum : et cedere exultationi terrorem. Nemo enim est in hoc numero concilioque fidelium : qui non accedere ad mensam tuam in hac gloriosa per totum mundum nocte desideret. Ut si firmus est : habeat custodiam. Si infirmus est : medicinam. Sit igitur quesumus apud te Domine placitum : sit cunctis donare quod cupiunt : ut digneris parcere quod presumunt. Quis non optet illa carne : animam suam tangere : pascere : confortare : [a] in qua se per gratiam credat esse transfusum ? Que corruptionem non vidit : et vim mortis passione mortis absorbuit. Quis non ambiat propter te sumere de tuo : quod te videat propter nos assumpsisse de nostro. [b] Indita hac ex pietate fiducia : ut quod in defunctis dignatum est vivificare mortuum : in reis dignetur purificare corruptum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Christe redemptio nostra qui olim noctem istam tue resurrectionis inluminasti potentia : precamur : ut in hac qua ipse vivus resurrexisti a mortuis : et expiationem criminum vivis : et requiem jubeas prestare defunctis. ℟. Amen. Quia tu es vita vivorum etc.

Ad pacem. Oratio. Deus qui Neophitos tuos : majori animarum [c] quam vestium nitore vestisti : ut plus acciperent quam habere se noverant : presta ut sicut donum tuum eorum intellectum exuperat : ita ultra etatem fides cum intelligentia placitis tibi operibus convalescat. Nobis quoque per mortem Jesu Christi Filii tui **192** pacis dona largire : et veniam culparum attribue. ℟. Amen. Quia tu es vera pax nostra etc.

Inlatio. Dignum et justum est sancte Pater omnipotens eterne Deus : pietatem tuam omni quidem tempore : sed in hac nocte, [d] vel die, profusius exultantibus animis conlaudare. Nox enim ista non tenebrarum sed luminis mater est : in qua exortus est [e] in eternum diei resurrectio nostra : Dominus Jesus Christus. Ille verus agnus qui abstulit peccata mundi. Qui non in figura veteri : alio offerente mactatus est : sed in corpore veritatis adveniens : adimplevit figuras carnalium sacrificiorum : approbavit et prophetias miraculorum celestium. Sed vivam et veram hostiam novissimis seculorum temporibus idem Sacerdos et sacer agnus exhibuit. Elevatisque in cruce manibus : sacrificium vespertinum pependit in ligno : et beneficium matutinum surgens prebuit e sepulcro. [f] Unde venerandi sacra imitatione mysterii : in eternam modo vitam filii lucis oriuntur : quos matutino partui per gratiam spiritalem hac nocte progenerat mater Ecclesia. Sine corruptione concipiens : et cum gaudio pariens. Exprimens in se utique formam Virginis genitricis absque ullo humane contagionis fecunda conceptu. In cujus magnitudine resurget Christo : mors occidit delictorum : et exorta est vita credentium. Propter quod ei celestia atque terrestria cantant canticum novum cum omni exercitu Angelorum : et cum Cherubin ac Seraphin : sine cessatione sic dicunt. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Oratio. Vere Sanctus et verus Jesus filius Dei : qui ascendit patibulum crucis : ut omnes vires suas mors in sua perderet morte. Descendit ad inferos : ut hominem veteri errore deceptum : et regno peccati servientem victor abstraheret : serasque portarum potenti manu confringeret : et secuturis sue resurrectionis gloriam demonstraret. Ipse Dominus ac redemptor eternus.

Dicat Presbyter.

Post pridie. Oratio. Habentes ante oculos omnipotens Pater sancte tante passionis triumphos : supplices exoramus : ut pascha hoc quod nobis Dominus noster Jesus Christus filius tuus [g] hostiam vivam constituit : atque complevit : fiat nobis in protectionem salutis et vite. Ut sanctificatus his solennitatibus populus : Altaribus tuis oblationis sue munera placitura consignet. Fiat nobis Eucharistia pura [h] atque

paranda

[a] *In qua.* Lege *in quam.*

[b] *Indita.* Lege : *Indito hanc ex pietate fiduciam.*

[c] *Quam vestium nitore.* Alludit ad albas vestes quibus *neophyti induebantur*, ob quas a sancto Zenone, tract. 30, *omnes candidati appellantur.* Fortunatus, lib. III, carm. 7 : *Fulgentes animus vestis quoque signat.* Et sanctus Augustinus, serm. 233 : *Infantes isti, quos cernitis exterius dealbatos, interiusque mundatos, qui candore vestium splendorem mentium præfigurant.* Græci, dum neophytus induitur (*Euchol. Goar. p.* 355), alludentes ad candorem vestis, *Tunicam mihi præbe lucidam*, canunt. Galli autem dum neophytum veste candida induebant, illi, ut est in Missali Gallo-Gothico, et in Sacramentario Bobiano, dicebant : *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Christi.* Omnibus neophytis communis erat candida vestis, quam tenuioribus episcopus præbebat, aut charitas fidelium. Sanctus Gregorius papa (*Epist.* I, *lib.* VIII) scribit Mariniano Ravennati episcopo se illi transmisisse quinquaginta solidos *ad vestimenta eorum qui baptizandi erant com-*

[d] *Vel die.* Illud adjectum est, postquam officia divina Sabbato sancto celebrari desierant noctu.

[e] *In æternum.* Missale Gallo-Gothicum in immolatione missæ hujus noctis : *Hac nocte in æternum diem renascentes populi procreantur* ; et infra : *Nox in qua exorta est resurrectio in æternum.*

[f] *Unde venerandi.* Alludit ad baptismum, per quod mors, sepultura et resurrectio Christi Domini mystice repræsentantur. Confer Apostolum (*Rom.* VI, 3; *Coloss.* II, 12). Huc etiam illud Constitutionum apostolicarum (*Lib.* VII, *cap.* 43) spectat, ubi, de consecratione fontis agentes, orant : *Sanctifica hanc aquam, da ei gratiam et virtutem, ut qui baptizatur, secundum mandatum Christi tui, cum eo crucifigatur, et commoriatur, et consepeliatur, et consurgat in adoptionem filiorum Dei, quæ est in ipso, ut mortuus quidem sit peccato, vivat autem justitiæ.*

[g] *Hostiam vivam.* Forte, *hostia viva.*

[h] *Atque legitima.* Modus hic loquendi non semel in Missali Gallo-Gothico recurrit. Ita n. 36, in orat,

egitima in nomine unigeniti tui. Ut cum nostris fuerit percepta pectoribus : fidem nutriat : mentem sanctificet atque confirmet. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antiphona. Hic est panis verus Dei qui de celo descendit : et vitam tribuit mundo : qui manducaverit ex eo : permanet in eternum : et panis quem ego dabo : caro mea est pro mundi vita. Qui credit in me : non esuriet : neque sitiet unquam : ecce disponam vobis sicut disposuit mihi Pater regnum : ut edatis et bibatis super mensam meam in regno alleluia.

Ad Orationem Dominicam.

Oratio. Oremus. [a] Excellentissimam in hac nocte tue resurrectionis celebrantes solennitatem : in qua ipse nobis dies novo de tumulo surgens : veternosam antique noctis caliginem celestem convertisti in claritatem : te quibus possumus lachrymosis rugitibus imploramus : ut qui nos redemisti precio tui sanguinis : instituta a te precepta acceptes nostre orationis. Sit indulgentia criminum : concedatur etiam et celestis glorie summa virtutum. Memento Domine quod terra sumus : et accipe contritionem nostri spiritus. Ut qui carnis infirmitate ad terram prosternimur : ad celos castigatione spiritali jejuniis sublevemur. Et quia ex nostro est ut cadamus : ex tuo sit ut surgamus : quia te jubente dicimus. Pater noster qui es in celis. *Hic Presbyter accipiat particulam que dicitur* regnum : *et ponat eam reverenter super calicem. Et dicat alta voce.* Vicit Leo de tribu Juda radix David alleluja. *Dicatur tribus vicibus. Et chorus respondeat qualibet vice.* Qui sedes super Cherubin radix David **193** alleluja. *Deinde mittat Presbyter particulam in calicem et dicat.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

Benedictio. [b] Christus Dominus qui ascendit patibulum crucis : sua vos redemptione et passione conservet a malis. ℟. Amen. Detque vobis sue dulcedinis sapientia renovari : qui se amaro permisit fellis poculo propinari. ℟. Amen. Ut cujus laudes Ecclesia cuncta celebravit ovando : ejus conservari mereamur magno crucis vexillo. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Ad accedendum.* Gaudete populi et letamini : Angelus sedit super lapidem Domini : ipse vobis evangelizavit. Christus surrexit a mortuis Salvator mundi : et explevit omnia suavitate : gaudete populi et letamini. ℣. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur : et vestimenta ejus sicut nix : et dixit. *P.* Christus surrexit a mortuis. ℣. Et exierunt mulieres cito de monumento cum timore et gaudio magno : currentes nunciare discipulis ejus quia resurrexit. *P.* Christus. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Gaudete populi et letamini. *Communio.* Refecti Christi corpore et sanguine : te laudamus Domine alleluja . alleluja : alleluja.

Oratio. Corpus Domini nostri Jesu Christi quod accepimus : et sanctus sanguis ejus quem potavimus : [c] adhereat visceribus nostris : eterne omnipotens Deus : ut non veniat nobis ad judicium nec ad condemnationem : sed proficiat ad salutem et ad remedium animarum nostrarum in vitam eternam. ℟. Amen

[d] *Expleta Missa post hec ad Vesperas dicuntur he laudes.* Dicant qui redempti sunt a Domino in eternum : quos redemit de manu inimici in eternum et in seculum seculi. ℣. Populus qui sedebat in tenebris et umbra mortis : vinctus in mendicitate et ferro. *P.* Quos redemit. ℣. Quia contrivit portas ereas : et vectes ferreos confregit. *P.* Quos redemit. *Dicat Presbyter.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Lauda.* Alleluja : Ego sum primus et ego novissimus : et fui mortuus. *P.* Et ecce sum vivens in secula seculorum : alleluja. ℣. Dignus es Domine Deus noster accipere librum : et solvere signacula ejus : quoniam occisus es : et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu : et lingua. *P.* Et ecce.

post Sanctus, vigiliis Paschæ orant Deum, *uti hoc sacrificium sua benedictione benedicat et Spiritus sui rore* perfundat, *ut sit omnibus legitima Eucharistia* ; porro *legitima Eucharistia* ea est quam sanctus Cyprianus, epist. 63, *sacrificium verum et plenum* appellat, ea nimirum quæ omnibus rite peractis Deo offertur, et populo distribuitur, atque adeo quæ non modo legitimam consecrationem susceperat, qua verbis Domini elementa in corpus et sanguinem Christi transformantur, sed etiam quæ larga Dei benedictione repleta communicantibus medicina animæ et corporis et pignus vitæ æternæ foret. Sunt qui putant, eam communionem, quæ pœnitentibus, peracta *legitima*, hoc est publica, et solemni *pœnitentia*, concedebatur, denominatam esse *Eucharistiam legitimam*, neque id negaverim. Sed hoc loco *legitima Eucharistia* ea nuncupatur quæ non solis pœnitentibus, sed omni cœtui fidelium distribuitur.

[a] *Excellentissimam.* Eadem oratio Sabbato sancto ad vesperas in Breviario Mozarabum legitur.

[b] *Christus Dominus.* Eadem benedictio Sabbato sancto ad vesperas in Breviario Mozarabum legitur.

[c] *Adhæreat.* Lege *ita adhæreat;* porro hanc orationem in Missale Romanum, paucis mutatis, transtulerunt, a sacerdote, dum secundam oblationem sumit, secreto dicendam.

[d] *Expleta.* Eædem vespertinæ preces in Breviario Mozarabum Sabbato sancto leguntur. De vesperis absoluta missa recitandis silent libri liturgici Gallicani, quia aliunde petendæ sunt vespertinæ preces. Silent pariter Sacramentaria Gelasianum, et Gregoriana ; quia, teste vulgato Alcuino, *in hac nocte de vespertinali synaxi, apud Romanos, nil agitur, neque ante, neque post missam.* In Orationali Gothico nulla fit vesperarum mentio; attamen cum in eodem Orationali (*Pag.* 103) exstent *orationes de Resurrectione Domini ad Matutinum* ; et ex ipsis orationibus (quæ etiam in Missali Mozarabum habentur) constet eas noctu recitatas fuisse, omnemque Ecclesiæ conventum, ut Christum ab inferis resurgentem exciperet, matutinis precibus interfuisse, valde credibile est iisdem, de more, preces vespertinas præmissas fuisse. Certe postquam officium Sabbati sancti hora nona, id est hora tertia post meridiem, inchoare placuit, et numerus baptizandorum, variis de causis, imminutus est, supererat tempus non modo precibus vespertinis, sed et nocturnis horis ante diluculum Dominicæ diei absolvendis, quo tempore Christus a mortuis resurrexisse credebatur.

℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto in secula seculorum amen. *P.* Et ecce. *Iterum dicat.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Lauda.* Alleluja : Angelus Domini descendit de celo. *P.* Et accedens revolvit lapidem ab ostio monumenti alleluja : alleluja. *Lauda II.* Alleluja. Erat aspectus ejus sicut fulgur : et vestimenta ejus candida quasi nix : et dixit mulieribus : nolite timere. *P.* Et accedens. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Et accedens. *Capitula.* Excellentissimam in hac nocte. *Require retro in Missa. fol. CXCII. Benedictio.* Christus Dominus qui ascendit patibulum crucis, *ut supra. Lauda.* Alleluja. Locutus est Angelus Domini mulieribus dicens. *P.* Scio quia crucifixum queritis : surrexit sicut dixit : venite et videte ubi positus erat Dominus. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. *P.* Scio quia. ℟. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Scio quia.

Oratio. Dominus noster Jesus Christus Filius tuus : qui solus verbo virtutis cuncta moderans : et omnia crucis stigmata portans : vectes ferreos comminuit : portarumque erearum claustra perfregit : tartari profunda descendit : sedentibus in umbra mortis ignote lucis claritate resplenduit : et Sol justicie de tumulo : corpore suscitato procedens radiis suis tenebras nostras mirabiliter [a] inlustravit. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

[b] *Benedictio Agni in illaria Pasche.*

Domine Jesu Christe : qui per Moysen famulum tuum et typicam prefigurationem ob tui ostensionem sanctum pascha in agni assi atque inmaculati immolatione renibus accinctis baculisque in manibus **194** cum lactucis agrestibus : populum tuum celebrare jussisti : quique etiam per Samuelem vatem formidante populo tuo [c] applicandum te in agnum lactentem piam ac sinceram tibi orationis hostiam offerri precepisti. Offerimus etiam et nos indigni famuli tui. A. post sacra solennia hujus diei paschalis hanc creaturam agni : quam nobis exactis jejuniorum diebus [d] preparandis paulisper corporibus indulgere jussisti. Precamur ut eum per nos famulos tuos ac ministros ore sancto tuo benedicas : et dextera tua sanctifices amen. Sicque illum nobis percipere jubeas : ut baculos spei habentes in manibus : [e] renibus accinctis turpibus rebus renovati : in novitate vite sic amaritudines seculi pretereuntis omittamus : ne retro respicientes a tramite justicie recedamus amen. Sicque vitam presentem tuis actibus finiamus : ut te pretectorem ac defensorem nostrum semper in oculis habeamus amen. Ut ad terram beatam quam illis promisisti per figuram : nobis reserasti per gratiam : te duce cum operum bonorum fructu exultantes perveniamus. Amen. *Deinde dicit.* Deo gratias *tribus vicibus. Et post hec dicit.* In nomine Domini nostri Jesu Christi : sanctificatus hic agnus permaneat.

[f] IN DIE RESURRECTIONIS DOMINI.

Ad Missam. [g] *Officium.*

Libera nos filius Dei Salvator noster. alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. *P.* Alleluja. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* alleluja. *In medium altaris dicat Presbyter.* Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. Gloria in excelsis Deo. *Finita Gloria dicantur*

[a] *Illustravit.* Videtur aliquid deesse, eodem modo legitur oratio hæc in Breviario ; forte legendum *illustrare dignetur.*

[b] *Benedictio agni.* Non est recens consuetudo benedicendi carnes agni in Paschate. In Sacramentario Bobiano exstat *Benedictio ad agnum benedicendum in Pascha*; est et in Ordine Romano apud Hittorpium *Benedictio agni in Pascha*, et Ordo Romanus Benedicti canonici meminit de benedictione agni assati, qui convivio pontificis apponebatur. Et Micrologus (*Cap.* 54) observat quod *juxta Romanam auctoritatem agnus in Pascha benedicitur, non ad altare, sed ad communem mensam.* Unde apparet quam inepta fuerit illa Græcorum contra Romanam Ecclesiam accusatio, quod tempore paschali agnum simul cum corpore et sanguine Christi in ara more Judæorum offerrent. Walfridus Strabo (*De reb. Eccles., cap.* 18) damnat superstitiosam quamdam consuetudinem (quæ in Germania, et fortasse in vicina Gallia, suo tempore vigebat) eorum *qui agni carnes in Pascha, juxta vel sub altari eas ponentes, benedictione propria consecrabant, et in ipsa Resurrectionis die, ante cæteros corporales cibos de ipsius carnibus percipiebant.* Sed hic paucorum error non officit pietati fidelium, qui agnum in Paschate, tanquam cibum communem, a sacerdote benedicendum curabant, consueta benedictione non ut sacrificium, peculiari quadam oratione, Deo offerebant.

[c] *Applicandum te in Agnum.* Lege *ad placandum te unum Agnum.* Confer *Reg. I*, VII, 9.

[d] *Preparandis.* Lege *pro reparandis.*

[e] *Renibus.* Lege : *Renibus accinctis a turpibus rebus, renovati in novitate vitæ,* etc.

[f] *In die.* In Orationali Gothico, pag. 103, *Resurrectio Domini*, in Breviario Mozarabum *Lætatio Paschæ*, in Sacramentario Bobiano *Die Paschæ*, in Missali Gallicano et Gallo-Gothico *die sanctæ Paschæ*, in Lectionario Ambrosiano em. Thomasii *in solemnitate Paschæ*, in Sacramentario Gelasiano *Dominicum Paschæ*, in Capitulari Evangeliorum Georgii *in Pascha Dominica sancta.* Apud veteres *Resurrectio Domini* distinguebatur a Paschate, nam Pascha erat festum mobile, et die Dominica celebrabatur; at Resurrectio Domini die VI Kalendas Martii ab iis omnibus colebatur, qui diem passionis dominicæ VIII Kal. Martii statuebant. Ita in vetusto Kalendario, anno 446 composito (*Apud Bolland. tom. VII Junii, part.* II, *pag.* 174), legitur : *IX Kal.* Aprilis, *Natalis calicis. VIII Kal.* Aprilis, *Christus passus. VI Kal.* Aprilis, *Resurrectio.* In Martyrologio Hieronymiano Lucensi Florentinii legitur : *VI Kal.* April. *Resurrectio Domini nostri Jesu Christi.* Vide plura apud Florentinium, hic, in notis, et ad diem VIII Kal. Aprilis. Cæterum festivitas paschalis apud Gotho-Hispanos diebus quindecim celebrabatur (*Cod. leg. Wisig. lib.* II, *tit.* 1, *leg.* 11).

[g] *Officium.* ℣. Ps. XCVII, 1.

isti versus. [a] Sanctus Deus qui sedes super Cherubin. A
Solus invisibilis. Sanctus fortis qui in excelsis glorificaris vocibus angelicis. Sanctus immortalis qui solus es immaculatus : Salvator miserere nobis : alleluia. ℣. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem. *P.* Sanctus fortis. ℣ : Quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo Domine et dicent. *P.* Sanctus immortalis. ℣. Benedictio et honor et gloria virtus et potestas tibi Deo nostro in secula seculorum amen. *P.* Miserere nobis alleluja. *Si placuerit dicat Presbyter* [b] *hymnum trium puerorum.* Benedictus es Domine. *Invenies eos in omnium offerentium. Iterum dicat Presbyter in medium altaris.* Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

Oratio. [c] Tibi gloriam concinimus Domine Deus B
noster : tuamque potentiam postulamus : ut sicut pro nobis peccatoribus dignatus es mori : et clarificatus secundo post tertium diem apparuisti in gloria resurrectionis : ita per te absoluti in te mereamur habere perpetuum gaudium : ita ut nobis precessit vere resurrectionis exemplum. ℟. Amen.

Alia Oratio. [d] Te excelsa laus in altissimis decet : tibi e terris gloriam Ecclesia canit : atque hujus caterve concentus ad astra hymnum emittit. Rogamus te omnipotens Deus : ut sicut tuas solenniter porrigimus laudes : ita precum nostrarum jubeas efficaciter suscipere voces. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Principium [e] *Apocalipsis Iohannis Apostoli.* C

℟. Deo gratias.

Apocalipsis Jesu Christi quam dedit illi Deus palam facere servis suis : que oportet fieri cito. Et signavit mittens Angelum suum servo suo Johanni : qui testimonium perhibuit verbo. Dei : et testimonium Jesu Christi quecumque vidit. Beatus qui legit et qui audit verba prophetie : et servat ea que in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. Johannes septem Ecclesiis que sunt in Asia. Gratia vobis et pax ab eo qui est : et qui erat : et qui venturus est : et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt : et ab Jesu Christo qui est testis fidelis : primogenitus D
mortuorum : et princeps regum terre. Qui dilexit nos : et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. Ipsi gloria [f] in secula. Ecce venit cum nubibus : et videbit eum omnis oculus : et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus [g] terre. Ego sum Alpha et O : principium et finis : dicit Dominus Deus. Qui est : et qui erat : et qui venturus est omnipotens. ℟. Amen. *Dicat. Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

195 [h] *Psallendo.* Hec est dies quam fecit Dominus : exultemus et letemur in ea. ℣. Dextera Domini fecit virtutem : Dextera Domini exaltavit me. *P.* Exulte. ℣. Aperite mihi portas justicie. Deo gratias. *P.* Exulte.

Dicat Presbiter Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([i] *Cap. II*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Stans Petrus in medio plebis : locutus est eis dicens. Viri fratres liceat audenter dicere ad vos : de patriarcha David : quoniam defunctus est et sepultus : et sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sederet super sedem ejus. Previdens locutus est de resurrectione Christi : quia neque derelictus est in infernum : neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus : cujus nos omnes testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus est promissione Spiritus Sancti accepta a Patre : [j] effudit hoc donum quod vos videtis et auditis. Non enim David ascendit in celum. Dixit autem ipse : Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis : donec ponam inimicos tuos : scabellum pedum tuorum. Certissime ergo sciat omnis domus Israel : quia et Dominum [k] meum et Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixistis. His autem auditis compuncti sunt corde : et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos. Quid faciemus viri fratres ? Petrus vero ad illos : Penitentiam inquit agite : et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi : in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim est re-

[a] *Sanctus.* Galli in singulis Missis, post *prælegere*, sive introitum, canebant trisagium Græce et Latine.

[b] *Hymnum trium puerorum.* Imo canticum Zachariæ, *Benedictus Dominus Deus Israel*, quod a Gallis in singulis missis canebatur.

[c] *Tibi gloriam.* Hæc oratio etiam dicitur feria tertia et quarta infra octavam Paschæ et diebus Dominicis a Paschate ad Ascensionem.

[d] *Te excelsa laus.* Dicitur etiam feriis secunda, quinta et sexta, et septima, infra octavam Paschæ, et diebus Dominicis post Pentecosten.

[e] *Apocalipsis.* Cap. I, 1 9. Ex decreto concilii Toletani IV, can. 17, a Paschate ad Pentecosten legebatur liber Apocalypsis. Idem in Gallia observabatur. Expositio missæ antiquæ Galliarum, quæ sancto Germano Parisiensi episcopo tribuitur (*Thes. nov. Anecd. T. V, col.* 91) *: Actus autem apostolorum vel Apocalypsis Joannis pro novitate gaudii paschalis leguntur.* In Lectionario Luxoviensi, avulso folio, deficit Prophetia, quæ in Sacramentario Bobiano legitur ex Apocalypsi I, 1-18.

[f] *In sæcula.* Vulgata et Sacramentarium Bobianum legunt : *Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.* At Primasius hæc verba omnino prætermisit.

[g] *Terræ.* Vulg., Bobianum et Primasius addunt *etiam amen.*

[h] *Psallendo.* Ps. CXVII, 24. ℣. *Ibid.*, 16, 19

[i] *Cap. II.* Vers. 29-40. In Lectionario Luxoviensi legitur ex Epistola I ad Corinth., XV, 1-20. In Sacramentario Bobiano ex Actorum I, 1-9.

[j] *Effudit hoc bonum.* Ita Syr. Græc. *Effudit hoc, quod vos nunc videtis et auditis.* Vulgat., *effudit hunc quem.*

[k] *Meum.* Vulg. : *Quia Dominum eum et Christum.* Græc. : *Quia et Dominum et Christum eum Deus fecit.*

promissio et filiis vestris: et omnibus qui longe sunt: quoscumque advocaverit Dominus Deus [a] vester. ℟. Amen.

Lectio sancti evangelii secundum Joannem ([b] *Cap. XX*).

Gloria tibi Domine.

Una Sabbati Maria Magdalene venit mane cum adhuc tenebre essent ad monumentum: et vidit lapidem sublatum ab ostio monumenti. Cucurrit ergo et venit ad Symonem Petrum: et alium discipulum quem amabat Jesus et dixit eis. Tulerunt Dominum de monumento: et nescimus ubi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus: et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul: et ille alius discipulus precucurrit citius Petro: et venit prior ad monumentum. Et cum se inclinasset: vidit posita linteamina: non tamen introivit. Venit ergo Symon Petrus sequens eum: et introivit in monumentum. Et vidit linteamina posita et sudarium quod fuerat super caput ejus non cum linteaminibus positum: sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat prius ad monumentum: et vidit et credidit. Nondum enim sciebat scripturam: quia oportebat eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli: Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret inclinavit se: et perspexit in monumentum: et vidit duos Angelos in albis sedentes: unum ad caput: et unum ad pedes: ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi. Mulier: quid ploras? Et dixit eis. Quia tulerunt Dominum meum: et nescio ubi posuerunt eum. Hec cum dixisset conversa est retrorsum: et vidit Jesum stantem: et nesciebat quia Jesus esset. Dicit ei Jesus. Mulier quid ploras? Quem queris? Illa extimans quia hortulanus esset: dicit ei: Domine si tu sustulisti eum: dicito mihi ubi posuisti eum: et ego eum tollam. Dicit ei Jesus. Maria. Conversa illa: dicit ei. Rabboni: quod dicitur Magister. Dicit ei Jesus. Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos: et dic eis. Ascendo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum: et ad Deum meum et ad Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis suis: quia vidi Dominum: et hec dixit mihi. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Lauda.* Alleluja. ℣. Redemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in eternum testamentum suum: sanctum et terribile nomen ejus. *P.* Alleluja.

[d] *Sacrificium.* Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi alleluja. ℣. Dicant qui redempti sunt a Domino quos redemit de manu inimici. ℣. De regionibus congregavit eos a Solis ortu et occasu: ab aquilone et mari. *P.* Qui. ℣. Gloria et honor Patri et
186 Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Qui tollit peccatum.

Missa. Letetur celum: et exultet terra: rideat mare: Sol fulgeat: serenitas rediit: pestis fugiit. Tempestas desiit. Cessit obscuritas: aerem crux purgavit: tellurem sanguis abstersit: lignum correxit. Affixus Deus: hominem sic redemit. Sed quantum ad immutabilitatem majestatis [e] expectat: munere non labore. Quia cum perditioni nostre miseratione consulens doluisset: non ad hoc corporee imaginem vilitatis assumpsit: quasi contra degeneris adversarii tirannidem non posset aliter subvenire: sed propter id quod eisdem prophetarum vaticinia erant complenda miraculis. Eo magis ut liberandis esset indubitata cognitio: quod in primi transgressoris offensa mors operata est. Non imbecillitate artificii: sed iniquitate peccati. Quod male utendi pereundi causa non fuit fragilitas: sed voluntas. Quod originem supplicii non operis habuit corruptela: sed criminis. Quod conditionem pene non sensus statuit: sed consensus. Quod habentis vicium contumacia fuit creati: non negligentia creatoris. Te ipsum mihi interrogare liceat: redimente Domino meo: jam auctor extranee qua te primum diabolus parte corrupit? Numquid in facientis manibus ruinam corporis tui fractura contraxerat? Fueras certe stabilis membris si non fuisses instabilis in preceptis. Animum tuum tentator obtinuit: in quo tibi major portio credita fuerat dignitatis. Judicium tuum in quo fueras dimissus: exegit. Vides non Domini: sed tui fuisse arbitrii: quod peristi. Dicam omnipotens Deus: fassus veteris hominis pravitatem: non tamen de presenti statu libertatis ingratus: non fuisset captivitati obnoxius: si libertatis dominus non fuisset. Et in hoc utique clemens arbiter: et tue potestatis eminentiam: et presumptionis nostre licentiam confitentes: petimus ac rogamus: ut dicta preceptionis tue consentientes: facias esse judicio: ut nobis ultra nec libeat peccare nec liceat. ℟. Amen. Per misericordiam tuam etc.

Alia oratio. Benedic anima mea Domino: et tota fidelis Christo plebs gaudia religiose gratulationis consequere. Amisit vetustas opprobrium: mors aculeum. Custodia reum. Catena damnatum. Non nobis in prejudicio caro rebellis adsurgat: non in damnatum sanguis parricidalis jure criminis intumescat. Homo est qui perdidit: Deus homo factus est qui redemit. Majorem tibi exegit Domine pietatem nostra calamitas: quam perdiderat prothoplaustorum effusa libertas. Tunc servi dicebantur futuri: nunc filii. Tunc obedientibus immortalitas promittebatur: nunc augetur et dignitas. Tunc portio habenda cum deliciis: nunc communio futura cum Angelis. Tunc cum creatura vivendum: nunc cum creatore regnandum. Tunc evitandus diabolus: nunc et subjiciendus ediscitur. Tunc erat ammonitio de cautela precepti: nunc adhortatio de pompa judicij. Tunc proponebatur in lege motus: nunc in voluntate suggestus.

[a] *Vester.* Vulg. et Gr., *noster.*
[b] *Cap. XX.* Vers. 1-19. In Luxoviensi et Bobiano Evangelium legitur ex Lucæ XXIV, 1-10.

[c] *Lauda.* Ps. CX, 9-10.
[d] *Sacrificium.* Joan. I, 29. ℣. Psal. CVI, 1-3.
[e] *Expectat.* Lege *spectat.*

Tunc non licuit paradisum habere per culpam : nunc A celum sperare datur per gratiam. Melius ergo multoque melius crevimus post ruinam. Propter quod humillimi sine cessatione rogamus : ut donec nos tua curatione perficias : nostris tuam vulneribus non subtrahas medicinam.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Auditis nominibus offerentium : te pietatis Dominum deprecamur. Ut digneris nobis oratus assistere : adesse quesitus : aperire pulsatus. Offerentium nomina celestibus scribas in paginis : promissionem tuam manifestes in Sanctis : misericordiam ostendas in perditis. Et quia imbecilla est nostre infirmitatis oratio : ut quid orare oporteat nescimus : [a] advocamus in suffragio precum nostrarum receptos in celesti collegio Patriarchas : B repletos divino spiritu Prophetas. Martyres confessionis floribus coronatos : Apostolos ad officium predicationis electos. Per quos oramus te Dominum nostrum : ut omnes metu territos : inopia afflictos : tribulatione vexatos : **197** morbis obrutos : suppliciis deditos : debitis obligatos : presentia tue resurrectionis absolvas : spirituum quoque pausantium memor esse digneris : ut illis criminum suorum indulgentia relaxata : ad sinum patriarcharum liceat pervenire. ℟. Amen. Quia tu es vita vivorum etc.

Ad pacem. Oratio. Domine Jesu Christe Sanctorum claritas meritorum : et vera beatificatorum felicitas animarum : dona ut qui resurrectionis tue diem [b] letando colimus : et litando resurgere ipsi per gratiam C tuam bene sancteque vivendo : et paci tue consentiendo : ante nostrum obitum mereamur. Et sicut tibi pro tante festivitatis officio [c] amictus in nobis candidos exhibemus : ita per indulgentiam tuam dealbati supra nivem : atque mundati et gemine dilectionis dulcedine satiati : universi criminis nigredine careamus. ℟. Amen. Quia tu es vera pax nostra etc. Gratia Dei Patris etc. Quomodo adstatis pacem facite.

℟. *Chorus.* Pacem meam do vobis : pacem meam commendo vobis : non sicut mundus dat pacem do vobis. ℣. Novum mandatum do vobis ut diligatis vos invicem. *P.* Pacem meam ℣. Si manseritis in me : et verba mea in vobis manserint : quodcumque petieritis Patrem in nomine meo : petite et fiet vobis. *P.* Pacem meam. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Pacem meam. Introibo ad altare Dei mei. ℟. Ad Deum qui letificat. Aures ad Dominum. ℟. Habemus ad Dominum. Sursum corda. ℟. Levemus ad Dominum. Deo ac Domino Jesu Christo etc.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine Sancte Pater eterne omnipotens Deus: et Jesu Christo Filio tuo Domino nostro : qui tecum simul et cum Spiritu Sancto hanc diem gemino luminis decore sanctificans : et luci eam dedicavit pariter et saluti. In hanc non extantia creans : [d] in hanc creata redimendo salvificans. Hanc in conditione temporum primam : hanc in reparatione hominis efficiens gloriosam. In ea lucem istam visibilem creans : in ea hodierne resurrectionis gloriam manifestans. In hac quippe ipse solutis doloribus : inferni devicto diabolo : triumphavit cum mortem moriens vicit : et sanguine suo terrena celestibus reconciliavit. Unde merito illi omnes Angeli : omnesque Sancti non cessant clamare quotidie : ita dicentes. Te celi celorum. Te potestates. Te throni et virtutes laudant. Tibi cetus Angelorum in excelsis concinunt hymnum. Tibi Cherubin ac Seraphin incessabili voce proclamant dicentes. Agyos. Agyos. Agyos. Kyrie. Otheos. Sanctus. Sanctus. Sanctus : Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt celi et terre gloria majestatis tue : osanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini : osanna in excelsis. Agyos. Agyos. Agyos. Te Domine

[a] *Advocamus.* Gotho-Hispanos diptychis suis non solum recitasse nomina sanctorum apostolorum et martyrum, sed etiam patriarcharum et prophetarum, hæc oratio et oratio *post nomina* Dominicæ 4 Adventus probant. Mos idem erat Ecclesiæ Gallicanæ; unde Venantius Fortunatus, lib. x, carm. VII.

Nomina vestra legat patriarchis atque prophetis
Quos hodie in templo diptychus edit ebur.

et collectio post nomina Missalis Gallo-Gothici, die D sancti Leudigarii (*N.* 63, *pag.* 283). Idem apud Græcos observare licet in liturgia sancti Basilii (*Euch. Gr. Goarii*, *pag.* 170 ; *ibid.*, *pag.* 76). In liturgia sancti Chrysostomi : *Offerimus tibi hunc rationalem latriæ cultum pro.... patriarchis, prophetis, apostolis*, etc. Et apud Syros in liturgia sancti Jacobi (*Renaud.*, *Liturg. Orient. t. II*, *pag.* 36), apud Cophtitas et Ægyptios ; in liturgia sancti Marci Alexandrina (*Ibid.*, *tom. I. pag.* 149) et in liturgia sancti Basilii Cophtica (*Ibid.*, *pag.* 18). Porro in liturgiis commemoratio sanctorum Veteris Testamenti duplici maxime de causa fit : prima ut sanctorum communio integra retineatur, quod aperte Missale nostrum (*Pag.* 15) in oratione *post nomina* citata docet : *Sanctorum tuorum, Domine*, COMMUNICANTES *memoriæ patriarcharum, prophetarumque tuorum non sumus immemores.* Et liturgia sancti Basilii Cophtica (*Apud Renaud.*, *t. I*, *pag.* 18) : *Nunc, Domine, ex præcepto Filii tui* COMMUNICAMUS *memoriæ Sanctorum tuorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum*, etc. Altera causa est ut Sanctorum intercessione, qui ab origine mundi floruerunt, apud Deum adjuvemur, quam causam Missale nostrum hic assignat : *Advocamus in suffragio precum nostrarum receptos in cœlesti collegio patriarchas, repletos divino spiritu prophetas*, etc. Eamdem afferunt Galli in citata oratione *post nomina* die sancti Leudigarii recitari solita, Domini majestatem deprecemur.... *ut per interventum sanctorum patriarcharum, prophetarum ... oblatio... viventibus emendationem, et defunctis remissionem obtineat peccatorum.* Eamdem causam dat sanctus Hierosolymitanus (*Cat. myst.* 5) : *Recordamur*, inquit, *patriarcharum, prophetarum.... ut Deus eorum precibus et intercessione orationem nostram suscipiat.*

[b] *Letando.* Lege *lætando.*

[c] *Amictus.* Non modo neophyti et clerus ad altare veste candida induebantur, sed fideles omnes tempore paschali, quisque pro facultate sua, splendide amictus, ad ecclesiam conveniebant, idque solemnitati diei convenire opinabantur. Vestis enim candida eadem erat atque vestis festiva (*Ferrarius*, *de Re vest.*, *lib.* I, *cap.* 22).

[d] *In hanc.* Lege *in hac* ; et rursum linea sequenti ubi idem error recurrit.

laudat omnis virtus celorum : et exercitus angelorum. Tibi hymnum depromunt mellifluа carmina Sanctorum. Tibi psallant choree Virginum : et cetus Confessorum. Tibi genua curvant celestia. Terrestria. Et inferna. Laudant te Regem omnium seculorum. Osanna in excelsis.

Post Sanctus. Oratio. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : quem die tertia deflevimus mortuum : et hodie gaudemus virtute propria ab inferis suscitatum. Qui per mortem suam diabolum [a] non virtute : sed justitia vicit : et per gloriam resurrectionis sue : viam revertendi ad celum peccatoribus patefecit. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Precamur nunc Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : ut quemadmodum Dominus noster Jesus Christus filius tuus [b] illa ineffabilium gratiarum actione [c] semetipsum tibi pro nobis offerens : mortem nostram suscepturus auditus est : ita nunc et nos qui ipsum et vitam ejus querimus exequendo ministerialiter : que instituit [d] audiamus. Ut hic tibi panis cum hoc calice oblatus [e] in filii tui corpus et sanguinem te benedicente [f] ditescat. Ac largo oris tui perfusus spiritu : indulgentiam nobis omnium peccatorum largiatur et gratiam : et conlate

A a se salutis dono : donec in semetipso perficiat : custodiam adhibeat indefessam. ℟. Amen.

198 *Ad confractionem panis. Accipiat Presbyter corpus Domini reverenter : et ponat eum super calicem discoopertum : et dicat.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Fidem quam corde credimus : ore autem dicamus. *Chorus respondeat.* Credimus in unum Deum. *Totum*

Ad Orationem Dominicam.

Christe Jesu bone : qui ad Patrem de cruce clamasti : tu nos in hac die qua ipse de tumulo surrexisti : ad te clamantes exaudi. Quo resurrectionis tue hylaritate : gaudentium ora repleantur jubilo laudis : et corda effectum percipiant exorationis. Cum nunc exoraverint ea que precepisti : clamantes B atque ita dicentes e terris. Pater noster qui. *Hic discooperiat calicem et accipiat particulam que dicitur* Regnum : *et ponat eam super calicem et dicat.* Vicit leo de tribu Juda radix David alleluja. *tribus vicibus. Respondeat Chorus qualibet vice.* Qui sedes super Cherubin radix David alleluja. *Hic mittat particulam in calicem. Postea dicat Presbyter vel Diaconus.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Dominus Jesus Christus qui pro totius

[a] *Non virtute.* Hoc loco aliquid deficere suspicor. Fortasse legendum : *Qui morte sua, quam non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis, pertulit, diabolum justitia vicit.* Confer. concil. Tolet. IV, cap. 1.

[b] *In illa*, quam postridie moriturus celebravit.

[c] *Se ipsum.* Christum Dominum, cum pridie quam pateretur, Eucharistiam institueret, semetipsum Deo, verum sacrificium, obtulisse, tam in antiquis liturgiis quam apud Patres frequenter legitur. Peculiare C tamen sancto Gregorio Nysseno est, quod (*Hom. 1 de Resurrectione, oper. Lat. tom. II, pag.* 821) asserit, triduum mortis Christi enumerandum non esse a feria sexta, qua in cruce expiravit, sed a feria quinta, quando *corpus suum, discipulis congregatis, ad edendum, et sanguinem suum ad bibendum, præbuit*; tunc enim, inquit, præveniens malitiam Judæorum, cum ipse haberet potestatem ponendi animam suam, *seipsum pro nobis hostiam obtulit, et victimam immolavit sacerdos simul et sacer Agnus*; vere autem mactatum fuisse inde probat, quod *victimæ corpus non sit ad edendum idoneum si animatum sit*, ac tandem concludit : *Itaque si quis* triduum mortis Christi ab eo tempore *incipiat demetiri quo sacrificium factum est a magno Sacerdote, ille a veri-* D *tate non recedet.*

[d] *Audiamus.* Lege *audiamur.*

[e] *In Filii tui corpus et sanguinem.* Lege : *Ut hic panis, cum hoc calice in filii tui corpore et sanguine tibi oblatus, te benedicente,* cœlestium bonorum copia nobis *ditescat*. Sic difficultas omnis evanescit. Animadverte quod in hoc Missali casus ablativus præeunte præpositione *in* frequenter pro accusativo ponitur, et vicissim, eadem præpositione *in* præmissa, accusativus pro ablativo non minus frequenter legitur, ut hoc loco contigit, quo Gotho-Hispani, alludentes ad illud sancti Lucæ, XXII, 20, et Apostoli, I Cor. XI, 25 : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, scripserunt : *Ut hic tibi panis cum hoc calice in filii tui* CORPORE *et* SANGUINE *oblatus*. Quod idem est ac si dixissent : *Ut corpus et sanguis Filii tui tibi oblata te benedicente ditescant*. Siquidem apud apostolum Paulum et Lucam evangelistam idem significat *hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, quod apud Matthæum, XXVI, 28 : *Hic est enim sanguis meus novi testamenti*, sonat. Pariter animadvertendum est Gotho-Hispanos et Gallos (quod ex hoc Missali et ex liturgiis Gallicanis aperte constat) orasse pro elementis consecratis, et jam antea transsubstantiatis, ut Deus *ea sanctificet, illis benedicat, in ea immittat spiritum sanctitatis*, etc. Eo autem spectant hæ orationes ut sanctificatio elementis consecratis conferatur, quæ tota redundet in corpus et animam rite communicantis. Neque scrupulum movere debet quod hic Eucharistia *panis et calix* dicatur, quemadmodum etiam in *post pridie* Nativitatis Domini, et in quibusdam aliis orationibus hujus Missalis dicitur. Nam panis ille, panis communis non est, sed *panis vivus* qui de cœlo descendit; et calix ille non est vulgari vino plenus, sed est *in sanguine Christi*. Sanctus Augustinus (*Serm.* 228; *tom. V oper., Edit. Maur. col.* 979) infantes, id est, recenter baptizatos, de sacrificio altaris et de Eucharistia instituens : *Debetis*, inquit, *scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debetis*, PANIS ILLE, *quem videtis, in altari sanctificatus per verbum Dei*, CORPUS EST CHRISTI; CALIX ILLE, *imo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei*, SANGUIS EST CHRISTI. Et sanctus Isidorus (*Off. eccl. libr.* I) : PANIS *quem frangimus corpus Christi.* VINUM... *autem sanguis ejus est*. Diu antea sanctus Justinus (*Apol.* I, *Ed. Maur. n.* 65) præmonuerat, fideles panem et vinum consecratum, *non tanquam communem cibum, aut tanquam communem potum*, sed, ut edocti erant, *tanquam carnem et sanguinem* Jesu Christi sumpsisse; quare quotiescunque in liturgiis (saltem Occidentis) post prolata verba Christi, quibus elementa transformantur, Eucharistia *panis* et *calicis* aut *vini* nominibus appellatur, scito, sermonem esse de eo pane *quem lignum crucis coxit*, et de eo vino *quod torcular passionis expressit*, ut Etherius et Beatus, ipsis Missalis nostri verbis utentes, loquuntur.

[f] *Ditescat.* Pauca quædam verba hic fortasse omissa sunt. Fortasse legendum : *Omnium bonorum copia nobis ditescat*, aut quid simile.

mundi salute moriens : hodie resurrexit a mortuis : ipse vos resurrectione sua mortificet a delictis. ℟. Amen. Quique per crucis patibulum mortis destruxit imperium : beate vite vobis tribuat participium. ℟. Amen. Ut qui resurrectionis ejus diem cum letitia presenti celebratis in seculo : sanctorum mereamini in celestis regionis consortium. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Ad accedentes. Antiphona. Gaudete populi. *Communio.* Refecti Christi corpore.

Require in Vigilia Pasche fol. CXCIII.

Oratio. Expletis Domine in hac sacra solennitate nostre servitutis obsequiis gratias tibi laudesque referimus dono tuo miserationis adjuti. Precantes te Deus : ut a peccatis nos abluas et in tuis semper laudibus exultare concedas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Presbiter.* Exultemus et letemur hodie : resurrexit Rex eterne glorie : nostra resurrectio : benedicit o : nis caro Domino. *Respondeat Chorus.* Exultandi et letandi tempus est : pascha nostrum immolatus agnus est : qui nostras miserias expurgavit : illi demus gratias.

SECUNDA FERIA PASCHE AD MISSAM.

[a] *Officium.*

Dicite [b] in nationibus alleluja : Dominus regnavit a ligno alleluja. Et correxit orbem terre alleluja alleluja. ℣. Cantate Domino canticum novum : cantate Domino omnis terra. *P.* Et corre. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto in secula seculorum amen. *P.* Et correxit. *Oratio.* Te excelsa laus, *ut in die. fol. CXCIII.*

Apocalipsis Johannis Apostoli (*Cap.* [c] *II*).

Angelo Ephesi Ecclesie scribe. Hec dicit qui tenet septem stellas in dextera sua : qui ambulat in medio candelabrorum aureorum. Scio opera tua et laborem et patientiam tuam : et quia non potes sustinere malos : et tentasti eos qui se dicunt Apostolos esse et non sunt : et invenisti eos mendaces : et patientiam habes : et sustinuisti propter nomen meum : et non defecisti. Sed habeo adversus te pauca : quia charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris : et age penitentiam : et prima opera fac. Sin autem venio tibi : et movebo candelabrum tuum de loco suo : nisi penitentiam egeris. Sed hoc habes : quia odis facta Nicolaitarum : que et ego odi. Qui habet aurem audiat : quid spiritus dicat Ecclesiis. Vincenti dabo edere de ligno vite : quod est in paradiso Dei mei. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. [d] *Psallendo.* Magnus Dominus noster et magna virtus ejus : et sapientie ejus non est numerus. ℣. Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus : Deo nostro jocunda sit laudat o. *P.* Et sapien. *Dicat Presbyter.* Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([e] *Cap. I*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Exsurgens Petrus in medio fratrum : [f] dixit. Viri fratres oportet impleri scripturam : quam predixit Spiritus Sanctus per os David de Juda : qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum : qui connumeratus erat in nob's : et sortitus fuerat sortem ministe ii hujus. **193** Hic itaque acquisivit agrum de mercede iniquitatis : et suspensus crepuit medius : et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Hierusalem : ita ut appellaretur ager ille Acheldemach : hoc est ager sanguinis. Scriptum est enim in libro psalmorum. Fiat commoratio ejus deserta : et non sit qui habitet in ea : et episcopatum ejus accipiat alius. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum congregati sunt in omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus : incipiens a baptismate Johannis usque ad diem qua assumptus est a nobis : testem resurrectionis ejus nobiscum fieri ex istis. Et statuerunt duos viros. Joseph qui dicitur Barsabas : qui cognominatus est justus : et Mathiam. Et orantes dixerunt. Tu Domine qui corda omnium nosti : ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii hujus et apostolatus : de quo prevaricatus est Judas : ut iret in locum suum. Et dederunt sortes eis : et cecidit sors super Mathiam : et annumeratus est cum undecim Apostolis. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum ([g] *Cap. XVI*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus posteaquam resurrexit a mortuis : apparuit primo Marie Magdalene : de qua ejecit se, tem demonia. Illa vadens nunciavit his qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus. At illi audientes quia viveret : et visus esset ab ea : non crediderunt. Post hec autem duobus ex his ambulantibus : ostensus est in alia effigie euntibus in villam. Et illi euntes nunciaverunt ceteris : nec illis crediderunt. Novissime autem recumbentibus illis undecim : apparuit et exprobravit incredulitatem eorum et duriciam cordis : quia his qui viderant eum resurrexisse : non crediderunt. Et dixit eis. Euntes in mundum universum : predicate evangelium omni creature. Qui crediderit et bapti-

[a] *Officium.* Ps. xcv, 10.

[b] *In nationibus.* Ita sanctus Augustinus. Vulgata, *in gentibus.*

[c] *Cap. II.* Vers. 1-18. In Luxoviensi lectio initio caret, terminatur autem Apoc. II, 8. In Sacramentario Bobiano, præter missam die paschatis, binæ tantum missæ paschales signantur, quibus prophetiæ ex Apocalypsi desumuntur.

[d] *Psallendo.* Ps. CXLVII, 6. ℣. Ibid., 1.

[e] *Cap. I.* Vers. 15, ad finem capitis. In Lectionario Luxoviensi Epistola est ex Actibus, II, 14, ad 4. In Bobiano quoque Epistolæ sunt ex Actibus apostolorum.

[f] *Dixit.* Vulgata addit : *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti.*

[g] *Cap. XVI.* Vers. 9, ad finem capitis. In Lectionario Luxoviensi legitur Evangelium ex Marci XV, 47-XVI, 1-12.

zatus fuerit : salvus erit. Qui vero non crediderit : condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hec sequentur. In nomine meo demonia ejicient : linguis loquentur novis. Serpentes tollent. Et si morti ferum quid biberint : non eis nocebit. Super egros manus imponent : et bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis : assumptus est in celum : et sedit a dextris Dei. Illi autem profecti predicaverunt ubique : Domino cooperante et sermonem confirmante : sequentibus signis. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Lauda*. Alleluja. ℣. Hec est dies quam fecit Dominus : exultemus et epulemur in ea. *P*. Alleluja.

[b] *Sacrificium*. In Pascha Domini erit vobis solennitas septem diebus : quarum dies prima venerabilis erit alleluja alleluja. ℣. Tunc Pontifex offeret oblationem pro peccato : ut expietur pro vobis preter holocaustum sempiternum : quod semper offertis. *P*. Septem diebus.

Missa. In eternum dilectissimi fratres permanet benedictio Christi filii Dei : quam idem secundus homo gentibus contulit : ut transgressio primi hominis nihil noceret parvulis renascentibus : periret juvenibus : evacuaretur in senibus. Secunda ergo dies ex quo resurrexit : resurrectio mortuorum celebratur eodem jubente : cum leticia populorum fidelium. Proinde non dominetur amplius iniquitas : quibus gratiam superne vocationis indulsit secunda nativitas. Ipse etenim Jesus Christus Dominus noster secundum multitudinem miserationum suarum prestare solus credentibus potest : ut secunda in nobis mors non habeat potestatem. ℟. Amen.

Alia Oratio. Pridie te Dominum ab inferis surrexisse plenissima fide cognitione facientes : ovanti voto deposcimus : ut qui olim in hac die fluida in celis aquarum elementa distinguens in earum medio firmamentum fieri elegisti : ita nos efficias firmamentum tue Ecclesie : ut Angelis tuis mereamur consimiles esse. Quo mortis ac resurrectionis tue victoria roborati : que sursum sunt semper querentes ita vivamus : ut te opitulante celeste firmamentum effecti credentes tibi ad desideranda celestia inflammemur.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Clarum nobis Domine post resurrectionem filii tui majus solito lumen ethereum jubar elatum : et perpetue illius **200** noctis horrore discusso temporalium : licet diem cum eterna jam luce radiantem testificata virtutum tuarum gloria celebramus. Tu ergo omnipotens Deus Pater Domini nostri Jesu Christi : orantis populi tui in celum vota surgentia placidus ac serenus acceptans : munimina tribue : spei dona concede. Offerentibus quoque tribue pacem : et defunctis eterne pausationis quietem. ℟. Amen. Quia tu es vita vivorum etc.

Ad pacem. Oratio. Deus qui honorem pristinum reddidisti per crucis opprobrium : quibus noluisti mortis inferre supplicium : repromissa nobis benedictionum celestium largire subsidia : ne paschalis adimatur repente leticia : da regeneratis ex spiritu bonam vitam : donec veniamus feliciter ad gloriam sempiternam. Sit in oculis tuis aceptabile quod offerimus : sit salubre quod poscimus : quo per sanguinem Crucis tue in pace tua spe solidati vivamus. ℟. Amen. Quia tu es vera pax nostra etc.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi omnipotens Pater et unigenito Jesu Christo filio tuo Domino nostro gratias agere. Qui eousque descendens humiliavit semetipsum : quousque suum latitantem repererit fugitivum. Non ut inventum perimeret : sed ut a vinculis diabolice damnationis ereptum proprio dominio misericorditer reformaret. In quo descendentis intelligentia : dignationem voluntarie mortis non obnoxie necessitatis ostendit. Quia non invitus attrahitur : qui inferos itinere descendentis ingreditur. Cui enim sine exigentis instantia descendere vacat : redire subiacet cum delectat. Resurrexit ergo tertia die vivus a mortuis : quia inventus est solus liber in mortuis. Implens prophete vaticinium tanto ante predictum : vivificabit nos post duos dies : in die tertio suscitabit nos : et vivemus in conspectu ejus. Secundum quam prefigurationem et Jonas ventre piscis tribus diebus detentus egreditur : ut trinitatis sibimet cooperantis mysterium quod solius filii persona susciperet noscatur. Resurrexit ergo [c] vivus a mortuis : quia non erat subditus leto qui erat vacuus a delicto. Nec poterat mors tenere captivum quem non invenerat transgressoris debitis obligatum. Surgit vivus a mortuis : qui locum mortis jure redemptoris adiit : non scelere peccatoris. Herebat in omnipotentis adventum mortem suam timens : mortis impietas : et vite Dominum occasus sui formidine confusa miratur : metuit fortiorem : quem intelligit innocentem. Timebat vindicem : quem non probaverat debitorem. Quia scriptum erat : ero mors tua o mors : ero morsus tuus inferne. His igitur omnibus quemadmodum veracium vatum preconia tonuerunt probabiliter adimpletis : non solum celi celorum cum omni beatorum exercitu Angelorum : verum etiam qualiumcumque peregrinantium fidelium studia famulorum cum Seraphin hymnum debite confessionis exultant et dicunt. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus et benedictus es Deus Pater omnipotens : qui Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum in assumptionem humanitatis mortem fecisti subire : ut nostrorum solveret vincula peccatorum : et triumphans de inferis liber re-

[a] *Lauda*. Ps. cxvii, 24.

[b] *Sacrificium*. Ex Levit. xxiii, 7, 5.

[c] *Vivus*. Etiam in Symbolo, quod baptizandos docebant, Gotho Hispani recitabant : *Tertia die resurrexit vivus a mortuis*.

mearet ad solium tuum. Ipse Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Hoc agentes apud te Pater sancte redemptricem nostram unigeniti tui mortem : [a] sicut ipse precepit usque in adventum ipsius nuntiamus. Nos eum pro nobis annuntiamus mortuum esse : tu commoriendi tribue dignitatem. Nos eum resurrexisse credimus : tu presta ut quotidianis nostris liberemur a lapsibus. Nos eum credimus et annuntiamus ad judicium esse venturum : tu presta talem conversationem ut ejus terribilem adventum propicium mereamur habere. Hanc quoque oblationem ut acceptam habeas et benedicas supplices exoramus : sicut accepta habuisti munera Abel pueri tui justi : et sacrificium patriarche nostri Abrahe : et quod tibi obtulit Summus Sacerdos tuus Melchisedech. [b] Descendat hic queso invisibiliter **201** benedictio tua sicut quondam in patrum hostiis descendebat. Ascendat odor suavitatis in conspectu divine majestatis tue : ex hoc sublimi altario tuo per manus Angeli tui : et [c] deferatur in ista solennia Spiritus tuus Sanctus qui tam [d] adstantis quam offerentis populi : et oblata pariter et vota sanctificet. Ut quicumque ex hoc corpore libaverimus sumamus nobis medelam anime : ad sananda cordium vulnera : ad expellendas de cogitationibus cordis nostri omnes imagines vanitatis. Ad eradicanda funditus odia vel vicia terrena : ad plantandam perpetuam charitatem : que operit multitudinem peccatorum. Ut vere hic sanguis sacer filii tui Domini nostri ita peccata nostra diluat potatus : sicut quondam nos redemit effusus. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Congregati universi fratres charissimi qui peccatorum mole depressi et mundanis onerati cogitationibus suspiramus : consideremus qualiter noster mediator ignominiosam deportatus ad mortem : sustulit manibus crucem : nihil persequentibus aut interrogantibus inimicis respondens : sed humilitate piissima dum pro nostris laboraret iniquitatibus tacens. Ob hoc ergo quia mitis et humilis corde est : discamus in hoc : quid oporteat fieri. Mortificemus cum vitiis membra nostra : crucifigamus desideria carnalia : resurgamus in anima : sicut ille justus sur-

[a] *Sicut ipse præcepit.* Alludit ad præceptum Christi : *Hæc quotiescunque feceritis.* Vide notam pag. 69.

[b] *Descendat.* Sic Galli. In Sacramentario Bobiano, sanctificantes vasa domestica in quæ immundum aliquid ceciderat, orabant : *Omnipotens æterne Deus, descendat benedictio tua in horum vasorum pollutionem*, id est in hæc vasa polluta, emundans ea ab omni inquinamento.

[c] *Deferatur.* Eodem ferme modo in Sacramentario Gelasiano, dum benedicunt fontem baptismalem, orant : *Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus tui.* Ea exempla affero ad ostendendum, Gotho-Hispanos in hac oratione *post pridie* (in qua pro elementis consecratis Dei benedictionem postulant) iis verbis uti quæ, in aliis rebus, etiam inanimatis, benedicendis, liturgici antiquiores adhibere solebant.

[d] *Adstantis.* Hæc divisio populi fidelis in astantes et offerentes ostendit, hanc orationem post initium sæculi VI scriptam esse, postquam iis qui non communicabant sacrificio interesse permissum fuit. Populus offerens is dicebatur qui ad altare panem et vinum offerebat et communicabat ; astans populus is erat qui nec offerebat, neque communicabat. *Astantes* quidem sive *consistentes* ii denominabantur qui in quarta pœnitentiæ statione positi, seclusa facultate offerendi et communicandi, fidelium precibus et sacrificio intererant (*Em. Bona, Rer. liturg.*, *l.* I, *c.* 17, *n.* 4). Sed hic de illis sermo non est. Ad fideles pleno jure pertinet Missalis nostri oratio, quibus jus erat offerendi et communicandi, quo se sponte privabant. Antiquitus fideles quotquot sacrificio intererant, diebus saltem Dominicis et festivis, communicabant (*S. Justinus*, *Apol.* 1 ; *S. Cyprianus*, *de Lapsis ; S. Cornelius papa, epist.* 11, *ad Fabium Antiochenum ; apud Eusebium, Hist. Eccl. lib.* VI, *c.* 43 ; *Clemens Alexandrinus*, *Strom.* I). Quare, peracto sacrificio, unicuique præsentium partem ejus distribuebant sacerdotes, et diaconi calicem singulis porrigebant : quod adeo notum erat, ut plerique (*Apud Tertullianum, de Orat., cap. ult., quos ille reprehendit*), opinantes, jejunium *suscepto corpore Domini* solvi, diebus stationum a sacrificio abstinebant, ne scilicet communicando jejunium violarent. Atque hæc disciplina sæculo IV adulto vigebat non modo in Oriente, sed in Hispania quoque, ut ex can. 2 concilii Antiocheni an. 341, canone 10 apostolorum, et canone 13 concilii I Toletani, habemus, quibus præcipitur ut a communione sponte abstinentes pœnitentiam agere cogantur. Huc etiam pertinet quod sanctus Chrysostomus (*Hom.* 1 *in epist. ad Ephes.*), hos alloquens, ait : *Impudenter agis astando ; audis præconem clamantem : Qui estis in pœnitentia abite. Si tu ex peccatoribus es, quare cum peccatoribus non recedis ? nam qui non participat est in pœnitentia.* Hanc consuetudinem diu in Hispania retentam esse suadet codex canonum Gotho-Hispanus (*Apud em. de Aguirre, tom. III can. Hisp., et clar. Cenni, de Antiq. Eccl. Hisp., tom I*), in quo (*Lib.* IV, *tit.* 11) præscribitur *de iis qui ecclesiam intrant et non communicant, ut excommunicentur.* Sed cum numerus istorum qui sponte a communione abstinebant in dies augeretur, et ii jam non amplius in ecclesia tempore sacrificii remanebant, sed post lectionem Scripturarum, ante illationem munerum, abibant, episcopi cum illis mitius agendum esse duxerunt ; maxime quod eadem non erat omnibus causa abstinendi a communione, sed aliqui se differre communionem aiebant, ut majori cum devotione et animi munditia accederent ; alii pœnitentiæ studium causabant. *Sunt*, inquit sanctus Ambrosius (*De Pœn. l.* II, *n.* 89) *qui arbitrantur hoc esse pœnitentiam, si abstinerent a sacramentis cœlestibus.* Alii insignem erga sacra mysteria reverentiam et timorem. Multis conjugatis dictum illud Apostoli, I Cor. VII, 5, excusatio erat. At revera plurima pars eorum erat, qui, de occultis peccatis sibi conscii, nec pœnitentiam agere volebant, juxta ejus temporis disciplinam, nec sudebant corpus et sanguinem Domini sibi ad judicium et condemnationem sumere ; quare, omissa antiquioris disciplinæ severitate, primum hos non communicantes sine molestia sacrificio interesse permiserunt, deinde conciliorum decretis prohibitum fuit ne quis fidelium de ecclesia decedat ante sacerdotis benedictionem (*Conc. Agath., can.* 4 ; *Aurelianense* I, *can.* 26 ; *et Aurel.* III, *can.* 29), quæ in Codicem canonum Ecclesiæ Gotho-Hispanæ recepta sunt (*Cod. can. lib.* IV, *tit.* 26). Et sane in Hispania et Gallia magis necessaria fuit disciplinæ mitigatio ; nam, cum in illis regionibus conciliorum decretis vetitum esset ne quis, tempore Quadragesimæ, aut festis solemnibus, ab ecclesia abesset (*Agathen., can.* 22 ; *Aurelian.* I, *can.* 27 ; *Cod. can. lib.* IV, *tit.* 19, *et lib.* VI, *tit.* 2), metuendum erat ne multi indigni ad communionem accederent, si omnes communicare cogerentur.

rexit in gloria. Quia tunc paschalis unanimiter poterit honorari solennitas cum hec sacrificia eidem Deo summo vite nostre commendaverit probitas: qui nos in terris positus sic docuit orare: et dicere. Pater noster.

Hic dicat Presb. Vicit leo: *tribus vicibus modo ut dictum est in I. die Pasche. fol.* 198. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Exurgat in vobis Dominus: et omnes vestri dispereant inimici. ℟. Amen. Veteris hominis indumentum in expoliatione criminum depotentes: induamini novitatem spiritus in decore virtutum. ℟. Amen. Quique morte sua mortem devicit: ipse vos de secunde mortis potestate defendat. ℟. Amen. Et qui resurgens vitam prebuit mundo: ipse vos de presenti et futuro liberet a malo. ℟. Amen. Ut qui spem resurrectionis per Christum victorem suscepistis: eternitatem beatitudinis ejusdem dono capiatis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus: et vivit: et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Gaudete populi et letamini.

Communio. Refecti Christi corpore.

Require retro in vigilia Resurrectionis: folio 193. *Oratio.* Expletis Domine: *ut in die sancto Pasche: fol.* 198.

FERIA TERTIA POST PASCHA.

Ad Missam Officium.

Dicite in nationibus. *Require in II. feria Resurrectionis: folio* 198. *Oratio.* Tibi gloriam concinimus. *Require retro in die Resurrectionis: folio* 191.

Apocalipsis Joannis Apostoli ([a] *Cap. II*).

℟. Deo gratias.

Angelo Smyrne Ecclesie scribe. Hec dicit primus et novissimus: qui fuit mortuus et vivit. Scio tribulationem tuam et paupertatem: sed dives es: et blasphemaris ab his qui se dicunt Judeos esse et non sunt: sed sunt synagoga Sathane. Nihil horum timeas: que passurus es. Ecce missus est diabolus ex vobis in carcerem: ut tentemini: et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem: et dabo tibi coronam vite. Qui habet aurem audiat: quid spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit: non ledetur a morte secunda.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Psallendo.* Ego dormivi et quievi: et resurrexi. *P.* Quoniam Dominus suscitavit me. ℣. Non timebo millia populi circumdantis me. *P.* Quoniam Dominus.

Dicat Presb. Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([c] *Cap. II*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus: erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus in Hierusalem. Fiebat autem omni 202 anime timor. Multa quoque prodigia et signa per Apostolos fiebant in Hierusalem: et metus erat magnus in universis. Omnes etiam qui credebant: erant pariter et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant: et dividebant illa omnibus: prout cuique erat. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo: et frangentes per domos panem: sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis: conlaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat: qui salvi fierent quotidie in idipsum. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([d] *Cap. XXIIII*).

In illis diebus. Post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi duo viri ibant in castellum quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab Hierusalem nomine Emaus. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus que acciderant. Et factum est [e] dum ambularent et secum quererent: et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur: ne eum agnoscerent. Et ait ad illos. Qui sunt hi sermones quos confertis [f] ad invicem: et estis tristes? Et respondens unus cui nomen Cleophas dixit ei. Tu solus peregrinus es in Hierusalem: et non cognovisti que facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit. Que? Et dixerunt. De Jesu Nazareno qui fuit vir propheta potens [g] in sermone coram Deo: et omni populo: et quomodo tradiderunt eum summi Sacerdotes et principes populi in dannatione mortis: et crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus: quia ipse esset redempturus Israel. Et nunc super hec omnia: tertia dies est hodie quod hec facta sunt. Sed et mulieres quedam ex nostris terruerunt nos: que ante lucem fuerant ad monumentum. Et non invento corpore ejus: venerunt dicentes: se etiam visionem Angelorum vidisse: qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt: ipsum vero [h] non viderunt. Et ipse dixit ad eos. O stulti: et tardi corde ad credendum in omnibus que locuti sunt prophete: nonne hec oportuit pati Christum: et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et Prophetis: interpretabatur illis in omnibus scripturis que de ipso erant. Et appropinquaverunt castello quo ibant: et ipse se finxit

[a] *Cap. II.* Vers. 8-12. Eadem prophetia in Luxoviensi assignatur: est paulo prolixior, a vers. 8 ad 18 pertingens.

[b] *Psallendo.* Ps. III, 6. Vulgata legit *et soporatus sum.* ℣. Ibid., 7.

[c] *Cap. II.* Vers. 42, ad finem capitis. In Luxoviensi legitur ex Actuum I, 15, ad finem capitis.

[d] *Cap. XXIV.* Vers. 13 47. In Luxoviensi legitur ex Marci XVI, 12, ad finem capitis.

[e] *Dum ambularent.* Vulg. et Gr., *dum fabularentur, et secum quærerent.*

[f] *Ad invicem.* Vulg. et Gr. addunt *ambulantes.*

[g] *In sermone.* Vulg. et Gr., *potens in opere et sermone.*

[h] *Non viderunt.* Vulg., *non invenerunt.*

longius ire : et coegerunt eum dicentes. Mane nobiscum Domine : quoniam ad vesperum jam declinat dies : et intravit cum illis. Et factum est dum recumberet cum illis : accepit panem et benedixit : ac fregit et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum : et ipse evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis : dum loqueretur in via : et aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Hierusalem : et invenerunt congregatos undecim : et eos qui cum ipsis erant dicentes. Quod surrexit vere Dominus : et apparuit Symeoni. Et ipsi narrabant que gesta erant in via : et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. ℟. *Chorus.* Amen.

Hic dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Jubilate Domino omnis terra : servite Domino in leticia.

℟. Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Solennem habebitis istum diem festum Domino : et offeretis septem diebus fructum holocausti in odorem suavitatis Domino : alleluja : alleluja.

Missa. Occurramus omnes dilectissimi fratres qui carcere mortis dominio delectamus : ut triumphum Christi post mortem prosequamur. Ecce visitatis inferis : rediit rursus ad carnem : quam resurgens efficiet immortalem. Nihil ipsi passionis inrogate violentia nocuit : totum tamen nobis gloriosa virtus resurrectionis indulsit. Ille nunquam deterior in humilitate suscepta : nos tamen misericorditer meliores fecit divinitate conlata. Gaudeamus igitur gaudiis christianis : non sepeliamur voluptatibus vanis. Nihil habeat dilectissimi nostra festivitas indecorum. Debet populorum fidelium multitudo de sepulcris procedere vitiorum : debet etiam **203** dealbata per gratiam parere oculis renatorum : debet imitationem suis infantibus prebere virtutum. Tunc est enim sine fermento malicie paschalis oblatio : si in azimis sinceritatis et veritatis epuletur religiosa devotio. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui Dominice resurrectionis temporali solennitate letificas : quos ad gaudia sempiterne festivitatis inflammas : hodierne quesumus congregationis attende conventus : et celeriter postulantibus tribue quicquid sanctus exoptat affectus. Dona singulis temperantiam. Repelle tristiciam. Fac regeneratos perenniter in fide consistere. Fac fideles in pace proficere. Discant illi vehementer servare per gratiam : quod dedisti : discant isti diligere : quod quotidiana dilectione servasti. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Jesu Dei filius qui pro nobis voluntarie moriens seva inferorum ergastula potentiali brachio penetrans confregisti : tu fidelium de- A functorum spiritus a locis penalibus exime : et eterne eos amenitate simul et muneris jocunditate sustolle. Et quia ex latere tuo te moriente novi profluxit laticis unda : [c] que in his diebus paschalibus horum renatorum est progenies consecrata : te poscimus et rogamus : ut et in illis sacre regenerationis puritatem conserves : et in nobis confessionum emolumenta multiplices. Quo et illi conlatum sibi baptismi donum teneant absque culpa : et nos in eandem quam violavimus gratiam reintegremur saltim ex venia post ruinam.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui fideles semper adjuvas populos : et regeneratos tibi consecras parvulos. Inchoatas in hoc populo perfice sanitates : repellendo B adversarias potestates. Ut virtute hujus sacrificii : dum superbus inimicus eliditur : resurrectionis tue celebritate adoptivus in pace populus amplietur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui in via discipulos ambulantes : et a via fidei recedentes alloquens : ipse factus est eisdem credentibus via. Dolentesque tanquam mortuum : vivens veritas increpavit : nec agnoscere permisit : antequam crederent. quibus scripturas aperire dignatus est eum timerent. Sue gratiam visionis differendam judicans ad officia charitatis. Ut quod hospitalitas mereretur : ostenderet : et exemplum benefaciendi [d] hospitali C daret. Ideo die tertia manifestus : quia ipse [e] trinitate fuerat homo Deus ab Angelis adorandus. Ideo jam confracto pane precognitus : quia ipse fuerat inter sacra veneranda altaris ministeria comedendus. Cui merito omnes Angeli non cessant clamare ita dicentes.

℟. *Chorus.* Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Dignus es Domine Jesu eternis Angelorum et hominum conlaudari preconiis : qui terrena cupiens celestibus sociari : humanum genus precio tui sanguinis redemisti. Etenim pro nobis mortem crucis excipiens : latus illud tui sacri corporis confossum lancea aperitur : et continuo duo illa magnifica sacramenta : sanguis scilicet et aqua D fluxerunt. Sanguis ille plane qui in remissionem fusus est peccatorum : et aqua que salutare temperans poculum : et lavacrum pariter prestat et potum. Hac et originalis primoplaustorum noxa detergitur : et reconciliationis gratia exhibetur. His proinde fluminibus ex latere tuo fluentibus : qui olim nos regeneratos ac salvatos meminimus : pro noviter regeneratis infantibus postulamus. Ut te opitulante ita fidei nutrimento proficiant : ut bonorum operum effectu nobiscum pariter ad te remuneraturi perveniant. Christe Domine ac redemptor eterne.

[a] *Lauda.* Ps. LXV, 1.
[b] *Sacrificium.* Ex Exod. XII, 14.
[c] *Que.* Lege *qua.*
[d] *Hospitali.* Lege *hospitibus aliis daret.*
[e] *In trinitate.* Lege *unus in trinitate.* Concilium Toletanum IV, cap. 1 : *Solus idem Dominus Jesus Christus, unus de sancta trinitate,* anima et carne perfectum *suscipiens hominem,* etc.

Post pridie. Oratio. Paschalium gaudiorum deliciis delectati : offerimus tibi Domine sancte Pater [a] corpus et sanguinem filii tui : quod ipse placatus benedicendum assumens : **204** largiaris nobis quesumus cum regeneratis infantibus conscientie puritatem ita habere dum vivimus : ut ex hoc post vite hujus excursum cum eisdem a te pariter coronemur. Quo omnes qui nunc tue resurrectionis victorias ovando excolimus : in resurrectionis ultimo die : in hujus hostie litatione salvemur.

℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Ad terribilem thronum altaris cursu concito Pater omnipotens properantes : vestigia agni viventis cum lacrimis osculantes : unguentorum ac [b] flectuum libamenta offerimus. Poscimus itaque piissime Deus : ut penitentie flectibus omnium peccata laventur : et indulgentiali unguento ossa Ecclesiastici corporis solidentur. Quo possimus omnes cum renatis infantibus respirare : et cum mortuis suscitatis Hierusalem celestem modulata portantes sacrificia introire mereamur proclamantes e terris. Pater noster qui es in celis. *Hic dicat Presbiter.* Vicit Leo de tribu Juda. *Tribus vicibus. Require in die sancto Pasche. Folio* 198.

Deinde dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus ex cujus latere profluxit sanguis et aqua : horum sacramentorum participatione et neofitos enutriat fide : et vos a peccatis emaculet. ℟. Amen. Ad instar quoque renatorum infantium : ita precium redemptionis vestre sumatis : ut parem cum illis innocentiam retenteatis. ℟. Amen. Quo rationabiles ac sine dolo effecti : dies istos paschalis leticie mereamini celebrare inlesi. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus : et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Gaudete populi. *Com.* Refecti Christi corpore.

Require retro in vigilia Resurrectionis Domini. Fol. 199. *Oratio* Expletis Domine. *Require in die Resurrectionis. Fol.* 198.

FERIA QUARTA PASCHE.

Ad Missam Officium.

Dicite in nationibus. *Require retro in II. feria Resurrectionis Domini. folio* 193. *Oratio.* Tibi gloriam concinimus.

Require retro in die Resurrectionis Domini. folio 194.

Apocalipsis Johannis Apostoli ([c] *Cap. II*).

℟. Deo gratias.

Angelo Pergami Ecclesiæ scribe. Hec dicit qui habet rompheam ex utraque parte acutam. Scio ubi habitas : ubi sedes est Sathane : et tenes nomen meum : et non negasti fidem meam. Et in diebus Antipas testis meus fidelis qui occisus est apud vos : ubi Sathanas habitat. Sed habeo adversus te pauca : [d] habes illic doctrinam Balaam : qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel : edere et fornicari. Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter penitentiam age : si quominus venio tibi cito: et pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aurem audiat : quid Spiritus dicat Ecclesiis. Vincenti dabo [e] edere manna absconditum : et dabo ei calculum candidum : et in calculo nomen meum scriptum : quod nemo scit nisi qui accipit. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Psallendo.* Deus noster in celo : et in terra. Omnia quecumque voluit fecit. ℣. In exitu Israel de Egypto domus Jacob de populo barbaro. *P.* Omnia quecumque.

Dicat Presbyter. Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([g] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Petrus et Johannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et claudus ex utero matris sue bajulabatur : quem ponebant quotidie ad portam templi que dicitur Speciosa : ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in Templum. Is cum vidisset Petrum et Johannem ingressuros in Templum : rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Johanne dixit. Aspice in nos. At ille intendebat in eos sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit. Argentum et aurum non est mihi : quod autem habeo ; hoc tibi do. In **205** nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera : allevavit

[a] *Corpus et sanguinem.* Animadverte quod hic fit expressa oblatio Deo corporis et sanguinis Filii sui, quæ verba correspondent solemnibus formulis : *Tua de tuis offerimus*, Græcorum ; *Offerimus tibi hoc sacrificium terribile et incruentum*, Syrorum ; *Offerimus tibi hæc dona ex bonis tuis*, Copititarum ; *Offerimus tibi sacrificium hoc vivum sanctum et incruentum*, Chaldeorum; *Sacrosancta munera nostræ salutis offerimus*, Gallorum (*Miss. Gall. Goth.*, *n.* 20) ; demum : *Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ*, canonis Romani ; *Et offerimus tibi hunc panem et hunc calicem*, Æthiopum ; in qua formularum varietate unus est atque idem omnium sensus, scilicet hostiam hanc, quæ, post prolata verba consecratoria, solemniter Deo offertur, non aliam esse quam ipsum Christum, Dei Filium, speciebus panis et vini tectum.

[b] *Flectuum.* Lege *fletuum.* Eadem cacographia infra *flectibus* pro *fletibus* occurrit exaratum.

[c] *Cap. II.* Vers, 12-18. In Lectionario Luxoviensi legitur ex Apocalypsi, xv, 1-13.

[d] *Habes.* Vulg. et Gr., *quia habes illic tenentes doctrinam Balaam.*

[e] *Edere.* Gr., *dabo ei edere.* In Vulgata illud *edere* non legitur.

[f] *Psallendo.* Ps. cxiii, 3. *Et in terra.* Ita LXX ; at in Vulgata hæc verba non leguntur.

[g] *Cap. III.* Vers. 1-10. In Luxoviensi assignatur ex I. Cor. xv, 47.

eum. Et protinus consolidate sunt bases ejus et plante. Et exiliens stetit et ambulabat : et introivit cum illis in Templum ambulans et saliens et laudans Deum. Et vidit eum omnis populus ambulantem et laudantem Deum.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam
([a] *Cap. XXIV*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus postea quam resurrexit a mortuis stetit in medio discipulorum suorum et dixit eis. [b] Pax vobiscum amen. Ego sum : nolite timere. Conturbati vero et conterriti extimabant [c] se visum videre : et dixit eis. Quid turbati estis : et cogitationes ascendunt in corda vestra ? Videte manus meas : et pedes. Palpate : et videte quia spiritus carnem et ossa non habet : sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset : ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus pre gaudio dixit. Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi : et favum mellis. Et cum manducasset coram eis : sumens reliquias dedit eis : et dixit ad eos . Hec sunt verba que locutus sum ad vos : cum adhuc essem vobiscum. Quoniam necesse est impleri omnia que scripta sunt in lege Moysi : et prophetis : et psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum : ut intelligerent scripturas : et dixit eis. Quoniam sic scriptum est : et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Lauda.* Alleluja. ℣. Quis Deus magnus sicut Deus noster : tu es Deus qui facis mirabilia. *P.* Alleluja.

[e] *Sacrificium.* Erit hic vobis dies memorialis alleluja : et diem festum celebrabitis solennem Domino in progenies vestras : legitimum sempiternum diem : alleluja: alleluja.

Missa. Dominum Jesum Christum perditorum quesitorem : inventorum reducem : mortuorum vivificatorem : qui pro redemptione captivorum solus ipse solam incorruptam carnem animamque mortalium suscepit : portavit : posuit : et resumpsit. Quique nature : glorie : justicie : potentie sue jure : Deus in hoc corpore pro pertulit : nobis vixit : obiit : resurrexit : toto animarum affectu : verborum : famulatu : studiorum impendio fratres charissimi deprecemur. Ut ad contuenda mirabilia de lege sua visum nostre mentis enubilet : aciem cordis expurget : et in eo quo nos vivere precepit : spiritu revelet. Faciatque se intelligentie nostre in sua invisibilitate visibilem : dans pium in fidei veritate congressum : informatione conloquium. Gratia nobis opitulante participet : verba nostra ad se directa suscipiat. Non interrogantes nos audiat : sed rogantes. Largitate nobis muneris pro sermonis vice respondeat : qui non datur tangi : dignetur inlabi. Velit infundi : qui non valet comprehendi. Sic qui per totam Ecclesiam credentibus creditur : credituris credendus appareat : ut nullis per cecitatem erroris aut ignorantibus lateat : aut dubitantibus evanescat. Nec videndi stulticiam : nec credendi moram commotus accuset. Sed ita sanctarum scripturarum secreta mysteria indita nobis sapientie facultate imprimens : profectum doctor aperiat : ut in virtute celestis panis benedicti corporis sui : fragmenta distribuat. Ut in vivificatione animarum divini verbi et cibi alimonia concurrente : nec instructionis nobis desit copia : nec salutis.

℟. Amen.

Alia oratio. Credimus Domine Jesu Christe unigenite a Patre divinitati tue : credimus corporee assumptioni : credimus passioni : adplaudimus redeunti ab inferis postrata morte : invictissime majestati. Rogamus te per ipsius diei magna et amabilia sacramenta : ut sicut nos resurrectio tua non habet dubios : ita nos nostra per misericordiam tuam habeat absolutos. Et eo modo exultemus te fuisse regressum : quomodo non ambigimus rediturum. Sicque nos sine pena jubeas manere dum venis : **206** ut ad veniam facias pervenire : cum veneris. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Domine Jesu Christe qui es testis fidelis primogenitus mortuorum: tu requiem dona spiritibus defunctorum fidelium. Quo verus Pontifex per hoc sacrificium populi delicta omittens : sicut olim te moriente mortua corpora surrexerunt : ita nos in hac resurrectionis tue festivitate sepultos in eternam requiem transferas. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Unigenite fili Dei qui pro nobis voluntarie sanguinem effudisti : quo terrestria cum celestibus pacificasti : facito nos ita redemptionis nostre ac resurrectionis tue venerari mysterium : ut in pace que tu es perenniter vivere mereamur.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est. Valde tibi debitum : valde nobis congruum omnipotens Pater : te cum Filio tuo nostroque Domino Jesu Christo equali religionis fide : pietatis substantia : potestatis virtute laudare. Ut ibi sit par officiositas : ubi est probata par dignitas. In quo per assumptionem corpoream : virtutis charitas confitenda est : non paupertas. Quia non se honore subjiciens : sed amore. Affectum voluit probare : non meritum. Mundoque sibi pereunte: non quo augeretur quesivit : sed quo obsequeretur invenit. Terrena suspiciens : sed celestia non deponens. Ingressurus uterum : non exiturus a solio. Certus se in inferioribus non posse decrescere : qui in superioribus non poterat invenire quo cresceret. Mitti contentus : qui venire conatus est. Et per hanc equalitatem non duo potentes : sed una potentia : quia solius Deitatis est inequalem filium non habere.

[a] *Cap.* 24. Vers. 36-47. In Luxoviensi ex Joan. xi, 1-45.

[b] *Pax vobiscum amen.* Vulg., *pax vobis.* In vetustissimis Vercellensi et Veronensi Codicibus hæc verba desiderantur.

[c] *Se visum.* Vulg. *se spiritum.*

[d] *Lauda.* Ps. LXXVI, 14, 15.

[e] *Sacrificium.* Ex Exod. XII, 14.

Per eundem homo tuus adiit. Sensit. Credidit. Probavit. Agnovit. In hoc mediator suscepit injuriam : in quo habuit officinam. Pro hoc Deus dignatus est carne vestiri : quam non dedignatus est fabricare. Sic per dignationem Domini qui fuit dignus artificio fit idoneus vestimento. Neque enim dissimilem poterat habere redemptorem : qui talem meruit habere factorem. In quo transeuntibus veteribus : nova sunt omnia : quibus fuit dies insidiosa : facta est nox libera. Noc timet commutationem temporum : dannatione qui caruit tenebrarum. Unde evidentissime liquet communem in Christo esse Dei hominisque substantiam : que corrupta restaurat. Cujus humanum genus crux salvat : sanguis innovat : caro vivificat. Summa etenim est prerogativa virtutis sanctificasse penas glorie sustinentis : quem conlaudantes Angeli : non cessant clamare ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

[a] *Post Sanctus*. Hec te [b] nox Domine mixta luce comitatur : que eum in supernis Domini perennitatem exerceat : eclebrationem tanti nominis invexit [c] in terris : ut hujusmodi preconia si homines tacerent : saxa clamarent. Viderunt te inferi Deus. Viderunt te : et tremuerunt a voce tonitrui tui : dicentes. Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua [d] ? Ubi est mors aculeus tuus ? Propter quod attonita paululum stetere supplicia miserorum. [e] Nec habeant cruentum tormenta sic vicisse cernentia crucitixum : et judicem suum ipsa etiam pena contremuit. Quia natura horribilium tenebrarum presentia sui fulgoris : et [f] vetata jam tunc timuit judicari. Exultaverunt Sancti in gloria letantes in cubilibus suis : quod auctorem promisse sibi lucis agnoscerent : quorum tu Domine stipatus agminibus : [g] et tu tanto noti splendoris candore perfusus : sacrificia per te instituta sanctifica. Non [h] invocantis merito : sed instituentis magisterio vel exemplo. Ut cunctis rite perfunctis : Salvatore nostro ab inferis jam regresso : et mors se lugeat victam : et vita tripudiet [i] restitutam. Per te Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Resurgente Christo resolutis inferni doloribus : etiam nos Deus Pater omnipotens solutis peccatorum delectationibus et resurgere concede propicius : **207** ut [l] mortificationis nostre sacrificium tibi principaliter offeramus. Reconciliet te quesumus Domine pro peccatoribus sanguis justi et humilitas Domini nostri. [k] Hec est hostia que pependit in ligno. Hec est caro que surrexit de sepulcro. Quod pro nobis obtulit Sacerdos noster : in veritate hoc conferimus in panis et vini suavitate. Cognosce precamur omnipotens Deus victimam : qua intercedente placatus es : et suscipe in adoptionem : B quibus Pater per gratiam factus es. Sic quoque Domine [1] sanctificatio et benedictio tua : defensio est et mundatio nostra. Ut et peccatorum nobis veniam tribuas : et preceptis tuis semper obedientes efficias. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Respice Domine tuorum fidelium multitudinem : quam per adoptionis gratiam filio tuo facere dignatus es coheredem. Erue cunctos de faucibus vorantis gehenne : pro quibus idem redemptor clementissimus tribus diebus latuit in inferioribus terre. Tolle a nobis duram pernitiem : et beate resurrectionis quam in fine speramus redde mercedem : per eum qui nos docuit orare et dicere. Pater noster qui es in celis.

C *Hic dicat Presbyter* Vicit Leo. *tribus vicibus ut dictum est in die Resurrectionis. folio* 198. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Dominus Jesus Christus qui pro delictis nostris : et crucem pertulit et sepulcrum : incorrupte vos faciat observare redemptionis vestre mysterium. ℟. Amen. Et qui pro vobis moriens

[a] *Post Sanctus*. Eadem ferme est oratio *post Sanctus* Missalis Gallo-Gothici *die sancto Paschæ*.
[b] *Nox*. Lege *vox*, ut est in Gallo-Gothico.
[c] *In terris*. Gallo-Gothicum, *invexit et terris*.
[d] *Ubi est mors victoria tua*. Gallo-Gothico deficit.
[e] *Nec habeant*. In Gallo-Gothico : *Nec habuerent tormenta cruciatum*. Eodem spectat illud Prudentii (*Hym.* 5 *cathem.*) canentis :

> Sunt et spiritibus, sæpe nocentibus
> Pœnarum celebres sub styge feriæ
> Illa nocte, sacer qua redit Deus
> Stagnis ad superos ex Acheronticis.

[f] *Vetata*. Gallo-Gothicum, *habita*. Lege *hebetata*.
[g] *Et tu tanto*. Gallo-Goth., *et tibi tantum noto splendore perfusus*.
[h] *Invocantis*. Gallo-Goth., *invitantis*.
[i] *Restitutam*. Lege *restituta*.
[l] *Mortificationis*. Mortem Christi *mortificationem nostram* appellant; ea enim Ecclesia Dei peccato mortificatur. Sacrificium *mortificationis nostræ* idem sonat atque sacrificium mortis Christi, quod, quoad substantiam, idem est atque sacrificium Eucharistiæ; nam non re ipsa, sed modo offerendi differunt crucis et altaris sacrificia.
[k] *Hæc est hostia*. Aperte hic docent Gotho-Hispani sub speciebus panis et vini, sive, quod idem est, *in suavitate panis et vini*, Deo offerri eam ipsam *hostiam quæ pependit in ligno crucis*; atque adeo corpus Christi in Eucharistia illud ipsum esse quod de sepulcro vivum surrexit, quod de Virgine natum, pro redemptione generis humani in ara crucis Deo oblatum est. Neque omittendum Gallos, in contestatione fer. 4 post Pascha, similia his tradere de victima sacrificii crucis et altaris. *Hic est*, inquiunt, *Agnus* D *Dei unigenitus Filius tuus qui tollit peccatum mundi, qui se pro nobis offerendo* (offerre) *non desinit, nosque apud te perpetua advocatione defendit, qui nunquam moritur immolatus, sed semper vivit occisus, pascha enim nostrum immolatus est Christus, ut non jam in fermento veteri, neque in carnalium sanguine vic imarum, sed in azimis sinceritatis et corporis veritatis* (veritate) *immolemus*.
[1] *Sanctificatio et benedictio tua*. Lege : *Fit quoque, Domine, benedictio et sanctificatio tua, defensio et mundatio nostra, ut peccatorum nobis veniam tribuas* precamur, *et præceptis tuis semper obedientes efficias*. Orant nimirum ut Dei benedictio et sanctificatio, in gratiam rite communicantium, Eucharistiæ infusa, eosdem ab omni periculo defendat, et ab omnibus vitiis mundet. Hinc autem patet Gotho-Hispanos his orationibus *post pridie* effectus sacramentales postulasse.

surrexit die tertio de sepulcro : sanguine suo vos purificet a delicto. ℟. Amen. Ut sicut ei consepulti estis baptismate : ita vobis omnia donantem : partem mereamini in prima resurrectione habere. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus : et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. *Chorus.* Et cum spiritu tuo. *Ad accedentes.* Gaudete populi et letamini. *Communio.* Refecti Christi corpore. *Require retro in vigilia Resurrectionis. fol.* 193. *Oratio.* Expletis Domine.

Require in die Resurrectionis. folio 198.

FERIA QUINTA PASCHE.

Ad Missam Officium.

Dicite in nationibus. *Require retro in II. feria Pasche. folio* 193. *Oratio.* Te excelsa laus. *Require retro in die Resurrectionis folio* 194.

Apocalipsis Johannis Apostoli. ([a] *Cap. II*).

℟. Deo gratias.

Angelo Tiathire Ecclesiæ scribe. Hec dicit filius Dei : qui habet oculos ut flammam ignis : et pedes ejus similes auricalco. Novi opera tua et charitatem et fidem : et ministerium et patientiam tuam : et opera tua novissima plura prioribus. Sed habeo adversum te : quia permittis mulierem [b] Gezabel : que se dicit prophetam docere : et seducere servos meos fornicari : et manducare de idolotitis. Et dedi illi tempus ut penitentiam ageret : et non vult penitere a fornicatione sua. Ecce mitto eam in lectum : et qui mechantur cum ea in tribulationem maximam : nisi penitentiam egerint ab operibus ejus : et filios ejus interficiam in morte. Et scient omnes Ecclesie quia ego sum scrutans corda et renes : et dabo unicuique vestrum secundum opera vestra. Vobis autem dico et ceteris qui Tiathire estis : [c] quicunque non cognoverit altitudinem Sathane : quemadmodum dicunt : non mittam super vos aliud pondus. Tandem in quod habetis tenete : donec veniam. Et qui vicerit : et qui custodierit usque in finem opera mea : dabo illi potestatem super gentes : et reget illas in virga ferrea. Tanquam vas figuli confringentur : sicut et ego accepi a Patre meo : dabo illi stellam matutinam. Qui habet aurem audiat : quid spiritus dicat Ecclesiis. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Dominus virtutem populo suo dabit : Dominus benedicet plebem suam in pace. ℣. Vox Domini super aquas : Deus majestatis intonuit : Dominus super aquas multas. *P.* Dominus benedicet.

Dicat Presbyter. Silentium facite.

206 *Lectio libri Actuum Apostolorum* ([e] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

A In illis diebus. Petrus ait ad plebem. Viri Israelite quid miramini in hoc : aut nos quid intuemini : quasi nostra virtute : aut potestate fecerimus hunc ambulare ? Deus Abraam : et Deus Isaac : et Deus Jacob : Deus patrum nostrorum : qui glorificavit filium suum Jesum : quem vos quidem tradidistis : et negastis ante faciem Pilati : judicante illo dimitti : vos autem sanctum et justum negastis : et magis petistis virum homicidam vobis donari : auctorem vero vite interfecistis. Quem Deus suscitavit a mortuis : cujus nos testes sumus : et in fidem nominis ejus : hunc quem videtis : et nostis : confirmavit nomen ejus : et fides qui per eum est dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrorum. Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis hoc malum : sicut et
B principes vestri. Deus autem qui prenunciavit per os omnium prophetarum pati Christum suum : implevit sic. Penitemini igitur : et convertimini ut deleantur vestra peccata. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([f] *Cap. XXIV*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus postea quam resurrexit a mortuis : dixit discipulis suis. Oportebat Christum pati : et resurgere a mortuis die tertia : et predicari in nomine ejus penitentiam : et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientes ab Hierosolima. Vos autem estis testes eorum : et ego mittam promissum Patris mei in vobis. Vos autem sedete in civitate : quoadusque induamini virtutem ex alto. Eduxit eos autem foras in Bethaniam. Et elevatis manibus suis benedixit
C eis. Et factum est dum benediceret illis : recessit ab eis : et ferebatur in celum. Et ipsi adorantes reversi sunt in Hierusalem cum gaudio magno : et erant semper in Templo laudantes et benedicentes Deum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Qui emittit fontes in convallibus : per medium montium pertransibunt aque. *P.* Alleluja.

[h] *Sacrificium.* Alleluja quasi carmen musicum. *P.* Quam suave est et dulce : sono canitur : alleluja : alleluja. ℣. Aque ejus de sanctuario egredientur : et erunt fructus et folia ejus ad medicinam omnibus.
D *P.* Quam suave.

Missa. Habeant dilectissimi fratres vota cautelam : festa diligentiam : gaudia disciplinam. Exultare decet : quod resurreximus : sed timere convenit ne cadamus. Inter novam vitam veteremque mortem oportet scire quid evasimus : oportet eligere quid amemus. Non enim error : sed [i] contentus est peccare commonitum. Major post veniam pena sequitur contumaces : gravius est captivos fieri jam redem-

[a] *Cap. II.* Vulg., Vers. 18, ad finem capitis. In Luxoviensi legitur ex Apoc. XIV, 1-7.

[b] *Gezabel.* Vulg., *Jezabel.*

[c] *Quicunque.* Vulg., Gr. et Primasius legunt : *Quicunque non habent doctrinam hanc non cognoverunt,* etc.

[d] *Psallendo.* Ps. XXVIII, 11. ℣. ibid. 3.

[e] *Cap. III.* Vers. 12-20. In Luxoviensi, ex Actuum I, 1-15.

[f] *Cap. XXIV.* Vers. 46, ad finem capitis. In Luxoviensi legitur ex *Joan.* I, 1-9.

[g] *Lauda.* Ps. CIII, 10.

[h] *Sacrificium.* Non est ex Scriptura.

[i] *Contentus.* Lege *contemptus.*

pios. Habet ista pietas potestatem : habet potestas A ista terrorem : habet terror iste vindictam. [a] Non enim fuisset pius in homine : nisi prius iratus fuisset in demone. Confortamur gratia doni : [b] si non corrumpamur lege peccati. Ratio parcendi est previsio corrigendi. [c] Non mutamur indulgentia : si non renovetur offensa. Qui nobis quod peccavimus indulsit : et ne ultra peccaremus admonuit. Profuit clementia · si profecit disciplina. Jam quidem hominem gratia adoptavit : sed nec dum demonem [d] gehenna suscepit. [e] Violentia peccatum perdidit : non naturam. Dimicandi est facultas : non securitas [f] ociiandi. Spoliatus est adversarius : non extinctus. Gravius necesse est ut frendeat in amissis quibus preerat dominando subjectis. Accepimus castra per fidem : arma per crucem : signa per carnem : B vexilla per sanguinem : restat causa certaminis. Qui enim [g] afferre necessitatem noluit pugne : spem voluit probare victorie. Precessit quidem in adoptione donum : sed adhuc restat in conversatione judicium. Hic promissio est de munere : illic vicissitudo futura est post laborem. Sit itaque ille ante oculos nostros Domini miserantis affectus : quod in taxatione nostra non argenti pondus : non auri talentum dedit : non gratiarum fudit ornatum : sed convitio subdidit se [h] patibulo : [i] sepulcro : sustinens carneam injuriam : [j] sepulturam. **209** Nihil majus potuit dare : nihil melius. Ut utique sit probandum : quod diligentius nos sibi servire voluit : qui preciosius non redemit. Ergo ut in nobis redemptionis sue C beneficia dignetur perficere : constanter nos convenit ac perseveranter orare. ℟. Amen.

Alia oratio. Omnes qui redemptionis nostre causam colimus : perditionis opera respuamus. Quique diem veneramur munerum : noctem criminum non sequamur. Qui probavimus [k] traduci imputandum esse : quod perimus : noverimus redemptori nostre [l] impendendum esse quod vivimus. Ad eternam nobis vitam quasi quoddam pelagus : data est temporalis navigatio : ut inter bonorum et iniquitatis excursum : aut peccatum pereat : aut peccator. [m] Ut aut excurrat fides circumspecta navigium : aut incurrat securitas incauta naufragium. Satis est quod per tot seculorum spatia genitalium funes traximus peccatorum : quod in gule scopulos prejudiciarie arboris stateram vento precipitante mendatii : libertatis statum inutilis gubernator [n] inlusit. Lignum nos decepit in diabolo : lignum reparavit in Christo. Abyssi unda nos mersit : baptismi unda nos redemit. Pio igitur Domini subjiciantur imperio : humilia mite jugum colla suscipiant. Norunt quippe proficere onera ista portantes : quibus data est ex liberalitate absolutio : reddatur ex humilitate conditio. Inclina ergo precamur Christe Jesu tibi animas nostras : ut tuum potius quam nostrum sequamur arbitrium : quia melius est libertatem per diligentiam querere : quam per confidentiam non habere.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Eterne Dei filius qui pro nobis mortem excipiens crucis : vivus tertia die resurrexisti a mortuis : placatus suscipe hec apposita tibi paschalium sacrificiorum libamina. Hec tibi et offerentium devotionem : et sepultorum spiritus obnixe commendent. Quod per Resurrectionis tue victoriam : et in viventibus mors vitiorum intereat : et in defunctis [o] penalis combustio evanescat.

℟. Amen.

[p] *Ad pacem. Oratio.* Deus Pater omnipotens qui

[a] *Non enim.* Fortasse : *Non enim fuit pius in homine nisi qui prius fuit iratus in dæmone*, nimirum Deus, qui misericors fuit in genus humanum, angelis peccantibus non pepercit.

[b] *Si non.* Id est *nisi*.

[c] *Non mutatur.* Hoc est : *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Conc. Trid., de Justific., cap. 11.

[d] *Gehennam.* Dæmones ante diem judicii abyssi carceribus non claudendos esse plerique Patrum tradunt. Lege Bellarminum (*De Beatitud. sanct. lib.* I, *cap.* 6).

[e] *Violentia.* Hic error aliquis subest. Loquitur de D baptismo quem docet peccatum sustulisse, non peccati fomitem, hinc remanere vigilandi et pugnandi necessitatem.

[f] *Ociiandi.* Lege *otiandi*.

[g] *Afferre.* Lege : *Qui enim auferre necessitatem noluit pugnæ, spem voluit præbere victoriæ.*

[h] *Patibulo.* Lege *patibuli*.

[i] *Sepulcro.* Lege *sepulcri*.

[j] *Sepulturam.* Videtur abundare.

[k] *Traduci.* Hoc est peccato originis, quod in primo parente contraximus.

[l] *Impendendum.* Forte, *imputandum*.

[m] *Ut aut excurrat.* Forte, *ut aut tuto excurrat fides circumspecta navigantium.*

[n] *Inlusit.* Lege *Iulisit*, id est *illisit*.

[o] *Pœnalis combustio.* Ignis scilicet purgatorii.

[p] *Ad pacem.* Oratio *ad pacem* ea est quæ consequitur orationem *post nomina*, et osculum pacis præcedit. Sanctus Isidorus (*De Eccl. Offic. lib.* I, *cap.* 15): *Quarta post hæc infertur oratio pro osculo pacis, ut charitate omnes reconciliati invicem digne sacramento corporis et sanguinis Christi consocientur.* Oratio ad pacem mutabilis est, et ad singulas missas varia ; ea autem pax, et sincera fidelium concordia postulatur. Nonnunquam oblatio commendatur, et frequenter de pacis osculo mentio fit. In omnibus liturgiis Gallicanis exstat oratio *ad pacem*, quam, ut in Missali Mozarabum, in singulis missis mutare solebant. Orationem *post nomina* consequebatur, et *illationem*, sive *contestationem*, præcedebat. In liturgiis Syrorum et Coptitarum, et in liturgiis Græcis Alexandrinis exstat oratio ad pacem, quæ in liturgia sancti Jacobi Syriaca (*Apud Renaudotium, liturg. Orient. tom. II*, *pag.* 29) inscribitur *oratio ante pacis osculum.* In liturgiis Ægyptiis Coptitarum (*Ibid.*, *tom. I*, *pag.* 10, 26, 39), dicitur oratio *amplexus*, aut oratio *osculi pacis*. In liturgia Græca Alexandrina sancti Basilii (*Ibid.*, *pag.* 60) et in sancti Gregorii (*Ibid.*, *pag.* 97), post Symbolum Constantinopolitanum sequitur εὐχὴ τοῦ ἀσπασμοῦ, *oratio amplexus*, et deinde, ea absoluta, *fit amplexus*, γίνεται ὁ ἀσπασμός. At in liturgia sancti Marci (*Ibid.*, *pag.* 142) diaconus clamat : *Amplectimini invicem*, deinde sacerdos *orat amplexum* εὔχεται τὸν ἀσπασμὸν, postea offert incensum, et orat, ac demum *post osculum pacis*, sive amplexum, *diaconus clamat : Ad oblationem modeste state*, unde videtur quod juxta hanc liturgiam oratio amplexus recitatur dum populus se mutuo amplectuntur. In liturgiis Constantinopolitanis sancti Chrysostomi et sancti Basilii, pacis osculo non præmittitur oratio, neque olim ulla erat oratio ante pacem in missa Romana cum pax

tanta charitate mundum dilexisti : ut pro eo unigenitum tuum volueris crucifigi . precioso nos filii tui sanguine redemptos : ita opulentos charitatis fructibus effice : ut per hoc et in resurrectione prima habeamus partem : et potestatem non timeamus mortis secunde.

℟. Amen.

[a] *Inlatio*. Dignum et justum est : vere salutare nobis est : atque conveniens gratias agere : laudes impendere : intelligere munera : vota deferre tibi omnipotens Pater : et Jesu Christo filio tuo Domino nostro. Qui pietati tue per adsumpti hominis passionem : quasi quasdam in presentis populi adquisitione manubias cum non exegerit e celo : exhibuerit e triumpho. Et cum non habuerit divinitas immutabilis pœnam : habuerit fragilitas assumpta victoriam. Magis inridens diabolum carnem carne vincendo : ut ipse Zabulus et in eodem homine se probaret postquam offenderat esse degenerem : in quo putabat postquam deceperat fortiorem. Ne vel id sibi licuisse crederet improbus appetitor : si non peccatum quod fidebat peccati similitudo damnasset. Que quidem Domine adquisitio non adquirentis auxit potestatem : sed adquisitis contulit dignitatem. Quia nec damnum sentit immutatio : nec lucrum recipit plenitudo. Neque enim Deo in se aut debiti cura manebat aut premij : sed ut quod virtutibus prodesse non poterat : laudibus non periret. Neque enim egere poterat celorum Dominus possessione terrarum : sed ut que tui esset operis portio preconium adderet non profectum. Id utique recipis : quod fecisti : quod perdiderat pietas : non potestas. Quia misericordis est Domini id solum juris extimare proprij : quod meruit non puniri. Vide igitur unigeniti tui in nobis Pater affectum : quamvis idoneus in creatura estimari non potuerit creatori. Etsi licet merito quantum ad usum pertinet : extraneum dici posset : quicquid indignum est. **210** Extraneum utique non opere : sed honore. Ergo ut tibi reddat tua : suscepit aliena. Utique ut repetam non facture alterius sed nature. Hoc modo te nobis Pater
A absentem ostendit : per eundem se nobis majestas tua etiam non visa monstravit. Ipse docuit que tibi esset gloria in celis. Potentia in aquis. Sapientia in terris. Virtus in abyssis. Claritas in Angelis. Voluntas in Patriarchis : dignitas in Prophetis. Sublimitas in Evangelistis. Pietas in Apostolis. Auctoritas in preceptis. Placabilitas in templis. Festivitas in holocaustis. Largitas in ministris. Quis tibi zelus in discipulis : Cultus in subditis : Respectus in miseris : Affectus in parvulis : Horror in idolis : Amor in sanctis : Terror in perditis : Favor in confessione : Splendor in baptismate : Honor in cruce : Sapor in fide : Honor in crismate : Cui merito omnes angeli et archangeli non cessant clamare quotidie ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

B *Post Sanctus*. Dignus es Domine Jesu ab omnibus accipere gloriam : et honorem : qui pro nobis dignatus es improperium passionis suscipere. Dignus es predicari per mundum : qui per crucem pereunti subvenire dignatus es mundo. Dignus es paterne dextere equalitati sustolli : qui pro servulis non es dedignatus occidi. Dignus es a celestibus : et terrestribus in veritate cum Patre et Spiritu Sancto adorari : qui celum terramque ab initio cum Patre creasti. Digne quoque illud adeptus es : quod esses super omne nomen : qui supernam moriendo ac resurgendo preparasti humano generi mansionem. Totum tibi omnipotens Pater quod sibi redemit : adquirit : cui totum quod interest nihil amittendo :
C naturaliter tradidisti. Christo Domino redemptorique nostro.

Post pridie. Oratio. Jesu Salvator omnium qui propter salutem humani generis : voluntarie suscipiens exitium crucis : pro nobis Deo Patri oblatus es in sacrificio laudis. Ad has hostias benedicendas illa propiciacione jube respicere : qua olim humanum genus prospiciens proprio redemisti cruore. Quo omnes qui tue mortis ac resurrectionis in hos dies triumpho attollimur : his muniti paschalibus epulis : in vivam tibi hostiam preparemur. ℟. Amen.

---

daretur ad hæc verba *Pax Domini sit semper vobiscum*, at modo, et ab aliquot sæculis, in missa Romana oratio *Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis pacem meam relinquo vobis*, etc., pacis osculo præmitti solet (*Georg., de Liturg. Rom. pont. tom. III, lib.* IV, *cap.* 16, *pag.* 139).

[a] *Inlatio*. Apud Gotho-Hispanos *inlatio*, aut *illatio*, constanter dicitur ea prolixa oratio quæ in liturgia Romana, et in Ambrosiana, *præfatio* appellatur, in liturgiis Gallicanis *contestatio*, aut *immolatio missæ*. Sanctus Isidorus (*De Off. eccl., lib.* I, *c.* 15) : *Quinta* oratio *infertur* ILLATIO *in sanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terrestrium creatura virtutum cælestium universitas provocatur, et Osanna in excelsis cantatur*. Illationem sanctus Isidorus ad orationem *post pridie*, sive, ut ille loquitur, ad *confirmationem sacramenti* extendit, atque adeo complectitur etiam orationem *post Sanctus*, et consecrationem, et hinc fortasse a Gallis dicta est *immolatio*, quia ea oratio verba institutionis Christi habet, quibus transsubstantiantur elementa, et sacrificium immolatur. Attamen tam in nostro Missali quam in libris Gallicanis oratio *post Sanctus* proprio titulo ab *illatione*, aut ab immolatione distinguitur. Illatio sive præfatio in omnibus liturgiis exstat ; at in liturgiis Orientalium et Græco-
D rum proprio titulo caret. Goarius (*In not. ad Euchol., pag.* 135) opinatur eam *orationem velaminis* denominari ; at certe in liturgiis a viro erudito Eusebio Renaudotio editis *oratio velaminis* ab hac quam præfationem dicimus distinguitur. Est præfatio oratio antiquissima, et haud immerito ad apostolorum ætatem referenda. A solemni formula *sursum corda* incipit, et solemni acclamatione *Sanctus* atque *Osanna* propria terminatur. In Missali nostro et in libris Gallicanis, singulæ missæ propriam illationem habent. Mos idem in Africa olim vigebat, ut ex Concilio Milevitano (*Can.* 12) eruitur, et etiam Romæ, ut ex Sacramentario sancti Leonis et Gelasiano colligitur, quare nec fides habenda est supposititiæ Pelagii II epistolæ ad episcopos Germaniæ, quæ apud Gratianum (*De Consecr., dist.* 1, *c. Invenimus*, 82) Gelasio tribuitur, qua vulgatus novem præfationum numerus statuitur. Vide Georgium (*De Litur. Rom. pont. tom. III, dissert.* 2, *n.* 3).

Ad orationem Dominicam.

Ecce Jesu bone qui nos Patri tuo per sanguinem tuum reconciliasti : pro nobis patiendo innocens crucem : et solus inventus inter mortuos liber : tuum sicut ipse decuisti Deitatis natura : nostrum adoptionis gratia Patrem poscentes : affecta quo possumus imploramus : ut resurgentes a malorum nostrorum sepulcris : a tuis Christe non recedamus vestigiis proclamantes e terris. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presbyter. Vicit leo. *Tribus vicibus. Ut in die Resurrectionis. Folio 198.*

Dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

B *Benedictio.* Christus Dominus ac redemptor vester qui solutis doloribus inferni : potentialiter surrexit a mortuis : liberos ac solutos vos efficiat a peccatis. ℟. Amen. Quique sui corporis statura terruit : resurrecturus custodes : resurrectione sua munificet venerantes. ℟. Amen. Ut et hic vos precio sui sanguinis dignos efficiat : et ultime resurrectionis tempore glorificandos attollat. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus : et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Gaudete populi.

Com. Refecti Christi corpore.

Quere in vigilia Resurrectionis. Folio 195.

Oratio. Expletis Domine:

Quere in die Resur. Fol. 198.

C

FERIA SEXTA PASCHE

Ad Missam Officium.

Dicite in nationibus. *Quere in secundo die Pasche. Fol. 196.*

Oratio. Te excelsa laus. *Quere in die Resurrectionis. Fol. 194.*

Apocalipsis Johannis Apostoli ([a] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

Angelo Sardis Ecclesie scribe. Hec dicit qui habet septem spiritus Dei : et septem stellas. Scio opera tua quia nomen habes **211** quod vivas : et mortuus es. Esto vigilans et confirma in te cetera : que moritura erant. Non enim [b] inveni opera tua plena coram Domino meo. In mente ergo habe qualiter D [c] hec ceperis et audieris : et serva : et penitentiam age. Si ergo non vigilaveris veniam tanquam fur : et nescies qua hora veniam ad te. Sed habes pauca nomina in Sardis : qui non inquinaverunt vestem suam : et ambulabunt mecum in albis quia digni sunt. Qui vixerit sic : vestietur vestimentis albis : et non delebo nomen ejus de libro vite. Et confitebor nomen ejus coram Patre meo : et coram Ange-A lis ejus. Qui habet aurem audiat : quid spiritus dicat Ecclesiis. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Dominus memor fuit nostri. ℣. Et benedixit nobis. ℣. Benedixit domum Israel : benedixit et domum Aaron. Benedixit omnes timentes Dominum : pusillis cum magnis. ℣. Et.

Dicat Presbyter. Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([e] *Cap. III.*)

℟. Deo gratias.

In illis diebus : ait Petrus ad plebem. Penitemini igitur et convertimini ut deleantur vestra peccata. Et cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini : et miserit eum qui predicatus est vobis Dominum Jesum Christum : quem oportet celum suscipere usque in tempus restitutionis omnium : que locutus est Dominus per os Sanctorum suorum a seculo prophetarum. Moyses quidem dixit [f] ad patres nostros. Quia prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester : de fratribus vestris tanquam me [g] ipsum audite : juxta omnia quecumque locutus fuerit vobis. Erit autem omnis anima que non audierit prophetam illum : exterminabitur de plebe. Et omnes prophete a Samuele et deinceps : qui locuti sunt et adnunciaverunt dies istos. Vos estis filii prophetarum et testamenti : quod disposuit Deus ad patres vestros dicens ad Abraam. In semine tuo benedicentur omnes familie terre. Vobis primum Deus suscitavit filium suum : misit eum benedicentem vobis : ut convertat se unusquisque a nequicia sua. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Johannem ([h] *Cap. XXI*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus posteaquam resurrexit a mortuis : manifestavit se discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestavit se autem sic. Erant simul Symon Petrus et Thomas qui dicitur Didimus : et Nathanael qui erat a Cana Galilee : et filii Zebedei : et alii ex discipulis ejus duo. Dicit eis Symon Petrus. Vado piscari. Dicunt ei. Venimus : et nos tecum. Et exierunt : et ascenderunt in navem : et illa nocte nihil ceperunt. Mane autem jam facto : stetit Jesus in littore : non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus esset. Dicit ergo eis Jesus. Pueri numquid pulmentarium habetis ? Responderunt ei. Non. Dicit eis. Mittite in dexteram navigii rete : et invenietis. Miserunt ergo rete. Et non valebant illud trahere a multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Jesus Petro. Dominus est. Symon Petrus cum audisset quia Dominus est : tunica succinxit se : erat enim nudus : et misit se in mare. Alii autem discipuli navigio venerunt. Non enim longe erat a terra : sed quasi cubitis

[a] *Cap. III.* Vers. 1-7. In Luxoviensi legitur ex Apocalypsi, xix, 5-16.

[b] *Inveni.* Ita in Græco et in Primasio. Vulgata legit *invenio.*

[c] *Hæc ceperis.* Vulg., *acceperis.*

[d] *Psallendo.* Ps. cxiii, 12. ℣. ibid., 13.

[e] *Cap. III.* Vers. 19, ad finem capitis. In Luxoviensi, Act. v, 17-41.

[f] *Ad patres nostros.* In Græco : *Moses quidem ad patres dixit.* Desunt in Vulgata.

[g] *Ipsum audite.* Ita Syr.; Vulg. et Gr., *ipsum audietis.*

[h] *Cap. XXI.* Vers. 1-15. In Luxoviensi, *Joan.* xx, 11-18.

ducentis trahentes rete piscium. Ut ergo descende- A runt in terram : viderunt prunas positas et piscem superpositum : et panem. Dicit eis Jesus. Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Symon Petrus : et traxit rete in terram plenum magnum piscibus : centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent non est scissum rete. Dicit eis Jesus. Venite prandete : et nemo audebat discumbentium interrogare eum : tu quis es : scientes quia Dominus est. Et venit Jesus : et accepit panem et dabat eis et piscem similiter. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis : cum surrexisset a mortuis.

℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui : visita nos Deus in salutem. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Isti sunt dies festi Domino alleluja : et hec sancta vocabitis. *P.* In temporibus suis 212 alleluja alleluja. ℣. Possidebitis terram vestram dicit Dominus : et ego dabo vobis eam in possessionem : terram manantem lac et mel. *P.* In temporibus.

Missa. Procellosum mare fluctuantis seculi fratres charissimi transeuntes : lignum crucis fiducialiter ascendamus : et secundis Sancti Spiritus flatibus : vela fidei committamus. Super littus namque Christus assistens gloriosam sine macula Ecclesiam figuravit : quando magnis piscibus indisruptum rete complevit. Nec a parte dextera jussit deviare navigium : quod tunc solorum bonorum portendebat indicium. Subsequamur igitur sacramenti ammirabilis veritatem diligentes : ac tenentes principaliter unitatem. Nullus ad [c] scismata nephanda prosiliat : vel dominica retia : nec dum littori presentatur abrumpat. Ut connumerati inter [d] mysticos pisces : cibus esse Domini : qui nos ex profundo est dignatus eruere : mereamur : et specialiter membra ejus effecti sacrificiis salutaribus expiemur.

Respondeat Chorus. Amen.

Alia oratio. Ecce Jesu mediator Dei et hominum Christe redemptor ac Domine : hominem illum quem cum Patre : et Sancto Spiritu unus Deus sexto die ad tuam condidisti speciem : sexta demum etate per assumptam visitans carnem : reformationem mentis eidem tribuisti : per evangelij veritatem. Proinde hoc die tam pro conditione humani generis : quam pro redemptione : hanc tibi afferimus victimam sacrificij singularis : in quo ipse pro nostra salute ligno confixus es crucis. Aceto potaris : lancea latere perfoderis : Inferna moriens penetrans : resurgendo spolians. Pro quibus mysteriis ac miraculis hunc diem apud tuam clementiam sacrificiis commendantes : petimus a te redemptore pio et Domino : ut hodierni mysterii recordatus : spolians nos veterem hominem cum actibus suis : induas illum qui secundum Dominum creatus est in justicia et sanctitate veritatis. Decidant a nobis carnalium libitus voluptatum : et intereant extincte passiones varie viciorum. Qui nobis te dedisti esse in munere : non nos sinas nobis ipsis esse ulterius in dolore. Ut in novitate vite B ambulantes : sicut tuo redempti sumus ex sanguine : ita cruci tue adfixi perenniter : et perditionis deinceps respuamus errorem : et concesse dignitatis retineamus absque crimine libertatem.

Respondeat Chorus. Amen.

Post nomina. Oratio. Redemptio nostra et salus Christe Domine Deus : qui pro nostris moriens peccatis : resurrexisti pro justificationibus nostris : tu resurrectionis tue celebritate letantibus occurre benignus. Morte tua redemptos tuis semper facito inherere vestigiis : tuis perenniterque inservire preceptis. Ut sicut tecum baptismate consepulti exultant : ita se tibi opere placituros exhibeant. Virtus quoque illa divinitatis : que olim te carne moriente novo inferis effulsit ex lumine : nunc defunctis te C opitulante promicet ad quietem. Quo paschalium gaudiorum a te hac oblatione suscepta : et vivi resurgant a vitiis : et defuncti [e] eruantur a penis.

Respondeat Chorus. Amen.

Ad pacem. Oratio. Ad viventis Jesus sepulcrum : voto hilari concurrentes : et Christi resurgentis linteamina contemplantes : obsecramus benignissime Pater omnipotens Deus : ut dum tanta solennitatis myste in celebramus : nihil in nobis adversitatis eveniat : nihil tristicie aut calamitatis occurrat. Sed cunctos fideles ob dierum paschalium festa jucunditas eterna possideat : eorum quoque suffragantibus meritis qui cum unico filio tuo vivi meruerunt surgere de sepulcris : concordia in novis vigeat caritatis : ut hoc sacrificium laudis placabili pietate suscipiatur e manibus nostris. D

Respondeat Chorus. Amen.

[a] *Lauda.* Ps. cv, 4.

[b] *Sacrificium.* Ex verbis Scripturæ hinc inde collectis.

[c] *Schismata.* Alludit forte ad schisma Gregorii Bætici, aut potius ad illud quod sedente Innocentio I in Hispania vigebat, de quo sanctus Innocentius (*Epist.* 3) scribit ad episcopos synodi Toletanæ.

[d] *Mysticos pisces.* Et Christiani pisces, et Christus piscis a primævis fidelibus appellabantur : utrumque leviter, more suo, complexus est Tertullianus (*Lib.* I *de Bapt.*, *cap* 1) : *At nos pisciculi secundum* ΙΧΘΥΝ *nostrum Jesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus.* Unde in monumentis Christianorum aliquando piscis insculpitur et aliquando vox Græca ΙΧΘΥΣ scalpro aratur, quæ, ut loquitur Optatus (*Lib.* VI *contra Parmenionem*), *per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet.* Est enim composita ex initialibus litteris harum vocum : Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ, *Jesus Christus Dei Filius Salvator.* Eadem ferme apud sanctum Augustinum (*De Civit. Dei, lib.* XVIII, *cap.* 23) leguntur. Demum ab hoc pisce baptisterium *piscina* dicebatur.

[e] *Eruantur.* Fuit paucorum opinio, animas fidelium quæ purgatorium attigerant non nisi die extremi judicii pœnis expiatoriis tandem eximendas esse. Iidem aiebant, pœnas expiatorias sine ulla imminutione, easdem constanter, ad extremum diem perdurare, atque adeo frustra esse orare pro defunctis. His aperte contradicit Missale nostrum, seu potius fides Ecclesiæ Gotho-Hispanæ.

Inlatio. Dignum et justum est : sanctum et salutare est : nos te gloriosissime Pater Domini nostri Jesu Christi : inenarrabilibus **213** triumphis attollere : completisque erga nos promissorum suorum beneficiis in quantum se mens parvulorum : te inspirante repleri senserit : propensius conlaudare. Ut cui plus dimissum est : amplius diligat : et potiora jam fedora accumulet : qui tanta necdum credenti donavit. Postquam igitur Verbum caro factum : et habitavit in nobis : fecitque prius cuncta que docuit : perfectum divinis operibus virum necessarie nobis : sibique voluntarie tradidit passioni. Ut quemadmodum mundo huic predicationis sue claritate effulserat : ne errorum irretitus tenebris fluctuaret : ita etiam infernali carcere mancipatis sua resolvendis descensione succurreret. [a] Neque regnum usque in finem seculi dilataret. Et spolia que quondam predo attraxerat fraudulentus : ad celos secum reveheret innocens crucifixus. Et liberaret virtute justicie : quos humilitatis sue redemerat passione. Emisso itaque spiritu : et paternis : ut scriptum est : manibus commendato : hospitium divinitatis immense : quem virginea conceperant atque ediderant viscera : virgo interim sepultura suscepit. Sed mansit illic nihilominus incorruptus : quia non fuerat ex Adamnati seminis corruptione conceptus. Judeis quoque petentibus custodes monumento deputantur a Preside : quorum testimonio et fides firmaretur credentium : et confunderetur impietas perfidorum. Quid enim illi obesse potuit humana custodia : cui et dum requiesceret celeste vigilavit excubium? et cum resurgeret : Deus inerat Verbum. Quod immaculate anime inseparabiliter copulatum [b] adiit : exterruit : subjecit : et domuit : et vinxit cunctas hujus aeris in lacu novissimo potestates. Illic mors habetata contremuit seseque [c] perentam acrius : quam stimulaverat sensit. Queque se humani generis dominam letitabat : ancillam mox crucis [d] affectam Christo triumphante lugebat. Fracta est confestim virtus seva carnificum : et ad nihilum redacta est : exhausta [e] crassatio cruentorum. Inclinata est harum tenebrarum Christi humilitate superbia : et diabolica malicia divini agni est simplicitate restinta. Amisit e manibus subito : quod se crudelissimus hostis credebat perpetim possessurum : cernens humanum genus per hominem Deum paradiso : unde prevaricatione Ade eliminatum fue- A rat restitutum. Propter quod ei cum Patre et Spiritu Sancto regnanti. Omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare : ita dicentes.

℟. *Chorus.* Sanctus. Sanctus. Sanctus.

[f] *Post Sanctus.* Vere gloriosus. et admirabilis Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui plasmatis sui providens miseratus occasum : captivum hominem a destinata mortis sententia compassus exemit. Formam accipiens servi : contubernium carnis assumpsit : ne operis ratio suo moreretur auctori. Ipse quippe hominem dignatus induit : humiliatus erexit : traditus redemit : crucifixus absolvit. Innovavit resurgens : consecravit ascendens. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. [g] Deus Pater omnipotens qui B misisti unigenitum tuum non habentem peccatum : pro nobis peccatum factus est pro delicto totius mundi : eum tibi offerimus et in verum sacrificium propiciatus benedicendum assume : et celestis sanctificationis aspargito largitate. Quo ex hoc sumentes : redemptionis nostre in his diebus celebrantes mysterium : et operibus sepeliamur mortiferis : et actibus resurgamus perpetue sanctitatis.

Respondeat Chorus. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Redemptos primitus Domine quos occisi Redemptoris sanguis innocens comparavit : nunc propicius visita : quos anniversaria resurrectionis ejus solemnitas congregavit. Repleamur universi benedictione dulce-C dinis : liberati de molestia sempiterne formidinis. Ut cum Christo resurgentes peccatis omnibus eruamur : et futura **214** gaudia consequamur proclamantes e terris. Pater noster.

Dicat Presbyter Vicit leo. *tribus vicibus : modo ut in die Resurrectionis. fol.* 198.

Postea dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dei filius : qui sua vos redemit morte : sue vos Resurrectionis celebritate sanctificet. ℟. Amen. Quique pro salute mundi amaro potatus est poculo : passionis ac Resurrectionis sue vos innovet sacramento. ℟. Amen. Ut Resurrectionem ejus cum Maria vel ceteris discipulis veraciter predicantes : ad beatam vitam perveniatis iidemnes.
D ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Gaudete populi.

[a] *Neque regnum.* Lege *ne Satanæ regnum.*
[b] *Adiit.* Lege *inferna adiit.*
[c] *Perentam.* Forte *pereuntem.*
[d] *Affectam* Lege *effectam.*
[e] *Crassatio.* Lege *grassatio.*
[f] *Post Sanctus.* Absoluto hymno triumphali subjungitur oratio quæ, ex re ipsa nomen sortita, in nostro Missali, et in libris liturgicis Gallorum constanter *post Sanctus* appellatur, diversa autem est pro missarum varietate. Frequenter inchoatur *Vere Sanctus*, et desinit in oratione *Adesto*, aut potius in ipsa verba consecratoria elementorum. In liturgia Romana præfationem excipit canon; at in omnibus Græcorum, Orientalium et Ægyptiorum, liturgiis inter *præfationem* et verba institutionis Christi mediat oratio, anonyma quidem, sed quæ orationi *post Sanctus* Gallorum et Gotho-Hispanorum correspondet. In liturgiis Gallorum oratio *post Sanctus* frequenter deficit, at in Missali nostro in omnibus missis invenitur *post Sanctus* peculiaris, qua frequenter de sacrificio fit mentio; non raro orant pro elementis consecrandis, quod etiam in libris Gallorum et in liturgiis Orientalium observare licet. Est autem nonnunquam admodum brevis, aliquando etiam oratio satis prolixa.
[g] *Deus pater.* Omissa voce *misisti*, lego *Deus Pater omnipotens qui Unigenitum tuum non habentem peccatum, sed pro nobis peccatum factum et pro delicto totius mundi, tibi in verum sacrificium offerri voluisti, eum tibi propitiatus benedicendum assume, et cœlestis sanctificationis aspergito largitate*, etc.

Com. Refecti Christi corpore.

Require in vigilia Resurrectionis folio 193. *Oratio.* Expletis Domine. *Require in die Resurrectionis. fol.* 198

[a] SABBATO PASCHE.

Ad Missam Officium.

Dicite in nationibus. *Require retro in II. feria Pasche. Oratio* Te excelsa laus. *Require in die Resurrectionis Domini. folio* 194.

Apocalipsis Joannis Apostoli ([b] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

Angelo [c] Laodite Ecclesie scribe. [d] Hec dicit testis fidelis et verus : qui est principium creature Dei. Scio opera tua : quia neque frigidus es : neque [e] calidus. Sed quia tepidus es : neque frigidus es : neque calidus es. Incipiam te [f] ejicere ex ore meo : quia dicis B quia dives sum et locupletatus : et nullius egeo : et nescis quia tu es miser et miserabilis : et pauper et cecus et nudus. Suadeo tibi jam emere a me aurum ignitum probatum : ut locuplex fias : et vestimentis albis induaris. Et non appareat confusio nuditatis tue. Et collirio inunge oculos tuos : ut videas. Ego quos amo : arguo et castigo. Emulare ergo et penitentiam age. Ecce sto ad ostium : et pulso. Siquis audierit vocem meam : et aperuerit januam : introibo ad illum : et cenabo cum illo et ipse mecum. Qui vicerit dabo et sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici : et [g] sedeo cum Patre meo in throno ejus. Qui habet aurem audiat : quid spiritus dicat Ecclesiis.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[h] *Psallendo.* Quam magnificata sunt opera tua Domine. *P.* Omnia in sapientia fecisti. ℣. Repleta est terra creatura tua Domine. *P.* Omnia.

Dicat Presb. Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([i] *Cap. VII*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : Angelus Domini locutus est ad Philippum dicens. Surge et vade contra meridianum ad viam que descendit ab Hierusalem in Gazam : et A est deserta : et surgens abiit. Et ecce vir Ethiops eunuchus potens Candacis Regine Ethiopum : qui erat super omnes gazas ejus venerat adorare in Hierusalem et revertebatur sedens super currum suum : legensque prophetam Esayam. Dixit autem spiritus Philippo. Accede et adjunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus audivit illum legentem Esayam prophetam. Ex dixit. Putas ne intelligis que legis? Qui ait. Et quomodo possum : si non aliquis ostenderit mihi [j] has scripturas? Rogavit que Philippum ut ascenderet secum. Locus autem scripture quem legebat erat hic. Tanquam ovis ad occisionem ductus est : et sicut agnus coram tondente se sine voce : sic non aperuit os suum : in humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem autem illius B quis enarrabit? Quoniam tolletur a terra vita ejus. Respondens autem eunuchus dixit. Obsecro te de quo propheta hec dicit? De se an de alio? Aperiens autem Philippus os suum : et incipiens ab scriptura ista : evangelizavit illi Jesum. Cum autem iter facerent : venerunt ad quoddam stagnum. Et ait eunuchus Philippo. Ecce aqua : quid est : quod prohibet me [k] baptizare? Dixit autem Philippus. Si credis ex [l] totis precordiis tuis licet : et respondens dixit. Credo filium Dei esse Jesum Christum. 215 Et jussit stare currum : et descenderunt ambo in aquam : et baptizavit eum Philippus. Et cum ascendissent ab aqua : spiritus Domini rapuit Philippum ab eo : et amplius non vidit eum eunuchus. Ibat C enim viam suam gaudens. Philippus autem inventus est advenisse in Azoto. Unde revertens evangelizabat per totas civitates : usque dum venisset in Cesaream. *Respondeat Chorus.* Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([m] *Cap. XXI*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus posteaquam resurrexit a mortuis : dicit Symoni Petro. Symon Johannis diligis me plus his? Dicit ei. Etiam Domine : tu scis quia amo te. Dicit ei. Pasce agnos meos. Dicit ei iterum. Symon Johannis diligis me? Ait illi. Etiam Domine : tu scis quia amo te. Dicit ei. Pasce agnos meos. Dicit ei tertio. Sy-

[a] *Sabbato.* In Missalibus Gallicano et Gallo-Gothico, præter Missas quæ singulis diebus octavæ Paschæ assignantur, una invenitur sub hoc titulo : *Missa matutinalis per totum Pascha pro parvulis qui renati sunt*; et in Missali Gallicano additur *mature dicenda*; unde colligere licet in Gallia binas missas per octavas Paschæ singulis diebus dictas esse : alteram, bene mane, pro infantibus, seu pro neophytis; alteram, hora consueta, pro populo. Mos idem erat Ecclesiæ Mediolanensis, in cujus Missali singulis hujus octavæ feriis binæ missæ assignantur : altera in ecclesia minori, pro recenter baptizatis; altera, in majori ecclesia, coram populo dicenda. In nostro Missali unica est, singulis diebus octavæ Paschæ, missa, in qua frequenter infantum mentio fit. An olim in Hispania binæ dicerentur missæ, ut in Gallia, mihi incertum. Unica missa pariter invenitur, intra hanc octavam, in Sacramentariis Gelasiano et Gregoriano. Nec omittendum quod in Lectionario Luxoviensi lectiones tantummodo assignantur pro unica missa quotidiana in octava Paschæ, fortasse missa infantum quibusdam in Ecclesiis tantummodo celebrabatur.

D [b] *Cap. III.* Vers. 14, ad finem capitis. In Luxoviensi legitur ex Apocalypsi, xxi, 1-8.

[c] *Laodite.* Vulg., *Laodiciæ*; Primasius, *Laodiceæ*, et ita legendum.

[d] *Hec dicit.* Vulgata, *hæc dicit Amen*; Primasius, *hæc dicit qui est Amen.*

[e] *Calidus.* Vulg., Gr. et Primasius addunt : *Utinam callidus esset aut frigidus.*

[f] *Ejicere.* Vulg. et Primasius, *evomere.*

[g] *Sedeo.* Ita Primasius. Vulg., *sedi.*

[h] *Psallendo.* Ps. civ, 24. *Creatura tua* legit etiam sanctus Augustinus; at Vulgata, *possessione tua.*

[i] *Cap. VII.* Corrig. viii, 26, ad finem capitis; in Luxoviensi legitur ex I. Cor. xxxi, 45.

[j] *Has Scripturas.* In Vulg. et Gr. deficit.

[k] *Baptizare.* Lege *Baptizari.*

[l] *Totis precordiis.* Vulg., Gr., *toto corde.*

[m] *Cap. XXI.* Vers. 15-19. In Luxoviensi legitur ex Joan. xxi, 1-15.

mon Johannis diligis me? Contristatus est Petrus: quia dixit ei tertio: amas me? Et dicit ei. Domine tu omnia nosti. Tu scis quia amo te. Dicit ei. Pasce oves meas. Amen amen dico tibi: cum esses junior cingebas te: et ibas ubi volebas. Cum autem senueris: extendes manus tuas: et alius te cinget: et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Dominum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. In die resurrectionis mee dicit Dominus congregabo gentes: et colligam omnia regna terre. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Sacerdotes qui appropinquant Domino: illi ponant sancta sanctorum et sacrificium pro peccato. *P.* Quia locus sanctus est alleluja alleluja. ℣. Alleluja. Claritas Dei veniebat per viam que est ad orientem: et vox ejus sicut vox aquarum multarum: et terra splendebat in circuitu alacritate. *P.* Quia.

Missa. Omnes qui septiformis gratie Spiritu adoptati: Resurrectionis Christi celebratis solennia: hunc diem septimum inlustrem quiete dominica parili quam primum venerari vos condecet obsequela. In hoc quippe olim ipse Deus creatis expletisque omnibus que mundana tenentur compage: requievit ab opere quod patrarat: ut faceret. In hoc peractis que creata sunt: quies est illi: in hoc pro redimendis in sepulcro moriens requievit. In hoc ab opere cessat: in hoc sepultus suum opus quieti perpetue donat. Hic terminus operum: hic salus est redemptorum. Hic septimo consecratur ex numero: hic legis veteris jubetur sanctificari precepto. In hoc servitutis operam fugere: in hoc otia sanctitatis percipimur custodire. In quo ipse Dominus sepulcri detentus loculo: spoliavit inferna: cum predestinatam ex predonis faucibus abstulit predam. Unde adepte gratie spiritu provocati rogemus dilectissimi fratres pastorem magnum et ammirabilem Jesum Christum. Ut nos in hoc die ita concedat peccatorum servitutem atque operam fugere: quo sanctitatis muniti quiete: Resurrectionis dominice festum in hujus diei septimi excursum: et lacrimis queamus litare: et muneris sacrificiorum. *Resp. Chorus.* Amen.

Alia Oratio. Deus qui delicta nostra Christi morte mortificas: et justificationem nostram Christo resurgente confirmas. Salutaria populi sacrificia misericorditer suscipe: bonorum omnium desideria que dedisti celeriter perfice. Sit hoc Sabbatum illuminatio in deliciis nostris: ut cuncti cum regeneratis infantibus mereamur sacramentis vivificari paschalibus. Coruscet quesumus in pane: quod pependit in cruce: micet in calice: quod manavit ex latere. Fiat quesumus acceptabile: fiat annue solennitatis intercessu mirabile.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus cujus operatio non habet laborem: misericordia donat quietem: salusque parturit salutem: atque inimicam Deo procul effugat voluptatem. Sana nos: et sanabimur. Salvos nos fac: et salvi erimus: ut Sabbatum nostrum spirituali benedictione sanctificatum: paschalibus cognoscatur gaudiis esse perfectum. Quo mortis ac Resurrectionis tue leticia functi: et viventium salutem et defunctorum a te mereamur impetrare quietem.

℟. Amen.

216 *Ad pacem. Oratio.* Christe qui es certa laborum: et fessarum relevatio animarum. Qui septimo hoc die et creata perficiendo quiescis: et humana redimendo: in quiete sepulcri corporaliter degis. Facito nos ut qui tue mortis ac Resurrectionis in hoc die tibi sacrificium exhibemus: servituris opera respuamus. Repelle quesumus a nobis fermentum malicie: et per charitatis opera in nostris cordibus requiesce. Quo in hoc Sabbatum sarcinam criminum non portemus: sed in ocio sancte pacis paschales tibi hostias immolemus.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est: nos tibi semper cum Patre et Spiritu Sancto individua divinitate regnanti: gratias agere Domine Jesu Christe. Qui nos tam admirabiliter condidisti: tam clementer redemisti. Non laboribus in faciendo fatigatus: non passionibus in redimendo consumptus. Fecit virtus potencialiter: quos redemit pietas tam clementer. Totum tibi est in veritate possibile: quia hoc ipsum tibi excepto humanitatis privilegio cum Patre et Spiritu Sancto: est essentialiter coequale. Ita tamen posse te manet: quod velle te decet. Id est ut omnipotens cuncta facias facienda: justus equitate censeas judicanda: misericors clementer perficias coronanda. Qui cum solo majestatis terribili nutu nostrum potueris conterere vexatorem: maluisti eum humilitatis objectione prosternere. Ex hoc magis approbans: nullam majestati tue contrariam nobis subsistere aereorum principum tirannidem: cum sic nostrorum infirmitate membrorum omnem inimici ad nihilum redegeris vanitatem. Etenim superbus [c] tuus se ingemuit gravius corruisse: quando se elisum sensit ab humilitate fuisse. Atque ideo tali divina sapientia antiqui serpentis astuciam consilio vicit: ne violenter addiceret sed legaliter quaeretur. Ut qui transgressorem eo se jure possidere jactabat: quem suis consentientem persuasionibus obligaverat. Sic eum justo superatus judicio redderet: cum istum in quo suum nihil repperat: occidisset. Quapropter amisit merito reum: qui tollentem mundi peccata crucis supplicio agnum non timuit mortificare divinum. Disruptis igitur cruce inferni catenis legibusque solutis: ad celos migrant cum Christo credentes in Christo. Et cruciandi permanent in inferno: qui delectati sunt inviscerari diabolo. Rediit ecce post biduum victor e mortuis vivus: qui ad hoc pro nobis est crucifixus. Innume-

[a] *Lauda.* Sophoniæ, III, 8.
[b] *Sacrificium.* Ex Ezechiele, XIX, 19. ℣. ibid., XLIII, 2.
[c] *Tuus.* Forte, *superbus tyrannus.*

ris captivorum ovantium stipatur agminibus : qui passionis tempore etiam discipulorum suorum fuerat societate nudatus. Agitatur eo resurgente tremefacta funditus terra : quo descendente concussa sunt et inferna. Cohors militum terrenorum cœlestis regis terribili regressu perculsa diffugit : et quem dudum inluserat velut reum : jam et ipsa terribilem victa judicem verum confitetur : et Deum. Sanctorum corpora vivificata consurgunt : habitaculum quod paulisper jacuerat : resurgit gloriosum : eodem resuscitante : a quo anima derelicta in inferno non fuerat. Angeli proprio famulantur auctori : splendificus universo mundo orituri dies. Tripudiant inspirato Resurrectionis die : qui mestificati fuerant passionis ejus vulnere repentino. Agnoscit mater membra : que genuit. Maria Magdalene Angelo increpante resipuit : ne viventem cum mortuis querere debuisset. Ad monumentum Petrus cum Johanne concurrit : recentiaque in linteaminibus defuncti : et resurgentis vestigia cernit. Latro Christum confessus : possessor paradisi factus est : primitivus. Impletum est quod fuerat de filio hominis : tot ante secula prophetatum : ut scilicet peccatorum pro nobis manibus traderetur : crucifigeretur : moreretur. Inferna terribiliter penetrasset : superbos dejiceret : humiles misericorditer exaltaret. Cum triumpho inenarrabili a mortuis resurgeret : et cum Patre et Spiritu Sancto omnipotentialiter cunctis dominando regnaret. Cujus virtutis immensitate permoti etiam septem vexilla regia beatorum innumeras lucifluarum mittit plebium catervas ad **217** laudem : ac suum quisque pio preveniens officio : locum debitum exsolvit : carmen triumphantis Regis per evum submisseque adorat : et glorificatis vultibus agnum : suasque rutilantibus gemmis eximias prefert cum laude coronas. Seraphin quoque divine sedis terribilem thronum alarum trino tegmine velant : sui famulatus unum te fatendo cum Patre et Spiritu Sancto Deum trine confessionis preconio declarandum in sede syderea permanentem regnantemque in secula seculorum incessabili jugitate dicunt. Sanctus. Sanctus. sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Per quem nobis veram destinasti salutem : ut homo serpentis fraude deceptus illo resurgente mortem evaderet : et vitam quam amiserat repararet. Egerat diabolus fraude ut jugulret incautum : sed curavit Dominus vulneratum : dum fudit sanguinem preciosum. Tunc enim vetito ligno letale vulnus accepit : nunc vero per crucis lignum perpetua gaudia acquisivit. Deceperat quidem seducta mulier virum : sed redemptus est venerabilium fixione clavorum. Quia eripuit nos Deus de inferis : et liberavit de manu mortis : qui sedet ad dexteram Patris. Christus Dominus ac Redemptor eternus.

[a] *Post pridie. Oratio.* Ad tumulum vigilantes unici Redemptoris : qui pro nostra redemptione

[a] *Post pridie.* Peracta consecratione subjicitur oratio quæ in nostro Missali constanter *post pridie*, in libris liturgicis Gallicanis *post secreta*, et non raro *post mysterium*, denominatur. Eamdem sanctus Isidorus (*Off. eccl. lib.* I, *c.* 15), et ex eo Etherius et Beatus (*Adv. Elipand., lib.* I) videntur *confirmationem sacramenti* tanquam proprio nomine appellasse. *Ex hinc*, inquit sanctus Isidorus, *sexta* oratio *succedit*, CONFIRMATIO SACRAMENTI, *ut oblatio, quæ Domino offertur, per Spiritum sanctum sanctificata, Christi corporis et sanguinis confirmetur*. Legendum esse *Christi corporis et sanguinis* ex Hittorpio antea notavi (*P.* 69). In Sacramentario Bobiano nulla est oratio *post secreta*, aut *post mysterium*. Missæ enim omnes illius Sacramentarii iis carent quæ *contestationem* consequuntur. Paucæ orationes *post secreta* in Missali Gallicano leguntur ; multæ etiam in Missali Gallo-Gothico desiderantur, in quo nihilominus pleræque orationes, *post mysterium*, aut *post secreta* inscriptæ, adhuc supersunt. At in Missali Mozarabum nulla est missa quæ sua oratione *post pridie* careat, cumque illæ orationes sint inter se diversæ, hinc illis haud exigua inest varietas. Porro hac oratione Gotho-Hispani et Galli expresse commemorant mortem, passionem, resurrectionem, in cœlos ascensionem, et alia quædam Christi Domini mysteria ; eaque de causa, ejus mandato obtemperantes, se Eucharistiæ sacrificium offerre profitentur, deinde solemnem faciunt hostiæ oblationem, victimamque sacrificii, Christum Dominum, sub speciebus panis et vini latentem, Deo offerunt, addunt postea supplicationem, ut Deus munus oblatum dignetur benigne acceptare, ac demum rogant ut Deus dignetur benedicere et sanctificare species consecratas, easque divinæ munificentiæ donis ac gratiis omnibus affatim replere, inter communicantes dispertiendis. Verum quidem est quod in singulis orationibus *post pridie* quatuor ista, saltem explicite commemorata, non reperiantur ; singulis tamen horum unum, aut plura, haud paucis, omnia distincte inseruerunt ; neque ulla ferme occurrit qua effectus sacramentales, vel, quod in idem recidit, qua benedictionem aut sanctificationem hostiæ consecratæ non postulent. Sunt etiam nonnullæ quibus effectus sacrificii petunt, etsi pro his ante consecrationem plerumque orare soleant. Sunt aliæ quibus petunt ut dona gratiæ conferantur offerentibus, et simul ut benedicantur eorum oblationes, atque ut vota precesque populi suscipiantur. Jam vero oratione *post pridie* modo æternum Patrem, modo Dei Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, modo Spiritum sanctum, aliquando individuam Trinitatem, frequenter nullam e divinis personis nominatim, sed Deum rogant ; et inter orandum easdem, aut similes adhibent loquendi formulas, quæ in Sacramentariis passim adhibentur, cum res etiam sensu et vita carentes, quales sunt aqua baptismatis, oleum unctionis, cineres, candelæ, lumina paschalia, altare, ejusque ministeria, vestesque benedicuntur. Hinc præter consuetas voces benedicendi et sanctificandi, orant ut dona oblata sint divinæ *gratiæ sanctificatione respersa*, sint Dei benedictionis *plenitudine referta* ; Christum rogant ut *sacrificiis propitiatus* illabi dignetur, iisque *benedicturus descendat*. Aliquando orant ut immittat in ea spiritum sanctitatis, ut infundat in ea imbrem Spiritus sancti de cœlis, ut Deus a spiritus sui permistione sanctificet. Quibus orandi modis re ipsa nihil amplius significabant quam quod voces *benedicere* et *sanctificare* sonant, eos tamen adhibebant tum ad ostendendum se postulare sanctitatem rebus ipsis inhærentem, tum etiam ad affectum erga Deum movendum, dum ea pro quibus supplicabant sensibus quodammodo subjiciebant. Orabant autem pro effectu sacramentali, ut ipsæ orationes *post pridie* et *post mysteria* probant, et consensus liturgiarum Occidentis et Orientis confirmat, quibus omnibus insunt orationes pro effectu sacramentali, peracta con

sepultus : [a] et a mortuis est mirabiliter suscitatus : cujus virtutem et gloriam serenata cordis acie contemplamur : cum novelli gregis [b] ovibus dulcissima in ara tua Domine pascua circumdamus. Universi pariter exorantes : ut hujus sacri corporis alimentum cruorisque suavissimum poculum : [c] ad premium satietatis perpetue nobis tribuas possidendum. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Devotione geminata fratres charissimi passo pro nobis Domino mestificati cordis hostias offeramus ; meroris operibus fructum leticie comparantes. Ut dum paschale sacrificium sedulitatis studio agere procuramus : in adventum ipsius strenue servitutis testimonium reportemus : quo jubente dicimus. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Vicit leo *tribus vicibus modo ut in die Resurrectionis folio* 193.

Postea dicat. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Dei Patris Filius qui vestra peccata per corpus suum cruci adfixit : suo carnes vestras adfigat [d] timori. ℟. Amen. Quique vos filios sibi redemptionis adoptavit ex gratia : nulla vos patiatur se judicante mancipari gehenna. ℟. Amen. Quo salvati per crucem : ad futuram quandoque mereamini pervenire mercedem. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedent. s. Gaudete populi.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in vigilia Resur. fol.* 193. *Oratio.* Expletis Domine in hac. *Quere in die Resurrectionis. fol.* 198.

✠

[e] *Quando* [f] *preparatus sit Sacerdos ad Missam*

---

secratione, fundendæ. Fuerunt pauci recentiores, viri eruditi, qui circa efficientiam verborum Christi in elementis eucharisticis transsubstantiandis, asseruere Gotho-Hispanos et Gallos in eadem fuisse opinione quam illi recentioribus Græcis attribuunt : scilicet divina Christi verba ad elementa eucharistica consecranda non sufficere, nisi adsit oratio *post pridie*, qua, instar invocationis Græcorum et Orientalium, Spiritus sanctus invocatus panem et vinum in Christi corpus et sanguinem transsubstantiet ; at viri eruditi debebant animadvertisse partem maximam orationum *post pridie* ad Spiritum sanctum non spectare, illisque aut Patrem æternum, aut Christum Dominum Dei Filium, aut adorandam Trinitatem invocari. Quid igitur fiet de tot missis quarum *post pridie* nullam habent Spiritus sancti invocationem? Num sine elementorum consecratione celebrabuntur? Absit ; illæ ipsæ missæ contrarium probant. Concedendum igitur est Gotho-Hispanos, idem et de Gallis sentiendum, nunquam dubitasse quin solis Christi verbis, sine ulla Spiritus sancti invocatione, elementa eucharistica plene et legitime consecrarentur. Non est necesse, inquiunt, Spiritus sancti invocatio ; sufficit quod Deus aut divina aliqua invocetur persona, ut in *post pridie* fit ; at sine istiusmodi invocatione sola Christi verba non sufficiunt ad elementorum transmutationem. Ita ne? Sed hæc non est opinio recentiorum Græcorum ; illi enim non Trinitatem, non Deum Patrem, aut Filium, sed solum Spiritum sanctum invocandum esse tenent, ut eucharistia legitime consecretur. Præterea illud discriminis est inter recentiores Græcos et Gotho-Hispanos, quod Græci, in libris suis liturgicis, formulas certas, solemnes, immutabiles habeant, quibus invocatur Spiritus sanctus ad elementa eucharistica transsubstantianda, et apud Gotho-Hispanos et Gallos nullæ inveniuntur solemnes et canonicæ formulæ invocationis, nam in eorum orationibus *post pridie* et *post mysterium* nihil fixum et stabile est ; voces sensusque varii sunt, quemadmodum orationes ipsæ, pro missarum diversitate, variant et mutantur. Quare si oratio *post pridie* illis fuisset consecratoria, aut totam orationem, aut saltem aliquam ejus partem, eamdem in omnibus missis, recitassent. Est enim prorsus incredibile eos formam consecrandi elementa incertam habuisse, et mutabilem. Sed quid multis opus est? sunt orationes *post pridie* quibus aperte orant pro sanctificatione elementorum quæ antea plene consecrata et transsubstantiata fuerant. Sic Dominica 5 Quadragesimæ : *Hoc sacrificium respicere et* SANCTIFICARE *digne is quod est verum corpus et sanguis Filii tui*, etc. Sic feria tertia post Pascha : *Offerimus tibi... corpus et sanguinem Filii tui, quod ipse placatus* BENEDICENDUM *assumens*, etc. Sunt orationes *post pridie* in quibus nulla est invocatio, nulla occurrit mentio de benedictione aut sanctificatione elementis tribuenda, atque istæ, quæ paucæ non sunt, convincunt hanc orationem ad transmutationem panis et vini nihil prorsus conferre. Nam primi generis orationes, quibus invocatio quædam inest, ostendunt elementa, ante eam invocationem, fuisse transmutata, atque in corpus et sanguinem Domini conversa. At secundi generis orationes, quibus nulla inest invocatio, probant Gotho-Hispanos et Gallos pro certo habuisse elementa eucharistica, sine ulla invocatione, solis Christi verbis legitime et plene transsubstantiari. Quare frustra laborant qui Gallos et Gotho-Hispanos in recentem Græcorum errorem vel invitos trahere conantur. Siquidem eorum orationibus *post pridie* et *post secreta* non petunt a Deo elementorum transmutationem, sed rogant ut elementis consecratis sanctitas infundatur et gratia, quæ rite communicantibus prosit. Paucis effectus postulant sacramentales.

[a] *Et a mortuis* Tolle illud *et*, quod abundat.

[b] *Ovibus.* Forte, *agnis.* Cæterum hinc etiam probatur quod (*Pag.* 189) supra notavi, neophytos a fonte baptismatis in ecclesiam deductos circa altare constitui consuevisse, de quo ritu meminit sanctus Hilarius Pictaviensis, aut alius vetustissimus tractator (*Apud Martene et Durand., veter. script. Coll. ampliss. tom. IX, col.* 78), in tractatu die Paschalis ad Neophytos habito : *Solemnitas Paschæ est, et innovationis mysteriorum iste dies, in quo deponentes in baptismo veterem hominem, novi homines effecti, sanctum altare circumdant.*

[c] *Ad premium.* Hæc una est eorum orationum *post pridie* quibus non postulatur benedictio, aut sanctificatio pro donis consecratis, sed pro communicantibus beneficia directe flagitantur.

[d] *Timori.* Forte, *timore.*

[e] *Quando.* Quæ sequuntur *regulæ generales* (ut in Missali Toletano appellantur) in Missali Romano sancti Pii V *ordinarium missæ*, et in Missali Mozarabum *præparatio pro missa* et liber *omnium offerentium*, denominantur : ea autem complectuntur quæ in omnibus ferme missis aut agenda sunt, aut certe recitanda, et generales quasdam rubricas e libro officiali depromptas.

[f] *Quando præparatus sit sacerdos.* Præparatio ad missam celebrandam alia est remota, alia proxima : remota præparatio hic præsupponitur rite præmissa. De qua vid. em. Bona (*Rer. Liturg. lib.* II, *cap.* 1). Ad præparationem proximam pertinent rubricæ, quæ subnectuntur. 1° Igitur sacerdos manus lavat dicendo orationem *Largire sensibus nostris*, etc. 2° Antequam sacerdos vestes induit, flexis genibus orat. 3° Surgens

celebrandam : ingressus ad sacrarium [a] *lavet manus dicendo.*

Oremus. *Oratio.* [b] Largire sensibus nostris quesumus Domine omnipotens Pater : ut sicut exterius inquinamenta manuum abluuntur : sic per te mentium sordes misericorditer emundentur : et crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum. Per Christum Dominum nostrum.

Postea flectat genua coram vestibus : et dicat quatuor Ave Maria. *Et de intimo corde commendet se gloriose Virgini Marie : ut offerat illud* [d] *acceptabile mysterium Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto. Et ut ipsam in hoc sacrificio mediatricem et adjutricem habeat. Deinde muniat se signo crucis et super quamlibet vestem dicat.* In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

[e] *Ad amictum.*

Oratio. Pone Domine galeam salutis in capite meo : ad expugnandas et superandas omnes diabolicas fraudes : omniumque inimicorum meorum seviciam superandam. Per etc.

218 *Ad albam.*

Oratio. Indue me Domine vestimento salutis : ac tunica justicie : et indumento leticie circumda semper. Per Christum.

Ad cingulum.

Oratio. Precinge Domine cingulo fidei : et virtute castitatis lumbos mei corporis : et extingue in eis humorem libidinis : ut jugiter maneat in me tenor totius castitatis. Per Christum.

Ad manipulum.

Oratio. Merear queso Domine deportare manipulum justicie : et ferre cum patientia : ut illum cum exultatione deferendo cum tuis Sanctis portionem accipiam. Per Christum.

Ad stolam.

Oratio. Redde mihi Domine obsecro stolam immortalitatis : quam perdidi in prevaricatione primi parentis : et quia cum hoc ornamento quamvis indignus accedere ad tuum sanctum presumo mysterium : presta ut cum eodem letari merear in perpetuum. Per etc.

Ad casulam.

Oratio. Jugum tuum Domine suave est : et onus tuum leve : presta ut sic illud deportare valeam : ut consequi possim tuam gratiam. Per Christum.

Postea quam Sacerdos sit indutus dicat hoc.

℟. Pater peccavi in celum et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut unum de mercenariis tuis. ℣. Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus : ego autem hic fame pereo : surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei.

ab oratione signum crucis facit dicendo : *In nomine*, etc., vestesque sacras ordinatim induit, et ad singulas orationem propriam dicit. 4° Indutus vestibus sacris, preces quasdam et orationem *Deus qui de indignis*, etc., recitat. 5° Junctis *coram pectore* manibus ad altare procedit.

[a] *Lavet manus.* Vetustissimus Christianorum mos erat manus ante orationem lavare, ut *puras* ad Deum *levare* possent (*I Tim.* II, 8 ; *Tert. de Orat.*, *cap.* 2). Qua de causa ante ecclesias fontes erant lavandis manibus aquam ministrantes, ne quis illotis manibus in ecclesiam ingrederetur (*Euseb.*, *Hist. lib.* X, *cap.* 4; *S. Paulinus Nolanus*, *epist.* 32). Hinc sacerdoti missam celebraturo præscribitur lotio manuum : est autem hæc cæremonia ex se indifferens, ut animadvertit sanctus Chrysostomus (*Hom.* 73, *al.* 72, *in Joan.*), non tamen, munditiei causa, prætermittenda.

[b] *Largire.* Hæc oratio, ad manus lavandas, a sacerdote dicenda in missa Illyrici præscribitur. Eadem in Missali Toletano habetur.

[c] *Quatuor Ave Maria.* Rubrica Missalis Toletanæ præscribit ut *dicat quinquies Ave Maria.* Salutatio Angelica in liturgia sancti Jacobi? (*Bibl. Patr. Gr.-Lat. Paris.*, *tom. II*, *pag.* 16) dicitur post consecrationem et invocationem Spiritus sancti. In liturgia sancti Marci (*Renaud.*, *tom. I lit. Orient.*, *pag.* 149) dicitur ante consecrationem : *Ave, gratia plena ; Dominus tecum ; benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, qui peperisti Servatorem animarum nostrarum.* Cæterum eadem rubrica habetur in Missali Toletano anno 1550 Lugduni typis edito.

[d] *Acceptabile mysterium.* Corrige *acceptabilem ministrum.*

[e] *Ad amictum.* De amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula, sive planeta, vestibus sacerdotalibus vide em. Bonam (*De Reb. liturg.*, *lib.* I, *cap.* 24) erudite disserentem. Ad rem nostram adde concilium Cojacense, anno 1050, vigente adhuc liturgia Gotho-Hispana (*Cap.* 3), statuisse : *Vestes autem presbyteri in sacrificio* habeantur *amictus*, *alba*, *cingulum*, *stola*, *casula*, *manipulus.* Easdem vestes sacras recenset Amalarius Metensis (*De Eccl. Off. lib.* II, *cap.* 17 *seq.*), nisi quod (*Cap.* 24) pro manipulo sudarium dixit. Amalarius autem anno 836 exstinctus est. Amictum Gotho-Hispani aneboladium appellabant (*Vid. not. pag.* 174). Alba sancto Isidoro (*Orig. lib.* XIX, *cap.* 21) dicta est *tunica sacerdotalis linea, quæ vulgo camisia vocatur.* De cingulo sanctus Isidorus (*Orig. lib.* XIX, *cap* 34, *apud Em. de Aguirre*, *Concil. Hisp.*, *tom. III*, *pag.* 1.9). Exstat donatio Rudesindi episcopi facta anno 935 monasterio sancti Salvatoris Cellæ novæ in Gallæcia, qua, inter alia, recensent *cingulos auro-gemmatos duos, alios argenteos exauratos, ex quibus unum gemmatum, alios lineos decem.* Cingula autem gemmata proprie strophia dicebantur (*S. Isid.*, *Orig. lib.* XIX, *cap.* 33). De manipulo, stola et planeta fit mentio in Actis dedicationis ecclesiæ sanctæ Mariæ Rivipullensis, anno 884, apud de Marca, in appendice ad Marcam Hispanicam (*pag.* 817). De stola et alba meminit sanctus Germanus Parisiensis, aut alius sub ejus nomine vetus scriptor (*In epist. de communi officio*, *Thes. nov. Anecd. tom. V*, *col.* 98). Stola vero antiquioribus orarium dicebatur (*Conc. Bracar.* I, *can.* 27 ; *Bracar.* III, *can.* 3; *Toletanum* IV, *can.* 39). De casula, veste sacerdotali, fit mentio in testamento sancti Perpetui Turonensis, quod ipse anno 475 scripsit (*Spicil.*, *tom. V*, *p.* 106), et apud Paulum, diaconum Emeritensem (*De vitis Patrum Emeritensium*, *cap.* 5). Eadem *planeta* dicebatur (*S. Isid.*, *lib.* XIX *Orig.*, *cap.* 24), et apud Gallos *amphibalum.* Sanctus Germanus, in laudata epistola de communi officio : *Casula, quam amphibalum vocant*, et sanctus Remigius Rhemensis *amphibalum album paschalem* testamento legavit (*Test. S. Remigii*, *apud Labbeum*, *Bibl. t. I*, *pag.* 806). Porro orationes istæ, quæ hic dicendæ apponuntur dum sacerdos vestimenta sacra induit, eædem leguntur in vetustis Codicibus sancti Gatiani Turonensis, Sacramentarii Moysacensis octingentorum annorum, apud Martenium (*De antiq. Eccl. Ritib. tom. I*, *lib.* I, *cap.* 4, *art.* 12, *col.* 534, 537). Orationes siquidem ad amictum, ad albam, ad cingulum eædem sunt in Sacramentario sancti Gatiani Turonensis, et ferme eædem in Moysacenci. Ad manipulum, ad stolam et casulam, eædem in Moysacensi leguntur.

P. Fac me. Kyrieleyson. Christeleyson. Kyrieleyson. A Pater noster. ℣. Ab occultis meis munda me Domine : ℟. Et ab alienis parce servo tuo. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor.

Oremus. *Oratio.* [a] Deus qui de indignis dignos : de peccatoribus justos : et de immundis facis mundos : munda cor meum et corpus meum ab omni sorde et cogitatione peccati : et fac me dignum atque strenuum sanctis altaribus tuis ministrum : et presta ut in hoc altari ad quod indignus accedere presumo : acceptabiles tibi hostias offeram pro peccatis et offensionibus : et innumeris quotidianis meis excessibus : et pro peccatis omnium viventium : et defunctorum fidelium : et eorum qui se meis commendaverunt orationibus : et per eum tibi meum B sit acceptabile votum : qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit in sacrificium : qui est omnium opifex et solus sine peccati macula Pontifex. Jesus Christus filius tuus Dominus noster. Qui tecum vivit etc. [b] *Et statim manibus junctis coram pectoribus humiliter exeat : et eat ad altare : et faciat confessionem* [c] *dicendo prius.* Ave Maria. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Sancti Spiritus adsit nobis gratia. ℣. Introibo ad altare Dei. ℟. Ad Deum qui letificat juventutem meam. *P.* Judica me Deus. *totum. cum* Gloria Patri. *Et iterum dicat.* Et introibo ad altare Dei. ℣. Dignare Domine die isto. ℟. Sine peccato nos custodire. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus. ℟. Quoniam in seculum misericordia ejus. ℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix. ℟. Ut C digni efficiamur etc.

[d] *Confessio.* Confiteor omnipotenti Deo et [e] beate Marie Virgini : et Sanctis Apostolis Petro et Paulo et omnibus Sanctis : et vobis fratres manifesto me graviter peccasse [f] per superbiam : in lege Dei mei : cogitatione : locutione : opere et omissione : mea culpa : mea culpa : gravissima mea culpa. Ideo precor beatissimam Virginem Mariam : et omnes Sanctos et Sanctas : et vos fratres orare pro me.

Absolutio. Misereatur vestri omnipotens Deus : et dimissis omnibus peccatis vestris : perducat vos ad vitam eternam. Amen.

Absolutio ad populum. Indulgentiam absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum cum emendatione morum et vite : per gratiam Sancti Spiritus tribuat vobis misericors Dominus. Amen. ℣. Deus tu conversus vivificabis nos. ℟. Et plebs tua letabitur in te : ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Sacerdotes tui induantur justiciam. ℟. Et Sancti tui exultent. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et.

Oremus. *Oratio.* [g] Aufer a nobis quesumus Domine : cunctas iniquitates nostras : et spiritum superbie et elationis cui resistis : et reple nos spiritu timoris : et da nobis cor contritum et humiliatum : quod non spernis : ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Dominum nostrum **219** Jesum Christum filium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus : per omnia secula seculorum. Amen.

Et statim accedat ad altare : et faciat crucem super aram dicendo. In nomine Pa ✠ tris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Et osculetur aram : et osculando eam dicat Ant. [h] Salve crux preciosa que in corpore Christi dedicata

[a] *Deus qui de indignis.* Hæc oratio in Sacramentario sancti Gatiani Turonensis inter alias apologias exstat. Ejusmodi apologiæ plures leguntur in Sacramentario Gregoriano Menardi, quæ vetustis Missalibus libris *orationes ante missam* nonnunquam inscribuntur. Dicuntur apologiæ sacerdotis, quia illis sacerdos excusat sese, quod indignus cum sit audeat ad sacra mysteria celebranda accedere. Ad calcem Missalis Toletani adjecerunt *ordinem celebrandi missam*, in quo arbitrio sacerdotis relinquunt ut, *si voluerit*, orationem *Deus qui de indignis*, etc., dicat antequam vestes sacerdotales induat ; at juxta rubricam Missalis nostri hæc oratio dicenda est a sacerdote postquam vestes sacras induit ; deinde, quod singulare est, orationi præmittuntur antiphona, Kyrie et oratio Dominica, quibus, tanquam collecta, subjicitur *Deus qui de indignis.* Cæterum hæc distinguenda est ab alia apologia quam facit sacerdos statim ante orationem *missam.*

[b] *Et statim.* Eadem rubrica legitur in Missali Toletano, ubi notandum sacerdotem calicem ad altare non deferre, ut modo plerumque fit, cum missa privata celebranda est.

[c] *Dicendo prius.* Eadem in Missali Toletano leguntur, cæterum vetustam esse consuetudinem recitandi psalmum *Judica me Deus* cum versiculo *Introibo*, probat P. Le Brun (*Explic. missæ t. 1, part.* 1, *art.* 5, *n.* 4, *pag.* 111). De hac consuetudine Pontificale Prudentii Trecensis, apud Martenium (*De antiq. Eccl. Ritib. tom. I, col.* 530), habet : *Hac dicta, sacerdos osculatur altare, dicat : Introibo ad altare Dei,* etc. *Psal. Judica me, Deus. Orat. Aufer a nobis,* etc. De eadem in missa Illyrici, apud Martenium (*Ibid., col.* 495) et apud Micrologum (*Cap.* 23).

[d] *Confessio.* Confessionis formulæ plures et variæ in vetustis Missalibus libris inveniuntur. Hæc, paucis mutatis, in Missali Toletano (*Fol.* 114, *col.* 2) legitur. Adverte quod omnibus præcipuis diebus festivis, sacerdos, antequam faciat confessionem, dicit : *Per gloriam nominis tui, Christe fili Dei vivi, et per intercessionem sanctæ Mariæ virginis, et beati Jacobi et omnium sanctorum tuorum, auxiliare et miserere indignis servis tuis, et esto in medio nostri Deus noster, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum* ; et respondetur *Deo gratias.*

D [e] *Beate Marie Virgini.* In formula Toletana legitur *semper virgini.*

[f] *Per superbiam.* In Toletana paulo aliter : *Et manifesto omnia peccata mea, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opere et omissione; mea culpa,* etc.

[g] *Aufer.* Hæc oratio longe prolixior est illa quæ in Missali Toletano legitur. Sacerdos accedit deinde ad altare et 1° facit crucem super aram, eamque osculatur, dicendo *Salve crux*, etc.; additque aliquam ex subsequentibus orationibus, *Exaudi*, etc., *Per virtutem*, etc. 2° Extendit corporalia, et orat. 3° Mundat calicem et patenam, et orat. 4° Vinum aqua miscet in calice, et hostiam in patena collocat; imponitque calici, eamque filiola tegit, ac demum calicem et patenam in media ara collocat, et velo tegit.

[h] *Salve crux.* Osculando aram sacerdos dicit *Salve crux*, etc. Consuetudo vetusta erat crucem in ara aut collocare, aut suspendere, quam sacerdotes Gotho-

es : et ex membris ejus tanquam margaritis ornata : salva presentem catervam in tuis laudibus jugiter congregatam. ℣. Adoramus te Christe et benedicimus tibi. ℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus. *Oratio.* Exaudi nos Deus salutaris noster : et per triumphum sancte crucis : a cunctis nos defende periculis. Per Christum.

Oratio. Per virtutem sancte Crucis : et per intercessionem beate Marie Virginis : et beati Petri Apostolorum Principis : et omnium Sanctorum : absolve quesumus Domine nostrorum vincula delictorum : et quicquid pro eis meremur : propiciatus averte : et ad beneficia recolenda quibus nos instaurare dignatus es : tribue venire gaudentes. Per Christum.

Alia. Conscientias nostras.

Alia Oratio. Adsit nobis Domine.

[a] *Ad extendendum corporalia dicat Sacerdos.* In tuo conspectu quesumus Domine hec nostra munera tibi placita sint : ut nos tibi placere valeamus : attollite portas principes vestras : et elevamini porte eternales : et introibit Rex glorie. Quis est iste Rex glorie? Dominus fortis et potens in prelio : Dominus virtutum ip e est Rex glorie.

[b] *Mundando calicem dicat.* Dignare Domine mundare [c] vas istud : in quo sumere preciosum [d] sanctum corpus tuum valeam. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum.

Quando ponit vinum. Misce quesumus Domine in calice isto quod manavit ex latere tuo : ut fiat in remissionem peccatorum nostrorum. Amen.

Benedictio aque. Jube Domne benedicere

Dicat minister. Ab illo benedicatur : cujus Spiritus super aquas ferebatur. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen

Oratio. [e] Ex latere Domini nostri Jesu Christi sanguis et aqua exiisse perhibentur : [f] hec ideo nos pariter commiscemus : ut misericors Deus utrumque ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Quando ponit hostiam in patena dicat. Benedictio Dei Pa ✠ tris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti : descendat super hanc hostiam tibi Deo Patri offerendam. Amen.

A *Ante Evangelium dicat Sacerdos. Oratio.* Conforta me Rex Sanctorum summum tenens principatum : da sermonem rectum et bene sonantem in os meum : ut placeam tibi et omnibus circumstantibus.

Inclinet se in medium altaris : et dicat. Jube Domne benedicere. Dominus sit in corde meo et in ore meo et in labiis meis : ad pronunciandum sanctum Evangelium divinum.

Diachonus vero dicat. Munda cor meum corpusque ac labia mea : omnipotens et misericors Deus : qui labie Esaye prophete calculo mundasti ignito. Ita et me tua gratissima miseratione mundare digneris : ut sanctum Evangelium valeam nunciare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

B *Quando petit benedictionem a Sacerdote.* Jube domine benedicere.

Dicat Sacerdos. [g] Corroboret Dominus sensum tuum ac labia tua : ut recte pronuncies nobis eloquia sancta sua.

Quando osculatur Evangelium. Dicat Presb. Ave Verbum divinum : reformatio virtutum : restitutio sanitatum.

Ad hostiam offerendam. Oratio. Acceptabilis sit majestati tue omnipotens Deus : hec nostra oblatio : quam tibi offerimus : pro reatibus et facinoribus nostris : et pro stabilitate sancte Catholice et Apostolice Ecclesie. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

C *Ad offerendum Calicem. Oratio.* Offerimus tibi Domine : Jesu Christi filii tui calicem : humiliter implorantes clementiam tuam : ut ante conspectum Divine majestatis tue : cum odore suavitatis ascendat. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad ponendam filiolam. Oratio. Hanc **220** oblationem quesumus omnipotens Deus placatus accipe : et omnium offerentium : et eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge. Per Christum.

Inclinet se junctis manibus et dicat hanc orationem. Domine Deus omnipotens Pater : bene ✠ dic et sanctifica hoc sacrificium laudis : quod tibi oblatum est ad honorem et gloriam nominis tui : et parce peccatis populi tui : et exaudi orationem meam : et dimitte mihi omnia peccata mea. Per Christum Dominum D nostrum. Amen.

Hispani, ad aram accedentes, salutare solebant. De cruce in ara collocata Sozomenus (*Hist. Eccl. lib.* II, *cap.* 3). Sanctus Gregorius Turonensis (*De Mir. S. Juliani, cap.* 43) scribit : Pendebat *autem super ipsum altare crux holochrysa*, etc.

[a] *Ad extendendum corporalia.* Vide notam fol. 119. Corporalia nec initio missæ, neque a sacerdote olim extendebantur, sed, lecto Evangelio, iisque qui sacrificio interesse non debebant dimissis, a diacono mensa Domini sternebatur. Oratio *Sub tuo conspectu*, etc., ex duabus orationibus compacta videtur, quarum prima fortasse dicebatur cum diaconi palla tegerent oblata, in altari composita ; altera, *Attollite portas*, tum dicebatur cum iidem, ante orationem *post nomina*, pallium attollerent quo munera operiebantur.

[b] *Mundando calicem.* Adde *et patenam*, sive discum.

[c] *Vas istud.* Lege *vasa ista*, calicem scilicet et discum.

[d] *Sanctum.* Lege *sanguinem et corpus tuum valeam*, etc.

[e] *Ex late e.* Hæc oratio exstat in sacramentario Moysacensi, apud Martenium (*De ant. Eccl. Rit.*, *tom.* I, *col.* 540), ubi *ad mistum* inscribitur.

[f] *Hec ideo.* Scilicet vinum et aquam *commiscemus*. In Moysacensi Codice apud Martenium citatum illud *hæc* deficit.

[g] *Corroboret.* Eadem *benedictio ad Evangelium* legitur in Codice Moysacensi (*Marten.*, *ibid.*, *col.* 539).

ᵃ *Benedictio incensi.* Jube Domine benedicere. Ab A
illo benedicatur : in cujus honore cremabitur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Amen.

Incensando dicat Sacerdos. Oratio. Placare Domine per hoc incensum mihi et populo tuo : parcens peccatis nostris : et quiescat ira et furor tuus : presta propicius : ut bonus odor simus tibi in vitam eternam. Amen.

Ad offertorium populi dicat Sacerdos offerenti. Centuplum accipias : et vitam eternam possideas in regno Dei. Amen.

Benedictio panis. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit. ℟. Sit nomen Domini. ℟. Ex hoc.


Oratio Bene ✠ dic Domine creaturam istam panis : B
sicut benedixisti quinque panes in deserto : ut omnes gustantes ex eo recipiant sanitatem tam anime quam corporis. Per Christum. Bene ✠ dictio Dei Patris omnipotentis : et Filii : et Spiritus Sancti : descendat super hunc panem : et super omnes ex eo comedentes.

Ad lavandum manus. Lavabo inter innocentes manus meas : circumdabo altare tuum Domine : ut audiam vocem laudis tue : et enarrem universa mirabilia tua. Ne perdas cum impiis Deus animam meam : et cum viris sanguinum vitam meam.

In fine Misse dicitur Antifona in laudem gloriose Virginis Marie. Ant. Salve regina misericordie. Vita dulcedo et spes nostra salve. Ad te clamamus exules filii Eve. Ad te suspiramus gementes et flentes in C
hac lachrymarum valle. Eya ergo advocata nostra : illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens. O pia. O dulcis Virgo semper Maria. ℣. Post partum.

ᵇ OMNIUM OFFERENTIUM.

Dicat Presb. ante Altare antequam faciat confessionem in omnibus Festis precipuis.




Ad Missam ᶜ *Officium.*

Hec dicit Dominus : ego tuli te et fui tecum : alleluja. Et interfeci omnes inimicos tuos alleluja. Fecique tibi nomen grande : alleluja : alleluja. ℣. Beatus vir qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. *P.* Feci. ℣. Gloria et honor.

ᵃ *Benedictio incensi.* Usus thuris in Ecclesia Dei vetustissimus est, et a Malachia propheta (*Cap.* I, 2, *juxta LXX*) prædictus : Ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσφέρεται τῷ ὀνόματί μου καὶ θυσία καθαρά, ut sanctus Justinus in dialogo cum Tryphone legit : *In omni loco thymiama offertur nomini meo et sacrificium mundum.* Hinc in omnibus Orientalium liturgiis thus et thuribulum tam frequenter recurrunt, templum enim et altare, dona sacra, Evangelium, sacras imagines, sacerdotes, presbyteros, clerum et populum, mortuorumque fidelium cadavera thurificare solent. Præter liturgias, vide sanctum Basilium (*Hom. de S.* D
Gordio martyre), sanctum Ephrem (*In Testamento suo*), Dionysium Areopagitam, sive alium auctorem (*De ecclesiastica Hierarchia*, *cap.* 3), canones apostolorum (*Can.* 3), etc. In occidente Thus in funeribus adhibebatur (*Tert.*, *Apol. cap.* 40). Thuribulum sacerdotem præcedebat cum ecclesiam sacrificaturus adiret. Ordo Romanus primus Hittorpii, de processione pontificis e secretario ad aram describens : *Tunc ministri, cum thymiamaterio et thuribulis, non amplius ternis, procedunt ante ipsum pontificem, mittentes incensum.* Paulus diaconus Emeritensis (*De Vitis Patr. Emeritens.*, *cap.* 6), de Fidele episcopo Emeritensi agens : *Moxque ille consurgens, diaconibus ex more thuribula gerentibus, et ante eum præcedentibus, cum universis qui aderant, ad ecclesiam perrexit, quatenus, Deo adjuvante, missarum solemnia celebrarent*, etc. Thus quoque præcedebat Evangelium ab altare ad ambonem procedens, et ab ambone ad altare rediens (*Ord. Rom. citatus, et Micrologus, cap.* 9). In quibusdam Ecclesiis altare thurificabant, et oblata. Testis est sanctus Ambrosius, in Lucam (*Lib.* I, cap. 1) : *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus. Imo præbeat se videndum ; non enim dubites assistere angelum quando Christus assistit, quando Christus immolatur.* Porro quotiescunque incensum thuribulo imponeret, sacerdos illud prius benedicebat. Harum benedictionum formulæ plures apud Martenium leguntur (*De ant. Eccl. Ritib. tom. I, l.* II, *cap.* 4, *art.* 12), inter quas (*Pag.* 532) est hæc in Pontificali Prudentii Trecensis episcopi : *Hoc incensum ad omnem putorem nocivum exstinguendum Dominus benedicat, et in odorem suavitatis suæ accendat.*

ᵇ *Omnium offerentium.* Apud Mozarabes *liber omnium offerentium* inscribitur Missale minus, orationes quasdam et alia nonnulla continens, quæ communiter ab omnibus sacerdotibus missæ sacrificium offerentibus dici solent ; et hinc fortasse denominationem sortitus est. Liber hic, dum Evangelium legitur, in altari a cornu Epistolæ ponitur, atque, ut opinatur Pisa, *omnium offerentium* dictus est ab illis vocibus quæ in oblatione calicis dicuntur : *Et omnium offerentium peccata indulge.*

ᶜ *Officium.* Regum II, VII, 9. ℣. Psal. CXI, 1. De officio ad missam vide quæ notavi pag. 64, et animadverte quod missa sancti Jacobi hoc loco ponitur tanquam exemplum missæ Mozarabicæ.



221 *Et prosequatur a choro usque in fin. per totum annum preter in adventu Domini in Quadrag. et in diebus feriis.*

In excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bone voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex celestis: Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus agnus Dei Filius Patris. Qui tollis peccata mundi: miserere nobis. Qui tollis B peccata mundi: suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris: miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus altissimus Jesu Christe. Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Dicat iterum. Per omnia semper secula etc.

Oratio. Christe cujus virtus atque potentia tantum in Apostolo tuo Jacobo emicuit: ut in nomine tuo [b] emissis se demoniorum catervis: potentialiter meruerit imperare: tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende: virtute Spiritus exuperando adversa: ut illius doctrine opere compleat: cujus hodie exempla pie passionis honorat. ℟. Amen.

In Adventu Domini.

Oratio. Deus qui per Angelicos choros adventum C filii tui Domini nostri Jesu Christi annunciare voluisti: qui per Angelorum preconia gloriam in excelsis Deo et in terra pacem hominibus bone voluntatis adclamantibus demonstrasti: concede ut in hujus Dominice Resurrectionis festivitate: pax terris reddita convalescat: et fraterne dilectionis charitate innovata permaneat. ℟. Amen.

In solemnitatibus et in Dominicis quando festivitates Martyrum celebrantur.

A *Oratio.* Gloria nostra Deus.

Quere in festo Sancti Clementis fol. XX.

In Sancte Marie et in Circumcisione.

Oratio. Tibi semper Domine gloriam omnipotens Jesu Christe: cujus in celo et in terra laudes: confessio permanet: dum tibi gloria in excelsis decantatur: et in terra pax hominibus nunciatur. Bonam quesumus voluntatem nobis famulis tuis et populis supplicantibus tribue: ut ab omnibus nos mundes peccatis: et pacem tuam perpetuam nobis propicius et omni populo largiaris. ℟. Amen.

De Natale Domini.

Oratio. Hodie nobis thesaurus natus est: hodie nobis [c] lux ex utero virginis: quam spiritus igniyit verum lumen apparuit. Hodie cecorum medicus lumen natus est. Hodie paraliticorum sanitas. Hodie debilium firmamentum: infirmantium virtus. Hodie resurrectio vivorum Salvator advenit. Hodie nobis inter noctem nubes ignita lucis apparuit. Hodie Salvator noster advenit: quem prophete ante promiserant: ex Maria Virgine nascitur. Hodie nobis in presepio positus [d] perpetue Christianis ostenditur Christus: qui dixit: ego sum panis verus Dei qui de celo descendi. Siquis autem de pane isto manducaverit: non esuriet in eternum. ℟. Amen.

In solemnitatibus et in Dominicis quando festivitates Martyrum celebrantur.

Oratio. Laudamus te Domine cum Angelis: benedicimus te cum virtutibus sanctis. Glorificamus cum potestatibus supernis. Et qui te opifice martyres nos subsistere non desinimus: recte honore tui nominis per officium creature creatrici tue potentie non negamus: pro qua re tibi nos facito bone voluntatis tue placere servicium. Et vel in celis cum Angelis: et vel in terris cum hominibus pacifice aglutinari in tua glorificatione adscensum. ℟. Amen.

In Illaria Pasche post gloria in excelsis.

Oratio. Tibi gloriam concinimus Domine Deus noster: tuamque potentiam postulamus: ut sicut pro

[a] *Per omnia.* Postquam finis canendo officio ad missam factus est, sacerdos in medio altaris canit *Per omnia semper sæcula sæculorum*, et statim pariter canendo subdit *Gloria*, reliqua vero prosequitur chorus. Hanc acclamationem liturgicam *Per omnia*, etc., antiquissimam esse, ex sancto Irenæo (*Advers. Hær. lib.* I, *cap.* 3) constat. In missa Romana præmittitur D præfationi. Adverte discrimen inter Romanum et Gotho-Hispanum hymnum, hi enim *per omnia* SEMPER *sæcula sæculorum* canunt. Origo hymni *Gloria in excelsis* (qui *hymnus Angelicus*, et a Græcis *Doxologia magna* denominatur) e cœlo est; angeli enim primam ejus partem in Nativitate Domini cantarunt, reliqua, inquiunt Patres Conc. Tol. IV (*Can.* 12), ecclesiastici doctores adjecerunt. Plerumque sancto Hilario Pictaviensi tribuuntur, at an ipse composuerit, an e græco in Latinum transtulerit, non est adeo certum. Consuetudine vetusta in Hispania canebatur hymnus Angelicus, ut concilium Toletanum IV (*Can.* 12) aperte innuit, canebatur autem *non solum Dominicis diebus, sed quibuscunque festivitatibus*, ut Etherius et Beatus (*L.* I, *advers. Elip.*) scribunt; quare recentioris instituti apud Mozarabes est, quod tempore Adventus et Quadragesimæ, diebus Dominicis hymnus Angelicus omittatur. Hymnus Angelicus canebatur pariter in Gallia, ut ex Sacramentario Bobiano (*Pag.* 281, 282) constat, ubi integer legitur, et adduntur binæ orationes, quarum una, de more, post hymnum recitabatur. Absoluto hymno, sacerdos iterum dicit *Per omnia semper sæcula sæculorum*, et Diaconus olim clamabat *Oremus*, et tum sacerdos orationem fundebat; modo autem, silente diacono, sacerdos, omissa solemni admonitione *Oremus*, orationem dicit, quæ omnibus diebus Dominicis Adventus eadem est, *Deus, qui per angelicos choros*; Dominicis post octavam Epiphaniæ ad Quadragesimam usque, *Te excelsa laus in altissimis decet*; Dominicis Quadragesimæ, *Audiant simul te, Domine, omnes gentes*; ex Dominicis a Paschate ad Pentecosten, *Tibi gloriam concinimus*; a Pentecoste ad Adventum, *Tibi gloriam concinimus*. In missis sanctorum, et in festivitatibus Domini aut beatæ Virginis, hæc oratio frequenter peculiaris est ejus diei, alludens ad festum quod celebrant.

[b] *Emissis se.* Lege *missis ad se.* Confer Pseudo-Abdiam (*Hist. apost. lib.* IV).

[c] *Lux ex utero.* Lege ut pag. 37. In missa Nativitatis legitur: *Hodie nobis lucerna Virginis.*

[d] *Perpetue.* Lege ut pag. 37. In missa Nativ. legitur: *Hodie nobis in præsepio positus perpetuus panis lucis ostenditur.*

nobis peccatoribus dignatus es mori : et [a] clarifica A tus secundo post tertium diem apparuisti in gloria Resurrectionis : ita per te absoluti in te mereamur habere perpetuum gaudium : ita ut nobis processit vere Resurrectionis exemplum. ℟. Amen.


222 *Dicat Presb. in medium altaris.* [b] Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℣. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lectio libri Sapientie Salomonis ([c] *Cap. IIII*).


℟. Deo gratias.


Justus si morte preoccupatus fuerit : anima ejus in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est : non diuturna neque annorum numero computata. Cani sunt autem sensus hominis : et etas senectutis : vita B immaculata. Placens Deo factus dilectus : et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est : ne malicia mutaret intellectum ejus : aut [d] afflictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona : et instantia concupiscentie transvertit sensum [e] sicut malicia : consummatus in brevi explevit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius : propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes : et non intelligentes : nec ponentes in precordiis suis talia. Quoniam misericordia Dei et gratia in sancto illius : et respectus in electo ipsius. ℟. Amen.

Iterum dicat. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.



Angelus Domini similiter descendit cum Anania et sociis ejus in fornacem. Et excussit flammam ignis de fornace : et fecit medium fornacis : tanquam spiritus roris flantem. Et non tetigit eos omnino ignis : nec contristavit : nec quicquam moleste eis intulit. Tunc illi tres quasi ex uno ore laudabant : et magnificabant : et benedicebant Dominum de fornace dicentes. Domine Deus patrum nostrorum et laudabilis es et superexaltatus in secula. Amen.





dicite Anania. Azaria. Misael Dominum. Hymnus. Quia eripuit nos Deus ab inferis : et de manu mortis salvavit nos : et eripuit nos de medio camino ardentis : flamen in medio ignis eduxit nos.

Dicat Presb. Confitemini Domino quoniam bonus quoniam in seculum misericordia ejus. ℟. Amen. ℣. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et. *Tunc cantent.* [g] *Psallendo.* Posuisti Domine super caput ejus : coronam de lapide pretioso. ℣. Super salutare tuum Domine exultabit vehementer : desiderium anime ejus tribuisti ei : et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *P.* Coronam.

Dicat diaconus. Silentium facite. *Hic* **223** *ponat vinum in calice dum dicitur epistola.*

C *Lectio Actuum Apostolorum* ([h] *Cap. XI*).

Deo gratias.

In illis autem diebus : supervenerunt ab Hierosolymis prophete Antiochiam. Et surgens unus ex eis nomine Agabus : significabat per spiritum famem futuram magnam in universo orbe terrarum : que facta est sub Claudio. Discipuli autem prout quisque habebat : proposuerunt singuli in [i] monasterium mittere habitantibus in Judea fratribus. Quod et fecerunt : mittentes ad seniores per manus Barnabe et Sauli. Eodem autem tempore : misit Herodes Rex manus : ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Johannis gladio. Videns autem quia placeret Judeis : apposuit apprehendere et Petrum. Erant autem dies azimorum. Quem cum

D

[a] *Clarificatus.* Ita etiam pag. 104 legitur; fortasse tamen legendum *crucifixus*; nam Christus Dominus die Jovis captus est, die Veneris, secundo passionis, crucifixus, et post Sabbatum, id est, post tertium ab inita passione diem, resurrexit.

[b] *Per misericordiam.* Absoluta oratione post hymnum Angelicum, sacerdos dicit *per misericordiam*, ac tum populum salutat dicendo *Dominus sit semper vobiscum*, et ab omnibus olim, modo a choro aut a ministro, respondetur *Et cum spiritu tuo.* Mos idem salutandi et respondendi in Gallia vigebat, ut auctor est sanctus Germanus in Explicatione missæ Gallicanæ : *Sacerdos benedicit plebem dicens* DOMINUS SIT SEMPER VOBISCUM, *et ab omnibus benedicitur* ET CUM SPIRITU TUO. Concilium Bracarense I (*Cap.* 3) statuerat ut episcopi et presbyteri populum eodem modo salutarent dicentes *Dominus sit vobiscum.* Sed fatendum est aut vocem *semper* in hoc decreto olim lectam fuisse, aut decretum contrario usu fuisse abrogatum.

[c] *Cap. IIII.* Vers. 7 - 15. Eadem prophetia quæ in festo sancti Clementis legitur. De Scripturarum lectione et de prophetia vide notam pag. 69.

[d] *Afflictio.* Vulg., *aut ne fictio.*

[e] *Sicut malitia.* Vulg., *sine malitia.*

[f] *Hymnus.* De hymno trium puerorum et subsequente, *Confitemini* vide notam pag. 93; et adverte hymnum integrum hic non exstare, sed ea tantum quæ ad rite canendum hymnum necessaria videbantur, adjectis notis musices, apponi.

[g] *Psallendo.* Ps. XX, 4. ℣. Ibid. 2, 3. Vide notam pag. 72.

[h] *Cap. XI.* Vers. 27; XII, 1 - 5.

[i] *In monasterium.* Lege cum Vulgata *in ministerium.* De epistola vide notam pag. 77.

apprehendisset : misit eum in carcerem : tradens A quatuor quaternionibus militum ad custodiendum : volens post pascha producere eum populo. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum ([a] *Cap. X*).

In illis diebus. Assumens iterum Jesus duodecim : cepit illis dicere : que essent ei ventura. Quia ecce ascendimus Hierosolymam : et filius hominis tradetur in manus principibus Sacerdotum et scribis et senioribus. Et condemnabunt eum morte : et tradent eum gentibus : et illudent ei. Et conspuent eum : et flagellabunt eum : et interficient eum : et tertia die resurget. Et accedunt ad eum Jacobus et Johannes filii Zebedei dicentes. Magister volumus : ut quodcumque petierimus : facias nobis. At ille dixit B eis : quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt. Da nobis ut unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram : sedeamus in gloria tua. Jesus autem dixit eis. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Aut baptismo quo ego baptizor baptizari? At illi dixerunt. Possumus. Calicem quem ego bibo bibetis : et baptismo quo ego baptizor baptizabimini. Sedere autem ad dextram meam vel sinistram : non est meum dare vobis : sed quibus paratum est. Et audientes decem : indignati sunt de Jacobo et Johanne. Jesus autem vocans eos : ait illis. Scitis quia hi qui videntur principari gentibus : dominantur eis : et principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est in vobis. Quicumque voluerit fieri major erit C minor : et quicumque voluerit in vobis primus esse erit omnium servus. Nam et filius hominis non venit ut ministraretur ei : sed ut ministraret : et daret animam suam redemptionem pro multis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Tunc offerat Sacerdos hostiam*.

[c] *Lauda*. Alleluja. ℣. Ecce servus meus suscipiam eum : electus meus complacuit sibi in illo anima mea.

Postea dicat.



Sacrificium. Fulgebit justus sicut splendor firmamenti : et sicut stelle celi dantes claritatem lucis : ita et justus splendebit. ℣. In perpetua eternitate.

Et dum cantatur sacrificium : offerat hostiam in calicem cum orationibus que sequuntur.

Oratio. Acceptabilis sit majestati tue omnipotens eterne Deus hec oblatio : quam tibi offerimus pro reatibus et facinoribus nostris : et pro stabilitate sancte Catholice et Apostolice fidei cultoribus. Per Christum etc. In nomine Pa ✠ tris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Dimittendo patenam super corporales. Deinde accipiat calicem sanctificando sic. In nomine Pa ✠ tris et Filii et Spiritus Sancti Amen.

Oratio. Offerimus tibi Domine calicem : ad benedictionem sanguinem Christi Filii tui : deprecamur quesumus clementiam tuam : ut ante conspectum divine Majestatis tue cum odore suavitatis ascendat. Per eundem.

Ponat calicem super aram et accipiat filiolam sine sanctificatione et ponat super calicem dicendo. Oratio. Hanc oblationem quesumus Domine placatus admitte : et omnium offerentium eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge. Per Christum.


[a] *Cap. X*. Vers. 32 - 46. De Evangelio vide notam pag. 78, et adde quod sacerdos, missam privatam celebrans, antequam Evangelium legat, dicit orationem *Conforta me, Rex sanctorum*, etc. Tum inclinatus, in medio altaris, dicit *Jube, Domne*, etc. (*Pag*. 219).

[b] *Tunc offerat*. Occurrunt hic oppositæ rubricæ; nam hæc rubrica præscribit ut, salutato populo, *tunc offerat sacerdos hostiam*, et deinde signatur *lauda* dicenda ; at pag. 2 alia rubrica habet : *interim dum chorus dicit* ALLELUIA, *offert sacerdos hostiam cum calice cum orationibus quæ sequuntur*. Demum, infra, rubrica præscribit : *Et dum cantatur sacrificium, offerat hostiam in calicem* [lege *et calicem*] *cum orationibus quæ sequuntur*. Ad hunc nodum dissolvendum ritus an- D tiquus Gotho-Hispanus a recentiori Mozarabico ritu distinguendus est, et rursus ritus Mozarabicus missæ privatæ distinguendus est a ritu missæ solemnis. Igitur ritu antiquo dum canebatur sacrificium, populus et clerus sua munera offerebat, panem scilicet et vinum, et munera altari inferebantur (*Vide notam pag*. 119). Ritu vero Mozarabico cum missa solemnis celebratur, sacerdos offert hostiam et calicem, orationesque consuetas dicit, et interim chorus canit *laudam*; at quando missa privata celebratur, sacerdos primum dicit *laudam*, deinde offert hostiam et calicem ; cum autem offert hostiam, dicit *acceptabilis sit Majestati tuæ*, etc (*Pag*. 219). Oratio legitur in Codice Narbonensi, et in Moysacensi, sed recentiori manu, ante sexcentos annos exarata (*Marten*., *de ant. Eccl. Rit*., *t. I*, *col*. 540), et quando calicem offert, dicit *Offerimus tibi*, *Domine*, etc. (*Pag*. 219), quæ habetur in citato Sacramentario Narbonensi et in Moysacensi, in quo tamen per oscitantiam amanuensis irrepsit Christi Filii tui *sanguinem*, cum tam in nostro quam in Narbonensi legatur Christi Filii tui *calicem*. Calicem deinde in aram deponit, eumque *filiola*, hoc est palla, quam Hispani *bijuela* dicunt, tegit, additque orationem *Hanc oblationem*, etc., quæ in Moysacensi Sacramentario, ante annos octingentos exarato, legitur sub hoc titulo : *quando panem et vinum super altare ponit*, apud Martenium (*Ibid*., *col*. 539) ; et animadvertendum ibidem legi *et omnium offerentium*, ET *eorum pro quibus offertur peccata indulge*, ut in Missali nostro, pag. 220, legitur ; at pag. 3, et rursus pag. 223, illud ET Missali nostro excidisse. Demum inclinando se in medio altaris dicit *In* D *Spiritu humilitatis* et reliqua, quæ pag. 2 integra leguntur, additurque *Veni sancte Spiritus sanctificator*, etc. (*Ibid*.), quod teste Micrologo (*Cap*. 2), juxta ordinem Gallicanum recitatur ; cæterum pag. 220, dicit : *Domine Deus omnipotens*, etc. De oratione *Veni Spiritus sancte sanctificator* silet.


[c] *Lauda*. Isaiæ XLII, 1. Ex decreto concilii IV Toletani (*Can*. 12) lauda non canitur ante Evangelium ; sed nunquam post Evangelium omittitur. Constat ex *Alleluia* et versiculo, qui ut plurimum e psalmis desumitur, et deinde repetitur *alleluia*. Hinc sanctus Isidorus (*Off. lib*. I, *c*. 13) laudas idem esse dixit ac alleluia ; attamen tempore Quadragesimæ sine alleluia canitur lauda.

[d] *Deo gratias*. Illud *Deo Gratias* ad laudem non spectat, sed suo loco motum hic casu positum est. Adjiciuntur notæ musices, ut sciant quomodo canendum, si quando opus fuerit.

Hic dicat. In spiritu humilitatis. [a] *Postea offerat populus : posito incenso dicat Presb.*



Adju-vate me fratres in o-ra-ti-o-ni-bus vestris



et ora-te pro me ad Deum.

224 [b] *Hic accipiat aquam in manibus : et dicat silentio super oblationem cum tribus digitis.* In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti regnas Deus in secula seculorum.

℟. Amen.

Inclinet se Sacerdos ante altare et dicat silentio istam orationem.


Oratio. Accedam ad te in humilitate spiritus mei :

[a] *Postea offerat.* Hoc loco tria simul congeruntur quæ distinguenda sunt, et eo ordine a sacerdote ad altare peraguntur, quo hic recensentur. Primum igitur sacerdos thurificat oblata; deinde petit auxilium fidelium, dicendo, *Adjuvate me, fratres*, etc., ac tertium, versus ad populum, eorum dona et oblationes suscipit. De thure rubrica (*Pag.* 3) præscribit: *Hic sacerdos ponat incensum in thuribulo*, etc. *Incenset sacrificium, si placuerit.* Gotho-Hispanos thus in ecclesia incendisse sanctus Isidorus clare innuit, cum in epistola ad Ludifredum Cordubensem, incensi præparationem thesaurario et curam incensi archidiacono commisit (*Vide notam ad pag.* 223). Haud puto tamen eos incensum aræ admovisse. Mozarabes quoque de thure ad aram incendendo nihil certi statuisse hæc rubrica ostendit, qua thurificare oblata, aut a thure abstinere arbitrio sacerdotis permittitur. Ecclesia Romana vero ad altare thus inferre permisit. Amalarius, in fine secundæ præfationis ad librum de ecclesiasticis Officiis, de Ecclesia Romana scribit quod *post Evangelium non offerunt incensum super altare.* Nec de thurificatione oblatorum ulla fit mentio in ordinibus Romanis primo et tertio. Imo Micrologus, qui sæculo XI scripsit (*De eccl. Observ.*, *cap.* 9), animadvertit quod *ordo Romanus præcipit ut incensum semper præcedat Evangelium, cum ad altare sive ad ambonem portatur, non autem concedit ut oblatio in altari thurificetur, quamvis modo a pluribus, imo pene ab omnibus, usurpetur.* Postquam oblata thurificavit, rubrica (*Pag.* 3) præscribit ut sacerdos *inclinet se in medium altaris junctis manibus, et dicat alta voce* ADJUVATE ME, FRATRES, etc. De hac, aut ejusdem significationis, oratione mentio recurrit apud Amalarium, apud vulgatum Alcuinum, in ordinibus Romanis, in missa Illyrici, et passim in vetustis libris Missalibus. Apud Gotho-Hispanos, ut opinor, sacerdos, prius quam apologiam oraret, dicebat *Adjuvate me, fratres*, et dum ille pro se, populus etiam pro eo orabat ; at Mozarabes hæc ita diviserunt, ut *Adjuvate me*, etc., diceretur post oblationem elementorum, apologia vero post manuum lotionem. Demum tertium quod distinguendum erat ad oblationem populi spectat, de qua rubrica (*Pag.* 3) hæc habet : *Et sacerdos vertat se ad populum, et faciat offertorium, si voluerit.* Duplex antiquitus distinguebatur populi oblatio, alia panis et vini in usum sacrificii, alia pecuniæ, aut earum rerum quæ alimento cleri et pauperum inserviebant : utrumque hoc oblationis genus frequenter scriptores ecclesiastici commemorant et distinguunt. De secundi generis oblationibus concilium primum Bracarense (*Can.* 21, *alias* 39) statuit ut quæ fideles *per festivitates martyrum, aut per commemorationem defunctorum*, obtulerant, apud quemdam clericum deponantur, *et semel aut bis in anno inter clericos dividantur ; nam non modica ex ipsa inæqualitate discordia generatur*, inquiunt Patres, si unusquisque sibi attribuere voluerit quod in *sua septimana* oblatum fuerat. Sanctus Isidorus (*epist. ad Ludifredum Cordubensem*) curam hanc archidiacono attribuit : *Collectam pecuniam de communione ipse*, archidiaconus, *accipit, et episcopo defert, et clericis proprias partes idem distribuit.* Concilium Emeritense, anno 666 celebratum, (*Cap.* 14) statuit ut pecunia *communicationis tempore a fidelibus oblata* fideliter collecta episcopo præsentetur, et in tres partes dividatur, quarum una cedat episcopo, alteram *presbyteri et diacone consequantur*, quam inter se, *ut dignitas et ordo poposcerit*, dividant, tertia subdiaconis et clericis distribuatur. Hanc pecuniam *in altario* oblatam esse dicunt canones 14 et 15 concilii I Aurelianensis ; non quod in altare deposita fuerat (quanquam hoc aliquando contigisse non negaverim), sed quia per manus sacerdotum Deo fuerat oblata. Apud antiquos non invenio quo tempore, et an omnino tempore sacrificii, pecuniam, vestem, aliasque res in usum pauperum et cleri offerre mos erat. Concilium Emeritense docet Gotho-Hispanos *tempore communicationis* pecuniam obtulisse, et sanctus Isidorus hanc *collectam de communione pecuniam* dicit. Num forte illis in more positum erat pecuniam offerre, cum ad accipiendum corpus Domini accederent? Sane concilium Compostellanum, anno 1056, nondum abrogatis ritibus Gotho-Hispanis, celebratum, statuit *ut per omnes communiones majores Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes, quisquis de quo habuerit offerat.* Sacerdos igitur post dictum *Adjuvate me, fratres*, etc., convertit se ad populum, et si quis voluerit pecuniam aut alia quælibet offerre, accedens offert sacerdoti, qui, offerenti bene-precatus, ait : *Centuplum accipias, et vitam æternam possideas in regno Dei*, et ille, deosculans stolam sacerdotis, recedit, et alteri offerenti locum dat. Interim canitur sacrificium juxta rubricam (*Pag.* 5). In Gallia, recentiori ævo, ejusmodi oblationes faciendæ erant antequam legeretur Evangelium (*Hincmar.*, *cap.* I, *c.* 16 ; *Regino*, *Discip. eccl. l.* I, *c.* 72).

[b] *Hic aquam accipiat.* Nimirum post susceptas oblationes sacerdos manus lavat. Ritus lavandi manus ad altare est plane antiquus : de eo sanctus Dionysius (*Hierarch. eccl. l.* III, *n.* 10), Constitutiones apostolicæ (*Lib.* VIII, *c.* 11), sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Catech. myst.* 5). Auctor Quæstionum veteris et Novi Testamenti, inter opera sancti Augustini (*Quæst.* 101), asserit hunc ritum per omnes Ecclesias servari. Aquam lavandis manibus in aliquibus ecclesiis ministrabant diaconi, in aliis subdiaconi, in aliis acolythi, in Hispania, teste sancto Isidoro (*Epistola ad Ludifredum Cordubensem*), ad subdiaconum pertinebat *presbyteris et levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere*, ad diaconum autem infundere aquam manibus episcopi, quod sanctus Isidorus innuit, cum dicat subdiaconum *urceolum quoque et aquam, mantile et manutergium tenere episcopo*, non tamen ejus manibus aquam infundere : id scilicet muneris diaconi erat. In libris liturgicis passim occurrunt orationes dicendæ dum sacerdos manus lavat. Fol. 220, assignatur *ad lavandum manus* oratio *Lavabo inter innocentes ;* de qua, præter Missales libros, fit mentio in liturgia sancti Chrysostomi (pag. 69), in communi liturgia Syrorum (*Renaud.*, *tom. II*, *pag.* 11), et in sancto Cyrillo Hierosolymitano (*Catech. myst.* 5). Igitur sacerdos, lotis manibus, et interim dicta hac oratione, quam rubricæ (*Pag.* 5, 224) prætermiserunt, ad medium altaris reversus, tribus digitis facit signum crucis super oblata, submissa voce dicens *In nomine Patris*, etc. Tum, ad altare inclinatus, dicit orationem *Accedam*, quæ in nostro Missali titulo caret, recte tamen *apologia sacerdotis* nuncupari potest, est enim ejusdem generis atque illa oratio quæ Missali Gallo-Gothico (*Num.* 37), die Paschæ, describitur *apologia sacerdotis*, eumdemque locum in liturgia occupat, in vetustis libris Sacramentorum, apud Martenium (*De ant. Rit.*, *lib.* I, *cap.* 4, *art.* 12), sancti Dio-

loquar ad te quia multam spem [a] in fortitudine dedisti me. Tu ergo fili David qui revelato mysterio ad nos in carne venisti . clave crucis tue : secreta cordis mei aperi : mittens unum de Seraphin : qui candenti carbone illo : qui de altari tuo sublatus est : sordentia labia mea emundet : mentem enubilet : docendique materiam subministret : ut lingua que proximorum utilitati per charitatem servit : nec erroris insonet casum : sed veritatis resultet sine fine preconium. Per te Deus meus : qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

[b] *Incipit Missa.*




Do-minus sit semper vo bi.-cum.


Sequens oratio non dicatur equaliter.

[c] *Oratio.* Christe cujus virtus atque potentia tantum in Apostolo tuo Jacobo emicuit : ut in nomine tuo emissis a se demoniorum catervis : potentialiter meruerit imperare. Tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende : ut virtute spiritus exuperando adversa : illius doctrina opere compleatur : cujus hodie exemplum pie passionis honorat. ℟. Amen.


Dicat Pre b.



Per mise-ricordiam tuam Deus noster qui




es benedictus et vivis et omni-a regis in




secula secu-lorum. ℟. Amen.

Dicat Sacerdos elevando manus.




O-re- mus.

[d] Agyos. Agyos. Agyos. Domine Deus Rex eterne tibi laudes et gratias.




[e] Ecclesiam sanctam Catholicam in o-ra-ti-o ni-




bus in mente hab-eamus ut eam Dominus




fide et spe et chari-tate pr-opi-cius




ampli-are dignetur. Omnes lapsos captivos



infirmos atque peregrinos in mente



habe-amus ut eos Dominus propici-us



respicere redimere sanare et confortare dignetur.

225 *Respondeat Chorus.* [f] Presta eterne omnipotens Deus. *Postea dicat Presb.*

Oratio. [g] Vocantem nos ad se Jesum fratres dilectis-

nysii, et sancti Theodorici Rhemorum. At in Pontificali Prudentii Trecensis (*Ibid.*) hæc oratio inscribitur *confessio sacerdotis*, et in Prudentii Sacramentario rubrica præscribit ut dicatur *antequam sacerdos suscipiat oblata*; in missa Illyrici præscribitur ut dicatur dum canitur gradalis.

[a] *In fortitudine.* Lege *quia multam spem in fortitudine tua dedisti mihi*. Etiam antequam manus lavaret, sacerdos Eulogias benedicebat tempore communionis iis distribuendas qui ad communicandum apti non erant. Pag. 220, exstat *Benedictio panis*, scilicet Eulogiei, quæ et brevissima est et aptissima. Porro *eulogiæ*, Græcis *antidoron*, cum, instar communionis, eucharistiæ vice distribuerentur, a jejunis accipiebantur, et reverenter consumebantur: solis fidelibus dabantur, non paganis, non catechumenis, neque Christianis excommunicatis, publice pœnitentibus, aut hæreticis, schismaticisve. Petenti eulogias negasse injuria erat, is enim pro excommunicato habebatur cui negatæ fuerant eulogiæ (*Greg. Turon., Hist. lib.* v, *cap.* 14). Eulogias a Judæis, ab hæreticis, aut schismaticis accipere nefas; erat enim cum istis communicasse. Plura de eulogiis vide apud em. Bona (*Rerum lit. lib.* I, *c.* 13; *lib.* II, *cap.* 1[illegible]).

[b] *Incipit Missa.* Scilicet fidelium.

[c] *Oratio.* Hæc oratio plerumque *missa*, tanquam proprio nomine, appellatur. De hac oratione vide notam pag. 221. Porro oratio *missa* propria sancti Jacobi nihil discrepat ab oratione post *Gloria* ejusdem.

[d] *Agyos.* Absoluta oratione *missa*, sacerdos in medio altaris dicit *Per misericordiam tuam*, etc. Tum, ut rubrica præscribit, *elevando manus*, dicit *Agios*, etc., et sic *preces* inchoat: ita enim orationes illæ solemnes quæ pro Ecclesia, pro clero, pro rege, pro populo, variisque hominum conditionibus fiebant, appellantur, quæ a Græcis συναπταί, *collectæ* aut conjunctæ orationes denominantur. Olim apud Gotho-Hispanos diaconus preces recitabat (*S. Isidor., ep. ad Ludifr.*) Apud Græcos quoque et Orientales a diacono recitabantur; unde et *diaconicæ* dictæ sunt. A Gallis et a Gotho-Hispanis *preces* non semel inter Missarum solemnia recitabantur, et in liturgiis Græcorum synaptæ sæpius repetuntur (*Vide pag.* 93).


[e] *Ecclesiam.* Solemne est in omnibus liturgiis pro Ecclesia orare. Canon Romanus : *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica.* In liturgia sancti Chrysostomi : *Pro stabilitate sanctarum Dei Ecclesiarum.* Hinc Optatus (*Lib.* II *cont. Parmen.*) urget Donatistas : *Quis dubitat vos illud* LEGITIMUM *in sacramentorum mysterio præterire non posse, offerre vos dicitis pro Ecclesia quæ una est... et offerre vos dicitis pro Ecclesia una quæ sit toto terrarum orbe diffusa.* Hinc etiam sanctus Fructuosus, Tarraconensis episcopus, cum anno 259 ad amphitheatrum, pro fide Christi, comburendus duceretur, cuidam ut sui memor foret roganti respondit : *In mente me habere necesse est sanctam Ecclesiam catholicam ab Oriente usque ad Occidentem diffusam* (*Apud D. Th. Ruinart., Act. martyr., pag.* 222).

[f] *Presta.* Cum preces a diacono fierent, aut populus ad singulas petitiones respondebat *Domine, miserere*, ut in liturgia sancti Chrysostomi ; aut in fine precum respondebat *Præsta, æterne*, etc., ut in Missali nostro ; aut tacitus apud se orans omnino non respondebat, ut in liturgia Constitutionum apostolicarum observatur.

[g] *Vocantem.* De hac, quæ *alia oratio* inscribitur, vide notam pag. 126. Adverte hic præsupponi sanctum Jacobum Majorem auctorem esse Epistolæ canonicæ quæ plerumque sancto Jacobo fratri Domini tribuitur, in qua opinione fuit sanctus Isidorus, si ille sit auctor libri de Vita et morte sanctorum Novi Testamenti.

simi agnoscentes : qui beatissimum Jacobum Apostolum suum retia componentem in navi : ad se vocans : ejusdem nos postmodum spiritualibus doctrinis admonet atque docet : ut postulantes in fide nihil hesitemus : omni mentis devotione cum lachrymis eumdem Dominum flagitemus. Ut postulatio nostra apud eum ea nobis obtineat adimplere : que in ipso Apostolo docente cognovimus. ℟. Amen.

Dicat Presb.





[a] *Per misericordiam.* Hic incipiunt diptycha, sive nominum recitatio. Olim in Hispania *recitatio nominum*, sive diptychorum, ad diaconum pertinebat (*S. Isid., epist. ad Ludif.*). Sacerdos igitur, præmisso *Per misericordiam*, etc., salutabat de more populum; tum diaconus elata voce dicebat *In conspectu Dei nostri*, etc., et nomina quædam sanctorum Veteris et Novi Fœderis recitabat. Insuper adverte, diptycha sacra, de iis solis loquor, distinguenda esse a precibus quæ pro vivis et defunctis inter sacrarum solemnia fiunt. Finis et usus præcipuus diptychorum erat ut retineretur catholica communio tum vivorum inter se, tum vivorum et mortuorum ; hinc usus diptychorum sacrorum antiquissimus. Diptychis sacris nomina vivorum et defunctorum inscribebantur. Defunctorum nomina in tres classes dividuntur : prima est sanctorum Veteris et Novi Testamenti qui publice colebantur ; altera in duas classes subdividebatur, in quarum prima erant nomina omnium episcoporum ejus Ecclesiæ in qua solemnia celebrabantur, iis solis exceptis qui hæresis, aliusve criminis, legitime damnati fuerant ; his accedebant nomina presbyterorum, aliorumque e clero ejusdem Ecclesiæ. In secunda classe erant nomina aliquorum episcoporum defunctorum, aliarum Ecclesiarum et regionum, quorum fides et pietas ab universa Ecclesia laudabatur : tales erant Athanasius, Chrysostomus, Leo papa, etc. Tertia classis habebat nomina laicorum defunctorum, non omnium sane, sed præcipuorum, et eorum pro quibus ea die specialiter offerebant. Diptycha vivorum habebant nomina Romani pontificis, metropolitani, episcopi ejus Ecclesiæ ad quam spectabant, in Oriente patriarchæ præterea habebant nomina quorumdam episcoporum qui speciali nota digni habebantur ; post hos habebant nomina imperatoris aut regis cui civitas parebat, reginæ, prolis regiæ, præcipuorum magistratuum, fundatoris ecclesiæ, et nomina quorumdam offerentium, dignitate aut pietate conspicuorum, aliorumque quos diaconus pro suo libito nominare volebat. Demum in Oriente, saltem Constantinopoli, e diptychis legebantur nomina quatuor conciliorum Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini et Chalcedonensis. In Hispania et Gallia diptycha ante consecrationem elementorum, imo ante orationem *post nomina* legebantur ; ante consecrationem leguntur quoque in liturgia Græca sancti Marci (*Renaudot.*, *tom. I*, *pag.* 150) et sancti Cyrilli Coptica (*Ibid.*, *pag.* 42). Olim quoque Constantinopoli diptycha ante consecrationem recitabantur (*Concil. Const. sub Menna*, *act.* 5) ; at modo in liturgiis sancti Chrysostomi et sancti Basilii post consecrationem et invocationem leguntur. Post consecrationem diptycha recitantur in liturgia sancti Jacobi Syriaca, in sancti Basilii Coptica, et Græca Alexandrina, et in liturgia Theodori Mopsuesteni Nestoriana. In Sacramentariis Gelasiano et Gregorianis diptycha vivorum ante consecrationem, mortuorum vero post consecrationem, recitabantur ; cæterum diptycha, pro Ecclesiarum facultatibus, magis aut minus pretiosa erant : frequenter eburnea, non raro argentea, nonnunquam aurea, et aliquando gemmata inveniuntur. Charta donationis Ruidisindi episcopi (*Concil. Hisp. tom. III*, *pag* 179), anno 935 facta, inter alia donaria, *diptagos argenteos imaginatos et deauratos* recenset ; unde etiam habemus, sæculo x Mozarabes, nam eorum liturgia in Hispania adhuc vigebat, usum diptychorum ad nomina in ecclesia recitanda retinuisse.

[b] *Confessorum.* Præter horum adjungebant etiam nomina patriarcharum et prophetarum (*Vide pag.* 496). In Missali Gallo-Gothico (*N.* 66), *oratione post nomina*, cum patriarchis, prophetis, apostolis et martyribus, anachoretæ et virgines recensentur ; confessorum vero, ὁμολογητῶν, Constitutiones apostolicæ (*Lib.* VIII, *cap.* 10), liturgiæ sancti Marci Alexandrina, sancti Jacobi Græca, aliæque passim Græcorum et Orientalium liturgiæ, et sanctus Epiphanius (*Hær.* 77, *Heriorum*) mentionem faciunt.

[c] *Sacerdotes nostri.* Puta episcopi Toletani, qui tum sedebat, cujus nomen diaconus clare pronuntiabat, aliorumque metropolitanorum Hispaniæ, Hispaniæ et Galliæ Gothicæ, quorum nomina pariter recitabantur.

[d] *Papa Romensis.* Hoc loco nomen pontificis Romani recitabatur (*Con. Vasion.*, *can.* 4).


[e] *Et reliqui.* Hæc verba indicant nomina quorumdam episcoporum præcessisse, puta Carthaginensis in Africa, Mediolanensis, Lugdunensis, etc.

[f] *Vel pro universa.* Hoc est pro iis omnibus qui pace et communione Ecclesiæ catholicæ fruuntur.

[g] *Item offerunt universi Presbiteri.* Hic recitabantur nomina presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, et omnium clericorum illius Ecclesiæ, iis exceptis qui hæresis aut capitalis criminis convicti erant. Hinc sanctus Augustinus (*Ep.* 78, *Edit. Maur.*), clero et senioribus Ecclesiæ Hipponensis de Bonifacio quodam presbytero scribens, permisit ut nomen ejus e diptychis publice non recitetur, si ita presbyteris et senioribus Hipponensibus visum fuerit : *Quid enim*, inquit, *obest homini quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia.* Siquidem Bonifacius accusatus fuerit de gravi peccato, quod ille se admisisse constanter negabat ; quare sanctus episcopus ægre clamoribus populi et cleri concesserat ut nondum convicti nomen de diptychis tolleretur.



℟. *Chorus.*



Dicat Sacerdos.





226 ℟. *Chorus.* Et omnium [b] Martyrum.

Dicat Sacerdos.



[a] *Ac populi circumadstantes.* Hic loco recitabantur nomina offerentium, de quibus in Missali nostro et in libris liturgicis Gallicanis recurrit mentio. Regis etiam et præcipuorum magistratuum nomina recitabantur. Canon Romanus, in Missali sancti Pii : *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus,* etc.; ubi notat Georgius (*De Liturg. Rom. Pont., tom. III, diss.* III, *pag.* 49), in variis lectionibus Canonis, *Codices ad unum omnes* CIRCUMADSTANTIUM, *vel* CIRCUMASTANTIUM legere; at Sacramentarium Gelasianum, Missale Francorum, Sacramentarium Gallicanum, Sacramentarium reginæ Suecorum 337, Florum Lugdunen., et Sacramentarium Palatinum 495, omissis *pro quibus tibi offerimus*, legere *quorum tibi fides cognita est et nota devotio,* QUI TIBI OFFERUNT *hoc sacrificium laudis*, etc. Populus enim fidelis vere, sed suo modo, offert sacrificium eucharisticum, tum quia offert materiam sacrificii, panem scilicet et vinum; tum quia par sacerdotes et presbyteros Deo sacrificium offert. *Nam quamvis sacerdos proprio fungatur officio, ille tamen* (populus scilicet) *offerre dicitur cujus nomine agit sacerdos; ipsi enim imputatur cujus munera offeruntur*, inquit auctor Quæstionum Veteris et Novi Testamenti, inter Opera sancti Augustini; at solius sacerdotis et presbyteri est eucharistiam consecrare.

[b] *Martyrum.* Hoc loco, præter apostolorum nomina, etiam quorumdam martyrum, eorum maxime qui in Hispania passi fuerant, nomina recitabantur, quæ postea brevitatis causa omissa sunt.

[c] *Pausantium.* Fideles mortuos appellant *pausantes*, sive *quiescentes*, ut Apostolus eosdem *dormientes* dixit (*I Thess.* IV, 13). Inter pausantes celebres aliquot episcopi tum Hispaniæ, tum aliarum nationum, recensentur, sed hic etiam diptycha male detruncata sunt.

[d] *Athanasii*, episc. Alexandrini; *Martini*, episc. Turonensis; *Ambrosii*, episc. Mediolanensis; *Augustini*, episc. Hipponis Regiæ; *Fulgentii*, forte episc. Ruspensis, forte episc. Astigitani, fratris sanctorum Leandri et Isidori; *Leandri*, episc. Hispalensis; *Isidori*, episc. Hispalensis; *David*, forte episc. Hispalensis; *Juliani*, *item Juliani.* In catalogo episcoporum Toletanorum, ante dominatum Saracenorum in Hispania, bini censentur Juliani : alter, episcopus decimus nonus, Montano successit; alter, trigesimus tertius, morum sanctitate et doctrina notus, qui conciliis Toletanis XII, XIII, XIV et XV, interfuit. *Petri, item Petri;* et hi fortasse episcopi Toletani, alter decimus sextus, alter vigesimus primus. *Johannis*, abbatis Biclarensis, episcopi Gerundensis, scriptis et fidei confessione, sub Leovigildo rege, noti. *Servi Dei*, forte episc. Calabriensis, qui concilio Toletano IV interfuit. *Felici* [lege *Felicis*], forte episc. Toletani trigesimi quinti; interfuit concilio Toletano XVI. *Dominici*, forte episc. Iriensis, qui concilio Toletano III interfuit. *Justi*, episc. Toletani vigesimi octavi, qui interfuit concilio Toletano IV. Apud J. Tamaium de Salazar, in Martyrologio Hispano (*T. V*, *pag.* 634), exstat catalogus episcoporum Toletanorum copiosior illo quem em. de Aguirre (*Concil. Hisp. t. III*, *pag.* 67) et Garsias Loaisa (*Coll. concil. Hisp. p.* 21) ediderunt : in hoc autem Joannis Tamaii catalogo, inter episcopos Toletanos recensentur David, Julianus, Julianus, Petrus, Petrus, Joannes cognomine Servus Deus, [*F.* Servusdei], Visitanus, Viventius, Felix, Cyprianus, Vincentius, Gerontius, Zacharias, Zenapolus, Dominicus cognomine Justus, Saturninus, Salviatius et Salviatius; at cum hic catalogus scriptoribus rerum Hispanicarum accuratis non probetur, mihi incertum est quinam ii fuerint quorum nomina in hac parte diptychorum recitantur; metuo sane ut ullus eorum fuerit Toletanus episcopus, imo ut ullus omnino episcopus Toletanus ante Bernardum hisce diptychis inscriptus sit. *Bernardi*, episc. Toletani; is, recepta urbe Toletana, primus constitutus fuit archiepiscopus. *Raimundi;* is successit Bernardo. *Joannis;* is successit Raimundo. *Celebruni;* in catalogo *Cerebruni* scribitur, successit Johanni. *Gundesalvi*, cognomine Perez, sextus, a recepta urbe archiepiscopus Toletanus, successit Petro de Cardona, quem omiserunt. Gundesalvo Perez, eodem quo hic ordine recitantur, successere archiepiscopi *Martinus* Lopes de Pisuerga, *Rodericus* Ximenes de Rada, scriptis notus, *Johannes* de Medina, *Gutterius*, cui successit *Pascasius*, quem omiserunt, Pascasio *Sancius* filius sancti Ferdinandi regis, et huic, anno 1266, *Sancius* filius Jacobi regis Aragoniæ, qui ultimus in diptychis episcopus nominatur, nam quæ subsequuntur nomina benefactorum Ecclesiarum Mozarabicarum esse videntur.

Cypri-ani. Vincenti i. Geronti-i. Zachariæ.

Cenapoli. Dominici. Justi. Saturnini. Silvati.

Item Salvati. Bern-rdi. Reymundi. Johannis.

Celebruni. Gundisalvi. Martini. Rode-rici.

Johannis. Guterri. Sanci-i. Item Sa-ci-i.

Dominici. Juli-a-ni. Juli-a-ni. Philippi.

Stephani. Johannis. Item Johannis. Fe-licis.

℟. *Chorus.*

Et omnium Pausantium.

Dicat Presb.

Post nomina. Oratio. [a] Vivant in nobis Jesu Domine Apostoli tui Jacobi prædicamenta doctrine: quibus docemur illum beatum esse: qui inlatus tentationis valuerit equanimiter supportare: quo dum presentia mala patientissime toleraverimus: in pace et charitate nunc: et in eternum tecum sine fine vivamus. ℟. Amen.

Quia tu es vita vivorum: sanitas infirmorum: ac requie omnium fide-lium defunctorum. In eterna secula se-culo-rum. ℟ Amen.

Postea dicat [b] *ad pacem. Oratio.* Suscipe Jesu bone: in hoc natali Jacobi Apostoli tui offerentium vota: et refrigerium presta spiritibus defunctorum: ut eo apud te intercedente: et viventibus et defunctis tue pietatis gratia impendatur: cujus doctrina duodecim tribuum commemorantium edocetur. ℟. Amen.

227 *Postea dicat Sacerdos.*

Quia [c] tu es vera pax nostra et charitas indisrupta: vivis tecum: et regnas cum Spiritu Sancto unus Deus in se-cula secu-lo-rum. ℟. Amen.

Dicat Presb. elevando manus.

Gra-ti-a Dei Patris omnipo-ten-tis pax ac dilecti-o Domini nostri Je-su Christi: et communicati-o Spi-r-tus San- cti sit semper cum omnibus no-bis.

℟. *Chorus.* Et cum hominibus bone voluntatis.

Dicat Presb.

Quo-modo asta- tis pacem fa-ci-te.


℟. *Chorus.* Pacem meam do vobis: pacem meam commendo vobis: non sicut mundus dat pacem: do vobis. ℣: Novum mandatum do vobis: ut diligatis invicem. *Reiteretur.* Pacem meam do vobis. ℣. Gloria e: honor Patri. *P.* Pacem. *Interim quod Chorus dicit.* Pacem meam. *accipiat Sacerdos pacem de patena dicendo sic.* Habete osculum dilectionis et pacis: invicem tribuatur.

[a] *Vivant in nobis.* Est hæc oratio *post nomina*, de qua pag. 140. Sed in hac missa sancti Jacobi, oscitantia insigni, hæc oratio quæ reipsa *ad pacem* dicenda est, pro oratione *post nomina* hoc loco ponitur, et vicissim loco orationis *ad pacem* eam reposuerunt quæ *post nomina* recitanda erat.

[b] *Ad pacem.* De hac oratione, vide pag. 209.

[c] *Quia tu es.* Absoluta oratione *ad pacem*, sacerdos in medio altaris dicit *Quia tu es vera pax nostra*; tum elevando manus solemniter populo beneprecatur dicens *Gratia Dei Patris*, etc. Formula hæc benedicendi, ab Apostolo (*II Cor.*, XIII, 13) desumpta, in liturgiis Græcorum et Orientalium celeberrima est, sed hi plerumque eam præfationi præmittunt; Gotho-Hispani autem, et, ut reor, Galli, osculo pacis. Postquam chorus respondit *Et cum hominibus*, etc., presbyter dicit *Quomodo statis*, etc.; sed, nisi de missa privata sermo sit, apud Gotho-Hispanos diaconus clamabat *Quomodo astatis pacem facite*, ut ex epistola sancti Isidori ad Ludifr. patet. Imo eadem erat Mozarabum, sæculo XI, disciplina, ut ex concilio Compostellano an. 1056 (*can.* 1) habemus: *Ad omnes missas, dum dixerit* DIACONUS: INTER VOS PACEM TRADITE, *omnibus intra Ecclesiam stantibus pacis osculum invicem tribuatur.* Nunc autem sacerdos dicit *Quomodo astatis*, etc. Quo dicto, ipse pacem de patena accipit, dicens *Habete osculum*, etc., et ministro tradit, a quo populo traditur proxime astantem osculando. Sed hæc recentiora. Olim diaconus clamabat *Quomodo astatis*, etc.; quo signo dato, omnes quotquot in Ecclesia aderant, ut astabant, sibi mutuo pacis osculum tradebant, viri viros, feminæ feminas osculando; erant enim viri a feminis loco segregati. Clerus in choro, et intra altaris cancellos dabat pacem, cujus initium diaconus faciebat osculando episcopum, aut presbyterum, et ille proxime sibi astantem. Interim chorus canebat: *Pacem meam do vobis*, etc. Apud Gotho-Hispanos, et Gallos, Græcos et Orientales, ante consecrationem munerum pacem faciebant; at Romæ, in Italia, et in Africa, paulo ante communionem tradebatur pacis osculum. Sanctus Augustinus (*Oper. tom. V, serm.* 227, *Edit. Maur.*): *Post sanctificationem sacrificii dicimus orationem Dominicam, post ipsam* Pax vobis, *et osculantur se Christiani in osculo sancto.* Est autem hic ritus antiquissimus, in omnibus liturgiis invenitur, et de eo apostoli non semel videntur fecisse mentionem (*I Cor.* XVI, 20; XIII, 12; *I. Pet.* V, 14).


ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. *Et statim det pacem Diachono vel puero : et puer populo. Postea inclinet se Sacerdos junctis manibus et dicat.*




℟. *Chorus.* Ad Deum qui letificat juventutem meam. *et ponat Presb. manus super Calicem et dicat.*



℟. *Chorus.* Habemus ad Dominum.
Dicat Presb.




℟. *Chorus.* Levemus ad Domi- num.
Dicat Presb. junctis manibus inclinando se in medium altaris.



228 *Et dicendo* Gratias referamus, *elevet Sacerdos manus in altum. Et Chorus respondeat.* Dignum et justum est. *Et postea cantet Presb.* [b] *Inlatio.*





[a] *Introibo.* Postquam clerus et populus dandæ mutuo paci finem fecerunt, sacerdos ad aram redit, et ante aram stans dicit *Introibo ad altare Dei;* respondet chorus *Ad Deum qui lætificat*, etc. Tum sacerdos accedens ad aram manus expandit super oblata, et elata voce dicit *Aures ad Dominum;* respondet chorus *Habemus ad Dominum.* Rursum sacerdos : *Sursum corda;* et chorus : *Levemus ad Dominum.* Deinde sacerdos inclinans se in medio altaris dicit : *Deo ac Domino nostro*, etc., et cum dicit *gratias referamus*, elevat in altum manus ; respondet chorus *Dignum*, etc. Demum *illationem* inchoans sacerdos infert : *Dignum et justum est*, etc. Sed hic quædam recentiora antiquis ritibus intertexta sunt; nam olim diaconus clamabat *Aures ad Dominum* (*S. Isid. Off. l.* II, *cap.* 8); olim non chorus, sed populus respondebat *Habemus ad Dominum*, etc., quod ex vetustis liturgiis constat; et hinc illud sancti Chrysostomi (*Hom.* 18, *in Epist. II ad Cor.*). *Neque enim solus* sacerdos *gratias agit*, sed etiam *plebs universa; nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt, id digne et juste fieri, tum demum gratiarum actionem inchoat.* Haud tamen negaverim in privatis missis, maxime quibus nullus aderat diaconus qui ministraret, ista ab ipso sacerdote antiquitus dicta fuisse; alius profecto, etiam apud antiquos, ritus erat missæ solemnis, alius missæ privatæ.


[b] *Inlatio.* De illatione vide pag. 202.

[c] *Paraliticum.* De hoc paralytico et de conversione illius scribæ qui sancto Jacobo manus injecerat, ejusque martyrio, mentionem facit Pseudo-Abdias (*Hist. certaminis apost. lib.* IV). De conversione ad fidem illius viri qui sanctum Jacobum ad tribunal Herodis traxit, deque ejusdem martyrio, scribit Eusebius (*In Hist. Eccl., lib.* II, *cap.* 9).

[d] *Compulsit.* Lege *compunxit.*

229. *Respondeat* [a] *Chorus.* Sanctus. Sanctus. A Sanctus. Dominus Deus Sabbaoth : Pleni sunt celi et terra gloria majestatis tue. Osanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini. Osanna in excelsis. Agyos. Agyos. Agyos. Kyrie. O the s.

Postea dicat Presbyter.





Deinde dicat Sacerdos in silentio junctis manibus inclinando se ante Altare. Oratio. Inclinet se Presbyter ante Altare.

B [e] Adesto adesto Jesu bone Pontifex in medio nostri : sicut fuisti in medio discipulorum tuorum : et sancti † fica hanc oblationem † ut sanctificata † sumamus per manus sancti Angeli tui sancte Domine et redemptor eterne. Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur accepit panem **230** et gratias agens bene † dixit ac fregit : deditque discipulis suis dicens. Accipite et manducate.

[f] Hoc. est. corpus. meum. quod. pro. vobis. tradetur [g].

---

[a] *Dicat chorus Sanctus.* Sanctus olim non a choro, sed a populo, canebatur, tam in Hispania quam in Gallia; hinc Missale nostrum, in oratione *post Sanctus* Dom. 5 Quadragesimæ, dicit quod hymnus iste triumphalis in cœlestibus sine defectu *psallitur ab angelis, et hic solemniter decantatur a populis.* Hinc etiam sanctus Gregorius Turonensis (*De mir. S. Mart.*, *l.* II, *c.* 14) scribit : *Ubi expedita contestatione omnis populus* SANCTUS *in Dei laudem proclamavit.* C Mos idem in Oriente, testibus sancto Chrysostomo (*Hom. in Seraph.*), sancto Gregorio Nysseno (*Orat. de non differend. baptism.*), Constitutionibus apostolicis (*Lib.* VIII, *cap.* 12), et liturgiis passim, quamvis modo etiam in Oriente *Sanctus* a choro cantetur, nec tantum Latine, sed etiam Græce Gotho-Hispani hymnum triumphalem canant, quod etiam in Gallia observatum esse credibile est. Neque obstat quod sanctus Gregorius, supra citatus, dicat populum in Dei laudem *Sanctus* cantasse ; non enim negat ἅγιος, *hagios*, Græce etiam fuisse cantatum.

[b] *Vere Sanctus.* Illationem excipit oratio *post Sanctus*, de qua pag. 213. Hæc oratio cum in singulis missis diversa sit, et modo prolixior, modo brevior occurrat, non video cur ab aliquibus eruditis liturgicis *canon* appelletur.

[c] *Ita scientiam.* Fortasse *ita scientia commendatus et opere.* D

[d] *Cui honor.* Galli nonnunquam orationem *post Sanctus* concludunt *Per Christum Dominum nostrum, qui pridie*, etc. At neque Galli, neque Gotho-Hispani hanc orationem solemni doxologia concludere solebant.

[e] *Adesto.* Gotho-Hispani orationem *post Sanctus* his aut similibus vocibus claudunt : *Ipse Dominus ac Redemptor æternus. Christus Dominus ac Redemptor æternus;* aut, pro varietate constructionis, *Christo Domino et Redemptori æterno*; aut : *Per Christum Dominum et Redemptorem æternum, qui pridie*, etc., statim enim verba consecratoria subjiciebant, quod etiam Galli observabant. At Mozarabes orationem *post Sanctus* a verbis Christi consecratoriis sejungunt interposita oratiuncula *Adesto*, more suo adeo imperite, ut interpolatio manifesta sit; nam orationes *post Sanctus* integras et intactas reliquerunt, cum illis vocibus *Christus Dominus ac Redemptor æternus*, aut similibus, quas denuo repetunt, in oratione *Adesto*, quæ semper concluditur *Sancte Domine et Redemptor æterne.* Et hinc accidit ut bis cogantur, subitanea constructionis permutatione, filum orationis intersecare, primum cum verbis illis, puta *per Christum Dominum et Redemptorem æternum*, subdunt suum *Adesto, adesto;* et rursus cum illis *Sancte Domine et Redemptor æterne* adjungunt *Dominus noster Jesus Christus*, etc. Præterea, quod P. Petrus Le Brun, et ex eo P. Joannes Binius observarunt, voces illas Gotho-Hispanis, Gallis, et Romanis, solemnes, *Qui pridie*, sustulerunt, et simul intactum reliquerunt titulum orationis, quæ post consecrationem funditur, quæque constanter *post pridie* inscribitur, quo palam fit, vocem illam PRIDIE præcessisse ; quare minime dubium est, orationem *Adesto*, Gotho-Hispanis ignotam, Mozarabes libris suis Missalibus inseruisse : haud tamen puto interpolationem recentem esse, aut iis attribuendam quibus cardinalis Ximenius edendi Missalis Mozarabici curam commisit. Igitur absoluta oratione *post Sanctus*, sacerdos Mozarabicus inclinando se versus aram junctis manibus, submissa voce orationem *Adesto* profert, cui verba consecratoria subjungit, quæ in canone Romano habentur; at sacerdos Gotho-Hispanus extremis vocibus orationis *post Sanctus* addebat *qui pridie quam pateretur*, et fortasse etiam *in ipsa nocte qua tradebatur accepit panem*, etc., et verba profert partim ex Epistola I ad Corinthios (*Cap.* XI, 23, 24), partim ex Evangeliis (*Matth.* XXVII, 27; *Luc.* XXII, 19) deprompta.

[f] *Hoc est.* Verba hæc consecratoria desumpta sunt ex Epistola I ad Corinthios (*Cap.* XI, 24), ubi Vulgata legit *quod pro vobis tradetur.* Verba consecratoria in liturgia sancti Chrysostomi (*Euch. pag.* 76) ex eadem Epistola Apostoli desumpta sunt : Τοῦτό μοῦ ἐστι

[g] Forma ista ponitur consecrationibus ne antiquitas ignoretur. Sed hodie servetur Ecclesiæ traditio.

Hoc : est : enim : corpus : meum.

Hic : est : enim : calix : sanguinis : mei : novi : et : æterni : testamenti : mysterium : fidei . qui : pro : vobis : et : pro : multis effundetur : in : remissionem : peccatorum.

Hic elevetur Corpus. Quotiescumque manducaveritis : hoc facite in meam † commemorationem. [a] Similiter et calicem postquam cenavit dicens.

Super calicem. Hic. † est. calix. novi. testamenti. in meo. sanguine. qui. pro. vobis. et. pro. multis. effundetur. in. remissionem. peccatorum.

A [b] *Hic elevetur calix coopertus cum filiola*. Quotiescumque biberitis : hoc facite in meam † commemorationem. *Et cum perventum fuerit ubi dicitur*. In meam commemorationem. *dicat Presb. alta voce omnibus diebus preter festivis. Pari modo ubi dicit*. In claritatem de celis. [c] *Et qualibet vice respondeat Chorus*.

ἐστι τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*. In textu Græco, in sancto Chrysostomo, et in Theodoreto, κλώμενον, *fractum*, legitur. In liturgia sancti Jacobi Græca additur καὶ διδόμενον, PRO VOBIS FRANGITUR *et datur*; et in liturgia Græca Alexandrina sancti Marci, apud Renaudotium (*Lit. Or. t. I, p.* 155), verba consecratoria panis sunt : Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Hoc est enim corpus meum quod pro vobis frangitur et distribuitur in remissionem peccatorum*. In canone Romano verba consecratoria panis sunt : *Hoc est enim corpus meum*. Vox *enim* γάρ in liturgia sancti Marci inter consecratorias habetur; desideratur tamen in Vulgata, et in Sacramentario reginæ Suecorum, ut notat Georgius. Verba Gallorum consecratoria panis eadem fuisse videntur atque Romana : *Hoc est corpus meum*. Certe anonymus ille, sive sanctus Germanus Parisiensis, sive alius vetustus scriptor, qui missam Gallicanam explicavit, non alia tradidit verba consecratoria panis, hæc autem pro consecratoriis tradidisse plane videtur.

[a] *Similiter*. Hæc ex I ad Cor. (*Cap*. XI, 24), et ex Evangeliis (*Luc*. XXII, 20; *Matth*. XXVI, 28). Verba consecratoria calicis, *Hic est calix novi testamenti in meo sanguine*, nullibi in Vulgata exstant, si verbatim sumantur; legebantur tamen olim in versione Latina; nam Sedulius Scotus (*In Epist. I ad Cor.*) ita legit : *Hic est calix novi testamenti in meo sanguine*, et Gregorius II papa, scribens ad sanctum Bonifacium episcopum Moguntinum (*Inter Epist. S. Bonifac. epist.* 126), hunc textum ita refert : *Hic calix novi testamenti est in meo sanguine*. In Liturgia sancti Chrysostomi verba consecratoria calicis sunt : Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ ὑπὲρ ὑμῶν, καὶ πολλῶν, ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Hic est sanguis meus, novi testamenti qui pro vobis, et pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. Eadem leguntur in liturgiis Græcis sancti Jacobi, et sancti Marci, nisi quod in ambabus addatur καὶ διαδιδόμενον, *et distribuitur*, et in sancti Marci τοῦτο γάρ ἐστι, *hic est enim calix*, etc., legatur. In canone Romano verba *consecratoria* calicis sunt : *Hic est enim calix sanguinis mei novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Gallis haud absimilia erant verba consecratoria calicis; ita enim habet laudatus sanctus Germanus : *Sanguis vero Christi ideo specialiter offertur in calice, quia in tale vasum consecratum fuit mysterium Eucharistiæ pridie quam pateretur Dominus, ipso dicente :* HIC EST CALIX SANGUINIS, MYSTERIUM FIDEI, QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. Animadvertendum, hæc verba *forma ista ponitur*, etc., et verba consecratoria Romana, quæ ad calcem paginæ 230 adjiciuntur, ab initio Missali Mozarabico typis edito apposita non fuisse, sed, ut quorumdam scrupulis satisfieret, postea glutine esse affixa, ut cuilibet Codices antiquos inspicienti patet.

[b] *Hic elevetur*. Præscribit rubrica ut statim atque panis fuerit consecratus elevetur, et rursus ut, postquam fuerit consecratus, elevetur calix *filiola*, id est, palla, tectus. Ritus elevandi Eucharistiam in missa, eamque solemniter adorandi, omnium Ecclesiarum, tam Orientis quam Occidentis, est : discrepant tamen in hoc, quod non omnes eodem missæ loco elevent, et quod alii corpus et sanguinem, alii solum corpus Christi, sive, quod idem est, alii solas species consecrati panis, alii tam panis quam vini, elevent. Romæ olim ad ea verba canonis *per ipsum et cum ipso*, diaconus calicem elevabat, et sacerdos duas oblatas, quibus latera calicis tangebat. Ordo Romanus I Mabillonii, n. 16, et ordo Romanus III Hittorpii : *Cum sacerdos dixerit Per ipsum, et cum ipso*, archidiaconus *levat cum offertorio calicem per ansas, et tenet exaltans illum juxta pontificem, pontifex autem tangit a latere calicem cum oblatis dicens Per ipsum et cum ipso, usque Per omnia sæcula sæculorum; et ponit pontifex oblationes in loco suo, et archidiaconus calicem* B *juxta eas, demisso offertorio in ansas ejusdem*. Adverte autem quod archidiaconus elevabat calicem *cum offertorio* per ansas, quo loco *offertorium* significat pallam, sive sindonem, qua calix tegebatur, et Hispanis *filiola* dicitur : palla autem, qua olim tegebatur calix, non alia erat quam sindon illa quæ excipiebat panes a populo oblatos, atque proinde *offertorium* vulgo nuncupabatur, quam plicatam solebant calici, pro tegumento, imponere. Hæc in gratiam eorum notavi qui ritum Mozarabicum elevandi calicem cum filiola tanquam recentem et barbarum damnant, cum reipsa antiquus sit et Romanus. Redeo ad specierum eucharisticarum elevationem. Micrologus, sæculo XI ad finem vergente (*Cap*. 17), scripsit : *Cum dicimus Per omnia sæcula sæculorum, corpus cum calice levamus, et statim in altare deposita cooperimus*, nimirum, *demisso offertorio in ansas calicis*, etiam oblata, juxta posita, eodem velo tegebantur. Gotho-Hispani ante confractionem, ut fusius expli- C cabo, hostiam altius elevabant, ut ab omni populo videri et adorari posset. Græci quoque ante confractionem *sanctam elevationem*, τὴν ἁγίαν ὕψωσιν, faciunt (*Vid. Euch., pag.* 81, *et notas Goarii, pag.* 145); non elevant calicem, sed solum τὸν θεῖον ἄρτον, *panem divinum*, majorem scilicet hostiæ partem. De Coptitis, Syris, aliisque Orientalibus Christianis, diligentissime scripsit Eusebius Renaudotius (*Lit. Orient. tom. I, pag.* 265 *seq.; tom. II, pag.* 114 *seq.*). Elevant autem partem præcipuam hostiæ consecratæ, ad ea verba, *Sancta sanctis*, atque, ut præscribit Gabriel patriarcha Alexandrinus, sacerdos debet *corpus dominicum* sursum elevare quantum brachia sua extendere poterit, et voce quantum poterit maxima clamare *Sancta sanctis*, et populus cum lacrymis adorat, et pectora tundens veniam peccatorum petit, et rogat *ut in fide orthodoxa usque ad extremum vitæ a Deo confirmetur*. Eodemque tempore accenduntur cerei, et attolluntur; hæc Orientales Christiani. In D Gallia, post medium sæculi XI, ob hæresim Berengarii, cœperunt statim post consecrationem panis attollere corpus Domini, illudque adorare, et pariter post consecrationem calicis, sanguinem altius attollere, et adorare; hæc consuetudo e Gallia in alias regiones Ecclesiæ Latinæ paulatim penetravit. De ea circa initium sæculi XII meminit Hildebertus Cenomanensis (*In expositione missæ*). De eadem (*In speculo Ecclesiæ, inter opera Hugonis Victorini*) meminit Robertus Paululus, qui anno 1184 vivebat. Sæculo autem XIII, hic ritus passim in usu erat. Exinde Mozarabes bis in missa corpus et sanguinem Domini elevant, primum statim post prolata consecrationis verba, et iterum ante confractionem, aut cum Symbolum recitant. Juxta rubricas Missalis Romani sancti Pii V, corpus et sanguis elevantur statim peracta consecratione, et rursus ante ea verba *omnis honor et gloria*, et tum etiam sacerdos genuflectit.

[c] *Et qualibet vice*. Gotho-Hispani mandatum Christi (*I Cor*. XI, 24-26) addunt tam verbis consecrato-

A Amen. Quotiescumque manducaveritis panem hunc et calicem istum biberitis: mortem Domini annunciabitis: donec veniat. [a] In claritatem † de celis. ℟. Amen.

Oratio [b] *post pridie*. Subjuga Deus nostras tuo leve jugo cervices: ut onus tuum: quod amantibus est: ita optabili devotione feramus: sicut Jacobus Apostolus tuus: innexo collo suo func ad passionem tractus est letabundus: ut sanctificans hec que tibi offerimus nos ipsos benedicas perceptione hostie hujus. Amen.

Oratio. [c] Te prestante sancte Domine: quia tu hec omnia nobis indignis servis tuis: valde bona creas: sancti†ficas vivificas † bene † dicis ac prestas nobis: ut sit benedicta a te Deo nostro in secula seculorum. ℟. Amen. *Et* [d] *tunc Presb. accipiat corpus Domini de*

iis panis, quam consecratoriis vini, sic verbis istis, *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*, subjungunt: *Quotiescunque manducaveritis, hoc facite in meam commemorationem*; vocesque has, *In meam commemorationem*, omnibus diebus præter festivas elata voce proferunt, et chorus respondet *Amen.* Rursus verbis istis, *Hic est calix*, etc., illico addunt *quotiescunque biberitis*, hoc facite *in meam commemorationem*, et chorus respondet *Amen*. Demum tertio idem mandatum repetunt, dicentes: *Quotiescunque manducaveritis panem hunc, et calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat, in claritatem de cœlis;* et respondetur *Amen*. An Gotho-Hispani et B Galli olim verba consecratoria submissa, an elata voce protulerint, non satis constat. Si constaret hanc rubricam, qua præscribitur *ut omnibus diebus præter festivis* elata voce dicatur *in meam commemorationem*, esse antiquam, suspicari haud temere liceret reliqua submissa voce esse prolata, sed de antiquitate hujus rubricæ merito ambigitur. Quod autem dicunt, titulum orationis *post mysterium* et *post secreta*, quæ in libris Gallicanis legitur, probare, Gallos verba consecratoria submissa voce protulisse, fundamento labili nititur, nam oratio illa *post mysterium* denominata est, quia verba illa *mysterium fidei* quæ in consecratione calicis proferuntur, consequitur, ab aliis vero *post secreta* eadem oratio dicitur, quia *secretum* Latine idem significat quod Græce *mysterium*; quare denominatio *post mysterium* et denominatio *post pridie*, a populo orationibus quæ consecrationem C consequuntur impositæ, indicare videntur verba consecratoria, tam in Gallia quam in Hispania, alta voce a sacerdotibus fuisse olim prolata. Siquidem eæ denominationes non aliam causam habuisse videntur quam quod Gotho-Hispani, quoties missæ sacrificio interfuere, voces has, POST PRIDIE, et Galli illas, MYSTERIUM FIDEI, cum aliis consecratoriis verbis, clare a sacerdote prolatas audiverint.


[a] *In claritatem.* Lege *in claritate.* Cæterum hæc, *in claritatem de cœlis*, Gotho-Hispanos in suis Codicibus legisse palam facit Apostolus, quem ex Epistola I ad Corinthios (*Cap.* XI) feria quinta in cœna Domini legebant.

[b] *Post pridie.* De hac oratione vide quæ notavi pag. 69, 197, 217.

[c] *Te prestante.* Huic simillima est oratio canonis Romani, sed in canone Romano verba ad æternum Patrem diriguntur, in Missali nostro aut ad Christum Dominum, aut ad totam individuam Trinitatem. Hac autem oratione Ecclesia profitetur maximum Eucha- D ristiæ beneficium a Deo sibi esse collatum, a quo panis et vinum, elementa eucharistica consecranda, creantur; creata, cum altari admoventur, sanctificantur; sanctificata vivificantur, cum in corpus et sanguinem Christi transsubstantiantur; vivificata benedicuntur, donisque Spiritus sui sancti affatim replentur, atque ita benedicta, nobis, indignis servis suis, fruenda traduntur: quam explicationem Missale Ambrosianum confirmat, in quo hæc oratio ita concluditur: *Et nobis famulis tuis largiter præstas, ad augmentum fidei et remissionem omnium peccatorum nostrorum.* Unde apparet totam hanc orationem a Gotho-Hispanis, tanquam orationis *post pridie* complementum, super elementa consecrata fusam esse. Non ignoro viros eruditos opinatos esse orationem canonis Romani *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, etc., ad fruges novas benedicendas pertinere, quæ, in hac missæ parte, ante hanc orationem, altari benedicendæ inferebantur, de qua re sanctissimus Dominus noster papa Benedictus XIV copiose et erudite, more suo, disserit in opere de sacrosancto missæ Sacrificio (*Lib.* II, *cap.* 18, *a n.* 10, *Edit. Rom. pag.* 191). Huic tamen opinioni assentiri nequeo: nam, ut sanctitas sua animadvertit, frugum novarum benedictio non amplius fit in hac parte missæ, neque unquam erat universaliter receptum ut in ea missæ parte benedictio novarum frugum fieret; præterea rubrica Missalis Romani, nulla facta mentione novarum frugum, præscribit ut sacerdos *ter signet super hostiam et calicem*, dicens *Sanctificas*, etc., et Missale Ambrosianum: *Hic signet sacrificium* SANCTIFICAS, etc. Haud tamen negaverim, in vetustis quibusdam Sacramentariis prædictam orationem novis frugibus benedicendis adhibitam fuisse; sed hoc privata quorumdam episcoporum auctoritate statutum esse puto, qui verba illa *per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, quæ, ex intentione Ecclesiæ, ad sacra dona consecrata referuntur, etiam novis frugibus benedicendis aptari posse perspexerant.

[d] *Tunc Presbiter accipiat.* Absoluto *Te prestante*, respondetur *Amen.* Tunc presbyter calicem detegit, et tollens hostiam de patena illam calici discooperto imponit, manu sua ita elevatam, supra os calicis, sustinens, ut a populo videri commode possit, calicem vero non elevat, neque ab altari de loco suo movet. Facta elevatione, hostiam deponit super patenam (nam nunquam super corporale deponitur), et, si missa fuerit privata, dicit antiphonam *ad confractionem panis*, qua recitata, hostiam frangit; sin missa fuerit solemnis, facta elevatione hostiæ, chorus canit antiphonam *ad confractionem*, et interim sacerdos frangit hostiam. Olim in patena hostiam frangebat, modo autem frangit in ore calicis detecti; atque hæc circa elevationem hostiæ, ejusque confractionem observantur omnibus diebus ferialibus, Dominicis, et festis, quibus est propria antiphona *ad confractionem;* ast aliis diebus Dominicis, et festis præcipuis, quibus pro antiphona *ad confractionem panis* Symbolum Constantinopolitanum recitatur, postquam recitata est oratio *Te prestante*, et responsum est *Amen*, sacerdos, de more, salutat populum: *Dominus sit semper*, etc., et respondetur *Et cum*, etc. Tum calicem detegit, illique, ut supra explicavi, hostiam imponit, quam ita elevat, ut a populo videri commode queat, calicem tamen de loco suo non movet neque attollit. Ex vetusta Gotho Hispanorum disciplina, apud quos, teste sancto Isidoro (*Off. lib.* II, *cap.* 8), diaconi erat calicem sacrum de mensa Domini movere, *ipsis enim sacerdotibus, propter præsumptionem, non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus sit a diacono.* Itaque, calice immoto, super os ejus elevatam tenens hostiam, aut cantando, aut elata voce, dicit: *Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus*, et statim chorus recitat Symbolum Constantinopolitanum; et dum Symbolum recitatur, sacerdos hostiam frangit. Ritus frangendi panem consecratum a Christo Domino originem ducit, qui, Eucharistiam instituens, prius panem benedixit, et in sui corporis substantiam transtulit, ac deinde *fregit*, deditque discipulis suis. Unde hanc cæremoniam Ecclesiæ omnes, tam in Oriente quam in Occidente, constanter retinuerunt, etsi cum aliqua varietate circa tempus et modum frangendi. Nam in Occidente, panem eucharisticum, antequam consecretur, omnino non frangunt, quod


patena : et ponat super calicem discoopertum : et dicat alta voce omnibus diebus videlicet festivis et Dominicis : preter in locis in quibus erit Antiphona propria ad confractionem panis. Postea dicat Presb. sic.



Dominus sit semper vobiscum.

A *Respondeat Chorus.* Et cum spiritu tuo.

Dicat Presb.



Fidem quam corde credimus o-re autem di-camus.


Et elevet Sacerdos corpus Christi ut videatur a populo. Et [a] *dicat Chorus symbolum bini ac bini* : videlicet.

etiam in Oriente observatum esse reor, quandiu populus panes integros ad altare offerre consuevit. Modo autem, et a pluribus sæculis, Græcis et Orientalibus solemne est oblatas suas in prothesi, antequam altari inferantur, in plures partes scindere. Coptitis insuper mos est partem præcipuam oblatæ in tria fragmenta partiri cum, verba consecratoria proferentes, ad vocem *fregit* pervenerint (*In litur. S. Basil. Copt.*, *pag.* 15, *apud Renaud.*, *t. I*). In liturgiis Copticis sancti Basilii, sancti Gregorii, et sancti Cyrilli, et in Alexandrinis sancti Basilii, et sancti Gregorii (*Renaud.*, *Lit. Orient.*, *tom. I*), in liturgia Æthiopica (*Ibid.*, *pag.* 518), in liturgia communi Chaldæorum (*Ibid.*, *t. II*, *pag.* 593, 594), et in quibusdam liturgiis Syrorum (*Ibid.*, *tom. II*), hostia frangitur antequam recitetur oratio Dominica; at in canone Romano, in liturgia Græca Alexandrina sancti Marci (*Renaud.*, *t. I*, *pag.* 162), in liturgia sancti Chrysostomi (*Euchol.*, *pag.* 88), in liturgia Græca sancti Jacobi (*Bib. Patr. Gr.-Lat.*, *tom. II*), in liturgia Syriaca sancti Jacobi (*Ren.*, *tom. II*, *pag.* 41), hostia frangitur post recitatam orationem Dominicam. Jam de modo frangendi, Gotho-Hispani, Galli et Mediolanenses, et Romani, olim in patena frangebant, et Romani olim, dum panis consecratus a diaconis frangeretur, *Agnus Dei* canebant (*Ord. Rom.* I, *et* III *Hittorp.*); at modo Romæ, et saltem a sæculo XIV, hostia frangitur, non in patena, sed in ore calicis, post absolutam orationem *Libera nos*, *quæsumus*, *Domine*, *ab omnibus malis*, etc. Sed antequam clausula subjungatur *Per eumdem Dominum nostrum*, etc., Mediolanenses dicunt quando hostiam frangunt : *Corpus tuum frangitur, Christe.* Apud Græcos, in liturgia sancti Chrysostomi, diaconus dicit : *Divide*, *Domine*, *panem sanctum*; et sacerdos illam attente et devote in quatuor partes frangens, dicit : *Frangitur et dividitur Agnus Dei Filius Patris, qui frangitur, at non comminuitur, qui semper comeditur, at non consumitur, sed eos qui sunt participes sanctificat* (*Euch.*, *p.* 82). De fractione Eucharistiæ distincte loquitur sanctus Chrysostomus (*Tom. X Oper.*, *Ed. Maur.*, *pag.* 213), in Homilia 24, in Epist. I ad Corinth., ubi explicans illud, *Panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* interrogat : *Cur autem addidit* QUEM FRANGIMUS? Et sibi respondet : *Hoc enim in Eucharistia fieri videre est; in cruce vero non item, imo contrarium; ait enim* OS NON COMMINUETUR. *Sed quod non passus est in cruce, hoc propter te patitur in oblatione* (sive in missa), *et frangi patitur ut omnes impleat.* Demum, pro Ecclesiarum consuetudine, hostia, sive oblata, in plures aut pauciores partes frangitur; Mozarabes (nam hunc ritum Gotho-Hispanis ignotum fuisse reor, utpote introductum postquam oblatas ad altare offerre usu receptum erat) hostiam in novem partes dividunt, quibus singulis proprium nomen imponunt. Ritu Romano, in tres partes; Græci præcipuam oblatæ partem in partes quatuor; Coptitæ partem præcipuam primum in tres, tum harum singulas in plures frangunt. Syri quoque et Chaldæi majorem hostiæ partem in plures partiuntur.

[a] *Dicat chorus symbolum.* Justinus Junior, anno 568, imperii sui primo, *symbolum* Constantinopolitanum *in omni* Ecclesia catholica a populo *canendum intromisit*, ut scribit Joannes Biclarensis, in Chronico. Antea quidem Petrus Fullo Antiochenus patriarcha, qui anno 488 obiit, ut Symbolum diceretur in singulis collectis instituerat (*Theod. Lect.*, *Collect. l.* II); et post hunc Timotheus, cognomine Colon, qui ab anno 511 ad 517 tenuit sedem Constantinopolitanam, instituit ut fides Nicæna in omni synaxi recitaretur (*Theod. Lect.*, *ibid.*). Sed horum instituta, hominum hæreticorum, a paucis suscepta, brevi tempore in desuetudinem abiere; quare exordium ritus recitandi Symboli Constantinopolitani, inter missarum solemnia, Justino Juniori Augusto tribuendum est, quo adnitente, in Græciæ et Orientis Ecclesiis Symbolum in collectis recitari cœpit; at in Occidente Gotho-Hispa-
B ni, omnium primi, statuerunt ut Symbolum in missa diceretur. Patres enim synodi Toletanæ III, de consilio Recaredi regis, canone secundo, decreverunt ut, per omnes Hispaniæ et Galliæ Gothicæ provincias, Symbolum Constantinopolitanum *prius quam Dominica dicatur oratio, voce clara, a populo decantetur, quo fides vera manifestum testimonium habeat, et ad Christi corpus et sanguinem prælibandum, pectora populorum fide purificata accedant.* Exinde ritus recitandi Symboli in missa per Galliam et vicinas provincias propagatus est, et tandem anno 1014, Benedictus VIII papa concessit precibus sancti Henrici I imperatoris, ut Romæ in missa Symbolum caneretur, quod Berno Augiensis abbas, auctor synchronus, prodidit (*De Reb. ad miss. spect.*, *cap.* 2). Non desunt qui putant Ecclesiam Romanam Symbolum in missa legisse ante sæculum IX, quia de Symbolo post Evangelium cantando Ordines Romani apud Mabillonium II, V, VI, aperte mentionem faciunt; at Berno Augiensis, testis oculatus, distincte asserit : Symbolum *Ro-*
C *mani usque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici imperatoris* NULLO MODO *cecinerunt.* Cui non contradicunt citati Ordines Romani, qui non tradunt disciplinam basilicarum Urbis, sed Ecclesiarum Galliæ in quibus ritus Gelasianus, aut Gregorianus receptus quidem erat, sed ritibus quibusdam Gallicanis immistus, ut facile est hos Ordines diligentius inspicienti deprehendere. Neque obstat quod Amalarius in ecloga titulum habeat *de Credo in Deum*, quo de Symbolo post Evangelium recitari solito tractat, siquidem hoc loco ritum Romanum purum non exhibet, nam inquit : *Convenit populo post Evangelium, quo Christi verba audivit, intentionem credulitatis suæ præclaro ore proferre*; siquidem populus in Gallia et in Hispania Symbolum in missa recitabat, non item Romæ. Certe idem Amalarius (*Lib.* III *de Eccl. Offic.*) fuse singulas missæ Romanæ partes exponens, de Symbolo tacet, et Ordines Romani genuini III et IV Hittorpii, atque is quem illustrissimus Blanchinius in
D prolegomenis ad tomum III Anastasii (*Opusc.* 3) edidit, quique olim ad usum Basilicarum Urbis fuerant exarati, non modo silent de Symbolo, sed nullum Symbolo recitando locum vacuum in missa relinquunt. Jam vero Gotho-Hispani, ex decreto concilii III Toletani, Symbolum recitant ante orationem Dominicam. Galli Francorum imperio subditi videntur statim post Evangelium Symbolum cantasse, postquam usus cantandi Symboli apud eos invaluit; incertum enim est an omnes Ecclesiæ Gallicanæ ante sæculum VIII Symbolum in missa cantaverint. Certe de Symbolo silet libellus sancti Germani de missa Gallicana. Græci primum osculum pacis dant, tum dicunt Symbolum, quod excipit præfatio (*Euch.*, *pag.* 75). In liturgiis Syrorum, Coptitarum, et in liturgiis Græcis Alexandrinis Symbolum ante osculum pacis recitatur, præterquam in liturgia sancti Marci, in qua, nisi subsit error, Symbolum post osculum pacis dicitur.

[a] Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem. Factorem celi et terre. Visibilium omnium et invisibilium conditorem. Et in unum Dominum [b] nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo. Lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero. Natum non factum. [c] Omousion Patri hoc est ejusdem cum Patre substantie. Per quem omnia facta sunt que in celo et que in terra. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit [d] de celis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex [e] Maria Virgine et homo factus est. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus tertia die surrexit. Ascendit ad celos : sedet ad dexteram [f] Dei Patris omnipotentis. Inde [g] venturus est judicare vivos et mortuos. **231** Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificatorem et ex Patre et Filio procedentem. Cum Patre et Filio adorandum et [h] conglorificandum. Qui locutus est per Prophetas : et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. [i] Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum et vitam [j] venturi seculi. Amen.

[k] *Post hec frangat Presb. Eucharistiam in medium: et ponat mediam partem in patena : et de alia parte faciat quinque particulas et ponat in patena : et accipiat aliam partem et faciat quatuor particulas et ponat in patena similiter per ordinem factas per perscriptas rotas. Et statim purget bene digitos. Et cooperto calice faciat Memento pro vivis. Et perfecto Simbolo dicat Presb. ad orationem Dominicam equaliter.*



[a] *Credimus.* Dicunt *Credimus*, quia olim a toto populo dicebatur Symbolum. Apud Gotho-Hispanos et apud Mozarabes chorus *dicit Symbolum bini et bini*. Syri quoque dicunt *Credimus* (*Renaudot., t. II, p.* 11). At in liturgia Græca Alexandrina (*Ibid., t. I, pag.* 60) præscribit Rubrica : *Populus dicat* CREDO IN UNUM DEUM. Græci etiam (*Euch., p.* 75) dicunt *Credo in unum Deum*, quemadmodum etiam Romæ dicunt *Credo in unum Deum*. Apud Græcos vero chorus Symbolum recitat, apud Orientales populus. Rubrica in liturgia Coptica sancti Basilii (*Renaud., t. I, pag.*12) præscribit : *Populus dicet Symbolum fidei orthodoxæ*; et rubrica liturgiæ Græcæ Alexandrinæ ejusdem sancti Basilii (*Ibid., pag.* 60) habet : *Populus dicit* CREDO IN UNUM DEUM. Ritu romano, in missa privata sacerdos Symbolum integrum recitat, et olim Alexandriæ sacerdos Symbolum in missa dicebat. Juxta rubricam liturgiæ Græcæ Alexandrinæ sancti Marci *sacerdos signans cruce discos et calices, elata voce dicit* CREDO IN UNUM DEUM (*Renaud., tom. I, pag.* 143). Modo Romæ, et in toto Occidente, cum missa solemnis celebratur, sacerdos inquit *Credo in unum Deum*, reliqua chorus canit. Sæculo XIII ineunte, ut monet Alexander Halensis (*Tract. de Offic. Miss., part.* I), *Romano Pontifice solemniter celebrante, fidei Symbolum non cantores in choro, sed subdiaconi ad altare decantabant.* Cæterum Symbolum quod Gotho-Hispani in missa cantabant, etsi a sancto Isidoro (*De Offic. eccl. lib.* I, *cap.* 36) a conciliis XIII Toletano, et Bracarensi III (*in præf.*) et ab Etherio et Beato (*Lib. adv. Elipand.*) dictum sit Symbolum Nicænum, est revera Symbolum Constantinopolitanum, ut fides ipsa, et concilium Toletanum III clare manifestat, tamen dictum est Nicænum, vel quia prima ejus pars a Nicæna synodo condita est, vel quia fama concilii Nicæni vulgo clarior erat quam Constantinopolitani. Exstat autem Symbolum hoc in conciliis Toletanis VIII, XII et XIII, in concilio Bracarensi III, et in libro I Etherei et Beati adversus Elipandum, in quibus aliquæ varietates inveniuntur, quarum præcipuas adnotavi.

[b] *Nostrum.* Conciliis Toletanis, et Bracarensi et Etherio, deficit.

[c] *Omousion.* Ita Toletana et Bracarense III concilia, Etherius et Beatus, *homousion.*

[d] *De celis.* Non legunt Toletana et Bracarense III concilia, neque Etherius et Beatus.

[e] *Ex Maria Virgine.* Ita Toletana et Bracarense III concilia ; at Etherius et Beatus, *et Maria virgine* legunt.

[f] *Dei Patris omnipotentis.* Toletana concilia ; et Etherius et Beatus, *sedet ad dexteram Patris.* Bracarense III, *Dei Patris;* illud *omnipotentis* omnibus deficit.

[g] *Venturus.* Ita concilia Toletana et Bracarense III; Etherius et Beatus, *inde venturus in gloria.*

[h] *Conglorificandum.* Ita concilia Toletana et Bracarense III ; Etherius et Beatus, *glorificandum.*

[i] *Confiteor.* Lege *confitemur.*

[j] *Venturi.* Ita concilia Toletana et Bracarense III ; Etherius et Beatus, *futuri.*

[k] *Post hec.* Rubrica ista pertinet ad modum frangendæ hostiæ, Mozarabis peculiarem. Circa nomina particularum hostiæ fractæ, adverte quod *corporatio* idem significat atque *incarnatio*, et quod *apparitio* idem atque *epiphania*, sive manifestatio, Filii Dei. Absoluta fractione hostiæ, et purgatis digitis, præscribit rubrica ut sacerdos cooperiat calicem, quem statim post elevationem non texerat, quia recentiori disciplina Mozarabes, ritus Romanos imitantes, hostiam non, ut olim, in patena, sed in ore calicis frangunt. Deinde rubrica monet ut fiat *Memento pro vivis*; et hoc recens institutum, in quo neque cum ritibus Romanis, neque cum Gotho-Hispanis conveniunt, nam ritu Romano *Memento vivorum* fit ante consecrationem, ritu autem Gotho-Hispano *Memento tam vivorum quam mortuorum* fit quando diptycha leguntur, et oratione *post nomina* concluditur. Cæterum fractio hostiæ, partium ejus distributio in patena, *Memento pro vivis*, et alia, a rubrica indicata, fieri debent dum chorus Symbolum canit, aut dum antiphonam *ad confractionem* in missa solemni ca-

ᵃ *Oratio.* Oremus. Apostolo tuo Jacobo Domine edocente premonemur : ut si quis nostrum indiget sapientia : postulet a te : quia das omnibus affluenter : et non improperas. Sed quia ad te pervenire cupimus per Christum : qui est virtus tua et sapientia : id agere præoptamus. Poscentes clementiam tuam : per eum qui apud te advocatus factus est noster. Ut pervenire nos ad te facias : et oratione quam ipso Domino instruente didicimus : ad te introire permittas : proclamantes e terris.



Postea dicat Sacerdos.



A



Hic percutiat Sacerdos pectus.



B

C

232 *Accipiat modo primam particulam de patena : et ponat super calicem dicendo.* ᶜ Vicit leo. *quere fol.* 198. *et dicat istam orationem inter se submissa*

nit. In missis vero privatis post recitatam antiphonam confractionis, aut pro diei qualitate, post dictum Symbolum, hæc omnia ordinatim, a sacerdote fiunt.

ᵃ *Oremus.* In missa Mozarabum solemnis vox *Oremus* bis tantum a sacerdote dicitur, primum ante *agios*, et rursus ante capitulum hoc quod orationi Dominicæ præmittitur, quibus locis illud *Oremus* per errorem irrepsit ; nam ritu Gotho-Hispano sacerdotis non erat populum admonere cum orandum erat, proclamando *Oremus*, sed ad diaconum id muneris pertinebat. Sanctus Isidorus (*De Off. eccl.*, *l.* II, *c.* 8) de diaconis ait : *Hi voces tonitruorum, ipsi enim, clara voce, in modum præconis, admonent cunctos sive in orando, sive in flectendo genua, sive in psallendo, sive in lectionibus audiendo*, etc. Et hinc discimus quod apud Gotho-Hispanos diaconus dicebat *Oremus*, idem *flectamus genua*, et rursus *Erigite vos*, aut *Levate ;* idem clamabat *Aures ad Dominum.* At voces quibus utebatur cum admoneret populum ad psallendum et ad lectiones audiendas hortaretur, penitus exciderunt, si præter illud, *Silentium facite*, quod, in Missali nostro, ante lectionem Apostoli, remansit, et de quo etiam sanctus Germanus, in missæ Gallicanæ explicatione, meminit, diaconus aliquid ad attentionem conciliandum dixerit. Apud Græcos, ut est in liturgia sancti Chrysostomi, diaconus ante lectionem Apostoli clamat *Attendamus*, et postquam lector titulum lectionis proposuit, iterum *Attendamus* clamat, et ante Evangelii lectionem sacerdos ipse clamat *sapientia, recti audiamus, sanctum Evangelium.* Et postquam diaconus titulum Evangelii legendi proposuit, et chorus *Gloria tibi,* D *Domine*, respondit, rursus sacerdos clamat *Attendamus.* Etherius Oxomensis episcopus (*lib.* I *adver. Elipandum*) ait diaconum ante lectionem Evangelii silentium imperasse, neque ait eum quidquam ad attentionem populi conciliandum addidisse ; quare credibile est, apud Gotho-Hispanos et Gallos diaconum, ad singulas lectiones, *silentium facite*, nec quidquam aliud, imperasse. Certe sanctus Germanus, ille de quo sæpe redit sermo, explicans missæ Gallicanæ ritus, docet diaconum silentium imperare tum ut populus lectorem audiat, tum ut lectioni sacræ attentionem præbeat. *Silentium autem diaconus pro duabus rebus annuntiat, scilicet ut tacens populus melius audiat verbum Dei, et sileatur nostrum* (lego, *et ut sileat mens nostra*) *ab omni cogitatione sordida, quo melius recipiatur verbum Dei.*

ᵇ *Pater noster.* De Oratione Dominica, vide infra (*Pag.* 246).


ᶜ *Vicit Leo.* De hac rubrica, vide *pag.* 6.

voce. [a] **Sancta sanctis** et [b] **conjunctio corporis Domini nostri Jesu Christi : sit sumentibus et potanti-** A **bus nobis ad veniam : et defunctis fidelibus prestetur ad requiem.** *Et mittat particulam in calicem : et*

[a] *Sancta sanctis.* Est hæc in omnibus Græcorum et Orientalium liturgiis notissima formula. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Cat. myst.* 5) : *Sacerdos dicit* SANCTA SANCTIS... *et vos subjicitis* UNUS SANCTUS, UNUS DOMINUS JESUS CHRISTUS. Constitutiones apostolicæ (*Lib.* VIII, c. 13) : « Episcopus *Sancta sanctis; populus Unus Sanctus, unus Dominus, unus Christus in gloriam Dei Patris benedictus in sæcula.* » Liturgia Sancti Chrysostomi : « Clamat sacerdos *Sancta sanctis;* chorus *Unus Sanctus, unus Dominus, Jesus Christus in gloriam,* εἰς δόξαν, *Dei Patris.* » In liturgia sancti Jacobi (*Bib. Patr. Gr.-Lat. Paris., t. II*) : « Sacerdos *Sancta sanctis* clamat, et populus *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloriam Dei Patris, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.* » In liturgia Græca Alexandrina sancti Basilii (*Renaud., t. I, pag.* 82) sacerdos elevat *spudicon,* sive B partem majorem hostiæ consecratæ (quæ in aliis rubricis *despoticon* dicitur, nimirum corpus dominicum, δεσποτικὸν σῶμα), et clamat *Sancta sanctis,* et populus *Unus Pater Sanctus, unus Filius Sanctus, unus Spiritus Sanctus;* atque ita in liturgiis Copticis, Syriacis, Æthiopicis, Chaldeis, et Græcis Alexandrinis, in quarum nonnullis confessioni Trinitatis additur doxologia, in aliis prolixior, brevior in aliis; in omnibus tamen, tam Græcorum quam Orientalium, liturgiis *Sancta sanctis* elata voce profertur. Atque ita prolatum fuisse apud Gotho-Hispanos, et Gallos, ut a toto populo audiri potuerit, mihi certum est, quamvis rubrica nostri Missalis præscribat ut submissa voce dicatur, nam modo partem efficit orationis, quam ad commistionem corporis et sanguinis Domini fundunt. Ast olim ab ea oratione sejunctum erat, et populus; vel chorus, post dictum *Sancta sanctis,* quædam canebat quæ Missali nostro omnino exciderunt. Suspicor tamen post *Sancta sanctis* id cantatum fuisse quod Galli *trecanum* appellabant, complectebaturque fidei catholicæ confessio- C nem de unius Deitatis trium personarum distinctione, optimum contra hæreses Arianorum et Priscillianistarum antidotum : *Trecanum vero quod psallitur,* inquit sanctus Germanus, *signum est catholicæ fidei de Trinitatis credulitate procedere; sic enim prima in secunda, secunda in tertia, et rursum tertia in secunda, et secunda notatur in prima; ita Pater in Filio, mysterium Trinitatis complectit; Pater in Filio, Filius in Spiritu sancto, Spiritus sanctus in Filio, et Filius rursus in Patre.* Unde patet hanc Trinitatis confessionem haud absimilem esse illi quam post *Sancta sanctis* populus in Oriente proferebat : *Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus,* etc. In pervetusto Codice insignis Ecclesiæ Andegavensis, te te Martenio (*de antiq. Eccl. Ritib., lib.* 1, *cap.* 4, *art.* 9, *n.* 2), ad hostiæ in calicem immissionem leguntur hæc verba : *Sanctum cum sanctis, hæc sacrosancta commistio,* etc. Et in altero ejusdem Ecclesiæ Missali : *Sancta cum sanctis, et commistio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi prosit edentibus et bibentibus in vitam æternam. Amen.* Quæ a vetusto Gallicano ritu profecta esse facile est dignoscere.

[b] *Conjunctio Corporis.* Adde *et sanguinis.* Canon Romanus : *Hæc commistio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* Missale Ambrosianum : *Commistio consecrati corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi nobis edentibus, et sumentibus proficiat ad vitam et gaudium sempiternum.* In nostro Missali est *sumentibus et potantibus sit ad veniam,* ubi illud *sumentibus,* idem significat ac *edentibus,* quamvis in Mediolanensi idem significet ac *potantibus.* Ex his tamen constat vocem *sanguinis* hic, et pag. 6, Missali nostro deficere. Jam vero Gotho-Hispani ante orationem Dominicam hostias, sive oblationes frangebant (*Vid. not. pag.* 230). Deinde, post orationem Dominicam elevando partem oblationis dicebant *Sancta sanctis,* et canebatur quod Galli *trecanum* appellarunt (*Vid. not. pag.* 232). Demum fragmentum oblationis in calicem mittebant dicendo : *Conjunctio Corporis et sanguinis,* etc., nullum tamen faciebant crucis signum, de quo ordo antiquus Blanchinii, et primus ordo Mabillonii silent. Sanctus Germanus, in Explicatione missæ Gallicanæ *commistionem* corporis et sanguinis Domini, nomine tenus attigit : *Confractio vero,* inquit, *et commistio corporis Domini... declarata antiquitus sanctis Patribus fuit... Sacerdote autem frangente... clerus psallet antiphonam.* Commistio panis et calicis ritus est plane antiquus, et omnibus liturgiis communis. A Gotho-Hispanis (*Conc. Tol.* IV, *can.* 18) dicta est *conjunctio panis et calicis.* Ab Amalario (*Eccl. Off. l.* III, *c.* 31) dicitur *immistio panis in vinum.* A Micrologo, cap. 18, *immissio panis in calicem;* a Gallis, ut ex sancto Germano colligitur, a Mediolanensibus et a Romanis, *commistio corporis et sanguinis Domini;* a Græcis ἡ ἁγία ἕνωσις, *sacra unitio,* quo vocabulo in liturgia Græca sancti Jacobi, in liturgiis Copticis et Syriacis, designatur, in quibus etiam *consignatio* et *commistio mysteriorum* appellatur. Sed quamvis hic ritus ex iis sit qui in omnibus liturgiis præscribuntur, tamen diversimode transigitur. Nam, in Græcorum et Copitarum liturgiis, *Sancta sanctis* præmittitur *fractioni,* et continuo fractioni conjungitur *consignatio et commistio mysteriorum.* At apud Gotho-Hispanos *fractio* præcedit *orationem Dominicam,* ejusque præfationem, et appendicem *Libera,* etc. Deinde consequitur *Sancta sanctis,* ac tandem *conjunctio panis et calicis,* quæ proinde a *confractione* procul sejungitur. Gallos eodem ordine has actiones fecisse reor, quamvis sanctus Germanus *commistionem* illico subjungat *confractioni,* et postea de oratione Dominica loquatur; hic enim nonnunquam actiones alio ordine narrat quam quo gestæ sunt. Romæ pontifex inter missarum solemnia post sumptum corpus Domini *commistionem* facit, reliqui autem sacerdotes ad ea verba, *Pax Domini sit,* etc., partem hostiæ in calicem mittunt. Ordo Romanus IV Mabillonii, qui verbatim ferme ex Amalarii ecloga desumptus est (*Confer apud Georgium, de liturg. Rom. Pont., t. III, a p. 361, in appendice monumentorum*) distincte (*Pag.* 62) habet : Pontifex *deinde dicit Pax Domini sit semper. Non mittit partem de sancta in calicem, sicut cæteris sacerdotibus mos est.* Et infra : *Quando communicat domnus apostolicus, partem sibi mordet, et reliquam in calicem mittit, faciens crucem de ea tribus vicibus super calicem nihil dicens.* Hinc patet pontificem, saltem in missa solemni, sæculo IX defluente, particulam hostiæ in calicem non misisse ad ea verba, *Pax Domini,* etc. Sed neque sæ- D culo XIII. Testis est Innocentius III (*lib.* VI, *cap.* 9) clare negans pontificem ad ea verba, *Pax Domini,* particulam hostiæ dimittere in calicem, *sed eam post trinum crucis signaculum in patenam reponere,* et infra, agens de communione pontificis in missa, docet pontificem partem majorem oblatæ, sibi a subdiacono in patena exhibitam, dividere, *unamque particulam sumere et aliam mittere in calicem, quem tenet coram ipso diaconus, de quo sanguinem haurit cum calamo.* Demum neque adhuc sæculo XIV pontifex mittebat partem hostiæ in calicem ad dicta verba *Pax Domini,* etc. Constat ex ordine Romano XIV Mabillonii (*Pag.* 336); sic enim Jacobus cardinalis Cajetanus scribit : *Cum ipsa particula ter signet super calicem dicendo pax Domini,* etc.... *adjungat particulam illam aliis particulis quæ sunt in patena.* Atque adeo particulam illam non mittit in calicem. De *commistione* vero infra, agens de communione, distincte meminit : Pontifex *cum reverentia accipiat de patena majorem partem hostiæ, et dicat* PANEM CO-

cooperiat calicem : et dicat alta voce sic : si ibi non fuerit Diachonus.



[a] Hu- mi-li-a-te vos ad bene- dicti- o-



nem. Do-minus sit semper vobiscum.

Benedictio. Christus Deus Dei Patris Filius : quem Jacobum relicto Patre in navi tota secutus est intentione cordis : indesinenter vos faciat suis inherere vestigiis. Amen. Quique per hunc Apostolum suum cultores demonum convertit ad fidem : concedat vobis vana hujus seculi respuendo se in veritate diligere. ℟. Amen. Ut ejus remuneremini presidiis : cujus hodie triumphum excolitis passionis. ℟. Amen. Quod ipse prestare dignetur : per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum.

℟. Amen. *Postea statim dicat.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Quo dicto cantet Chorus. [b] Gustate et videte quam

CŒLESTEM ACCIPIAM, etc., *tenens partem prædictam hostiæ, cum quatuor digitis, super sanguinem et calicem, dicat reverenter tribus vicibus,* DOMINE NON SUM DIGNUS, etc. *Postea signet se cum ipso corpore, et reverenter sumat totum illud quod est extra digitos prædictos, et quod infra digitos remanet ponat in calice cum sanguine, dicens :* FIAT COMMISTIO, ET CONSECRATIO CORPORIS ET SANGUINIS, etc. At XIV sæculo exeunte, aut certe sæculo XV, pontifex, more aliorum sacerdotum, particulam hostiæ in calicem mittebat ad ea verba, *Pax Domini*, etc. Testis est liber Cæremoniarum S. R. E. (*Lib.* II, *cap.* 14) citatus a Georgio (*Liturg. Rom. Pont. t. III, lib.* IV, *c.* 14, *pag.* 151), ubi hæc : *Pax Domini*, etc. *Et signat ter cum particula super calicem ; deinde eam in calice deponit.* Atque hunc morem etiam nunc tenet pontifex in missa solemni, vetustiore abdicato. At, inquis, unde natum est ut alii sacerdotes ritu Romano celebrantes per tot sæcula *commistionem* facerent ad hæc verba, *Pax Domini sit semper vobiscum*, cum ipse Romanus pontifex non nisi post sumptum corpus Domini *commistionem* faceret? Mihi quidem hæc varietas orta videtur ex antiquissimo ritu Romano bis faciendi *commistionem*, primum ad ea verba, *Pax Domini*, etc., et rursus, inter communicandum, postquam pontifex corpus Domini sumpserat ; nam, cum deinde semel tantum in missa commistionem panis et calicis facere placuisset, alii sacerdotes ad ea verba, *Pax Domini*, etc., particulam hostiæ in calicem mittebant ; Romanus autem pontifex consuetudinem immittendi corpus in sanguinem Domini tempore communionis ad sæculum usque XV retinuit. Porro Romanum pontificem bis in eadem missa commistionem antiquitus fecisse, observavit Amalarius (*Eccl. Off. lib.* III, *cap.* 31), quamvis ejus ævo ritus ille jam antiquatus fuerat. Et post Amalarium Mabillonius (*Comment. ad ord. Roman., pag.* 36 *et* 51), et antiquiores Ordines Romani primus et secundus Mabillonii, primus et tertius Hittorpii, et Ordo Romanus Blanchinii, editus inter prolegomena ad tom. III Anastasii (*Opusc.* 3), duplicem hanc commistionem corporis et sanguinis Domini in eadem missa fieri solitam clare ostendunt, atque in prima *commistione* ad ea verba, *Pax Domini*, etc., pontificem in calicem misisse partem oblationis in anteriori missa consecratam, eam scilicet quam ad altare processurus inspexerat et adoraverat ; in secunda vero *commistione*, quam inter communicandum faciebat, pontificem in calicem demisisse partem sacrificii ejusdem diei, ut supra, ex Ordinibus Romanis explicavi. Demum adverte, juxta Ordinem Blanchinii, et primum, et tertium Hittorpii (quibus magis fido quam Ordini primo Mabillonii), pontificem nihil dixisse, neque crucem fecisse cum ad verba, *Pax Domini*, etc., fragmentum sacrum in calicem mitteret ; at, cum tempore communionis *commistionem* faceret, dixisse : *Fiat commistio, et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam*, crucem vero nullam fecisse. Mos immittendi partem sacrificii anterioris in calicem, ad ea verba, *Pax Domini*, etc., tempore Amalarii in usu esse desierat, ut plane constat ex Ordine Romano, quem eclogæ suæ inseruit, estque quartus Mabillonii. Desiisse autem hunc ritum puto, cum partem Eucharistiæ prioris sacrificii ostendi pontifici sacra facturo et ad altare deferri desiit. In Gallia, consuetudo deferendi Eucharistiam ad altare, cum missa solemniter fieret, sæculo VI adulto vigebat ; quo tempore Romæ fuerit abrogata mihi non constat. Hodierno ritu, ut præscribit rubrica Missalis sancti Pii V, sacerdos *cum ipsa particula signat ter super calicem dicens* PAX † DOMINI SIT † SEMPER VOBIS † CUM ; *et respondetur* ET CUM SPIRITU TUO, *et particulam ipsam imponit in calicem, dicens secrete :* HÆC COMMISTIO, etc. Neque aliter, in missis privatis, sæculo XI, faciebat (*Microl., cap.* 17) ; atque hæc de ritu Romano. Juxta liturgiam Constantinopolitanam, sacerdos Græcus, peracta fractione corporis Domini, *accipit partem unam sancti panis, et manu tenet, et diaconus, ostendens cum stola sanctum calicem, dicit* IMPLE DOMINE, SANCTUM CALICEM. *Sacerdos dicit* PLENITUDO FIDEI SPIRITUS SANCTI. *Mox signum crucis facit, et mittit* particulam *in sanctum calicem, et diaconus* dicit AMEN (*Euch. Goar., p.* 82). Hæc pars liturgiæ, quæ apud Græcos et Latinos simplex est et expedita, apud Orientales, Syros et Coptitas prolixa est et operosa, de qua vide notas eruditas Renaudotii (*Tom. I Lit. Orient., pag.* 258 ; *tom. II, pag.* 108, *et alibi*). Syri, ut est in liturgia Syriaca sancti Jacobi (*Renaud., tom. II, pag.* 41), a majori parte hostiæ consecratæ particulam auferunt, eamque sanguini intingunt, atque, ita sanguine sacro madidam, ac alia fragmenta, in quæ oblatam diviserunt, signant, dicentes : *Inspersitur* (sic) *sanguis Domini nostri Jesu Christi corpori ejus ;* tum illam particulam calici immittunt, dicentes : *Miscuisti, Domine, divinitatem tuam cum humanitate nostra, et humanitatem nostram cum divinitate tua... tibi gloria in sæcula.* Chaldæi, sive Nestoriani (*Renaud., tom. II, pag.* 594), præter alias cæremonias, hostiæ partem majorem in duas partes frangunt, quarum aliam in disco deponunt, alia vero, quam dextra tenent, calicem signant dicentes : *Signatur sanguis pretiosus corpore sancto Domini nostri Jesu Christi, in nomine Patris*, etc., et respondetur *Amen*. Tum eamdem hostiæ partem *usque ad medium in calice* intingunt, et signant *cum ea corpus quod est in patena*, dicentes : *Signatur corpus sanctum sanguine propitiatorio Domini nostri Jesu Christi, in nomine Patris*, etc. Sacerdos Copticus (*Liturg. S. Basil. Coptic., apud Renaud., t. I, p.* 19, *et apud eumdem Gabriel Alexandrinus citatus, ibid.,* 159) partem præcipuam hostiæ consecratæ, quam ISBO-DICON appellant, vola manus sinistræ sustinens digito manus dextræ tangit, dicens : *Corpus sanctum ;* tum eumdem digitum indicem immergit calici, eoque, in sanguine, crucem format, dicens : *Et sanguis pretiosus Christi, ipsius omnipotentis Domini Dei nostri ;* demum educens indicem e calice, sanguine tinctum, eo corpus Domini signat nihil dicens, quibus apparet Coptitas *commistionem* mysteriorum facere, partem tamen hostiæ in calicem non immittere.

[a] *Humiliate.* De benedictione, vide pag. 246.

[b] *Gustate.* Hæc antiphona, ex psalmo XXXIII, 9, desumpta, Missali nostro *Ad accedentes* inscribitur,

suavis est Dominus : alleluja : alleluja : alleluja.

℣. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo : alleluja : alleluja : alleluja.

℣. Redimet Dominus animas servorum suorum : et non relinquet omnes qui sperant in eum : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum : amen. Alleluja : alleluja : alleluja.

ᵃ *Quo dicto accipiat Presbyter aliam particulam sequentem et dicat sic. Oratio.* Panem celestem de mensa Domini accipiam : et nomen Domini invocabo.

Dicat Memento pro mortuis : tenendo illam particulam super calicem. Et perfecto Memento dicat silentio hunc orationem.

Oratio. Domine Deus meus : da mihi corpus et sanguinem filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere : ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere : et tuo Sancto Spiritu repleri Deus noster. Qui vivis et regnas in secula seculorum : amen.

233 *Oratio.* Ave in evum sanctissima caro Christi : in perpetuum summa dulcedo.

Oratio. Ave in evum celestis potus : qui mihi ante omnia et super omnia dulcis es.

Oratio. Corpus et sanguis Domini nostri Jesu

quæ olim, dum populus ad communionem accedebat, canebatur. Constitutiones apostolicæ (*Lib.* VIII, *cap.* 13, *alias*, *cap.* 20) præscribunt ut, cum Eucharistia distribuitur, cantetur psalmus XXXIII ; sed jam tempore sancti Cyrilli, Hierosolymis non integer psalmus XXXIII, sed segmentum ejusdem canebatur, ut catechesis mystagogica 5 indicare videtur : *Audivistis deinde vocem psallentis, divina quadam melodia vos ad sanctorum mysteriorum communionem invitantis :* GUSTATE ET VIDETE QUONIAM BONUS EST DOMINUS; et sanctus Ambrosius (*De iis qui myst. init., cap. ult.*) : *Unde et Ecclesia, videns tantam gratiam, hortatur filios suos...* GUSTATE ET VIDETE *quoniam suavis est Dominus ; beatus vir qui confidit in eo*, etc. In Antiphonario Gregoriano singulis missis sua est antiphona *ad communionem*, quæ Missali Romano sancti Pii V simpliciter *communio* inscribitur. In Missali nostro antiphona *ad accedentes* ab Adventu ad Quadragesimam, et a vigilia Epiphaniæ ad Adventum eadem est *gustate et videte*, etc., quæ etiam in sanctorum missis canitur. At Dominicæ Quadragesimæ singulæ propriam habent antiphonam *ad accedentes*, quæ Dominica 1 Quadragesimæ est *Qui venit ad me non esuriet, qui credit in me non sitiet unquam*, etc. (*Pag.* 98); ubi adverte quod per errorem inscribitur *ad confractionem panis*, cum sit antiphona *ad accedentes*, quæ hac Dominica et omnibus feriis quartis et sextis Quadragesimæ canitur. Feria 5 in cœna Domini suam habet antiphonam propriam *ad accedentes*, deinde a Sabbato sancto usque ad vigiliam Pentecostes antiphona *ad accedentes*, vel *ad accedendum est Gaudete populi et lætamini*, etc. (*Pag.* 193), quæ Dominica Resurrectionis, singulis diebus octavarum Paschæ, Dominicis a Paschate ad Ascensionem, die Ascensionis et sequenti Dominica canitur. Demum advertendum, eumdem ordinem liturgicum in Missali Mozarabum observari, quem concilium IV Toletanum (*Can.* 18, *alias* 17) præscribit, scilicet ut *post orationem Dominicam, et conjunctionem panis et calicis, benedictio in populum sequatur, et tunc demum corporis et sanguinis Domini sacramentum sumatur.* Apud Gallos, ut ex Missali Gallo-Gothico patet, orationem Dominicam consequebatur benedictio, et benedictionem communio, et sanctus Germanus aperte scribit quod *ante communionem benedictio traditur*, isle quidem de confractione et de commistione corporis et sanguinis Domini prius agit, et tum de oratione Dominica; unde suspicari liceret Gallos, in nonnullis saltem Ecclesiis, hostiæ confractionem et commistionem panis et calicis præmisisse orationi Dominicæ, si constaret hunc auctorem de recto ordine servando sollicitum fuisse.

ᵃ *Quo dicto.* In missa privata sacerdos prius dicit antiphonam *ad accedentes*, et deinde communicat, in missa solemni tempore communionis canitur antiphona *ad accedentes*. Dicta igitur antiphona illa, sacerdos de patena tollit particulam octavam, dictam *gloria*, dicens *Panem cœlestem*, et tenendo eam supra calicem facit *Memento pro mortuis*. De quo idem sentiendum quod de *Memento* vivorum, scilicet utrumque, præter antiquum morem Gotho-Hispanum, e Missali Romano huc translatum esse. Facto autem *Memento mortuorum*, dicit submissa voce orationem *Domine Deus meus*, etc.; Tum dicit *Ave in ævum*. In Pontificali Prudentii, Trecensis episcopi, apud Martenium (*De ant. Eccl. Ritib., l.* I, *c.* 4, *art.* 12, *tom. I*), habetur oratio dicenda quando sumitur corpus Domini : *Ave in ævum, sanctissima caro, mea in perpetuum summa dulcedo.* Huic orationi (*Pag.* 7) additur *Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.* Insuper addit Roblesius, tam in Vita cardinalis Ximenii (*Cap.* 28) quam in Missa sancti Jacobi, quod, dicto *Ave in ævum*, sacerdos, ter pectus tundens, dicit *Domine, non sum dignus*, etc., de quo nihil exstat in rubricis Missalis, neque apud Pisam; tamen Roblesio, ut pote parocho Mozarabico, et viro satis erudito, in iis quæ ad ritus sui rubricas spectant credendum est. Igitur sacerdos primum dicit *Ave in ævum*, etc., tum dicit *Domine, non sum dignus*, etc., pectus tundens, tertio dicit *Panem cœlestem accipiam*, etc.; demum sacram particulam, quam manu tenet, facto signo crucis, sumit. Deinde cooperit calicem, omnesque particulas singillatim consumit, tum discooperit calicem, et supra calicem patenam diligenter abstergit, fragmenta in eum dejiciens, et postea dicit *Ave in ævum, cœlestis potus*, etc. (quæ oratio in Pontificali Prudentii *Ad sanguinem Domini accipiendum* inscribitur), et sanguinem sumit, quo hausto dicit *Corpus et sanguis*, etc.; et dum ablutionem sumit, dicit *Domine, Deus meus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus*, etc. De ablutione nihil est in rubricis Missalis; at Roblesius, et Pisa dicunt quod hæc oratio, *Domine, Deus meus*, dicitur dum sacerdos oblationem sumit et digitos lavat. Deinde sacerdos, cum missam privatam celebrat, dicit *Referti Christi corpore*, etc., et tempore Quadragesimæ *Repletum est gaudio os nostrum*, etc. At in missa solemni ista cantat chorus. Inscribuntur autem *communio*. His dictis aufertur ab altari liber omnium offerentium, et Missale ad cornu Epistolæ defertur, et sacerdos dicit orationem quæ *post communionem* inscribitur, *Corpus Domini nostri Jesu Christi*, etc. (*De his, vide pag.* 284). Ea oratione absoluta, sacerdos dicit *Per misericordiam Dei nostri*, etc. Deinde salutat populum : *Dominus sit semper*, etc. Respondetur *Et cum*, etc.; quibus dictis, si dies fuerit Dominicus, aut festivus quatuor aut sex capparum, et missa solemnis, diaconus cantando dicit. *Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi, votum nostrum acceptum sit cum pace.* Sin missa fuerit privata, eadem sine cantu a sacerdote dicuntur; at si dies fuerit ferialis, aut festivus duarum capparum, aut novem lectionum, dicit : *Missa est, in nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus* (perficimus) *cum pace*, et chorus, aut minister respondet *Deo gratias*, et in fine missæ additur *Salve, regina*, etc.

Christi custodiat corpus et animam meam in vitam A eternam. Amen.

Et sumat particulam quam in manu habet : et cooperiat calicem et veniat ad patenam : et consumat omnes particulas per ordinem. Et deinde accipiat patenam et ponat super calicem : et purget bene cum pollice et accipiat sanguinem. Et dum Sacerdos sumpserit sanguinem dicat immediate hanc orationem.

Oratio. Domine Deus meus : Pater et Filius et Spiritus Sanctus : fac me te semper querere et diligere : et a te per hanc sanctam communionem quam sumpsit nunquam recedere : quia tu es Deus : et preter te non erit alius in secula seculorum. Amen.

Cantet chorus. Communio. Refecti Christi cor. *Quere fol.* 193. *Dum Sacerdos dixerit* Corpus Do- B mini nostri Jesu Christi. *eat ad cornu altaris dextrum.*

Oratio. Corpus Domini nostri Jesu Christi quod accepimus : et sanctus sanguis ejus quem potavimus : adhereat visceribus nostris eterne omnipotens Deus : ut non veniat nobis ad judicium : nec ad condemnationem : sed proficiat ad salutem et ad remedium animarum nostrarum in vitam eternam. Amen. Per misericordiam. etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

[a] *Item orationes que sequuntur dicuntur per totum* C *annum tam diebus Dominicis quam in festis post Eucharistiam.* Refecti Christi corpore et sanguine pariter : quia sanctificati Deo Patri omnipotenti gratias referamus : ut nos in eadem refectione et sanctificatione habentes : hic et in futuro seculo gloriam percipiamus. ℟. Amen.

Oratio. Gustantes Domine suavitatis dulcedinis plenitudinem quesumus : ut sit nobis hoc ad remissionem peccatorum et sanitatem mentium. Amen.

Oratio. Christi Domini nostri gratia satiati gratias agimus perpetue Trinitati : cujus sanguine sumus precio magno redempti. Petimus itaque sacramentorum tuorum meritis : ut de hoc seculo eripiamur inlesi.

℟. Amen.

Oratio. Gratias tibi agimus Domine Deus : et te Deum benedicimus de die in diem : qui nos in hanc diem sancte solennitatis tue perducere dignatus es. Fac ut diem istum Nativitatis tue : Conceptionis : Circumcisionis : Apparitionis : Resurrectionis : Ascensionis per multa curricula annorum in pace et tranquillitate suscipere mereamur cum fideli populo tuo. ℟. Amen.

Post communionem in XL. Repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra in exultatione.

Oratio. Reple Domine cor nostrum leticia : qui nobis dare dignatus es sacri corporis tui Eucharistiam. Ut quia escarum perceptione reficimur : spiritualibus beneficiis adimpleri feliciter mereamur. Amen.



[b] *Nota quod non dicitur* Vicit leo. *nisi in tempore Resurrectionis.*

Oratio. Domine Deus omnipotens qui es vita et salus fidelium : quem venturum judicem credimus verum : esto nobis propicius. Et qui hanc oblationem pro nostra nostrorumque salute : vel pro expiatione nostrorum peccatorum in honorem Sancti tui N. Sanctorum tuorum. N. Sancteque Virginis tue. N. Sancti Confessoris tui. N. tibi obtulimus misericordie tue opem in nos diffundi sentiamus : ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium : dono tui muneris consequi mereamur premium **234** sempiternum. Concedente divinitate tua Deus noster : qui es vita vivorum et corona Sanctorum in eterna secula seculorum. ℟. Amen.

Oratio. Passionis dominice calicem delibantes : et sacrosancti corporis suavitatem gustantes : gratias et laudes ei referamus : in domo ejus leti et hilares ambulantes. ℟. Amen.

Oratio. Deus sempiterne salus beatorum : beatitudo inestimabilis : concede queso : ut ineffabili munere tuo sancta ac beata qui sumpserunt : sancti ac beati esse mereantur. ℟. Amen. Per ineffabilem tue divinitatis potentiam Deus : qui es benedictus in secula seculorum. ℟. Amen.

In Assumptione Sancte Marie.

Oratio. Omnes qui huic tante Assumptionis solemnitati convenistis : et sacrosancta communione mortalia corpora vivificastis : mereamini per interventum sancte et gloriose genitricis Dei : et hic ab
D omnibus malis eripi : et in futuro cum Christo sine fine jocundari. ℟. Amen.

In Illaria Pasche.

Oratio. Expletis Domine in hac sancta solennitate nostre servitutis officiis : gratias tibi laudesque referimus dono tue miserationis adjuti. Precantes te Deus : ut a peccatis nos abluas : et in tuis laudibus exultare concedas. ℟. Amen.

De Sancta Barbara.

Oratio. Deus cujus dilectionem beata Barbara virgo

[a] *Item orationes.* Præter has orationes aliæ quædam post communionem dicuntur.

[b] *Nota quod.* Vide pag. 6.

et martyr omni terreno anteposuit : presta quesumus : ut cujus martyrii triumphum recolimus : ejus suffragiis ad celestia regna pervenire possimus. ℟. Amen.

[a] *In Octava Pasche ad Missam.* [b] *Officium.*

Dicite in nationibus alleluja : Dominus regnavit a ligno alleluja : Et correxit orbem terre alleluja alleluja. ℣. Cantate Domino canticum novum : cantate Domino omnis terra. *P.* Et Corre. ℣. Gloria et honor. *P.* Et corre.

Oratio. Tibi gloriam concinimus Domine Deus noster : tuamque potentiam postulamus : ut sicut pro nobis peccatoribus dignatus es mori : et clarificatus secundo : post tertium diem : apparuisti in gloria resurrectionis : ita per te absoluti in te mereamur habere perpetuum gaudium : ita ut nobis precessit vere resurrectionis exemplum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc.

Apocalipsis Johannis apostoli ([c] *Cap. V*).

℟. Deo gratias.

Ego Johannes fui in spiritu : et vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus et foris : signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem predicantem voce magna. Quis est dignus aperire librum : et solvere signacula ejus? Et nemo poterat in celo neque in terra neque subtus terram aperire librum : neque aspicere illum. Et ego flebam multum : quoniam nemo dignus inventus est aperire librum : nec videre eum. Et unus de senioribus dixit mihi. Ne fleveris. Ecce vicit Leo de tribu Juda radix David : aperire librum : et solvere septem signacula ejus. Et vidi : et ecce in medio throni et quatuor animalium : et in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum : habentem cornua septem : et oculos septem : qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Et venit : et accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum : A quatuor animalia et viginti quatuor seniores : ceciderunt coram agno : habentes singuli cytharas et fialas aureas plenas odoramentorum : que sunt orationes Sanctorum. Et cantabant novum canticum dicentes. Dignus es accipere librum : et aperire signacula ejus : quoniam occisus es : et redemisti nos Deo in sanguine tuo : ex omni tribu et lingua et natione et populo : et fecisti nos Deo nostro regnum et Sacerdotes : et regnabimus super terram. Et vidi et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum. Erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna. Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem : et divinitatem : et sapientiam : et fortitudinem : et honorem : et gloriam : et benedictionem. Et omnem creaturam que B in celo et super terram et sub terra et que sunt in mari. Omnes audivi dicentes sedenti in throno et agno : benedictio : et honor : et gloria : et potestas Deo nostro : in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

[d] *Psallendo.* Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra. **235** ℣. Quoniam elevata est magnificentia tua supra celos. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. *P.* In universa terra.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([e] *Cap. XIII*).

In illis diebus : ait Paulus ad plebem. Viri fratres C filii generis Abraham : et qui in vobis timent Deum : vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitant in Hierusalem et principes ejus hunc ignorantes : et voces prophetarum que per omne sabbatum leguntur : judicantes impleverunt. Et nullam causam mortis invenientes [f] in eum petierunt Pilato : ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia que de eo scripta erant deponentes eum de ligno : posuerunt eum in monumento. Deus vero

[a] *In octava Paschæ.* Breviarium Mozarabum, et Orationale Gothicum habent *Dominica in octavas Paschæ.* Sacramentarium Gelasianum Thomasii die Dominico, *octavas Pascha;* Gregorianum Menardi, Dominica *oct. Paschæ.* Et ita in Capitularibus Evangeliorum Georgii legitur. In Lectionario Luxoviensi, et in Missalibus Gallicano, et Gallo-Gothico *clausum Paschæ* appellatur; in Sacramentario Gregoriano Pamelii appellatur *Dominica post albas ;* in vetusto Lectionario Ambrosiano ab em. Thomasi edito, *Dominica post albas depositas;* et in Missali Mediolanensi anno Domini 1548 edito, *Dominica in albis depositis.* Ratio hujus nominis petenda est ab antiqua plurium Ecclesiarum disciplina, qua, per dies octo post susceptum baptisma, neophyti seorsim a cœtu fidelium habebantur, quibus fidei mysteriis et regulis morum peculiariter imbuebantur, quotidie missæ sacrificio intererant, et communicabant, toto hoc tempore albis vestibus induebantur, quas exeuntes de sacro lavacro acceperant. Hinc feriæ omnes octavarum Paschæ, Sacramentariis Gregorianis Pamelii, et Menardi inscribuntur *in albis,* puta, *feria* 2 *in albis, feria* 3 *in albis,* eodemque modo Missali Ambrosiano inscribuntur; at, pro varia Ecclesiarum consuetudine, aut Sabbato *in albis* vespere, aut certe Dominica sequenti, octava die post Pascha, neophyti albas suas deponebant, et fidelium turbæ miscebantur (*S. Aug., serm.* 250, 7, 5, *Ed. Maur., alias* 2, *de temp.*). Apud Gotho-Hispanos albæ solemniter deponebantur. In libro Adnotationum de cognitione baptismi sancti Hildefonsi (*Cap.* 140) exstat *oratio* D *propter albas tollendas,* et capite sequenti 141, exstat specialis *benedictio,* quam super neophytos episcopus fundebat; et cap. 142, exstat ab episcopo *sermo dicendus ad infantes, die tertia post Pascha, propter albas tollendas.* Quod hac occasione sermo haberetur, constat etiam ex Sancto Augustino citato ; at illud *die tertia* videtur per errorem in titulo irrepsisse pro *die octava.*

[b] *Officium.* Ps. xcv, 10. *A ligno* deficit in Vulgata, legitur in sancto Augustino, et in Psalterio Mozarabico. ℣. Ibid., 1.

[c] *Cap. V.* Vers. 1, ad finem capitis. In Lectionario Luxoviensi legitur ex Isaiæ LXI, 1-8.

[d] *Psallendo.* Ps. VIII, ℣. Ibid., 23.

[e] *Cap. XIII.* Vers. 26-40. In Luxoviensi ex I Cor. xv, 12-29.

[f] *In eum.* Vulg., *in eo.*

suscitavit eum [a] a mortuis : qui visus est per dies A multos : his qui simul ascenderant cum eo de Galilea in Hierusalem : qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annunciamus eam que [b] de patribus nostris repromissio facta est. Quoniam hanc Deus adimplevit filiis [c] vestris : suscitans Jesum sicut et in psalmo scriptum est. Filius meus es tu : ego hodie genui te. Quod autem suscitaverit eum a mortuis : amplius non reversum in corruptionem : ita dixit. Quia dabo vobis sancta David fidelia. Ideoque et alias dicit. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. David autem [d] sua generatione cum administrasset voluntati Dei : dormivit et adpositus est ad patres suos : et vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitavit a mortuis : non vidit corruptionem. Notum igitur sit vobis viri fratres : quia per hunc Jesum B vobis remissio peccatorum adnunciatur [e] ab omnibus : quibus non potuistis in legè Moysi justificari. In hoc enim omnis qui credit justificabitur.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([f] *Cap. II*).

Illo in tempore : una sabbatorum cum fores essent clause ubi erant discipuli propter metum Judeorum : venit Jesus et stetit in medio et dixit eis. Pax vobis. Et cum hoc dixisset : ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli : viso Domino. Dixit ergo eis iterum. Pax vobis. Sicut misit me pater : et ego mitto vos. Hoc cum dixisset : insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata : remittuntur eis. Et quorum retinueritis : re- C tenta erunt. Thomas autem unus ex duodecim : qui dicitur Didimus : non erat cum eis quando venit Jesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli. Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis. Nisi videro in manibus ejus fixuras clavorum : et mittam digitum meum in locum clavorum : et mittam manum meam in latus ejus : non credam. Et post dies octo : iterum erant discipuli ejus intus : et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis : et stetit in medio eorum : et dixit. Pax vobis. Deinde dicit Thome. Infer digitum tuum huc et vide manus meas : et affer manum tuam et mitte in latus meum : et noli esse incredulus : sed fidelis. Respondit Thomas : et dixit. Dominus meus et Deus meus. Dicit ei Jesus. Quia vidisti me Thoma : credidisti. Beati qui non viderunt : et crediderunt. D

Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum : que non sunt scripta in libro hoc. Hec autem scripta sunt : ut credatis quia Jesus est Christus filius Dei. Et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Apparuit Dominus Jesus discipulis suis dicens pax vobis : ego sum qui resurrexi : nolite timere. *P.* Alleluja.

[h] *Sacrificium.* Alleluja. Celebravit David pascha et offerebat holocausta Domino : et constituit Sacerdotes in opere domus Domini alleluja alleluja. ℣. Alleluja : congregati sunt omnes filii Israel in loco sanctificationis : ibi enim benedixerunt Dominum : propterea vocaverunt nomen loci hujus Convalle benedictionis in opere domus Domini : alleluja : alleluja.

Missa. [i] Completo dilectissimi sacre solennitatis salutarium dierum numero : potius quam peracto : multisque Deo presule lustratorum cursibus celebrando compotes obsequele [j] gerimus de perfectis : spei titulum capiamus de futuris. Oremus ergo ut sic apud clementissimum Patrem vota nostra hec legatio presentium festorum insinuet : quo diutinum plebi sue hujus vite commercium annue litationis rediviva gaudia subministrent. ℟. Amen.

236 *Alia Oratio.* Ingeniti genitoris [k] genite fili : qui in eo nobis diei hujus octavi renovas cultum : in quo te discipulorum aspectibus hodie prebuisti palpandum. Nam licet hic dies sit prior pre ceteris conditus : octavus post septem efficitur revolutus. Quo ipse sicut ammirabiliter e sepulchro surrexisti a mortuis : ita ad discipulos inestimabiliter intrasti januis obseratis. Initium videlicet pasche : ac finem exornans congruis sacramentis : cum et Resurrectio tua custodibus terrorem incuteret : et manifestatio discipulorum corda dubia confortaret. Quesumus ergo ut nos his sacramentis imbutos : fides qua te credimus : post istud seculum tibi representet illesos. Nullum nobis de te scrupulum dubitationis : errorisque : aut [l] ocium pariat : [m] aut quesitio incauta enutriat. Serva in nomine tuo : quos redemisti sanguine precioso. Contemplandum te nostris sensibus prebe : nostrumque cor dignatus ingredere. Esto

[a] *A mortuis.* Ita in Græco. Vulgata addit *tertia die.*

[b] *De patribus.* Vulg., Gr., *ad patres.*

[c] *Vestris.* Vulg., *nostris.* Gr., *filiis eorum.*

[d] *Sua.* Vulg., *in sua ;* Gr., *propria.*

[e] *Ab omnibus.* Vulg., Gr., *et omnibus.*

[f] *Cap. II.* Lege *cap. XX*, vers. 19, ad finem capitis. In Lectionario Luxoviensi, Joan. xx, 19, fortasse etiam ad finem capitis ; finis enim Lectionis deficit.

[g] *Lauda.* Luc. xxiv, 36.

[h] *Sacrificium.* Ex I Paralip., xvi, 24. ℣. Ibid., Cor. xx, 26.

[i] *Completo.* Legibus Visigothorum (*Cod. leg. Visigoth.*, *lib.* II, *tit.* 1, *de Judiciis et Judicatis ; leg.* 2, *de diebus festis*), dies paschales Dominica Palmarum incipiebant, et Dominica octavarum Paschæ terminabantur. Sic enim præscribitur : *Diebus paschalibus nulla patimur quemlibet exsecutione teneri, id est per dies quindecim, septem qui paschalem præcedunt, et septem alios qui sequuntur.*

[j] *Gerimus.* Fortasse : *Gaudium gerimus de perfectis.*

[k] *Genite.* Forte, *Unigenite.*

[l] *Ocium.* Orat ut negligentia, ea addiscendi, quæ Christianum de fide sua scire oportet non pariat ullum circa fidem errorem.

[m] *Aut quesitio incauta.* De hac re legendus Tertullianus, libro de præscriptionibus adversus hæreticos, ubi inter alia hoc præclarum monitum, cap. 14 : *Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti*, et illud aliud, cap. 12 : *Nobis et si quærendum esset... quæramus in nostro, et a nostris, et de nostro, idque duntaxat quod salva regula fidei potest in quæstionem devenire.*

semper in medio nostri : qui hodie pacem nuncians discipulorum in medio astitisti. Quique in eis insufflasti spiritum vite : nobis largire ejusdem spiritus consolationem. [a] Quod sacrum pascha quod evolutis septem dierum cursibus immolavimus : hujus octavo diei curriculo presenti sacrificio consummemus. Ut in hoc die a quo Resurrectionis tue cepimus excolere mysterium : prescriptis pasche peragamus legitimum sacramentum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Dies istos Domine quos in leticia celebramus Christi tui Resurrectio gloriosa depinxit : nobisque in generatione perpetua celebrandos [b] doctrina Apostolica dereliquit. Astantes ergo ante tuam majestatem clementissime Pater pascha legitimum frequentamus : et ut nobiscum sit sponsus eternus jugi obsecratione deposcimus. Eripe itaque nos et familiam tuam ab iniquitatibus cunctis : ab scandalo et diebus malignis. Prepara nobis mensam venerandi altaris : quam circumdemus velut soboles magni Regis. Ut offerentes propiciatorium libamen pro nobis et famulis tuis exaudiri apud te mereamur : tam pro viventibus : quam pro defunctis fidelibus.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Christe Dei filius : qui obseratus eris ad discipulos intras : eterna eos pace confirmas : prebe in his solennitatibus obsequenti caterve : et simultatis vicium fugare : et charitatis vere concordiam veraciter retinere. Quo tui discipuli per dilectionem effecti : illis peracta pasche solennia sacrificiis honoremus : quibus ipsi purificari a nostris criminibus mereamur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi gratias agere : Domine Sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Omnium magistrum et formam doctrine prebentem in humilitate : et majestatem Deitatis ostendentem in divina virtute. Qui per infirmitatem carnis mori dignatus est : et resurrexit per divinam Spiritus Sancti virtutem. Qui pluribus modis et multis argumentis se discipulis suis vivum exhibuit : ut videri : tangi : tractarique potuisset : ne crederetur assumpti hominis carnem in inferis reliquisse. Qui octavo die resurrectionis sue : pro metu Judeorum discipulis domi januis clausis apparuit : et omnem diffidentiam ad nostre credulitatis exempla destruxit. Hic cum improvisus in medio circumsedentium appareret : putabant omnes se spiritum cernere : qui possit clausis januis introire. Quorum cum corda turbata provideret : illum superflua priori sollicitudine pernegantem affari dignatus est. Ut latus perfossum lancea : manibus attrectaret : et fixuras cla- A vorum in suis palmis aspiceret. Ut non perniciosa incredulitate tabesceret : sed celeri confessione gauderet. Isto proinde : qui cum videret credidit : beatiores illos qui non vidissent credidissent : diffinita sententia declaravit. Vere fidelis Dominus in verbis suis : et sanctus in omnibus operibus suis. Pati et resurgere se promisit : et docuit : et legis **237** oracula non solvit : sed potius adimplevit. Quis enim hec sufficienter poterit enarrare miracula? qualiter homo verus corpore solidatus clausis claustris intraverit : aut tremula moliaque aquarum orbita sicca planta discurrerit? Cui cum januam introiret non obfuit corporis [c] pondus : et cum maria sicco pede transcurreret : carnis non obstitit pondus. Ut vere summus in suis mirabilibus Deus : et qui in utero B virginali ingredi egredique potuit : claustris pudicicie permanentibus : ipse inferos penetravit inlesus : et resurrexit sine ulla carnis corruptione securus. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie una voce dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui clausa ostia dum discipulos visitaret : introivit ut Deus : ut [d] cum de veritate corporis sui dubitantibus peteret panem et manducaret : homo esset verus inventus. Illud faciens mirabiliter : hoc misericorditer. Illud ad glorificandam potentiam divinitatis : hoc ad asserendam substantiam carnis : oportebat quippe C eos illum in utraque natura conspicere : quem mediatorem jubebantur Dei atque hominum predicare. Qui favum mellis simpliciter offerentes : fidem suam locuti sunt : donis mysticis nos docentes. Sic est enim ex duabus rebus simplex favi confecta materia : sic [e] in naturis duabus una Christi creditur extitisse persona. Ipse Dominus ac redemptor eternus

Post pridie. Oratio. Facimus Domine commemorationem Domini nostri Jesu Christi filii tui : qui nos morte sua redemit : et Resurrectione erexit. Quique hodie ad discipulos januis clausis intravit : et uni eorum hesitanti : corporea attrectatione se palpandum exhibuit. Unde per ipsum te Deus Pater exposcimus : ut illo spiritu hec oblata sanctifices : quo olim in discipulos insufflasti credentes. Sicque nos par- D ticipatione hostie hujus percipiamus meritum sanctitatis : sicut illi te insufflante adepti sunt verbum predicationis. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Omnis conventus Dominice plebis : qui ad peragenda paschalis leticie solemnia convenistis : pace illa qua hodie dudum januis clausis intrante Domino discipulorum corda firmata sunt : vestrorum etiam

[a] *Quod.* Lege *quo.*

[b] *Doctrina apostolica.* Constitutionum apostolicarum (*lib.* VIII, *cap.* 33, *edit. Turriani*). Sanctus Petrus, inter alia, statuit *ut servi tota magna hebdomada et proxima sequenti vacent;* hoc est, integra hebdomada ante, et alia integra post Pascham.

[c] *Pondus.* Hoc est, *moles corporis.*

[d] *Cum de veritate corporis.* Non tanquam phantasma. Est contra Manichæos, Priscillianistas, aliosque veritatem carnis Christi negantes.

[e] *In naturis duabus.* Est contra hæreses Nestorii, et Eutychetis. Vide concilium Hispalense II, cap. 13, et Toletanum XI, cap. 1, de fide.

abdita pectorum roborentur : quo in peragendis paschalium sacramentorum officiis pacificati per sanguinem crucis proclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presbyter. Vicit Leo.

Tribus vicibus. Ut in die Resurrectionis. Quere fol. 198.

Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus qui octavo post resurrectionem die obseratis ostiis : suis se demonstravit discipulis : ignorantie obicibus abdicatis : contemplandum se prebeat sensibus vestris. ℟. Amen. Quique illis hodie insufflando Spiritum contulit Sanctum : in vos respiciendo celestis gratie conferat donum. ℟. Amen. Quo celebritatem paschalem pia consummantes devotione : et fide probabiles : et opere inveniamini apud Deum indesinenter felices. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Gaudete populi.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in vigilia Resurrectionis. Fol.* 198.

[a] IN TERTIO DOMINICO POST PASCHA.

Ad Missam. Officium.

Dicite in nationibus. *Oratio.* Tibi gloriam concinimus. *Require in Octava Pasche. fol.* 234.

Lectio libri Apocalipsis Johannis Apostoli ([b] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

Angelo Philadelphie Ecclesie scribe. Hec dicit sanctus et verus qui habét claves David. Qui aperit et nemo claudit : et claudit : et nemo aperit. Scio opera tua : ecce dedi coram te ostium apertum : quod nemo potest claudere : quia modicam habes virtutem : et servasti verbum meum : et non negasti nomen meum. [c] Ecce dedi te Synagogam Sathane : qui dicunt se Judeos esse et non sunt : sed mentiuntur. Ecce faciam illos : [d] et veniant : et **238** adorent ante pedes tuos : et sciant quia ego dilexi te : quoniam servasti verbum patientie mee. [e] Ego servabo ab hora tentationis que ventura est in orbem universum tentare habitantes in terram. [f] Venio cito : tene quod habes : ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei : et foras non egredietur amplius. Et scribam super illum nomen Dei mei : et nomen civitatis Dei mei nove Hierusalem : que descendit de celo a Deo meo : et nomen meum novum. Qui habet aurem audiendi audiat : quid spiritus dicat ecclesiis.

℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Psallendo.* Psallite Deo nostro. Psallite Regi nostro : psallite. ℣. Quoniam Rex omnis terre Dominus : psallite sapienter. *P.* Psallite. *Dicat Presbiter.* Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([h] *Cap. IIII*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Factum est cum congregarentur principes Sacerdotum et seniores et scribe in Hierusalem : et Annas princeps Sacerdotum et Cayphas : et Jonathas et Alexander : [i] eo quod erant de genere sacerdotali. Et statuentes eos in medio : interrogabant in qua virtute : et in quo nomine fecistis hoc vos? Tunc Petrus repletus Spiritu Sancto : dixit ad eos. Principes populi et seniores Israel audite. Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi : in quo iste salvus factus est : notum sit hominibus et omni plebi Israel : quia in nomine Jesu Christi Nazareni : quem vos crucifixistis : quem Deus suscitavit a mortuis : in hoc iste stat coram vobis sanus hodie : [j] in alio autem nullo. Hic est lapis qui reprobatus est a vobis edificantibus : qui factus est in caput anguli. Et non est in alio salus : nec enim nomen aliud est sub celo datum hominibus : in quo oporteat nos salvos fieri.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([k] *Cap. V*).

Illo in tempore. Erat dies festus Judeorum : et ascendit Jesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis probatica piscina : que cognominatur hebrayce Bethsayda quinque porticus habens. In his jacebat multitudo languentium : cecorum : [l] claudorum expectantium aque motum. Angelus autem secundum tempus descendebat in piscinam : et movebatur aqua : et qui prior descendisset in piscinam post motionem aque : sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate [m] sua. Hunc cum vidisset Jesus jacentem : et cognovisset quia jam multum tempus haberet : dicit ei. Vis sanus fieri? Respondit ei languidus. Domine : hominem non habeo : ut cum turbata fue-

[a] *In dominico tertio.* In his, ut tres sint, ipsa Dominica paschalis numerari debet.

[b] *Cap. III.* Vers. 7-14.

[c] *Ecce dedi te.* Vulgat., et Gr., et Primasius : *Ecce dabo de synagoga Satanæ.*

[d] *Et veniant.* Lege *ut veniant;* nam sigla Ɛ quod alias monui, modo *et*, modo *ut* legitur.

[e] *Ego servabo.* Vulg. et Gr., *ego te servabo*; Primasius, *ego te tuebor.*

[f] *Venio cito.* In Græco. Primasius, *veniam cito.* Vulgata, *ecce venio cito.*

[g] *Psallendo.* Ps. XLVI, 7. ℣. Ibid., 8.

[h] *Cap. IV.* Vers. 5-13.

[i] *Eo quod erant.* Vulg., *et quotquot erant.* Græc. : *Et quotquot erant de genere pontificali.*

[j] *In alio autem nullo.* Hæc neque in Vulgata, neque in Græco reperiuntur.

[k] *Cap. V.* Vers. 1-19.

[l] *Claudorum.* Vulg. et Gr. addunt *aridorum.*

[m] *Sua.* Est hæc ultima vox versiculi quinti, qui per oscitantiam prætermissus est, eum ad reliqua intelligenda sit necessarius. Igitur supple : *Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua.*

rit aqua : mittat me in piscinam. Dum venio enim alius ante me descendit. Dicit ei Jesus. Surge : tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est homo : et sustulit grabatum suum et ambulabat. Erat autem sabbatum in illo die. Dicebant Judei illi qui sanus fuerat factus. Sabbatum est : non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis. Qui me fecit sanum : ille mihi dixit : tolle grabatum tuum et ambula. Interrogaverunt ergo eum. Quis est ille qui dixit tibi : tolle grabatum tuum et ambula? Is autem qui sanus fuerat affectus : nesciebat quis esset qui dixit ei : tolle grabatum tuum et ambula. Jesus autem declinavit a turba constituta in loco. Postea invenit eum Jesus in templo : et dixit illi. Ecce sanus factus es : jam noli peccare : ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo et nunciavit B Judeis quia Jesus est : qui fecit eum sanum. Propterea persequebantur eum Judei : quoniam hec faciebat in sabbato. Jesus autem respondit eis. Pater meus usque modo operatur : et ego operor. Propterea magis querebant eum Judei interficere : quia non solum solvebat sabbatum : sed et patrem suum dicebat Deum : equalem se faciens Deo. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Jubilate Domino omnis terra : servite Domino in leticia. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Alleluja. Temporibus illis postquam resurrexit Dominus Jesus : exierunt mulieres cito de monumento. Cum timore et gaudio magno. Nunciare discipulis ejus dicentes alleluja. ℣. Alleluja : ecce Jesus occurrit illis dicens avete : illi autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus : et adoraverunt eum. *P.* Cum timore. ℣. Alleluja : tunc ait illis Dominus dicens : **239** nolite timere : ite nunciate fratribus meis : ut eant in Galileam ibi me videbunt : quia sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia : et sedere in gloria sua : egresse de monumento currebant. *P.* Nunciare discipulis.

Missa. Deum Dei filium qui amore hominis [c] in hominem non solum nasci dignatus est : verum etiam crucifigi fratres charissimi deprecemur : ut nos a passione carnalium viciorum evictis etiam nequiciarum spiritualium mundi principibus : ipse munere suo nos eripiat : et vivere in crucis sue voluntaria crucifixione nos faciat. Eamque nobis : que sibi placeat servitutem attribuat : quam nec oppressio tribulationis impediat : nec iners securitas in torporem introducat. ℟. Amen.

Alia Oratio. Domine Jesu Christe qui [d] vivificaturus occideris : qui resurrecturus sepeliris. Dum morte mortuos solvis : dum penam superas crucifixus. Tu ad preces nostras illa qua totum pateris pietate convertere : et nostris jam calamitatibus finem pone. Sicque reddita nobis indulgentia miserere. Et qui adversum te gravium culparum impressione nos egisse sentimus : iterum ad te nos misericordia parcente conversi : redeunte quietis statu [e] et melioribus in rerum commodis potiamur. ℟. Amen.

Post nomina. Inluminatorem diei hujus te Dominum Jesum Christum qui nos ad sacra Resurrectionis tue festa perduxisti. Per ipsa sacrorum solenniam suffragia deprecamur : ut sacrificia hec que tibi ob sacramenta divini corporis offeruntur : tam acceptabilia tibi nostra facias [f] obsequia : quam sunt divino instituta mysterio. Simulque universam ecclesiam tuam sanctificatione perfundens : et offerentibus remunerationem : et [g] sanctificantibus veniam : et sumpturis salutem perpetuam largiaris. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Quesumus unigenite Dei filius : ut quos redemisti sanguine sacro : pacis et charitatis munifices sacramento. Sicque omnes qui te veraciter resurrexisse fatemur : resurgere post mortem non ad penam : sed ad gloriam mereamur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est vere equum et salutare est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum C filium tuum Dominum nostrum : Regem sempiternum tecumque regnantem : qui tanta ac talia pro salute nostra dignatus est supportare. Judicatus a Judeis : qui judicaturus est vivos ac mortuos. Ante tribunal presidis stetit : cujus metuenda tribunalia universi sunt celi. Sputis faciem suam passus est liniri : qui sputo suo paulo antea aperuit oculos ceci nati. Spinis dignatus est coronari : a quo meruerunt martyres coronis celestibus decorari. Felle et aceto permisto dignatus est potari : qui [h] de petra durissima fecit populum melle saturari. Lancea latus suum sustinuit penetrari : cujus gladio devicti sunt inferi. Manus et pedes clavis dignatus est infigi : cujus manus fecerunt fabricam celi. Depositus de cruce voluit sepeliri : cujus verbo confestim suscitati sunt D mortui. Se ipsum pro nobis jussit offerri : ne ultra jam inrationabilium pecudum sanguis sacris altaribus funderetur. Ipse Sacerdos dignatus est esse et hostia : per quem cuncti credentes vitam consequerentur eternam. Propter quod ei omnes Angeli omnesque Sancti non cessant clamare : ita dicentes. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus vere benedictus unigenitus tuus Dominus noster et medicus. Qui non solum egritudinem nostram : quam paradisi exules

[a] *Lauda.* Ps. xcix, 1.
[b] *Sacrificium.* Matth. xxvii, 8 10; Luc xxiv, 25.
[c] *In hominem.* Fortasse, *inter homines.*
[d] *Vivificaturus.* Scilicet genus humanum.
[e] *Et melioribus.* Lege : *Et melioribus in rerum mutatione commodis patiamur.*
[f] *Obsequia.* Lege : *Nostro facias obsequio.*
[g] *Sanctificantibus.* Nota discrimen inter sacerdotem et populum : utriusque est offerre, sed solius sacerdotis est sanctificare oblata.
[h] *De petra.* Deut. xxxii, 13, ps. lxxx. 17.

[a] debebamus absolvit : verum etiam mortem primi parentis errore contractam : pro sua pietate miseratus divina potestate superavit. Dum nobis et formam morum vivendo prebuit : et remissionem peccatorum moriendo concessit. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Christe qui pro nobis Deo Patri in sacrificium es oblatus : qui sanguine tuo terrena celestibus socians : resurrectione tua nos doces sperare superna : his sacrificiis propiciatus inlabere : hisque benedicturus descende. Sint hec que tibi offerimus libamina ita plenitudine benedictionis tue referta : ut resurrectionis tue festa celebrantibus optatam pariant medicinam. ℟. Amen.

240 *Ad Orationem Dominicam.*

Redemptor noster et conditor : cujus in sepulcro caro non vidit corruptionem : sed glorificata surrexit Dei Patris roborata virtute : tu omnia corruptionum carnalium in nobis vulnera propiciatus interime : et gloriose castitatis cingulo nos astringe. Quo devictis viciorum carnalium incentivis : ea que nos docuisti exclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presbyter. Vicit leo. *Tribus vicibus, ut in die Resurrectionis, folio* 198.

Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Benedict.* Crux Domini nostri Jesu Christi : sit sublimitas vestra. ℟. Amen. Sanguis ejus maneat in vos redemptio vera. ℟. Amen. Resurrectio ipsius : sit vobis claritas sempiterna. ℟. Amen. Ipso prestante qui vivit cum Deo Patre et Spiritu Sancto in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes Gaudete populi.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in vigilia Resur. fol.* 193.

Oratio. Expletis Domine. *ut supra in die Resurrectionis. fol.* 198.

[b] IN QUARTO DOMINICO PASCHE.

Officium. Dicite in nationibus. *Oratio.*

Tibi gloriam concinimus. *Quere in Octava Pasche. fol.* 234.

Apocalipsis Johannis apostoli ([c] *Cap. XIIII*).

Ego Johannes fui in spiritu et vidi : et ecce agnus A stabat supra montem Syon : et cum illo centum quadraginta quatuor millia : habentes nomen ejus et nomen patris ejus scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem de celo tanquam vocem aquarum multarum : et tanquam vocem tonitrui magni. Et vocem quam audivi sicut citharedorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant canticum novum ante sedem et ante quatuor animalia et seniores. Et nemo poterat dicere canticum : nisi illa centum quadraginta quatuor millia : qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt : hi sequuntur agnum quocumque ierit. Hi empti sunt [d] ex omnibus : primicie Deo et agno : et in ore ipsorum non est inventum mendacium : sine macula enim sunt. Et vidi alterum Angelum B volantem per medium celum : habentem evangelium eternum : ut evangelizaret sedentibus super terram : et super omnem gentem : [e] tribum : et populum : dicens magna voce. Timete Dominum et date illi honorem : quia venit hora ejus judicii : et adorate eum qui fecit celum et terram : mare et fontes aquarum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[f] *Psallendo.* Jubilate Domino omnis terra : psalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus. ℣. Benedicite gentes Deum nostrum : et obaudite voci ejus. *P.* Date gloriam.

Dicat Presb. Silentium facite.

C *Lectio libri Actuum Apostolorum* ([g] *Cap. IIII*).

In illis diebus. Videntes principes Sacerdotum Petri constantiam et Johannis : comperto quia homines essent sine litteris et idiote admirabantur : et cognoscebant eos : quoniam cum Jesu fuerant. Hominem autem videntes stantem cum eis qui curatus fuerat : nihil poterant contradicere. Jusserunt autem eos foras extra concilium sedere : et conferebant invicem dicentes. Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est super eos : omnibus qui habitant in Hierusalem manifestatum est : non possumus negare. Sed ne amplius divulgetur in populum : comminetur eis ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum. Consentienti- D bus autem omnibus : et vocantes eos denunciaverunt ne omnino loquerentur : neque docerent in nomine

[a] *Debebamus.* Fortasse, *ferre debebamus.*

[b] *In quarto dominico.* In Missali et in Breviario Mozarabum, a Resurrectione Christi ad festum Ascensionis, sex Dominicæ recensentur; in Orationali Gothico Dominicæ quatuor *post octavas Paschæ* et in Lectionario Luxoviensi Dominicæ quinque *post clausum Paschæ;* in hac tamen varietate loquendi numerus idem Dominicarum invenitur; nam in Missali et Breviario Mozarabum, in sex illis Dominicis, computantur ipsa Dominica Resurrectionis, et Dominica octavarum, quas Orationale Gothicum non computat, et in Lectionario Luxoviensi, in quinque illis *post clausum Paschæ*, computatur Dominica octavarum, quibus si addatur Dominica paschalis, completur senarius numerus Dominicarum quot Missale nostrum numerat. In Missali Gallicano inveniuntur binæ missæ *post clausum Paschæ*, quæ missæ *post Pascha* inscribuntur, nullæ autem missæ dominicales *post clausum Paschæ* exstant in Gallo-Gothico, et in Sacramentario Bobiano, ne quidem ad *clausum Paschæ* missa ulla est.

[c] *Cap. XIV.* Vers. 1, 8. Illud *Ecce ego Joannes fui in Spiritu*, desumptum ex capite 1, 9, 10. Instar proœmii lectioni præmittitur. In Lectionario Luxoviensi deficiunt hujus diei legenda.

[d] *Ex omnibus.* Ita Primasius legit. Vulg. et Gr., *ex hominibus.*

[e] *Trib m.* Vulg. et Gr. addunt *et linguam.*

[f] *Psallendo.* Ps. LXV, 1. ℣. Ibid., 8.

[g] *Cap. IV.* Vers. 13-23.

Jesu. Petrus vero et Johannes : respondentes dixerunt ad eos. Si justum est in conspectu Dei : vos potius audire quam Deum judicate. Non enim possumus nos que vidimus et audimus : non loqui. At illi comminantes dimiserunt eos : non invenientes quomodo punirent eos propter populum : quia omnes clarificabant id quod factum fuerat : in eo quod acciderat. Annorum enim erat [a] quadraginta homo : in quo factum est istud signum sanitatis. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem (*Cap.* [b] *IIII*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus cum venisset in Galileam : exceperunt eum Galilei : cum omnia vidissent que fecerat Hierosolymis in die festo : et ipsi enim venerant in diem festum. Venit enim iterum Chanaam Galilee : **241** ubi fecit de aqua vinum. Erat quidam Regulus : cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Jesus veniret a Judea in Galileam : abiit ad eum et rogabat illum . ut descenderet et sanaret filium ejus. Incipiebat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum. Nisi signa et prodigia videritis : non creditis. Dicit ad eum Regulus. Domine : descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Jesus. Vade filius tuus vivit. Credidit ergo homo sermonem quem dixerat ei Jesus : et ibat. Jam autem eo descendente servi occurrerunt ei : et annunciaverunt dicentes : quia filius ejus viveret. Interrogabat horam ab eis in qua melius habuerat. Et dixerunt ei. Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater.: quia illa hora erat in qua dixerat ei Jesus : filius tuus vivit. Et credidit ipse : et domus ejus tota. Hoc iterum secundum signum fecit Jesus cum venisset a Judea [c] in Chanaam Galilee.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Lauda.* Alleluja. ℣. Quis Deus magnus sicut Deus noster. Tu es Deus qui facis mirabilia. *P.* Alleluja.

[e] *Sacrificium.* Hec dicit Dominus qui erat : et qui est : et qui venturus est omnipotens : primus et novissimus qui mortuus est et resurrexit : et ecce vivens est. Lavit nos supra lignum sanguine suo. Ipsi gloria in secula seculorum alleluia. ℣. Audivi voces Angelorum multorum dicentium ante agnum : qui est primogenitus mortuorum : et princeps regum terre : salus Deo nostro sedenti supra thronum : et omnes Angeli in circuitu stabant et seniores prostraverunt se : et adoraverunt Dominum sedentem supra celos clamantes voce magna. *P.* Ipsi gloria.

Missa. Offeramus dilectissimi fratres panes propositionis : qui desideramus accedere ad mensam Dei omnipotentis. Nec de morte Christi coram populis erubescere : sed de gloriosa cupiamus resurrectione gaudere. Nulla nobis desperationis caligo nascatur : sed lucernam fidei mens serenior contempletur. Ut per viam vite simpliciter ambulantes : quandocumque Christus visitaverit : non inveniat dubitantes : nec arguat infideles. Demus potius hospitalitati competens studium : recepturi in celestibus premium. Mundi quoque eidem Christo cordis hospitium preparemus : et in nobis mansionem sapientie fabricemus. Ut in fractione panis ab omnibus cognoscendus : resurrectionem suam manifestare dignetur : in eterna Dei Patris gloria simpliciter adorandus. Dies enim leta tunc transibit si solennitati devotio gloriosa concordet.

℟. Amen.

Alia Oratio. Benedicte Deus et Pater universitatis : et substantie omnis creator concedens unicuique nature demutabilem legem : et ipse liber a lege nature mortem perimens : diabolum infirmans : sanctificationem tribuens : et immortalitatem. Perficiens et infirmitatem : atque immensitatem tuam capacem fidelium tibi animarum accomodans sanctitati. Qui ad repellendos mundi hujus errores : et omnem maligne potentie naturam coarguendam : verbum et virtutem et sapientiam tuam : Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum : consortem caduce carnis nostre esse voluisti. Per quem tibi gratias agimus : ob hunc verum et consummatum et ad salutem generis humani preciosa sua passione perfectum pasche diem. In quo inferos adiit : mortem vicit : diabolum coarguit : et leges tartari solvit in homine suo : a quo mortis conditione discesserat coexitaturus universe carnis : que in se esset generanda naturam. Ob quod facito nos omnipotens Pater : ut hunc sanctum in progenies et memorabilem in generationem diem confitentes : non in amaritudine veterum azimorum : neque in anterioris malicie fermento : sed in nova et sincera renate innocentie conspersione celebremus. Liberati : regenerati : sanctificati : et coronati. ℟. Amen.

Post nomina Oratio. Deus qui in electis tuis extinxisti funditus mortem : qui mortem te inferni pronuntians esse : [f] illos solum ex averni claustris eruesti : quos tuos in fide et actibus recognoveris. **242** Da presenti populi Christiani conventui resurrectionis tue solennitate ovanti legis tue preceptis inviolabiliter inherere : et indesinenter estu tue dulcedinis anhelare. Ut semper nos tuos operarios esse cognoscas : et eternis penis solutos secunde resurrectionis felicitate sustollas. Quo presenti sacrificio et Resurrectionis tue gaudia celebrantibus se nobis majestas tua invisa : visibilem prebeat : et defunctorum spiritibus ad requiem adesse ostendat. ℟. Amen.

[a] *Quadraginta.* Vulg. Gr., *plusquam quadraginta.*
[b] *Cap. V.* Vers 45, ad finem capitis.
[c] *In Chanaam Galilee.* Vulg. Cod. Vercel. et Veron. legunt *in Galilæam.*
[d] *Lauda.* Ps. LXXVI, 14.

[e] *Sacrificium.* Ex Apocalypsi I, 8, 18, 5, 6. ℣. Ibid. V. 11 ; I, 5 ; VII, 10. 11.
[f] *Illos solum.* Refer huc illud Concilii Toletani IV, de fide: *Descendit ad inferos, ut sanctos qui ibi tenebantur erueret.*

Ad pacem. Oratio. Christe Deus qui inter iniquos suspendi passus es : crucis sustinendo injuriam : dato nobis perfecte vite tolerantiam. Ut charitate illa qua ipse mundum diligens : pro eodem mortem subiisti : inveniamur ipsi te opitulante perfecti. Sicque passionis tue exemplo inlata toleremus scandala : ut sanguine crucis tue omnia pacificante : capitis nostri mereamur effici membra. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi gratias laudesque referre : qui cum Spiritu Sancto regnando manes in Patre. Quique magno pietatis tue ammirandoque mysterio manifestatus in carne : justificatus in spiritu : ostensus in Angelis : predicatus in gentibus : creditus in hoc mundo : assumptus in gloria : de inferni nos periculis liberasti. Chrismatis et carismatis tui dona disperciens : ad sacerdotales infulas : et ad regie nobilitatis insignia. [a] Tanquam electum genus et populos adquisitionis invitans : sociam humani generis : consortemque naturam carnis assumptione dignatus : justus pro injustis : pius pro impiis : nullius reatus forte suspensus reconciliasti nos Deo. Humilitate tua nos erigens : contumeliis honorans : vulneribus sanans : morte vivificans. Quicquid in nobis mors habebat juris evacuans : oblitterato quod adversus nos est deletoque chirographo in celestis gratie beatitudinem spem nostre libertatis extendis. Victorie tue : Resurrectionisque primiciis : ad dona nos eterne beatitudinis provocasti : volens redemptos in celestibus conlocare : ad Deum Patrem vocationum nostrarum precursor ascendis. Ut Redemptor in terris : propitiator in celis additos : passione absolvas : captivos advocatione defendas. Insuper ad communionem corporis ac sanguinis tui non solum accipiendi : sed etiam consecrandi per gratiam [b] indulte sanctificationis admittas. Ut panis istius vinique institutas a te : tibi ac Deo Patri hostias offeramus : [c] que etsi non habeant veram creature diversitate materiam : accipiant tamen debitam spirituali benedictione potentiam. Per quam originem quamdam evangelice imitationis adepti : celestium secretorum sacramenta discentes : laudes quas tibi in gloria Patris cum Sancto Spiritu permanenti Angeli et Archangeli canunt : nos quoque imitati celestium beatitudinem persolvamus cum Seraphin ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui moriens seva averni claustra destruxit : et resurgens : januas nobis celestis regni aperuit. Ipse Dominus ac Redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Commemoramus Domine passionem Jesu Christi Domini nostri : qui se tibi per crucis destinam in verum sacrificium offerens : confractis averni obicibus cum glorificata carne tertia die rediens a mortuis : vivus suis postmodum apparuit discipulis gloriosus. Et ideo per ejus te mortem poscimus et rogamus : ut his sacrificiis ita propiciatus inlabi jubeas. Quo omnes pro quibus offeruntur : et fermento malicie careant : et novitate spiritus paschalium gaudiorum mereantur peragere sacramenta. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Omnipotens eterne Deus : qui filium tuum pro nostra redemptione misisti verbo editum : virginali utero procreatum. Ut carnem [d] induceret : [e] et nos de peccatorum vinculis liberaret : et penas crucis pertulit : diversa tormenta sustinuit : et nos sua passione salvavit : simulque Resurrectione **243** redemit. Miserere igitur nostri : ut orationem quam nos ipse docere dignatus es : sic dicere mereamur. Pater noster.

Dicat Presb. Vicit leo. *Tribus vicibus, sicut in die Resurrectionis, folio* 198.

Dicat Presbiter : Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus qui eterna dispensat : in isto gloriose Resurrectionis sue die vos uberius benedicat. ℟. Amen. Claritatis sue vos splendore perfundat : et mentes vestras paschali leticia repleat. ℟. Amen. Inrigentur pectora vestra dono Spiritus

[a] *Tanquam.* Sanctus Isidorus (*De eccl. Off. l.* II, *c.* 25) post alia de chrismate, subdit : *Sed postquam Dominus noster verus Rex et Sacerdos æternus a Deo Patre cœlesti mystico unguento est delibutus, jam non soli pontifices et reges, sed omnis Ecclesia unctione chrismatis consecratur, pro eo quod est membrum æterni Sacerdotis et Regis; ergo quia genus regale et sacerdotale sumus, ideo post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur.* Plura etiam huc congessit sanctus Hildephonsus libro de Adnot. baptism. (*Cap.* 122, 123, 124).

[b] *Indulte sanctificationis.* Scilicet, ut loquimur, sacerdos *potestate ordinis* Eucharistiam consecrandi facultatem habet. Sacerdos Græcus, in liturgia sancti Chrysostomi, dum hymnus cherubicus canitur, orat : *Fac me, virtute Sp. sancti, indutum gratia sacerdotii, idoneum ut tuum sanctum corpus, et pretiosum sanguinem consecrem.* His similia in aliis liturgiis occurrunt.

[c] *Que etsi.* Panis enim et vinum non sunt, natura sua, corpus et sanguis Christi, sed benedictione cœlesti, qua transmutantur, vere in corpus et sanguinem Domini convertuntur. Egregie sanctus Ambrosius (*De iis qui myst. init., c.* 9) cum virgæ in serpentem, et aquæ Nili in sanguinem conversæ, aliaque exempla protulisset, subdit : *Si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicimus de consecratione divina, ubi verba ipsa Salvatoris operantur?* et infra : *Ipse clamat Dominus Jesus.* HOC EST CORPUS MEUM. *Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit* SANGUINEM SUUM; *ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur.* Et in libro de Sacramentis (*Lib.* IV, *cap.* 4), ille idem, aut alius, ejus doctrinæ inhærens : *Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et infra : *Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quia jam Corpus est Christi.* Et sanctus Augustinus (*Serm.* 227, *Ed. Maur.*) discipulus magistro subscribens : *Panis ille*, inquit, *quem fidelis in altari* SANCTIFICATUS *per verbum Dei corpus est Christi; calix ille, imo quod habet calix* SANCTIFICATUM, *per verbum Dei, sanguis est Christi.*

[d] *Induceret.* Lege *indueret.*

[e] *Et nos.* Lege *ut nos.*

Sancti : ac sicut terra sitiens satientur imbre celesti. ℟. Amen. Ut conscientie purgati maculis : paschalibus vos dignos efficiat sacramentis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Gaudete populi. *Communio*. Refecti Christi corpore. *Quere in vigilia Resurrectionis. fol.* 193.

Oratio. Expletis Domine. *Require in omnium Offerentium. fol.* 198.

IN QUINTO DOMINICO PASCHE.

Ad Missam. Officium.

Dicite in nationibus. *Oratio*. Tibi gloriam concinimus. *Quere in Dominico octavo Pasche. folio* 194.

Apocalipsis Joannis Apostoli ([a] *Cap. XIX*).

℟. Deo gratias.

Ego Joannes fui in spiritu : et vidi celum apertum. Et ecce equus albus : et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verax : et justiciam judicat et puniet. Oculi autem ejus sicut flamma ignis : et in capite ejus diademata multa habens : et nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat vestem adspersam sanguine : et vocatur nomen ejus Verbum Dei. Et exercitus qui sunt in celo : sequebantur eum in equis albis vestiti bissinum album mundum et de ore ipsius procedebat [b] gladius acutus : et in ipso percutit gentes : et ipse reget eos in virga ferrea. Et ipse calcat torcular vini furoris ire Dei omnipotentis : et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex Regum et Dominus dominantium. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Psallendo. Psallite Deo nostro. *Require in III. Dominico Pasche fol.* 238.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Lectio Actuum Apostolorum ([c] *Cap. IIII*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Dimissi Apostoli venerunt ad suos : et adnunciaverunt eis quanta ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent. Qui cum audissent : unanimiter levaverunt vocem suam ad Dominum et dixerunt. Domine qui fecisti celum et terram mare : et omnia que in eis sunt : qui per Spiritum Sanctum per os patris nostri David pueri tui dixisti. Quare fremuerunt gentes : et populi meditati sunt inania. Adstiterunt reges terre : et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Convenerunt vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum : quem unxisti : Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel facere que manus tua et consilium decreverunt fieri. Et nunc Domine Deus respice in minas eorum : et da servis tuis cum fiducia loqui verbum tuum in eo : cum manum tuam extendas sanitates et signa et prodigia fieri per nomen sancti filii tui Jesu Christi. Et cum orassent motus est locus : in quo erant congregati. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto : et loquebantur verbum Dei cum fiducia [d] omni volenti credere. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([e] *Cap. VIII*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus cum descendisset de navi : excepit illum turba : et erant omnes expectantes eum. Et ecce venit vir cui nomen Jairus : et ipse princeps Sinagoge erat. Et cecidit ad pedes Jesu rogans eum : ut intraret domum ejus : quia filia unica erat illi fere annorum duodecim : et ecce moriebatur. Et contigit dum iret a turbis comprimebatur. Et mulier quedam erat in profluxu sanguinis ab annis duodecim : que in Medicos erogaverat omnem substantiam suam nec ab ullo potuit curari. Accessit retro : et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Et ait Jesus. Quis est qui me tetigit ? Negantibus autem omnibus dixit Petrus : et qui cum illo erant. Preceptor **244** turbe te comprimunt : et affligunt : et tu dicis quis me tetigit ? Et dixit Jesus. Tetigit me aliquis ? Nam ego novi virtutem a me exisse. Videns autem mulier quia non latuit : tremens venit et cecidit ante pedes ejus : et ob quam causam tetigerit eum : nunciavit coram omni populo : et quemadmodum sanata sit. At ipse dixit illi : filia fides tua te salvam fecit : vade in pace. Adhuc illo loquente : venit quidam ad principem sinagoge dicens ei : quia mortua est filia tua : noli vexare eum. Jesus autem audito hoc verbo respondit patri puelle. Noli timere : crede tantum : et salva erit. Et cum venisset ad domum non permisit intrare secum queinquam : nisi Petrum et Johannem et Jacobum et patrem et matrem puelle. Flebant autem omnes : et plangebant illam. At ille dixit. Nolite flere non est mortua : sed dormit : et deridebant eum scientes quia mortua esset. Ipse autem tenens manum ejus : clamavit dicens. Puella surge : et reversus est spiritus ejus : et surrexit continuo : et jussit illi dare manducare. Et stupuerunt parentes ejus. Quibus precepit : ne alicui dicerent quod factum erat. Convocatis autem duodecim Apostolis dedit illis virtutem super omnia demonia ejicere : et ut languores curarent. Et misit illos predicare Evangelium Dei et sanare infirmos. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobicum. ℟. Et cum.

[f] *Lauda*. Alleluja. ℣. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui : visita nos Deus in salute tua. P. Alleluja.

[g] *Sacrificium*. Stetit Angelus ante aram Dei habens thuribulum aureum : et date sunt ei supplicationes

[a] *Cap. XIX*. Vers. 11-17.
[b] *Gladius acutus*. Vulg., *Ex utraque parte acutus.*
[c] *Cap. IV*. Vers. 23-32.
[d] *Omni volenti*. Sunt verba quibus finis imponebatur lectioni.
[e] *Cap. VIII*. Vers. 41. IX, 1-5. Illud *cum descendisset de navi* pertinet ad versiculum 27 capitis hujus.

In Lectionario Luxoviensi, deficiente Codice, deficiunt lectiones omnes trium Dominicarum præcedentium, et duæ primæ hujus; Evangelium autem legitur ex Marci VII, 31-37.
[f] *Lauda*. Ps. CV, 4.
[g] *Sacrificium*. Ex Apoc., VIII, 3 seq. ℣. Ibid., V, 1-6.

multe ut daret de orationibus sanctorum ad altare Domini : quod est ante thronum. Et ascendit fumus supplicationum de manu Angeli. In conspectu Dei : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Vidi librum in dextera Dei sedentis supra thronum : scriptum intus et retro : signatum signis septem : et audivi Angelum fortem predicantem voce magna : quis dignus est aperire librum et videre signa ejus ? Nec quisquam poterat : neque in celo neque in terra neque subtus terram aperire librum aut prospicere illum : et ego flebam multum quod nemo dignus inventus esset : qui aperiret librum aut videret illum : et dixit mihi unus ex senioribus : ne fleveris : ecce vicit Leo de tribu Juda : radix David aperire librum : et septem signa ejus. *P.* In conspectu Dei

Missa. [a] Hic est dies quem fecit Dominus : exultemus et letemur in eo. Hic est dies : quem tenebre comprehendere nequiverunt. Hic est dies : quem alia non precessit : nec nox ulla conclusit. Hic est dies : in quo qui ambulat : non offendit. Hic est dies : quem nulla unquam delevit oblivio : nec seculorum vetustas obducit. Qui cum maneat semper in Patre : nobis tamen hodie rediens ab inferis immortali refulsit ex lumine. Ipsum igitur possideamus in mente. Exultemus in voce. Adoremus in spiritu. Glorificemus et portemus in corpore. Intentaque prece rogemus : ne nos secunde patiatur mortis interitu comprehendi : quos ereptos a prime mortis imperio : per crucis et carnis sue passionem reddidit libertati.

℟. *Chorus.* Amen.

Alia oratio. Resuscita nos Domine a concupiscentiarum nostrarum sepulcris : qui devicto diabolo resurrexisti triumphator a mortuis. Non in nobis patiaris perire bonorum tuorum noticiam : quam dedisti qui in salutem perditos excitasti. Constitue inter nos : et inconvertibilem diabolum odium perfectum : non quo nobis nocere te propiciante prevaleat : sed quo agnitione tue veritatis inluminatos supplantare ulterius non prevaleat. Eumque ita malorum ejus crescente fastigio relinquamus : ne unquam ad vomitum nostrarum sordium redeamus. Illoque virtutis tue vigore expulso ineradicabilem mentibus nostris dilectionis tue infunde dulcedinem : donec ad sacietatem plenitudinis veniamus beate.

℟. *Chorus.* Amen.

Post nomina. Oratio. Facito nos omnipotens Deus : ut carnali devicta concupiscentia : veraciter 245
gloriemur in cruce tua. Per illam et viventium probra : et defunctorum abdicentur exitia. Per eam acceptentur oblationes fidelium : per eam confusa ad Christum redeat infidelitas perfidorum. Quo qui te resurrexisse fideliter credimus : ita ex nostris tibi actibus placeamus : ut per hoc sacrificium : placabilem te nobis ostendas et viventibus pacem et sepultis optatam conferas mansionem.

Respondeat Chorus. Amen.

Ad pacem. Oratio. Super corpus benevoli redemptoris spiritales aquile volantes et resurgentis Domini claritatem radiante fidei obtutu cernentes : debitas tibi offerimus clementissime grates. Et ideo deprecamur ut ad hujus delectabilis mense celestis epulas invitati : dono pacis eterne in hoc paschali mereamur convivio recreari.

℟. *Chorus.* Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere pulcrum atque sublime est : nos confessione pectoris : vocis organo : oris officio : innumerabilium tuorum Deus munerum dona proferre : et amaritudinem nostrarum faucium beati eloquii sapore condire. Sed angustum est ad tam immensa preconia pectus hominis : et quo te quisque interius aspexerit : major semper adcrescis : quia semper novus : semper antiquus es. Misisti in hunc mundum filium tuum lege nascendi : qui priusquam nasceretur in utero virginali : tecum ante secula cuncta formavit. Viderunt eum elementa nascentem : quem cum disponerentur : viderant ordinantem. Teneram ejus populi [b] mereantur etatem : quorum patres antiquam jam intellexerunt virtutem. Quodsi grande est pulcrumque mysterium : res illa cum nascitur : quanto majoris miraculi est res illa : cum moritur. Capta enim mors est corporis fraude : et dum carne contectum Deum non agnovit interius latentem sub esca fauce hamum suscepit : et in cruce clavis fixa contremuit. O quam preclara habilitatem draconis antiqui arte [c] lusisti : ut dum ei ostenderes corporis predam : ipse configeretur in ligno : [d] et spolians carne verbum : liber ad inferos pergis : confractisque portarum claustris : vinctos laxas e vincu-

[a] *Hic est dies.* Totum hoc tempus, quod a Paschate ad Pentecosten fluit, speciali devotione solebant fideles, tanquam continuatam quamdam festivitatem, celebrare : hinc in hac oratione dicitur *Exsultemus et lætemur in eo.* Præterea quilibet dies Dominicus ut imago quædam solemnitatis paschalis colebatur. *Diem Dominicum* (inquit Innocentius, epist. ad Decent. Eugub., cap. 4) *ad venerabilem Domini nostri Jesu Christi resurrectionem non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum, ipsius diei imaginem frequentamus.*

[b] *Mereantur.* Forte, *mirentur.*

[c] *Lusisti.* Adde *Dei Fili*, quod addendum mutatio constructionis et inopinata transitio a tertia ad secundam personam suadet.

[d] *Et spolians carne verbum.* Duo hic notanda, unum ad modum loquendi, aliud ad sensum verborum pertinet. Quod ad modum loquendi, sanctus Hilarius (*Lib.* IX *de Trin.*, *n.* 11) explicans Apostolum (*Coloss.*, II, 15), quem juxta versionem quamdam antiquam legit : *Exutus carnem, et potestates ostentui esse fecit, triumphatis his in semetipso*, dixit : *Quæro a te quis sit carne se spolians, et quæ sit caro spoliata.* Et post plura : *Spoliata enim caro Christus est mortuus;* eodemque loquendi modo hic (*N.* 10, 11) non semel utitur. Præterea sanctus Ambrosius (*Tract. de Symb.*, *cap.* 13) eumdem loquendi modum ex Apostolo exhibet ; sic enim citat laudatum textum : *Spolians se carne, principatus et potestates exspoliavit.* Fatendum tamen est hunc tractatum, quem Editio Romana, Petavius, aliique eruditi sancto Ambrosio attribuerant, in Editione Maurina in appendicem rejectum esse. Aiunt quidem eruditi Editores hunc esse tractatum antiqui scriptoris, ut putant, sæculi V, non autem sancti Ambrosii. Jam vero quod ad sensum verborum pertinet, cum Missali nostro conveniunt Missalia Gallicanum et Gallo-Go-

lis : et inter mortuos liber tenebras nova luce perfundis. Non subjacebat majestas tua Domine huic necessitati : ut ista patereris : sed nos eramus necessitas tua. Perierat enim Domine vita nostra : nisi filii tui morte fuisset inventa. Misisti super nostrorum criminum captionem : sanguinem unigeniti filii tui : et delesti eam jure victoris. Vulneribus ejus sanasti vulnera nostra : ut nos redimeres per filium tuum absque divinitatis injuria : ipsudque precium hominis idem factum est. Quid ergo faciemus nunc tam magno talique redempti precio? que nostra opera compensavit hoc precium? qualiter serviemus tali Domino : a quo nobis est promissa libertas : et offertur hereditas? Operare in nobis Domine : quod tibi placeat : ut te possidere possimus . ipse nos posside. Non discedemus a te : vivificabis nos : et nomen tuum invocabimus. Nomen illud est super omne nomen : quod conlaudant Angeli et Archangeli una voce proclamantes : atque ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus vere benedictus Domi- A nus noster Jesus Christus filius tuus. Qui solus verbo virtutis cuncta moderans : et omnia crucis destina portans : vectes ferreos comminuit : portarumque ercarum clausta perfregit : tartari profunda descendit : sedentibus in umbra mortis ignote lucis claritas resplenduit : et Sol justitie de tumulo corpore suscitato procedens : radiis suis tenebras nostras mirabiliter inlustravit. Ipse Dominus ac Redemptor eternus

Post pridie. Oratio. Confitemur Domine confitemur : et credimus pro nostro scelere te corporaliter mortis subiisse supplicium : et pro omnium salute prostrato mortis interitu triumphantibus Angelis celestem Patris : ex qua veneras : ad mansionem reB versum. Pro quo te Deus omnipotens rogamus et **246** petimus : ut oblata in conspectu tuo tue servitutis libamina : ipse tibi acceptabilia facias : et accepta discurrente sancto Angelo tuo nobis sanctificata distribuas : ut dum corda nostra corporis et sanguinis filii tui Domini nostri commixtione purifi-

thicum, quæ in *immolatione Missæ clausum Paschæ* habent : *Spirituale Verbum* (verbum scilicet divinum) *crucem spontanea voluntate, propter redemptionem humani generis, de inimico tyranno triumphaturus, ascendit, et, relicto paulisper corporis templo, inferorum claustra confringens*, penetravit, ac deinde se *pristinæ, ut antea fuerat, vitæ restituit.* Quæ satis aperte alludunt ad eam sententiam cui antiquorum plurimi faverunt, quæ tenet, Dei Verbum triduo mortis se a suscepta humana carne disjunxisse. Ariani et Apolli- C naristæ hanc opinionem acriter propugnabant; his enim (qui negabant in Christo esse animam rationalem humanam, sed pro anima Verbum divinum inesse perperam docebant) necesse erat asserere, Verbum divinum triduo mortis a corporis sui templo recessisse, siquidem Christum vere mortuum esse fatebantur, neque aliter hominem mori quam animæ a corpore separatione apud ipsos etiam constabat. At Catholici, etsi Apollinaris et Arianorum hæretica dogmata rejicerent, et profiterentur, Christum integrum hominem anima rationali et corpore constantem assumpsisse, haud pauci tamen opinabantur, ad veritatem mortis Christi non sufficere separationem animæ ejus a corpore, sed insuper necesse esse ut ab eodem corpore pariter separaretur deitas ; neque enim, aiebant, corpus illud revera mortuum esse censeri debet, cui intime unita remanet atque conjuncta fons ipsa et origo vitæ; et inde concludebant, moriente Christo vinculum illud quo Verbum divinum carni humanæ erat conjunctum fuisse dissolutum, post breve tem- D pus in perpetuum reparandum. Huc etiam referebant et verba illa a Christo in cruce prolata : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* et citatum textum Apostoli quem in Codicibus suis sanctus Ambrosius (*In Luc. lib.* v, *n.* 107) et sanctus Augustinus (*Lib.* I *de peccat. Merit. et remiss., cap.* 27) legebant : *Exuens se carne.* Porro hanc opinionem, ineunte sæculo v eoque adulto, plurimos habuisse fautores in Gallia, Hispania et Africa, probat libellus sive epistola Leporii (*Apud Garnerium, in not. ad Marcum Merc., pag.* 224), cui, ea probante synodo Africana, subscripsere sanctus Aurelius Carthaginensis, sanctus Augustinus Hipponensis, aliique duo episcopi Africani, Florentius et Secundus. Quæ proinde nihil alienum a recepta Africanorum episcoporum doctrina continebat ; in eo autem, cum de morte Christi Servatoris agitur, legimus quod *terrenum corpus pro tempore erat relinquendum non solum a Deo, verum etiam ab anima sua, quæ erat unita cum Deo : hoc ipsum priusquam fieret nobis moriens testatus est*, etc. Et infra : *Corpus, in morte et juxta legem excessus humani, divinitas cum unita sibi anima reliquit.* Hæc Leporius, cujus libellus, etsi duobus tantum episcopis inscribatur, Proculo Massiliensi, et Cilinio, fortasse Aquæsextensi, tamen, ut auctor est Cassianus, *ad omnes Galliæ civitates* missus est. At certe Galliarum episcopi nec sine examine admiserunt epistolam hominis ob hæresim et C pravas opiniones e Gallia pulsi, neque omnino suscepissent, si in ea quidquam suspiciosi dogmatis invenissent. Deinde quod eadem opinio hoc tempore in Hispania sectatores haberet, testes sunt Vitalis et Constantius, Episcopi Hispani, scribentes Capreolo, Carthaginensi episcopo (*Apud em. de Aguirre, Conc. Hisp. tom. II, pag* 195), in qua epistola, cum de quibusdam hæreticis mentionem fecissent, asserentibus purum hominem, a quo Deus recesserat, crucifixum esse : *Quibus*, inquiunt, *parvitas nostra sic dicit : Nunquam Deus recessit ab homine assumpto, nisi quando dixit Heli, Heli, lama sabactani*, etc. Testis etiam est auctor tractatus de Symbolo, inter opera sancti Ambrosii, qui, si quidquam valet conjectura eruditorum virorum sancti Ambrosii Editorum, haud temere creditur Hispanus, siquidem scribit adversus Priscillianistas pro tuenda expositione fidei conciliorum I Toletani et Bracarensis. Is autem cum retulisset (*Cap.* 13), Christum in cruce clamasse *Deus meus, Deus meus*, etc., subdit : *Clamavit homo divinitatis se-* D *paratione moriturus; nam cum divinitas morte sit libera, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet, quia vita divinitas est, quæ nunquam patitur vel mortem, vel corruptionem;* et ut ostenderet Dei Verbum sponte reliquisse corpus quod assumpserat, adducit ex Apostolo textum illum (*Coloss.*, II, 15) quem ipse legebat : *Spolians se carne*, etc. Atque hæc dicta sint ad ostendendum illi opinioni ad quam Missale nostrum alludit, quamque Gallicana Missalia aperte tradunt, fautores non defuisse eo tempore quo hæ missæ scriptæ sunt, exeunte IV aut V sæculo defluente. Cæterum nemo ignorat, eidem adversarios multos, et magni nominis, non defuisse, inter quos sanctus Athanasius et sanctus Gregorius Nyssenus, et post concilium Chalcedonense, in quo (*Sess.* 5.) statutum fuit, Dei Verbum *inseperabiliter* naturæ humanæ esse unitum, eam a suis fautoribus deseri cœpisse, ac tandem ab omnibus esse proscriptam, prævalente axiomate illo : Dei Filium quod semel assumpsit nunquam dimisisse.

cas : petitiones nostras in odorem suavitatis accipias. ℟. Amen.

ª *Ad Orationem Dominicam.*

Inestimabilem tue magnificentie bonitatem in hujus Resurrectionis filii tui solennitate : cum veneratione deposcimus Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : cujus bonitatatis imago est Christus : per quem nobis tale munus condonare dignatus es : ut nos ejus passione ac Resurrectione ex servis filios adoptares. Per ipsum te Do- A mine supplices exoramus : ut nos ab omni infestatione adversarii tutos atque defensos custodias : ut nunquam tuum contristemus Spiritum Sanctum : sed ipsum semper habeamus advocatum. Ut officiis misericordie et humilitatis insistentes : divitias celestes ab eo in futuro percipere mereamur : proclamantes. Pater noster qui es in celis. *Hec dicat Presb.* Vicit leo, *tribus vicibus. ut in die Resurrectionis folio* 198. *Postea dicat.* ᵇ Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

ª *Ad Orationem Dominicam.* Nonnulli sacerdotes in Hispania diebus Dominicis tantum solebant orationem Dominicam in missa recitare, contra quos concilium Toletanum IV (*Can.* 10) statuit ut quotidie patenter pronuntietur (*Cod. can. lib.* IV, *tit.* 15). Apostolos in missa orationem hanc recitasse scribit sanctus Gregorius (*Lib.* VII. *epist.* 64). Imo sanctus Hieronymus hoc eos præstitisse ait a Christo Domino edoctos (*Lib.* III *dial. adv. Pelag.*, *n.* 15, *Edit. Veron.*). Christus, inquit, *sic docuit discipulos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui : Pater noster, qui es in cœlis*, etc. Hinc in omnibus liturgiis invenitur oratio Dominica, de qua sanctus Cyrillus Hieros. (*Catech. myst.* 5), explicans liturgiam Hierosolymitanam ; sanctus Optatus (*L.* II *contr. Parm.*), tanquam de parte non prætermittenda liturgiæ Africanæ; sanctus Ambrosius, aut certe auctor libri de Sacramentis (*Lib.* V, *cap.* 4), ut de parte liturgiæ Italiæ loquuntur ; quare sanctus Gregorius non adjecisse credendus est orationem Dominicam liturgiæ Romanæ, sed locum quem antea occupabat mutasse. Romæ autem, saltem a tempore sancti Gregorii, sacerdos orationem Dominicam recitat, præter ultimam petitionem, *Sed libera nos a malo*, quam chorus cantat. Mos idem Mediolani observatur. In Africa quoque sacerdos ad altare voce elata orationem Dominicam pronuntiabat, ut a populo audiretur (*S. August., serm.* 58). Constantinopoli olim, teste sancto Gregorio, populus, modo chorus, juxta liturgiam sancti Chrysostomi, Dominicam orationem integram dicit. Eumdem ritum tenent Coptitæ, Æthiopes et Chaldæi. Apud Syros sacerdos dicit : *Pater noster, qui es in cœlis* ; reliqua prosequitur populus, quamvis juxta rubricam liturgiæ Græcæ sancti Jacobi populus integram dicat. Apud Gallos in missa recitatam fuisse orationem Dominicam e Missalibus eorum libris et ex sancto Germano constat, recitatam vero fuisse a populo innuit sanctus Gregorius Turonensis (*De mir. S. Mart.*, *lib.* II, *cap.* 30). Gotho-Hispani orationem Dominicam non modo in missa, sed etiam in vespertinis et matutinis precibus quotidie recitabant (*Cod. can.*, *lib.* IV, *tit.* 15), estque orationum quæ illis in missa recitantur septima et ultima (*S. Isid.*, *Off. lib.* I, *c.* 15). Eam vero sacerdos recitat, sed populus recitantem frequenter interpellat respondendo *Amen*. Et cum dixerit : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, respondet populus : *Quia tu Deus es*. In omnibus liturgiis præmittitur oratio quædam, tanquam præfatio aut introductio orationis Dominicæ; hæc in liturgiis Copticis et Alexandrinis *oratio fractionis* inscribitur, siquidem hostiæ fractionem consequitur. Apud Gallos et Gotho-Hispanos varia est, pro missarum varietate. Libris Gallicanis plerumque inscribitur *ante orationem Dominicam*, Missali vero nostro *ad orationem Dominicam*. Orationi Dominicæ subjungitur, tanquam ejusdem appendix, oratio quæ in Missali nostro, et in aliis liturgiis, excepta Gallica, eadem semper recitatur; in libris autem liturgicis Gallicanis, varia et mutabilis occurrit; quoad sensum tamen, et nonnunquam quoad verba, cum oratione Missalis Mozarabici convenit. Igitur post ultimam petitionem, ritu Mozarabico, sacerdos prosequitur eodem vocis tono : *Liberati a malo, et confirmati in bono*, etc. et cum dicit : *Pone, Domine, finem peccatis nostris*, ipse et omnis populus pectus tundunt, in signum compunctionis. In Ecclesia Africana ad ea verba : *Dimitte nobis debita nostra*, clerus, sacerdos et populus pectus B tundebant (*S. August. serm.* 351, 358). Gotho-Hispani non solebant tradere Dominicam orationem competentibus, sed post susceptum baptisma neophytos illam docebant (*S. Hildefon., de Cogn. bap.*, *c.* 132).

ᵇ *Humiliate.* Concilium Toletanum IV (*can.* 18), contra eos qui vetustum ritum Hispanum alienis consuetudinibus interpolabant, decrevit *ut post orationem Dominicam et conjunctionem panis et calicis, benedictio in populum sequatur, et tum demum sacramentum corporis et sanguinis Domini sumatur*. Quam disciplinam Gotho-Hispani et Mozarabes in posterum constanter retinuerunt. Igitur, postquam partem hostiæ in calicem immiserit, si missa fuerit privata, sacerdos ipse, sin fuerit missa solemnis, diaconus, elata voce, dicit *Humiliate*, etc., et sacerdos salutat populum more consueto, et deinde benedictionem recitat, ad cujus singulas petitiones populus respondet *Amen*. Eadem erat olim Gallorum disciplina, ut ex eorum libris liturgicis apparet. Forma benedictionis episcopalis, tam apud Gallos quam apud C Gotho-Hispanos, varia erat et mutabilis; et apud Gotho-Hispanos eadem benedicendi forma utebatur presbyter, qua episcopus; sed presbytero nefas erat presente episcopo populum benedicere (*Conc. Hispal.*, *can.* 7). At apud Gallos non eadem erat forma benedictionis episcopalis et benedictionis presbyteri. Nam etsi concilium Agathense (*Can.* 44) facultatem benedicendi presbyteris penitus interdixerat, ea tamen disciplina ubique recepta non est, et in provinciis Gothorum imperio non subditis mansit presbyteris facultas illis a concilio Regensi an. 439 data, non modo benedictiones privatim sponte petentibus impertiendi, verum etiam *in Ecclesiarum plebibus, per loca tamen magis quam per urbes*, benedictiones publice fundendi (*Conc. Regen.*, *c.* 5), sed forma quadam breviori, et a benedictionibus episcopalibus diversa. Sanctus Germanus : *Propter servandum honorem pontificis, sacrati canones constituerunt ut longiorem benedictionem episcopus, breviorem presbyter funderet*. Voluerunt D etiam ut forma benedictionis presbyteris permissa constanter eadem atque invariabilis foret. Est autem hujusmodi : *Pax, fides, charitas et communio corporis et sanguinis Christi sit semper vobiscum*. In liturgiis Græcorum et Orientalium nullæ sunt benedictiones episcopales post orationem Dominicam fundendæ, nullas quoque ejusmodi benedictiones recipit liturgia Romana, testibus Mabillonio (*Comment. in Ord. Rom.*, *n.* 7) et Georgio (*De liturg. Rom. Pont.*, *t.* III, *cap.* 3, *sect.* 6, *pag.* 117). Atque adeo benedictiones episcopales quæ in Sacramentario Gregoriano Menardi aliisque inveniuntur, probant hosce libros ad usus Gallicanos adaptatos fuisse. In Ecclesia Africana recepta erat consuetudo episcopales benedictiones super populum fundendi, ut ex epistola concilii Carthaginensis ad Innocentium I papam contra Pelagium et Cœlestinum, et ex epistola 179 (*Ed. Maur.*) sancti Augustini ad Joannem Hierosolymitanum eruitur, ubi etiam earum benedictionum forma indicatur,

Benedictio. Christus Dominus qui vos redemit sanguine crucis sue mortificet in vobis concupiscentias carnis vestre. ℟. Amen. Et qui moriens triumphavit ex inferis : victores vos efficiat criminis. ℟. Amen. Quo sicut ille gloriosam resurgens assumpti hominis carnem reportavit in celo : ita vos in die Resurrectionis assistatis ante oculos ejus gloriosi : absque ullo peccato. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Gaudete populi. *Communio.* Refecti Christi corpore. *Require retro in vigilia Resurrectionis. fol.* 193. *Oratio.* Expletis Domine. *Quere in fine omnium Offerentium. fol.* 198.

IN SEXTO DOMINICO PASCHE.

Ad Missam. Officium.

Dicite in natio. *fol.* 198. *Oratio.* Tibi gloriam concinimus. *Quere in Octava Pasche. folio* 194.

Apocalipsis Joannis Apostoli ([a] *Cap. XXII*).

℟. Deo gratias.

Ego Joannes fui in spiritu : et ostendit mihi Dominus flumen [b] aque vive splendidum : tanquam christallum procedentem de sede Dei et agni. In medio [c] plante ejus : et ex utraque parte fluminis lignum vite afferens fructus duodecim : per menses singulos [d] reddentia fructum suum. Et folia ligni ad sanitatem gentium : et omne maledictum non erit amplius : et sedes Dei et agni in illa erunt : et servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus : et nomen ejus in frontibus eorum. Et nox ultra non erit : et [e] non negabit lumen lucerne : neque lumen Solis. Quoniam Dominus Deus Israel inluminat illos : et regnabunt in seculum seculi. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Psallendo. Jubilate Deo omnis. *Quere in. IV. Dominico Pasche. fol.* 240.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([f] *Cap. V*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Per manus Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat conjungere se illis : sed magnificabat illos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum : ita ut in plateis ejicerent infirmos : et ponerint in lectulis et grabatis : ut veniente Petro saltim umbra illius obumbraret quemquam eorum : [g] et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem multitudo vicinorum civitatum Hierusalem afferentes egrotos et vexatos ab spiritibus immundis : qui curabantur omnes. Exsurgens autem princeps Sacerdotum et omnes qui cum illo erant : que est hereses Saduceorum. Repleti sunt zelo : et injecerunt manus in Apostolos : et posuerunt eos in custodiam publicam. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris educens eos dixit. Ite et **247** stantes in templum loquimini plebi omnia verba [h] vite. Qui cum audissent : intraverunt diluculo in templum : et docebant. [i] Audiens autem princeps Sacerdotum et qui cum eo erant : convocaverunt concilium et omnes seniores Israel et miserunt ad carcerem : ut adducerent eos. Cum advenissent autem ministri : et aperto carcere non invenissent illos : renunciaverunt dicentes. Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia et custodes ad januam carceris stantes. Aperientes autem neminem intus invenimus. [j] Audierunt autem hostros sermones [k] seniores templi : et principes Sacerdotum ambigebant de illis : quidnam esset istud. Adveniens autem quidam nunciavit eis : quia ecce viri quos posuistis in carcerem : in templo sunt stantes et docentes populum. Tunc abiit magistratus cum ministris : et adduxit illos sine vi. Timebant enim populum : ne lapidarentur. Et cum adduxissent eos : statuerunt in concilio. Et interrogavit eos princeps Sacerdotum dicens. Precipiendo precepimus vobis : ne doceretis in nomine isto? Et ecce replestis Hierusalem doctrina vestra : et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius? Respondens autem Petrus : et Apostoli dixerunt. Obedire oportet Deo magis : quam hominibus. Deus Patrum nostrorum suscitavit Jesum : quem vos interemistis suspendentes in ligno. Hunc Deus principem et Salvatorem nostrum exaltavit dextera sua : ad dandam penitentiam Israel in remissionem peccatorum. Et nos sumus testes horum verborum : et Spiritus Sanctus quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum ([l] *Cap. II*).

Illo in tempore. Egressus Jesus ad mare : omnisque turba veniebat ad eum : et docebat eos. Et cum preteriret : vidit Levi Alphei sedentem ad telonium et ait illi. Sequere me. Et surgens secutus est eum. Et factum est : cum adcumberet in domum illius multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. Erant enim multi qui sequebantur eum. Et scribe et pharisei videntes : quia manducaret cum publicanis et peccatoribus : dicebant discipulis ejus. Quare cum publicanis et

[a] *Cap. XXII.* Vers. 1-6. In Lectionario Luxoviensi prophetia deficit.

[b] *Aquæ vivæ.* Ita Primasius. Vulg. et Gr., *aquæ vitæ.*

[c] *Plante.* Lege *plateæ.*

[d] *Reddentia.* Lege *reddens.*

[e] *Negabit.* Vulg., *non egebunt.* Gr., *opus non habent.* Primasius, *et non opus erit.*

[f] *Cap. V.* Vers. 12-35. In Lectionario Luxoviensi legitur ex Act. Apost. XVI, 9-37.

[g] *Et liberarentur.* Vulgata addit *omnes.*

[h] *Vite.* Vulg. et Gr., *vitæ hujus.*

[i] *Audiens.* Vulg. et Gr., *adveniens.*

[j] *Audierunt autem.* Vulg. et Gr., *ut autem audierunt.*

[k] *Seniores Templi.* Vulgata, *magistratus Templi.* Græca, *prætor Templi,* ὁ σρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ. Syriaca, *præfectus Templi.*

[l] *Cap. II.* Vers. 13-23. In Luxoviensi legitur ex Marci VII, 31-37.

peccatoribus [a] manducat magister vester? Hoc audito Jesus ait illis: Non necesse habent sani medicum: sed qui male habent. Non enim veni vocare justos: sed peccatores: et erant discipuli Johannis et pharisei jejunantes et veniunt: et dicunt illi. Cur discipuli Johannis et pharisei jejunant: tui autem non jejunant? Et ait illis Jesus. Numquid possunt filii nuptiarum: quamdiu sponsus cum illis est jejunare? quanto tempore habent secum sponsum non possunt jejunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: et tunc jejunabunt in illis diebus. Nemo adsumentum panni rudis adsuit vestimento veteri. Alioquin aufert supplementum novum a veteri: et major scissura fit Et nemo mittit vinum novellum in utres veteres. Alioquin disrumpet vinum utres: et vinum effunditur et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mitti debet. Qui habet aurem audiendi audiat.

℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Lauda.* Alleluja. ℣. Laudate Dominum quia benignus Dominus: psallite nomini ejus quoniam suave est. *P.* Alleluja.

[c] *Sacrificium.* Aspexi et vidi animas interemptorum propter verbum Dei: omnes veste alba induti ante tribunal agni: et obtulerunt memoriam sanctorum in conspectu Domini: alleluja: alleluja. ℣. Vidi in medio seniorum tribunal candidum: et agnum quasi occisum: ante cujus conspectum fuit celum dicens mihi: hec est Resurrectio prima: et quatuor animalia: et seniores adoraverunt Deum. *P.* Et obtule.

Missa. Semper quidem dilectissimi fratres pia ad Deum gratulatione: et solicita ad Deum suum respicere debet affectio. Sed nunc precipue mens ardentior: spes promptior: mysterii recordatione vegetatior: celesti et religioso gaudio et modesta debet exultare leticia: et usque ad presentiam Domini affectum pii cordis extendere. Ut quicunque desidia aut inertia **248** jacuit: in hac die saltim ab actu et humilitate terrena Dominum suum imitaturus exurgat. Hic est dies quem fecit Dominus: rerum glorie: elementorumque principium: vite ac salutis exordium. Creatorem suum mundus hac die factus agnoscat: et redemptum se homo eadem die liberatus intelligat. Letentur celi et exultet terra: discant inferi mortuos non tenere: discant vivi viam mortis evadere. Lux splendidior incipiat esse: Sol clarior. Et ipse etiam Resurrectionis tempus inlustret: qua hora refugerat passionis. Sit pro Ecclesiis cunctis ac mysteriis: omnibusque Ecclesie membris fidelis oratio absque dubitatione confidens interpellatio: quo in hoc presenti mysterio invocata pietatis miseratio: sit futura presentior. ℟. Amen.

A

Alia Oratio. Cum tibi omnipotens Pater omne quod in nobis vel creatoris ope vel munere redemptionis rationale potest esse: et vividum jugi inservire famulatu rerum magnitudine provocetur: hodierno presertim vel die vel tempore: ut affectuosius aliquid cum nihil egeas tue bonitati, votis ac studiis offerre possimus: fenerare dignare: quod conveniat reddidisse. Quia majoris multo est gratie reformasse perditum: quam fecisse futurum. Ut enim crearemur vel non crearemur: non precesserat culpa judicem: non prevenerat materia creatorem.
B At vero ut offensus postmodum ad misericordiam veritatis: et vas peccatorum precipitatione confractum: tuis denuo manibus redderetur solidatum. Quid nisi infinitus pietate: immensus misericordia: inenarrabilis bonitate in omni progenie et generatione predicandus es et colendus? Unde precamur ut quibus conditionis atque redemptionis prerogasti beneficia: tribuas indulgentiam criminum manifestam. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Christe qui moriens peremisti imperium mortis: et resurgens spem Resurrectionis prebuisti indignis. Presta nobis ut hec oblatio offerentium: et mortificationem nostrorum operetur facinorum: et a criminibus resurgendi nobis preparet commeatum. Sit hujus litatione gaudium in
C celis: securitas in terris: indulgentia vivis: requies defunctis. Ut hoc die quo ipse victor rediisti ab inferis: plenissimum amorem crucis impertias populis Christianis. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Conserva Domine in pace tua quos redemisti effusi sanguinis unda. Libera ab scandalo: pro quibus pependisti in ligno. Efficito charitatis opere dignos: quos tibi preeunte gratia, adoptasti in filios. Ut quotquot Resurrectionis tue victorias celebramus: ultimo judicii tempore resurgentes coronandi a dextris tuis cum ovibus collocemur. ℟. Amen.

[d] *Inlatio.* Dignum et justum est nos [e] Dominice potestatis preferre virtutem: et in filio [f] paterne plenitudinis agnoscere majestatem. Per quem cuncta
D restituis: et universa restauras. [g] Quem in hominis effigie misisti in seculo: ut amares in nobis quod diligebas in filio. [h] Impleta sunt que propheticis vocibus antea mandaveras. Perfecta sunt cuncta que de adventu ejus ipse predixeras. [i] Hic namque est leo de tribu Juda fortis in prelio. Hic catulus leonis victor resurgens a mortuis. Hic agnus immaculatus

[a] *Manaucat.* Vulg. et Gr., *manducat et bibit.*

[b] *Lauda.* Ps. CXXXIV, 3.

[c] *Sacrificium.* Ex Apocalypsi, VI, 9. ℣. Ibid., V, XX.

[d] *Inlatio.* In Sacramentario Bobiano (*pag.* 377) exstat *contestatio Dominicalis*, quæ in multis huic illationi similis est.

[e] *Dominicæ.* Bobianum: *Et in Christo Dominicæ sublimitatis præferre virtutem.*

[f] *Paternæ.* Bobianum: *Et in filio misericordem prædicare pietatem.*

[g] *Quem.* Hæc in Bobiano deficiunt.

[h] *Impleta.* Bobianum: *Sublata sunt omnia.*

[i] *Hic.* In Bobiano *tu*, nam in Mozarabico hæc tota illatio dirigitur ad Patrem æternum, at in Sacramentario Bobiano dirigitur oratio ad Dei filium.

diu questus ad victimam. Hic lapis ab edificantibus A spretus: postmodum ammirabilis factus: et in Ecclesie capite constitutus. [a] Hic dux militie celestis et princeps. Hic Ecclesie Sponsus et Dominus. Hic in Noe non solum arche: sed Ecclesie gubernator. In Abraam fidelissimum patriarchalis privilegii fastigium: in Isaac gloriose hostie sacramentum. In Jacob summum patientie documentum. [b] In Sanctis omnibus totius justicie plenitudo: quem conlaudant omnes Angeli et Archangeli ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. In quo crucifixo vera fuit infirmitas carnis: et in quo vivente virtus vera latuit **249** Deitatis. Quod humanum est habens homo in veritate humane nature: et quod B divinum est habens Deus in veritate divine substantie. Hic comprehensibilis in vulnere: hic impartibilis in virtute. Immortalis predicatur in morte: qui sic potuit moriendo mortem vincere: ut mortem sentiret: sed patiendo et a mortuis resurgendo: vitam fidelibus condonaret. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Hec est pia et salutaris hostia Deus Pater: qua tibi reconciliatus est mundus. Hoc est corpus illud: quod pependit in cruce. Hic etiam sanguis: qui sacro profluxit ex latere. Pietati tue proinde gratias agentes: ex hoc quod nos filii tui morte redemeris: et Resurrectione salvaveris: acclives mente te Dominum pietatis oramus: ut hec libamina: Spiritus tui sancti benedictione [c] respergens: sumentium visceribus sanctificationem accommodes. Quo C purificati a criminum labe plenissime jocundemur in hoc Resurrectionis Dominice die. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Erge nos ante conspectum tuum omnipotens Deus: in quo vivimus. Cui solenne sumus. Cujus beneficium nostra salus est. Cujus donum nostra festivitas. Cujus munus vita credentium. Cujus redemptio resurrectio mortuorum. Adesto sacrificiis: que docuisti. Adesto gaudiis: que dedisti: qui spem resurrectionis ac redemptionis nostre: filii tui Resurrectione signasti. Conserva in nobis inter omnia hoc munus tuum: ut hunc Resurrectionis Dominice diem dignis concinentes carminibus: ad te e terris sic dicere mereamur. Pater noster.

Dicat Presb. Vicit leo. *tribus vicibus. Quere in die Resurrectionis. fol.* 198.

Deinde dicat. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Benedictio. Christus Dominus qui exaltandus pependit in ligno. Coronaturus vos humilitatis adtollat triumpho. ℟. Amen. Cujusque in sepulcro caro non vidit corruptionem: procul a vobis efficiat omnes libitus carnis vestre. ℟. Amen. Ut cum eo sine fine vivatis: quem resurrexisse fideliter creditis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Ad accedentes. Gaudete populi.

Com. Refecti Christi corpore.

Quere in vigilia Resur. fol. 193.

Oratio. Expletis Domine. *ut id die Resur. fol.* 198.

[d] IN ASCENSIONE DOMINI.

Ad Missam [e] *Officium.*

Vidi sedem magnam alleluja: et qui sedebat super eam: ipse vocatur testis fidelis: et vox de throno exi-

[a] *Hic Dux.* In Bobiano: *Tu Sacerdos excelsus* [Fortasse *excelsi* legendum] *et verus Minister, tu virga de radice Jesse, tu templum verum, quod pro nostra redemptione prostratum est, tu post triduum resurgens vivus a mortuis.*

[b] *In sanctis omnibus.* Loco hujus in Bobiano legitur: *In Joseph misericordiæ prædicator, in Moyse laudabilis dux, in David patriarcha præclarus, in Salomone abundantissimus fons sapientiæ, in Isaia auctor omnium prophetarum, in Joanne primus Baptista, in Stephano primus martyr, in Petro negantium fides, in Paulo Sp. sanctus Paracletus, quod merito tibi, Domine, collaudant opera illa viginti quatuor seniores, et quatuor animalia senas alas habentes* [Lege *habentia*] *dicentes: Sanctus.*

[c] *Respergens.* Hinc manifestum est, Gotho-Hispanos orasse pro donis consecratis, ut Deus illis infunderet gratiam Spiritus sancti, communicantibus impertiendam. Sane de elementis non consecratis dici nequit: *Hoc est corpus illud quod pependit in cruce,* et tamen orant ut Deus *hæc libamina,* nimirum corpus illud quod pependit in cruce, et hunc sanguinem qui sacro profluxit ex latere, Sp. sancti benedictionibus respergens, sumentium visceribus sanctificationem accommodet.

[d] *In Ascensione Domini.* Breviario Mozarabum et Orationali Gothico *dies Ascensionis Domini* inscribitur *Ascensionis Dominicæ solemnitas,* quemadmodum et Isidoro (*De eccl. Off., l.* I, *cap.* 32). Lectionario Luxoviensi, et Missali Gallo-Gothico *Ascensio Domini.* Sacramentariis sancti Leonis, Gelasiano et Gregoriano, et Capitularibus Evangeliorum, *Ascensa Domini.* Græcis, ἀνάληψις τοῦ Κυρίου, *Assumptio Domini* appellatur, nec recens est apud eos hæc appellatio, ut ex lib. VIII apostolicarum Constitutionum, et ex homilia sancti Chrysostomi εἰς τὴν ἀνάληψιν τοῦ Κυρίου *in Assumptionem Domini,* quam adhuc sacerdos habuit, apparet (*Oper. t. II, pag.* 447, *Edit. Maurin.*) Apud Cappadoces, peculiari illis gentibus vocabulo Ἐπισωζομένη appellabatur (*Allat. de dom. et fest. Græc.*, n. 28); et sanctus Chrysostomus homiliam habuit Dominica Episozomenes, scilicet die Dominica infra octavam Ascensionis. Festivitas Ascensionis vetustissima est, et ex iis quas apostolica D traditione servat Ecclesia (*S. August., epist.* 118, *alias* 54). Auctor Constitutionum apostolicarum (*lib.* VIII, *cap.* 33, *edit. Turriani*) inducit sanctum Petrum de festis observandis præcipientem, et, ad rem præsentem, *die Assumptionis Christi* ut servi ab opere vacent jubentem. Celebrabatur autem festivitas Ascensionis die quadragesima post Resurrectionem, atque adeo die Jovis (*S. Aug., ser.* 2 *de Ascensione, oper. t. V, col.* 1059, *n.* 3), et inter præcipuas solemnitates habebatur. Sanctus Augustinus (*Ser.* 5 *de Ascensione, ibid., col.* 1079): *Ascensum Domini in cœlum hodie solemniter celebramus*; et ser. 3 de Ascensione Domini (*Ibid., col.* 1071): *Resurrectionem Christi,* inquit, *Paschæ Dominico celebravimus, ascensionem hodie celebramus, festus nobis dies uterque.* Gotho-Hispani festo Ascensionis forum civile vacare

[e] *Officium.* Apoc., IV, 1-3; III, 14; XIX, 5. ℣. Ps. XXXVI, 6. *Non erubescent.* Ita sanctus Augustinus. Vulg., *non confundentur.*

vit dicens. P. Adorate et conlaudate Dominum omnes servi ejus. Alleluja. ℣. Accedite ad eum et inluminamini : et facies vestre non erubescent. P. Adorate. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. P. Adorate etc.

Oratio. Salvator noster et Domine qui ascendens in celos intuentium clarificatus apparere dignatus es oculis : dum ita de quo ascenderas te venturum ad judicium polliceris : fac nos hodierne Ascensionis tue festum pura cordium devotione suscipere : ut ita in te semper ad melius vita nostra ascendendo proficiat : qualiter te ad judicium veniente inconfusibili contuitu te semper visionis aspiciat. ℟. Amen. Per misecordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Apocalipsis Johannis Apostoli ([a] *Cap. IIII*).

℟. Deo gratias.

Ego Johannes fui in spiritu et vidi : et ecce ostium apertum in celo. Et vox prima quam audivi tanquam tube loquentis mecum dicens. Ascende huc : et ostendam tibi que oportet fieri post hec. Statim fui in spiritu : et ecce sedes posita erat in celo. Et supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis. Et iris erat in circuitu sedis similis visionis smaragdine. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor. Et supra thronos viginti quatuor seniores sedentes circumamicti vestimentis albis : et in capitibus eorum corone auree. Et de throno procedunt fulgura et voces et tonitrua et septem 250 lampades ante thronum : qui sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile cristallo. Et in medio sedis : et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni. Et secundum animal simile vitulo. Et tertium animal habens faciem quasi hominis. Et quartum animal simile aquile volanti. Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas. Et in circuitu plena sunt oculis : et requiem [b] non habent die et nocte dicentes. Sanctus. Sanctus. Sanctus. Dominus Deus omnipotens : qui est : et qui erat : et qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti supra thronum : viventi in secula seculorum. Procidebant viginti quatuor seniores ante sedem in throno : et adorabant viventem in secula seculorum. Et mittentes coronas suas ante thronum dicentes. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem : quia tu creasti omnia : et propter voluntatem tuam erant et creata sunt.

℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[c] *Psallendo*. Ascendens in altum cepit captivitatem : [d] dona dedit hominibus. [e] ℣. Visi sunt ingressus tui Deus : ingressus Dei mei Regis : qui est in Sancto ipsius.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Principium libri [f] *Actuum Apostolorum*.

℟. Deo gratias.

Primum quidem sermonem feci de omnibus : o Theophile : de quibus cepit Jesus facere et docere usque in diem : qua precipiens Apostolis per Spiritum Sanctum : quos elegit [g] et precepit predicare evangelium : quibus et prebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis : per dies quadraginta apparens eis : et loquens de regno Dei. Et cum [h] conversaretur cum illis : precepit eis ab Hierosolymis ne discederent : sed expectarent promissionem Patris : quam audistis per os meum. Quia Johannes quidem baptizavit aqua : vos autem baptizabimini Spiritu Sancto : quem accepturi estis non post multos hos dies. Igitur qui convenerant : interrogabant eum dicentes. Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel ? Dixit autem eis. Non est vestrum nosse tempora vel momenta que Pater posuit in sua potestate. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos : et eritis mihi testes in Hierusalem : et in omni Judea et Samaria et usque ad ultimum terre. Et cum hec dixisset videntibus illis elevatus est : et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in celum euntem illum : ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis : qui et dixerunt eis. Viri Galilei quid statis aspicientes in celum ? Hic Jesus qui adsumptus est a vobis in celum : sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum.

℟. Amen.

vacare voluerunt (*Cod. leg. Wisig., lib.* II, *tit.* 1, *lege* 2, *die Dominico*). Chrodegangus, Metensis episcopus (*In regula, cap.* 74), inter præcipuas festivitates *Ascensionem Domini* recenset. Et paulo antea sanctus Bonifacius Moguntinus festum Ascensionis inter eas solemnitates reponit, quibus ab opere servili abstinendum (*Spicileg. Dacherii, t. IX, p.* 66). Cæterum in Missali nostro nulla est mentio Rogationum ante Ascensionem, quæ Gotho-Hispanis ignotæ erant.

[a] *Cap. IV*. Vers. 1 ad finem capitis. In Lectionario Luxoviensi, ex Act., I, 1-12. In Bobiano binæ tantummodo sunt lectiones : altera ex Apocalypsi, VII, 9-13; altera ex Evangelio.

[b] *Non habent*. Vulg. et Primasius, *non habebant*. Gr., *non habent*.

[c] *Psallendo*. Ps. LXIX, 9. *Ascendens*. Ita Ital. et Hebr. ; at Vulg., sanctus August., Psalt. Mozarab., *ascendisti in altum*.

[d] *Dedit dona hominibus*. Ita Psalterium Mozarabum ; ac Vulgata legit : *Accepisti dona in hominibus*; ita quoque sanctus Augustinus et Theodoretus, qui tamen fatentur Apostolum (*Ephes*. IV, 6) legisse : *Dedit dona hominibus*.

[e] ℣. Ps. LXIX, 25. *Ingressus*. Vulg. et Theodoretus, *viderunt ingressus tuos*. Sanctus August., Psalt. Mozar., *visi sunt gressus tui, Deus*.

[f] *Actuum*. Cap. I, 1-12. In Luxoviensi legitur ad Ephesios, IV, 1-14.

[g] *Et præcepit prædicare Evangelium*. In Vulg. et Græc. non legitur.

[h] *Conversaretur*. Vulg., *convescens*. Græc., *et congregans* καὶ συναλιζόμενος.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem (a *Cap. XVI*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Vado ad eum qui misit me : et nemo ex vobis interrogat me quo vadis. Sed quia hec locutus sum vobis : tristicia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero : Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero : mittam eum ad vos. Et cum venerit ille : arguet mundum de peccato : et de justicia : et de judicio. De peccato quidem : quia non crediderunt in me : de justicia vero : quia vado ad Patrem : et jam non videbitis me. De judicio autem : quia princeps hujus mundi judicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere : sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis : docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso : sed quecunque audiet loquetur : et que ventura sunt adnunciabit vobis. Ille me clarificabit : quia de meo accipiet : et adnunciabit vobis. Omnia quecunque habet Pater mea sunt : propterea dixi : quia de meo accipiet et adnunciabit vobis. Modicum et jam non videbitis me : et iterum modicum et videbitis me : quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo discipuli ejus ad invicem. Quid est hoc quod dicit nobis : **251** modicum et non videbitis me : et iterum modicum : et videbitis me : quia vado ad Patrem? Dicebant ergo. Quid est quod dicit modicum? Nescimus quid loquitur. Cognovit autem Jesus : quia volebant eum interrogare : et dixit eis. De hoc queritis inter vos : quia dixi vobis : modicum et non videbitis me : et iterum modicum et videbitis me : quia vado ad Patrem. Amen amen dico vobis : quia plorabitis et flebitis vos : mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini : sed tristicia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit tristiciam habet : quia venit hora ejus. Cum autem peperit puerum : jam non meminit pressure propter gaudium : quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristiciam habetis : iterum autem videbo vos : et gaudebit cor vestrum. Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. ℟. Amen.

Hic dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

b *Lauda*. Alleluja. ℣. Ascendit Deus in jubilatione : Dominus in voce tube. *P*. Alleluja.

c *Sacrificium*. Vidi in celo turbam quam dinumerare nemo poterat : et clamabant voce magna : salus Deo nostro ascendenti in thronum. Et adorabant Deum dicentes : honor gloria et sapientia virtus et potestas data est Deo nostro in eternum : alleluja. ℣. Audivi tanquam tubam loquentem mecum et dicentem : ascende huc : et ostendam tibi que oportet fieri post hec : et ecce sedes posita erat in celo : et supra sedem sedens similis aspectui lapidis jaspidis : et supra sedem sedentes seniores amicti veste alba. *P*. Et adorabant.

Missa. Placeat dilectissimi fratres secularium cogitationum fasce deposito erectis in sublime mentibus subvolare : et impositam etheris fastigio assumpti hominis communionem sequacibus cordis oculis contueri. Ad incomparabilem nobis claritatem attonitus vocandus aspectus : est Jesus Dominus : noster humilitatem nobis terrarum celorum dignitate commutat : acutus necesse est visus esse : respicere quo sequimur. Hodie Salvator noster post assumptionem carnis : sedem repetit Deitatis. Hodie hominem suum intulit Patri : quem obtulit passioni. Hunc exaltans in celis : quem humiliaverat in infernis. Hic visurus gloriam : qui viderat sepulturam. Et qui adversus mortem mortis sue dedit beneficium : ad spem vite donavit Resurrectionis exemplum. Hodie rediit ad Patrem : cum tamen sine Patris : qui sibi equalis est : potestate non venerit. Hodie ascendit in celum : qui obsequia celestium cum descenderet : non amisit. Ita in Patris natura unitate consistens : ut cum homo celum novus intraret : novum tamen Deus hominem non haberet. Petamus igitur ab omnipotentia Patris per nomen Filii Salvatoris : gratie spiritalis ingressum : eterne beatitudinis donum : beate mansionis ascensum : catholice credulitatis augmentum : heretice infidelitatis excidium. Audiet profecto in confessione : quos in perditione quesivit. Adstitit suis : qui non destitit alienis. Aderit agnitus : qui non defluit agnoscendus. Non patietur orphanos esse devotos qui filios facere dignatus est inimicos. Dabit effectum supplicationis : qui promisit Spiritum sanctitatis. ℟. *Chorus*. Amen.

Alia Oratio. Domine Deus virtutum : qui transgressus occasum transcendisti super celos celorum ad orientem : captiva spolia de captivitate duxisti : ut genus humanum quod tua morte redemeras : tuaque Resurrectione vivificaveras : tua Ascensione glorificares : et promissione ditares : dona Ecclesie tue et ad te perveniendi iter prosperum : et quotidianum de die in diem profectum. Ut magnificentie tue reddat : quod tantam virtutem concesseris. Ut obtineat devicto hoste : et libertatem de tuo auxilio : et gloriam de triumpho. ℟. *Chorus*. Amen.

252 *Post nomina. Oratio*. Domine Rex glorie qui patefactis : et adimpletis prophetarum oraculis : tanquam elevatis eternalibus portis paternam repetis sedem. Quo dum tua Deitas eo quo nunquam discessit regreditur : humano generi celorum aditus aperiatur. Dona ut illic extendatur nostra intensio : quo processit nostra redemptio. Nec inhereamus captiva delectatione terrenis : qui te regnantem confitemur in celis. Quo prece humilitatis nostre placatus : ex

a *Cap. XVI*. Vers. 5-23. In Lectionario Luxoviensi Evangelium partim ex sancto Joanne, partim ex sancto Luca desumptum est. Incipit Joan. XIII, 33-35, tum Joan. XIV, 1-14, demum Luc. XXIV, 49-53. In Bobiano legitur ex Luc. XXIV, 36-53.

b *Lauda*. Ps. XLVI, 6.

c *Sacricifium*. Apoc., VII, 9 seq. ℣. Ibid., IV, 1 seq.

illa majestatis tue qua resides sede : et viventes repleas donis : et pausantium spiritus consoleris

℟. *Chorus.* Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui assumptum hominem evecturus ad celos : inter precipua mandatorum tuorum mysteria concordissimam pacem tuis Sanctis reliquisti Apostolis : suscipe inlata sacro altario munera in hostiam pacificam : largiente tua gratia reputanda. Nobisque tuis famulis tribue sectari per exterioris hominis osculum : interioris hominis indisruptum pacis et gratie sacramentum.

℟. *Chorus.* Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : omnipotens Pater: nos tibi agere gratias per Jesum Christum Filium tuum. Qui post [a] secunde nativitatis verissimum sacramentum : post humane passionis gloriosum triumphum : post dignabilem suscepte mortis ad inferna descensum : post vivificantem reassumpte Resurrectionis ad superna regressum : post manifestatam mirabilium virtute potentiam : post immensam infirmantium medicinam : post celebratam in Apostolorum communione doctrinam : ad illam equalem sibi majestatis tue sedem ereptam : de inimici faucibus predam reportans : captivum diabolum : suum socium hospitem fecit. Dignum celi habitatione constituit : qui perfrui paradisi jocunditate non potuit. Opus tuum : onus suum est. Cum nec illa labori : nec ista sint ponderi. Qui inter profunda tenebrarum : debitum aliene corruptionis exsolvit : inter excelsa nubium premium servande incorruptionis indulsit. Tantis ergo nos beneficiis sua pietate crescentibus : ut parum putaret hominem terram recepisse : quam perdidit : nisi et celum quod non habuerat recepisset. Multiplicatoque fenore interceptum usum beatius compensaret augmentum. Non sufficit abundantissime bonitati : quod ad cruciandam spoliati hostis invidiam : faciendis virtutibus potestate permissa : venire ad te super aquas discipulo cupienti famulantia contra naturam elementa subjecit : dum gravem gradientis corporei ponderis molem nequaquam [b] credentium undarum dorsa portarent : cum ad imperantis obsequium fieret itineris soliditas non liquoris. Et equor jussione libratum non mutaret cursum et mutaret officium. Atque ad vocantis edictum euntes vie currerent : et progredientis vestigia freta insignia sorberent : immersumque pelagus ascendentis limitem inviolata equalitate nesciret : et figentis pedem plenitudine in se manente non mergeret. Non in aliquam cratem materia gelu stricta concreverat : nec fluminum more superjecta fluentis frigore tegumenta pendebant. Cum natabilis illa mobilitas pervia : et velis pateret : et plantis. Inestimataque profunditas simul : et viatorem ferret : et remigem. Majori miraculo hominem pati jussa : quam navem. Uberiori Dei laude gressibus adita : quam ratibus. Ac nisi fides paululum pavefacta nutasset : reversa in ipsum ad legem suam natura equoris non fuisset. Qua credulitatis constantia recedente : diffidentiam dubitantis nimis appropinquantis periculi castigaret : et circa presumpte spei defectum verberantium pelago fluctuum quasi mensura distringeret. Domini tamen auxilium metu discriminis invocantem tangeret tempestas magistra : non tegeret. **253** Fuerint licet magna ista vel grandia : cedant tamen his beneficiis illa miracula : quod invisibili Deo : homo visibilis corporatus aereum iter non gradu superat sed volatu : et Deus in carne manens per creaturam suam ventorum pennis evehitur : non membrorum. Nullus eumdem conatus fatigat : cui aura pro via est. Quem tamen non fert levitas : sed potestas. Deficit nisus : et currit ascensus. Ille cepit hujus altitudinis gloriam : qui crucis portavit injuriam. Ille intravit in regno : qui pependit in ligno. Ille conscendit ad dexteram Patris : qui causa nobis factus est pacis. Ipse illos ascendenti secum homini celos aperuit : quos ut propter hominem descenderet inclinavit. Quem laudant benedicunt adorant atque glorificant Throni Potestates ac Dominationes. Cui merito omnes Angeli : et Archangeli non cessant clamare quotidie una voce dicentes. *Respondent Chorus.* Sanctus. Sanctus. Sanctus. Dominus Deus Sabaoth etc.

Post Sanctus. Vere sanctus : et benedictus Jesus Christus filius tuus Dominus noster. Qui sub hodierne expectatione virtutis redeunti ad se homini viam prestitit : ipse dum via est. Qui indemutabilitate divinitatis sue in se manente substantia : peracto Incarnationis Nativitatis Circumcisionis Passionis : Resurrectionis Ascensionis atque admisso Spiritus Sancti Paracliti officio : eum in celis regnaturus [c] imponit : quem infernis liberaturus imponit. Nihil dubitationis volens relinquere : nihil erroris : si cum eo visibiliter ascenderet : pro quo invisibiliter descendisset. Ut incredula ac dura cervice corda plebis Judaice multitudinis essent confusa : dum reverteretur : que non fuerat confessa : dum nasceretur. Et qui non meruit confiteri dum venisset : posset erubescere dum rediret. Ut videret in Deum hominem : quomodo Deum in homine non vidisset. Non quod peniteret dum ostenditur : sed ut erubesceret dum miraretur. Christum Dominum ac Redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Indicavimus plane : nec unquam tacebimus passum te Christe pro redemptione miserorum : resurrexisse pro salute fidelium : celos ascendisse pro virtute meritorum : venturum te esse Judicem mortuorum atque viventium. Quod scientes Domine : ut nobis dies illa terribilis aliquantulum ex tua propitiatione mitior adveniat : hec munera offerimus. Que ut nobis in salutem percepta contingant : visitet ea Spiritus tuus Sanctus qui in similitudinem

[a] *Secundæ nativitatis.* Scilicet qua de Virgine homo natus est, qui prima et æterna nativitate de Deo Patre Deus nascitur.

[b] *Credentium.* Forte, *cedentium.*

[c] *Imponit.* Forte, *intulit.*

flamme [a] manus dona suscepit. Visitet et vivificet ea Spiritus tuus Sanctus : qui per vaporem incendii Helie prophete holocaustum adsumpsit. Visitet et vivificet ea Spiritus tuus Sanctus : qui ignearum divisione linguarum in Apostolorum tuorum cordibus commeavit. Ut recepta in visceribus nostris : et presentem nobis : et eternam prestent salutem.

℟. *Chorus.* Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Quis loquetur potentias tuas Domine : aut quis enarrare poterit omnes laudes tuas? Ad humana descendisti : celestia non relinquens. Ad superna regressus : humana non deserens. Ubique totus. Ubique mirabilis. Non interceptus carne : ut non esses in Patre. Non ereptus Ascensione : ut non esses in homine. Respice ad orationem plebis tue sancte Domine misericors Deus : ut in hac die Ascensionis tue sicut data est tibi gloria in excelsis : ita nobis gratia prestetur in terris. Pater noster qui es in celis.

Hic dicat Presbiter : Vicit leo.

Tribus vicibus. Ut in die Resurrectionis Domini. Folio 198.

Postea dicat. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Benedictio. Jesus Christus Dominus pacem quam ad celos remeans discipulis suis tradidit : integram in vobis inlibatamque **254** conservet. ℟. *Chorus.* Amen. [b] Angelos quoque Sanctos quos suo elegit obsequio : vobis deputet in presidium. ℟. *Chorus.* Amen. Ut ipso auctore illic erigamini fide : quo vos adsumendos speratis in requiem. ℟. *Chorus.* Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Gaudete populi.

Communio. Refecti Christi corpore.

Require retro in vigilia Resurrectionis. Folio 193.

Oratio. Gratias tibi agimus Domine Deus : et te Deum benedicimus de die in diem : qui nos in hanc diem sancte solennitatis tue perducere dignatus es : fac nos diem istum Ascensionis tue per multa curricula annorum in pace et tranquillitate suscipere cum fideli populo tuo. ℟. *Chorus.* Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

IN DOMINICO POST ASCENSIONEM DOMINI.

Ad Missam. Officium.

Dicite in nationibus. *Quere folio.* 198. *Oratio.* Tibi gloriam concinimus. *Require retro in Octava Pasche. Folio* 194.

Apocalipsis Joannis Apostoli ([c] *Cap. VII*).

℟. Deo gratias.

Ego Johannes fui in spiritu : et vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis stantes ante thronum in conspectu agni : amicti stolis albis : et palme in manibus eorum : et clamabant voce magna dicentes. Salus Deo nostro : qui sedet super thronum : et agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni et seniorum : et quatuor animalia ceciderunt in conspectu throni in facies suas : et adoraverunt Deum dicentes : amen. Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio et honor : et virtus : et fortitudo Deo nostro in secula seculorum : amen.

℟. *Chorus.* Amen.

Hic dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Quis dabit mihi pennas sicut columbe : et volabo : ut requiescam. ℣. Timor et tremor venerunt super me : et contexerunt me tenebre : et dixi. *P.* Volabo.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Lectio Actuum Apostolorum ([e] *Cap. XIIII*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Paulus et Barnabas commorabantur Listris. Et quidam vir in Listris infirmis pedibus sedebat claudus ex utero matris sue : qui nunquam ambulaverat. Hic audivit Paulum loquentem : qui intuitus eum et vidit quia haberet fidem : ut salvus fieret : dixit magna voce. Tibi dico surge super pedes tuos rectos. Et exilivit : et ambulavit. Turbe autem cum vidissent quod fecerat Paulus : levaverunt vocem suam Lycaonie dicentes. Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem : Paulum vero Mercurium : quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos vero Jovis qui erat ante civitatem : tauros : et coronas ante januam afferens cum populo : volebat sacrificare. Quod ubi audierunt Apostoli Barnabas et Paulus conscissis tunicis suis exilierunt in turbas : clamantes et dicentes. Viri quid hec facitis? Et nos mortales sumus : similes vobis homines : adnunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum : qui fecit celum et terram mare et omnia que in eis sunt. Qui preteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi in vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens : de celo dans pluvias et tempora fructifera : implens cibo : et leticia corda vestra. ℟. *Chorus.* Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum ([f] *Cap. IX*).

In diebus illis. Dominus noster Jesus Christus veniens ad discipulos suos : vidit turbam magnam circa eos et scribas conquirentes cum illis. Et confe-

[a] *Manus.* Lege *Manues* (*Judic.* XIII, 20).

[b] *Angelos.* Sanctus Chrysostomus (*Hom. VII, de laudibus S. Pauli*), aliique Patres passim docent, angelos custodes a Deo hominibus deputatos esse. Eamdem fuisse Ecclesiæ Gotho-Hispanæ doctrinam hoc nostri Missalis loco plane comprobatur.

[c] *Cap. VII.* Vers. 9-13. In Lexionario Luxoviensi, *die Dominico post Ascensionem,* nulla est prophetia.

[d] *Psallendo.* Ps. LIV, 7. ℣. Ibid., 6.

[e] *Cap. XIV.* Vers. 7-15. In Luxoviensi legitur ex Actibus, XVIII, 22-19, 1-12.

[f] *Cap. IX.* Vers. 13 29.

stim omnis populus videns eum : stupefactus est et expaverunt. Et occurrentes salutabant eum. **255** Et interrogavit eos quod inter vos conquiritis ? Et respondens unus de turba dixit. Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum immundum. Qui ubicunque eum apprehenderit allidit eum et spumat et stridet dentibus et arescit. Et dixi discipulis tuis : ut ejicerent illum : et non potuerunt. Qui respondens eis dicens. O generatio incredula : quandiu apud vos ero : quandiu vos patiar. Afferte illum ad me. Et tulerunt illum. Et cum vidisset eum statim spiritus conturbavit eum : et elisus in terram voluptabatur spumans. Et interrogavit patrem ejus quantum temporis est ex quo ei hoc accidit. At ille ait. Ab infantia. Et frequenter eum et in ignem et in aquam misit : ut eum perderet. Sed siquid potes adjuva nos misertus nostri. Jesus autem ait illi. Si potes credere omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri cum lachrimis ajebat. Credo Domine : adjuva incredulitatem meam. Et cum videret Jesus concurrentem turbam comminatus est spiritui immundo dicens illi. Surde et immunde spiritus ego tibi precipio exi ab eo : et ne amplius introeas in eum. Et clamans et multum discerpens : exiit ab eo et factus est sicut mortuus : ita ut multi dicerent : quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus elevavit et surrexit. Et cum introisset in domum : discipuli ejus secreto interrogabant eum. Quare nos non potuimus ejicere eum ? Et dixit illis. Hoc genus in nullo potest exire : nisi in orationem et jejunio : ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Misit ex alto et accepit me : assumpsit me Deus Pater : et conlocavit ad dexteram suam. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Tollite hostias : et introite in atria Domini : alleluja : alleluja. ℣. Afferte Domino gloriam et honorem : afferte Domino gloriam nomini ejus. *P.* Et introite.

Missa. Mysterio Resurrectionis impleto : et corporibus fratres charissimi cuncti exultemus et cordibus. Nec jam cum sepulchri custodibus sacri corporis defleamus excubias : sed cum Angelis qui redivivum nunciant Salvatorem nostra gaudia misceamus. Etenim deinceps curam sibi funeris excusat impendi : qui rediens ad Patrem vacuate mortis excubias vult privari. Simus sane de spei nostre consummatione securi : nam qui in altum remeans captivitatem duxit : dabit dona hominibus que promisit. ℟. Amen.

Alia Oratio. Christe Deus qui ascendendo in celos presentiam corporalem tuis subtraxisti discipulis : permitte nós ut te spiritu diligamus quem in carne nunc videre nequimus : et tamen ad judicium fideliter expectamus. Crea in nobis cor novum et spiritum rectum. Ut qui jam Ascensionis tue celebravimus festum : promissum a te mereamur suscipere Spiritum Sanctum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Ascendisse te in celos ad Patrem Dei Filium creatura tua letatur. Et ideo suppliciter cordis contritione exposcimus : ut et in nobis pollicitationem tui spiritus impleas : et defunctis donum eterne quietis impertias. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui ascendisti in altum : captivam ducens captivitatem : da dona hominibus pacis eterne. Ut qui te humanis obtutibus ad celos ascendens corporaliter subtraxisti : in nostris cordibus digneris propiciatus infundi. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi semper gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Qui nobis ideo presentiam subtraxit nativitatis corpore : ut eum spiritaliter disceremus amare. Quique discipulis int.a [c] suarum mentium claustra tandiu presidere precepit : quousque supervenientis firmarentur presentia Spiritus Sancti. Cui cum Patre et Filio uni Deo jugiter in sempiternum regnanti omnes Angeli famulantes una voce proclamant ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus et vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus. Qui Angelorum evectus [d] ulnis : ascendit **256** in celos : et nunc sedet ad dexteram Dei Patris. Ipse Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Contueri tuam Christe cupientes presentiam : qui humana non deserens : appetisti superna : petimus et rogamus : ut qui pignus assumpte carnis intulisti in celos : consolationem nobis Sancti Spiritus largiaris. Cujus nunc presentia et apposita hec tibi oblata sanctifices : et nostrorum cordium arcana perlustres. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Deus Dei Filius qui cum ad Patrem ascenderes : venturum te iterum ad nos voce [e] promisisti : veni ad nos : et apud nos facito mansionem. Manifestans te ipsum nobis : quibus precepisti sic exorare e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Vicit leo. *tribus vicibus, ut in die Resurrectio. fol.* 198. *Postea dicat.*

Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus sit auxiliator vestri : qui adsumptus in celos : sedet nunc ad dexteram Patris. ℟. Amen. Corpus quoque vestrum nullis torpentibus patiatur passionibus mancipari : qui illud glorificatum in celos adsumpsit. ℟. Amen. Ut qui ascendentis vidimus gloriam : judicantis non puniamur sententia. ℟. Amen. Ipso prestante qui cum Deo Patre vivit et regnat in unitate Spiritus

[a] *Lauda.* Ps. XVII, 17.

[b] *Sacrificium.* Ps. XCV, 8, ℣. Ibid., 7.

[c] *Suarum mentium.* Forte, *intra suorum mœnium claustra.* Vide Act. I, 4; Luc. XXIV, 49.

[d] *Ulnis.* In sermone de Ascensione qui sancto Augustino tribuitur : *Dum audis elevatum, cognosce militiæ cœlestis obsequium.* Sermo exstat in appendice tom. V (*Serm.* 176, *Ed. Maur.*).

[e] *Promisisti.* Fortasse, *voce angelorum promisisti.*

Sancti in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Ad accedentes. Gaudete populi. *Communio.* Refecti Christi corpore. *Quere in vigilia Resurrectionis fol.* 193. *Oratio.* Expletis Domine. *ut in d.e Resurrectio. fol.* 198.

[a] IN VIGILIA PENTECOSTES.

[b] *Ad Nonam pro Missa.*

Sapientia Salomonis.

℟. Deo gratias.

Fili. Spiritus timentium Domini queretur : et in respectus illius benedicetur. Spiritum eorum salvantem illos diligit : et oculi Domini super diligentes se. ℟. Amen.

[c] *Dicat Presb.* Erigite vos. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Postea dicat.*

Lectio libri Numeri ([d] *Cap. XI*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Locutus est Dominus ad Moysen dicens. Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel : quos tu nosti : quod senes populi sint ac magistri ; et duces eos [e] ad tabernaculum federis : faciesque [f] illos stare tecum : ut descendam et loquar tibi. Et auferam de spiritu tuo : tradamque eis : ut sustentent tecum onus populi : et non tu solus graveris. Venit igitur Moyses et narravit populo verba Domini : congregans septuaginta viros de senioribus Israel quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem : et locutus est ad eum. Auferens de spiritu [g] quod erat in Moyse : et dedit septuaginta viris. Cumque requievisset in eis spiritus : prophetaverunt : nec ultra cessaverunt. Remanserunt autem in castris duo viri : quorum vocabatur unus Heldat : et alter Medat : super quos requievit spiritus. Nam et ipsi descripti fuerant : et non exierunt ad tabernaculum. Cumque prophetarent in castris : cucurrit puer et nunciavit Moysi dicens : Heldat et Medat prophetant in castris. Statim Josue filius Nun minister Moysis : et electus a pluribus ait. Domine mi Moyses prohibe eos. At ille. Quid inquit [h] agis pro me ? Quis tribuat hoc : ut omnis populus prophetet : et det eis Dominus Spiritum Sanctum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[i] *Psallendo.* Propter gloriam nominis tui Domine libera nos : et propicius esto peccatis nostris propter nomen tuum. ℣. Memento plebis tue : [j] quam creasti ab initio : animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. *P.* Et propicius.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Lectio Actuum Apostolorum ([k] *Cap. XIX*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Factum est cum Apollo esset Corinthi : ut Paulus peragratis superioribus partibus : veniret Ephesum : et inveniret quosdam discipulos : dixitque ad eos. Si Spiritum Sanctum accepistis credentes ? Aiunt illi ad eum. Sed neque si Spiritus Sanctus est : audivimus. Ille vero ait. In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt : in Johannis baptismate. Dixit autem **257** Paulus. Johannes baptizavit baptismo penitentie populum dicens. In eum qui venturus esset post ipsum : ut crederent : hoc est in Jesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis Paulus manus : venit Spiritus Sanctus super eos : et loquebantur linguis et prophetabant. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([l] *Cap. III*).

Illo in tempore. Erat homo ex Phariseis Nichodemus nomine : et ipse erat princeps Judeorum. Hic venit ad Jesum nocte et dixit ei : Rabbi : scimus quia a Deo venisti magister. Nemo potest hec signa facere que tu facis : nisi fuerit Dominus cum eo. Respondit Jesus et dixit ei. Amen amen dico tibi : nisi quis renatus fuerit denuo : non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nichodemus. Quomodo potest homo nasci cum senex sit ? Numquid potest in ventrem matris sue iterato introire : et nasci ? Respondit Jesus. Amen amen dico tibi : nisi quis

[a] *In vigilia.* Hispani olim inter Pascha et Pentecosten non jejunabant. Sanctus Isidorus (*De Off. Eccl., lib.* I, *c.* 33). Hinc idem sanctus Isidorus, in regula (*Cap.* 11), monachos *alia die post Pentecosten* jejunium inchoare præcipit, quo die omnes Hispani, ex præscripto concilii Gerundensis (*Can.* 2), litanias et solemne jejunium triduanum celebrabant; postea vero (fortasse causa baptismatis, quod solemniter Sabbato ante Pentecosten, noctu, ut in Paschate, conferebatur) institutum fuit ut solemne illud jejunium festivitati Pentecostes præmitteretur, et ut quatuor diebus constaret. Ita enim præscribit Rubrica Breviarii Mozarabum : *In nomine Domini nostri Jesu Christi incipit officium jejuniorum, observantur 4 feria, et 5 feria, et 6 feria, et Sabbato ante Pentecosten.* Porro hæc jejunii Pentecostes translatio, etsi posterior sit ætate sancti Isidori, est tamen antiqua in Orationali Gothico (*Pag.* 116). Exstat *item completoria die quo missa dicitur ad vesperas*, quæ cum festivitati Pentecostes præmittatur, ostendit usum jejunandi ante Pentecosten jam susceptum fuisse cum Orationale hoc exaratum fuit. In Ecclesia Mediolanensi quatriduo ante Pentecosten jejunant, ut ex Missali Ambrosiano anni 1548 eruitur.

[b] *Ad nonam.* Diebus jejunii hora nona missa celebrabatur, qua absoluta jejunium solvebant, exceptis diebus Quadragesimæ, quibus vesperi missa dicebatur, et postea reficiebantur cibo. In aliquibus Ecclesiis Hispaniæ jejunium Pentecostes, more quadragesimali, ad vesperam productum esse indicat titulus in Orationali Gothico citatus supra (*Pag.* 116), de completoria, *quo die missa dicitur ad vesperas.*

[c] *Dicat Presbyter.* In missa privata scilicet, nam in solemni ad diaconum pertinet monere cum genua flectere et cum se erigere debebant.

[d] *Cap. XI.* Vers. 16-30, quibusdam omissis. In libris liturgicis Gallicanis nullum exstat indicium jejunii aut vigiliæ Pentecostes.

[e] *Ad tabernaculum.* Vulg., *ad ostium tabernaculi fœderis.*

[f] *Illos.* Vulg., *ibi.*

[g] *Quod.* Lege *qui.*

[h] *Agis.* Vulg., *æmularis pro me.*

[i] *Psallendo.* Ps. LXXVIII, 9. ℣. Ps. LXXIII, 2, 19.

[j] *Quam creasti.* Vulg., *quam possedisti.*

[k] *Cap. XIX.* Vers. 1 7.

[l] *Cap. III.* Vers. 1-16.

renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto : non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne : caro est : et quod natum est ex spiritu : spiritus est. Non mireris quia dixi tibi : oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis : sed nescis unde veniat : et quo vadat. Sic et omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nichodemus : et dixit ei. Quomodo potest hoc fieri? Respondit Jesus : et dixit ei. Tu es magister in Israel et hec ignoras? Amen amen dico tibi : quia quod scimus : loquimur : et quod vidimus : testamur : et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis et non creditis : quomodo si dixero vobis celestia : credetis? Et nemo ascendit in celum : nisi qui descendit de celo : filius hominis qui est in celo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto : ita exaltari oportet filium hominis : ut omnis qui credit in ipso non pereat : sed habeat vitam eternam. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Laudate Dominum de celis : laudate eum in excelsis. *P.* Alleluja.

Sacrificium. Tollite hostias. *Quere in Dominico post Ascensionem Domini fol.* 255.

Missa. Semper quidem dilectissimi fratres crebre orationes esse debent unanimitatis : charitatis : et simplex fraterne dilectionis affectio. Sed nunc precipue omnis de nostris exhaurienda pectoribus est odiorum amaritudo cum Sancti Spiritus expectatur infusio : et advenienti Domino nitens est paranda possessio. Et quia patres doctoresque nostri in quorum corda vel viscera omnipotens Deus hoc donum promisse remunerationis infudit : ut reminiscamur diem magnum : unanimitate connexi : divinam expectare Sancti Spiritus visitationem : qui Deo obtulerant charitatem.

℟. Amen.

Alia Oratio. Imple nos Deus Spiritu Sancto : in quo signati sumus : et a quo [b] tangimur ut salvemur. Ut hodie nos idem Spiritus preveniens in miseratione a delictis emundet : et cras in muneris conlatione glorificet. Hodie [c] maculas abluat : cras dona distribuat. Hodie linguam nostram in voce [d] confessionis aperiat : et cras eandem faciat predicare magnalia tua. Quo jam hodie per ipsum tacti : ita eruamur a crimine : ut cras dignanter in nostris jubeat cordibus habitare.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Emitte Domine spiritum adoptionis : in quo clamemus tibi : abba Pater. Ut confiteamur : quoniam tu es unigeniti tui verus Pater : et cognoscamus quia nullus ei similis inter Filios Dei. Quem non tibi adoptio : sed generatio consubstantialis : neque gratia similem : sed natura signat equalem. Per hujus enim fidei inviolabile mysterium : custodiamus spei nostre immutabile sacramentum. Ex hoc te quesumus : ut cum nostris qui jam a seculo precesserunt : qui etiam ipsius Spiritus tui Sancti dono renati sunt : quorumque ante altare tuum mentionem cum tremore facimus : simul obviam in secundi adventus Domini nostri claritate feliciter occurramus.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Offerentium eterne Deus susceptis oblationibus : effice nos spiritu ferventes et charitate locupletes. Quo unitatem spiritus servantes in vinculo pacis : illius dono jam impleamur in terris : cujus infusionem advenire nobis expectamus in celis. ℟. Amen. 258

Inlatio. Dignum et justum est : ut te Deum et celestia et terrena conlaudent. Qui nos spiritu tuo doces terrena respuere : celestia sectari : carnem coercere jejuniis insolentem : corda purgare continua lamentatione. Non attolli in prosperis : non dejici in adversis. Veritatis sperare promissum : spiritus prestolari solacium : Paracliti sustinere adventum. Ex hoc Domine tuorum premissorum nos gaudiis preparantes rogamus : ut descendat super nos gratie tue virtus et benedictio Sancti Spiritus. Quo innovati atque mundati eum tecum et cum Patre equali deitate regnantem laudemus : magnificemus : atque ita dicamus. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus vere benedictus es Domine Jesu Christe. Qui daturum te nobis illum Spiritum promisisti in munere : quem tibi cum Patre novimus coequalem existere. Per te Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Spiritus Sancte qui a Patre et Filio procedis : his propicius inlabere holocaustis. Quo qui a Patre es repromissus : sanctificationem [e] humanis exhibeas presentatus : repleasque sponsionis mercede : quos te promissum inspicis expectare.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Descendat Domine ad nos Spiritus Sanctus : per quem et mundata pectora nostra cum eo ipse possideas : et institutam a te orationem suscipias. Ut ita non per nos : sed per illum nostra accipias postulata : sicut per illum non per nos nostra deles facinora. Quo eo qui tecum et cum Patre regnat equalis interpellante pro nobis : per eum ad te proclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Expectantes se : Spiritus efficiat immaculatos a sordibus. ℟. Amen. Repleat munere : quos se inspicit sustinere. ℟. Amen. Ut cum vene-

[a] *Lauda.* Ps. CXLVIII, 1.

[b] *Tangimur.* Lege *a quo tingimur.*

[c] *Maculas abluat.* Alludit ad baptisma quod Sabbato Pentecostes conferebatur, more vetustissimo (*Tert., de Baptismo, cap.* 3).

[d] *Confessionis.* Alludit ad fidei confessionem, quam baptizandi palam faciebant.

[e] *Humanis.* Forte, *humanissimus.*

rit impleamur sanctitate ejus : cujus adventum amabiliter expectamus. ℟. Amen. Ipso prestante et auxiliante : qui cum Patre et Filio unus Deus vivit et regnat in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Ab hinc usque in Quadragesimam dicitur. Gustate et videte quoniam suavis est Dominus : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. *P.* Alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Redimet Dominus animas servorum suorum : et non derelinquet omnes qui sperant in eum. *P.* Alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum amen. *P.* Alleluja : alleluja : alleluja.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Gustantes Domine suavitatis dulcedinis plenitudinem : quesumus. ut sit nobis hoc in remissionem peccatorum : et sanitatem mentium. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. Deo gratias.

[a] IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Ad Missam. [b] *Officium.*

Vos qui in Christo baptizati estis. *P.* Christum induistis : alleluja. ℣. Benedicti vos a Domino : qui fecit celum et terram. *P.* Christum. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Christum induistis.

Oratio. O [c] Spiritus Sancte qui a Patre Filioque procedis : doce nos facere veritatem. Ut qui de Patre Filioque accepisti [d] promissionem : invisibili nos his a quibus tam ineffabiliter procedis adsocies charitate. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Apocalipsis Joannis Apostoli ([e] *Cap. XXII*).

℟. Deo gratias.

A Ego Johannes fui in spiritu : et audivi vocem dicentem mihi. Hec verba fidelissima et vera sunt. Et Dominus Deus spiritum prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis : que oportet fieri cito. Et ecce venio velociter. Beatus qui custodit
259 verba prophetie libri hujus. Et ego Johannes qui audivi et vidi hec : et postquam audissem et vidissem : cecidi ut adorarem ante pedes Angeli : [f] qui nunc hec ostendebat. Et dixit mihi. Vide ne feceris : Conservus tuus sum : et fratrum tuorum : et eorum qui servant verba libri hujus : Deum adora. Et dixit mihi. Ne signaveris verba prophetie libri hujus : tempus enim prope est. Qui nocet : noceat adhuc. Et qui in sordibus est : sordescat adhuc. Et justus justificetur adhuc. Ecce venio cito : et merces
B mea mecum est : reddere unicuique secundum opera sua. Ego sum primus : et ego novissimus : principium et finis. Beati qui lavant stollas suas : ut sit potestas eorum in ligno vite : et fortes intrent in civitatem. Foris canes : et venefici et impudici et homicide : et idolis servientes : et omnis qui amat et facit mendacium. Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hec in Ecclesiis. Ego sum genus et radix David : stella splendida et matutina : et sponsus et sponsa dicunt : veni. Et qui audit dicat : veni. Et qui sitit : veniat : et qui vult : accipiat aquam vite gratis.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

C [g] *Psallendo.* Emitte spiritum tuum Deus : et creabuntur. Et renovabis faciem terre. ℣. Sit gloria Domini in seculum seculi : letabitur Dominus in operibus suis. *P.* Et renova.

Dicat Presb. Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([h] *Cap. II*)

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Cum complerentur dies Pentecostes : erant omnes Apostoli pariter in eodem loco. Et factus est repente de celo sonitus : tanquam

[a] *In die.* Breviarium Mozarabum et Orationale Gothicum : *In diem sanctum Pentecosten.* Missale Gallo-Gothicum, Lectionarium Luxoviense, Sacramentarium Gregorianum Menardi, etc., habent : *In die sancto Pentecosten*, quo modo etiam Capitularibus Evangeliorum Georgii inscribitur, et videntur vocem *Pentecosten* indeclinabiliter adhibuisse. Est autem festivitas hæc una ex præcipuis et antiquissimis, ab apostolis utique celebrata. De ea sanctus Isidorus (*Offic. l.* I, *c.* 33) fuse tractat, pluresque exstant Patrum homiliæ et sermones, hac die recitati. Leges Visigothorum (*Lib.* II, *tit.* 1, *leg.* 11) prohibent ne forum contentiosum die Pentecostes frequentetur, et lege *Dominico* (*Cod. Theod.* 5, *de spect.*) ne theatri aut circi edantur spectacula.

[b] *Officium.* Ad Romanos, VI, 3. ℣. Ps. CXIII, 15. Idem officium ad missam canitur in festivitate Epiphaniæ, quia olim in Hispania hisce diebus solemniter baptizabant.

[c] *Spiritus.* Hæc oratio exstat in Breviario Mozarabum (*Pag.* 218) et in Orationali Gothico (*Pag.* 116, *orat.* 8).

[d] *Promissionem.* Lege *processionem* cum Breviario et Orationali citatis : est vox qua utitur concilium Toletanum XI, in professione fidei.

[e] *Cap. XXII.* Vers. 6-18. In Lectionario Luxoviensi prophetia ex Joel, II, 2-32. In Sacramentario Bobiano binæ exstant lectiones tantum, prima ex Apocalypsi, XXI, 9-21; altera ex Evangelio.

C [f] *Qui nunc.* Vulg. et Primasius, *qui mihi.*

[g] *Psallendo.* Ps. CIII, 30. ℣. Ibid., 31.

[h] *Cap. II.* Vers. 1-23. In Lectionario Luxoviensi, ex Act., II, 1-22. Eadem pro Epistola, ut puto, legebantur in Sacramentario Bobiano, in quo nunc non reperiuntur. In vetusto Sacramentario sancti Leonis Blanchini, missæ binæ exstant, una *in Pentecosten ascendentibus a fonte*, quæ noctu, aut summo mane, celebrabatur; altera *in Dominicam Pentecosten.* In Missali Ambrosiano binæ sunt missæ : una *in die sancto Pentecostes pro baptizatis*, in qua binæ tantum lectiones leguntur, ex Act. III, 1-8, et ex Evangelio Joan. VII, 37-40; altera in ecclesia majori, quæ tres lectiones habet, primam ex Act., II, 1-12; alteram ex I Cor., XII, 1-12; quæ olim quoque legebatur in Ecclesia Mediolanensi, quemadmodum ostendit vetustus Lectionarius Ambrosianus em. Thomasii; tertia lectio est ex Evangelio Joan., XIV, 15-27.

advenientis vehementis spiritus : et implevit omnem domum ubi erant sedentes Apostoli : et apparuerunt illis dispertite lingue tanquam ignis. Seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto : et ceperunt loqui variis linguis : prout Spiritus Sanctus dabat illis eloqui. Erant autem in Hierusalem habitantes Judei [a] religiosi ex omni natione : que sub celo est. Facta autem hac voce : convenit multitudo : et mente confusa est : quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes et mirabantur dicentes. Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilei sunt ? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Parthi : et Medi : et Elamite : et qui habitant Mesopotamiam : et Judeam : et Cappadociam : Pontum : et Asiam : Phrygiam : et Pamphyliam : Egyptum : et partes Lybie : que est circa Cyrenen : et advene Romani : Judei quoque et Proseliti : Cretes : et Arabes : audivimus loquentes eos nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes et mirabantur ad invicem dicentes. Quidnam vult hoc esse ? Alii autem irridentes dicebant : quia musto pleni sunt isti. Stans vero Petrus cum undecim discipulis : levavit vocem suam : et locutus est eis. Viri Judei : et [b] qui habitant Hierusalem universi hoc vobis notum sit : et auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos estimatis hi ebrii sunt cum sit hora diei tertia. Sed hoc est quod dictum est per Prophetam Joel. Et erit in novissimis diebus dicit Dominus effundam de spiritu meo super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri : et filie vestre : juvenes vestri visiones videbunt : et senes vestri somnia somniabunt. Equidem super servos meos : et super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo : et prophetabunt et dabo prodigia in celo sursum : et signa in terra deorsum : sanguinem : et ignem : et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras : et Luna in sanguinem : antequam veniat dies Domini magnus et terribilis. Et omnis quicumque invocaverit nomen Domini : salvus erit.

℟. *Chorus*. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem (*[c] Cap. XXIIII*).

In illis diebus Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Si diligitis me mandata mea servate **260** et ego rogabo Patrem : et alium Paraclitum dabit vobis : ut maneat vobiscum in eternum. Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere quia non videt eum nec scit eum. Vos autem cognovistis eum : quia apud vos manet et in vobis est. Non reliquam vos orphanos : veniam ad vos. Adhuc modicum et mundus me jam non videt : vos autem videtis me : quia ego vivo : et vos vivetis. In illo die vos cognoscetis me : quia ego in Patre meo : et vos in me : et ego in vobis. Qui habet mandata mea et servat ea : ille est qui diligit me. Qui autem diligit me : diligitur a Patre meo : et eo diligam eum : et manifestabo ei me ipsum. Dicit ei Judas non ille Scariothes : Domine : quid factum est quia nobis manifestaturus es te ipsum : et non mundo ? Respondit Jesus et dixit ei. Si quis diligit me : sermonem meum servat : et Pater meus diliget eum : et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me : sermones meos non observat. Et sermonem quem audistis : non est meus : sed ejus qui misit me Patris. Hec locutus sum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo : ille vos docebit omnia : et suggeret vobis omnia quecumque dixero vobis. Pacem meam relinquo vobis : pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat : ego do vobis. Non turbetur cor vestrum : neque formidet. ℟. *Chorus*. Amen.

Hic dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[d] *Lauda*. Alleluja. ℣. Da nobis Domine leticiam salutaris tui : et spiritu principali confirma nos. *P*. Alleluja.

[e] *Sacrificium*. Completur hodie Pentecostes *in quo* descendit Spiritus Sanctus : et Apostolis infusus apparuit : loquentibus variis linguis magnalia *Domini* : alleluja. ℣. Factus est repente de celo sonus : tanquam advenientis spiritus vehementis : et implevit omnem domum ubi erant sedentes Apostoli : et loquebantur magnalia Domini : alleluja.

Incipit Missa. Quanta possumus fratres charissimi fide : intentione : virtute : gaudio : exultatione : preconio : devotione : obsequio : puritate : promissa nobis per filium Dei : Sancti Spiritus munera hodie transmissa predicemus. Reseretur nostrorum compago viscerum. Purgentur corda credentium : et pateant omnes sensus : atque recessus animorum. Quia nequaquam immensi laudem atque adventum : pectora angusta narrare sufficiunt. Ille etenim consors Patris : et Filii unius ejusdemque substantie [f] tertius in persona : sed unus in gloria. Quem celorum regna non capiunt : quia non eum circumscribunt neque claudunt : hodie ad angustum cordis nostri descendit hospitium. Et quis nostrum fratres dilectissimi tali se dignum hospite recognoscit ? Quis condigna advenienti exhibeat alimenta ? Cum et Angelorum et Archangelorum : et omnium Virtutum

[a] *Religiosi*. Vulg., *viri religiosi*.
[b] *Qui habitant*. Vulg., *qui habitatis*; Gr., *habitantes*.
[c] *Cap. XIV*. Vers. 15-28. In Luxoviensi ad vers. 30. In Bobiano ad vers. 22. In Ambrosiano ad missam in ecclesia majori, in Missali Romano sancti Pii V, et omnibus Capitularibus Evangeliorum, apud Georgium, legitur.
[d] *Lauda*. Ps. LVI, 14. *Da nobis*. Vulg., *redde mihi*.
[e] *Sacrificium*. Act., II. ℣. Ibid. 2 seq.

[f] *Tertius*. Concilium Toletanum XI, in præf. : *Spiritum quoque sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, cum Deo Patre et Filio credimus esse Deum*; et Concilium Toletanum XVI, in edicto Ægicani regis, n. 19, Spiritus sancti vocabulo *Tertia, quæ est in Trinitate, persona* significatur; et rursus : Spiritus sanctus, *qui, in sancta prænoscitur Trinitate, tertia esset persona*.

celestium ipse sit vita. Et ideo quia nos impares tali A habitatore cognoscimus : ut in nobis locum habitaculi sibimet preparet supplicemus. ℟. *Chorus.* Amen. Ipso prestante qui in Trinitate unus Deus vivit : et regnat in secula seculorum.

℟. *Chorus.* Amen.

Alia Oratio. Oramus indefessis precibus omnipotentiam tuam : Deus sancte Pater omnipotens : ut repleas nos munere Unigeniti tui : gaudio inenarrabili : visitatione : atque vivificatione tui atque ejus Spiritus Sancti. Ut quos creasti vel redemisti per Filium : perficere digneris per Spiritum Sanctum. [a] Non quo inconjuncta vel dissimilis sit tue operatio Trinitatis : sed quo personarum existentium evidenter appareat inconfusa equalitas Deitatis. Hac igitur te Deus omnipotens inspirationis tue confessione : B manifestatum fidelibus impende propicium : demonibus exerce terrificum : prosequentibus obvium penitentibus placabilem : peccatoribus patientem. Hereticis [b] convictorem : custodem virginibus : defensorem viduis : **261** orphanis protectorem : oppressis vindicem : consolatorem mestis : dubiis ductorem. Sit nobis in eo indeficiens consolatio : in quo tibi filioque tuo est indivisa conjunctio et immensurabilis plenitudo. Sanctisque omnibus inexpugnabilis fortitudo tanquam certa nobis sit de tua gubernatione fiducia : numquam se sentiat anima muniminis tui presidio destituta. Ita vigore tuo nostra adversus diabolum fragilitas muniatur : ne ullatenus in certamine superetur. Sic corda tu scientia posside : sic conscientiam rege : ut et consilio providi C efficiamur : et opere probi : et prudentes sermone : et ferventes inextinguibili charitate.

℟. *Chorus.* Amen.

Post nomina. Oratio. Domine qui virtute Spiritus tui : et eorum qui veteris confusionis superbie turrem edificabant perturbasti auditum : et surgentis Ecclesie tue novitate diffusis linguis multiplicasti insignibus : ut quod fuerat in condemnatione : esset in munere. Atque inde construeres fidem : unde destruxeras vanitatem. Da super hunc familie tue cetum Spiritus Sancti tui quem es pollicitus adventum. Qui in nobis e contrario [c] mollicionis studia adversa dispergat : et meritum sanctificationis accumulet. Sisque munerator in promissione : qui es D promissor in munere. Quo Ecclesia tua ejus igne succensa : in ipso veram teneat fidem : a quo omnem percipit veritatem. Ipseque offerentium nomina celestibus scribat in paginis : ac requiem dignetur prestare defunctis : qui in unitate Deitatis tecum permanet semper equalis.

℟. *Chorus.* Amen.

Dicat Presbiter. Quia tu es vita vivorum : sanitas infirmorum : ac requies omnium fidelium defunctorum in eterna secula seculorum.

℟. *Chorus.* Amen.

Dicat Presbiter Orationem ad Pacem. Mirabilium tuorum Domine ovantes insignia predicamus : et ideo inlapsu illo Sancti Spiritus repleri nos credimus : qui bis a te olim fuit in discipulos distributus. Cum et ante Ascensionem tuam in eorum cordibus indeptus proximi dilectionem : et post e celis emissus : tenendam in illis tuam impressit charitatem. Ex hoc te clementissime Deus oramus : ut hoc quod bis sacramentis figuratum fore cognoscitur : in nostris cordibus impleatur. Quo spiritu ferventes et spiritualia locupletantes : et proximis connectamur in pace : et tua ubertim ferveamus dulcedine. Ut in charitate illa que per Spiritum Sanctum nostris est diffusa in cordibus firmissime radicati : consolationem promerentes Paracliti : coronari mereamur in adventu judicii tui.

℟. *Chorus.* Amen.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Deus : pro possibilitate carnali munerum tuorum beneficia confiteri : et indultum hodierno die donum salutis eterne anniversaria semper commemoratione celebrare. Etenim pro adventu Spiritus tui Sancti tacere quis audeat : cum omnis per Apostolos tuos : etiam gentium barbararum lingua non taceat. Quis enim enarrare valet hujus hodierno die ignis inlapsum : sic distributa discipulis genera universa linguarum : ut nec Latinus Hebreo nec Grecus Egyptio : nec Scitha Indo propria dum quisque et peregrina audiens [d] loquitur lingua : detrimentum vel alienigeni fecerit . vel sui senserit intellectus ? Quoque virtute sit actum : quod dicentis veritatis preconibus per spacia immensa terrarum unius atque indivisibilis donum doctrine celestis pro potestate voluntaria partiretur ? Nihil agens unitati fidei dissonum : quamvis multiplicis scientie distributione pulcherrimum : et multimoda mirificum extiterit varietate sermonum. Ostendens quod confessioni Dominice [e] non impedit diversitas lingue : nec interest quod vario quis sermone fateatur : **262** dummodo unus sit ille qui creditur. Obsecramus igitur Domine : ut hec nostra confessio de cordibus filiorum promissionis emissa : tibi Pater glorie semper accepta sit : et ad speranda ac promerenda ea que tuis fidelibus promisisti : sensus nostros divini Spiritus infusione benedicas atque sanctifices. Effusa etenim ad nostram indulgentiam tue glorie largitate inter innumera dona atque opera Sancti Spiritus : nihil sublimius Ecclesie exordiis conlatum fuisse cognoscimus : quam ut preconium evangelii tui ora linguis universarum gentium loquerentur. Et hoc non nisi Sancti Spiritus tui gratia revelante : qui nobis post Resurrectionis filii tui gloriam transactis septem hebdomadibus venit : ostendens quod etsi septiformis est : tamen in uno gradu omnium concordantium sibi

[a] *Non quo.* Juxta illud concilii Toletani XI (*In præf.*, n. 20) et Toletani VI (*N.* 4, *de fide*) : *Quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis.*

[b] *Convictorem.* Scilicet qui convincat.

[c] *Mollicionis.* Lege *malitiæ omnis.*

[d] *Loquitur.* Forte, *loquentes.*

[e] *Non impedit.* Id est, impedimento non est.

A virtutum summa consistit. Ac sicut septem unum in numeris est : sic septem inveniuntur in singulis. Illi sunt sine dubio septem gradus templi tui : per quos ad celorum regna conscenditur. [a] Hic est quinquagesimus remissionis annus olim in legis tropologiis predicatus. Hic est fructus messis nove : qui hodie mandatur offerri. Qui licet ante omnia secula semper eternus sit : tamen nobis : cum innotuit : tunc novus effectus est. Nec illud sine mysterio esse significans : quod post Ascensionem filii tui decima nobis die hoc munus infunditur : ostendens quod cultoribus vinee hic esset a patre familias denarius repromissus. Magnum autem et pre omnibus necessarium fuit hoc tibi divini muneris signum : quod cum super capita discipulorum ignea conscendisset forma linguarum : de cordibus credentium nec dissonum aliquid faceret prodire nec tepidum. B Sed predicatores verbi tui : et intelligentia essent unanimes : et charitate ferventes. O ignis exurendo fecundans : Hunc igitur omnipotentem esse Dominum omnis intellectualis creatura vivificatione fatetur : cujus etiam Cherubin et Seraphin ferventes copiosius igne : speciali ejus vocabulo sanctitatis divine magnificantes equalitatem atque omnipotentiam Trinitatis : requiem non habentes : nec tali unquam officio lassescentes celestium exercituum precinentibus choris : perenni jubilatione decantant : adorant : atque magnificant : ita dicentes. ℟. *Chorus.* Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus Deus Pater. Sanctus C unigenitus Filius : sanctus quoque unus utriusque Spiritus. Hujus ecce virtute inestimabili discurrit Evangeliorum toto orbe ardentium quadriga rotarum : radiorumque flammigerantium rutilans fulgoribus axis gestatur animalium circumquaque corporibus oculatis. Cujus in rotarum auriga ipse vite spiritus manens : proprie potestatis imperio cunctum subjecit Christi pedibus mundum : divinis scilicet perhibens testimonium virtutibus Patris unigenito Verbo : quod caro factum est : et habitavit in nobis. Hoc est illud paterni pignoris sibi simile munus : quod se filium pollicitus fuerat transmissurum : dum suos ad Patrem rediens orphanos diceret nullatenus relinquendos. In ejus scilicet presentia suam Patrisque docens consistere majestatem. Hoc illud D [b] ungentum est quo pre consortibus unctus est Christus a Patre. Cujusque vetus illud crisma pretendebat figuris transeuntibus veritatem : quo delibuti quoque Sacerdotes : et Prophete constituebantur et Reges : unius veri Regis et Sacerdotis et prophete imaginem preservantes Christi Domini Redemptoris eterni.

Post pride. Oratio. [c] Suscipe quesumus Spiritus Sancte omnipotens Deus sacrificia te auctore instituente decreta : qui inlibate Virginis in utero quondam membra : [d] in qua Verbum caro fieret : quibus hoc rite sacrificium competeret immaculata formasti. [e] In cujus hec similitudinem corporis et sanguinis munera ingerimus : et ut plenitudinem debite sanctificationis te deificante obtineant supplicamus. Quia tu vere ille ignis es : qui patrum nostrorum acceptans sacrificia divinitus consumpsisti. Quemadmodum Helie quoque victimam aquis circumfluentibus natitatem cum lapidibus et lignis exurens : etiam madefacti pulveris rivulos **263** calore inconsummabili arefactos inextimabiliter absumendo finisti. Simili nunc quesumus has hostias dignatione suscipias : divinitatis tue igne salvifico omnium pectorum nostrorum affectionem exurens : atque ad percipiendam celestis cibi potusque substantiam vivificans corda mortalium : et in custodiam nostri deputans sanctorum multitudinem Angelorum : nunquam nos eorum privari consortio patiaris. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antiph. Terra dedit fructum suum : benedicat nos Deus Deus noster : benedicat nos Deus : alleluja.

Ad Orationem Dominicam. Paraclite Spiritus : qui cum Patre et Filio unus in Trinitate permanes Deus : nostris hodie inlabere sensibus : ut te postulante pro nobis : cum magna fiducia proclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Spiritus Sanctus qui olim in hoc die super Apostolos igneis apparuit linguis : cor vestrum cunctis emaculet vitiis. ℟. Amen. Et quo insidentes cunctarum gentium verbis edocti sunt : verborum spiritualium vobis detur instructio : et mystice intelligentie omnimoda plenitudo. ℟. Amen. Quique fuit Apostolis doctrine celestis instructor : culparum omnium vobis efficiatur indultor. ℟. Amen. Ipso prestante et auxiliante qui cum Patre et Filio unus Deus vivit et regnat in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

[a] *Hic est.* Confer Levit. xxv, 9 seq.

[b] *Ungentum.* Id est, *unguentum.* Ita antiquiores, qui aliquando etiam *ungentarium* pro *unguentario* dicebant.

[c] *Suscipe.* Ariani negabant, sacrificium debere Dei Filio offerri, aut Spiritui sancto, sed soli Patri supremum cultum sacrificii offerendum esse docebant, contra quos catholici Gotho Hispani Filio et Spiritui sancto sacrificium eucharisticum distincte offerunt, ut re ipsa ostenderent *omne cujuslibet honorificentiæ et sacrificii salutaris obsequium et Patri, et Filio, et Spiritui sancto, hoc est sanctæ Trinitati, ab Ecclesia catholica pariter exhiberi* (*S. Fulgent., lib.* II *ad Maxim., cap.* 5).

[d] *In qua.* Lege *in quibus.*

[e] *In cujus*, adverte transpositionem verborum, quæ ita construenda sunt : *In cujus similitudinem ingerimus hæc munera corporis et sanguinis.* Munera, corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini existentia esse similitudinem, symbola, sacramentum et antitypa corporis et sanguinis Christi naturaliter existentium, theologi, ex Patribus, ostendunt. Consule Bellarminum (*De Euch., lib.* II, *cap.* 15). Quod autem *munera corporis et sanguinis* significent ipsum corpus et sanguinem Christi, ea probant quæ immediate præcedunt, cum aiunt, Spiritum sanctum in utero beatæ Virginis membra formasse, *quibus hoc sacrificium rite competeret.*

Com. Refecti Christi Corpore.

Et omnia alia que sequuntur : require retro in vigilia Pentecostes. Fol. 257.

Oratio. Gratias tibi agimus Domine Deus : et te Deum benedicimus de die in diem qui nos in hanc diem sancte solennitatis tue perducere dignatus es : fac nos diem istum Sancti Spiritus immissione per multa curricula annorum in pace et tranquillitate suscipere : cum fideli populo tuo. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

[a] IN DOMINICO PRIMO POST PENTECOSTEN.

Ad Missam. [b] *Officium.*

Dominus regnavit decorem induit : alleluja. ℣. Induit Dominus fortitudinem et precinxit se. *P.* Alleluja. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum : amen. *P.* Alleluja.

Oratio. Te excelsa laus in altissimis decet : tibi e terris gloriam Ecclesia canit : atque hujus caterve concentu ad astra hymnum emittit. Rogamus omnipotens Deus : ut sicut tuas solenniter porrigimus laudes : ita precum nostrarum jubeas efficaciter suscipere voces. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio Ezechielis Prophete ([c] *Cap. IX-XI*).

℟. Deo gratias.

Facta est super me manus Domini : et elevavit Spiritus Domini me : et vidi et ecce vir qui indutus erat lineis : qui habebat attramentarium in dorso suo : respondit verbo dicens. Feci sicut precepisti mihi. Et vidi et ecce in firmamento quod erat super caput Cherubin : quasi lapis Saphirus : et quasi species similitudinis Solis apparuit super eum. Et dixit ad virum qui indutus erat lineis : et ait. Sume ignem de medio rotarum que sunt inter Cherubin. Et ingressus vidi : et ecce quatuor rote juxta Cherubin. Rota una juxta Cherub unum : et rota alia juxta Cherub unum. Species autem erat rotarum quasi visio lapidis Chrysoliti. Stantibus illis : stabant : et cum elevatis : elevabantur : spiritus enim vite erat in eis. Et egressa est gloria Domini a limine templi et stetit super Cherubin. Et elevavit me spiritus : et introduxit me ad portam domus Domini orientalem : que respicit Solis ortum. Et ascendit **264** gloria Domini de medio civitatis : stetitque super montem : qui est ad orientem urbis : et gloria Dei Israel erat super ea. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

[d] *Psallendo.* Redde mihi leticiam salutaris tui. Et spiritu principali confirma me. ℣. Cor mundum crea in me Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis. *P.* Et spiritum. ℣. Ne projicias me a facie tua : et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. *P.* Et Spiritum. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Ephesios ([e] *Cap. I, II*).

℟. Deo gratias.

Fratres : memoriam vestri faciens in orationibus meis : ut Deus Domini nostri Jesu Christi Pater glorie det vobis spiritum sapientie et revelationis in agnitionem ejus : inluminatos oculos cordis vestri : ut sciatis que sit spes vocationis ejus : que divitie glorie hereditatis ejus in Sanctis : et que sit supereminens magnitudo virtutis ejus : cui credidimus. Secundum operationem potentie virtutis ejus : quam operatus est in Christo. Suscitans eum a mortuis : et constituens ad dexteram suam in celestibus supra omnem principatum : et potestatem : et virtutem : et dominationem : et omne nomen quod nominatur. Non solum in hoc seculo : sed in futuro. Omnia subjecit sub pedibus ejus : et ipsum posuit caput supra omnem Ecclesiam : que est corpus ipsius plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur. Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris : in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi hujus : secundum principem potestatis aeris hujus spiritus : qui nunc operatur in filios diffidentie. In quibus et nos omnes aliquando conversati sumus : in desideriis carnis vestre facientes voluntatem carnis et cogitationum : et eramus natura filii ire sicut et ceteri. Deus autem qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem suam dilexit nos. Et cum essemus mortui peccato convivificavit nos in Christo. Cujus gratia salvi facti sumus et conresuscitavit : et consedere fecit in celestibus in Christo Jesu. Ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratie sue : in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratia enim [f] salvati per fidem : et hoc non ex nobis. Dei enim donum non ex operibus est : ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura creati in Christo in operibus bonis : que preparavit Deus : ut in illis ambulemus [g] per Spiritum Sanctum : qui datus est nobis. ℟. Amen.

[a] *In Dominico.* In Missali Mozarabum octo missæ assignantur Dominicis post Pentecosten, quarum ultima dicitur die Dominica ante jejunium Kalendarum Novembrium; in Breviario officia quatuor domini alia exstant. Monent tamen, eadem repetenda esse si opus fuerit. In Lectionario Luxoviensi lectiones habentur pro sola Dominica proxima post Pentecosten. Ad calcem Missalis Gallo-Gothici inveniuntur missæ sex dominicales, et in Sacramentario Bobiano septem, aut octo, quarum tres *quotidiane* appellantur.

[b] *Officium.* Ps. XCII, 1.

[c] *Cap. XI.* Vers. 11-XI, 1-23, pluribus omissis; prophetia enim ex textibus capitum IX, XI, XII, consuta est; in Lectionario Luxoviensi deficit prophetia.

[d] *Psallendo.* Psal. L, 14. ℣. Ibid., 12.

[e] *Cap. I.* Vers. 17-II, 1-11. In Luxoviensi legitur ex Epistola ad Galatas, VI, 8-11.

[f] *Salvati.* Vulg., *salvati estis.*

[g] *Per Spiritum Sanctum* His finis imponebatur lectioni.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam (a *Cap. XIX*).

In illis diebus Dominus noster Jesus Christus perambulabat Hierico : et ecce vir nomine Zacheus : et hic erat princeps publicanorum : et ipse dives. Et querebat videre Jesum : quis esset : et non poterat pre turba : quia statura pusillus erat. Et precurrens ascendit in arborem sycomorum : ut videret eum : quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum suspiciens Jesus : vidit illum et dixit ad eum : Zachee festinans descende : quia hodie in domo tua oportet me [b] prandere. Et festinans descendit : et excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes murmurabant dicentes : quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zacheus dixit ad Jesum. Domine : ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus : et siquid aliquem defraudavi : reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum. Quia hodie salus domui huic facta est : eo quod et ipse filius est Abrae. Venit enim filius hominis querere : et salvum facere quod perierat. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Lauda.* Alleluja. ℣. Spiritus tuus Domine deducat nos in [d] viam rectam. P. Alleluja.

[e] *Sacrificium.* Celebraverunt filii Israel diem festum benedicentes Domino : qui liberavit eos : misericordie initium stillans super eos : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Alleluja. Vidi summum Sacerdotem ante altare manus [f] procedentem et orantem pro omni populo. ℣. Misericordie.

[g] *Missa ista non est legenda hic. Sed quere eam in Dominico in ramis Palmarum. Videlicet folio* 132. *que incipit* Catholicam Fidem. *Et ista legatur in III. feria infra octavas Sancte Trinitatis.*

Appropinquantes ad sacrosanctum Domini eterni Regis altarium : unanimes atque concordes fratres charissimi Deum **265** deprecemur eternum : ut delictis nostris ponat misericordie sue terminum : et preces nostras perducere dignetur ad sue majestatis indulgentissimum regnum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Summe atque ineffabilis Deus : qui non vocis : sed cordis auditor esse dignosceris. Qui mentes probas : non etates. Qui non in labiis : sed in corde timeri optaris. Qui benigna consolatione nos ne pereamus amplecteris : insuper et perditos sub alarum tuarum umbraculo colligis : dignare cor nostrum a vitiorum maculis emundare : ut ab omni inquinatione purgati : et a seculi voraginibus exempti : habitaculum esse mereamur Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Offerentium pius Christe suscipe vota : Sanctorumque tuorum nobis concede suffragia : et defunctis in pace requiem largire perpetuam. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui fidelium pace letaris : dona servulis tuis pacem : omnesque eorum actus qui tibi servire cupiunt placabili miseratione compone. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vere et salutare est : tibi laudis hostias immolare Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Cujus figuram Abel instituit. Agnus quoque legalis ostendit. Abraham celebravit. Melchisedech exhibuit. Sed verus agnus et eternus Pontifex Dominus noster Jesus Christus implevit. Pro quibus beneficiis Cherubin exultant : Seraphin quoque pennigera tripudatione augustius gloriantur. Sex quaternus numerus seniorum : bis bina illa animalia oculata bis ternis alis alata summoque in gaudio dilatata in celestibus regnis : egregiis vocibus unimodum carmen personant : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Te laudat Domine omnis virtus celorum : et innumerabilis multitudo Sanctorum. Tibi omnis creatura famulatur : et sequitur beatorum exercitus Angelorum. Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Suscipe omnipotens Deus sacrificium hujus sacre solennitatis : et imposita hec altaribus tuis munera : benedicere nobis et sanctificare digneris. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam. Inclinemus Deo fratres charissimi corda nostra cum lacrimis : et confitentes peccata nostra clementissimo conditori jugi obsecratione clamemus e terris. Pater noster. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedicat vobis omnipotens Deus : qui vos dignatus est psalmare de nihilo. ℟. Amen. Ipse sanet languores vestros : qui vester est solus Dominus et redemptor. ℟. Amen. Atque ipsi semper sit cura de vobis : in quo omnis est plenitudo vestre salutis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat chorus. Gustate et videte. *Require retro in vigilia Pentecostes. Communio.* Refecti Christi corpore. *fol.* 257.

a *Cap. XIX.* Vers. 1, 11. In Luxoviensi ex Matthæi XVI, 24-27.

b *Prandere.* Vulg. et Gr., *manere.*

c *Lauda.* Ps. CXLII, 11.

d *Viam rectam.* Vulg., LXX, et sanctus Augustinus, *in terram rectam.*

e *Sacrificium.* Ex II Machab. VIII, 27. ℣. Ibid., XV, 12.

f *Procedentem.* Lege *protendentem.*

g *Missa ista.* Festivitas sanctissimæ Trinitatis sero instituta, neque statim certo die celebrata, neque ubique recepta. In Missali et Breviario Mozarabum locum non obtinuit. At in gratiam eorum qui Dominica prima post Pentecosten hanc festivitatem celebrant, apposita est rubrica qua moneatur ut orationes petant a Dominica Palmarum, in quibus plura de fide Trinitatis leguntur.

A *Oratio.* [a] Christi Domini nostri gratia satiati : gratias agimus perpetue Trinitati : cujus sanguine sumus precio magno redempti. Petimus itaque sacramentorum tuorum meritis : ut de hoc seculo eripiamur illesi. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt iu nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

[b] IN FESTO CORPORIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Ad Missam. [c] *Officium.*

Cibavit eos ex adipe frumenti : alleluja. Et de petra melle saturavit eos : alleluja : alleluja. ℣. Exultate Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob. *P.* Et de petra. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum : amen. *P.* Et de petra. *Dicat Presb.* Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. *Gloria in excelsis.*

B *Oratio.* Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tue memoriam reliquisti : tribue quesumus ita nos corporis **266** et sanguinis tui sacra mysteria venerari : ut redemptionis tue fructum in nobis jugiter sentiamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Proverbiorum Salomon's ([d] *Cap. VIII, IX*).

℟. Deo gratias.

C Beatus homo qui audit me : et qui vigilat ad fores meos quotidie : et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit : inveniet vitam : et hauriet salutem a Domino. Qui autem in me peccaverit : ledet animam suam : et omnes qui me odorent [e] diligant mortem. Sapientia edificavit sibi domum : excidit columnas septem : immolavit victimas suas : miscuit vinum : et posuit mensam suam. Misit servos suos : ut vocarent ad arcem et menia civitatis : dicens. Si quis est parvulus : veniat ad me : et insipientibus locuta est. Venite comedite panem meum et bibite vinum : quod miscui vobis. Relinquite infantiam et videte : et ambulate per vias prudentie. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Psallendo.* Potens est Deus parare mensam in deserto. ℣. Quoniam percussit petram : et fluxerunt aque : et torrentes inundaverunt. *P.* In deserto. V. Precepit nubibus desuper : et porte celi aperte sunt et pluit illis manna. *P.* In deserto. Silentium facite.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Corinthios ([g] *I Cap. XI*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis : quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur : accepit panem : gratias et agens fregit et dixit. Accipite et manducate. Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cenavit dicens. Hic est calix novum testamentum in meo sanguine : hoc facite quotiescumque biberitis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducaveritis panem hunc : et calicem istum biberitis : mortem Domini adnunciabitis : donec veniat in claritatem de celis. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Johannem ([h] *C. VI*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis et turbis dicens. Caro mea verus est cibus : et sanguis meus verus est potus. Qui manducat meam carnem : et bibit meum sanguinem : in me manet : et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater : et ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me : et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de celo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna : et mortui sunt. Qui manducat hunc panem : vivet in eternum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. [i] *Lauda.* Alleluja. ℣. Tu es Sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech. *P.* Alleluja.

[j] *Sacrificium.* Paratum panem de celo prestitisti filiis tuis Domine : omne delectamentum in se habentem in odorem suavitatis : alleluja : alleluja.

[a] *Christi.* Est verborum transpositio. Lege : *Satiati gratia Christi Domini, cujus sanguine, pretio magno, redempti sumus, gratias agimus perpetuæ Trinitati, petimusque,* etc.

[b] *In festo.* Festum Corporis Christi sive institutionis Eucharistiæ olim feria 5 majoris hebdomadæ celebrabatur, quæ *Natalis calicis* ea de causa appellata est. Recentiori instituto Robertus episcopus Leodiensis, in synodo diœcesana, statuit ut festivitas sanctissimi Sacramenti quotannis celebraretur feria 5 post Dominicam Trinitatis, ut pridie jejunarent, et ut, die solemnitatis, ab operibus servilibus vacarent, atque ita, anno 1247, primum Leodii, in ecclesia sancti Martini, festivitas Corporis Christi celebrari cœpta est. Leodiensium morem in hac solemnitate celebranda paucæ Ecclesiæ secutæ sunt. At Urbanus IV (qui sedit ab anno 1264) festivitatem Corporis Christi feria quinta quæ primam Dominicam post Pentecosten proxime consequitur ab universa Ecclesia celebrari jussit. Bullam Urbani IV, quæ multis in locis executioni non fuerat mandata, Clemens V, in concilio generali Viennensi, anno 1311, confirmavit, et ut festum Corporis Christi ubique celebretur præcepit. Eamdem bullam Urbani IV Joannes XXII, anno 1316, iterum confirmavit, quæ tandem ubique D recepta est, et paulo post hæc tempora missa *Corporis Christi* a Mozarabis composita videtur.

[c] *Officium.* Ps. L, 17. ℣. Ibid., 1. Officium et consequens oratio eadem leguntur in Missali Toletano.

[d] *Cap. VIII.* Vers. 34-IX, 1-7. In Missali Ambrosiano prophetia legitur ex lib. IV Regum, XIX, 3-9.

[e] *Diligant.* Lege *diligunt.*

[f] *Psallendo.* Ps. LXXVII, 19. ℣. Ibid., 23.

[g] *Cap. XI.* Vers. 23-27. Est eadem Epistola quæ feria 5 in Cœna Domini legitur, sed minus prolixa. Eadem autem in Missalibus Toletano, Ambrosiano ac Romano sancti Pii V, hac die legitur.

[h] *Cap. VI.* Vers. 55-59. Est autem initium Evangelii quod legitur feria 4 post Dominicam tertiam Quadragesimæ; idem autem legitur in Missali Romano sancti Pii, et in Toletano; in Ambrosiano est paulo prolixior.

[i] *Lauda.* Ps. CIX, 4.

[j] *Sacrificium.* Ex Sapientiæ XVI, 20.

Missa. Propitiare Domine cunctis iniquitatibus nostris : et redime nos et de incorruptione vitam nostram : gravia sunt enim nostra delicta : sed tu misericors a nobis debita prolonga flagella : et cum suspensa fuerit iracundia tua : corrigantur que in nos conspicis esse non recta.

Alia Oratio. Deus quem esurimus : et sitimus : tua quesumus dulcedine satiemur. Ut hoc sacrificium quod tibi cum solennitatibus Corporis Christi offerimus : et presenti vita nos a delictis mundos efficiat : et eterna post cum Sanctis omnibus felicitate sustollat. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Acceptum habe pie Pater sacrificium populi offerentis. Quo et vivis gratiam : et sepultis requiem largiaris eternam. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Tuam Domine misericordiam qui das pacem assiduis preconiis immolamus. Quia tu es pax vera : qui pacificas universa : et tua pace commemorantia omnia perseverant in opera bona. ℟. Amen.

[a] *Inlatio.* Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine Sancte Pater eterne omnipotens Deus. Qui paras adinventiones tuas sapienter : et disponis omnia suaviter. Qui ascendisti super occasum : Dominus nomen est tibi. Tu panis es vivus et verus : qui **267** descendisti de celo : ut dares [b] esurientibus : imo ut ipse esses esca viventium. Qui es nobis in pane quo corda firmantur : ut in virtute panis hujus per hos dedicatos nomini tuo dies : sine impedimento carnis et sanguinis jejunare valeamus : te ipsum panem habentes. Quia pauperes tuos celestibus saturas panibus. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus Jesus Christus filius tuus : qui repudiata immundorum contagione libaminum : simplicem ritu nove functionis instituit. D cuitque discipulos suos inter sacrosancta solennia innocentia pura vivere : et Deo soli hostiam laudis offerre. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. [c] Complentes igitur atque servantes preceptum Unigeniti tui : precamur omnipotens Pater : ut his creaturis superpositis altario tuo spiritum sanctificationis infundas : ut per transfusionem celestis atque invisibilis Sacramenti panis : hic transmutatus in carnem ; et calix transformatus in sanguinem : sit offerentibus gratia : sumentibus medicina. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Ant. Tu Domine da escam nobis in tempore opportuno. Aperi manum tuam : et imple omnem animam benedictione.

Ad orationem Dominicam. Preceptum orationis A quod Christus suis commendavit Discipulis : nos quoque fratres qua gemitu cordis exclamemus e terris Pater noster.

Dicat Presb. Vicit leo. *tribus vicibus modo ut in die Resurrectionis folio* 198.

Postea dicat. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Fides qua creditis Christum : perducat vos ad regna celorum. ℟. Amen. Spes qua speratis eterna per patientiam : vos faciat adversa sustinere presentia. ℟. Amen. Charitas indeficiens : et hic dulcedinem hominum : et post consortium vobis prelargiatur Angelorum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

B *Dicat Chorus.* Gustate et videte quam suavis est Dominus : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Benedicam Dominum : in omni tempore semper laus ejus in ore meo : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Redimet Dominus animas servorum suorum : et non derelinquet omnes qui sperant in eum : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum amen alleluja : alleluja : alleluja.

Com. Refecti Christi corpore : et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Post Communio. Oratio. Corpus Domini nostri Jesu Christi : quod accepimus : et sanctus sanguis ejus quem potavimus : adhereat visceribus nostris eterne omnipotens Deus : ut non nobis veniat ad judicium neque ad condemnationem : sed proficiat ad C salutem : et ad remedium animarum nostrarum in vitam eternam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace.

℟. Deo gratias

DOMINICO II. POST PENTECOSTEN.

Ad Missam. Officium.

Dominus regnavit. *Oratio.* Te excelsa laus. *Require retro in. I. Dominico post Pentecosten. folio.* 242.

Lectio libri Hieremie Prophete ([d] *Ca. XVIII*).

D ℟. Deo gratias.

Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino dicens. Surge descende in domum figuli : et ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli : et ecce ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas : quod ipse faciebat e luto manibus suis. Conversusque fecit ille vas alterum sicut placuerat in oculis ejus : ut faceret. Et factum est verbum Domini ad me dicens. Numquid sicut figulus iste non potero

[a] *Inlatio.* Eadem illatio est feriæ 6 post Dominicam tertiam Quadragesimæ. Mozarabes paucas admodum missas post eversam Ecclesiam et regnum Gothorum Missali suo adjecerunt ; earum autem orationes ipsi de suo non composuerunt, sed a Gotho-Hispanis antea compositas, aliquando integras, aliquando paucis mutatis, aut detractis, adhibuerunt, quasdam etiam orationes e Missali Romano sumpserunt, quare facile est ea quæ adjecta sunt dignoscere.

[b] *Esurientibus.* Adde *escam.*

[c] *Complentes.* Est verbatim desumpta a Dominica ante jejunium Kalendarum Novembrium (*Pag.* 281).

[d] *Cap. XVIII.* Vers. 1 12.

facere vobis domus Israel ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli: sic vos in manu mea domus Israel. Repente loquar adversus gentem: et adversus regnum: ut eradicem et destruam: et disperdam illud. Si penitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam: agam et ego penitentiam super malo: quod cogitavi ut facerem ei. Et subito loquar de gente et de regno: **268** ut edificem et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis: ut non audiat vocem meam: penitentiam agam super bono quod locutus sum: ut facerem ei. Nunc ergo dic viro Juda et habitatoribus Hierusalem dicens. Hec dicit Dominus. Ecce ego fingo contra vos malum: et cogito contra vos cogitationem. Revertatur unusquisque a via sua mala: et dirigite vias vestras: et studia vestra et habitabo vobiscum. Ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[a] *Psallendo.* In toto corde meo Domine narrabo omnia. Mirabilia tua. ℣. Letabor et exultabo in te: psallam nomini tuo altissime. *P.* Mirabilia.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios ([b] *Cap. XIIII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Cum [c] convenitis unusquisque vestrum psalmum habet. Doctrinam habet. Apocalypsim habet. Linguam habet: interpretationem habet. Omnia ad edificationem fiant. Sine lingua quis loquitur secundum duos: aut ut multum tres et per partes: et unus interpretetur. Si autem non fuerit interpres: taceat in Ecclesia. Sibi autem loquatur: et Deo. Prophete duo aut tres dicant: et ceteri dijudicent. Quodsi alii revelatum fuerit sedenti: prior taceat. Potestis per singulos prophetare: ut omnes discant: et omnes exhortentur: et spiritus prophetarum prophetis subjectus est. Non enim est dissensionis Deus: sed pacis: sicut in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo. Mulieres in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui: sed subditas esse sicut lex dicit. Siquid autem volunt discere: domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. An a vobis verbum Dei processit: aut in vos solos pervenit? Siquis videtur propheta esse aut spiritualis: cognoscat que scribo vobis quia Domini sunt mandata. Siquis autem ignorat: ignorabitur. Itaque fratres emulamini prophetare: et loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant. *Respondeat Chorus.* Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum [d] (*Cap. IIII*).

Illo in tempore: Dominus noster Jesus Christus ambulans juxta mare Galilee vidit duos fratres: Symonem qui vocatur Petrus: et Andream fratrem

A ejus: mittentes rete in mare: erant enim piscatores. Et ait illis. Venite post me: et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus: secuti sunt eum. Et procedens inde: vidit alios duos fratres Jacobum Zebedei et Johannem fratrem ejus In navi cum Zebedeo patre eorum reficientes retia sua: et vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus et patre: secuti sunt eum. Et circuibat Jesus totam Galileam docens in sinagogis eorum: et predicans evangelium regni: et sanans omnem languorem: et omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam: et obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus: et tormentis comprehensos: et qui demonia habebant: et lunaticos: et paraliticos: et curavit eos. Et secute sunt eum turbe B multe de Galilea. *Respondeat Chorus.* Amen.

Hic dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. *Respondeat Chorus.* ℟. Et cum

[e] *Lauda.* Aleluja. ℣. Lauda Hierusalem Dominum et conlauda Deum tuum Syon. *P.* Alleluja.

[f] *Sacrificium.* Alleluja. ℣. Offerent Sacerdotes super altare holocausta vestra: qui pro pace facient sacrificia: et placabitur vobis Dominus Deus vester: alleluja: alleluja: alleluja. ℣. Alleluja. Sacerdotes et Levite qui custodierunt cerimonias sanctuarii mei: dum errarent Filii Israel a me: ipsi accedent ad me ut ministrent mihi. Stabunt in conspectu meo: ut offerant mihi sacrificium. *P.* Et placabitur vobis.

Missa. Appropinquantes ad sacrum.

Require retro in primo Dominico post Pentecosten. C *fol.* 265.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore.

Require retro in festo Corporis Christi. folio 267.

Oratio. Christi Domini nostri.

269 *Require in* 1. *Dominica post Pentecosten folio* 262.

IN TERTIO DOMINICO POST PENTECOSTEN.

Ad Missam. Officium.

Dominus regnavit. *fol.* 263.

Oratio. Te excelsa laus in altissimis decet: tibi e terris gloriam Ecclesia canit: ad astra hymnum emittit. Rogamus omnipotens Deus ut sicut tuas solenniter porrigimus laudes: ita precum nostrarum D jubeas efficaciter suscipere voces. *Respondeat Chorus.* Amen. Per misericordiam tuam. etc.

Lectio libri Hieremie Prophete ([g] *Ca. XXXIII*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Clama ad me: et exaudiam te: et annunciabo tibi grandia et firma: que nescis. Quia hec dicit Dominus exercituum Deus Israel ad domos hujus Urbis: et ad domos Regis Jude: que destructe sunt: et admoniciones: et gladium venientium: ut dimicent cum Caldeis: et impleant eas

[a] *Psallendo.* Ps. IX, 2. Ibid. 3.
[b] *Cap. XIV*, Vers. 26, ad finem capitis.
[c] *Convenistis.* Vulg. et Gr., *convenitis.*
[d] *Cap. IV.* Vers. 18-25.

[e] *Lauda.* Ps. CXLVII, 1.
[f] *Sacrificium.* Ex Ezechiele, XLIII, 27. ℣. Ibid. XLIV, 15, 16.
[g] *Cap. XXXIII.* Vers. 3-11.

cadaveribus hominum : [a] quas percussi in furore meo : et in indignatione mea. Abscondens faciem meam a civitate hac propter omnem maliciam eorum. Ecce ego obducam eis cicatricem et sanitatem : et curabo eos : et revelabo illis deprecationem pacis et veritatis. Et convertam conversionem Hierusalem : et edificabo eos sicut a principio : et mundabo illos ab omni iniquitate sua : in qua peccaverunt mihi. Et propicius ero iniquitatibus eorum : in quibus dereliquerunt me : et spreverunt me. Et erit mihi in nomen : et in gaudium et in laudem : et in exaltationem cunctis gentibus terre : que audierint omnia bona : que ego facturus sum eis : et pavebunt et turbabuntur in omnibus bonis : et in omni pace : quam ego faciam eis. Hec dicit Dominus. Adhuc audietur in loco isto quem vos dicitis esse desertum : eo quod non sit homo nec jumentum in civitatibus Juda : et foris Hierusalem : que desolate sunt absque homine : et absque habitatore : et absque pecore. Vox gaudii : et vox leticie. Vox sponsi : et vox sponse. Vox dicentium : confitemini Domino exercituum : quoniam bonus : quoniam in seculum misericordia ejus. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Psallendo.* Factus est Dominus refugium pauperum : adjutor in oportunitatibus : in tribulatione. ℣. Sperent in te qui noverunt te : quia non derelinques querentes te Domine. *P.* In tribulatione.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios (II [c] *cap. III, IV).*

℟. Deo gratias.

Fratres. Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est : qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti. Non littere : sed spiritus. Littera enim occidit : spiritus autem vivificat. Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi : per gloriam vultus ejus : que evacuatur : quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloriam ? Nam si ministratio damnationis in gloria est ; multo magis abundat ministerium justicie in gloriam. Nam nec glorificatum est : quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur per gloriam est : multo magis quod manet in gloria est. Habentes autem talem spem : multa fiducia utimur. Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam : ut non intenderent filii Israel in faciem ejus : quod evacuatur : sed obtusi sunt sensus eorum usque in hodiernum diem. Id ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum : quoniam in Christo evacuatur. Sed usque in hodiernum diem cum legitur Moyses velamen positum est super cor eorum. Cum autem conversus fuerit ad Deum : auferetur velamen. Dominus autem spiritus est. Ubi autem spiritus Domini : ibi libertas. Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur : a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu. 270 Ideo habentes hanc amministrationem juxta quod misericordiam consecuti sumus. Ideo [d] deficimus : sed abdicamus occulta dedecoris. Non ambulantes in astutia : neque adulterantes verbum Dei : sed in manifestatione veritatis : commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Quodsi etiam opertum est Evangelium nostrum : in his qui pereunt est opertum : in quibus Deus hujus seculi excecavit mentes infidelium : ut non fulgeat illuminatio Evangelii glorie Christi : qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos commendamus : sed Jesum Christum Dominum. Nos autem servos vestros per Jesum. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere : ipse inluxit in cordibus nostris ad illuminationem scientie claritatis Dei in facie Jesu Christi Domini nostri. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Matheum ([e] *Ca. VIII)*

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus : ascendit in naviculam : et secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce motus magnus factus est in mare : ita ut navicula operiretur fluctibus : ipse vero dormiebat. Et accesserunt et suscitaverunt eum dicentes. Domine : salva nos : perimus. Et dicit eis. Quid timidi estis modice fidei ? Tunc surgens imperavit ventis et mari : et facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt dicentes : Qualis est hic : quia venti et mare obediunt ei. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Lauda.* Alleluja. Aperiam in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio seculi. *P.* Alleluja.

[g] *Sacrificium.* In universis solemnitatibus domus Domini offeret Sacerdos sacrificium pro peccato : et holocausta pacifica ad placandum Dominum pro populo Israel alleluja. ℣. Mundabit Sacerdos sanctuarium Domini : et tollet de sanguine : quod est pro peccato : et ponet in postibus domus Domini : et in quatuor angulis crepidinis altaris. *P.* Ad placandum Dominum.

Missa. Deum : qui Ecclesie sue fide : et utilitate letatur fratres charissimi deprecemur : ita nos in ea perenniter conservande possideat : quod in eterna gaudia introducat. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui Ecclesiam tuam inter adversa crescere voluisti inobedientium intra eam prosterne superbiam : et veritatis tue subjuga propicius unitati.

[a] *Quas.* Lege *quos.*
[b] *Psallendo.* Psal. IX, 10. ℣. Ibid. 11.
[c] *Cap. III.* Vers. 4-IV, 1-7.
[d] *Deficimus.* Vulg. Gr., *non deficimus.*
[e] *Cap. VIII.* Vers. 23-28.
[f] *Lauda.* Ps. XVII, 2.
[g] *Sacrificium.* Ezech, XLV, 17. ℣. Ibid, 18, 19.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Acceptum habe pie Pater sacrificium populi offerentis : quo et vivis gratiam et sepultis requiem largiaris eternam. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Tribue nobis Domine pacis tue solamen : cum quo et hic tuti ab hoste : et in eternum vivere possimus beati.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : omnipotens Pater : nos tibi gratias agere per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum : verum eternumque Pontificem : et solum sine peccati macula Sacerdotem. Cujus sanguine omnium corda mundante placationis tibi hostias : non solum pro delictis populi : sed etiam pro nostris offensionibus immolamus : ut omne peccatum quod carnis fragilitate contrahitur : summo interpellante pro nobis Antistite absolvatur. Cui merito omnes Angeli non cessant clamare ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. In cujus nomine etiam tibi Domine hec sacra libamus : orantes : ut que offerimus libens suscipias : et Spiritus tui Sancti infusione benedicas. Deus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Benedic Domine huic hostie in honorem tui nominis tibi oblate : et sumentium ex ea sanctifica mentem : et purifica voluntatem. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Malorum nostrorum fratres charissimi memores lachrymosas preces : Domini dirigamur ad aures. Quo mundati a vitiis liberi ad eum proclamemus e terris. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

271 *Benedictio.* Christus Dominus : qui est vita mortalium : auferat a vobis maculas delictorum. ℟. Amen. Induat vos decore virtutum : et donet vobis consortium beatorum. ℟. Amen. Ut probabiles fide : et opere immaculati perveniatis ad eternam hereditatem. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Communio.* Refecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Refecti Christi corpore et sanguine : pariterque sanctificati Deo Patri omnipotenti gratias referamus : ut nos in eandem refectionem et sanctificationem habentes : hic et in futuro seculo gloriam percipiamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace.

℟. Deo gratias.

IN IIII. DOMINICO POST PENTECOSTEN.

Ad Missam. Officium.

Dominus regnavit. *Oratio.* Te excelsa laus. *Quere retro in I. Dominico post Pentecosten. fol.* 263.

Lectio Esaye Prophete ([a] *Cap. XLIII*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Qui dedit in mari viam : et in aquis torrentibus semitam. Qui eduxit quadrigam et equum : agmen et robustum : simul obdormierunt nec resurgent. Contriti sunt quasi lignum : et extincti sunt. Ne memineritis priorum : et antiqua ne intueamini. Ecce ego [b] faciam nova : et nunc orientur : utique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam : et in invio flumina. [c] Glorificavit me bestia agri : dracones : et [d] structiones : quia dedi in deserto aquas : flumina in invio : ut darem potum populo meo electo meo. Populum istum formavi mihi : laudem meam [e] narravit. Non me invocasti Iacob : nec laborasti in me Israel. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui : et victimis tuis non glorificasti me. Non te servire feci in oblatione : nec laborem tibi prebui in thure. Non emisti mihi argento calamum : et adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Veruntamen servire me fecisti in peccatis tuis : prebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum : ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me : et peccatorum tuorum non recordabor amplius. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Psallendo.* Cantabo Domino qui bona tribuit mihi : psallam nomini Domini altissimi. ℣. Ego autem in misericordia tua sperabo : exultabit cor meum in salutari tuo. *P.* Psallam.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Galathas ([g] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Christus nos redemit de maledicto legis : factus pro nobis maledictum : quia scriptum est : Maledictus omnis qui pependit in ligno : ut in gentibus benedictio Abrahe fieret in Christo Jesu : ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. Fratres secundum hominem dico : tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit : aut superordinat. Abrahe dicte sunt promissiones et semini ejus. Non dicit et seminibus : quasi in multis : sed quasi in uno : et semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo : que post quadringentos et triginta annos facta est lex. Non irritam fecit ad vacuandam promissionem. Nam si ex lege hereditas : jam non est ex promissione. Abrahe autem per promissionem donavit Deus. Quid igitur lex ? propter transgressionem posita est : donec veniret semen : cui promiserat ordinata per angelos

[a] *Cap. XLIII.* Vers. 16-26.
[b] *Faciam.* Vulg., LXX, *facio.*
[c] *Glorificavit.* Lege *glorificabit.*
[d] *Sructiones.* Lege *struthiones.*
[e] *Narravit.* Lege *narrabit.*
[f] *Psallendo.* Ps. 12. 6. ℣. Ibid.
[g] *Cap. III.* Vers. 13-26.

cadaveribus hominum : [a] quas percussi in furore meo : et in indignatione mea. Abscondens faciem meam a civitate hac propter omnem maliciam eorum. Ecce ego obducam eis cicatricem et sanitatem : et curabo eos : et revelabo illis deprecationem pacis et veritatis. Et convertam conversionem Hierusalem : et edificabo eos sicut a principio : et mundabo illos ab omni iniquitate sua : in qua peccaverunt mihi. Et propicius ero iniquitatibus eorum : in quibus dereliquerunt me : et spreverunt me. Et erit mihi in nomen : et in gaudium et in laudem : et in exaltationem cunctis gentibus terre : que audierint omnia bona : que ego facturus sum eis : et pavebunt et turbabuntur in omnibus bonis : et in omni pace : quam ego faciam eis. Hec dicit Dominus. Adhuc audietur in loco isto quem vos dicitis esse desertum : eo quod non sit homo nec jumentum in civitatibus Juda : et foris Hierusalem : que desolate sunt absque homine : et absque habitatore : et absque pecore. Vox gaudii : et vox leticie. Vox sponsi : et vox sponse. Vox dicentium : confitemini Domino exercituum : quoniam bonus : quoniam in seculum misericordia ejus. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Psallendo.* Factus est Dominus refugium pa rum : adjutor in oportunitatibus : in tribulatior Sperent in te qui noverunt te : quia non der querentes te Domine. *P.* In tribulatione.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Cor cap. III, IV).

℟. Deo gratias.

Fratres. Fiduciam talem habemus Deum. Non quod sufficientes simu nobis quasi ex nobis : sed suffici est : qui et idoneos nos fecit menti. Non littere : sed spirit dit : spiritus autem vivifica mortis litteris deformata in ita ut non possent intend Moysi : per gloriam vul quomodo non magis mi riam? Nam si ministrat multo magis abundat m Nam nec glorificatum propter excellentem tur per gloriam es gloria est. Habent cia utimur. Et n super faciem sua faciem ejus : qu eorum usque in in lectione vet quoniam in C

num diem cum legitur Moyses velamen ... super cor eorum. Cum autem conv... Deum : auferetur velamen. Dominu... est. Ubi autem spiritus Domini ... autem omnes revelata facie glo... lantes in eandem imaginem ... ritate in claritatem tanquam ... Ideo habentes hanc am... misericordiam consecut... sed abdicamus occulta ... astutia : neque ad... manifestatione ve... ad omnem consci... etiam opertum ... pereunt est ... excecavit ... natio Ev... Non e... Chri... Je...

...nic pes... ...ece mater ...es loqui ei. ...et fratres tui ...spondens dicenti ...ui sunt fratres mei? ...suos dixit. Ecce Quicunque enim fecerit ...ui in celis est : ipse meus ...er est.

...Dominus sit semper vobiscum. ...Aperiam in parabolis. *Require ...inico. III. post Pentecosten. folio*

...Sacerdotes Domini offerunt in... pro peccato : pro delicto legitimum ...est in generationibus : alleluja. De sa... Domini : alleluja : alleluja. ℣. Alleluja : ...ad Moysen : Sacerdos cum ad sacro... accesserit : offeret oblationem in odorem ...Domino : et ponet in tabernaculo testi... *P.* De sacrificiis.

...Omnipotentem Deum fratres charissimi ...precemur : ut illam nobis Deus ad se orandum ...inspiret : quam ipse premio immortalitatis ...remuneret.

℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui infirmitatis nostre factus es particeps : fac nos tui regni esse consortes. Ut quibus participari voluisti assumendo hominem participium conferas glorie tue.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Inlabere Domine oblatis tibi hostiis : et susceptis fidelium votis requiem jube prorogari defunctis.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Multiplica nos Domine humilitatis bono et charitatis studio : ut viventibus in pace fructum tibi exhibeamus justicie. ℟. Amen.

Inlatio. Equum et satis justum est omnipotens Pater : ut tibi plebs tua deferat laudem : quam unici Filii tui redemisti sanguine. Ut enim opus tuum usquequaque non teneretur **273** captivum : eundem unigenitum tuum dedisti [f] vicarium : ut crucis perpessus injuriam : perditum hominem repararet ad vitam. Propter quod Evangelice potestates non cessant laudare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui solus

[a] *Quas.* L...
[b] *Psallen...*
[c] *Cap. II...*
[d] *Defecit...*
...
[f] ... Vicarius etiam dicitur quicunque vices alterius adimplendas suscipit; unde Cicero *Succedam ego vicarius, suscipiam partes tuas*; et alibi, *Do te vicarium*; quo sensu Deus Pater dicitur Unigenitum suum, hominis peccatoris, dedisse vicarium, ut vicem ejus suscipiens, pro eo, divinæ justitiæ satisfaceret.

... redemptorum.

...ec

perdu-

Spes qua

...at sustinere

...ciens : et hic

...sortia vobis pre-

Per misericordiam

...emper vobiscum. ℟.

...t videte.

Corpore. *Quere retro in festo* 267.

...hristi Corpore. *fol.* 271.

...O DOMINICO POST FESTUM PENTECOSTES.

... Dominus regnavit.

... Te excelsa laus.

...re in *primo Dominico post Pentecosten. fol.*

Lectio Libri Esaye Prophete ([a] *Cap. XL*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Levate in excelsum oculos vestros : et videte quis creavit hec. Qui educit in numero miliciam eorum : et omnes ex nomine vocat. Pre multitudine fortitudinis et roboris virtutisque ejus : neque unum reliquum fuit. Quare dicis Jacob : et loqueris Israel; abscondita est via mea a Domino : et a Deo meo judicium meum transibit? Numquid nescis aut non audisti? Deus sempiternus Dominus qui creavit terminos terre non deficiet neque laborabit : nec est investigatio sapientie ejus. Qui dat lasso virtutem : et his qui non sunt : fortitudinem et robur multiplicat. Deficient pueri et laborabunt : et juvenes in infirmitate cadent : qui autem sperant in Domino : mutabunt fortitudinem. Assument pennas ut aquile : current et non laborabunt : ambulabunt et non deficient. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Psallendo*. Ab occultis meis munda me Domine. et ab alienis parce servo tuo. ℣. Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero : et mundabor a delicto magno. *P.* Et ab alienis.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

A *Sequentia Epistole Pauli ad Philippenses* ([c] *Cap. II*).

Fratres. Hoc sentite in vobis : quod et in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset : non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo : sed semetipsum ...vit : formam servi accipiens in similitudinem ...actus : et habitu inventus ut homo. Humi... ...metipsum factus obediens usque ad mortem : ...m autem crucis. Propter quod et Deus illum ...citavit : et donavit illi nomen super omne nomen : ...t in nomine Jesu omne genu flectatur : celestium : terrestrium : et infernorum. Et omnis lingua confiteatur : quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Itaque fratres mei sicut semper obedistis : non in presentia mea tantum : sed multo magis nunc in absentia mea : cum metu et tremore vestram salutem B operamini. Deus est enim qui operatur in vobis : et velle et perficere pro bona voluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus : et hesitationibus : ut sitis sine querela : et simplices in adventu filii Dei : sine reprehensione in medio nationis prave et preverse : inter quos lucetis sicut luminaria in mundo : verbum vite continentes ad gloriam meam in die Christi. Quia non in vacuum cucurri : neque in vacuum laboravi. Sed etsi immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestre : gaudeo et congratulor omnibus vobis. Idipsum et **274** vos gaudete : et congratulamini mihi. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([d] *Cap. VIII, IX*).

C Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum : occurrerunt e. duo habentes demonia : de monumentis exeuntes sevi nimis : ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt dicentes. Quid nobis et tibi Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Demones autem rogabant eum dicentes. Si ejicis nos hinc : mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis. Ite. At illi exeuntes : abierunt in porcos. Et ecce magno impetu abiit totus grex preceps in mare : et mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt. Et venientes in civitatem : nunciaverunt hec omnia : et de his qui demonia habuerant. Et ecce tota civitas exiit obviam D Jesu : et viso eo : rogabant eum : ut transiret a finibus eorum. Et ascendens Jesus in naviculam : transfretavit et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paraliticum jacentem in lecto. Videns autem Jesus fidem illorum : dixit paralitico. Confide fili : remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se. Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum : dixit. Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere : dimittuntur tibi peccata tua : an dicere : surge et ambula? Ut autem sciatis : quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.

[a] *Cap. XL*. Vers. 26, ad finem capitis.

[b] *Psallendo*. Ps. XVIII 13. ℣. Ibid., 14.

[c] *Cap. II*. Vers. 5-19.

[d] *Cap. VIII*. Vers. 28-IX, 1-9.

in manu mediator. [a] Mediator autem unius non est. A Deus autem unus est. Lex ergo adversus promissa Dei ? Absit. Si enim data esset lex : que posset vivificare : vere ex lege esset justicia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato : ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Priusquam veniret fides : sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem : que revelanda erat. Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo : ut ex fide justificaremur. At ubi venit fides : jam non sumus sub pedagogo. Omnes enim filii Dei estis per fidem que est in Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

272 *Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum* ([b] *Cap. XII*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Qui non est mecum : contra me est. Et qui non congregat mecum : spargit. Ideo dico vobis : omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus. [c] Spiritus autem blasphemie non remittetur eis. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum : non remittetur ei : nec in hoc seculo nec in futuro. Aut facite arborem bonam : et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam : et fructum ejus malum. Siquidem ex fructibus arbor cognoscitur. Progenies viperarum : quomodo potestis bona loqui cum sitis mali ? Ex abundantia autem cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona. Et malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis quoniam C omne verbum otiosum : quod locuti fuerint homines : reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis : et verbis tuis condemnaberis. Tunc respondebant ei quidam de scribis et phariseis dicentes. Magister volumus a te signum videre. Qui respondens ait illis. Generatio mala et adultera signum querit : et signum non dabitur ei : nisi signum Jone prophete. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus : sic erit filius hominis in corde terre tribus diebus : et tribus noctibus. Viri Ninivite surgent in judicio cum generatione ista : et condemnabunt eam : quia penitentiam egerunt in predicatione Jone : et ecce plusquam Jonas hic. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista : et condemnabit eam : quia venit a D finibus terre audire sapientiam Salomonis : et ecce plusquam Salomon hic. Cum autem spiritus immundus exierit ab homine : ambulat per loca arida : querens requiem et non invenit. Tunc dicit. Revertar in domum meam : unde exivi. Et veniens invenit vacantem scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et adhibet septem alios spiritus secum nequiores se : et intrantes habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit generationi huic pessime. Adhuc eo loquente ad turbas : ecce mater ejus : et fratres stabant foris querentes loqui ei. Dixit ei quidam. Ecce mater tua : et fratres tui foris stant querentes te. At ille respondens dicenti sibi ait. Que est mater mea : et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit. Ecce mater mea : et fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei : qui in celis est : ipse meus est frater et soror et mater est.

℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[d] *Lauda*. Alleluja. Aperiam in parabolis. *Require retro in. Dominico. III. post Pentecosten. folio* B 270.

[e] *Sacrificium*. Sacerdotes Domini offerunt incensum Domino pro peccato : pro delicto legitimum sempiternum est in generationibus : alleluja. De sacrificiis Domini : alleluja : alleluja. ℣. Alleluja : dixit Dominus ad Moysen : Sacerdos cum ad sacrosanctum accesserit : offeret oblationem in odorem suavissimum Domino : et ponet in tabernaculo testimonii. *P*. De sacrificiis.

Missa. Omnipotentem Deum fratres charissimi deprecemur : ut illam nobis Deus ad se orandum precem inspiret : quam ipse premio immortalitatis remuneret.

℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui infirmitatis nostre factus es participes : fac nos tui regni esse consortes. Ut quibus participari voluisti assumendo hominem participium conferas glorie tue.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Inlabere Domine oblatis tibi hostiis : et susceptis fidelium votis requiem jube prorogari defunctis.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Multiplica nos Domine humilitatis bono et charitatis studio : ut viventibus in pace fructum tibi exhibeamus justicie. ℟. Amen.

Inlatio. Equum et satis justum est omnipotens Pater : ut tibi plebs tua deferat laudem : quam unici Filii tui redemisti sanguine. Ut enim opus tuum usquequaque non teneretur **273** captivum : eundem unigenitum tuum dedisti [f] vicarium : ut crucis perpessus injuriam : perditum hominem repararet ad vitam. Propter quod Evangelice potestates non cessant laudare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui solus

[a] *Mediator*. Lege *in manu mediatoris*.

[b] *Cap. XII*. Vers. 30, ad finem capitis.

[c] *Spiritus autem blasphemiæ*. Vulg. et Gr. : *Spiritus autem blasphemia* ; Syr. : *Blasphemiæ in spiritum*.

[d] *Lauda*. Ps. CLXXIV, 1.

[e] *Sacrificium*. Ex Levit. VII, 5.

[f] *Vicarium*. Vicarius etiam dicitur quicunque vices alterius adimplendas suscipit ; unde Cicero *Succedam ego vicarius, suscipiam partes tuas* ; et alibi, *Do te vicarium* ; quo sensu Deus Pater dicitur Unigenitum suum, hominis peccatoris, dedisse vicarium, ut vicem ejus suscipiens, pro eo, divinæ justitiæ satisfaceret.

est vita mortalium : et immortalitas redemptorum. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Sanctificetur quesumus Domine hec oblata in honorem tui nominis victima : ut libantes ex ea hereditatem capiamus eternam. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam. Preceptionis Divine memores dilectissimi fratres : orationem quam Christus suos Patrem docuit semper orare discipulos : nos quoque e terris proclamemus ad celos. Pater noster qui.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobi cum.

℟. Et cum.

Benedictio. Fides qua creditis Christum : perducat vos ad regnum celorum. ℟. Amen. Spes qua speratis eterna : per patientiam vos faciat sustinere presentia. ℟. Amen. Charitas indeficiens : et hic dulcedinem hominum : et post consortia vobis prelargiatur Sanctorum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi Corpore. *Quere retro in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Refecti Christi Corpore. *fol.* 271.

IN QUINTO DOMINICO POST FESTUM PENTECOSTES.

Officium. Dominus regnavit.

Oratio. Te excelsa laus.

Quere in primo Dominico post Pentecosten. fol. 263.

Lectio Libri Esaye Prophete ([a] *Cap. XL*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Levate in excelsum oculos vestros : et videte quis creavit hec. Qui educit in numero militiam eorum : et omnes ex nomine vocat. Pre multitudine fortitudinis et roboris virtutisque ejus : neque unum reliquum fuit. Quare dicis Jacob : et loqueris Israel ; abscondita est via mea a Domino : et a Deo meo judicium meum transibit? Numquid nescis aut non audisti? Deus sempiternus Dominus qui creavit terminos terre non deficiet neque laborabit : nec est investigatio sapientie ejus. Qui dat lasso virtutem : et his qui non sunt : fortitudinem et robur multiplicat. Deficient pueri et laborabunt : et juvenes in infirmitate cadent : qui autem sperant in Domino : mutabunt fortitudinem. Assument pennas ut aquile : current et non laborabunt : ambulabunt et non deficient. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Psallendo*. Ab occultis meis munda me Domine. et ab alienis parce servo tuo. ℣. Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero : et mundabor a delicto magno. *P*. Et ab alienis.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

A *Sequentia Epistole Pauli ad Philippenses* ([c] *Cap. II*).

Fratres. Hoc sentite in vobis : quod et in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset : non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo : sed semetipsum exinanivit : formam servi accipiens in similitudinem hominum factus : et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem : mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum suscitavit : et donavit illi nomen super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur : celestium : terrestrium : et infernorum. Et omnis lingua confiteatur : quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Itaque fratres mei sicut semper obedistis : non in presentia mea tantum : sed multo magis nunc in absentia mea : cum metu et tremore vestram salutem operamini. B Deus est enim qui operatur in vobis : et velle et perficere pro bona voluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus : et hesitationibus : ut sitis sine querela : et simplices in adventu filii Dei : sine reprehensione in medio nationis prave et preverse : inter quos lucetis sicut luminaria in mundo : verbum vite continentes ad gloriam meam in die Christi. Quia non in vacuum cucurri : neque in vacuum laboravi. Sed etsi immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestre : gaudeo et congratulor omnibus vobis. Idipsum et **274** vos gaudete : et congratulamini mihi. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([d] *Cap. VIII, IX*).

C Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum : occurrerunt e. duo habentes demonia : de monumentis exeuntes sevi nimis : ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt dicentes. Quid nobis et tibi Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Demones autem rogabant eum dicentes. Si ejicis nos hinc : mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis. Ite. At illi exeuntes : abierunt in porcos. Et ecce magno impetu abiit totus grex preceps in mare : et mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt. Et venientes in civitatem : nunciaverunt hec omnia : et de his qui demonia habuerant. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu : et viso eo : rogabant eum : ut transiret D a finibus eorum. Et ascendens Jesus in naviculam : transfretavit et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paraliticum jacentem in lecto. Videns autem Jesus fidem illorum : dixit paralitico. Confide fili : remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se. Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum : dixit. Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere : dimittuntur tibi peccata tua : an dicere : surge et ambula? Ut autem sciatis : quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.

[a] *Cap. XL*. Vers. 26, ad finem capitis.
[b] *Psallendo*. Ps. XVIII 13. ℣. Ibid., 14.
[c] *Cap. II*. Vers. 5-19.
[d] *Cap. VIII*. Vers. 28-IX, 1-9.

Tunc ait paralitico. Surge : tolle lectum tuum : et vade in domum tuam. Et surrexit : et abiit in domum suam. Videntes autem turbe timuerunt : et glorificaverunt Deum : qui dedit potestatem talem hominibus. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. [a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Non nobis Domine non nobis : sed nomini tue da gloriam. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Accedentes Sacerdotes filii Levi ad altare : quos elegit Dominus Deus tuus ut ministrent ei. Et benedicant in nomine ejus : alleluja. ℣. Dixit Moyses ad Sacerdotes Levitici generis : ad omnem Israel : attende et audi Israel : hodie factus est populus Domini Dei tui audiens vocem ejus : et faciens mandata ejus atque justiciam : quam ego precipio tibi. Et bene.

Missa. Deum fratres charissimi prece flagitemus continua : ut illam nobis tribuat in oratione fiduciam : que impetret postula. ℟. Amen.

Alia Oratio. Exaudi Domine devotam tue familie precem : et oblatum tibi hoc sacrificium in remissionem nostrorum peccaminum propiciatus assume. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Adspira Domine offerentium votis propicius : et requiem defunctis concede benignus. ℟. Amen.

Ad pacem. Solve Christe Deus nostrorum criminum nodos : et in pace quam ipse docuisti fac nos semper esse connexos. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est Deus Pater omnipotens : te et terrestrium et celestium creaturarum preconio laudis attoli : qui nos unigeniti tui sanguine redemisti. Quique nos tibi per ejus mortem reconciliasti : ut regni sui essemus heredes : qui corporis nostri factus est particeps : quem conlaudant omnes Angeli : ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post sanctus. Vere sanctus vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus. Quem celestia pariter et terrena conlaudant : qui est agnus Dei : et tollit peccatum mundi. Ipse Dominus ac Redemptor eternus.

Post pridie. Offerentes tibi Deus sacrificium laudis rogamus : ut oblata acceptes : et oblatores sanctifices. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam. Oremus Deum dilectissimi fratres : ut nos efficiat coram se [c] exorabiles : quo puras manus cum conscientiis ad eum levemus proclamantes e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Sit vestri Dominus : adjutor in omnibus. ℟. Amen. Preces vestras exaudiat : et peccata dimittat. ℟. Amen. Que poscitis : conferat : et que pavetis : procul a vobis repellat. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Communio.* Refecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis Christi fol.* 267.

275 *Oratio.* Gustantes Domine suavitatis dulcedinis plenitudinem quesumus : ut sit nobis hoc in remissionem peccatorum : et sanitatem mentium. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

IN SEXTO DOMINICO POST PENTECOSTEN.

Officium. Dominus regnavit. *Oratio.* Te excelsi laus. *Quere fol.* 163.

Lectio Libri Hieremie Prophete ([d] *Cap. XXI XXV*).

Hec dicit Dominus. Judicate mane judicium : et eruite oppressum de manu calumniantis : ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea : et succendatur : et non sit qui extinguat propter maliciam studiorum vestrorum. Et ego ad te habitatricem vallis solide : atque [e] campestrium. Qui dicitis quis percutiet nos : et quis ingredietur domos nostras ? Ego visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum : dicit Dominus. Et succendam ignem in saltum ejus : et devorabo omnia in circuitu ejus. Hec dicit Dominus. Descende in domum Regis Juda : et loqueris ei verbum hoc : et dices. Audi verbum Domini Rex Juda : qui sedes super solium David : tu et servi tui et populus tuus : qui ingredimini per portas istas. Hec dicit Dominus. Facite judicium et justitiam : et liberate oppressum de manu calumniatoris : et advenam et pupillum et viduam nolite contristari : neque opprimatis inique : et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. Si enim facientes feceritis verbum istud : ingredientur [f] per portas hujus Reges sedentes de genere David super thronum ejus : ascendentes super currus et equos : ipsi et servi et populus eorum. Factum est verbum Domini ad me : et locutus sum ad vos de nocte consurgens et loquens : et non audistis. Et misit Dominus ad vos omnes servos suos Prophetas. Consurgens diluculo mittensque non audistis : neque inclinastis aures vestras ut audiretis. [g] Hec enim dicit Dominus. Revertimini unusquisque a via sua mala : et a pessimis cogitationibus vestris. Et habitabitis in terra quam dedit Dominus vobis et patribus vestris : a seculo et usque in seculum. Et nolite ire post Deos alienos : ut serviatis eis : adoretisque eos : neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum. Et non affligam vos : [h] neque auferam a vobis misericordiam meam : dicit Dominus. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Ps. CXIII, 1.
[b] *Sacrificium.* Deuteron. XXI, 5. ℣. Ibid., XXVII. 9.
[c] *Exorabiles.* Hoc loco *exorabilis* active sumitur, idemque significat quod *exorator;* quo sensu Valerius Flaccus (*L.* I, 772) dixit *carmen exorabile.*
[d] *Cap. XXI.* Vers. 12-XXII, 1-5; deinde, XXV, 4-7.
[e] *Campestrium.* Vulg., *campestris.*
[f] *Per portas huius.* Vulg., LXX, *per portas domus hujus.*
[g] *Hec enim dicit Dominus.* Vulg.: *Et audiretis cum diceret revertimini,* etc. LXX : *Dicens revertimini.*
[h] *Neque auferam.* His finis lectioni imponebatur.

[a] *Psallendo.* Delicta juventutis mee et ignorantie me memineris Domine. ℣. Secundum magnam misericordiam tuam memor esto mei. *P.* Domine.

Pauli Apostoli ad Corinthios (I, [b] ca. III, IV).

Fratres. Nemo vos seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo : stultus fiat : ut sit sapiens. Sapientia hujus mundi : stulticia est apud Deum. Scriptum est enim. Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum. Dominus novit cogitationes sapientium : quoniam vane sunt. Itaque nemo glorietur in hominibus : omnia enim vestra sunt. Sive Paulus : sive Apollo : sive Cephas : sive mundus : sive vita : sive mors : sive presentia : sive futura : omnia enim vestra sunt. Vos autem Christi : Christus autem Dei. Sic nos existimet homo : ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum Dei. Hic jam queritur inter dispensatores : ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est : ut a vobis judicer : aut ab humano die : sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare : quoadusque veniat Dominus : qui et inluminabit abscondita tenebrarum : et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([c] C. XIII).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Exiit qui seminat seminare. Et dum seminat quedam ceciderunt secus viam : et venerunt volucres et comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa : ubi non habebant terram multam : et continuo exorta sunt : quia non habebant altitudinem terre. Sole autem orto estuaverunt : et quia non habebant radicem : aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinis : et creverunt spine : et suffocaverunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam : et dabant fructum aliud centesimum aliud sexagesimum : aliud trigesimum. **276** Et accedentes dixerunt ei. Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens : ait illis. Quia vobis datum est nosse mysteria regni celorum : illis autem non est datum. Vos autem audite parabolam seminantis. Omnis qui audit verbum regni : et non intelligit : venit malus : et rapit quod seminatum est in corde ejus : hic est qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est : hic est qui verbum audit : et continuo cum gaudio accipit illud. Non habet autem in se radicem : sed est temporalis. Facta autem tribulatione et persecutione propter verbum : continuo scandalizatur. Qui autem est seminatus in spinis : hic est qui verbum audit : et sollicitudo seculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum : et sine fructu efficitur. Qui vero in terram bonam seminatus est : hic est qui verbum audit et intelligit : et fructum affert. Et facit aliud quidem centesimum : aliud sexagesimum : porro aliud trigesimum. Qui habet aures audiendi audiat. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Lauda.* Non nobis Domine. *Require in Dominica precedenti. fol.* 274.

Sacrificium. Offerte Sacerdotes ad altare Dei nostri holocausta : et orate : ut sunt dies vestri sicut dies seculi super terram. Et dabit vobis Dominus fortitudinem : alleluja. ℣. Domine propter nomen tuum ne perdas thronum honoris tui : memor esto : noli dissipare testamentum tuum : quod est nobiscum super terram. *P.* Et da.

Missa. Ecclesie tue preces quesumus Domine placatus intende : ut destructis adversitatibus universis : secura tibi serviat libertate. ℟. Amen.

Alia Oratio. Omnipotens sempiterne Deus qui nos sacra Evangelii tui institutione confirmas. Presta quesumus : ut cuncti fideles tui veraciter apprehendant : que ex ejus predicatione suscipiunt.

℟. Amen.

Post nomina. Mirabilia tua quesumus Domine circa nos clementer operare : que ideo semper immensa sunt. Dum indulgentiam reis : et beneficia largiaris indignis. ℟. Amen.

Ad pacem. Da fidelium tuorum mentibus Deus : ut studeant obedire celestibus disciplinis : et ordinem pacis sequi divinitus instructi. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere dignum et sanctum est : nos tibi semper hic et ubique gratias agere : et sacrificia spiritualia celebrare Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. [d] Per quem majestatem tuam conlaudant Angeli : adorant Dominationes : tremunt Potestates. Celi celorumque virtutes : ac beata Seraphin : socia exultatione concelebrant. Cum quibus ut nostras voces admitti jubeas deprecamur : supplici confessione dicentes. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui divino Spiritu procreatus uteri virginalis viscera habitare dignabili adjectu voluit : et hoc caducum corpus induere : ut nos in terra peccatores servaret. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Agentes itaque pietati tue maximas gratias omnipotens Deus : petimus et rogamus : ut conlata suscipias : suscepta benedicas : benedicta sanctifices : sanctificata distribuas : et nobis famulis tuis misericordiam largiaris. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam. [e] Divino magisterio edocti : et salutaribus monitis instituti : audemus dicere : quia jubere dignatus es. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedicat vobis Dominus : et custodiat

[a] *Psallendo.* Ps. XXIV, 7. ℣. Ibid., 8.
[b] *Cap. III.* Vers. 18-IV, 1-6.
[c] *Cap. XIII* Vers. 3-23, omissis seu versiculis 12-18 integris.

[d] *Per quem.* Eadem habentur in contestatione missæ *Remensis Cottidianæ* Sacramentarii Bobiani.
[e] *Divino.* Eadem ferme oratio *ante Orationem Dominicam* exstat in Missali Gallo-Gothico (*p.* 297).

vos. ℟. Amen. Ostendat Dominus faciem suam vobis: et misereatur vestri. ℟. Amen. Convertat Dominus vultum suum ad vos: et det vobis pacem. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Com.* Refecti Christi corpore: *et cetera omnia: quere in V. Domini a post Pentec. fol.* 274.

IN SEPTIMO DOMINICO POST PENTCOSTEN.

Officium.

Dominus regnavit. *Oratio.* Te excelsa laus. *Require in primo Dominico post Pentecosten. fol.* 262.

Lectio libri Hieremie prophete ([a] *Cap. XXII*).

Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Ve qui edificat domum suam, [b] in justicia: et cenacula sua non in judicio. Amicum suum opprimet frustra: **277** et mercedem ejus non reddet. Qui dicit edificabo mihi domum latam: et cenaculum spaciosum. Qui aperuit sibi fenestras: et facit laquearia cedrina: pingitque sinopide. Nunquid regnabis: quoniam conferes te cedro? Pater tuus nunquid comedit et bibit: et fecit judicium et justitiam? Tunc cum bene erat ei: judicavit causam pauperis et egeni in bonum suum. Nunquid non ideo quia cognovit me dicit Dominus? Tui vero oculi et cor ad avariciam: et sanguinem innocentem fundendum: et ad calumniam et ad concursum mali operis? Propterea hec dicit Dominus. Ve pastoribus qui dispergunt et dilacerant gregem pascue mee dicit Dominus. Idcirco hec dicit Dominus Israel ad pastores: qui pascunt populum meum. Vos dispersistis gregem meum: et ejecitis eos: et non visitatis eos. Ecce ego visitabo super vos maliciam studiorum vestrorum dicit Dominus. Ecce ego congregabo reliquias populi mei: ab omnibus terris ad quas ejeceram illum. Et convertam ad rura sua: et crescent et multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores: et pascent eos. Non formidabunt ultra: et non pavebunt: et nullus queretur ex numero: dicit Dominus. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

[c] *Psallendo.* Circumdabo altare tuum Domine: ut [d] clara voce enarrem laudem tuam. ℣. Domine dilexi decorem domus tue: et locum habitationis glorie tue. *P.* Ut clara.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios (*I*, [e] *ca. I, II*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Verbum crucis pereuntibus quidem stulticia est. His autem qui salvi fiunt idest nobis: virtus Dei est. Scriptum est enim. Perdam sapientiam sapientium: et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? Ubi scriba? ubi conquisitor seculi hujus? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? [f] Nam quia in Deum sapientia non cognovit mundus per sapientiam: placuit Deo per stulticiam predicationis: salvos facere credentes. Quoniam Judei signa petunt: et Græci sapientiam querunt. Nos autem predicamus Christum crucifixum: Judeis quidem scandalum: gentibus autem stulticiam. Ipsis autem vocatis Judeis atque Grecis Christi Dei virtutem et Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei: sapientius est hominibus. Et quod infirmum est Dei: fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram fratres: quia non multi sapientes secundum carnem: non multi potentes: non multi nobiles. Sed que stulta sunt mundi: elegit Deus: ut confundat sapientes. Et infirma mundi elegit Deus: ut confundat fortia. Et ignobilia mundi et contemptabilia elegit Deus et que non sunt. ut ea que sunt destrueret. Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu vocati: qui factus est nobis sapientia a Deo: et justicia: et sanctificatio: et redemptio. Ut quemadmodum scriptum est. Qui gloriatur: in Domino glorietur. Et ego cum venissem ad vos fratres: veni non in sublimitate sermonis: aut sapientie: adnuncians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi scire me aliquid inter vos: nisi Christum Jesum; et hunc crucifixum. Et ego [g] infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos. Et sermo meus: et predicatio mea non in persuasibilibus humane sapientie verbis: sed in ostensione spiritus et virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum: sed in virtute Dei. Sapientia autem loquimur inter perfectos. Sapientia vero [h] non in hujus seculi: neque principum hujus seculi: qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam [i] in ministerio: que abscondita est: quam prædestinavit Deus ante secula: in gloriam nostram; quam nemo principum hujus seculi cognovit. Si enim cognovissent: nunquam Dominum glorie crucifixissent. Sicut scriptum est. Quod oculus non vidit: nec auris audivit: nec in cor hominis ascendit: que preparavit Deus iis qui diligunt illum. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum ([j] *C. XIII*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Simile factum est regnum celorum homini: qui seminat bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines: venit inimicus ejus: et superseminavit zizania in medio tritici: et abiit. Cum autem crevisset herba: et fructum fecisset: tunc apparuerunt zizania. Accedentes autem **278** servi patris familias dixerunt ei. Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo;

[a] *Cap. XXII.* Vers. 13-18; XXIII, 1-5.
[b] *In justitia.* Lege *in injustitia*
[c] *Psallendo.* Ps. XXV, 7, 8. ℣. Ibid., 8.
[d] *Clara voce.* Non exstat in Vulg. et LXX, in quibus legitur: *Ut enarrem universa mirabilia tua*
[e] *Cap. I.* Vers. 18-II, 1-10.
[f] *Nam quia.* Vulg. et Græc. Ambrosiaster, Primasius, etc., legunt: *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum.*
[g] *Infirmitate.* Lege *in infirmitate.*
[h] *Non in hujus saculi.* Illud *in* Gr., et Vul. *non* legunt.
[i] *In ministerio.* Lege *in mysterio.*
[j] *Cap. XIII.* Vers. 24-43.

unde ergo habet zizania? Et ait illis. Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei. Vis imus et colligimus ea? Et ait. Non : ne forte colligentes zizania : eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem. Et in tempore messis dicam messoribus : colligite primum zizania : et alligate ea in fasciculos ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum. Aliam parabolam proposuit eis dicens. Simile est regnum celorum grano sinapis : quod accipiens homo seminavit in agro suo. Quod minimum quidem est omnibus seminibus : cum autem creverit : majus est omnibus oleribus : et fit arbor : ita ut volucres celi veniant et habitent : in ramis ejus. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum celorum fermento : quod acceptum mulier abscondit in farine satis tribus : donec fermentatum est totum. Hec omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas. Et sine parabolis non loquebatur eis. Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem. Aperiam in parabolis os meum : eructabo abscondita a constitutione mundi. Tunc dimissis turbis : venit in domum. Et accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes. Domine : edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens : ait. Qui seminat bonum semen est filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit ea : est diabolus. Messis vero consummatio seculi est. Messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania : et igne comburuntur : sic erit in consumatione seculi. Mittet filius hominis Angelos suos : et colligent de regno ejus omnia scandala : et eos qui faciunt iniquitatem : et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum. Qui habet aurem audiendi audiat. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum.

[a] *Lauda*. Alleluja. ℣. Qui posuit fines tuos pacem : et adipe frumenti satiat te. *P*. Alleluja.

[b] *Sacrificium*. Alleluja. Oblatio Domini est : odor suavissimus victima Dei : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Alleluja. Locutus est Dominus ad Moysen dicens : pones altare ante arcam testimonii coram propitiatorio : ubi loquar ad te : et ponet incensum Sacerdos super eum delectabile fragrans. *P*. Odor suavissimus.

Missa. Omnipotentem Deum qui humanum genus condidit ad gloriam : et post ruinam reparavit ad vitam : fratres charissimi humiliter exoremus. Ut impleat reparationis perfectionem : qui originis condidit dignitatem. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus omnipotens qui angelicam humanamque naturam creans : [c] aliud presciendo judicii reprobatione condemnas : aliud prædestinando : [d] veritatis assumptione glorificas. Tribue nobis te per redemptionis humane sacramentum habere propicium : et societate felicitatis angelice perpetuis laudibus attolere gloriosum. ℟. Amen.

Post nomina. Accipe Domine offerentium munera atque vota : ut qui tibi sacrificium : quod te singulariter placare potest : confidentia pie servitutis offerimus : et sacrificii ipsius propitiatione : in tuam rediisse nos gratiam : uberius exultemus. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus perennis pax : cujus electum munus pacis est premium. Quique pacificos esse tuos filios docuisti : infunde nobis dulcedinem pacis. Ut omne quod discordie est : funditus evanescat : et omne quod pacis est : eterna in nos suavitate dulcescat. Amen.

Inlatio. Dignum satis vere est : et omni dignitate conspicuum : tibi dare gloriam et honorem omnipotens Deus Pater : qui cum filio tuo et cum Spiritu [e] amborum unus in Trinitate equalis Deus creasti non stantem hominem : et in assumptione carnis unius persone redimisti perditum hominem : reparator occurrens in ejus occasum : qui bone conditionis perdiderat statum. Proinde in hac tantundem victima salutari confidentiam habentes : obsecramus et petimus : ut quia dies temporalis declinat ad vesperum : et status mundi properat ad occasum : et vivere corruptibiliter nostrum tendit ad terminum : repares nos in tempore. Veniant dies ad laudem tuam : sustentes et defectum mundi per spem beatitudinis **279** repromissum : concedas et in diem extremum vite presentis pervenire ad indulgentiam consequendam. Ut quia et diei et mundi et vite nostre finis proximo venit : in cunctis hoc sacrificium singulare nobis ad remedium se indesinenter dignetur opponere : ut nec occasus diei pre successione tenebrarum nos vel polluat : vel anxios reddat : vel [f] proximus finis mundi reos secum ad interitum ducat : nec brevitas vite nostre immundos usquequaque detineat : sed quod deficit dies : in consolationem nostram renovata lux reparet : et quod mundus tendit ad finem : spes futuri regni confoveat. Ut quod vivere nostrum resolutionis sue sustinet debitum : transitus pacis et leticia consequatur eterne beatitudinis. Ut quicquid in occasu nostro est : hec salutaris victima in eterne

[a] *Lauda*. Ps. CXLVII, 14.
[b] *Sacrificium*. Ex Exod. XXIX, 41 ℣. Ibid., XXX, 6.
[c] *Aliud*. Forte, *alium*.
[d] *Veritatis*. Forte addendum *carnis nostræ*.
[e] *Amborum*. Num *ambo*.
[f] *Proximus*. Sanctus Gregorius papa frequenter ingerebat mundi hujus instare finem (*Vide Hom.* 1, 3, *in Evang.*). Antea sanctus Ambrosius (*lib.* X *in Lucam*) explicans illud cap. XXI, 9 : *Cum audieritis prælia*, etc. : *Verborum*, inquit, *cœlestium nulli magis quam nos testes sumus, quæ mundi finis invenit*; et infra *Ergo quia in occasu sæculi sumus*; et addit rationes afferendi mundi finem adesse, scilicet jam per universum orbem prædicatum esse evangelium. *Jam Gothi*, inquit, *et Armeni crediderunt*, *et ideo finem mundi videmus*. Additque barbarorum in imperium Romanum irruptiones, etc. Idem argumentum sanctus Cyprianus (*Ad Demetrianum*) fuse prosequitur, eademque opinio tempore apostolorum plurium mentibus insederat (*II Thess.* 2), et vix ulla elapsa est ætas, quin aliquis eamdem promovere conatus fuerit.

salutis flatum reducat et in nos redemptionis nostre A ministerium fiat : et nos tibi donum perennis glorie hymnum : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere bone Deus : vere pie Domine Deus : te solum gloria decet. Qui pro nobis te ipsum a te ipso uno heredeque Christo ante secula filio Dei : et in fine seculorum filio hominis super aram crucis Deo Patri expiationem peccatorum nostrorum offerri voluisti : docens nos [a] celebritate sacramenti hujus et pia fide et munda operatione gratissima frequentare. Largire ergo : ut quicquid in occasu diei : quicquid in defectu mundi : quicquid in resolutionis defectu labimur : pietas tua et indesinenti consolatione confoveat : et ad eterne exultationis participationem adducat : Christe Domine ac redemptor eterne.

B

Post pridie. Oratio. Completis nostre redemptionis et tue gratie documentis. Referentes tibi gratias : benedicimus te Domine Jesu Christe fili Dei vivi : qui sanas vulnera peccatorum nostrorum : qui ad vitam reparas nostrum occasum : qui spem beatitudinis dedisti nobis in consolationis pignore Spiritum Sanctum : qui dabis eternam mansuetudinem in regione vivorum : dum ergo illam resurgendi tempus adducit : hic nos dignare in die consolari : laboris immundi non perire pernicie : et in transitu nostro ad te venire in tue dilectionis dulcedine : et in tua laude atque benedictione tecum persistere sine fine. ℟. Amen.

C

Ad Orationem Dominicam. Omnipotentem Deum fratres charissimi deprecemur : ut propinquante termino seculi : sollicitiores nos efficiat momento omnis diei. Ut adsumens hostiam quam ei in hoc fine diei offerimus : severitatem a nobis futuri examinis arceat quam timemus : quod fiducialiter ad eum preconio oris et vocis proclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus det vobis misericordiam : que conferat vitam. ℟. Amen. Inspiret petitionem que obtineat salutem. ℟. Amen. Donet dulcedinem sue dilectionis : que vos extollat in laudem sue eternitatis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

D

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi Corpore. *Quere in festo Corporis Christi fol.* 267.

Oratio. Presta Domine omnipotens : ut qui per fiduciam tue pietatis propter redemptionem animarum nostrarum ad gloriosi Corporis et Sanguinis tui salutare munus accessimus : non ex reatu penam sumamus : sed veniam criminum . et spem eternitatis : terminum adipisci mereamur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus etc. ℣. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace.

IN DOMINICO ANTE JEJUNIUM KALENDARUM NOVEMBRIUM.

[b] *Officium.*

Dominus regnavit decorem induit : alleluja. ℣. Induit Dominus fortitudinem et precinxit se. *P.* Alleluja. ℣. Gloria et honor etc. *P.* Alleluja.

Oratio. Te excelsa laus. *Require in Dominico post Pentecosten. fol.* 265.

Prophetia. Hec dicit Dominus. Audite me. *Require in Dominico ante Carnes tollendas.* 85. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum.

[c] *Psallendo.* Ne memor fueris Deus iniquitates nostras antiquas : cito [d] apprehendat nos misericordia tua Domine. ℣. Quoniam pauperes facti sumus valde : adjuva nos Deus salutaris noster. *P.* Cito.

280 *Dicat Presbiter.* Silentium facite.

[e] *Epistola.* Revelabitur ira Dei. *Require in Dominica ut supra.*

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam ([f] *Cap. XV*).

Illo in tempore : erant appropinquantes ad Dominum Jesum publicani et peccatores : ut audirent illum. Et murmurabant pharisei et scribe dicentes : quia hic peccatores recipit : et manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam. Quis ex vobis homo qui habet centum oves : et si perdiderit unam ex illis : nonne dimittit nonaginta novem in deserto : et vadit ad illam que perierat : donec inveniat illam? Et cum invenerit illam : imponit in humeros suos gaudens. Et veniens domum : convocat amicos et vicinos dicens illis. Congratulamini mihi : quia inveni ovem : quam perdideram. Dico vobis : quod ita gaudium erit in celo super uno peccatore penitentiam agente : quam supra nonaginta novem justis : qui non indigent penitentia. Aut que mulier habens dracmas decem : si perdiderit dracmam unam : nonne accendit lucernam et everrit domum . et querit diligenter donec inveniat? Et cum invenerit : convocat amicas et vicinas dicens. Congratulamini mihi : quia inveni dracmam meam : quam perdideram. Ita dico vobis. Gaudium erit in celo coram Angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : conlauda Deum tuum Syon. *P.* Alleluja.

Sacrificium. Ili dies exorationis sancti erunt

[a] *Celebritate.* Forte, *celebritatem.*
[b] *Officium.* Ps. LXLII. 1.
[c] *Psallendo.* Ps. LXXVIII, 8. *Ne memor fueris.* Vulg. et Psalt. Mozar., *ne memineris.*
[d] *Apprehendat.* Vulg., *anticipent ;* Psalt. Mozar. *præveniat.*
[e] *Ep'stola.* Petenda est a Dominica ante carnes tollendas.
[f] *Cap. XV.* Vers. 1-11.
[g] *Lauda.* Ps. CXLVII, 7.

vobis : et humiliabitis animas vestras : applicantes holocausta Domino : alleluja. ℣. Omnis anima quecunque se non observaverit : exterminabitur de populo suo : isti enim vobis sunt dies. *P.* Exorationis.

Missam. Inter sacra mysteria constituti : et latentissimo nostre conscientie testimonio vulnerati : sic peccata defleamus preterita : ut presentia non agamus : et futura sollicite caveamus. Gravis quippe pena subsequitur : quando ibi rursus offensa contrahitur : ubi venia postulatur. Nullus ergo pravis cogitationibus aliquando consentiat : nemo secularium voluptatum delectamenta perficiat. Repellamus mala colloquia : cum velocitate divina compleamus imperia : sit in nostris operibus charitas : in sermonibus gravitas : in oratione compunctio : sub religione devotio. Lachrymarum sacrificia conjungamus : ut in bono satiari nostra desideria gaudeamus. ℟. Amen.

Alia Oratio. Iterata legatione rogamus : ut tu Deus Pater omnipotens servos atque ancillas tuas propicia majestate custodias. Ut ab infestantis inimici insidiosis laqueis liberatos : diu noctuque defendas : ne nos occultus inimicus corde et corpore opprimat : ne terrena cogitatione decipiat : sed vera lux filii tui faciat spiritali luce pervigiles. Ecclesiam tuam fundamentum veritatis contra omnes mundi impetus : contra heretice pravitatis scandalum : celesti tranquillitate gubernes et regas : et omnes qui in sublimitatibus agunt Catholica fide fundatos : ordinatione compositos : pietate precipuos : patientia mites : pace quietos efficias : universumque mundum propicia bonitate conserves. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. His nostris quesumus placare libaminibus clementissime Deus : et offerentium votis adesto propicius. Hec tibi litat in Ecclesia tua Catholica tuorum officiositas Sacerdotum : in honore et commemoratione Sanctorum tuorum pro removendo universe cladis interitu : ac tribuenda salute populorum. Pro totius quoque mortis occasu : vel requie et indulgentia peccatorum. Ut et illos in pace refrigeres : et nobis omnibus immaculate vite subsidium prestes. ℟. Amen. Quia tu es vita etc.

Ad Pacem. Oratio. Placabilis es Domine qui es pax certa et charitas indisrupta : pacem nobis omnibus largire plenissimam. Ut et pacifici tua servantes precepta : ad vitam mereamur pervenire perpetuam. ℟. Amen. Quia tu es vera pax etc.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Cujus divinitatis immensitas sic ineffabiliter circumplectitur omnia : ut in singulis creaturis **281** permaneat tota : et in omnibus habitet universa. Non minoratur in minimis : non augetur in magnis. Non concluditur tempore : non adstringitur quantitate. Non initio cepta : non termino finienda. A quo totus homo et creatus est ad justiciam sine peccato : et reparatus est post ruinam sacrificio ejusdem Christi mundissimo. Per ipsum quem in unitate trine virtutis conlaudant celestia pariter et terrena : hymnum dulci modulatione proclamantia : atque ita dicentia. Sanctus.

Post Sanctus. Utinam ad hoc opus mens humana per misericordiam tuam inluminata sufficiat : ut Domini nostri unigeniti tui : per quem facti ac redempti fuimus : qui seculorum est conditor : credentium liberator : doctrinam recolamus et gratiam. Qui humiliatus usque ad mortem : mortem autem crucis : pati pro nobis voluit : et tecum regnare non distulit : idem hostia et in eternum Sacerdos verus. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post Pridie. Complentes igitur atque servantes precepta unigeniti filii tui precamur omnipotens Pater : ut his creaturis superpositis altario tuo sanctificationis munus infundas. Ut per transfusionem celestis atque invisibilis sacramenti : panis hic transmutatus in carnem : et calix [a] transformatus in sanguinem : sit offerentibus gratia : et sumentibus medicina. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Accepturi fratres charissimi intra mortalia viscera celeste sacrificium : et intra cubiculum humani pectoris hospitem Deum : mundemus conscientias nostras ab omni labe viciorum : ut nihil sit in nobis subdolum vel superbum : sed in humilitatis studium : et charitatis assensum per escam et sanguinem Domini : corporis fraternitas cuncta copuletur : ut cum fiducia dicere mereamur e terris. Pater noster qui es.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

Benedictio. Intendat Dominus ad orationem vestre humilitatis : et det vobis omnibus premium sempiterne salutis. ℟. Amen. Omni loco et tempore propicium Dominum habeatis . et in ejus semper laudibus exultetis. ℟. Amen. Omnibus peccatis vestris Dominus clementer ignoscat : et pervenire vos feliciter faciat ad gloriam sempiternam. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* Gusta e.

Com. Refecti Christi Corpore. *Quere fol.* 277.

Oratio. Presta Domine omnipotens.

Require folio 279.

[a] *Transformatus.* Eodem sensu in Missali Gallo-Gothico. In *post mysterium* festi Circumcisionis et Cathedræ sancti Petri legitur : *In transformatione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, et in Assumptione beatæ Mariæ virginis, orant *ut translata fruge in corpore, calice in cruore, proficiat meritis quod ob tulimus pro delictis*, et in sexta missa dominicali : *Precamur mente devota, Majestas æterna, ut, operante virtute, panem mutatum in carne, poculum versum in sanguine illum sumamus in calice, qui de te fluxit in cruce de latere.* Quibus fides transsubstantiationis, tam a Gallis quam a Gotho-Hispanis clare docetur.

[a] IN JEJUNIO KALENDARUM NOVEMBRIUM.

Ad Nonam pro Missa.

Lectio libri Proverbiorum Salomonis. ([b] *Ca. III*).

℟. Deo gratias.

Fili : habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo : et ne innitaris prudentie tue. In omnibus viis tuis cogita illum : et ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum. Time Dominum : et recede a malo. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Erigite vos. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Levitici. ℟. Deo gratias ([c] *Ca. XXVI*).

In illis diebus. Locutus est Dominus ad Moysen dicens. Loquere ad omnem cetum filiorum Israel : et dices ad eos. Ego enim sum Dominus Deus vester. Si in preceptis meis ambulaveritis : et mandata mea custodieritis : et feceritis ea : dabo vobis pluvias temporibus suis : et terra gignet germen suum : et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam : et vindemia occupabit sementem. Et comedetis panem vestrum in saturitate : et absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris : dormietis : et non erunt qui exterreant. Auferam malas bestias : et gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros : et corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos : et centum ex vobis decem millia. Cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio. Respiciam vos et crescere faciam : multiplicabimini et firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum : et vetera novis super venientibus projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri : et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos : et ero vester Deus. Vos eritis populus meus : et ego Dominus Deus vester : [d] qui sanctifico vos. ℟. Amen.

282 [e] *Psallendo.* Propicius esto peccatis nostris propter nomen tuum : nequando dicant gentes : ubi est Deus eorum? ℣. Propter honorem nominis tui Domine libera nos. *P.* Nequando.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios (*II*, [f] *ca. XII*).

℟. Deo gratias.

Fratres : [g] Ecce tertio paratus sum venire ad vos : et non ero gravis vobis. Non enim quero que vestra sunt : sed vos. Neque enim debent filii parentibus thesaurizare : sed parentes filiis. Ego autem libentissime impendam : et superimpendar pro animabus vestris. [h] An putatis quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur. Omnia autem charissimi propter vestram edificationem. Timeo enim ne forte cum venero : non quales volo inveniam vos : [i] sed ego inveniar a vobis qualem non vultis. Ne forte contentiones : emulationes : animositates : dissensiones : detractiones : susurrationes : inflationes : seditiones sint inter vos. Ne iterum cum venero : humiliet me Deus apud vos : et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt : et non egerunt penitentiam super immundiciam et fornicationem et impudicitiam : quam gesserunt. Ecce tertio hic venio ad vos : et in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Predixi et predico : ut presens vobis : et nunc absens his qui ante peccaverunt et ceteris hominibus : quoniam si venero iterum : non parcam. An experimentum queritis ejus : qui in me loquitur Christi? Quia in vobis non infirmatur : sed potens est in vobis. Nam et crucifixus est ex infirmitate : sed vivit [j] ex virtute Dei. Nam et nos infirmi sumus in illo ex virtute Dei in vobis. Vosmetipsos [k] tentantes : si estis in fide : ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos : quia Jesus Christus in vobis est? Nisi forte reprobi estis. Spero autem quod cognoscitis : quia nos non sumus reprobi. Oramus autem Deum : ut nihil mali faciatis. Non ut nos probati [l] pereamus : sed ut vos quod bonum est faciatis. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mattheum ([m] *Ca. XIIII*).

Illo in tempore : accesserunt ad Dominum Jesum Christum discipuli ejus dicentes. Desertus est locus : et hora jam preteriit. Dimitte turbas : ut euntes in castella : emant sibi escas. Jesus autem dixit eis. Non habent necesse ire : date illis vos manducare. Responderunt ei. Non habemus hic nisi quinque panes : et duos pisces. Qui ait eis. Afferte illos mihi huc. Et cum jussisset turbam discumbere supra fenum : acceptis quinque panibus et duobus piscibus : aspiciens in celum benedixit et fregit : et dedit discipulis panes : discipuli autem turbis. Et manducaverunt omnes et saturati sunt : et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenas : manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum : exceptis mulieribus et parvulis : et [n] magnificabant

[a] *In jejunio Kalend. Novembr.* Jejunium hoc triduo mense Novembri observandum instituit concilium Gerundense (*Can.* 3). De eo sanctus Isidorus (*De eccl. Off.*, *lib.* I, *c.* 39) meminit : primum institutum fuit, ut Kalendis ipsis Novembris jejunium inciperet, sed quia non raro contingebat ut, in hebdomadam sequentem transferri deberet, eo quod intra triduum dies Dominica caderet, postea statutum fuit ut triduo ante festum sancti Martini observaretur. Et hinc jejunium sancti Martini cognominatum est. In libris tamen liturgicis pristinum nomen retinuit. Breviarium Mozarabum, in rubrica : *Incipit officium jejuniorum Kalendarum Novembrium, quod observatur tribus diebus ante festum sancti Martini.*

[b] *Cap. III.* Vers. 5-8.

[c] *Cap. XXVI.* Vers. 3-13.

[d] *Qui sanctifico vos.* His imponebatur finis lectioni.

[e] *Psallendo.* Ps. LXXVIII, 9, 10. ℣. Ibid. 9; quibusdam omissis.

[f] *Cap. XII.* Vers. 14 XIII, 1-8.

[g] *Ecce tertio paratus sum.* Vulg. et Gr. hic *paratus sum* non legunt.

[h] *An putatis.* Syr., *num adhuc putatis.* Vulg., *olim putatis.* Græc., *iterum putatis.*

[i] *Sed ego.* Vulg., Gr., *et ego.*

[j] *Ex virtute Dei.* Aliquid deficit. Vulg., *sed vivemus cum eo ex virtute Dei.*

[k] *Tentantes.* Vulg., *tentate.*

[l] *Pereamus.* Vulg. et Gr., *appareamus.*

[m] *Cap. XIV.* Vers. 15-22.

[n] *Et magnificabant.* His finis imponebatur lectioni.

Deum Israel. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Laudate Dominum de celis : laudate eum in excelsis. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Custodietis custodienda Sanctorum et custodias altaris : et jam non erit ira super filios Israel : alleluja.

Missa. [c] Adest jejunium divina nobis fratres dilectissimi auctoritate preceptum : quod Hieremie vatis testimonio declaratur : cum precipiente sibi Domino noni mensis predicato jejunio per ministrum collectis in Hierusalem populis : volumen sacrum legendum innotuit : ex quo ammoniti vitam corrigerent : et paratam sibi celestis vindicte sententiam temperarent. Nos igitur talibus doctrine informati exemplis congregati in unum : corporali concursu votorum : etiam coadjuvemur affectu. Revocemus ante oculos mala que fecimus : criminum abdita publicemus. Jejuniis abdicata caro marcescat : ne eternam amaritudinem sentiat in vindictam. Cito ille flectetur ad veniam : si nostre penitudinis prospexerit vota. Precemur ergo : ut in hoc die contriti cordis votum accipiat : et nobis omnibus peccata dimittat.

℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui olim hoc tempore Israelitico populo : per Hieremiam vatem salubre pietatis consilium contulisti : quo pristinos **283** errores abjicerent : quem cum prius permonita non audissent : convocatum in Ecclesia tua Sacerdotum ac populorum conventum accendit. Cognoscimus mala que fecimus : sed veniam postulamus. De vindicta solliciti : causas publicamus delicti. Ne puniamur justicia : si non confitemur errata. Quia ergo pius es : miserere lugentibus : parce peccantibus : indulge penitentibus. Non nos interimas pro peccato : adest enim nostra confessio. Quia voluptuose contra te egimus amaricati jejunio ad te redimus. Unde quamlibet sint immensa mala que gessimus : sed tu multo plus immense pietatis es Dominus quem rogamus. Dato ergo te nobis per gratiam : ne redeamus ad culpam : et deficiamus in pena. Ut indulto nobis pietatis beneficio parcens : et nostro dones pluviam semini : et corda nostra repleas seminibus verbi tui, quo et correcta floreat nostra moribus vita : et famis non atteratur ruina. ℟. Amen.

Post nomina. Accipe Deus Ecclesie tue lamentabilem precem, que hujus instituti jejunii hodierno die agit celebritatem. Suscipe confessionem : qua miseris placatus ignoscas : et preces : quibus defunctis miseratus indulgeas. Ut in hoc die humiliationis nostre : et jejunia penitentium accipias : et sepultorum vincula miseratus absolvas. ℟. Amen.

Ad pacem. Scindentes corda nostra et non vestimenta : tuam Deus summe imploramus clementiam : ut qui hoc die in hoc loco convenimus : deflere mala que gessimus : et celestis flamme igniculo concre-

A memur. Quo dum vis charitatis tue in nostris cordibus estuat : peccati a nobis potentia detrudatur exusta.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi Deo gratias agere : et spiritales hostias immolare. Qui non contines in ira misericordias tuas : qui peccata hominum miseratus dissimulas. Mira quidem dispensationes discipline atque misericordie erga nos te et justum pariter et misericordem ostendis : cum et culpas insequeris ammonendo : et vindictam abrogas miserando. Quos enim ferire poteras juste : corrigendos ammones pietate. Iratum te primum indicas, ne judicium per vindictam exerceas. Sic quippe olim delinquentis populi : ac gentium conversionem ex-
B pectans : hunc diem jejunio dedicandum vatis tui testimonio declarasti. Cum ad correctionem prioris populi idem propheta tuus audita ex ore tuo conversionis monita : in volumine coartavit ; atque confluenti in Hierusalem multitudini recensendo innotuit : ut averses a te Israel reverteretur ab iniquitatibus suis : et non tuis ulcisceretur judiciis. Salubri quippe illos pietatis dignatus es subvenire consilio : quos confessionis volebas sublevare remedio. Premittebas quippe vocem : ut averteres ultionem. Minabaris sententiam : ut temperares vindictam : publicabas iram : reversus ad veniam. Jejunium predicabatur : ut iniquitas solveretur. Nam cum ad vindictam moveveris justicia : per eam tamen qua monebas : temperabas misericordiam. Nulla te no-
C strorum scelera vincunt : nulla crimina a pietate divertunt. Unde quia tante pietatis Dominus es : ut non solum dissimulata non punias : sed etiam ad regnum correcta perducas. Te quesumus ut contritionis nostre confessionem accipias : et delictis plus ignoscas. Inflecte cor nostrum ad diligendas justicias tuas : et exhorrendas iniquitates nostras. Ut Ecclesie tue placatus suffragio : per eum cuncta que rogaris attribuas : per quem nos in unius sancte fidei soliditate conservas. Ipse quippe est Dominus noster unigenitus Filius tuus. Cui merito omnes Angeli non cessant clamare ita dicentes.

℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus es
D Domine Deus noster. In cujus manu est ultionis censura : et sanitatis medela. Qui penitentibus parcis : qui lachrymosis indulges : qui gementes exaudis. Qui jejunantium contritionem comprobas : qui votum contriti cordis acceptas. Quiescat jam quesumus **284** indignatio tua : et placare super hoc sacrificia tibi oblata : ut totius delicti nostri delens chirographum : institutum a te hoc nostrum jejunium acceptetur. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Multe sunt aversiones nostre : quibus impediti a te recessimus : nec oculos ad celum sublevare audemus. Sed tu qui inspicis nos de-

[a] *Lauda.* Ps. CXLVIII, 1.
[b] *Sacrificium.* Num. XVIII, 5.

[c] *Adest.* Confer sanctum Isidorum (*De eccl. Off.*, *lib.* I. *cap.* 39).

jiei conscientia nostra : alleva nos miseratione gratuita. Ut hoc sacrificium pro delictis nostris miseratus accipiens : ab omni nos crimine propiciatus emundes. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Fiat misericordia tua Domine super nos : sicut speravimus in te.

Ad orationem Dominicam. Erubescimus Domine te Patrem vocibus appellare : qui filiorum amisimus dignitatem. Sed quia paterno affectu nos salvas : cum de propriis delictis non judicas : ideo etsi indigni filii paterne tamen precem fundimus pietati. Petentes ut in hoc nostre afflictionis tempore : nostrum jubeas peccatum omittere : Quos etsi meritis nequimus : saltim affectu cordis te Patrem invocemus atque dicamus. Pater noster. Humiliate vos etc.

Benedictio. Omnipotens Deus cui ob indictum hoc jejunium : nostra pandimus crimina : ab omni vos

A delicto immunes efficiat. ℟. Amen. Suscipiens vestre abstinentie precem : numquam vos patiatur a suo dividi corpore. ℟. Amen. Ut sicut ammonitio ejus vos prevenit : qua divine animadversionis evasistis sententiam : ita miseratio subsequatur : qua perducamini ad coronam. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius etc. Dominus sit semper vobiscum.

Dicat Chorus. Gustate. *Com.* Refecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis. Christi. fol.* 267.

Oratio. Refecti Christi Corpore et Sanguine pariterque sanctificati Deo Patri omnipotenti gratias referamus : ut nos in eadem refectione et sanctificatione habentes : hic et in futuro seculo gloriam percipiamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et

B cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

MISSALE MIXTUM

SECUNDUM REGULAM BEATI ISIDORI

DICTUM MOZARABES.

Pars secunda.

[a] INCIPIT SANCTORALE.

284 IN NATALE SANCTORUM MARTYRUM [b] JULIANI ET BASILISSE CONJUGIS EJUS : *quorum festum facimus cum quattuor cappis.*

Ad Missam. [c] *Officium.*

Dabo sanctis meis primam sessionem : alleluja :

C in resurrectionem eterna ; et exquiram illos in gaudio meo : et lux perpetua lucebit eis alleluja : alleluja : et eternitas temporum preparata est eis : alleluja : alleluja. ℣. Domine probasti me et cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam et resur-

[a] *Incipit Sanctorale.* Sanctorale dicitur ea pars Missalis Plenarii quæ missas proprias et communes sanctorum continet. In Sacramentario Gelasiano Thomasii liber secundus orationes et preces de natalitiis sanctorum simul collectas exhibet, quæ in Sacramentariis sancti Leonis, sancti Gregorii, Bobiano, et in Missali Gallo-Gothico sparse reperiuntur.

[b] *Juliani et Basilissæ.* Celebris est tam in Oriente quam in Occidente memoria sanctorum martyrum Juliani et Basilissæ. De iis agunt notissima Martyrologia Lucense Florentinii, Corbeiense Dacherii ; Gellonense, Romanum parvum, Adonis, Usuardi, et Romanum Baronii ; Menologium Basilii, die 21 Junii, et Menologium Metricum Gottifredi Seheri, die 8 Januarii ; quibus addenda Missale, et Breviarium Mozarabum, vetustum Kalendarium Gotho-Hispanum Pinii, aut potius Francisci de Pisa, sæpius citandum, Orationale Gothicum, et Lectionarium Luxoviense, n. 18. Horum martyrum Acta exstant apud Lipomanum, tom. VII ; Surium, tom. I ; Membritium, tom. II, et Bollandum (*Tom. I., Jan., pag.* 576). Leo Allatius Græca se vidisse testatur Acta, quæ exstant, Latina a scriptore Synchrono, et ut ipse sit, ab oculato teste vulgata sunt, ea tamen Henschenius et Papebrochius (*T. I Maii, pag.* 8, *col.* 1), agentes de Ephemeredibus Græco-Moscis, conficta esse pronuntiant, et Papebrochius, in responsione ad accusationem decimam

octavam P. Sebastiani a sancto Paulo ord. Carmel. (*Resp. part.* II, *art.* 15, *pag.* 216), asserit *esse merum commentum, seu piam parabolam, ad commendandam virginitatem, compositam ab aliquo scriptore Latino sæculo, forsitan* VII. Dies, et locus martyrii sanctorum Juliani et Basilissæ, sociorumque, diversimode in Martyrologiis leguntur. Alia die sexta, alia septima, Meno-

D logium Metricum Græcum die octava, alia cum Adonis et Usuardi Martyrologiis nona Januarii, ac demum Menologium Basilii 21 Junii, passos volunt. Locum autem passionis alia Antiochiam, Syriæ metropolim, ubi certe sanctus Julianus tempore sancti Chrysostomi colebatur (*Hom.* 47, *tom. I*), alia Antiochiam in Ægypto appellant, urbem alias vix cognitam. Romanum parvum *in Mauritania Cæsariensi*, omisso urbis vocabulo, Julianum Basilissam, Celsum, Martianillam, passos exhibet. Demum Menologium Sirleti die 21 Junii Antinopoli, in Ægypto, sub Marciano præside, Julianum martyrium fecisse commemorat. Gotho-Hispani festum sancti Juliani et Basilissæ die septimo Januarii celebrabant. Kalendarium Gotho-Hispanum, apud Bolland (*T. VI Julii in tract. hist. chron. de liturg. antiq. Hisp. pag.* 76), VII Id. Januarii : *Sancti Juliani vel comitum Martyrum Antiochiæ.* Orationale

[c] *Officium.* Ex Esdræ IV, II, 23. ℣. Ps. CXXXVIII, 2.

rectionem meam. P. Et lux. per. ℣. Gloria et honor Patri. P. Et lux.

Oratio. Sancti tui itaque Domine Julianus et Basilissa ut rosa germinaverunt in te qui es verus dies; et ut germen olive per noctem meruerunt in certamine adipisci premium salvationis eterne. Eorumque labor fuit in pena: quorum manet merces in gloria. Et nos qui Sanctorum tuorum meritis impares sumus: illorum intercessione: te juvante tuo in regno mereamur esse consortes. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Justorum anime in manu Dei sunt. *Require in natale plurimorum Martyrum. fol.* 428. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Psallendo.* Transivimus per ignem et aquam et induxisti nos in refrigerium. ℣. Probasti nos Deus sicut probatur argentum: posuisti tribulationes in dorso nostro. P. Et in.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Hebreos ([b] *Cap. XI, XII*).

℟. Deo gratias.

Fratres: Sancti per fidem vicerunt regna. Operati sunt justiciam: adepti su (*sic*) repromissiones. Obturaverunt ora leonum. Extinxerunt impetum ignis. [c] Effugaverunt aciem gladii. Convaluerunt de infirmitate. Fortes facti sunt in bello. Castra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt: non suscipientes redemptionem, ut majorem iuvenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti: insuper et vincula et carceres. Lapidati sunt. Secti sunt. Tentati sunt. In occisione gladii **285** mortui sunt. Circumierunt in melotis: et in pellibus caprinis. Egentes: angustiati. afflicti: quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes: in montibus: et in speluncis: et in cavernis terre. Et hi omnes testimonio fidei probati: non acceperunt repromissionem a Deo pro nobis melius aliquid [d] providentie: ut ne sine nobis consummarentur. Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium: deponentes omne pondus: et circumstans nos peccatum: per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum: qui proposito sibi gaudio: sustinuit crucem confusione contempta: atque in dextera sedis Dei sedet. ℟. Amen.

Evangelium. Ecce ego mitto vos sicut oves etc. *Quere in communi plurimorum Martyrum. Folio* 426.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Lauda.* Alleluja. ℣. Gaudete justi in Domino: rectos decet laudatio: alleluja.

[f] *Sacrificium.* Omnes viri atque mulieres mente devota obtulerunt donaria: ut fierent opera que jusserat Dominus per manum Moysi cunctis filiis Israel voluntarie: alleluja.

Missa. Accedentes ad Domini nostri Jesu sacratissimam mensam fratres charissimi: oportet nos spiritali jocunditate letari: quia sancti Martyres Julianus et socii ejus meruerunt a Domino coronari. Et eorum labor fuit in pena: quorum merces manet in gloria. Propter celestem quippe coronam: presenti sustinuerunt in seculo penam: et per penam pervenerunt feliciter ad coronam. Contempserunt vitam: quam communis mors terminat: ut possiderent vitam: quam preciosa mors inchoat. Hi enim ne vivendo morerentur: moriendo vivere voluerunt. Ne timendo mortem: denegarent vitam: sed ut amando vitam contemnerent vitam. Ut negaretur Christus vitam promittebat inimicus: sed non qualem Christus. Credentes ergo quod a Salvatore promittebatur: irriserunt quod a persecutore comminabatur. His namque duobus modis inimicus inlicit quoscumque deceperit: ut aut cruciando capiat: aut blandiendo decipiat. Sed quia fideles anime nec terrendo frangi potuerunt: nec inliciendo decipi: ob hoc maluerunt Christo crucifigi: quam seculo reservari. Quorum merita etsi indigni non sufficimus honorare: in suffragio tamen nostre orationis exposcamus omnipotentem Deum principaliter exorantes: ut illam suarum gratiarum [g] diversa diversitas tribuat: reis indulgentiam: piis tutelam: laicis compunctionem: clericis disciplinam. Ut qui Sanctorum ejus sumus meritis impares: ipsorum intercessione eo jubente in regno suo mereamur esse consortes. ℟. Amen.

Alia Oratio. Celestis gratie largitor omnipotens Deus individua Trinitas: spiritualibus leticie adoramus obsequiis: qui Sanctorum tuorum mentibus: et insinuas omne quod cupiunt: et tribuis omne quod poscunt. Cum in martyrii certamine constituti acquisierunt de supplicio gloriam: de morte victoriam. Sibi negantes: ne sibi Deus postmodum negaretur. Julianus inter ea et socii ejus animas suas promptissima devotione perdentes: ut eas in eternum te re-

Orationale Gothicum (*Pag* .52: *VII Id. Jan., oratio vel benedictio de festivitate sancti Juliani*; et Kalendarium Neapolitanum marmoreum, die VII: Pas. *sancti Juliani* et Basil. Porro Acta sanctorum Juliani et Basilissæ, sive conficta illa, sive interpolata habeantur, recentia non sunt; nam in Lectionario Luxoviensi, n. 8, in vigiliis Epiphaniæ legenda exstant. Eadem Acta citat sanctus Eulogius (*Lib.* I *memor. Sanctor.*) adversus obtrectatores martyrum Cordubensium. Erat haud procul ab urbe Toletana ecclesia, sancti Juliani sita in monasterio Agaliensi, cui abbas aliquando præfuit sanctus Hildefonsus. Erat et Constantinopoli basilica sanctorum Juliani et Basilissæ (*Du Cange, Constantinop. Christ., part.* II, *lib.* IV, *p.* 127). Est et Romæ ecclesia sanctis Celso et Juliano dicata.

[a] *Psallendo.* Ps. LXV, 12. ℣. Ibid. 10.

[b] *Cap. XI.* Vers. 33-XII, 1-3.

[c] *Effugaverunt.* Ait Primasius. At Vulgat. *effugerunt* legit.

[d] *Providentiæ.* Vulg., *providente.*

[e] *Lauda.* Ps. XXXII, 1.

[f] *Sacrificium.* Exod. XXXV, 9.

[g] *Diversa.* Lege *diversam diversitatem.*

stituente recipiant. Etenim separare eos a charitate Christi : nec mors : nec vita prevaluit : quod ad inlustris pugne certamen sublimasti : fallacias et minas mundi f rtissima congressione vicerunt : vilissimamque judicantes hujus temporis vitam : pro testamentis Dominicis preciosas animas tradiderunt. Oramus ergo inclite Deus : ut eorum inlustribus meritis : ob facinora peccatorum : veniam condonare digneris. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus omnipotens eterne : quo juvante athleta tuus Julianus mortem promeruit suscitare [a] ab inferis invocato nomine Trinitatis : tu pietate solita et offerentium suscipe vota : et sospita corda a mortali actu exsuscita. Tribue quoque his sacrificiis largam tue benedictionis impensionem : quo et vivi [b] et mortui reviviscant in operibus bonis : et defuncti carne : suppliciis exuantur eternis.

℟. Amen.

286 *Ad pacem. Oratio.* Trinitas vera et indivisa : Deus summe une et trine : qui inter Julianum et Basilissam magnum et [c] spiritale connubii fedus statuisti : quo una conjuncti in gratia : spiritu non carne fructificarent : presta nobis : ut et spiritum adoleamus : et desideria carnis non perficiamus. Respuentes jurgia : amplectentes ac perficientes ea : que ipse docuisti charitatis precepta. Ut dum charitas Dei que data est per Spiritum Sanctum : se in nostris diffuderit cordibus : exemplo [d] martyrum Juliani et Basilisse tuis inherendo vestigiis coronemur.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere equum et salutare est omnipotens Deus : nos tibi gratias agere : spiritalia sacrificia celebrare : per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Cujus temporalem heri celebravimus apparitionem : et [e] hodie celebramus corporalem militis sui Juliani Martyris passionem. Heri etenim Rex noster : magis advenientibus demonstratus est trabea carnis indutus : hodie ejus miles carne est mortalitatis exutus. Dudum jam de aula uteri virginalis egrediens Christus : heri novo sidere est demonstratus [f] in mundum : hodie Martyr A de tabernaculo corporis exiens triumphator migravit ad celum. Ille sempiterne majestatis deitate servata : servile [g] tentorium carnis in hujus seculi campo pugnaturus intravit. Iste depositis corporeis corruptibilibus indumentis : ad celi perenne palacium regnaturus ascendit. Ille descendens apparuit carne velatus : iste conscendit suis cum sociis sanguine laureatus. Heri gloriam in excelsis Deo apparente Domino sancti Angeli cecinerunt : hodie cum suis commilitonibus Julianum letantem in suo consortio susceperunt. Heri alacriter advenientes Magi adoraverunt in presepio Christum Dominum Salvatorem infantem : hodie immensitas celi suscepit Martyrem Julianum per omnia triumphantem. Illi Christo munera obtulerunt : huic Christus factus est munus. Illorum oblatio munerum mystice fidelibus Dominum Christum Deum B et hominem [h] non negavit. Illi admoniti per aliam viam Herodem [i] inludentes : isto orante demonum [j] simulacra subversa sunt. Dominus ergo Rex noster cum sit altissimus pro nobis humilis venit : sed inanis venire non potuit. Attulit namque secum donum charitatis : que [k] superduceret homines ad consortium Deitatis. Charitas ergo que [l] ad terras deposuit Christum : ipsa Martyrem Julianum de terris elevavit ad celum. Charitas que precessit in Domino : ipsa subsequenter refulsit in servo. O ammiranda ubique potentia Salvatoris : ostendit in matre virginitatis eterne miraculum : demonstravit in Martyre Juliano invicte charitatis indicium. Integritas quippe intemerata permansit in Virgine : dilectionis virtus integra C permansit in Martyre. Propter quod meruit eo tempore celorum regna conscendere : quo Christus Dominus in hoc mundo oculis carnalium carnaliter dignatus est apparere. Ipsum quem in unitate Trinitatis celestia pariter et terrena sine cessatione conlaudant : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere in Sanctis gloriosus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus. Cujus potentia virtutis pro nomine suo certantibus Juliano athlete sociisque sui, tantum donum attribuit

[a] *Ab inferis.* De hoc miraculo lege Acta apud citatum Bollandum (*Tom. I Januarii*). De eodem meminit Menologium Basilii die 21 Junii, in sancto Juliano. Iste, a mortuis excitatus, baptismate deinde lavatus, imposito Anastasii nomine, cum sancto Juliano, martyr iterum occubuit. Hæc Acta.

[b] *Et mortui.* Sublato *et*, lege *quo vivi mortui reviviscant*. Ii autem *vivi mortui* dicuntur qui nomen quidem habent quod vivant, sed mortui sunt (*Apoc.* III, 1), qui mundo vivi, Deo *mortui* sunt; orant igitur ut hi aliquando Deo reviviscant.

[c] *Spiritale.* Confer Acta, in quibus Julianus et Basilissa matrimonio juncti leguntur, sponte tamen integritatem servasse virginitatis, hinc Basilissa aliquando virgo appellatur, aliquando uxor.

[d] *Martyrum.* In Vulgatis eorum Actis Basilissa ante persecutionem obiisse legitur. At Missale nostrum et antiquiora Martyrologia eam distincte martyrem nominant, et Menologium Metricum Græcum a Gottifredo Sebero editum habet Basilissam capite amputato cum Juliano, Celso et Antonio, martyrium fecisse die 8 *Januarii*.

[e] *Hodie.* Die nimirum septima Januarii, qua Hispani festum sanctorum Juliani et Basilissæ celebrabant. Dies passionis est plane incertus; a pluribus tamen vetustis Martyrologiis, et a scriptore Actuum martyrii VIII Idus Januarii passi exhibentur. D At quia eo die festum Epiphaniæ celebratur, horum martyrum memoria, pro Ecclesiarum commodo, in alias dies delata est. Cæterum scriptor hujus illationis sibi imitandum proposuit initium sermonis sancti Fulgentii de sancto Stephano protomartyre.

[f] *In mundum.* Lege *in mundo.*

[g] *Tentorium.* Lege ex sancto Fulgentio : *Servile cinctorium carnis assumens in hujus sæculi campum pugnaturus intravit.*

[h] *Non negavit.* Hoc loco aliquid deficit; forte : *Illorum oblatio munerum mystice fidelibus Christum Deum et hominem prædicavit*; iste, pro munere, Christum coram hominibus *non negavit.*

[i] *Inludentes.* Adde *reversi sunt.*

[j] *Simulacra.* Consule Acta, cap. 6, n. 12.

[k] *Superduceret.* Sanctus Fulgentius : *Quæ perduceret homines ad consortium Deitatis.*

[l] *Ad terras.* Sanctus Fulgentius : *Quæ de cœlo ad terras.*

laudis : ut omnia que vellent fiducialiter [a] in eum : ac per eum facere possent. Illum etenim predicti Martyres credendo atque sequendo : ardentibus dimersi [b] in cuppis : illesi post ignes rutilanti claritate [c] resplendere fulgoris. E quibus Julianus admirabili virtutum specialitate prepollens : in nomine ejus cuidam cedenti oculum revulsum reformat : corpus exanime suscitat : presentiaque sua in pulverem redigit idolorum vanissima simulacra. Humana laudarunt : celestia per emissam desursum vocem potentialiter intonarunt. Per hos ergo Martyres quibus tantam prestitisti magnificentiam laudis : indivisa Trinitas Deus sit tibi gloria : sit nobis obsequentibus peccatorum venia exoptata. Ut quorum passionibus conlaudaris : eorum precibus delecteris : exaudiendo eos pro nobis : qui pro omnibus incarnari voluisti in terris. Christe Domine ac redemptor eterne.

287 *Post pridie. Oratio.* Ecce Domine dilecti tui Juliani : vel [d] spiritalis conjugis sue Basilissem iraculorum insignia predicantes : has hostias divinitati tue benedicendas offerimus : qui se tibi exhibentes in sacrificium verum : alios tibi exemplo suo in holocaustum veri sacrificii litaverunt : cum et per Julianum multorum Monachorum millium [e] Patrem : et per Basilissam Sanctarum Virginum coruscantem : copiosam utriusque sexus Monachorum scilicet ac Virginum in celesti gloria susceperis congregationem. Ex hoc igitur immensam bonitatis tue potenciam obsecramus : ut qui per utrosque electa animarum munera suscepisti : per nos humiles tuos hanc hostiam pro nostris peccatis oblatam dignanter suscipias : impendens benedictionem oblatis : et expiationem sumpturis. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Christe amator castitatis et conlator eterne possessionis : qui beatissimum Martyrem Julianum ad te pro corpore exanimato clamantem exaudire dignatus es : precibus ejus per celestem vocem sine mora respondens : quod eundem dilectum tuum in nullo contristare volueris : in quo sic ipse cum Patre et Spiritu Sancto letaberis. Tu nobis concede ut ita in veritate vivamus : ne spiritum contristemus : in quo signati sumus. Quo ab eo per momenta compuncti et creati per eum tibi relatura exhibeamus orandi verba : que ipse nos docuisti ut dicamus. Pater noster qui.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus qui Julianum et Basilissam ita gratie sue opibus premunivit : ut sic spirituali conjugio necterentur : ne carnis commixtio allatenus misceretur. Ipse vos ad eorum exemplum efficiat castimonie dono sublimes : et in diligendo se fervore Sancti Spiritus ita coequales. ℟. Amen. Et sicut per illos effecit sibi vasa mundissima : sic carnali in vobis voluptate devicta : plurimos exemplo vestro accendat ad celestia regna. ℟. Amen. Quique in eis donum contulit perfecte virginitatis : ipse vos purificet a delictis. ℟. Amen. Ut eos in commune omnes mereamur in illa beatitudine habere socios : quos in hac vita cernimus : etsi immeriti habere comites vel patronos. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte quam suavis est Dominus : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. *P.* Alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Redimet Dominus animas servorum suorum : non derelinquet omnes qui sperant in eum : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Gloria et honor. *P.* Alleluja : alleluja : alleluja.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui es vita et salus fidelium : quem venturum judicem credimus verum : esto nobis propicius. Et qui hanc oblationem pro nostra nostrorumque salute : vel pro expiatione nostrorum peccatorum in honorem Sanctorum Martyrum tuorum Juliani et Basilisse tibi obtulimus : misericordie tue opem in nos diffundi sentiamus : ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium : dono tui muneris consequi mereamur premium sempiternum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. *Chorus.* Deo gratias.

In festo Sancti Luciani Presbiteri.

Omnia dicantur de uno Confessore simplici. fol. 432.

In festo Sancti Pauli primi Eremite.

Omnia dicantur ut supra.

In festo quadraginta Martyrum.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

In octava Epiphanie.

Omnia dicantur ut in die. fol. 59.

In festo Sancti Marii Episcopi.

Omnia dicantur de uno Confessore Pontifice. fol. 432.

In festo Sancti Felicis in Pincis Martyris.

Omnia dicantur unius Mart. fol. 421.

In festo Sancti Mauri Abbatis.

Omnia dicantur de uno Confessore simplici. fol. 422.

---

[a] *In eum.* Lege *in eo.*

[b] *In cuppis.* Consule Acta citata, apud Bollandum (*Cap.* 10).

[c] *Resplendere.* Lege *rutilant in claritate splendidi fulgoris.*

[d] *Spiritualis conjugis.* Confer Acta eorum, apud citatum Bollandum. Basilissa dicitur *spiritualis conjux*, quia cum Juliano sponte convenit de conservanda virginitate.

[e] *Patrem.* De ingenti hoc monasterio, quod a persecutoribus cum omnibus monachis incensum fuit, meminit Menologium Basilii, die 21 Junii, in sancto Juliano, qui is, procul dubio est cui uxor tribuitur Basilissa, etsi de ea sileat Menologium, quam alii etiam prætermittunt. De monasterio virginum a Basilissa excitato, consule Acta, apud Bollandum.

In festo S. Marcelli Pape et Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris pontificis fol. 423.

In festo Sancti Antonii Abbatis

Omnia dicantur de uno Confessore precipuo non Pontifice. fol. 432.

288 *In festo S. Prisce Virginis et Martyris.*

Omnia dicantur unius Virginis. Folio 436.

In festo S. Juliani Episcopi et Confessoris.

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. Fo. 432.

In festo Sanctorum [a] *Fabiani et Sebastiani, et ejus comitum.*

Omnia dicantur plurimorum Martyrum. Fol. 426. *preter Missam.*

Omnes filii Dei et probati milites Christi : hunc diem [b] beatissimi Sebastiani laudibus attollamus : B votis colamus : piisque affectibus consecremus : rogantes prelargissimam Domini pietatem : ut hujus predicti Martyris prece : eruamur a cunctis inlecebris viciorum : cujus predicamento Sanctorum corda excitata sunt ad triumphum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui per beatissimum Sebastianum Martyrem tuum tuorum fidelium animos roborasti : dum tibi illum latentem sub clamide terrena A imperii : militem perfectum exhibuisti. Fac nos semper in tuis laudibus militare : os nostrum arma documento justicie : cor illustra tue dilectionis amore : atque carnem nostram erutam libidine clavis tue crucis adfige. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Solve Salvator noster et Domine nostrorum vincula peccatorum : qui olim resolvisti per Sebastianum Martyrem tuum os ancille tue [c] Zoe ad loquendum. Ut nomina tam offerentium : quam defunctorum qui nostro sunt ore prolata : eterna sint in annotatione adfixa. Quo sicut illa per predicamentum predicti martyris te meruit cognoscere Christum : sic nos mereamur eodem pro nobis suffragante penitentie percipere fructum. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Martyris tui Sebastiani precibus B eterne omnipotens Deus nobis pacis dona largire. Per eum donans nobis habere integritatem pure dilectionis : per quem tuos accendisti Martyres ad amandam gloriam eterne felicitatis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Qui sic os Martyris sui Sebastiani veritatis armavit precouio : ut et nutantium in fide animas [d] confor-

[a] *Fabiani et Sebastiani, et ejus comitum.* Eodem modo Breviario Mozarabum inscribitur. In Kalendario Bucheriano inter depositiones Martyrum : *XIII Kal. Febr., Fabiani in Calisti, et Sebastiani in catacumbas.* Martyrologium Lucense Florentinii, XIII Kal. Febr. : *Romæ, in cœmeterio, Fabiani episcopi et Sebastiani.* Corbeiense Dacherii, XIII Kal. Febr. : C *Romæ, in cœmeterio, Fabiani episcopi et passio sancti Sebastiani martyris.* Gellonense, XIII Kal. Febr. : *Romæ, Fabiani et Sebastiani martyr.* Sacramentaria Gelasianum et Gregorianum, eodem die XIII Kal. Febr. duas missas exhibent, quarum, in Gelasiano prima est sancti Sebastiani, in Gregoriano prima est sancti Fabiani, altera est sancti Sebastiani. Capitularia Evangeliorum Georgi sancti Sebastiani primum, tum sancti Fabiani missam indicant. In multis Kalendariis nulla est mentio sancti Fabiani. In fragmento vetusti Kalendarii Gotho-Hispani : *XIV Kal. Febr., sancti Sebastiani et comitum Roma.* In missa et officio Mozarabico de sancto Fabiano silent. In Kalendario Carthaginensi Mabillonii, XIII Kal. Febr. : *sancti martyris Sivastiani.* In Lectionario Ambrosiano Thomasii legitur in *sancti Sebastiani.* In Missali Mediolanensi *in sanctorum Sebastiani et Solutoris*; et in Kalendario marmoreo Neapolitano, die 20 Januarii : *Euthimii et Sevastiani.* Cæterum de sancto Fabiano in vetusto Romanorum pontificum cata- D logo, e bibliotheca imperiali Viennensi, a Bucherio edito, legitur : *Fabianus annos quatuordecim, mense uno, diebus decem fuit temporibus Maximini, Gordiani, et Philippi, a consulatu Maximini et Africani usque Decio* II *et Grato; passus est* XIII *Kal. Febr.* Ei tamen Blanchinius non nisi annos XIII, mensem unum, et dies X, concedit, quot illi imagines sancti Pauli Basilicæ tribuunt, ordinatum enim vult die 11 Decembris an. ær. vulg. 236, passum die 20 Januarii anno 250 (*Vide Blanch., in notis ad sanctum Fabianum, tom. II Anastasii*).

[b] *Beatissimi Sebastiani laudibus.* Celeberrimum in Ecclesia Occidentis nomen est sancti Sebastiani. Acta ejus exstant apud Bollandum (*Tom. II Januarii, pag.* 165) quæ ab aliis sincera, ab aliis, in aliquibus, interpolata, ab aliis ab auctore quidem antiquo, sed non synchrono exarata censentur. Colitur sanctus Sebastianus a Gotho-Hispanis die 19 Januarii, ut ex fragmento citati Kalendarii habemus, quo die in Hieronymiano Florentinii : *Romæ, sancti Sebastiani martyris* legitur, ab aliis Latinis passim die 20 Januarii ejus festivitas agitur. Græci in Menologio Metrico Seberi, et in Ephemer. Græc.-Moscis (*Bolland., tom. I Maii, p.* 56), eumdem 12 Decembris commemorant, et quidem in Menologio Seberi illi comites adjungunt Zoen, Tranquillinum, Claudium, Castorem, Tiburtium, Castulum, Marcellinum et Marcum. In Menologio Basilii de eo silent. Annus passionis sancti Sebastiani hactenus incertus est, credibile est circa initia imperii Diocletiani passum esse. Certe Acta ostendunt sanctum Sebastianum martyrium subiisse, cum Romæ Diocletianus præsens adesset. Sanctus Ambrosius (*Enar. in ps.* CXVIII, *serm.* 20, *num.* 5) populum ad persecutiones ferendas exhortans : *Utamur exemplo Sebastiani martyris, cujus hodie natalis est, hic Mediolanensis oriundus est. Fortasse aut jam discesserat persecutor, aut adhuc non venerat in hæc partium, aut mitior erat, advertit hic aut nullum esse aut tepere certamen, Romam profectus ubi propter fidei studium persecutiones acerbæ fervebant, ibi passus est hoc, est ibi coronatus. Itaque illic quo hospes advenit domicilium immortalitatis collocavit.* Et paulo infra : *Sicut enim unus persecutor Rex multis persecutionis præcepta mittebat, et per singulas vel civitates vel provincias erant diversi persecutores*, etc. Quæ videntur persecutionem, non localem, sed generalem indicare, eamque ab *uno rege* hoc est *uno imperatore* excitatam. Cæterum pars reliquiarum sancti Sebastiani anno 826 in Gallias translata, in monasterio sancti Medardi, apud Suessiones, cum honore deposita est. (*Bolland., die* 20 *Januar.; Eginardus, de Gestis Ludovici Pii, apud Andream du Chesne, Hist. Franc. script. coætan., tom. II, pag.* 270.) Romæ, via Appia celebris et vetusta est basilica sancti Sebastiani supra catacumbas excitata, ubi reliquiæ ejus hactenus coluntur.

[c] *Zoe.* Consule Acta sancti Sebastiani, et Martyrologia quæ de sancta Zoe martyre die sexta Julii agunt.

[d] *Confortaret.* Marcum scilicet et Marcilianum fratres, pluresque alios, quos suis exhortationibus in fide Christi sanctus Sebastianus confirmavit.

taret : et obtrusum beatissime Zoe sermonis ostium aperiret. In utroque quippe laudabilis : quia et in utroque prestabilis. Nam absconsum se militem exhibens Christo : Sanctorum animas veritatis confortabat ex verbo. Que nec momentaneis tribulationibus cederent : nec blandimentis carnalibus subjugarentur. Et hoc quidem ut se militem occultaret absconditum non suum aufugiendo supplicium : sed pro roborandis hoc agebat nutantium animis bellatorum. Eo sibi a Domino credens dona tribui cumulantia : quo non solus meruisset pertingere ad coronam. Proinde te quesumus altissime summe Deus : ut interventu hujus Martyris tui Sebastiani : precibus nostris adesse digneris. Omitte culpam : tribue gratiam. Languorem expelle : vite commoda tribue. Imperti pacem : petulantiam quoque nostre carnis extingue. Bone vite studiis nos atque actibus refove : et perennitatis nobis felicitatem tribue. Ut gloriam tuam quam tuus Martyr Sebastianus laudat in munere : nos quoque laudemus ex confessionis proprie voce proclamantes : atque ita dicentes. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. O quam gloriosum est nomen Filii tui Deus Pater in Sanctis : in quo beatus hic Martyr Sebastianus cum sociis Martyribus suis : et obstrusa mutorum ora solvit et contractionibus podagrice [a] nodositatis medelam infudit. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Sanctifica Domine hanc nostre oblationis hostiam puram : quam tibi in honorem Martyris tui Sebastiani offerimus dedicandam. Ut quotquot ex ea libaverimus : illo repleamur documento virtutum : quo per hunc Martyrem confortata sunt in fide corda nutantia beatorum. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Erigite fratres oculi ad celum petentes a Deo perenne auxilium : qui hunc beatissimum Sebastianum Martyrem tuum insutum ictibus sagittarum post exceptum supplicium : eternum convocavit ad regnum. Clamate ad illum : et nullo modo detis ei silentium. Nam ostendet in vobis indulgentie pietatem : si pia eum invocaverimus ex voce proclamantes : atque ita dicentes. Pater noster.

289 *Dicat Presbiter.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Salvator noster ac Dominus pro cujus amore Sebastianus Martyr confixus est vulneribus sagittarum : procul a vobis efficiat omnes sagittas aerearum potestatum. ℟. Amen. Quique animam ejus [b] intercidentium manu vocavit ad regnum : ipse vos e mundo evocet ad superne vocationis bravium gloriosum. ℟. Amen. Ut cum eo in illa die pariter de visione Domini gaudeatis : cujus hic hodie festum amabiliter celebratis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius, etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi.

Oratio. Domine Deus omnipotens.

Quere in Sancti Juliani et Basilisse. Folio 287.

IN FESTO [c] SANCTI LUCIANI PRESBITERI ET MARTYRIS.

Omnia dicantur sicut unius Martyris. Fol. 425. *Excepta Missa que sequitur.*

Beatissimi Martyris sui Luciani Presbyteri agonem divina virtute perfectum : votis solennibus fratres dilectissimi celebremus. Ut qui triumphalem palmam

[a] *Nodositatis.* Tranquilinus, pater Marci et Marcelliani, in Actis sancti Sebastiani (*N.* 56), et (*Ibid., n.* 56) Chromatius, morbo articulari laborantes, a sancto Sebastiano sanitati restituti leguntur.

[b] *Intercedentium.* Acta ejus testantur sanctum Sebastianum sagittis confossum, ac pro mortuo derelictum, cura Christianorum convaluisse, sed demum fuste percussum occubuisse. Erat autem fustuarium, pœna militaris cum infamia conjuncta, certam mortem inferens, de qua consule Lypsium (*De milit. Roman., lib.* v, *dial.* 18). Menologium Græcum Seberi, de morte sancti Sebastiani, refert : Τύπτεται τὸ σαρκίον, *caro percutitur*, fuste scilicet, quod Seberus *carne gladio* cæditur, contra Actorum fidem, transtulit.

[c] *Sancti Luciani.* Eodem modo Breviario Mozarabum inscribitur. Græci sanctum Lucianum presbyterum et martyrem die 15 Octobris colunt (*Menolog. Basil., Ephem. Græc.-Moscæ, apud Bolland., tom. I Maii*). Latini, ut plurimum, eumdem die 7 Januarii commemorant, qua die olim Antiochiæ celebatur (*S. Chrys., hom. de S. Lucian.*). Ita Martyrologia Lucense Florentinii, Corbeiense, Epternaceuse, Romanum parvum, Adonis, Usuardi, et Romanum Baronii. Gotho-Hispanorum. Alii festum sancti Luciani die 8 Januarii celebrant. Fragmentum Kalendarii Piniani, IV Id. Jan. : *Sancti Luciani presbyteri martyris Eliopoli* [lege *Helenopoli*]. Alii, et fortasse tota provincia Carthaginensis, die 20 Januarii, qua die in Missali et Breviario Mozarabum officio et missa gaudet. De sancto Luciano Eusebius, in Historia ecclesiastica (*Lib.* VIII, *cap.* 13, *lib.* IX, *cap.* 6, *Edit. Valesii*), sanctus Chrysostomus (*Hom. de sancto Luciano, tom. II, pag.* 524, *Oper. Edit. Maur.*), sanctus Hieronymus (*De Vir. Illustr., cap.* 77), aliique plures meminere. Ejus Acta ab incerto auctore composita exstant apud Bollandum (*Tom. I Januar., pag.* 359). Sanctus Lucianus patria Samosatenus fuisse traditur, domo nobilis, parentibus fidelibus ortus, a quibus ab infantia fide Christiana, castis moribus, bonisque artibus in patria sedulo imbutus est. Mortuo utroque parente, Edessam secessit ; qua in urbe sacrarum litterarum studio incubuit, Macario quodam præceptore ; deinde baptizatus, a sacro fonte vitam ascetarum more instituit, a vino et ab esu carnium abstinuit, frequenter etiam jejunare assuevit, Antiochiæ scholam aperuit, frequentia auditorum celebrem ; ad presbyteri ordinem, in Ecclesia Antiochena, promotus novam Septuaginta Interpretum versionem edidit, de qua sanctus Hieronymus (*Apol. adv. Ruf. l.* II, *n.* 2) : *Alexandria et Ægyptus Hesychium laudat auctorem ; Constantinopolis, usque ad Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat, mediæ inter has provinciæ Palæstinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius, et Pamphilus vulgaverunt.* Hæc ille breviter versiones Septuaginta interpretum recensens. De hac versione auctor Synopsis sacræ Scripturæ, inter opera sancti Athanasii, in fine, scribit : *Septima et postrema interpretatio sancti Luciani Magni Ascetæ et martyris est.* Cum igitur talis esset sanctus Lucianus *vitæ continentia, et sacrarum litterarum scientia conspicuus*, Antiochiæ a persecutoribus detentus, Nicomediam perducitur ; de secta et vitæ ratione interrogatus, celebri

pro fidei munimento Christo opitulante promeruit obtinere: patrocinii nobis suum intercessum apud eum cujus jam presentia gratulatur: dignetur impendere. Et ipse nobis peccatorum tribuat veniam: qui eidem contulit immortalitatis coronam. ℟. Amen.

Alia Oratio. Iteratis precibus te Dominum Deum nostrum suppliciter deposcimus: cujus honor sanctitas est: quem diligere salus est: quem amare perfectio. Concede in omnem Ecclesiam tuam sancti Martyris tui Luciani Presbyteri lucere vestigia: ut te regente omnium gressus: ea nos via perducat ad vitam: que Martyrem tuum extulit ad coronam. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui Sancto ac beatissimo Martyri tuo Luciano Presbytero id muneris contulisti: ut qui propter te peregit inlate passionis liberaliter cursum: hujus multitudinis mereretur occursum. Presta nobis: ut ejus suffragio offerentium vota suscipias: et requiem defunctis impertias. Donans nobis ita tui Martyris Luciani Presbyteri imitari fidem: ut consimilem a te post transitum mereamur percipere mercedem. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Dona nobis omnipotens Deus Martyris tui Luciani Presbyteri celebrantibus festum: sincere pacis et charitatis affectum. Ut qui in honorem ejus tibi sacrificium deferimus laudis: nobis a te impetremus donaria charitatis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Deus: ut pro virtutibus Martyris tui Luciani Presbyteri tibi laudes dicamus: et honoremus nomen sanctum tuum studiis animorum. Qui tantum fidei robur tuo militi prestitisti; ut corpori flamma cederet: ferrum stuperet in pectore: et suis vincerentur tela vulneribus. Tantus enim in eo extitit amor nominis tui: ut non avidi[a] morsus ferarum: non rabies ursorum: non leonum insatiabilis furor eidem metum mortis incusserit: non laceratum ferro corpus animos inclinavit: non sci sum sulcis latus fidem professe virtutis exclusit.: nec ille sanguinis fluxus ungularum stridore revocatus: vocem supplicationis exegit. Hec est corona Martyris tui Luciani Presbyteri. Hec est celestis pompa virtutum. Fortiora sunt vulnera Martyris tui Luciani Presbyteri; quam tela carnificis. Rogamus ergo te Domine: ut sicut ejus virtutibus victoris prestitisti triumphum: ita nobis favorem auxilii tui perpetuum largiaris: et prestes nobis hunc in solacium: quem prebere dignatus es in exemplum. Per te cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie: ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus: vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus: qui Martyri suo Luciano Presbytero: et dimicandi virtutem: et regnandi tribuit potestatem. Quo illi esset consors in regno: pro quo animam[b] tradidisset supplicio. Haberetque eum in munere: quem consortem[c] habuisset in passione. Vere solus ipse est Dominus et Salvator noster Jesus Christus: qui et Sanctis confert premium: et peccatoribus penitentie fructum. Ipse est **290** Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oblatas tibi omnipotens Deus ob honorem Martyris tui Luciani Presbyteri victimas propicius attende: ut qui justi tui memoriam facientes votivum sacrificium exhibemus: nostrorum criminum a te indulgentiam consequi mereamur. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Cum ex lege tua Domine noverimus: in memoria eterna esse justum: non pro illius sed pro nostri commendatione hoc tibi offerimus holocaustum. Petentes ut qui ejus animam fecisti in passione victricem: nostrum votum efficias in confessione victorem: quo eodem suffragante: clamorem nostre accipias vocis. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Benedictio. Christus Dominus qui Martyri suo Luciano Presbytero patientie contulit votum: patientiam vobis tribuat contra omnes inlecebras viciorum. ℟. Amen. Ut qui illi donavit peracta passione

oratione, fidei Christianæ dogmata explicavit et defendit coram præside, ipso Maximino andiente (*Eus. Hist. l.* IX, *c.* 9, *et lib.* VIII, *cap.* 13); in carcerem inde raptus, cum *diebus duodecim super testas pollinas extensus* j cuisset, *tertia decima die obiit*, ut scribit anonymus auctor in Job, inter opera Origenis (*Tom. II, lib.* II, *pag.* 885, *Edit. Maur.*) ut alii tradunt, multis, et diversi generis, tormentis, et dira fame tortus, ad singulas interrogationes id unum respondebat: *Christianus sum, et cum hac voce vitam finivit, obiitque, salvum referens Christo depositum.* Hæc sanctus Chrysostomus in citata homelia. Passus est sanctus Lucianus die septima Januarii, anno æræ vulgaris 312, imperante Maximino, pridie autem quam obiret, jacens in carcere, sacra mysteria celebravit, pectore suo, pro altari, usus, ut Acta ejus testantur. Defuncti corpus in mare projectum, indeque a Christianis extractum Drepani sepultum est, quem locum Constantinus in honorem sancti martyris instauravit, ad urbis dignitatem extulit, et a Matris nomine Helenopolim nominavit, concessa immunitate vectigalium, quo usque ante urbem prospectus pateret. An sanctus Lucianus martyr is sit quem sanctus Alexander, episcopus Alexandrinus, in epistola ad sanctum Alexandrum Constantinopolitanum (*Theod. Hist. eccl. l.* I, *c.* 5) tanquam Arianæ hæresis parentem traducit, merito in dubium vocatur; is enim Lucianus, teste sancto Alexandro, partes Pauli Samosateni secutus, post ejus mortem a communione ecclesiastica, diuturno trium episcoporum, Domni, Timæi, et Cyrilli tempore segregatus fuit, nec nisi sub Tyranno episcopo (qui ab anno 306 ad 310 sedit) ad rectam fidem et catholicam communionem rediit, et martyr Lucianus a doctrina Pauli Samosateni, ut Symbolum ejus nomine editum ostendit, et ab ejusdem vitæ ratione, ut omnes fatentur, alienus fuit. Paulus enim moribus dissolutus, Lucianus castus, et omni vita sanctissimus; Paulus Christum merum hominem, Lucianus Christum Deum de Deo, unigenitum, et perfectum, imaginem Patris professus est. Sed de recta sancti Luciani martyris fide vide, si lubet, quæ ad Breviarium notavi.

[a] *Morsus ferarum.* Ad bestias damnatum fuisse sanctum Lucianum, auctor est sanctus Chrysostomus, in citata Homelia, aliaque tormenta recenset *quæ in* Actis ejus omittuntur, quemadmodum in hac illatione nihil de dira fame illa dicitur, quam tanta eloquentia sanctus Chrysostomus describit.

[b] *Tradidisset.* Lege *tradiderat.*

[c] *Habuisset.* Lege *habuerat.*

coronam : vobis conferat peracto luctamine mundi gaudia repromissa. ℟. Amen. Ut qui in hoc die tanti Martyris ovantes solennia celebratis : cum eodem post transitum conlocati : in celestibus sedibus gaudeatis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi Corpore.

Oratio. Domine Deus omnipotens.

Quere in S. Juliani et Basilisse. F. 237. *Et ubi dicitur* Sanctorum Juliani et Basilisse. *dicatur Sancti Martyris tui Luciani Presbyteri.*

IN FESTO [a] SANCTE AGNETIS VIRGINIS ET MARTYRIS.

Omnia dicantur unius Virginis. Fol. 436. *excepta Missa que sequitur.*

Agnoscentes dilectissimi fratres beatissimam Agnetem Virginem plus animo valuisse : quam corpore : plus fide : [b] quam germine : plus etiam spirituali robore : [c] quam etate. Que Christum sibi specialem sponsum suo in corpore vindicans : nec persuasione seducitur : nec muneribus inclinatur : quo carnalis conjugii copula necteretur. Omnipotenti Domino supplicemus : ut idem qui spirituali copula sponsus hujus est virginis : in suis nos delectari semper faciat amplexibus castitatis.

℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui nudatum corpus Agnetis Virginis tue : celestis stole [d] obtexisti ex tegmine : vestiatur quesumus Ecclesia tua claris vestibus innocentie : et justicie claritate. Quo in ea et Sacerdotum vita nitore castitatis prepolleat : et utriusque sexus conditio ea que postulaverit [e] adipisciatur. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Conditor et reparator humani generis Christe Filius Dei : qui capiti Virginis tue : quod jam erat celesti rore perfusum : magnam contulisti gratiam capillorum : quo suis videretur ad honorem [f] crinibus tecta : que propriis fuerat ad contumeliam vestimentis exuta. Tu pius offerentium accipe vota : defunctis requiem prestans : et cunctos in commune ejusdem Virginis prece fac pervenire ad eternam salvationem. ℟. Amen.

[a] *Sanctæ Agnetis.* De sancta Agnete virgine et martyre Romana Kalendarium Bucherianum inter martyrum depositiones : *XXII Kal. Febr., Agnetis in Nomentana*; exstat enim Romæ via Nomentana vetusta, et celeberrima sanctæ Agnetis basilica. Kalendarium Carthaginense : *XII Kal. Febr., sanctæ martyris Agnes.* Marmoreum Neapolitanum : XXI. N S AGNE. *Vigesimo primo Januarii Natale sanctæ Agnæ*; nam et *Agna* et *Agnes* scriptoribus passim appellatur; ejus autem memoria in Menologio Basilii Græci, die 5 Julii; in Mæneis, et in Menologio Seberi, die 14 et 21 Januarii et die 5 Julii colitur. Latini ferme omnes in vetustissimis Martyrologiis sanctam Agnetem die 21 Januarii, qua passa est, commemorant. Lucense Florentinii, et Corbeiense Dacherii, XII Kal. Febr. : *Romæ, passio sanctæ Agnetis Virginis.* Accedunt Beda, Ado, Usuardus et Baronius, in suis Martyrologiis, Gotho-Hispani alii die 21 Januarii festum sanctæ Agnetis celebrant, alii die vigesima Januarii. Causa discrepantiæ orta est ob festivitatem sanctorum Fructuosi, Augurii et Eulogii, qui eodem die Tarracone passi sunt quo Romæ sancta Agnes. In Missali et Breviario Mozarabum, atque adeo Toleti olim, et fortasse in tota Carthaginensi provincia sancta Agnes die suo 21 Januarii colitur, et festivitas sanctorum Augurii, Eulogii et Fructuosi in diem 13 Februarii transfertur; at in Tarraconensi provincia, ut dies 21 Januarii servetur integer sanctis Fructuoso, Augurio et Eulogio Tarraconensibus, festivitas sanctæ Agnetis die 20 Januarii agitur, ut ex fragmento Kalendarii Gotho-Hispani a Francisco de Pisa primum, et deinde a Joanne Pinio edito habemus : *XIII Kal. Febr., sanctorum Agnetis et Emerentianæ, Romæ*; et die sequenti : *XII Kal. Febr., sanctorum Fructuosi episc., Augurii et Eulogii diaconorum Tarracon. mar.* Apud Romanos bis quotannis, mense Januarii colitur sancta Agnes die 21, quo passa est, et die 28, quo nata est. Prima festivitas Sacramentario Gelasiano, et vetustis Capitularibus Evangeliorum : *Natale sanctæ Agnetis virginis de passione*; altera vero : *Natale sanctæ Agnetis de nativitate*, quæ modo *sanctæ Agnetis secundo* dicitur, de qua vide Baronium (*In notis ad Martyrol.*). Bollandus (*Tom. II Jan.*) die 21 sanctam Agnetem in persecutione Valeriani passam esse opinatur; alii ad immanem Diocletiani persecutionem ejus martyrium retrahunt, quæ opinio probabilior est Sollerio (*In not. ad Usuard. Mart.*), eique favere videtur sanctus Augustinus (*Serm.* 354, *tom. V Oper., Ed. Maur., col.* 1377), cum sanctam Agnetem eadem persecutione passam dicat qua celebris martyr Thebestina Crispina : *Hoc cogitate tempore persecutionis non solum Agnem fuisse coronatam virginem, sed et Crispinam mulierem.* Crispina autem, ut constat, Annulino proconsule passa est, sub Diocletiano. Martyrium sanctæ Agnetis carmine descripsit Prudentius (*Hymn.* 14, *de coronis*). Exstant Acta ejus, quæ sancto Ambrosio vulgo tribuuntur. De sancta Agnete plura habet sanctus Ambrosius (*Lib.* I *de Virginibus*). Est et sermo sancti Maximi Taurinensis, quo passio sanctæ Agnetis describitur (*Edit. P. Rainaudi, p.* 225). De eadem sanctus Augustinus, Adelmus, et Venantius Fortunatus meminere. Est etiam in Missali Gallo-Gothico missa propria sanctæ Agnetis.

[b] *Quam germine.* Sancta Agnes genere nobilis exstitisse creditur. Præfatio missæ sancte Agnetis, in Missali Gallo-Gothico : *O vera nobilitas quæ sic terrena generatione processit ut ad divinitatis consortium perveniret!*

[c] *Quam ætate.* Sanctam Agnetem tenera ætate passam esse omnes fatentur. Prudentius eam describit, *jugali vix habilem toro, primis in annis puellulam.* Immolatio missæ Gallo-Gothicæ, *in tenero adhuc corpore, et nondum puellare flore maturo fortem.* Sanctus Ambrosius (*lib.* I *de Virg., c.* 2) scribit : *Hæc duodecim annorum martyrium fecisse traditur.* Acta vulgata et sanctus Augustinus (*Serm.* 285, *tom. V Oper.*) eam tredecim annorum fuisse perhibent, nimirum quæ, completo duodecimo, annum decimum tertium agebat. Sanctus Maximus ait diabolum armasse juvenem contra *infun iam Agnetis.*

[d] *Obtexisti.* Confer Acta vulgata et homeliam sancti Maximi, in qua : *Nam exspoliata virgo tegitur crinibus, exspoliata ab hominibus malis, vestitur ab angelis bonis.*

[e] *Adipisciatur.* Lege *adipiscatur.*

[f] *Crinibus tecta.* De ea re memoriam retinet præclarus lapis, olim in cryptis juxta basilicam sanctæ Agnetis effossus; deinde, ut credebatur, deperditus, tandem anno 1728, dum pavimentum basilicæ reficeretur, detectus, et modo parieti basilicæ affixus legendusque prostat.

Fama refert sanctos dudum retulisse parentes
Agnem cum lugubres cantus tuba concrepuisset

Ad pacem. Quanta sit dilectio tue charitatis Deus in Sanctis : in hac Virgine evidentibus probamus judiciis. Que amplexibus tuis castis adstricta : etiam [a] generosi hominis execravit personam : cum oblata sibi ab eo pro nectendo conjugio repulit ornamenta. Da igitur nobis in sola tui nominis dilectione fervere : ut tantum in tua pace letantes : tua in nobis semper dilectio vivat : tuaque in nobis charitas requiescat. ℟. *Chorus.* Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere omnipotens Deus : per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Qui huic virgini et Martyri sue factus est lux nova : cum eam in tenebris perlustrare non destitit constitutam. Illa etenim ethereo ac perpetuo ejusdem Filii tui lumine circumfulta : ad se in lupanar intrantibus : geminis miraculis effecta est gloriosa. [b] Cum et ii qui tremuerunt divinum lumen sani regressi sunt de illa : et improbus filius prefecti morte mulctatus est immatura. Obscenis quippe cupiditatibus ac ludibriis acti utrique intrarunt : sed non utrique viso lumine gloriam Deo dederunt. O quantum valet pietas Redemptoris : qui et illorum corda mortua ante tegit : quam perirent : et istum per culpam prostratum
291 in morte vite reddidit [c] pristine. Hinc te Deus pater exposcimus : visita nos jam gratie dono : qui in isto mundo degimus tenebroso. Libera nos de mortalibus actibus : et erue a suppliciis sempiternis. Refice quoque nos crucis vulneribus : ut cum te in illa die sine confusione viderimus : proclamemus atque ita dicamus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus. Qui Agnetem sponsam suam : et precioso vestimento induit : et luce ei perpetua in tenebris refulsit. Ipse est enim lumen verum : splendor celestium siderum : via errantium : salus debilium : remuneratio Virginum : et corona immarcessibilis beatorum. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Exemplo beatissime virginis tue Deus Pater : qui se tibi in vivam obtulit [d] hostiam : dum nec de nuditate confunditur : nec ceteris inlatis suppliciis deterretur : has tibi pro nostrorum criminum venia offerimus victimas : quas tu quesumus omnipotens Deus bonitate solita benedicas : impertiendo et his sacrificiis gratiam : et nostris offensis veniam copiosam. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Sit nobis ad Deum fratres dilectissimi deprecandi pura devotio : et confitendi omnimoda penitudo. Vestiet vos ille vestimento justicie : qui sponsam suam Agnetem : induit stola claritatis eterne. Abluat maculas sceleris nostri : qui per eam ab inferis juvenem suscitavit : dabit effectum orationis nostre : si nos devotissime ad se prospexerit clamare : et dicere. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Copulet sibi Dominus animas vestras nexu perpetuo : qui beatam Agnetem sibi sociavit federe sempiterno. ℟. Amen. Per eam quoque obtineatis apud Deum vestrorum veniam criminum : per quam juvenis ille promeruit suscitari a tenebris inferorum. ℟. Amen. Ut ipsius post hanc vitam mereamini adunari consortiis : cujus nunc festum devotissime celebratis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Communio.* Refecti Christi corpore.

Oratio. Domine Deus omnipotens. *Quere in sancti Juliani et Basilisse. Folio* 287. *Et ubidicitur* Sanctorum Martyrum tuorum : *dicatur sancte Agnetis Virginis et Martyris.*

Nutricis gremium subito liquisse puellam
Sponte trucis calcasse minas rabiemque tyranni
Urere cum flammis voluisset nobile corpus
Viribus immensum parvis superasse timorem,
Nudaque perfusum crinem per membra dedisse
Ne Domini templum facies peritura videret.
O veneranda mihi sanctum decus alma pudoris
Ut Damasi precibus faveas, precor, inclita virgo.

Hujus lapidis litteræ omnes quadratæ, voces nullis interpunctionibus distinguuntur.

[a] *Generosi hominis.* Ambrosius ille, qui Acta sanctæ Agnetis scripsit, et sanctus Maximus (*Hom. de sancta Agnete*) tradunt eam a juvene nobili in sponsam esse petitam. Sanctus Ambrosius (*De Virg.*, *l.* I, *c.* 2) a pluribus petitam fuisse innuit.

[b] *Cum et ii.* Prudentius in hymno :

Stantem refugit mœsta frequentia,
Aversa vultus, ne petulantius
Quisquam verendum conspiceret locum
Intendit unus forte procaciter
Os in puellam, nec trepidat sacram
Spectare formam, lumine lubrico,
En ales, ignis fulminis in modum,
Vibratur ardens, atque oculos ferit,
Cæcus, corusco lumine corruit,
Atque in plateæ pulvere palpitat.
Tollunt sodales seminecem solo,
Verbisque deflent exsequialibus.

Non igitur sola Acta sanctæ Agnetis illi angelum adfuisse custodem testantur, qui eam immenso lumine circumdedit, sed et Prudentius, et sanctus Maximus, qui lumen istud, *splendorem cœlestem*, quod *Illatio* Gotho-Hispana *lumen divinum*, angelum scilicet a Deo deputatum, appellat.

[c] *Pristinæ*, precibus sanctæ Agnetis exoratus Deus vitam juveni restituit. Prudentius :

Sunt qui rogatam (Agnetem) retulerint preces
Fudisse Christo, redderet ut reo
Lucem jacenti, tum juveni habitum
Vitæ innovatum visibus integris.

[d] *Hostiam.* De mortis genere sanctæ Agnetis Græci in Menologio Basilii flammis exustam tradunt. A Beda, in Martyrologio genuino dicitur *ignibus injecta ; sed his, per orationem ejus, exstinctis, gladio percussa est.* Eadem Ado in suo Martyrologio, et fusius sanctus Maximus, in homelia de sancta Agnete, refert, nec dissentit inscriptio vetusta superius citata, in qua tyrannum legimus voluisse corpus virginis exurere, non tamen re ipsa exustum. Ambrosius ille, quisquis tandem sit, Actorum ejus scriptor, prodidit, sanctam Agnetem rogo impositam fuisse, verum, cum non combureretur, jugulatam esse. Prudentius de rogo et flammis silet, uno ictu caput illi amputatum fuisse clare scribit. Sanctus Ambrosius (*lib.* I *de Virgin.*, *cap.* 2) flammas et rogum præterit, decollatam fuisse satis aperte innuit : *Stetit, oravit, cervicem inflexit, cerneres trepidare percussoris dexteram, pallere ora aliene timentis periculo cum puella non timeret suo*, etc.

In festo [a] *Sancti Vincentii Martyris.*
Ad Missam. [b] *Officium.*

De profundis clamavi ad te Domine: alleluja. Domine exaudi vocem meam: alleluja: alleluja: alleluja. ℣. Fiant aures tue intendentes in orationem meam. *P.* Domine ex. ℣. Gloria et honor. *P.* Domine.

Oratio. Domine Deus presta propicius: ut beatissimus Vincentius Martyr tuus vincat suis meritis nostra flagitia: qui non suis sed divinis viribus: sevientium potuit superare supplicia. Ut qui dudum in illis vicit impietatis atrocitatem: in nobis male cupiditatis superet voluntatem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaye Prophete ([c] *Cap. XLIII, XLIV*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Creans te Jacob et formans te Israel. Noli timere quoniam redemi te: et vocavi te nomine tuo: meus es tu. Cum transieris per aquam tecum ero: et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne non combureris: et flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus: sanctus Israel Salvator tuus. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis: et gloriosus: ego dilexi te. Ego dabo homines pro te: et populos pro anima tua. Noli timere: quoniam tecum ego sum. Hec dicit Dominus. Faciens et formans te ab utero auxiliator tuus. Noli timere serve meus Jacob rectissime: quem elegi. A Effundam enim aquam super sitientem: et fluentem super aridam. Effundam enim spiritum meum super semen tuum: et benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices juxta fluentes aquas. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Sanctus iste quem elegisti et assumpsisti Domine inhabitavit in tabernaculis tuis. ℣. Te decet hymnus Deus in Syon: **292** et tibi reddetur votum in Hierusalem: quia ad te omnis caro veniet: exaudi Deus deprecationem meam. *P.* Inhabita. ℣. Campi tui replebuntur ubertate: pinguescent fines deserti et exultatione colles accingentur: induti sunt arietes ovium: et convalles abundabunt frumento. *P.* Inhabita.

B *Dicat Presb.* Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios (*II*, [e] *ca. XI*).

Deo gratias.

Fratres. Libenter enim suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis autem: siquis vos in servitutem redegit. Siquis devorat. Siquis accipit: siquis extollitur: siquis in faciem vos cedit. Secundum ignobilitatem dico: quasi nos [f] infirmi fuerimus. Inquo quis audet in insipientiam dico. Audeo et ego. Hebrei sunt: et ego. Israelite sunt: et ego. Semen Abrae sunt: et ego. Ministri Christi sunt: ut minus sapiens dico: plus ego. In laboribus plurimis: in carceribus abun-

[a] *Sancti Vincentii.* De Sancto Vincentio levita et martyre Cæsaraugustano die 22 Januarii agunt Missale et Breviarium Mozarabum, Orationale Gothicum, Sacramentarium Gregorianum, Lectionarius Ambrosianus eminentissimi Thomasi et Capitularia Evangeliorum Georgi, quibus patet vetusta consuetudine festum sancti Vincentii celebratum esse Romæ, et Mediolani; nec dissentiunt Kalendaria et Martyrologia. Beda in Martyrologio Genuino *XI Kal. Febr.*, *in Hispania*, *sancti Vincentii levitæ et martyris.* Fragmentum Kalendarii Gotho-Hispani sæpius laudandum: *XI Kal. Febr.*, *sancti Vincentii levitæ et Mart.*, *Valentia.* Kalendarium Carthaginense: *XI Kal. Febr.*, *sancti martyris Vincentii.* Apographa Hieronymiana frequenter sancto Vincentio præponunt sanctum Valerium episcopum, illique plures martyres socios addunt. Lucense Florentinii, XI Kal. Feb.: *In Hispania, civitate Valentia, sancti Valerii episcopi, et Vincentii diaconi, et martyrum* XVIII, *cum sociis suis.* Corbeiense Dacherii XI Kal. Febr. *In Hispania, civitate Valentia, passio sancti Valerii episcopi et Vincentii diaconi et martyris, et martyrum* XVIII, etc. At hi omnes eadem die passi non sunt. Consule Bollandum (*Tom. II Jan.*, *ad diem* 22), et Florentinium (*In notis ad Martyrologium*), qui verisimile putat hos octodecim martyres Cæsaraugustanos eos esse quos in hymno quinto de coronis Prudentius recenset, certe pleraque nomina conveniunt, quædam tamen in Martyrologiis corrupta leguntur. Græci, in Menologio Basilii, die 22 Januarii de sancto Vincentio agunt. Celebris erat in Africa cultus sancti Vincentii ut, præter Kalendarium Carthaginense, declarant quatuor sancti Augustini Sermones de eo habiti, in quorum tertio, qui est sermo 276 (*Tom. V*, *Edit. Maur.*), hæc leguntur: *Quæ hodie regio, quæve provincia est, quo usque vel Romanum imperium, vel Christianum nomen, extenditur, quæ natalem non gaudet celebrare Vincentii.* Nihilominus in Sacramentario Gelasiano, et in libris liturgicis Gallicanis nihil invenitur de sancto Vincentio qui procul dubio C a Gallis colebatur. Passus est sanctus Vincentius Valentiæ, sub præside Daciano, anno æræ vulgaris 304. Acta passionis ejus præsidialia nulla fuerunt, quippe *quæ litterarum apicibus annotari judex noluit*, ne scilicet immanis sævitiæ suæ et invictæ martyris patientiæ certa memoria exstaret, ut scriptor synchronus passionis sancti Vincentii animadvertit. Martyrium sancti Vincentii describit Prudentius hymno quinto de coronis. Exstat præterea passio sancti Vincentii apud Bollandum (*Tom. II Jan.*, *ad diem* 22) et apud Du. Th. Ruinart (*Act. Martyr. sinc. et select.*, *pag.* 389) ab auctore synchrono, brevi post restitutam Ecclesiæ pacem, scripta, quæ in ecclesiis legebantur, ut ex sancto Augustino (*Serm.* 247, *tom. V*, *ed. nov.*) constat. Est autem animadvertendum, sanctum Vincentium levitam et martyrem Cæsaraugustanum, qui Valentiæ passus est, distinguendum esse ab alio sancto Vincentio pariter levita et martyre, qui in eadem persecutione, sub eodem præside Daciano, Abulæ, cum duabus sororibus, Sabina et Christeta, passus est, de quo VI Kal. D Nov. in Breviario Mozarabum agitur, et a sancto Vincentio, qui Agenni in Aquitania, anno incerto, passus est, de quo Gregorius Turonensis (*Hist. Franc. lib.* VII, *cap.* 35) et Vincentius Fortunatus (*lib.* I, *carm.* VIII, IX) meminere; nonnullæ enim in Galliis ecclesiæ, ut notat P. Longueval. (*Hist. de l'Eglise gallicane*, *t. I*, *liv.* I, *p.* 155) primitus in honorem sancti Vincentii Agennensis erectæ, postea sibi sanctum Vincentium Cæsaraugustanum diaconum, utpote celebriorem, patronum asciverunt.

[b] *Officium.* Ps. CXXI, ℣. Ibid., 2.

[c] *Cap. XLIII.* Vers. 1-6, quibusdam omissis, et cap. XLIV, 2-5.

[d] *Psallendo.* Ex Ps. LXIV, 5. ℣. Ibid., 1, 2, 12, 13, 14.

[e] *Cap. XI.* Vers. 19 33.

[f] *Infirmi fuerimus.* Ita in Græco. Addit Vulgata, *In hac parte.*

dantius. In plagis supra modum : in mortibus frequenter. A Judeis quinquies quadragenas : una minus accepi. Ter virgis cesus sum. Semel lapidatus sum. Ter naufragium feci. Nocte et die in profundum maris fui. In itineribus sepe. Periculis fluminum : periculis latronum : periculis ex genere : periculis ex gentibus : periculis in civitate : periculis in solitudine : periculis in mare : periculis in falsis fratribus. In labore et erumna. In vigiliis multis. In fame et siti. In jejuniis multis. In frigore et nuditate. Preter ea que extrinsecus sunt : instantia mea quotidiana : sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur : et ego non infirmor ? quis scandalizatur : et ego non uror ? Si gloriari oportet : que infirmitatis mee sunt gloriabor. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi sancti : qui est benedictus in secula seculorum. ℟. Amen. Evangelium. Homo quidam nobilis. *Require retro in Sancti Saturnini. fo. 24.*

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluja.

Dicat. ℣. Salvum me fac Domine quoniam introierunt aque usque ad animam meam. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificum.* Hec dicit Dominus formans te ex utero auxiliator tuus : noli timere serve meus rectissime quem elegi : quia ego tecum sum : alleluja : alleluja. ℣. Effundam spiritum meum super te : et super semen tuum benedictionem meam : et germinabitur inter herbas quasi salices juxta fluentes aquas. *P.* Quia.

Missa. Cunctorum licet dilectissimi fratres gloriosas martyrum passiones : quas distincta regionibus loca meruerunt : una fides faciat omnibus indiscreto honore venerabiles : meritoque eis non sit dispar reverentia colendi : quibus par fuit causa moriendi : tamen proprium sibi quiddam in ipso celebritatis officio civilis amor vindicat : et [c] cognita provincia ad illam gratie dignitatem nature jungit religionem. Quia major fit leticie ambitus : in quo patrie servit affectus. Quoque nos Sancto beatissimoque Vincentio : cujus ita sumus : ut noster est : jure debemus. Qui genitalis soli alumnam plebem : et patrocinio erexit et titulo. Magnus confidentia divine protectionis existens : qui vernaculos populos ornaturus assereret : asserturus ornaret. Qui eorum devotionem Deo ingereret : quorum obsidem se dedisset. Ut inter diversas mundi partes : que semine Apostolice predicationis suscepto : perfectam frugem in Martyribus obtulerunt : hec quoque hujus ope muneris gratia non careret : et domesticum Sanctorum municipatum in illa celi statione non perderet. Habens in prorogandis : accipiendisque reliquiis et ipsa quod redderet. Hanc ergo amplius propria venerentur : quam peregrinam mirantur. Ut pro eis se potentiorem ostendat in beneficiis : quibus amabiliorem se agnoscit in gaudiis. Suoque interventu et incolam letificaturus et advenam : equale tuitionis auxilium reddat pro cineribus mundo : civibus pro sepulchro. Amoveat a regione plagam : a religione perfidiam. Et qui fuit Ecclesie victor : patrie sit defensor. Et in eo sic fidei protectione laboret : in qua fuit [d] infidelitate : ut contradictione **293** noceret. Et quoniam hujus virtutibus tu Deus Pater omnipotens auctor esse dignosceris : clementiam tuam imploramus acclives. Ut qui Martyri tuo Vincentio victorie dedisti coronam : nobis peccatoribus indulgentiam de tua larga pietate concedas. ℟. Amen.

Alia Oratio. Convertere Domine ad preces familie tue : quas pro tuo honore per eum deferimus : per cujus confessionem et mortem : te predicatum incredulis sine cunctatione cognovimus. Ideoque clementia patientie tue ita nostris adsit petitionibus : ut nostris per eum patiatur se imprecari orationibus. Quicquid enim per eum speratur : a te expectatur. Ipse nobis de te quod in se redundat exhibeat. Ipse ad te preces nostras portitor deferat. Ipse nobis placabilitatem tuam intercessor obtineat. Te autem alme Vincenti vernule Martyr cuncta cohors a'mma lachrymabili prece circumdat : te hujus caterve [e] toga submissa flagitat mente. Universis de te pluralis devotio : singulisque in se diversa necessitudo est. Alius ovans vota persolvit. Alius plorans mestitudinis questus exponit. Tua sanctitas : et vota suscipiat : et tediosis succurrat. Beatitudo enim tua omnibus anxiis remedia a te venari compellit. Obtinendi namque pro singulis apud Dominum Jesum Christum : et nostrum est fidere : sine cunctatione opem ferre que poposceris : et tuum libenter prestare que imploreris. Tuo freti intercessu recurrant ad penitentiam lapsi : ad indulgentiam rei : ad leticiam mesti : ad medelam languidi. Suos ad cespites exules : ad portum tranquillitatis naufragi : regiones ad proprias peregrini : ad redemptionem captivi : ad hospitatem cives : ad quietem hospites. Tuo obtentu jugis adhereat clementia Regibus. Potestatibus patientia. Militibus modestia. Tuo interventu [f] adsuescant avari misericordiam. Luxuriosi continentiam. Petulantes pudicitiam. Tuo suffragio perfruantur

[a] *Lauda.* Ps. LXI, 1.

[b] *Sacrificium.* Ex Isaia, XLIV, 1. ℣. Ibid., 3, 4.

[c] *Cognita.* Forte, *cognata.* Tres provinciæ Tarraconensis urbes de sancto Vincentio contendebant : Osca, ubi in domo in qua natum asserebant ejus solemnia celebrabantur ; Cæsaraugusta, pro qua aperte pugnat Prudentius (*Hymn. 5 de coron. et Hymn. 4 de* XVIII *martyribus Cæsaraugustanis*) et sanctus Eugenius Toletanus episcopus (*In epigr. apud Sirmundum*) ; Valentia demum, in qua urbe passus est et juxta quam sepultus. Scriptor autem *missæ*, hac invidiosa contentione prætermissa, sanctum Vincentium, tanquam civem suum toti provinciæ Tarraconensi, imo toti Hispaniæ, colendum proponit.

[d] *Infidelitate.* Lege *infidelitati.*

[e] *Toga.* Num forte *togata.* Tarraco enim dicta est cognomine *togata*, sed potius *toga* hoc loco idem est atque *frequentia.*

[f] *Adsuescant.* Num forte, *addiscant.*

ceci corde fidei luce. Hebrei Catholica fide. Erectione oppressi. Solutione vincti. Correctione devii. Salute inconvulsibili furiosi. Tuo adjuti auxilio ambiant: teneantque Clerici sanctitatem. Monachi custodiam. Religiosi castimoniam. Perfectissimam Laici honestatem. Teque intercedente perfectum habeat sapientia intellectum. Terra profectum. Anima lucrum. Vita judicium.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Inter Patriarcharum inclite memorie titulos: Prophetarumque sublimes vaticinio fasces: atque Martyrum inlustres sacram per mortem triumphos: eximiam in agone celesti probatumque ocium: athletam Sanctum Vincentium amore vernulo plebs alumna veneratur. Ob cujus annua festa quesumus omnipotens Christe: ut offerentium nomina volumen vite contineat: et eternis sedibus tua mansuros clementia censeat. Ad quos precedentium nos in pace Dominica animas pax perpetua confoveat: et quies eterna possideat. ℟. Amen. Quia tu es vita etc.

Ad pacem. Oratio. Christe cujus magnitudo potentie Vincentii Martyris tui corpus. quod vesano [a] Datiani furore fuerat marinis projectum in fluctibus: undis advehentibus honorandum revocavit litoribus. Tu nos eodem Martyre suffragante a procelloso hujus seculi profundo: manu pietatis in supernis attolle. Ut qui inimico impellente in hoc mare excrescentibus delictis cecidimus: et per charitatem que est coopertio peccatorum ad portum salutis quandoque perveniamus: letaturi cum omnibus invicem: quos dilectio tua jungit in hac presenti Martyris tui solemnitate.

℟. Amen.

[b] *Alia Oratio que dicitur si Sacerdos voluerit.* Deus cujus tunica desuper totum contexta: unitate fidei pacisque sacramentum designat: concede causa obsequele: quam pro tuo nomine huic deferimus tunice pacem in te Ecclesie tue: pacem populis et gentibus: pacem nobis omnibus presenti in caterva convenientibus: quam ipse instituisti: et quam discipulos tuos servare mandasti: et sine qua neminem tibi placere docuisti. Presta Pater perpetue per **294** Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum: qui es vera pax nostra et charitas indisrupta: vivens tecum et regnans cum Spiritu Sancto: in Trinitate unus Deus in secula seculorum.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est: justum et dignum est: nos tibi agere gratias omnipotens Deus. Pro cujus nomine ille noster gloriosus toto orbe Vincentius levitici honoris gradu potissimus: in stola miles tuus: albe vestis [c] candidatus furentem in Christo rabidi hostis insaniam interritus adiit: modestius sustinuit: securus irrisit. Sciens paratus esse: ut resisteret: nesciens elatus esse quod vinceret. Cum in sede sua numeroso fultum comite: terribilibus presidem verbis ferocientem confidentia provocantem: contemnens: predicatione tui nominis referiret: et ad iram contempti verecundie dolor cresceret: quod

[a] *Datiani.* Sanctum Vincentium, præside Datiano, vel, ut alii malunt, Daciano, passum esse, Acta ejus passionis et sanctus Augustinus (*Serm.* 276, *tom. V, Ed. Maur.*) testantur.

[b] *Alia oratio.* Erat hæc *oratio ad pacem* propria, ut opinor, Ecclesiæ Cæsaraugustanæ in qua tunica sancti Vincentii magna veneratione colebatur. Sanctus Gregorius Turonensis (*Hist. Franc. lib.* III, *c.* 29) refert quod, cum Francorum reges Childebertus et Clotarius, regnante apud Hispanos Theuda, Cæsaraugustam obsiderent, cives, *induti ciliciis, abstinentes a cibis et poculis, cum tunica beati Vincentii martyris muros civitatis psallendo circuierunt; mulieres quoque amictæ nigris palliis, dissoluta cæsarie, superposito cinere, ut eas putares virorum funeribus deservire, plangendo sequebantur, ita totam spem locus iste ad Domini misericordiam retulit*, nec frustra fuere preces, nam, soluta obsidione, reges Francorum, *acquisita maxima Hispaniæ parte, cum magnis spoliis in Gallias redierunt*, quas tamen sanctus Isidorus (*In Chron. Goth.*) non multos abiisse scribit. Fama est Childebertum, inter alia spolia, in Galliam tulisse tunicam sancti Vincentii, quam ab episcopo Cæsaraugustano acceperat, pro munere; atque juxta Parisios basilicam sancti Vincentii struxisse, in qua insignem hanc reliquiam reposuit, de qua re Gregorius Turonensis prorsus silet. Est apud Andream du Chesne (*Hist. Franc. script. Coæt., tom. I, pag.* 6?0) anonymus scriptor, qui circa annum septingentesimum Gesta regum Francorum litteris commendavit; is refert Childebertum regem ab episcopo Cæsaraugustano reliquias sancti Vincentii postulasse: *At ille dedit ei* STOLAM *ejus*, et infra: *Childebertus vero Parisios veniens ecclesiam in honorem beati Vincentii martyris ædificavit.* Non igitur tunicam sancti Vincenti sed *stolam ejus* in Galliam retulerunt Franci, quæ sive idem ac orarium, ut putat Mariana (*De reb. Hisp. lib.* V), sive fuerit vestis sacra *quam supra albam diaconus induit*, ut loquitur sanctus Germanus Parisiensis (*De officio communi*), a tunica certe distinguenda est. Adde Eugenium tertium Toletanum episcopum, loqui de tunica sancti Vincentii non aliter ac si suo tempore (annis centum et amplius, post hanc Francorum in Hispaniam irruptionem) in Ecclesia Cæsaraugustana, cum honore, conservaretur, ut ex apposito ejus epigrammate, a Sirmundo edito, apparet (*De Basilica sancti Vincentii in Cæsaraugusta*), ubi dicitur cruor ejus fluxisse.

Macte decus proprium, Vincenti martyr alumne,
  Unica spes nobis macte decus proprium.
Purpureus niveum meruisti sanguine cœlum,
  Et sequeris Agnum purpureus niveum.
Passio sacra tuum provexit ad æthera nomen,
  Conservet populum passio sacra tuum.
Hic jacet ille cruor, quem das pro corpore pignus,
  Nare fluente tuus hic jacet ille cruor.
HIC TUA NUNC TUNICA quod Christi lhubria præstat
  Tactu nam salvat, hic tua nunc tunica.
Hic veniam culpæ merear votis favorem,
  Gaudia summa ferat qui petit hic veniam.

Cæterum Francorum irruptio contigit anno 541, teste Mariana, aut, ut placet, de Marca (*Hist. de Bearn., lib.* I, *cap.* 23, *num.* 4), anno 542; alii ad annum 543 referunt.

[c] *Candidatus.* Diaconi albis tunicis, quæ nullo cingulo constringebantur, induti, supra quas stolam gerebant, altari astabant. Sanctus Isidorus (*De eccl. Off. lib.* II, *cap.* 8), sanctus Germanus Parisiensis, si modo ille sit, vel alius vetustus scriptor Gallus *de communi Officio*. Hinc sanctus Vincentius Prudentio (*In hymno*) dicitur

Minister Altaris Dei
Septem e columnis lacteis.

despectus sui ipse esset arbiter : qui minister : ipse A testis fieret : qui satelles. Illudque concilium sanctum miraretur : per quod persequens minaretur. Videbat namque alto defossatas in visceribus verberum scrobes : et in sevientis supplicio ferientis manuum plus vulneris invenire : quam corporis. Nudaque ossa non jam carnem ictibus probare : sed sanguinem. Solumque vigentem spiritum : eo stulticiam exprobrare judicis : qui potentiam provocaret auctoris. Carceris queruntur angustie : et obstrusus omnino locus : quo detruderetur eligitur. Non jam qui pestem persecutionis augeret : sed qui laudem confessionis absconderet. Credens quod causam confessionis averteret : si personam qui se spreverat absentaret. Minusque Datianus erubesceret : si Vincentium populus non videret. Contuse substernun- B tur : teste : quo jaceat : quarum ad nocendum natura hinc acuitur : si frangatur. Ut reddita membra tormentis ea sustinerent fragmina : que secarent : atque in vim se acuminis mole sua superjacens corpus urgeret : sed fallitur judicii sui opinione crudelitas. [a] Nam majestas tua famulo suo amplius in confessione comitata : infert novam veteribus tenebris lucem : et tabernaculum sibi : amici sui reddidit ergastulum. Fovet laceros artus : medicat Dei manus : et ad venustiorem soliditatem suppletis plagarum fossis ultra laterum damna compensat insolita tanti luminis claritate : perculsi obstupuere custodes. Vocem hymnum concinentis mens palidi janitoris expavit : currit exanimis metu minister ad presidem : C gravius reverentis relatio nuncii percussura quam gladii. Cum nec posset ex magnitudine rei tacere : quod viderat : et non auderet Domine dicere : quod volebat. Mox in sermone narrantis tremor occupat : dolor lacerat : furor inflammat. Mortis pena subtrahitur : cui pompa carceris invidetur. Profana inferendi exitus complementum suspendit industria : non volens parcere si desistat : sed timens coronare si puniat : profertur ex illo celestis gratie secum atque in secreto habitantis recessu : et pulcrior si adhuc sit passurus : et fortior. Sed ubi desiderium viri ad regnum Dei anime oblatione tendentis intelligit : hoc detrahendum meritis credidit. Quod tormentis quoque titulum contraheret laudis : si numerum incideret questionis. Nec tantam gloriam justicia D redderet : si vita penam non tolleret. Sulcatis per ungulam costis : et patentibus sejuncta nervorum crate compagibus : lenis ac blandioris strati fulcra substituit. Et cum deficere eum odio sancte confessionis exoptet : tamen eum vivere adhuc mendacio sue miserationis infamet : ac si amoto paululum medicumque carnifice animam quietus exalet : dicatur non occisus fuisse : sed mortuus. Quasi non eum pena consumpserit : in quo et pena consumpta est. Gratias ergo tibi Jesu bone : quod anima tuo digna consortio : que pertinax tulit supplicium : ei mendax fuit obsequium. Et que fuit contenta quod fureret : hoc sit dedignata quod parceret. Sic redeuntem ad Dominum suum celestis suscepit aula Vincentium : ut eodem in supernis penetralibus jam recepto : Datianum corpus ejus vinceret : quem Datianus etiam in corpore non vicisset. Comperto Sancti transitu : ejus sibi permittit cadaveris expiatione vindictam : cujus gemit ex **295** virtutis perfectione victoriam. Exponi semesa comedentibus furore suo membra litoribus : avibus mandat et canibus. Ut tali pastu eorum impleret ventrem : quorum gereret mentem. His tamen parcentibus : ille deterior : ut majori meritorum miraculo eorum consuetudo mutaretur : quorum natura non tollitur. Mittitur [b] avis generaliter inhumatis inimica corporibus : que eo persequatur improba quo alatur. Sed quo in laudem Dei cresceret gratiam victoribus rependens : probibitas appositi corporis dapes jejuna servaret : ac ne hoc quasi spreta fecisset : non solum non contigeret : sed vetaret. Eo nimirum obtinens Vincentius prestante : ne comedat : quo Helyas meruit suscipere transmittente quod comedat. Haud procul aura corporis lupus cadaver odoratur : quod cum jam forte contiguum excubiis avis discreta rostro pinno unguibus retro ageret : faciem ingruentis verberat. Siccas fere fauces posite retorsere cervices : et reciduo post tergum capite jacentibus in collo auribus mansueto lumine strictis dentibus rictus reportat. Id in similitudinem penitentis : ostendens quod spectaculi auxisset pompam non corpori fecisset injuriam. Vicit Datianum etiam bellua intellectu : cum in Datiano belluam Vincentius vicisset spiritu. O impudens furor et stulta vesania corvus obsequitur : lupus veneratur : Datianus irascitur. Ad occulendam igitur ejus laudem non jam secretum elegit : sed profundum. Credens sibi ad delitescendam Martyris gloriam : non jam claustra fidem servatura : sed maria. Quasi te Domine elementa prohiberent : cui abdita patuissent. Et cum illa que ipse obstruxerat penetrasses : ista que tu fundaveras non adires. Datur nautis mergendum corpus in fluctibus : ut in auxilium suum equora perficerent : cui ad vincendum militem tuum terra defecerat. [c] Projicitur e navigatis magna freti parte fervoribus : cum et sacco premeretur et saxo. Que inter ferventes undas potens brachii tui manus secuta : que spiritum intulit ad celum, corpus retulit ad sepulchrum. Huc te in preconio tui victoris addente : quod allatum in altum mersus emergeret. Et laudabilius sursum ascenderet : quam deorsum amplius descendisset. Sed non in longum est in submersi mora letata gentilitas : protinus ejecto in litoris quiete Vincentio : insultationis sue passa naufragium vidit non predam fluctibus se dedisse : sed sarcinam disposuit vincere mundum.

[a] *Nam majestas tua.* De insigni hoc miraculo fuse scribunt auctor passionis sancti Vincentii, et Prudentius (*Hymn.* 6 *de coron.*)

[b] *Avis.* Corvus erat. Confer Prudentium (*In hymno*) et Acta passionis sancti Vincentii.

[c] *Projicitur.* Confer Passionem, Prudentium et sanctum Augustinum (*Serm.* 274, 276, *t. V*), ubi Vincentius mortuus maria transnatasse dicitur.

Quem vehendum mare accepit : non tenendum : eumque sic evomeret : ne voraret : ita Domine ad te Vincentius tuus inlatus est celo : et solo probatus et pelago. Ut cum multiplices pugnas expediret secuta victoria : venerabilius reliquias digna servaverit sepultura. Per te quem in unitate Trinitatis conlaudant Angeli atque Archangeli : hymnum semper dicentes.

℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : qui est gloria Sanctorum : et corona Martyrum : promissionis indultor : et pollicitationis Redemptor. Amicus Apostolorum : et gratia triumphatorum. Tutela certantium : et victoria dimicantium. Exortator ad vitam : et incitator ad premium. Quo inspirante fidelis tuus Vincentius non ignorabat athleta fortissimus Levitico honore perfunctus : quod et premium possit accipere ex merito passionis : et bravium ex officio dignitatis : quia erat et de victoria fidus : et de corona non dubius. Ideoque nunc non lamine : [a] igniteque sartagines : non eculei : sublimeque cataste : non ungule fereeque manus : non ergastule : carceresque densis suppleti tenebris : non stridor cathenarum : ac ponderatio gravis cujusque metalli. Non foci fragor : et strepentis passim copia salis patentibus visceribus inlecta internis : nec fragmen te nudo adhibitum corpori : Datiani nequiverunt subjicere passioni. Et cum in tantum persecutoris vecordia ferocisset : ut inhumatum corpus fluctibus deputaret : repente muneris ossa preciosi ambientibus terris : salvum unda famulanter restituit. Quapropter ob hoc Divino nutu maris profunda tetigerunt : ut ex equalibus officium etiam ipsum possit servire naufragio. **296** Tua sunt Domine ista miracula : qui fortis et potens es : ac invictus in prelio. Unde precamur : ut istic ubi nobis reposita est ejus reliquiarum portio : erecta sit patrociniis plenitudo. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Concede tuis pro delictis supplicantibus famulis venie proventum : qui ob passionis premium coronam beato Vincentio contulisti. Tribue quesumus nostris ejus intercessione medelam ulceribus : cujus vulneribus mirificum carnificem superasti. Extingue Sancti Spiritus rore nostrorum incentiva viciorum : qui justi fide ignitas sartagines glaciasti. Depelle fidei munere nostre infidelitatis caliginem : qui profundi carceris noctem ob sancti merita celesti jubare radiasti. Et qui athlete tui Domine corpus exanime voracitas : te obsistente vorare non valuit : nobis tua protectione defensis nulla saltim suggestio inimici vestigium infigat delicti. Pelagus Christe tui testis factus feretrum eum te juvante revexit ad litus : supplicum tuorum cursus vite : te opitulante redeat ad salutem. Illum immaculate conscientie meritum : et fidei virtute consummata passione : religio te presule perduxit ad celum : nos confessio flebilis te miserante eripiat ab inferno. Ut per hoc sacrificium quod tibi in honore predicti Martyris tui dedicandum offerimus : cum Martyribus tue retributionis effulserit gloria : eorum suffragiis evasisse pecatores gaudeant securi a penis. ℟. Amen. Te prestante Jesu bone : quia tu hec omnia a nobis indignis servis tuis valde bona etc.

Ad Orationem Dominicam.

Deus qui Levitam tuum Vincentium tanto virtutum munere decorasti : ut mysterii sacri fretus officio : quo filium tuum Dominum nostrum secuturus esset in passione : ejusdem [b] Christi calicem ministraret prius credentibus in salutem. Tu nos facito coram te digne tractare suscepta ministeriorum officia : quorum gestandam suscepimus obsequelam. Quo Martyr tuus Vincentius divino auctus spiritu : qui persequentem Datianum objetibus duris adgreditur : cum contra Valerium episcopum suum leviter insultasse conquereretur : meritis tuis tribuat omnibus in hac vita feliciorem excursum : et in futura regnum beatitudinis infinitum. Ut sicuti eum inter penas suscepisti te confitentem : ita nunc jubeas exaudire pro nobis orantem : cum ad te proclamaverimus e terris. Pater noster.

Dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Deus lumen eternum : qui novam lucem Martyri suo Vincentio posito refulsit in carcere : inlucescat in cordibus vestris ad eternam remunerationem. ℟. Amen. Et qui corpus ejus in medio mari dimersum marinis gurgitibus revocavit ad litus : revocet vitam vestram ab interitu et noxiis actibus. ℟. Amen. Quique corvo obsequente : dilatavit predicti Martyris gloriam : devotionem vestram solita propitiatione suscipiat. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui es vita.

[a] *Igniteque sartagines.* Hoc tormenti genus, quod in Passione sancti Vincentii dicitur *ignis patibulum* et *quæstio legitima*, unde is qui illud passus fuerat *legitime coctus* dicitur a Lactantio (*De mort. persecut.*, c. 13), a Prudentio denominatur *Palestra gloriæ* (*Hymn.* 5 *de cor.*) :

Ventum ad palestram gloriæ :
Spes certat, et Crudelitas,
Luctamen anceps conserunt.
Hinc martyr, illinc carnifex
Serrata lectum regula
Dente frequenti exasperat,
Cui multa carbonum strues
Vivum vaporat halitum.

Subdit auctor Passionis : *Intrepidus Dei athleta candentis ferri machinam ultro conscendit, torquetur, flagellatur, exuritur, et distentus membris crescit in pœnam;* nam vi ignis additur tortorum crudelitas; nec tantum exuruntur membra martyris, sed eodem tempore lacerantur asperitate ferri, extenduntur ut in catasta, adduntur flagella, et ne quid desit, *Solis ignibus sparsi crepitantes minutiæ per membra dissiliunt*, et decidens de corpore martyris arvina ignis fervorem adauget.

[b] *Christi calicem.* Diaconorum enim erat calicem ministrare.

Require fol. 287. *Mutando nomen : et dicatur* Sancti Martyris tui Vincentii.

In Festo Sancti Ildefonsi Archiepiscopi Toletani :

Officium et ...... alia unius Confessoris Pontificis. Fol. 432.

In Festo Sancte Marie de Pace :

Omnia dicantur ut in Assumptione Beate Marie. Fol. 361.

In Festo Sancti [a] *Babile Episcopi et Martyris et trium Puerorum :*

Omnia dicantur ut in plurimorum Martyrum fol. 430. *Excepta Missa.*

Adsit dilectissimi fratres pretiose mortis Babile : triumque puerorum revehentis anni gloriosa illa celebritatis recursio **297** in qua licet omnibus exultare conveniat : condecet tamen : ut eorum trophea predicare ora mortalium non desistant. Hic enim Babilas : ille est : qui presulatus honore potissimus : eruditor plebium : caput insigne et venerabile Clericorum ex grege commisso : partem sui laboris previam oblationem Christo Domino obtulit consecrandam. Cum eterno [b] trium infantum de profectu sollicitus : quos studio noscendi instruxerat : pastorali sollicitudine ad passionem [c] coortat. Ut cum eis qui ejus obedierant verbo : uno passionis potirentur triumpho. Proinde in horum amorem totus noster exciteiur affectus : et lamentabilis exurgat confessio. Id precipue [d] omnipotenti Domino supplicantes : ut vita nostra et horum imitatione proficiat : et ad sempiternam gloriam remuneratura perveniat. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus etc.

Alia oratio. Deus qui es conlator dignitatum : attributor honorum : et sanctificatio Sacerdotum. Quo accinctus ac roboratus Babilas Sacerdos tuus Ecclesiam tuam : quam tuendam acceperat : exemplo erigit : doctrinis erudiit : adituque domus tue [e] Numeriano locum sanctum calcare volenti : eximius

[a] *S. Babile.* De sancto Babyla, episcopo Antiocheno, Latini die 24 Januarii, Græci 4 Septembris agunt in Menologio Basilii, in quo sub Numeriano cum tribus pueris jugulatus legitur. De eodem, hoc die, agunt Menologium Metricum Seberi et Ephemerides Græco-Mosci (*Bolland.*, *t. I Maii*). Latinorum vero Martyrologium Corbeiense Dacherii, IX Kal. Febr. : *In Antiochia, passio sancti Babilæ episcopi cum tribus parvulis.* Lucense Florentinii, IX Kal. Febr. : *In Antiochia, passio sancti Babilli* [lege *sancti Babylæ*] *cum tribus parvulis.* Rhinoviense (*Bolland.*, *t.* VII *Junii*), IX Kal. Febr. : *In Antiochia sancti Babilli episcopi cum tribus parvulis.* Bedæ genuinum, IX Kal. Febr. : *In Antiochia sancti Babyllæ cum tribus parvulis.* Demum Gotho-Hispani, in fragmento Kalendarii a Francisco de Pisa editi, IX Kal. Febr. : *Sancti Babylæ episcopi et trium puerorum, in Antiochia.* Vetustum enim apud Gotho-Hispanos sancti Babylæ cultum probant, præter citatum Kalendarium, Missale et Breviarium Mozarabum, in quibus missa et officio propriis gaudet. Eusebius (*Hist. eccl. l.* VI, *c.* 23) ait sanctum Babylam, imperante Decio, *Antiochiæ post confessionem in carcere vitam cum morte commutasse.* Et sanctus Hieronymus (*De Vir. illustr.*, *cap.* 54), in Origene, agens de persecutione Decii : *Alexander Babylasque, Hierosolymorum et Antiochiæ Ecclesiæ pontifices, in carcere pro confessione Christi dormierunt.* Sanctus Epiphanius (*De Pond. et Mens.*, *cap.* 19) scribit : *In persecutione Decii martyrium subit Babylas Antiochiæ.* Sanctus Chrysostomus, in libro contra Julianum et gentiles, de causa martyrii sancti Babylæ fuse agit (*Oper. tom. II*, *pag.* 536, *Ed. Maur.*), quem capite plexum esse indicat. Eadem Philostorgius (*Lib.* VII, *cap.* 8) et Suidas fuse scribunt, voce *Babylas.* Acta passionis ejus triplicia edidit Bollandus (*Tom. II Januar. ad diem* 24), quæ Boschius, in tractatu historico-chronologico de patriarchis Antiochenis (*Apud Bolland.*, *tom. IV Julii*) præmisso (*Parerg.* 1), contra objectiones Tillemontii egregie tuetur. Passus est sanctus Babylas cum tribus pueris, anno 250 aut 251, cum sedem Antiochenam tenuisset, ut alii volunt XII, ut alii, XIII annos; ejus corpus trans Orontem sepultum fuit, quo in loco illi magnifica basilica exstructa est (*S. Chrys.*, *hom. de S. Babyla*, *Evagr.*, *lib.* I, *cap.* 6). At, imperante Constantio, Gallus Cæsar, qui rebus Orientis præerat, reliquias sancti Babylæ Daphnim, in basilicam a se in eo vico constructam, transtulit (*Soz.*, *l.* V, *c.* 18). Exinde Apollo, qui, in celebri Daphnitico templo colebatur, oracula reddere desiit, quare Julianus Augustus, cum Antiochiæ versaretur, ut Apollini vocem redderet, corpora sanctorum Babylæ et trium puerorum, nam ea etiam Gallus Daphnim transtulerat, amovenda curavit; quæ proinde celeberrima pompa, ingenti civium Antiochenorum frequentia, in basilicam in qua prius condita fuerant juxta urbem relata sunt (*Socrat.*, *lib.* III, *c.* 16; *Soz.*, *l.* V, *c.* 19; *Theodoretus*, *lib.* V, *c.* 9; *Ruffinus*, *l.* II, *c.* 2; *Chrys.*, *hom. in S. Babylam*, *t.* II, *p.* 131). At brevi postea templum profani numinis igne cœlesti conflagravit, et statua ejus comminuta est (*Socrat. ibid.*, *Soz. et Ruffinus*, *ibid.*). Cæterum inter episcopos Antiochenos unus tantum exstitit Babylas, qui, imperante Decio, martyr occubuit (*Baronius*, *in notis ad Martyrol.*, *et annot. an.* 241, 253; *Boschius*, *in tract. de Patr. Antioch.*, *parerg.* 2). Quare fides nulla adhibenda est interpolatori Chronici Alexandrini (*Olymp.* 257, *indict.* 14; *Ol.* 266, *ind.* 3) et recentioribus Græcis, qui duos Babylas martyres, episcopos Antiochenos, constituunt, alterum sub Decio, alterum sub Carino et Numeriano passum. Nam, ut animadvertit Boschius, nec Eusebius, nec Georgius Syncellus, nec Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus, nec ullus qui patriarcharum Antiochenorum seriem tradit, alterum sub Numeriano Babylam martyrem inter eos recenset. Atque adeo pro hoc secundo Babyla, episcopo Antiocheno et martyre, solum stat Chronicon Alexandrinum, locis citatis, misere vitiatum.

[b] *Trium.* De tribus pueris cum sancto Babyla martyrio coronatis, præter Martyrologia et Acta sancti Babylæ, mentionem faciunt sanctus Chrysostomus (*Hom. in Sanctos Juventium et Maximum*, *tom. II Oper.*, *p.* 578), Theodoretus (*Ecc. Hist.*, *lib.* III, *c.* 6), Philostorgius (*Lib* VII, *cap.* 8), Suidas, verbo *Babylas*, qui eos tres fratres ait fuisse, et plura de eorum et sancti Babylæ martyrio refert. In Actis (*Apud Bollandum*) Urbanus, Prilidianus et Eupolonius appellantur.

[c] *Coortat.* Lege *cohortatur.*

[d] *Omnipo enti.* Lege *ab Omnipotente.*

[e] *Numeriano.* Circa causam martyrii sancti Babylæ difficultates occurrunt hactenus inextricabiles, exinde ortæ quod sanctus Chrysostomus, qui totam hanc historiam non semel alibi et fuse in libro contra Julianum et gentiles (*Oper. t. II*, *p.* 536, *n.* 5 *seq.*) tractat, nullibi imperatorem quem Babylas reprehendit, et sub quo passus est, nominatim appellat, contentus dixisse : *Erat quidam imperator, majorum nostrorum memoria*, cui, Ecclesiam Christianorum ingredi cupienti, sanctus Babylas constanter se opposuit, eumque tandem a foribus do-

palestra repugnaturus obstrusit. Quo per hoc subjecto **gregi** obseratis januis maneret tuta custodia : per **quod** a divinis foribus persequentis foret potestas eliminata. Assiste precibus supplicantis familie tue : **ut** Martyris tui prece : inimici suggestio introeundi **in** nostris cordibus non habeat facultatem. Quo securi **intra** sinum sancte Ecclesie residentes : ita claustris **dominicis** habeamur muniti : ut correctis nobis non **pateat ulterius via errandi** : quatenus per angustum **gradientes** justicie callem : regionis eterne mereamur **latitudinem** introire. ℟. Amen. Per misericordiam **tuam** Deus noster : in cujus conspectu etc.

Post nomina. Oratio. Ecce antistes verissimus et Martyr tuus Babilas incomparabili illo tue Christe dilectionis affectu permotus : gliscit animo : exultat vulta :' ac laudationis jocundatur tripudio. Quod pro nomine ª bojarum ponderibus inligatus : pedibusque revictus in rota : quasi luiturus quod professus fuerat jubetur urbe monstrari : quo potius plus inde sumeret gaudii : quod pro tuo nomine dignus esset contumeliam pati. Ob hoc in tanti Martyris gloriose celebritatis solennitate : inferentes tibi Christe humiliati cordis : et vivorum vota offerimus : et sepultis requiem flagitamus. Rogantes : ut qui Martyrem tuum liberum effecisti ab inlatis suppliciis : et viventes et defunctos a tormentis eruas et presentibus et futuris. ℟. Amen. Quia tu es vita etc.

Ad pacem. Fortis est ut mors dilectio tua Christe : que animam a presenti separat vita. Hanc in testis tui Babile pectore nimium exuberasse fatemur : qui ad passionem tractus trium puerorum quos nutrierat consortium sitiens : maluit unita cum eis pro tuo

mus Dei amovit, atque ob cædem regis cujusdam filii (qui obses, quamvis tenera ætate, traditus fuerat) inique patratam, graviter reprehendit. Quare imperator ira percitus sanctum episcopum, ferro onustum, in carcerem trudi jussit, diis sacrificare renuentem tormentis subjecit, ac demum capite damnavit. Hunc autem imperatorem, quem innominatum sanctus Chrysostomus dimisit, Acta sancti Babylæ aliique plures Numerianum nuncupant. Animadvertit eruditus Editor operum sancti Chrysostomi quod ubi in textu libri contra Julianum et gentiles legitur *ἐγένετό τις βασιλεύς, erat quidam imperator*, in margine Codicis regii scribitur Νουμεριανός, *Numerianus*. Nec recens est traditio hæc, siquidem a seculo IV non defuerunt qui mortem Babylæ Numeriano tribuerunt, ut ex Philostorgio discimus, qui (*l.* VII, *cap.* 8) prodidit sanctum Babylam morte mulctatum esse *quia Numerianum imperatorem, vel, ut quidam aiunt, Decium, ab ingressu ecclesiæ prohibuisset.* Similia habet Suidas, verbo *Babylas*. At quis iste Numerianus? Nam inter imperatores Romanos unus hoc nomine legitur, Cari Augusti filius, sub quo neque vixit ullus, nec passus est Babylas Antiochenus episcopus. Fortasse, per errorem, Numerianus pro Decio in vetustis Codicibus scriptus est. Siquidem *quidam aiunt Decium ab ingressu ecclesiæ* rejectum esse a Babyla ; at ne hoc de Decio credatur, præter alia, facit quod ille in Oriente post susceptam purpuram versatus non sit. Fortasse Numerianus iste sub quo passus est Babylas tyrannus aliquis fuit, qui tempore Decii in Oriente imperatoris nomen et dignitatem assumpserat. De Jotapiano quodam Aurelius Victor (*De Cæs., in Decio*) meminit, *qui, Alexandri tumens stirpe*, purpuram in Syria induit ; est et Papianus, apud Zozimum, in Syria tyrannus, sub finem imperii Philippi. Quid si horum aliquis, si modo diversi sint, Numerianus dictus fuerit, et sanctum Babylam morte affecerit? Chronicon Alexandrinum (*Olymp.* 257, *indic.* 14), Leontii episcopi Antiocheni auctoritate fultum, prodit, sanctum Babylam a Decio interfectum esse non solum ob Christi religionem, sed quod Philippum imperatorem ejusque conjugem, uti Christianos, ab aditu ecclesiæ prohibuerit, ob cædem a Philippo patratam. Hunc locum corruptum esse primus Chronici hujus Editor Matthæus Raderus monet. Et exinde Tillemontius occasionem arripuit dicendi, Acta sancti Babylæ a Leontio corrupta fuisse. Ille tamen, Acta illa corrupta secutus (*Tom. III, p.* 401), asserit Philippum imperatorem eum esse quem Babylas ab ecclesiæ ingressu rejecit ; atque hæc opinio, quæ nulla antiquorum auctoritate nititur (*Jac. Gottifredus, in l.* VII, *c.* 8, *Philostorgii*), cum iis quæ narrat sanctus Chrysostomus convenire nequit. Mitto, valde ambiguum esse an Philippus Christianus fuerit necne? Sed si Philippum Christianum fuisse cum Eusebio admittatur, simul dicendum erit cum eodem (*Hist. eccl., lib.* VI, *cap.* 34), Philippum æquo animo repulsam et reprehensionem episcopi tulisse, quem Babylam fuisse Eusebius non dixit. At, apud Chrysostomum, imperator ira furens Babylam in carcerem primum, tum affectum tormentis, ad mortem duci jussit. Prætereo Philippum non obsidem, regis cujusdam filium, sed Gordianum imperatorem occidisse; Babylam sub eodem principe passum esse, quem ab ecclesia rejecit. Demum prætereo quod ille idem et Babylam jusserit diis sacrificare, et in Ecclesiam persecutionem moverit, quorum nihil Philippo imperatori convenit. Bernardus de Montfaucon, eruditus Editor Operum sancti Chrysostomi, opinionem Tillemontii amplexus, auctoritatem sancti Chrysostomi in hac re aperte rejicit (*Admonit. in hom. de S. Babyla, et in librum contra Julian. et gent., Oper. t.* II, *pag.* 530), asserendo eum, quæ de genere et causa mortis sancti Babylæ affert *ex populi rumore potius quam ex vera rerum gestarum historia* protulisse, atque in hac narratione *plerumque veritatem desiderari.* Unde eruditissimo viro innotescere potuerit narrationi Chrysostomi veritatem deficere non satis video. Certe sanctus doctor, explicans Epistolam ad Ephesios (*Hom.* 9, *in Ep. ad Eph.*), tanquam rem certam, et omnibus notam, breviter indicat, sanctum Babylam vincula et mortem passum esse, quod *regem inique se gerentem*, instar Joannis Baptistæ, arguerit. Idemque (*Hom. de S. Babyla, tom.* II, *pag.* 531) haud obscure docet, se, non ex ore vulgi, sed ex certa majorum traditione, accepisse ea quæ de martyrio sancti Babylæ scripserat : *Quantam*, inquit, *fiduciam cum imperatorem alloqueretur, præ se tulerit* Babylas, *et quo pacto pro ovibus suis animam suam posuerit, ac beatam illam cædem subierit, hæc et alia presbyteris doctoribus commemoranda, et communi Patri nostro, relinquemus.* Quibus breviter complexus omnia est quæ fusius in libro contra gentiles de morte sancti Babylæ, ejusque causa, prosecutus erat, de quibus eadem se tradidisse ostendit quæ ab antiquioribus Ecclesiæ Antiochenæ presbyteris et ab ipso episcopo tradebantur, quos in martyrio celeberrimo, inter ipsos patrato, nec ab eorum ætate valde remoto, turpiter errasse, ægre putandum est, maxime cum ex tabulis ecclesiasticis, et ab Actis publicis magistratuum totius rei gestæ certam notitiam facili negotio consequi poterant.

ª *Bojarum.* Confer Acta, in quibus hæc vox recurrit. Sunt autem boiæ vincula graviora ferrea, aut lignea, quibus collum et pedes nectebantur. Sanctus Chrysostomus (*Hom.* 9 *in Ep. ad Ephes., Oper. tom. IX, pag.* 70) refert, sanctum Babylam mandasse ut corpus cum vinculis sepeliretur, *et nunc*, inquit, *siti sunt compedes cum cinere.*

nomine persecutoris morte mulctari : quos salutaribus A disciplinis erudiens tue unierat charitati. Proinde quia tu es hujus dilectionis largitor : te postulamus : ut unita per te in pacis societate connexi exemplo Martyrum tuorum : et invicem sine crimine vivamus : et te ex bonis actibus in eterna pace laudemus. ℟. Amen. Qui tu es vera pax.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Qui es laus perpetua Sacerdotum : corona infantium : et sustentatio infirmorum. Per eum quippe sacratissimus Babilas Martyr et presul persequentis Numeriani impetum inodestus calcavit : infantium teneritudo non timuit : sexus infirmior non expavit. Dum B quippe previus atque magister Babilas trium puerorum presentiam expetiit : per quam confutaretur injusta verbositas Numeriani. [a] Qui dum cum matre accersiti venerunt : interrogati una cum matre : Babilam sibi patrem esse testati sunt. Cum tamen mulier fecunda charitate divina : non uteri sui partus exponeret : sed etiam divini Spiritus progeniem
298 enarraret. Quo ex coitu genitoris vel genitricis non nascitur : sed divinis profectibus utero celestis vulve formatur. Cum etiam matrem persequens furor ante filios : quos non agnosceret : verberari alapis mandat : sed una trium infantium societas voce clamabat : quod Babilas sibi esse dominus atque pater : pro quo eorum mater talia sustineret. Illico ceduntur et parvuli : pro quorum cesione mater ante Dominum C orationis sue questus exponit. Illi respiciendam filiorum commendans etatem : pro quo eis inlata esset mortis questio immature. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie : una voce dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere benedictus et sanctus : et ammirabilis Dominus Jesus Christus Filius tuus. Qui predictum Sacerdotem suum : trino fultum comite coronavit : et in [b] eculei penis positum non reliquit. His igitur veri Pontificatus peragens cursum : [c] lotis inter innocentes manibus verum divino sacrificium litavit altario : dum se cum his quos nutrierat salutarem victimam [d] per gladii animadversionem obtulit Christo. Pio Domino redemptorique nostro.

Post pridie. Oratio. Omnipotens eterne Deus : D quem verus Sacerdos tuus Babilas parvulis sibi in passione comitantibus tribus : bojarum ponderibus adjicitur : vinculis arctioribus conligatur : eculeoque suspenditur. Ut eos et se tibi in verum sacrificium Sacerdos venerabilis exhiberet : quo numerosa tormentorum genera pro tuo Christe nomine pertulisset. Tu oblatis tibi sacrificiis benedicens : exemplo Babile Sacerdotis tui : carnales a nobis inlecebras pelle : et suffragio trium infantium gloria nos eternitatis attolle. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Intendite fratres charissimi Sacerdotis Babile inconvulse spei virtutem : triumque puerorum robustiorem animi fidem : quam valentem corporis qualitatem. Quos predictus Doctor egregius gladio continuo percussuros sacris ulnis congeminando complectit : gratias flebiliter referens Creatori : quod eos quos de manu ejus acceperat : coronandos obtulerit illi. Horum igitur exemplum constantie imitantes : mores corrigamus in melius : charitatem teneamus ad invicem : per dilectionem exceptum ministerium expleamus : et ad servitutem Dei ceteros inflammemus. Operari justiciam delectemur : noxia fugiamus : spiritu oremus atque dicamus. Pater noster qui.

Dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Babile precibus solvantur vestra peccata : cujus virtute Numeriano domus Dei obserata sunt limina. ℟. Amen. Ejusque suffragio animarum vestrarum vos gaudeatis obtinuisse lucrum : cujus documento trium puerorum societas meruit subire martyrium. ℟. Amen. Ut sicut iidem infantuli magistro subsequente gladio pro Christo parili animadversione truncati sunt : sic vos unita vincti societate divinum semper agatis obsequium. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et vi.

Com. Refecti Christi corpore.

Oratio. Domine Deus omnipotens. *Quere retro in Sancti Juliani et Basilisse. Fo.* 287. *Et ubi dicitur* Juliani et Basilisse : *dicatur* Sancti Babile et trium Puerorum.

Timothei Episcopi discipuli Pauli :
Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. Fo. 432.

Conversio Sancti Pauli :
Omnia dicantur de uno Confessore. Fo. 432.

Projecti Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. Folio. 421.

In Festo [e] *Sancti Tirsi Martyris :*
Omnia dicantur unius Martyris. Folio. 421. *Excepta Missa subsequente.*

Missa. Ad confitendum nomini Domini lingua no-

[a] *Qui dum.* Confer Acta apud Bollandum (*T. II Jan., pag.* 574).

[b] *Eculei pœnas.* Acta apud Bolland (*T. II Jan., pag.* 575).

[c] *Lotis.* Alludit ad solemnem precationem sacerdotis dum manus ad altare lavat.

[d] *Per gladii animadversionem.* Eusebius (*L. VI, cap.* 23) et ex eo sanctus Hieronymus (*De Vir. illustr., cap.* 54), scribunt sanctum Babylam in carcere obiisse. At sanctus Chrysostomus (*De Babyl., contra Jul. et gentiles, Oper. t. II*) ait, sanctum Babylam e carcere ad mortem jussu imperatoris ductum esse. Auctoritas autem sancti Chrysostomi in re ad Ecclesiam Antiochenam pertinente, et quam non perfunctorie, sed fuse nec semel, describit, præferenda est. Eadem quæ sanctus Chrysostomus scripsit de genere mortis sancti Babylæ sensisse videntur quotquot cum tribus pueris martyrium fecisse prodiderunt. Mortem sancti Babylæ egregie describit Suidas, verbo *Babylas.*

[e] *Sancti Tirsi.* De sancto Tyrso Missale et Breviarium Mozarabum agunt VIII Kal. Februarii At

stra mediletur dilectissimi fratres justiciam ejus : pro triumphis beati Martyris Tirsi : qui hausto fideliter calice passionis : prius eum meruit tenere : quam nosse : ac fructum glorie participatione gratie prevenire : ante conspicere regnantem : **299** quam suscipere redimentem. Proinde deprecemur clementiam ejus : ut nos exaudiat : et exauditis petita tribuat. Et cujus honoribus speciale debitum proprii amoris impendimus : ejus patrocinii peculiare suffragium incolatus saltim consortio capiamus.

℟. Amen.

Alia Oratio. [a] Celestibus satiari cupientibus : occurre omnipotens Deus beatissimo Tirso tuo gentili antea misertus. Inter ceteras quas pro tuo nomine sustulit penas : paratum supplicium plumbi in adversarios ejus : oratione ipsius Martyris retorsisti. Pro quo flebilibus te Deus rugitibus imploramus : ut per hunc Martyrem a quo predicti metalli supplicium detorsisti : detergas massam totius nostri peccati. Atque te opitulante qui inlatam sibi penam : in se persequentes dejecit : ministret sibi obsequentibus tutelam patrocinii indisrupti. Ut per eum famulantes obtineant veniam : per quem persequentium est devicta audacia. Ac per quem infidelitas penali consumpta est igne : per eum credulitas flamma ardeat charitatis divine.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui tanta severitate judicii ultor fuisti in persecutoribus beatissimi Martyris tui Tirsi : ut [b] eorum defuncta corpora terra recusaret suscipere : que ferocitas eorum viri justi sanguine cruentasset : tu pius ac benignus offerentium obsequiis delibutus : sepultorum spiritibus eterna refrigeria prebe. Ut ita predicti Martyris suffragio : habeant fideles defunctorum anime premium : sicut per eum corpora damnatorum meruerunt invenire sepulcrum. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Salutis nostre compendium expetentes omnipotens Deus precamur : ut qui beatissimum Athletam tuum Tirsum : sectoribus trahentibus serram duabus in partibus non permisisti secari : nulla nos facias ab invicem malicie simultate discindi. Quo sicut [c] novem pene exemptis horis : nec capillus motus est a sectoribus de capite tui Martyris : sic per omne tempus vite nostre nullis permoti scandalis : septi semper maneamus munimine charitatis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum satis et justum est : ut tibi Deo nostro laudes et gratias in quantum possumus referamus. Qui beatissimum Tirsum prevenisti in benedictione gratie tue : ostendens illi in tenebris lumen : et perfectionem gratie post laborem. Etenim te opitulante plumbatis tunditur : nec terretur : cruceque fracto potentius roboratur. Hunc graciliores lori ligature non dissipant. Hunc pertinax furor [d] vibicibus acutissimis non exsecat. Hic in frustra discerpi jussus gladio constans : hic in parato sibi torrentis plumbi supplicio invenitur exultans. Quod in illis retorserit virtus tua tormentum : qui sibi venerant inlaturi supplicium. Is quippe vir ad manifestandam gloriam potencie tue Deus : carceris revinctus ergastulo : mirabili progressu stipatus : collegio educitur Angelorum. Nam cum intempesta nocte loco quo detinebatur multitudo supernorum inrueret civium : illico ostia carceris reserantur : et subito novum refulsit illo in loco ad honorem Martyris lumen : quod onera catenarum ejus dissolveret. [e] Ductoribus deinde Angelis lumine precedente : baptismum tuum suscepturus iter aggreditur : usque dum perveniret ad locum : quo celestis fontis lavacro tingeretur. Et merito talia suscepturo : tali luminis claritate anteitur. Ut qui nivei fontis purificatus esset ex gurgite : celesti letaretur obsequio precedente. Innovatus post inde unda celesti : redditur carceri purificatus ex lavacro : consummato potiturus triumpho. Hunc exeuntem quia custodes carceris non viderunt : regredientem mirati sunt. Unde [f] in ferociam concitati : carceris disrupti prosiliunt vindictam cum gladiis inlaturi. Sed mox inlesum quem fixerant : ut repererunt sigillum illico procax insania mitigatur : et suos vaginis gladios condiderunt. Proprios auditus suspendentes in canoram Martyris vocem :

fragmentum Kalendarii Gotho-Hispani v Kal. Febr. *sancti Tyrsi, vel comitum mart., Græcia.* De eodem v Kal. Febr. agunt Romanum Parvum, Ado, Usuardus, Romanum Baronii, et alia quædam Martyrologia. Hieronymiana sanctum Tyrsum xviii Kal. Jan. commemorant. Lucense Florentinii et Corbeiense Dacherii xvii Kal. Febr. *in Ægypto, Crisconi, Tyrsi, Leuci, Gainiti,* etc. Quædam, aliis diebus, Tyrsum colunt; Græci vero, in Menologio Basilii, die 14 Decembris. Comites sancto Tyrso adduntur Lucius et Callinicus, de quibus videndus Baronius, in notis ad Martyrologium. Sed de iis, hac die, aut de Tyrso, nihil est in Beda genuino. Acta sancti Tyrsi et sociorum, præter citatos a Baronio, exstant apud Bollandum (*Tom. II Januarii, pag.* 803). Celebris et vetustus in Hispania cultus ejus. Erat illi basilica juxta Toletum. Unde reliquiæ Ovietum translatæ sunt. Cæterum sancti Tyrsi et sociorum martyrum nomina diversimode in Martyrologiis scripta leguntur. De loco martyrii et die passionis haud exigua est varietas. Sunt etiam qui sanctum Tyrsum Hispanum genere et civem Toletanum dicunt. De sancto Tyrso silet Orationale Gothicum Blanchinii.

[a] *Cœlestibus.* Lege *cœlesti cibo.* More prisco fideles cœlesti eucharistiæ cibo, solemnitatibus martyrum recurrentibus, reficiebantur. Sanctus Basilius (*Epist.* 93, alias 289), ad Cæsariam patriciam de frequenti communione scribens : *Nos quidem,* inquit, *quater singulis hebdomadibus communicamus, Dominica die, quarta die, in Parasceve, et Sabbato, et aliis diebus si sancti alicujus memoria recolatur.*

[b] *Eorum corpora.* Combritii scilicet et Silvani. Confer Acta sancti Tyrsi.

[c] *Novem.* Ita in tertiis Actis (*Apud Bollandum*). At in primis et secundis (*Apud eumdem*) legitur ministros *tribus horis* serram frustra duxisse.

[d] *Vibicibus.* Fortasse, *vulsellis.* In Actis secundis sancti Tyrsi citatis Combritius jussisse legitur *uncinis acutis palpebras ejus evelli*; at *uncus* non est aptus ad evellendum, quare legendum puto *volsellis*, aut *vulsellis acutis*; est enim *vulsella*, aut *volsella*, instrumentum quibus pilos evellebant,

[e] *Ductoribus.* Plura de hac re lege, si vacat, in secundis et tertiis sancti Tyrsi Actis, apud Bollandum.

[f] *In ferociam.* Lege : *Ferocia nimia concitati.* Confer prima sancti Tyrsi Acta citata.

cum te idem athleta tuus novo cantu carminis conlaudaret : ita proclamans atque dicens. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus in excelsis : ammirabilis : et preclarus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus. Qui beatissimum Martyrem Tirsum prius martyrio consecravit : quam lavacro : prius fide : quam regeneratione : prius etiam supplicio : **300** quam baptismo. Ostendens illi inter penas constantiam : inter carceres lumina : inter adversantes vindictam. Cum [a] cesores suos ante pena consumeret : quam ipsum penaliter lacerarent. Ante cedentes deficerent : quam ceso vitam extorquerent. Is etenim incomprehensibili sinus tui inlustratus archano : trino persecutus judice vita non caruit : in qua tamen ludibriosum eorum finem ante B predixit. Sicque eos horribili mortis exitu citius premisit ad penam : quam sibi extorquerent vitam. Deinde tuis adiutus omnipotens Pater judiciis : placito tibi tempore sacratum consignavit spiritum : quem inter adversa mundi constantia servaret inlesum pariter et invictum. Unde te in hujus Martyris solenni festo rogamus : ut precibus ipsius dones tibi confitentibus veniam : qui manifestam ostendisti in persecutoribus ejus vindictam. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Prospiciens de excelso sancto tuo summe Deus : hec holocausta placatus attende : qui beatissimum Tirsum tuum delatis Angelorum obsequiis : et in carcere visitasti : et ex profundo maris eripuisti. Quo omnes nos qui ex his sacramentis li- C baverimus : cunctis veniam impetrantes : et inter istius mundi fluctus tuorum Angelorum custodiis muniamur : et remuneraturi ad te de hujus vite carcere exeamus. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Deus cujus magnitudinis fuit : ut contra naturam beatissimus Martyr tuus liberandus sub aquis emitteret vocem : cum constipato capite cervice tenus vase pelvis arctatus consisteret. Libera nos de aquis A multis : et de manu filiorum alienorum. Quo lingua nostra ab undis odiorum sit extera : et in sola sibi tui nominis confessione sufficiat : quo jubente dicimus. Pater noster.

Dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus qui beatissimum Tirsum ante fide prevenit : quam lavacro : fidei dono et baptismi vos conservet ac municet sacramento. ℟. Amen. Quique corpus ejus nec serra dividi passus est : nec gladio desecari : a gremio matris Ecclesie nulla vos patiatur occasione divelli. ℟. Amen. Et cum illis civibus post hanc vitam mereamini habere consortium : quorum hic predictus Martyr meruit invenire obsequium. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui es vita. *Quere in sancti Juliani et Basilisse. fo.* 287. *commemorando nomen* Beati Tirsi Martyris.

Policarpi Episcopi et Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris Pontificis. fo. 423.

Johannis Crisostomi Episcopi :
Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fo. 432.

Agnetis secundo :
Omnia dicantur unius Virginis. folio. 436.

Valerii Episcopi et Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris Pontificis. fo. 423.

Octava Sancti Ildefonsi :
Omnia dicantur ut in die fo. 296.

Sancte Batildis Regine :
Omnia dicantur unius Virginis. folio 436.

Sanctorum Ciri et Johannis Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

Ignatii Episcopi et Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris Pontificis. fo. 423.

Brigide Virginis :
Omnia dicantur unius Virginis. folio 436.

In Festo [b] Purificationis Beate Marie.

---

[a] *Cesores.* Hoc vocabulo utuntur sanctus Hieronymus et alii sequioris ævi ; idem atque *cædens* significat, aut *cædere imperans.*

[b] *Purificationis.* Ita etiam inscribitur Breviario Mozarabum. De hac festivitate plura apud em. Baronium, in notis ad Martyrologium, apud Martenium (*De antiq. Eccl. Ritib., l.* IV, *c.* 15) ; et præ omnibus D legenda quæ sanctissimus Dominus noster Benedictus XIV, in opere *de Dominicis et Festis D. N. Jesu Christi, beatæ Mariæ Virginis, et quorumdam sanctorum* (*Oper. tom. X, Ed. ad Roman. lib.* II, *cap.* 2), de festo Purificationis erudite digesta edidit. Quod Hierosolymis primum celebratum tradunt, alii circa medium sæculi V, alii citius, postea vero Constantinopoli a Justiniano institutum ut die secunda Februarii celebraretur. At in Occidente alii festum Purificationis institutum a Gelasio papa (qui ab anno 492 ad 496 pontificatum tenuit), sublatis Lupercalibus, contendunt ; at Gelasius ipse, in libro contra Andromachum, se quidem prohibuisse scribit ne Christiani in urbe Roma Lupercalia celebrarent, at de festo Purificationis aliove a se instituto silet. In libro Pontificali, Sergius papa I, qui anno 701 obiit, constituisse legitur ut *die sancti Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, litania exeat a sancto Adriano, et ad sanctam Mariam populus occurrat.* De candelis silet. Cæterum de festivitate hac agunt vetusta Martyrologia Lucense Florentinii, Corbeiense Dacherii, aliaque Hieronymiana, in quorum aliis *Purificatio sanctæ Mariæ*, in aliis *Susceptio Domini in templo*, in aliis *Solemnitas sanctæ Mariæ quando Dominum nostrum in templo præsentavit*, dicitur. In Martyrologio Bedæ genuino *Hypopante Domini*, in Sacramentario Gregoriano Pamelii *Ypanti*, in Capitularibus Evangeliorum *Ypopanti*, et in Sacramentariis Gelasiano Thomasii et Gregoriano Menardi scribitur *Purificatio sanctæ Mariæ.* Denominatur etiam *Festum sancti Simeonis, et* nonnunquam *Occursus Domini*, appellatione a Græcis petita : ii enim hanc τὴν τῆς Ὑπαπαντῆς ἑορτὴν, τὴν τοῦ Σωτῆρος ὑπαντὴν, *Salvatoris occursum*, nuncupant. Jam vero ad Gotho-Hispanos et Gallos quod spectat, mihi credibile est eos festum Purificationis, aut Hypopantes, non celebrasse ; ejus enim nulla exstat mentio in sancto *Isidoro*, in fragmento Kalendarii Gotho-Hispani, in conciliis Gotho-Hispanis, in Orationali Gothico, aut in Codice legum Visigothorum (*Lib.* II, *tit.* 1, *leg.* 11 *aut lib.* XII, *tit.* 4, *lege* 6), ubi recensentur festivitates quæ a Judæis ad fidem conversis observandæ erant, et inter alias *Inventionis crucis Dominicæ* festivitas

[a] *Ordo ad benedicendum candelis.*

Veniat Sacerdos in chorum cum Ministris et cruce et thuribulo : ceroferariis : et aqua benedicta. Et cerei portentur extincti in candelabris : donec illuminentur a [b] *novo igne benedicto. Et sculpatur novus ignis cum scilice et ex lavone. Et benedictiones et orationes sequentes usque ad prefationem dicantur lenta voce ad modum orationis.*

Benedictio. [c] Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus bene ✠ dicere et sanctifi ✠ care digneris ignem istum : quem nos **301** indigni per invocationem Unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi bene ✠ dicere presumimus : tu clementissime Pater tua bene ✠ dictione sanctifica : [d] et ad profectum humani generis pervenire concede. Per eumdem Dominum nostrum Jesum etc.


[e] *Post benedictionem ignis benedicantur Cerei.* ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *P.* Qui fecit. ℣. Sit nomen Domini benedictum. *P.* Ex hoc. ℣. Domine exaudi. *P.* Et clamor. ℣. Dominus vobiscum. *P.* Et cum.

Oratio. Oremus. [f] Omnipotens sempiterne Deus : qui hodierna die Unigenitum tuum Israelitice legi carnaliter subjectum : cum mysticis hostiarum oblationibus in templo presentari fecisti : quique justi Symeonis longam expectationem : ipsius visione : atque ulnarum deportatione implesti : da super hos cereos in honorem tui nominis consecrandos benedictio ✠ nem : et presta : ut qui eos hodie ob amorem tui nominis gestaverint : per sancte Dei Genitricis intercessionem a presentibus periculis eruantur. Per eumdem.

Oremus. *Oratio.* [g] Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus : has candelas tua benedictio ✠ ne perfunde : quatenus fidelis populus eas in manibus portans : non solum exteriori lumine gaudeat : sed

A cecitate cordis expulsa : sic lumen quod in tenebris lucet apprehendat : ut nequaquam a via veritatis deviet. Per Dominum.

[h] *Præfatio.*



neque de ea ulla fit mentio in libris liturgicis Gallicanis ; nam *festivitas Sanctæ Mariæ*, quæ in Lectionario Luxoviensi inter Epiphaniam et Cathedram sancti Petri recurrit, non est *Purificationis* festum, sed *Assumptionis sanctæ Mariæ*, ut in Missali Gallo-Gothico scribitur, quam solemnitatem, ut animadvertit Mabillonius, Galli mense Januarii celebrabant. Demum in vetusto Lectionario Ambrosiano em. Thomasii omittitur festum Purificationis. Neque obstant sermones qui sancto Hildephonso archiepiscopo Toletano, et sancto Eligio Noviomensi de Purificatione tribuuntur. Hos enim aliosque sermones, qui vulgo horum sanctorum nomina præferunt, ad eos minime pertinere animadvertunt Nicolaus Antonius (*In Bibl. vet. Hisp., lib.* v, *pag.* 291, *num.* 306, *et pag.* 301, *num.* 363), et Oudinus (*Suppl. de script. Eccl., pag.* 172), qui hosce sancti Elegii sermones scriptori cuidam sæculi ix restituendos ait.

[a] *Ordo.* Eadem rubrica in Missali Toletano exstat. Cæterum in Vulgato Alcuino, in Amalario et Valfrido Strabone nulla est mentio benedictionis candelarum, de qua etiam silent Sacramentaria Gelasianum et Gregorianum. De cereis tamen mentionem facit in festo Purificationis a pontifice distributis Alcuinus (*De eccl. Off., cap.* 7), et de cereis accensis quos *in* ὑπαντῇ, *quod est Præsentatio* Domini, *accensos manibus portamus*, Amalarius (*De eccl. Offic., lib.* iv, *c.* 34.)

[b] *Novo igne.* Idem præscribit Missale Toletanum, et adhuc in quibusdam Ecclesiis Galliæ observatur, idemque in mss. Codicibus ecclesiasticis Narbonensi, Arelatensi, aliisque, apud Martenium (*De ant. Eccl. Rit., l.* iv, *c.* 15), recurrit.

[c] *Domine.* Oratio eadem *benedictio ignis* Missali Toletano, anno 1550, Lugduni in Gallia typis edito, et Pontificali ms. Arelatensi, apud Martenium, inscribitur. Idem quoque in ms. Codice Narbonensi (*Mart., ibid.*) initium est benedictionis *novi ignis*, at reliqua dissentiunt ; expressam enim commemorationem faciunt festivitatis Præsentationis Christi in templo, et luminum quæ manibus geruntur.

[d] *Et ad profectum.* Ita etiam in Missali Toletano. In
D
Pontificali Arelatensi ms. : *Et ad profectum atque illuminationem sanctæ tuæ Ecclesiæ pervenire concede ; per*, etc.

[e] *Post benedictionem ignis.* Eadem rubrica in Missali Toletano exstat.

[f] *Omnipotens.* Oratio eadem exstat in Missali Toletano, in ms. Pontificalibus Arelatensi et Narbonensi citatis, in quibus *benedictio cereorum* scribitur, aut *candelarum.*

[g] *Adesto.* Oratio eadem in Missali Toletano, et in supra citatis ms. Narbonensi et Arelatensi exstat.

[h] *Præfatio.* Hinc etiam constat, hoc officium Gotho-Hispanum non esse, neque Gallicanum ; nam Gotho-Hispani *illationem* dixissent, Galli *contestationem.* Cæterum eadem præfatio exstat in Missali Toletano, et in ms. Codicibus Arelatensi et Narbonensi citatis.

[i] *Oraculis.* Ita in Toletano. At in Narbonensi ms. legitur : *Quem longe antea promisisti prophetarum oraculis venturum temporibus novissimis*, etc.





[a] *Hic aspergat aquam benedictam super candelas et super circumstantes : et statim incipiat Cantor. Ant.* Venite et accendite. *Tribus vicibus repetatur. Deinde alia Ant.* **303** Lumen ad revelationem. *Psal.* Nunc dimittis. *Et per singulos versus repetatur Ant.*

Postea dicatur.

Benedictio. [b] Domine Deus Pater omnipotens lumen indeficiens : qui es conditor omnium luminum : bene ✠ dic hoc lumen tuum a fidelibus in honorem tui nominis portandum : quatenus a te sanctificatum sit : atque benedictum : et ut lumine claritatis tue accendamur : et illuminemur : propicius concedere digneris : et veluti eodem igne quondam illuminasti Moysen famulum tuum : ita illumina corda et sensus nostros : ut ad visionem claritatis eterne pervenire valeamus. Per Christum.

Qua finita itur ad processionem. Finita processione incipietur Missa.

[c] *Officium.*

Symeon in templo elevavit vocem dicens : nunc dimittis Domine servum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare populi tui. ℣. Notum fecit Dominus salutare suum : ante conspectum gentium revelavit justiciam suam. *P.* Quia viderunt. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Quia viderunt.

Dicat Presb. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. Gloria in excelsis Deo.

Oratio. Omnipotens Deus Pater et Domine : largire credenti populo pacem : et in templo tuo salutare tuum : quem Symeon justus ulnis suis accepit : ut qui lumen ad relevationem gentium extitit : indultor criminum sibimet credentium sentiatur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus : et vivis : et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio Libri Malachie Prophete ([d] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

[a] *Hic aspergat.* Et infra, *venite*, etc. Eadem ferme rubrica in Toletano et in citatis Arelatensi et Narbonensi legitur, cum hoc discrimine, quod in Arelatensi *cantor incipit : Venite et accendite lampades.* In Arelatensi vero : *Diaconus tenens candelam accensam novo igne versus ad populum incipit, suppressa voce : Venite, accendite; et chorus respondet : Aptate vestras lampades, ecce sponsus venit, exite obviam.*

[b] *Domine.* Eadem in Toletano inscribitur *benedictio*. In Narbonensi vero brevior est.

[c] *Officium.* Ex Evang. Luc. II, 28. ℣. Ps. XCVII, 2. Oratio *Omnipotens* est e Breviario, p. 76.

[d] *Cap. III.* Vers. 1-5. Hæc prophetia pro Epistola legitur in Lectionario Missæ em. Thomasii, in Missalibus Toletano, et Romano sancti Pii V.

Hec dicit Dominus. Ecce ego mitto Angelum meum : et preparabit viam ante faciem [a] tuam. Et statim veniet ad templum suum dominator : quem vos queritis : et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce veniet : dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus ? Et quis stabit ad videndum eum ? Ipse enim quasi ignis conflans : et quasi herba fullonum. Et sedebit conflans et emundans argentum : et purgabit filios Levi. Et colabit eos quasi aurum : et quasi argentum. Et erunt Domino offerentes sacrificia in justicia. Et placebit Domino sacrificium Juda et Hierusalem : sicut dies seculi : et sicut anni antiqui. [b] Dicit Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Psallendo.* Vidimus gloriam Domini : gloriam quasi unigeniti a Patre : plenum gratia et veritate. ℣. Sicut audivimus : ita et vidimus in civitate Dei nostri in monte sancto ejus. *P.* Unigeniti a Patre.

Dicat Presbyter. Silentium facite.

[d] *Epistola.* Fratres gaudete in Domino. *Require in Circumcisione Domini. Folio* 53.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([e] *Cap. II*).

Illo in tempore : postquam impleti sunt dies purgationis Marie : secundum legem Moysi : tulerunt illum in Hierusalem : ut sisterent eum Domino : sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vulvam : sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini : par turturum : aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalem : cui nomen Symeon : et homo iste justus et timoratus : expectans consolationem Israel : et Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu Sancto : non visurum se mortem : nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus : ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Et ipse accepit eum in ulnas suas : et benedixit Deum : et dixit. Nunc dimittis servum tuum Domine : secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutarem tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium : et gloriam plebis tue Israel. Et erat pater ejus et mater mirantes super his que dicebantur de illo. Et benedixit illi Symeon : et dixit ad Mariam ma- A trem ejus. Ecce positus est hic in ruinam : et resurrectionem multorum in Israel : et in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius : ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel : de tribu Asser. Hec processerat in diebus multis. Et vixerat cum viro suo **304** annos septem a virginitate sua. Et hec vidua usque ad annos octoginta quatuor : que non decedebat de templo : jejuniis : et orationibus serviens nocte et die. Et hec ipsa hora superveniens confitebatur Domino : et loquebatur de illo omnibus : qui expectabant redemptionem Israel. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini : reversi sunt in Galileam : in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat et confortabatur plenus B sapientia : et gratia Dei erat in illo. ℟. Amen.

[f] *Lauda.* Alleluja. ℣. Omnes gentes plaudite manibus : jubilate Deo in voce leticie. *P.* Alleluja.

Sacrificium. Suscepimus Deus misericordiam tuam.

Et Missa. Deus qui nobis id prespicit.

Quere retro in die Circumcisionis Domini. Folio 54.

Alia Oratio. [g] Tu es Deus : et in te est Deus : et non est alius preter te. Ab ore egressum verbum : non regreditur : quia utique natus Filius : non ipse qui Pater est creditur : dum tamen ipsum esse quod Pater est fateatur. Dona ergo nobis : ut qui Verbum a te : nasciturum misisti in carne : nos in te renatos : sic nunc a criminibus exuas : ut tibi soli cum veneris sine fine conjungas. ℟. Amen.

C *Post nomina. Oratio.* [h] Laudent te Domine celi et terra : quia misertus es populo tuo. Dum montes et colles coram te laudem fecisti clamare : cum tota viventia in te approbasti. Concede ergo nobis : ut laudes quas glorioso nomini tuo offerimus : acceptas tibi semper ipse efficias. Ut qui mundum redempturus in salutis signo ostensus es : mundum iterum judicaturus non ultorem : sed liberatorem te nostris oculis manifestes. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. [i] Domine Jesu Christe : qui figuris crebrescentibus in lege veteri nunciatus : in te impleta omnia ostendisti : dum in te vero Deo et homine : et purificatio secundum legem exprimitur : et veritas nominis approbatur. Adesto plebi tue ad te ex purificatione venienti : et presta incrementum D muneris : et gratia benedictionis multiplicetur in abundantia pacis. ℟ Amen.

[j] *Inlatio.* Dignum et justum est : te ineffabilis immenseque sapientie Deum : debitis conlaudare

[a] *Tuam.* Vulg. et LXX, *meam.*

[b] *Dicit Dominus omnipotens.* Hæc verba ad textum Scripturæ non pertinent, sed ea sunt quibus olim finis imponebatur lectioni; leguntur tamen non modo in nostro, sed etiam in Missalibus Toletano, et Romano sancti Pii, et in Lectionario em. Thomasii.

[c] *Psallendo. Joan.* I, 14. ℣. Ps. XLVII, 9.

[d] *Epistola.* Petita est a festivitate Circumcisionis.

[e] *Cap. II.* Vers. 22-41. Est pars Evangelii quod legitur die Circumcisionis; idem autem legitur in Missalibus Toletano, et Romano sancti Pii V, sed minus prolixum.

[f] *Lauda.* Lauda, sacrificium et oratio *missa* e festo Circumcisionis petita sunt.

[g] *Tu es Deus.* Hæc oratio desumpta est ex Breviario (*pag.* 76). Exstat in Orationali Gothico (*Pag.* 18, *or.* 8).

[h] *Laudent.* Hæc oratio e Breviario desumpta est (*Pag.* 77).

[i] *Domine.* Et hæc e Breviario desumpta (*Pag.* 77). Exstat in Orationali Gothico (*pag.* 46, *or.* 1). Hæ tres orationes spectant ad officium Circumcisionis.

[j] *Inlatio.* Et hæc a festo Circumcisionis huc translata. Quibusdam, quæ speciali modo ad mysterium Circumcisionis pertinent, omissis, ab eadem missa Circumcisionis desumpta est oratio *post sanctus.*

preconiis. Cum precipue hoc die vel tempore transacta pro nobis Circumcisione : tue recordemur infantie : at sicut dignum est laudare virtutem tue omnipotentie non valemus : non enim in te Domine aliquod superfluum in suscepto homine ipse creaveras : quod necessario circumcidi debere mandares. Sed ut te Dominum legis : natum fuisse sub lege : nec legem destruxisse probares. Universa enim que carnali populo figuris pretereuntibus adumbrata mandasti : etiam in te ipso secundum litteram fieri permisisti : que tamen in nobis per evangelicam veritatem : etatemque perfectam : sacramentis dignioribus perfecisti. Pro quibus indiciis impensius commendandis : adest ille mortificato in corpore grandevus : meritisque sanctissimus Symeon : amplexumque senilibus ulnis ingentem parvulum : salutare Domini se vidisse testatur. Sed et illa cujus nomen gratia resonat : continentie candore resplendens consimilis Anna : preconiorum officio Dominum confitetur. Offeruntur deinde in sacrificium par turturum : vel pulli gemini columbarum. Ut in combinatione mundissimarum avium : tam anime quam corporis puritatem : litandam Deo exemplis evidentibus doceremur. Et in his sacrificiis qui se accepturi desiderant : non his inserantur : sed erigantur jugiter in supernis. Pro quibus omnibus mirabilibus omnes Angeli : celorumque virtutes tibi Deo Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : cum Cherubin et Seraphin sine cessatione proclamant : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere incomparabiliter. *Quere in Circumcisione Domini. Folio* 55.

Post pridie. [a] Vidimus gloriam tuam Domine : gloriam quasi unigeniti a Patre : unigenitum Deitate : primogenitum munere. Illic unicum Patris : hic precipuum inter fratres. Ibi cum Patre unum : hic in fratribus primum. Illic equaliter subsistentem et in sinu Patris manentem : hic socios non derelinquentem. Largire ergo tui fieri participes regni : quibus es propiciatus **305** in mundo. Quibusque advenisti prius redemptor : existe in futuro remu-

A nerator. Et his sacrificiis tibi oblatis : qui solus pro cunctis factus hostia immolaris.

Ad Orationem Dominicam.

[b] Jesu Domine : cujus admirabile nomen Angelus predixit : mater imposuit : Symeon cognovit : Anna laudavit. Salva populum tuum in universo mundo : cujus extat nomen magnificum in celo. Ut qui solus es potentia gloriosus : sis etiam perditis miserationis indulgentia pius. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. [c] Dominus Jesus Christus qui ad confirmandas promissiones Patrum : minister presentationis voluit esse : ipse cordium vestrorum immundicias dignetur auferre. ℟. Amen. Idem qui

B precepto legis sue : signum desecte carnis accepit : omnes a vobis sordes : sui amoris connexione depurget ℟. Amen. Et qui vos filios Abrahe in se ipso : qui est semen ejus : benedicere promisit : hereditatis beata vos conlatione munificet. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Require in festo Corporis Christi. fo.* 267.

Com. Refecti Christo corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. [d] Beatam Domine illam justi Symeonis vocem : fac in nobis pari diligentia personare. Ut quia vidimus et credimus salutare tuum : in pace

C cum jusseris dimittamur : non quo a te dimissos : finis vite accipiat : sed per te absolutos a debito : in fine pax sempiterna possideat. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. *Chorus.* Deo gratias.

Blasii Episcopi et Martyris .

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis. fo. 422.

Gilberti Confessoris :

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis. fo. 432.

In Festo [e] *S. Agathe Virginis et Martyris :*

[a] *Vidimus.* E Breviario (*Pag.* 77), et ex Orationali Gothico (*Pag.* 79, *or.* 1) desumpta. Additamentum illud *et his sacrificiis* lege ut in Circumcisione (*Pag.* 55): *Benedicas et nobis famulis tuis, et his sacrificiis tibi oblatis.*

[b] *Jesu.* E Breviario (*P.* 76) petita.

[c] *Dominus.* Hæc *Benedictio* e Breviario petita est (*Pag* . 76). Hic autem *minister Præsentationis*; at in Breviario *minister Circumcisionis* legitur.

[d] *Beatam.* Et hæc e Breviario petita (*Pag.* 77). Hæ quatuor orationes ad officium Circumcisionis pertinent.

[e] *Sancte Agathe.* Sancta Agatha, virgo Sicula spectabili genere, parentibus divitibus nata, post gravia tormenta et mamillarum abscissionem, ob fidem Christi, passa. Cataniæ in carcere obiit, sub Decio principe, anno æræ vulgaris 251. Tam a Latinis quam a Græcis die quinta Februarii colitur. Kalendarium Gotho-Hispanum : *Nonis* Februarii, *sanctæ Agathæ virg. mart., Catania.* Kalendarium Carthaginense : *Nonas Feb., sanctæ martiris Agathæ.* Lucense Hieronymianum Florentinii, Nonas Februarii : *In Sicilia, Catania civitate, passio Agathæ virginis.* D Gellonense Nonis Febr. *Siciliæ passio Agathæ virginis.* Beda, in Martyrologio genuino, Nonis Febr. : *Sanctæ Agathæ virginis in Sicilia, sub Quintiano consule, tempore Diocletiani.* Sacramentarium Gelasianum : *In Nat. sanctæ Agathæ Nonis Februarii.* Sacramentarium Gregorianum : *Nonis Februarii natale sanctæ Agathæ.* Capitularia Evangeliorum Georgii, die 5 mensis Februarii : *Natalis sanctæ Agathæ.* Et demum Kalendarium Neapolitanum marmoreum : V. P. S. AGATHE, id est *Die quinta Februarii passio sanctæ Agathæ.* Græci pariter in Menologio Basilii et in Menæis sanctam Agatham quinta Februarii colunt. Ejusdem nomen inter celebres martyres in canone missæ Romanæ legitur. Missam et officium proprium habet sancta Agatha in Missali et Breviario Mozarabum, de qua tamen Orationale Gothicum et libri liturgici Gallicani silent. Ejusque festum Mediolani antiquitus celebratum esse ostendit Lectionarium Ambrosianum cm. Thomasii, in quo lectio *in sanctæ*

Omnia dicuntur unius Virginis. folio. 456. *Excepta Missa que sequitur.*

Missa. Beate Agathe [a] Virginis festum : quod in Dei laudibus annuis recursibus suscipimus incolendum : placationis Deo vivo fratres dilectissimi adoleamus libamina : et ad commemorandam Virginis gloriam : et ad nostram commendandam miseri obsequelam. Hec enim generosis orta natalibus exornata : [b] atque speciei venustate decora : non minus hostem fidei : quam anime superando : et pudicitie consecrata est merito : et sacre passionis decorata triumpho. Ob hoc in tante Virginis gloriose solennitatis recursu : Creatori nostro Jesu Christo Domino supplicemus : ut qui eam sibi consecravit ex sanguine : nos ex confessione justificet. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui tantam famule tue Agathe contulisti constantiam : ut nullis suasionibus cederet : quo semetipsam petulco [c] adversantis concubitu macularet : quique ejus meritis celsiorem gloriam virtutis accumulans : cives suos atrocis ignis combustionibus liberas : tu Ecclesiam tuam donis spiritualibus auge : ut et virginitate prepolleat : et nullis inimici propulsetur tentationibus ad ruinam. Sed carens incendiis voluptatum horrendis : in te ardeat desiderio : et obsequali coalescat ex voto. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus etc.

Post nomina Oratio. Generose Virginis tue Agathe Deus Pater passionem famosissimam celebrantes : petimus ut ejus presidio viventium apud te suscepta oblatio : sepultos submoveat a tormento. Quo sicut predicte Virginis sepulcri [d] cooperimentum immensa restrinxit incendia : sic patrona ejus oratio defunctis adimens flammam : eterna eos refrigerii commoditate sustollat. ℟. Amen.

Ad pacem. Christe Deus eterne salvator : et salutis integerrima plenitudo. Pro quo ancilla tua ea desecta parte corporis cruciatur : qua [e] infantibus succus lactis ingeritur : facito nos ut ubera sugentes matris Ecclesie : nunquam precidamur ab invicem. Quo a'terne charitatis lacte potati : eternorum simus civium societate condigni. ℟. Amen Quia tu es vera pax.

306 *Inlatio.* Dignum vere et pulcrum est : ut tibi Deo ac Domino nostro immensas laudum gratias referamus : et spirituales hostias immolemus. Qui Agatham Virginem tuam amplexibus sociatam : pudicicia ornas : virginitate ditas : morte glorificas. Dando ei de honestis moribus lucrum : de virginitate tropheum : de passione triumphum. Etenim a te in illa glorificatus pudor virginalis exultat : nam carceris trusa angustiis [f] siderea visitata consolatur ex lumine : eculeo imposita roboratur ex fide. Que etiam dum non curaretur de abscisione mamille : illico celestem consequitur sanitatem. Ob cujus meritum Deus Pater exposcimus : ut per eam et nostra accepletur oratio : et votis obsequentibus concedatur celestis gratie plenitudo. Te prestante summe Deus : cui omnes Angeli atque Archangeli non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus vere benedictus : Dominus noster Jesus Christus filius tuus. A quo gloriosis predicta virgo meritorum titulis inlustrata : et vivens exemplo passionis emicuit : et defuncta [g] adfines ab incendiis liberavit. Ipse Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Excelse Domine : qui beate Virgini Agathe et viventi et defuncte celis nuncios emisisti. Quo et vivens ab inlatis mederetur vulneribus : et defuncta ex obitus sui memoria commendaretur preclarius : cum mores ejus per celestem nuntium ad memoriam futurorum [h] conscripti marmore destinantur. Tu nobis attribue : ut emissis de celo Angelorum tuorum custodiis : et vita nostra liberetur a malis : [i] et sacrificia spiritus suscipiant sanctitatis : quo participatio holocaustorum presentium : et corporibus gratiam : et animabus celestem impertiat medicinam. ℟. Amen.

Agathæ natali legenda exstat. Acta sanctæ Agathæ, haud sane contemnenda, interpolata licet, apud Bollandum (*Tom. I Februarii, pag.* 615 *seq.*) exstant, apud quem etiam sancti Methodii (qui ab an. 842 sedem patriarchalem Constantinopoli tenuit) homelia de sancta Agatha legitur, qua pleraque ad ejus martyrium pertinentia complexus est.

[a] *Virginis.* Sancta Agatha, omisso titulo martyris, in Martyrologiis plerisque *virgo* simpliciter scribitur, in Actis apud Bollandum *virgo, Deo dicata, nobilissimis orta parentibus*, in Kalendario autem Carthaginensi *martyris* tantum, in Kalendario Gotho-Hispano *virginis et martyris* titulo ornatur.

[b] *Atque speciei venustate decora.* In Menologio Basilii sancta Agatha prædicatur εὔμορφος πάνυ καὶ ὡραία, *formosa admodum et pulchra.*

[c] *Adversantis.* Quintianum scilicet proconsulem, sub quo passa est sancta Agatha, intelligit; haud enim puto Quintianum voluisse Agatham uxorem ducere, nam per leges Romanas 'as non erat binas habere uxores, neque id Acta Latina sanctæ Agathæ innuunt, sed potius sibi eam in concubinam sumere volebat. Quintianum autem uxorem habuisse Acta ostendunt, cum referunt Agatham ei respondisse : *Sit uxor tua talis qualis dea tua Venus fuit;* quo dicto læsus, eam alapis cædi jussit.

[d] *Cooperimentum.* De hoc miraculo (quod puto sub principibus Christianis contigisse, sed cum plebs rustica idolorum cultui adhuc dedita esset) agunt omnia Acta sancta Agathæ, sanctus Methodius in homelia, et primus hymnus, apud eum. Thomasium (*Oper. tom.* II, *p.* 584), qui sancto Damaso tribuitur; cæterum velum sanctæ Agathæ a voracibus Ætnæ flammis non semel tutatum esse Catanienses constat.

[e] *Infantibus.* Mamillam dicit, quæ Agathæ abscissa est.

[f] *Siderea.* Lege *sidereo.*

[g] *Adfines.* Lege *affines*, cives suos Catanienses.

[h] *Conscripti marmore.* De epitaphio sanctæ Agathæ ab angelo marmori insculpto lege, si vacat, Acta ejus, homeliam sancti Methodii, et hymnum secundum apud eum. Thomasium (*Tom. II Oper., pag.* 585), qui sancto Ambrosio tribuitur.

[i] *Et sacrificia spiritus suscipiant sanctitatis*, scilicet angeli, qui orationes fidelium suscipiunt, et Deo exhibent, hoc sensu in canone missæ Romanæ orant : *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni bene-*

Ad Orationem Dominicam.

Deus conlator justicie et castimonie prorogator: a quo predicta famula tua visitatam se fore prospiciens : et in vulneratis membris recipit sanitatem : et noctis medio revincta carcere : celesti promeretur inlustrari ex lumine. Tu luce illa Sancti Spiritus nostram irradians mentem : ad videndum te et corpore valentes : et animo puriores nos effice. Quo dum spiritualis affectus interno se diffuderit corde : fidelia ad te ora conlaudando proclament. Pater noster.

Dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Animarum vestrarum Christus vulnera tergat : qui beatissime Agathe pro suo nomine abscisam non destitit [a] curare mamillam. ℟. Amen. Atque cujus meritis ex ejus finibus removit : ac restrinxit incendia : ejus nunc opitulatione flammas a vobis male cupiditatis retorqueat. ℟. Amen. Ut que celesti inscriptione liberatio annotata est patrie : omnes in commune patrocinio indefesso conservet. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi corpore.

Oratio. Domine Deus qui es vita et salus. *Quere in Sanctorum Juliani et Basilisse. fo.* 288. *Et ubi dicitur* Juliani et Basilisse : *dicatur* Sancte Virginis et Martyris tue Agathe.

Vedasti et Amandi Episcoporum.

Omnia dicantur plurimorum Confessorum. fo. 431.

[b] *Dorothee Virginis.*

Omnia dicantur unius Virginis. Quere fo. 436. *preter Missam.*

Certatricis beate Dorothee : fratres charissimi fidem famosissimam predicantes : holocaustorum oblationes pio Regi ac Domino offeramus. Qui hujus famule sue cor tanta sui amoris vulneravit ex gratia : ut nullis inlecta [c] discipulis : etiam illorum corda celesti ad Deum suasione converterit : a quibus inliciebatur tumentis evi terroribus a Christicolarum proposito submoveri. Hanc ergo gloriosam unici filii Dei sponsam : que et fidem verbo : et virginitatem consecravit ex merito : acclives precibus impetremus. Ut venerabilem passionis sue diem suscipientibus occurrat : prestatura omnibus que rogatur : abdita vulnerum curans : prece supplicantes justificans : ac vota nostra Jesu Salvatori nostro commendans. Quo per eam nobis et plenitudinis fructus : et votorum concedatur effectus. ℟. *Chorus.* Amen.

307 *Alia oratio.* Deus [d] desperantium salus : errantium via : et peccantium medicina. Qui beatissimas Virgines tuas Christetem et Callistem : quas virus

dictione cœlesti et gratia repleamur ; eodemque sensu Græci in Liturgia sancti Chrysostomi. Diaconus : *Pro oblatis et sanctificatis pretiosis donis Dominum precemur.* Chorus : *Domine, miserere.* Diaconus : *Ut clemens Deus noster, iis, in sanctum, et super cœleste, intellectuale altare suum in odorem suavitatis susceptis, nobis divinam gratiam*, etc., *et sanctissimi Spiritus donum rependat, Dominum precemur.* Chorus : *Domine, miserere.*

[a] *Curare mamillam.* Sanctam Agatham in carcere Dominus per apostolum suum Petrum visitavit, eique mamillam abscissam et corpus plagis laceratum sanum restituit, ut Acta ejus, sanctus Methodius, Beda in Martyrologio, et præfatio missæ ejus Ambrosiana testantur.

[b] *Dorothea.* Sancta Dorothea, virgo Deo sacra et martyr, sub Diocletiano, Cæsareæ, in Cappadocia, passa, a Latinis plerumque die sexta Februarii colitur. Martyrologium Hieronymianum, Lucense : *VIII Id. Febr., in Cæsarea, Cappadociæ, passio sanctæ Dorotheæ.* Corbeiense Dacherii, VII Idus Febr. : *In Cæsarea, Cappadociæ, passio sanctorum Dorotheæ et Theophili.* Romanum Parvum, VIII Idus Febr. : *Apud Cæsaream, Cappadociæ, sanctæ Dorotheæ virginis, et Theophili scholastici.* Ado eam prolixo elogio in Martyrologio prosecutus est ; in quibusdam Martyrologiis Dorothea et Theophilus sine loco passionis commemorantur. Gotho-Hispani, apud quos missa et officio proprio sancta Dorothea colitur, eam die septima Februarii celebrant. Fragmentum Kalendarii Gotho-Hispani : *VII Id. Febr., Dorotheæ, vel comitum martyrum, Cappadocia.* Græci, quod mirandum, de celebri hac virgine et martyre silent. Ejus Acta exstant apud Bollandum, tom. I Februarii, ad diem sextum (*Pag.* 773). De eadem Baronius, in notis ad Martyrologium, sanctus Adelmus (*De laud. virgin., cap.* 25). Est et alia Dorothea Alexandrina, de qua, in quibusdam Martyrologiis, VII Idus Februarii, in aliis, pridie Idus Februarii, agitur. Lucense Florentinii, II Id Febr. : *In Alexandria, Juliani, Victoris, Felicis, Secundi, Severiani, Carponi, Germi, Ammonis, Pamphili, Dorotheæ, Theofoli.* Eadem verbatim in Corbeiensi Dacherii leguntur, nisi quod, pro *Theopholo*, Corbeiense *Theophilum* exhibet ; aliquibus hinc nata est suspicio Dorotheam Cappadocem per errorem martyribus Alexandrinis permistam esse, cum non raro similes errores a Martyriologiographis admittantur, alii nihil erroris hic agnoscunt, sed aliam esse Dorotheam quæ Cæsareæ in Cappadocia passa est, aliam quæ Alexandriæ, distinctos quoque esse Theophilos. Vide Florentinum, in notis ad diem 12 Februarii. Erat sane celeberrima virgo Alexandrina quam Eusebius (*Lib.* VIII, *cap.* 14) pluribus laudat innominatam, Ruffinus (*Hist. Eccl. lib.* VIII, *c.* 17) Dorotheam appellat ; quæ cum esset *familia nobili* (ab Eusebio dicitur *clarissima*, λαμπροτάτη) orta, *ingentibusque divitiis et propinquis nobilibus* polleret, formæ decore et pulchritudine plane singulari, ingenio et doctrina multiplici ornata foret, nec aliter manus se Maximini evasuram speraret, noctu cum paucis fidissimis servis fugiens, tyrannum elusit, inquit Ruffinus ; Eusebius vero, bonis spoliatam in exsilium pulsam scribit. Hanc ipsissimam celeberrimam virginem Catherinam, seu Hæcatherinam, putavit em. Baronius, ad an. 307, quam opinionem nec Bollando nec Pagio persuadere potuit, etsi, quæ de hac Dorothea tradidit Ruffinus, divitiæ, nobilitas, doctrina, pietas et pulchritudo, simillima sint iis quæ de sancta Catharina vulgo produntur ; sed hæc, sive Catharina, sive Dorothea Alexandrina, in aliis cum Dorothea Cappadoce minime convenit, et præcipue in eo quod virgo Alexandrina, pro fide et castitate tuenda, exsilium, Cæsariensis vero post tormenta, etiam mortem passa est.

[c] *Discipulis.* Lege *decipulis*, id est, laquei deceptionibus.

[d] *Desperantium salus.* Sancta Dorothea post confessionem fidei, jubente præside, ad Callistam et Christetem sorores, quæ a fide defecerant, ducitur, ut earum exemplo et hortamentis deos profanos colere disceret ; at illa duabus sororibus persuasit primum ut bene sperarent de Christi erga peccatores

hostis antiqui a proposito submoverat : Christi tui predicamentis simul ac precibus famule tue Dorothee ad cultum Christiane fidei revocasti : pietas tua a nobis ita peccandi casum pellat : ac peccati causas removeat : ut desperationis laqueos nec incurramus defluentes per vicia : nec attingamus oberrantes per ignorantiam. Quo sicut ille post lapsum promote sunt ad martyrii palmam : ita nobis post crimina donetur te miserante corona. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Christe Domine attributor perennalis gratie et conlator. Qui Virginum tuarum Christetis et Calliste penitentiam : per gloriosam famulam tuam Dorotheam suscipiens : eas igne examinando glorificas : dum in ipsa crematione torrentis ignis : jam pene perditas eis restaurares coronas : supplicum tuorum precibus benignus intendens : et penitentium intuere lamenta : et offerentium sanctifica holocausta. Quo per penitentiam nos tibi facias complacere : et per honestos mores tibi conjungere. Ut per quam predictarum Virginum tuarum penitentiam dignatus fuisti suscipere : per eam pius conlator : et viventibus et defunctis destines eternam salvationem. ℟. Amen.

Ad pacem. Deus qui virginis tue Dorothee fidem : ita exuberantis constantie dono glorificas : ut catasta imposita : et vultu placida : et animo ostenderetur jocunda. Tu nobis spiritalem confer leticiam : qua repleti atque muniti : et delictorum sordibus careamus : et pacis abundantia te concedente locupletemur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi semper gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. In quo fidens predicta virgo Dorothea leto inter penas ostenditur vultu : et ovanti exultat aspectu. Ipsius etenim gratie preventu respecta ornatur : fide adjuvatur : et opere consecratur in passione. Hec quippe supremo triumphatura supplicio : voti sui compos efficitur : antequam gladio feriatur. [a] Nam sponsionis sue completura promissum : tria cum rosis mala : que Theofilo e paradiso sponsi sui se directuram promiserat : subito celitus allata sibi cominus intuetur : eidem cui promiserat per celestem destinavit alumnam. His nempe visis Domine Theofilus tuus nare illa spiritali : et fidem pariter attrahit : et odorem. Innovatur subito ex ostensione miraculi : et continuo efficitur Martyr predicans nomen Christi tui. Quod ante inrisioni deputans : exhiberi sibi e paradiso mala aut rosas virginem poposcerat : quod tamen fieri desperabat. Hec est immutatio dextere excelsi : qui et electos inter penas confortat : et peccatores sine mora justificat. O ammiranda et predicanda judicia tua Deus : ecce supernus hic nuncius e celis : utrorumque inlaturus commodum destinatur : quo tribus malis totidemque rosis : et Dorothee votis expetita concederet : et Theofilum regno Christi efficeret coheredem. Per te cui merito omnes Angeli : et Archangeli non cessant clamare : ita dicentes. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui voluntatem timentium se facit : et orationes eorum exaudit. Quique ammirabili clementia ita se diligentium desideriis favet : ut eorum votis postulata non deneget. Etenim ingenita bonitas ejus sacratissimam Dorotheam Virginem exaudire non destitit imprecantem : cum non solum de proprie passionis attollitur palma : sed etiam : et de sororum quas Christo adquisierat tripudiatur corona. Per ipsum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Deus eterne cui beatissima Dorothea Virgo previos conquisitionis sue manipulos destinavit : cum Christetem et Callistem sorores ante se in passione premiserit : et sic ipsa gladio consecrata successerit. **308** Tu de tuis sanctis sedibus benedictionem his holocaustis impertiens : concede supplicibus tuis : ut hec oblatio [b] previa sanctificationem se sumentibus conferat. Quo exemplo Virginis tue : ita nostrorum actuum placitos tibi fructus ante nostrum obitum pius ipse suscipias : ut nos sequentes in eterna tabernacula introducas. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Satia nos Deus cibo justicie : et eternitatis amore : qui Theofilum Martyrem tuum ad te converti fecisti : ex aspectu delectabilis pomi. Quo sicut menti ejus in tribus malis totidemque rosis sacramentum insinuas Trinitatis : ad culmen eum perfecte fecisti pertingere passionis : supplicio eum glorificans [c] crucis : sic nos odore charitatis tue reficiens : et actu fac tibi esse placabiles : et corpore fortiores. Ut utraque virtute valentes post te in odorem unguentorum tuorum curramus : et paternis affectibus imploratum te erga nos semper placabilem sentiamus : cum ad te proclamaverimus e terris. Pater noster.

Dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Redemptor noster ac Dominus : Dorothee vos Virginis suffragio muniat : qui per eam Christetis et Calliste : penitudinis acceptavit lamenta. ℟. Amen. Ac sicut ille post lapsum ad salutis viam reverse sunt : sic vos relictis superstitionibus mundi sequamini Christum. ℟. Amen. Ut ejus sequendo vestigia : exemplo Theofili odoris Christi repleamini

misericordia, deinde ut fidem Christi coram præside profiterentur ; quo factum est ut ambæ, ad ignem damnatæ, palmam martyrii, quam amiserant, consequerentur. Confer Acta apud Bollandum.

[a] *Nam sponsionis.* Confer Acta, quibus Missale nostrum inhæret. Neque criticis quibusdam, nimis morosis, aures præbendæ, qui hanc Actorum partem, de rosis et malis, fabulam sapere dicunt.

[b] *Previa.* Num forte *Prævia?*

[c] *Crucis.* Cave hinc credas sanctum Theophilum crucis supplicio occubuisse ; ille enim gladio tandem, post dira tormenta, martyrium complevit ; quod autem hic in oratione dicatur Deus eum *supplicio crucis* glorificasse, alluditur ad dictum illud Theophili, qui, in equuleo suspensus : *Ecce modo*, inquit, *factus sum Christianus, quia in cruce suspensus sum.* Siquidem equuleus formam crucis non raro exhibebat.

gratia. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri, etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Dicat Chorus. Gustate. *Com.* Refecti Christi corpore. *Oratio.* Domine Deus omnipotens. *Quere in Sanctorum Juliani et Basilisse fo.* 287. *Et ubi dicitur* Juliani et Basilisse : *dicatur* Sancte Dorothee Virginis.

Apollonie Virginis et Martyris.

***Omnia dicantur unius Virginis. fo.* 436.**

Scolastice Virginis.

Omnia dicantur ut supra.

In [a] *Sancte Eulalie Virginis et Martyris Barchinonensis.*

***Omnia dicantur unius Virginis et Martyris. fo.* 436.**

Missa. Adest dilectissimi fratres famosum illud beate Virginis Eulalie festum : quod annuis recursibus suscipimus incolendum : in quo eadem Martyr Barchinonensium civis et incola : genitale solum quod meritorum titulis pretulit : honore etiam inlustravit sepulcri : dum quod vive vocis edificat verbo : effusi sanguinis docet exemplo. Hec enim ad passionem leta prosiliens : forum adiit intrepida : et verbis tonantibus profanum judicem correptura : passioni se obtulit [b] non quesita. Recognoscamus ergo per vulnera Martyrem : per obsequia civem : per pietatis studia genitricem. Obtentu precis intime flagitantes : ut qui ejus fortiter [c] tenello vicit in corpore : victorem se in nostris prebeat efficacem. Et qui illi post flammas contulit celum : nobis post lapsum consortium tribuat Angelorum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus virtutum : corona Martyrum : conlatio gratiarum. Suscipe tantille plebis precum obsequia : que ob honorem Virginis tue Eulalie tibi deferimus dedicanda. Tu enim eam ultra etatem facis esse victricem : quam nullis precedentibus meritis : jam olim feceras tui nominis [d] confessorem.

[a] *Sancte Eulalie.* Binas celebres virgines et martyres Eulalias Hispania colit, tenera ætate sub Diocletiano et Maximiano passas : Emeritensem aliam, de qua supra (*Pag.* 29), alteram Barcinonensem, de qua modo agendum. Magna plane est harum virginum ad invicem similitudo ætatis, conditionis et martyrii, ut non defuerint viri eruditi qui dubitarent an binæ fuerint, et nonnulli qui asseruerint unam tantummodo exstitisse Eulaliam, quibus occasionem præbuit Prudentius, qui (*Hym.* 3, 4, *de coron.*) unicam laudat Eulaliam Emeritensem, cui etiam quædam, quæ Barcinonensi sunt propria, attribuisse haud immerito insimulatur. Duas tamen in Hispania, sæviente immani Diocletiani persecutione, Eulalias martyrio coronatas fuisse, auctoritas minime dubia Ecclesiæ Gotho-Hispanæ persuadet, cum in Missali et Breviario suo, distinctis diebus, singulis harum missam et officium proprium attribuerit, et Emeritensem IV Idus Decembris, Barcinonensem prid. Idus Februarii celebret. Quibus accedit fragmentum Kalendarii Gotho-Hispani in quo legitur, II Id. Febr. : *Sanctæ Eulaliæ virg. mart., Barcinona.* Eamdem Eulaliam Barcinonensem nominatim commemorant sanctus Eulogius (*Lib.* I *Mem. sanct.*) et Martyrologia Latina. Romanum Parvum : *II Id. Febr., Barcinone, Eulaliæ virginis et martyris*, eodemque die Adonis, Usuardi, Notkeri, Rabani Mauri, et Wandelberti metricum :

Eulaliæ festum pridie sanguisque coruscat
Urbs Barcinon eximia qua Martire gaudet;

et, sine expresso urbis Barcinonensis nomine, Trevirense, apud Martenium et Durandum (*Script. veter. Col. max., col.* 637), Augustanum et Labbeanum Sollerii (*Apud Bolland., part.* II, *tom. VI Junii*), pr. Idus Febr. Eulaliam laudant. His adde Stabulense, apud Martenium et Durandum (*Col. max. script. veter., col.* 679), in quo, IV Id. Decembris : *In Barcilona civitate, in Spania, Sanctæ Eulaliæ virginis et martyris*; et Kalendarium Corbeiense, apud eosdem (*Tom III. Thesaur. anecdot., col.* 1593) tempore Ratoldi abbatis, qui anno 981 obiit, exaratum, IV Id. Decemb. : *Barcinonis, passio sanctæ Eulaliæ virginis.* Idem, in Ottobiano et Vaticano ab illustrissimo Georgio ad calcem Adonis editis, et in aliis, legitur, quibus, per errorem, Eulalia Barcinonensis IV Id. Decembris colitur, inter quæ Bedæ genuinum (*Apud Bolland., tom. II Martii præmissum*), IV Id. Decembris : *Natale sanctæ Eulaliæ virginis in Barcelona civitate Hispaniæ, quæ, cum esset tredecim annorum, post plurima tormenta decollata est, et, resiliente ab ea capite, columba de corpore ejus exire visa est.* Quibus Beda, si modo ipse sit, Eulaliæ Barcinonensi diem natalem tribuit Eulaliæ Emeritensis, et genus mortis Eulaliæ Romanæ, de qua p. 36, in notis pauca adjeci. In Martyrologio Bedæ, quod ex Codice monasterii sancti Maximi Trevirensis ediderunt Martenius et Durandus (*Tom. Col. veter. script. col.* 637) de Eulaliæ Barcinonensi legitur, II Id. Febr. : *Passio sanctæ Eulaliæ virginis*; et de Emeritensi Eulalia, IV Idus Dec. : *Natale sancti Melchiadis papæ et Eulaliæ virginis.* Acta sanctæ Eulaliæ Barcinonensis edidit Bollandus (*Tom. II Febr., pag.* 517), et Tamaius de Salazar (*Martyrol. Hisp. tom. II, pag.* 105) ex ms. Codice Toletano, apud quem citatos invenies scriptores Hispanos qui de ea mentionem faciunt. Passa est sancta Eulalia Barcinonensis prid. Idus Februarii, anno 304, præside Daciano. De translatione reliquiarum ejus circa annum 878, ex ecclesia sanctæ Mariæ extra urbem sita, in ecclesiam metropolitanam Barcinonensem, et de alia ejusdem reliquiarum translatione an. 1334 facta, consule Bollandum (*Tom. III Febr., p.* 576 *seq.*).

[b] *Non quæsita.* Hanc esse propriam laudem Eulaliæ Barcinonensis testatur sanctus Eulogius (*Mem. sanct. l.* I) : *Sic Justus et Pastor, sic Eulalia virgo Barcinonensis, sic Babilas pontifex, multique alii se sponte obtulerunt, et coronati sunt.* Historia sanctæ Eulaliæ Emeritensis procul dubio sancto Eulogio nota erat, quæ certe, si se sponte passioni obtulisset, eam quoque in exemplum adduxisset. In Missali Gallo-Gothico exstat *Missa in natale sanctæ Eulaliæ virginis*, quæ an ad Emeritensem potius spectet quam ad Barcinonensem ambiguum est. Tamen ad Barcinonensem Eulaliam spectasse suspicor : nam, cum Eulalia Barcinonensis passa sit in provincia Galliæ proxima, credibile est, eam apud Gallos celebriorem exstitisse quam alia Eulalia, quæ Augustæ Emeritæ, in Provincia, procul a Gallia remota, passa est. Præterea in *immolatione missæ* legitur : *Vadit ad tribunal cruenti præsidis nec quæsita*, quod Eulaliam Barcinonensem fecisse Acta ejus testantur; at Eulalia Emeritensis, a conquisitoribus capta, et publico vehiculo imposita, sistitur tribunali judicis. Prudentius quidem, qui pro duabus unam descripsit Eulaliam, hanc partem historiæ ex Actis Eulaliæ Barcinonensis desumpsit. Vide notam pag. 59.

[c] *Tenello.* Acta testantur, Eulaliam Barcinonensem passam esse cum ad annos pubescentes pervenisset.

[d] *Confessorem.* Fortasse alludit ad fidei confessionem quæ in baptismate fit. Certe Acta ejus silent de priori ulla fidei confessione ab ea coram judice facta.

Sit ergo Domine eadem Virgo sanctissima ante conspectum glorie tue : nostrorum criminum et intercessor : pariter et assertrix. Ut et diluenda proponat : et proposita precibus diluat. Qualiter sic confessionem delictorum accipiens ante culpas singulorum : ad emolumentum venie asserat : et intercessorem se pro his que asseruerit interponat. Sit in salvationem terre : sit in defensionem patrie. Gubernet civem : eliminet hostem. Subruat pestem : arceat famem : morbos dissipet : adversum omne repellat : optata queque perficiat. Sicque per eam [a] factorem te semper nostris precibus prebe : ut et hic intercessione ejus pectora nostra habeant finem : et in futuro suis meritis mereamini invenire quietem.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Et te altissime redemptor noster et Domine in tuis operibus conlaudamus. Qui dum Virginem Eulaliam ad **309** nominis tui dilectionem accendis : [b] proditorem eam sui nominis facis. Ut et robustior ad passionem consurgeret : quo nomen suum furenti judici non taceret. Quesumus proinde : ut que nominis sui facta est proditrix : in prolatione nostrorum nominum ante te : non efficiatur elinguis. Ut que vocabulum suum non tacuit judici : vocabula fidelium renotanda eterne imprimat mansioni. Ut quotquot in illum credimus : quem ipsa veraci corde professa est : et presentis vite tutelam : et in futuro cum defunctis fidelibus mereamur beatorum omnium promereri consortia. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Christe Dei Filius : qui exanime A beate Virginis corpus [c] niveo candore vestisti : dignare nos vestire justicie stolis : et operibus sanctitatis. Ut per hec que tibi offerimus munera : sic niveo alterne dilectionis vestiamur amictu : ut eterne pacis lumine cum ea que professa est potiamur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi semper gratias agere omnipotens Deus : per Jesum Christum Dominum nostrum. Qui discretis flammis Martyrem Eulaliam probat : dum clementer eam flammarum diversitate glorificat. Eratque in pectus Virginis flamma : sed flammis quoque urebantur et latera. Sed longe aliter flamma illa erat : quo flammis his temporalibus cedere nesciebat. Hla enim refrigerando fervescit : hec cruciando plus deficit. Illa in corpore vigore sempiterna perdurat : hec corporea B accensione occasum suum frequenter ostentat. Illa eternitatem parat in mente : hec plerumque defectus sui sentit in corpore. Illa semel concessa nescit frigescere : hec etsi studiosius accendatur : adustionis sue aliquando materia caret. Illa caloris sui terminum nescit : hec semper vigoris proprii statum amittit. Illa quosquos incendit : perire non sinit : ista vel se ipsam cum nocentibus perimit : vel innocentibus sese submittit. Illa semper pollicetur sine tempore refrigerii gloriam : hec aliquando in tempore supplicii inrogat penam. Illa istam semper superat et extinguit : ista illi sepe famulatum sui subjecit ac deseruit. Inde est ergo : quod celestis flamma temporalibus flammis victa non deficit : et victrix potius potestatem hujus materialis ignis sibimet subjicit : ac

[a] *Factorem.* Forte, *facilem*, aut *faciliorem.*

[b] *Proditorem.* Nimirum a judice interrogata, nomen suum prodidit : *Ego sum Eulalia*, etc., ut in Actis legitur.

[c] *Niveo candore.* Dacianus cernens Eulaliam exstinctam esse, jussit ut corpus ejus pendens in cruce, id est in equuleo, relinqueretur, donec ab avibus devoraretur; *et ecce subito nix de cælo descendens, et cooperuit eam*, et post diem tertium clam sublatum sepulturæ traditum fuit. De nive idem in Eulalia Emeritensi scribit Prudentius, et nihil obstat quominus id ambabus contigerit; Dei enim providentia circa martyres, maxime virgines, plane mirabilis exstitit, nisi forte Prudentius, quod suspicari licet, etiam hanc partem historiæ ex Actis Eulaliæ Barcinonensis, ad suam Eulaliam ornandam, in hymnum transtulerit. Sunt tamen alia quibus hæ virgines ab invicem discriminantur; nam præter patriam et ætatem, quæ major videtur fuisse Eulaliæ Barcinonensis, in mortis genere non conveniunt, neque in judice sub quo passæ sunt. Dacianum enim cognominatum fuisse, qui extremis principatus Diocletiani annis provinciæ Tarraconensi præfuit, ex Actis sancti Vincentii et auctoritate sancti Augustini constat, et sub Daciano passam esse Eulaliam Barcinonensem testantur Acta ejus; at in aliena provincia, qualis erat Lusitania, Daciano jus dicere fas non erat, atque adeo Eulalia Emeritensis ab aliquo alio morti addicta est, quem Acta ejus Calpurnianum appellant. Exstitisse autem hoc tempore Dacianum quemdam, omnium Hispaniæ provinciarum præsidem, merum commentum est. Circa mortis genus apud omnes constat, Eulaliam Emeritensem flamma et igni mortem obiisse, vel, accenso circa crucem, sive equuleum in qua pendebat, rogo, ut habent Acta, quibuscum conveniunt orationes quas Gotho-Hispani die natalis ejus recitabant; vel, ut scribit Pruden- C tius (*Hym. 3 de coron.*), igne, lampadarum et flamma quam conceperant comæ. At Eulaliæ Barcinonensis mors aliter contigit; illa enim, ut in ejus Actis legitur, cum admotæ fuissent lampades, Dominum verbis Psalmistæ rogavit : *Ecce Deus adjuva me*, etc., *et cœpit flamma in ministros converti ; quod videns Eulalia*, et vicem eorum dolens, *clariore voce* oravit : *Domine Jesu Christe, exaudi deprecationem meam, jube me suscipi inter electos tuos, faciens mecum signum in bono ut credentes in te videant, et collaudent potentiam tuam* ; quibus dictis, *exstinctæ sunt faculæ ardentes, quæ, infuso oleo, nimis glomerabant flammas in ministros, qui tremefacti ceciderunt in facies suas, et sancta Eulalia emisit spiritum ; columba ex ore ejus exiens volavit in cælum, quod videntes populi mirati sunt.* Est et aliud non prætereundum discrimen. Eulalia Barcinonensis nihil contra imperatores protulisse legitur ; non aras, non deos subvertit, in faciem Daciani non expuit ; at Eulalia Emeritensis D *maledicebat Cæsari et diis suis*, et rursum : *Cæsaribus et diis eorum maledico.* Ita Acta ejus, et inhærens Prudentio, aiebat :

> Maximianus et ipse nihil est.

Et :

> Maximianus opum Dominus
> Prostituat, voveatque suis
> Numinibus caput ipse suum.

Et infra :

> Martyr ad ista nihil; sed enim
> Infremuit, inque tyranni oculos
> Sputa jacit, simulacra dehinc
> Dissipat, impositamque molam
> Thuribulis pede prosubegit.

Atque hac fortasse de causa sancta Eulalia Emeritensis, tanquam sacrilega, vivicomburio addicta est, non item Barcinonensis.

submittit. Cum enim in Virginis pectore divinum vicit incendium : apposite forinsecus flammarum facule [a] defecerunt. Quia igitur tu Deus noster ignis consumens es : qui nisi in corde ejus flammigera combustione arderes : victorem te in ejus passionibus nullo modo demonstrares. Te quesumus : te rogamus : ut facias nos simili accensione amoris tui serenos : et sanctitatis perfectione idoneos. Ut qui in hoc die tante Martyris : et passionem veneramur pariter : et sepulcrum : a passionibus nostris : vel sepulcris nostrorum criminum liberati perducamur ad celum. Qualiter et hic et in eternum cum omni militia Angelorum devotis mentibus concinamus proclamantes : atque dicentes. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Domi nus noster Jesus Christus Filius tuus. Cujus doni est : quod Eulalia virgo cesa non trepidat : cujus gratie : quod inter [b] flammas non estuat : cujus muneris : quod post obitum sic exultat. Cum eternam vultu jam quodammodo leniciam preferentes : in hac ad huc substantia carnali ostenderet : quanta illic animi pace gauderet : cum [c] beato Confessori Felici : sic

[a] *Defecerunt.* Quod Eulaliæ Emeritensi contigisse Prudentius non commemorat ; videtur tamen ad hoc miraculum alludere, cum de ætate sanctæ Eulaliæ agens (*Hym.* 3 *de coron.*) scribit ;

Curriculis tribus atque novem
Treis hiemes quater attigerat,
Cum, crepitante pira, trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.

Atque hinc conjicere licet Prudentium vidisse Acta Eulaliæ Barcinonensis, in quibus legitur et ipsam lætatam esse quando audivit Dacianum jubentem ut ardentes faculæ admoverentur, et carnifices territos in facies suas concidisse.

[b] *Flammas.* Lampadarum, scilicet, quas epistola Ecclesiæ Smyrnensis, de martyrio sancti Polycarpi, *equulei flammas et crepitantia tormenta flammarum* appellat. De his in Actis martyrum frequenter recurrit mentio.

[c] *Beato confessori Felici.* Confer Acta, in quibus Dacianus legitur prohibuisse ne corpus exanimatum sanctæ Eulaliæ deponeretur de equuleo. *Post diem vero tertium viri religiosi abstulerunt corpus ejus, non sentientibus custodibus. Sanctus vero Felix, qui in confessione unanimis ejus fuerat, cum magna exsultatione dixit : Domine, tu prior palmam meruisti. cui Eulalia subrisit.* An beatus ille Felix confessor ille fuerit qui Gerundam nobili martyrio decoravit (*Prud. Hymn.* 4 *de coron.*) mihi incertum est ; id unum constat, eum *confessorem* fuisse ; confessores autem generatim denominabantur tam ii qui ob Christi fidem carceres, vincula et gravia tormenta, citra mortem, passi erant, quam ii qui pro Christiana catholica religione, aut re ecclesiastica, tribulationes passi fuerant, aut patiebantur (*Conc. Carth.* IV, *can.* 43). Magnus olim erat confessorum numerus, præcipue in majoribus Ecclesiis, ob assiduas paganorum, Judæorum et hæreticorum persecutiones, quorum haud pauci, aut privatim a fidelibus, aut publice ab Ecclesiis alebantur (*S. Cypr., epist.* 6, *Ed. Pam., concil. Carth.* IV, *can.* 43). Confessorum numerus, quo major erat, eo majori ornamento erat Ecclesiis, nam populus fidelis ab initio assueverat Christi confessores peculiari observantia, et veneratione quadam prosequi. *Magno honore dignus est qui confessus est nomen Dei, et Christi ejus, in conspectu gentium et regum*, aiebat sanctus Jacobus Alphei apud scriptorem Constitutionum apostolicarum (*lib.* VII, *cap.* 23, *Ed. Cotel.*) ; et concilium IV Carthaginense anno 394, can. 43, decrevit : *Catholicum Christianum, qui pro catholica fide, et Christiana religione, et re ecclesiastica, tribulationes patitur, honore omni a sacerdotibus honorandum, etiam per diaconum ei victum administrandum.* Confessores non raro ad gradus ecclesiasticos promovebantur. Titulus *confessoris* ab episcopis qui confessores fuerant, honoris causa, usurpabatur (*Synod. Carth. de Bapt. hær., inter Op. S. Cypr., Ed. Pam., pag.* 399), et confessores meri laici cœtum peculiarem et honoris gradum post clerum constituebant ; hinc clerus Romanus (*In epist. S. Cypr., inter epist. S. Cypr.* 31, *Ed. Pam.*) et confessores Romani eidem scribentes (*Ibid., epist.* 26) recensent episcopos, presbyteros, diaconos, confessores, et stantes laicos. Et in Sacramentariis Gelasiano et Gregorianis : *Oremus, et pro omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, acolythis, exorcistis, lectoribus, ostiariis, confessoribus, virginibus, viduis, et pro omni populo sancto Dei*, ubi confessores virginibus etiam præponuntur. Cœtus hic confessorum apud sanctum Cyprianum (*Epist.* 6, 7, 11, *lib. de Laps.*, etc.) dicitur *chorus*; *societas, et numerus confessorum.* Confessores unius Ecclesiæ *ad collegas in confessione* alterius Ecclesiæ tanquam ad cœtum particularem scribebant (*S. Cypr., epist.* 23), et ipsi confessores communiter ad episcopos scribebant, et ab illis epistolas accipiebant (*S. Cypr., epist.* 7, 11, *et epist.* 26, *inter. epist. S. Cypr.*). Confessorum quidem longe major pars sui nominis dignitatem piis ac castis moribus ornabant : erant tamen inter eos nonnulli, qui post fidei confessionem, imo post tormenta Christi causa perpessa, in capitalia crimina, in fraudes, in stupra, in adulteria labebantur, et alii qui ad schismaticos et hæreticos abibant (*S. Cypr., epist.* 7, *lib. de unit. Eccl.*, etc.) ; atque huc spectat singularis præfatio quæ in sacramentario sancti Leonis (*Pag.* 14) legitur : *Vere dignum..... cujus Ecclesia sic veris confessoribus falsisque permista nunc agitur, ut tamen fragilitatis humanæ semper cavenda mutatio, et nullius sit desperanda conversio ; quo magis supplices te rogamus ut quia sine te non potest solide consistere devotio, et firmis perseverentiam et resipiscentiam largiaris infirmis, per*, etc. Hæc, quæ sub initium schismatis Novatianorum fortasse scripta fuerunt, ostendunt in Ecclesia Romana haud exiguum exstitisse confessorum numerum, eorumque plures a sanctitate suæ confessionis defecisse. Sane episcopi Hispani et Galli in conciliis Illiberitano, Arelatensi I et Toletano I, canones quosdam sanciverunt ad abusus quosdam præcavendos tollendosque a falsis istis confessoribus inductos. Frequenter accidebat ut confessores solum vertere exsilii causa cogerentur. De sexaginta quinque confessoribus qui ex Africa ad portum Romanum appulerant (quos omnes Numeria et Candida Matronæ susceperunt, alueruntque), fit mentio in epistola Celerini ad Lucianum (*Epist. S. Cypr.* 21). Istiusmodi igitur confessoribus, peregre profecturis, dabantur *litteræ confessoriæ*, sive *confessionis*, quibus scilicet fidem faciebat episcopus, latorem earum litterarum (cujus et nomen inscribebat) Christi confessorem esse, et Ecclesiæ catholicæ communione frui ; tormenta etiam, si quæ passus fuerat, describebat ; his munitus litteris, confessor ab Ecclesiis et fidelibus cum honore ubique suscipiebatur, eique quibuscunque indigebat rebus subministrabantur. Const. Apost. (L. 8, *cap.* 45, Ed. Col.) : *Eos qui persecutionem patiuntur fidei causa et de civitate in civitatem fugiunt.... suscipite.... suppeditate illis quæ sunt necessaria.* Non deerant tamen qui insolenter se gererent et præclaro confessionis nomine ad quæstum abuterentur ; quare Patres Illiberitani (*Can.* 25) statuerunt ut si quis peregrinus *litteras confessorias* attulerat, Episcopus hasce litteras ab eo auferat, *eo quod sub hac nominis gloria passim concutiant simplices*, eique litteras communicatorias tradat, quales scilicet

de eterna per corpus felicitate subrideret. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Omnipotens Deus: qui inlibatum Virginis corpus intactum servas a flammis: emitte in his hostiis spiritum sanctitatis. Qui et oblata sanctificet: et oblatores propiciabili respectu perlustret. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Deus qui beatissimam Eulaliam antequam passionis gradum scanderet: quid oraret misericorditer docuisti Dum in ea non facis perire: quidquid a te edocta fortiter credidisset: da nobis: ut quod de te scimus et credimus: ad eternam profecisse nobis letaciam gratulemur. Ut quod **310** illa in effusione promeruit sanguinis: nos in his filii tui Domini nostri mereamur adipisci verbis. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus qui Eulaliam Virginem inter flammas fecit esse victricem: faciat vos ejus precibus: et incentiva carnis vestre devincere: et perfectam devicto mundo victoriam in celestibus reportare. ℟. Amen. Et qui insepultum Virginis corpus nivalibus pruinis vestivit ad gloriam: ipse corda vestra et corpora ad perfectionem sanctitatis accingat. ℟. Amen. Ut cum illa per confessionem mereamini palmam: cujus nunc obsequentes celebratis solennitatem. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi corpore.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui es vita. *Quere in Sanctorum Juliani et Basilisse. fol.* 287. *Et ubi dicitur* Juliani et Basilisse *dicatur* Sancte Eulalie Virginis et Martyris tue.

In festo Sanctorum [a] *Fructuosi: Agurii: et Eulogii Martyrum et ejus comitum:*

Omnia dicantur ut in communi plurimorum Martyrum. fol. 430. *Excepta Missa subsequente.*

Missa. Omnipotentis Dei ineffabilem majestatem mente devota: exultatione religiosa: fide integra: spe pura fratres charissimi laudando rogemus: rogando laudemus: qui nobis Sanctorum Tarraconensium Fructuosi: Agurii: et Eulogii per beatissimam passionem: magna Ecclesie presidia donavit et patrie. Quorum in amore Dei consors animus: divisa vite hujus officia in unius glorie societate collegit. Dum in ipso Sacerdotii capite coherentia Levitarum latera: victimam Christo sanctificati in se corpori exhiberent: et ad destruendum demonum cultum: veram omnipotentis Dei confessionem carnis sue suppliciis alligantes: sanguine suo scriberent: quod docerent. Atque inter edaces carceris ligaturas: religionis inexpugnabili disciplina: quod innovandam crederent spem: eorum explendam servarent esuriem: et potandi oblatione relicta: qui Christi calicem biberent: refectionem seculi non sitirent. Quibus ita nos rectissime supplicemus: ut eorum valida ac preciosa suffragia: fidem in conversatione provehant: Ecclesiam ab impugnatione defendant. Instituant Sacerdotes ad laudem: Levitas ad officium: Reges ad pietatem: populos ad quietem. Et cum illa eis in delectatione sit regio: que suscepit: ita non sit in oblivione que genuit. Habeat illa in collegio quos coronavit: habeat ista in patrocinio quos transmisit.

℟. Amen.

Alia Oratio. Magna nobis hodie Domine succurrit te auctore immolandi fiducia. Quia adest Christi tui coheres examinatus igne sacerdos: cujus sacrificium

cuilibet fideli laico peregrinanti dari solebant. His ferme similia concilium I Arelatense decrevit. Ad confessores vero quos fideles in agris aut domi suæ alebant, pertinent concilii Toletani I can. 6, quo prohibetur ne *puella Dei*, sive sacra virgo, *familiaritatem habeat cum confessore*, aut cum laico sanguinis alieni, ad periculum et malam famam vitandam; et can. 9, quo prohibet ne *ulla vidua, absente episcopo aut presbytero, antiphonas domi cum confessore, vel servo suo, faciat*: nam confessores quos domi alebant, meri laici, non debebant munera clericorum propria usurpare, cujusmodi erat celebratio officii divini; id enim significat *antiphonas facere*. Non ignoro viros eruditos, inter quos Hugo Menardus. in notis ad Sacramentarium Gregorianum (*Pag.* 61), et Natalis Alexander (*Sæc. V*) agens de concilio primo Toletano, opinatos esse *confessorem* in citatis canonibus conciliorum, et in oratione Ecclesiæ idem significare atque *psaltem* sive *clericum juniorem*; nam, inquiunt, in Scripturis *confiteri* non raro significat *Dei laudes canere*. Sed hæc ratio minus firma est, nam primum erat ostendere *confessorem* et *psaltem* synonyma esse, ac tum demum rationem reddere cur idem significent. Alii dicunt: In libris Missalibus quibus etiam nunc utitur Ecclesia exstat oratio pro *confessoribus*, qui modo nulli sunt si hæc vox *clericos cantores* non significet. At qui ista serio objiciunt animadvertere debebant libros liturgicos nomina antiqua quædam retinere, quamvis res nominibus illis significatæ esse desierunt. Deinde adhuc sunt, et ad finem mundi erunt, aliqui qui catholicæ fidei, et veræ pietatis causa, a paganis, ab hæreticis, a schismaticis, ab impiis, aut aperta vi, aut subdola fraude, persecutionem et tribulationes patiuntur, atque adeo nunquam deerit causa orandi pro confessoribus.

[a] *Fructuosi.* Sunt hi celeberrimi martyres Tarraconenses, qui anno 259 persecutione Valeriani passi sunt, die Veneris, XII Kalend. Februarii. Horum Acta præsidialia exstant apud Bollandum (*Tom. II Jan., pag.* 340) et D. Theod. Ruinart (*Act. martyr., pag.* 340), quæ Prudentius (*Hymn. 4 de coron.*) carmine complexus est. Martyrologia eos commemorant die 21 Januarii: at in missa et Breviario Mozarabum die 16 Februarii coluntur missa et officio proprio (*Vid. not. ad pag.* 290), ut sanctæ Agneti diem suum integrum servarent. Hi martyres in libris Gallicanis prætermittuntur, et etiam in Kalendario Carthaginensi, quamvis constet ex sancto Augustino (*Serm.* 273, *tom. V oper., col.* 1109, *Ed. Maur.*) eorum festum in Africa celebratum esse; neque dubito quin Galli idem celebraverint. In quibusdam Martyrologiis vetustis horum nomina perperam exarata inveniuntur; in Kalendario Piniano, oscitantia amanuensis, nomen Augurii prætermittitur; idem contigit Martyrologio Gellonensi, in quo præterea locus martyrii et tituli dignitatis deficiunt. In Martyrologio Fuldensi Augurius per errorem presbyter designatur; et apud Rabanum, martyr Fructuosus monasticæ regulæ auctor perperam dicitur.

non spernas. Adsunt enim Levite sanctissimi : qui A amicti stolis agni sanguine lotis altare tuum circumdare valeant : et sacris muneribus honorare. Quibus quodlibet omnium in te credentium gerendam injunxeris curam : huic peculiarius loco et populo venerabilium reliquiarum presentia [a] consecrato : et assistere et opitulare jubeas Rex summe precamur. Nunc tibi Fructuosus tuus in commendatione nostri ac totius plebis hujus fructus suorum ingerat meritorum. Nunc Agurius et Eulogius immaculati tui sanguinis [b] ministrent poculum credentibus in salutem. Ut tam victricium ducum vel eruditi magisterio : vel virtute defensi : nec presentium pro tuo nomine penarum formidine terreamur : nec futurorum bonorum extorres usquequaque reddamur. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Adesto nobis omnipotens B Deus : Sanctorum tuorum Fructuosi : Agurii : et Eulogii triumphalem celebrantibus diem : et leticiam spiritalium tribue gaudiorum : concedens eorum intercessione sepultis requiem : offerentiumque tibi corporibus sospitatem. Quorum sic fides membris igne decidentibus arsit : ut sentirent corruptibilis nature defectum : et nescirent celestis animi mutare propositum. ℟. Amen.

311 *Ad pacem. Oratio.* Deus une et Trine : simplex et juste : ammirabilis et preclare : quem societas illa trina et indivisa Sanctorum Fructuosi : Agurii : et Eulogii : sic unita laudis voce inter flammas concelebrat : ut quamlibet exusta ignibus membra deciderent : eorum tamen anime divino flante Spiritu plus calerent. Concede nobis tuorum Martyrum inter- C cessione : ut per quotidiana temporum incrementa tua in nostris cordibus dilectio coalescat : charitas ferveat : ac legis tue meditatio convalescat. Ut odiorum sopitis jurgiis : vigeat in nos flamma divina : et extinguantur male cupidinis nutrimenta. Quo sicut predicti Martyres injecti camino : suis te in passionibus laudaverunt : sic nos te opitulante ex omnium bonorum fructu tibi placere : ante nostrum obitum mereamur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Deus : nos tibi ex toto corde gratias agere : et unitatem Trinitatis tue sub una trium Martyrum passione laudare. Quorum equalis fides : similis fortitudo : indiscreta confessio per individuas personas : graduum individuas et penas rapuit : et coronas. Quos inter D gentiles errores velut quibusdam paleis quasi probatum aurum nonminus charitatis divine : quam persecutionis inimice flamma conflavit : et in celestibus thesauris massam ejusdem fornacis ignis condidit : qui voravit. Libenter enim fidelium animarum ardor tuo amore succensus : sanctificatorum corporum ferebat incendium : quos se utique non exinaniri : sed clarificari posse amplius confidebat. Et cum illo acrius Sancti Spiritus calore ferventes : terrene adustionis materia cingerentur : exinde flammas sibi deputant in favillas. Sed faciebat hoc sustinendi virtus : non urendi defectus. Cum infirmitatem carnis fides excederet : non vim sua natura ignis amitteret. Imposita super ardentem ignis struem membra tabescentia liquescebant : et contracte viscerum partes crescentibus in cumulis carbonibus inherebant. Inter ambustos torres mixtus cineri sanguis fumabat : sed euntes ad Dominum animo plus calebant. In quibus pro societate corporis potuit dolor esse qui tangeret : non potuit esse qui vinceret. Dum illis divini adjutorii virtute prestatur : ut ejus pene superaverint crudelitatem : cujus non timuerunt passionem. Dignum ammodum quo Hebreis pueris Azarie et comitibus ejus similis vox divina signaret : qui in camino Babylonii Regis illesi atque securi : novo laudes tuas carmine decantantes : Angelico atque celesti officio clamaverunt : atque dixerunt : Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus et ammirabilis es Deus summe : qui te in his tribus Sanctis : perfecta Trinitatis unitas demonstrasti. Non corporum visibilium dissimilitudine : sed unita mentium voluntate. Non officiorum distantium ordine : sed concertantium militum inseparabili charitate. Non etatum alternantium tempore : sed animorum persistentium indiscreta virtute. Condecet enim ut qui bella Domini prelantur sui : secum Regis exhibeant abditissima lucra : quia et illic certa sperabitur ex hoste victoria : ubi armorum victricium signa fuerint comitata. Hi igitur una cum principe glorioso Levite : animo paterno consimiles effecti sunt : continuo celestis glorie coheredes : in quibus bone voluntatis immutabilem manere concordiam : furibundus carnifex cernens : nihilque posse in eis prevalere : penarum conspiciens : mox atrocibus exurendos deputat flammis. Sed eo fit militum tuorum fides ardentior : quo fuit ardentior sententia cruentorum. Quos tamen ita indisrupto sibimet vinculo tua charitas vinxit : ut nec estuantia camini : dum traherentur procul conspecta formidarent incendia : nec tristicia saltim dum illic projicerentur contraxerint vota. [c] Quin potius sol-

[a] *Consecrato.* Hæc ad populum Tarraconensem spectant, cum eorum martyrum reliquiæ Tarraconæ sepultæ essent. Quæ postea in monasterium ordinis sancti Benedicti in Liguria, inter Portum Delfini, *Portofino*, et Recinam, *Recco*, situm, delatæ sunt (*Bolland. tom. II Jan., pag.* 339).

[b] *Ministrent.* Nam diaconorum erat calicem ministrare populo.

[c] *Quin potius.* Referunt Acta eorum martyres, die dominico captos, XVII Kal. Februarii, statim in carcerem ductos fuisse ; in carcere a sancto Fructuoso baptizatum fuisse Rogatianum catechumenum, die Mercurii, quo stationem ibidem celebraverunt ; die Veneris ad tribunal Præsidis Æmiliani perductos, constanter deos profanos adorare renuentes ad ignem damnatos esse. *Cumque multi ex fraterna charitate eis offerrent, uti ex conditi permisti poculum sumerent*, Fructuosus *ait : Nondum est hora solvendi jejunii*, *agebatur enim hora diei quarta*, et jejunium ante horam nonam non solvebatur. Prudentius (*Hym.* 6 *de coron.*) :

Quosdam de populo videt sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes :
Jejunamus, ait, recuso potum,
Nondum nona diem resignat hora.

Et hinc etiam patet quam vetusta fuerit consuetudo in Hispania recepta jejunandi et stationes celebrandi feriis 4 et 6. Cæterum potio illa medicata dabatur vivicomburio damnatis, ut sensus sopirentur, et ignis dolor minueretur.

vende stationis tempus adésse cernentes : celestium dapium desiderio tracti : propere perveniunt ad sue compendia mortis. Dumque mediis urerentur sacra corpora flammis : [a] acceptabilia Deo reddunt hymnis sonantibus vota. [b] Nec dumque fuerunt ignibus divina sacrificia concremata : **312** et jam anime Angelorum ovantium gregibus choris conserti : perpeti conscendunt ethera in arce volatu. Ut apud te Deum solverent servatam esuriem : a quo se fidenter speraverant refici perpetua charitate. Per Christum Dominum ac Redemptorem eternum.

Post pridie. Omnipotens Deus qui sanctis tuis Fructuoso Episcopo : Agurio : et Eulogio Diachonibus tantam virtutum gloriam tribuisti : ut sic eorum corpora injecta camino liquescerent : ne anime doloribus carnis perarmate Divino Spiritu cederent : sic exusta deciderent ignibus membra : ne unquam silerent preconium tuorum veracia verba : sicque humanorum corporum exterminata species : ne tamen aliquando a confessionis fervore friguerit ignea fides. Tu hec oblata tibi libamina calore Sancti Spiritus perflans : benedicenda assume : horumque participatione fac nos charitate fervere : delictisque frigescere. Quo in divino amore succensi : sit in nobis ignis : qui exurat peccata : non qui augeat viciorum carnalium incentiva. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus eterne qui beatissimos Martyres tuos Fructuosum : Agurium : et Eulogium igne examinasti : eorumque animas perustis membris ad eternam requiem perduxisti. Dum in illis tribus Trinitas vera inhabitas : quos unitos in passione unitas sancta coronat. Respice nos de excelso throno glorie tue : dans nostris criminibus finem : et terre nostre finibus pacem. Ardeamus spiritu : sanctificemur ex actu. Operemur justiciam : teneamus castimonie disciplinam. Ut eo fervore cordis quo te predicti Martyres in medio ignis posití laudaverunt : nos quoque institutionis divine oraculum compuncti : coram te depromere mereamur : ita dicentes. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Deus unus et trinus : qui se in unitate trium Martyrum Fructuosi : Agurii : et Eulogii passione gloriosum ostendit : glorificari se in vestris cordibus faciat : et ad instar illorum in sue pacis unione connectat. ℟. Amen. Quique illis gloriam adauxit per passionem : temporalium igne : calore Sancti Spiritus peccata vestra expurget. ℟. Amen. Ut in illo vestra semper spes permaneat fixa : quo illis est eterna post esuriem refectio attributa. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Communio. Refecti Christi corpore.

Oratio. Domine Deus omnipotens. *Quere in Sanctorum Juliani et Basilisse. fol.* 287, *et ubi dicitur* Juliani et Basilisse : *dicatur* Sanctorum Martyrum tuorum Fructuosi : Agurii : et Eulogii.

Valentini Martyris.

Omnia dicantur unius Martyris. folio 421.

Juliane Virginis et Martyris.

Omnia dicantur unius Virginis. folio 436.

Pantaleonis Martyris et Sociorum ejus.

Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 426.

Columbani Abbatis.

Omnia dicantur unius Confessoris simplicis. fol. 432.

[c] IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

Ad Missam. [d] *Officium.*

Benedicam te dicit Dominus : adscribam super te nomen meum novum : et nomen civitatis magne novo

[a] *Acceptabilia.* Huc refer quæ in Actis eorum leguntur : *Cumque exustæ fuissent fasciolæ quibus manus eorum fuerant colligatæ, orationis divinæ solitæ consuetudinis memores, gaudentes positis genibus, de resurrectione securi, in signo trophæi Domini constituti, Dominum deprecabantur donec simul animas effuderunt.* Scilicet, exustis fasciis quibus ad palos colligati stabant, positis genibus, et extensis brachiis in modum crucis, ut Christianis orare mos erat, simul orantes beatas animas effuderunt.

[b] *Nec dum.* De hac visione Prudentius (*In Hymno*) et Acta testantur : *Post hæc, solita Domini non defuere magnalia : apertum est cœlum, videntibus Babylon et Mygdonio fratribus nostris, ex familia Æmiliani præsidis, qui etiam filiæ ejusdem Æmiliani*, dominæ eorum carnali, ostendebant sanctum Fructuosum episcopum cum diaconibus, adhuc stipitibus *quibus ligati fuerant permanentibus, in cœlum ascendentes coronatos.* Et infra : *Æmiliano etiam qui eos damnavit Fructuosus pariter cum diaconibus se ostendit, in stolis repromissionis.*

[c] *In Cathedra.* Circa hanc festivitatem tria hic notanda. Primum, festivitatem antiquissimam esse, etiam Romæ, Kalendarium Bucherianum : *VIII Kal. Mart. Natale Petri de Cathedra.* Kalendarium Gotho-Hispanum, sive potius fragmentum ejus Pinianum : *VIII* Kal. Mart., *Cathedra sancti Petri apostoli.* Orationale Gothicum (*Pag.* 62, *or.* 1), VIII Kal. Mart. : *Incipiunt orationes de Cathedra sancti Petri.* Huic adde Missale et Breviarium nostrum, quibus, VIII Kal. Martii missa et officium *in Cathedra sancti Petri* inscribitur. Missale Gallo-Gothicum, n. 20, et Sacramentarium Bobianum : *Missa in Cathedra sancti Petri.* Lectionarium Luxoviense, n. 23 : *Legenda in Cathedra sancti Petri.* Aliud quod notandum est, duplicem festum Cathedræ sancti Petri in vetustissimis apographis Hieronymianis signari, alterum XV Kal. Febr., quo Cathedra Romana, alterum VIII Kal. Martii, quo Antiochena Cathedra celebratur. Sic Epternacense, Lucense Florentinii, Corbeiense Dacherii, quibus adhærent Gellonense, Romanum Parvum, et his recentiora, Adonis, Usuardi, Romanum Baronii, aliaque plura Martyrologia. Atque adeo incertum est quod viri aliqui eruditi tanquam certum prodiderunt, unicam olim celebratam esse Cathedræ sancti Petri festivitatem, neque ad hoc probandum satis est quod in plerisque libris ecclesiasticis unica inveniatur festivitas Cathedræ signata, nam inde id solummodo evincitur in quibusdam Ecclesiis unicam celebratam esse solemnitatem Cathedræ sancti Petri. Sed quid illis libris facient in quibus nulla prorsus signatur Cathedræ festivitas ? Utique exinde vix inferri potest Romanos Cathedram sancti Petri non celebrasse. Tertium igitur quod animadvertendum est, Kalendarium Carthaginense, Sacramentarium Gelasianum Thomasii, Gregorianum Muratorii, quod e Codice sæculi IX editum est, Antiphonarium Gregorianum, Gradale

[d] *Officium.* Apoc. III, 7.

Hierusalem : alleluja. ℣. Benedicam te Domine qui A fecisti celum et terram. *P.* Adscribam. ℣. Gloria et honor Patri. *P.* Adscribam.

Oratio. Deus Dei filius : qui in te solidissima petra exaltasti Petrum : et per Petrum Ecclesiam : effectus illi in tribulatione fiducia : quo possit adversa cuncta superare presentia : porrige nobis auxilium dextere tue : ut [a] per eum qui in te post negationem redditus : saluti meruit solidari : per eum nos digneris a viciorum tentationibus [b] erui : ac fides nostra in nullo coram te apparens nutabunda : et animas et corpora pertrahat ad superna. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaye Prophete ([c] *Cap. XXXII*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Ecce in justicia regnabit Rex : et principes ejus in judicio preerunt. Non caligabunt oculi videntium : et aures audientium diligenter auscultabunt : et cor stultorum intelliget scientiam : et lingua balborum **313** velociter loquetur et plane. Non vocabitur ultra is qui incipiens est princeps : neque [d] fraudulenter appellabitur major. Stultus enim fatua loquitur : et cor ejus faciet iniquitatem : ut perficiat simulationem : et loquatur [e] ad eum fraudulenter : et vacuam faciat animam esurientis : et potum sitienti auferat : fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinabit ad perdendos mites in sermone mendacii : cum loquitur [f] pauperi judicium. Princeps vero ea que digna sunt principe cogitabit : et ipse super duces stabit. Mulieres opulente surgite : et audite vocem meam. Filie confidenter percipite auribus eloquium meum : donec effundatur super nos spiritus de excelso. Et erit desertum Charmel : et Charmel in saltum reputabitur. Et habitabit in solitudine judicium : et justicia in Charmel sedebit. Et erit opus justicie pax : et cultus justicie silentium : et securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus in pulchritudine pacis : et in tabernaculis fiducie in requie opulenta. [g] Ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[h] *Psallendo.* In manibus portabunt te : ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. Quoniam Angelis suis mandavit te : ut custodiant te in omnibus viis tuis. *P.* Ne unquam

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Petri Apostoli (*I*, [i] *cap. V*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Seniores qui in vobis sunt obsecro consenior et testis Christi passionum : qui et ejus que in futuro revelanda est glorie communicator. Pascite qui est in vobis gregem Dei : providentes non coacte : sed spontaneo secundum Deum. Neque turpis lucri gratia : sed voluntarie. Neque ut dominantes in cle- B ricis : sed forma facti gregis ex animo. Ut cum apparuerit princeps pastorum percipiatis immarcescibilem glorie coronam. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate. Quia Deus superbis resistit : humilibus autem dat gratiam. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Matheum ([j] *Cap. XVI*).

In diebus illis : Dominus noster Jesus Christus venit in partes Cesaree Philippi : et interrogavit discipulos suos dicens. Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt. Alii Joannem Baptistam. Alii autem Helyam. Alii vero Hieremiam : aut unum ex prophetis. Dicit illis Jesus. Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Symon Petrus dixit. Tu es C Christus filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit. Beatus es Symon Barjona : quia caro et sanguis non revelavit tibi : sed Pater meus qui in celis est. Et ego dico tibi : quia tu es Petrus : et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Et porte inferi non prevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni celorum. Et quodcumque ligaveris super terram : erit ligatum et in celis : et quodcumque solveris super terram : erit solutum in celis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[k] *Lauda.* Alleluja. ℣. Tu es Sacerdos in eternum

Gradale Modoetianum, Lectionarium Ambrosianum Em. Thomasii et Capitularia Evangeliorum Em. Thomasii et ill. Georgii, utramque festivitatem Cathedræ prætermisisse, quod aliis quibusdam libris liturgicis contigit. Cæterum credibile est in quibusdam Galliæ Ecclesiis mense Januario, in aliis mense Februario, hanc festivitatem esse celebratam. Neapoli olim die 12 Februarii celebrabatur, ut ex Kalendario marmoreo Neapolitano habemus, in quo, 12 Febr. : D. Q. ELECTUS EST S. PETRUS PAP., sculptum est, nimirum : *Die duodecimo* Febr. *dies quo electus est sanctus Petrus papa.* Demum quod, omissa mentione Cathedræ, in laterculo Polemii Silvii legitur VIII *Kal. Martii, depositio sancti Petri et Pauli*, vel oscitantia insertum est, vel de translatione quadam reliquiarum Apostolorum intelligendum.

[a] *Per eum.* Hæc verba videntur abundare.

[b] *Erui.* Lege *eruere.*

[c] *Cap. XXXII.* Vers. 1-19. Pluribus omissis. In D Sacramentario Bobiano et in Lectionario Luxoviensi deficit prophetia.

[d] *Fraudulenter.* Vulgata, *fraudulentus.*

[e] *Ad eum.* Fortasse, *ad Deum.* Vulgata, *ad Dominum.*

[f] *Pauperi.* Vulg., *cum loquetur pauper judicium.*

[g] *Ait Dominus omnipotens.* Sunt verba quibus finis imponebatur lectioni.

[h] *Psallendo.* Ps. XC, 12.

[i] *Cap. V.* Vers. 1-6. In Sacramentario Bobiano legitur ex *Epistola beati Petri Apostoli ad gentes*, scilicet ex prima Epistola sancti Petri, cap. I, 3, 4. In Lectionario Luxoviensi legitur ex Actibus, XII, 1-17. In comite Pamelii legitur ex Epistola ad Hebræos, V, 1.

[j] *Cap. XVI.* Vers. 13-20. Idem Evangelium in Sacramentario Bobiano, in comite Pamelii, et in Missali Toletano legitur. At in Lectionario Luxoviensi partim ex Matthæi XVI, 13-20, partim ex Joanne XXI, 15-20, compactum est.

[k] *Lauda.* Ps. CIX, 4.

secundum ordinem Melchisedech. *P.* Alleluja.

[a] *Sacrificium.* Ego Daniel intellexi numerum annorum in quibus factus est sermo Domini : tibi autem Domino Deo nostro propiciatio et misericordia : alleluja. ℣. Dum aspicerem in nubibus celi : ecce quasi filius hominis amictus auro purissimo veniebat : principatus ei honor et regnum. *P.* Tibi autem Domino.

Missa. [b] Diem in quo beatissimo Petro Apostolorum omnium principi in se primum Ecclesie electione fundate : et cathedra commissa est : et caterva religionis in laudem Dei dilectissimi fratres quibus ipse docuit officiis celebremus. Pias illi preces et cantica festa reddentes : ut primum nos longe sibi merito impares : satisque conversatione dissimiles ejusdem : quod ipse digne complevit : ministerii susceptores apud omnipotentem Dominum : tanquam pius magister ab omni contagione delicti excuset. Deinde pro omni Ecclesia : cujus ipse fundamentum factus est : cujus principatum indeptus est : intercedat. Dominicarum ovium curam bonus etiam nunc pastor impendat : accepto privilegio **314** potestatis ligata dissolvat. Prevalere nobis intercessionis sue studio portas inferi non permittat : sed ad regni celorum nos atria : de quo claves accipere meruit : introducat. ℟. Amen.

Alia Oratio. Christe fili Dei vivi : qui Apostolum tuum Petrum ita confessione justificans : revelasse illi Patrem tuum : hanc ipsam tui intelligentiam esse docuisti : cum alia atque alia de te hominibus incerta opinione narrantibus : ille te non secundum carnem et sanguinem metuendo intelligeret : crederet : predicaret : hujus te intercessione supplices deprecamur : ut in desiderio nos ad te veniendi positos fides modica mundo turbante non subruat : sed auxiliatricem dexteram ad liberandos nos priusquam ad dubietatem valida tentatione deducti mergi forsitan incipiamus : extende. Ac si propter fragilitatem nostram : quod titubamus increpites : non tamen propter iniquitatem nostram : ut pereamus expectes. ℟. Amen.

Post nomina. Sancte Domine qui Apostolum tuum Petrum ad domum Cornelii Centurionis accersitum : ne gentilem hominem quasi immundum pollutumque respueret figuraliter monuisti : cum in visione sopore modico quiescenti : vas quoddam universorum animalium permixtione completum : quatuor initiis ab excelsa celi parte depositum : mactandi et comedendi lege preponeres : eumque velut contaminationis edulium recusantem : immundum dicere quod creaveras vetuisses : significans scilicet in omnibus nationibus Ecclesie tue conversam plebem : Apostolis predicantibus eibum facturam : quam tu a quatuor mundi partibus quatuor Evangeliis invitatam : in uno fidei receptaculo congregasti. Hanc quesumus mundam in oculis tuis statue : dignamque sanctis altaribus effice. Atque ita oblationes ejus suscipe in sacrificium tuum : et hostias deputa : ut ipsa tibi sacrificium : [c] ipsa sit hostia. Beatorum quoque Angelorum : Patriarcharum : Prophetarum : Apostolorum : Martyrum : omniumque Sanctorum : qui de Ecclesie corpore gloriosa Christi membra facti sunt suffragiis : rogantibus nobis requiem fidelium spiritibus tribue defunctorum. Ut facta per caros suos commemoratio : illis refrigerium conferat : his proventum. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Jesu fili Dei qui Petro Apostolorum omnium principi : plus ceteris Discipulis dili-

[a] *Sacrificium.* Ex Danielis IX, 2-9. ℣. Danielis VII, 13.

[b] *Diem.* Antiquiores illi non alia de causa hanc festivitatem celebrasse videntur, quam ut Deo gratias solemniter agerent quod in Ecclesia sua cathedram principalem, sive, quod idem est, episcopatum Ecclesiæ, cum plena ligandi atque solvendi potestate, instituerit, eamque cathedram beato Petro apostolo, et, per eum, Romanis pontificibus, successoribus ejus ad finem sæculorum, tenendam tradiderit. Gotho-Hispani, in missa : *Diem*, inquiunt, celebramus *quo beatissimo Petro, apostolorum principi, Ecclesiæ cathedra commissa est.* Et in Orationali Gothico (*Pag.* 63, *or.* 4), populum benedicentes, dicunt : *Unigenitus Dei Filius qui beatissimum Petrum caput voluit esse Ecclesiæ suæ... et qui illi commisit cathedræ pontificalis fastigium... ut idem Petrus qui potestatem accepit peccata demittere... regni, de quo claves accepit, vos faciat participes esse.* Neque aliter Galli in Sacramentario Bobiano : *Solemnissimum*, inquiunt, *diem in quo omne jus gentium et Judæorum sortitus est beatissimus Petrus, quem diem ipsa Divinitas consecravit, delegando illi cœlorum claves, vel pontificalis cathedræ contulit dignitatem, fratres charissimi, exsultantes in Domino celebremus.* Et in sermone 96 sancti Leonis, si tamen ejus sit (*Oper. t. I, p.* 180, *Ed. Quesn.*), legitur : *Adest, dilectissimi fratres, beati apostolorum principis gloriosa solemnitas... in ista vero, exsultantibus undique fidelium turmis, pontificali cathedra cum magna gloria est sublimatus... adeptus est sanctæ Ecclesiæ principatum...* Et in oratione quæ hac die in Sacramentariis Gregorianis Pamelii et Menardi, et Rocchæ, recitatur : *Deus, qui beato Petro, collatis clavibus regni cœlestis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti.* Demum, Sacramentarium Bobianum et Missale Gallo-Gothicum : *Deum, qui beato Petro tantam potestatem contulit, ut si ipse ligaverit non sit alter qui solverit, et quæ in terra solverit item in cœlo soluta sint, precibus imploremus, ut,* etc. Huc etiam spectat modus hanc festivitatem enuntiandi in Kalendario marmoreo Neapolitano : *dies quo electus est sanctus Petrus papa,* id est, in papam, seu in summum Ecclesiæ pontificem ; et illud sermonis 190 (*Append. tom. quinti Oper., Edit. Maur.*) sancti Augustini : *Institutum solemnitatis hodiernæ a senioribus nostris* Cathedræ *nomen accepit, ideo quod primus apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur.* Et illud serm. 191 (*Ibid.*), qui etiam sancto Augustino tribuitur : *Dum natalem Cathedræ colimus, episcopatum Petri apostoli veneramur.* Recte enim addit auctor serm. 190 (*In append. tom. V Oper. S. Augustini*) : *Ecclesiæ natalem sedis illius colunt quam apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit.*

[c] *Ipsa sit hostia.* Confer sanctum Augustinum (*De Civit. Dei*, lib. X, cap. 20) et sanctum Fulgentium (*Lib.* II ad Monimum, *cap.* 12) ubi, inter alia, hæc : *Solius igitur catholicæ veritatis communionis sacrificium Deus libenter accipit; quia dum charitatem suam per Spiritum sanctum diffusam, in ea custodit, ipsam Ecclesiam sibi gratum sacrificium facit, quæ ipsam semper poscit gratiam spiritalis charitatis accipere, per quam se poscit hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, jugiter exhibere.*

genti : oves tuas sub testimonio dilectionis commendas : cum amorem ejus erga te Dominum : et te interrogante : et illo respondente declaras. Tu eo suffragante Ecclesiam : [a] cujus ipse caput factus es : ab scandalis libera : et in pace conserva. Ut charitate ferveat. Fide crescat. Spe polleat : atque sanctis operibus enitescat. Quo ejus indefesso muniatur patrocinio : cujus doctrina edificata est vel exemplo. ℟. Amen.

[b] *Inlatio.* Dignum et justum est omnipotens Deus : ut exaltet te in Ecclesia plebs : et in cathedra seniorum te omnis spiritus predicet. Uterque sexus conlaudet : etas tota concelebret. Per quem ad evacuandam seculi inflationem : et destruendam mundane sapientie vanitatem : in sortem Apostolice Sedis illa inclita imperiis et inter Deos superstitiosis culta sacrificiis Roma succubuit. Cum in illa horrentium numerositate templorum : et diversorum numinum titulis prefixa statuis simulacra : humilem Petri sui Cathedram [c] civitas legibus suis superba susciperet : veramque Dei sapientiam philosophis rusticus predicaret. Ut in illo venerari disceret penulam pauperis trabea consularis : cum nationibus scelerata scelerum impunitate collectis id ostenderet : infami libertate juris esse : quod criminis. Quibus maxima esset religio Romuleos colere manes : fratris cruore perfusos. Hic inquam ille vir retifex vel edifex regere navem solitus : ad officium capiendorum hominum gubernande plebis electus : illum esse Deum docuit : quem virgo peperit : non quos lupanar nutrivit. Fit celi janitor mundi piscator. Cui post humidum linum committitur regnum divinum. Statuitur Christi edituus seculi rusticanus. Cui artis fuit vela suspendere : potestatis fit peccata dimittere. In carne ignobilis : in elatione sublimis. Illi aperienda sanctis conclavia decernuntur : illum Christus participem sui concilii facit. Ille Christum amoris sui testem presumit : **315** ipse primum futurum Martyrem jubetur attrahere. Tanta a Domino charitate dilectus : ut ab ore ejus audiret inventum in ore capies piscis staterem : dabis pro me et te. Iste Petrus qui non habendo aurum neque argentum : in eleemosynas sanitates erogat : de quo claudus ex utero matris egressus : qui stipem jacturus speravit : salutem surrecturus accepit. Iste est Petrus qui Eneam octo annorum paralisi compeditum : in Jesu nomine vigori pristino fugata debilitate restituit. Iste est Petrus qui boni magisterii discipulam nomine Tabitam : alendis ac vestiendis viduis servientem : luto jam post vitam corpore quiescentem : et delatis funeri exequiis : exanimem suscitavit : cum in testimonio boni operis circumstantium pauperum fletus : monstratisque dare consueverant vestimentis : offerrent Apostolo in effectum mirabilium suffragium lachrymarum. Iste est Petrus : cujus vincula propter Dei nomen ligata : manus solvit Angelica : cum in medio custodum fluentibus sponte nexibus catenarum : excussis procul obicibus reserata carceris claustra patuerunt. Postremo iste est Petrus : cujus lingua populos infirmos umbra curavit. Ut per divinitatem Dei gratia hoc ageret umbra Pontificis : quod fimbria Salvatoris. Ante cujus conspectum omnes Angeli atque Archangeli incessabiliter proclamant : ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere Sanctus es Domine Jesu Christe : qui Apostolum tuum Petrum firmissimam statuens petram : edificare tibi in ea sanctam pronunciasti Ecclesiam. Cui et porte inferi minime prevalerent : et celi jugiter absque ambiguitate paterent. Celorum etenim claves a te accipere meruit : ut veniendi ad te desiderium habentes : vite portas aperiat : et ad celeste tue majestatis palacium introducat. Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Ista sunt Domine holocausta dulcia : ut mel de petra manantia : Apostoli tui Petri instituente doctrina : ut [d] a te magistro didicerat in commemorationem tue passionis libanda. Fiant ergo quesumus piissimo vultui tuo accepta : tue majestatis dextera sanctificata. Sint placabilitate pinguia : et tui oris eloquio benedicta. Sint in percipientibus firma munimina : et infirmis exhibeant anime et corporis medicinam. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Salutare orandi preceptum : tuos magister bone docuisti discipulos : quorum principatum te jubente indeptus est Petrus. Ut rejecto orationis multiloquio :

[a] *Cujus ipse caput.* Missale Gallo-Gothicum et Sacramentarium Bobianum, in collectione quæ sequitur hac die : *Deus, qui hodierna die beatum Petrum, post te dedisti caput Ecclesiæ*, etc. Hinc in Orationali Gothico (*Pag.* 63, *or.* 4) legimus : *Unigenitus Dei Filius, qui beatissimum Petrum caput voluit esse Ecclesiæ suæ*, etc.

[b] *Inlatio.* Eadem est in Sacramentario Bobiano et Missali Gallo-Gothico *contestatio* quoad sensum, sed in libris Gallicanis, quibusdam detruncatis, aliis in compendium reductis, brevior est.

[c] *Civitas.* Huc refer celebre illud sancti Leonis (*Serm.* 1 *de nat. apost. Petri et Pauli*), qui urbem Romam alloquens : Ad hanc, inquit, gloriam evecta es, ut *per beati Petri sedem caput orbis effecta latius præsideres religione divina quam dominatione terrena.* Et plura ibidem.

[d] *A te magistro.* Sanctus Isidorus scribit sanctum Petrum primum instituisse ordinem missæ et orationum *quibus oblata Deo sacrificia consecrantur* (*De Offic. eccl. l.* I, *c.* 15). Subdit autem has orationes sanctum Petrum ita instituisse ut a Christo Domino magistro suo didicerat. Christum enim quædam circa oblationem Eucharistiæ, non modo quoad substantiam sacrificii, sed etiam quoad modum et ritum offerendi, apostolis tradidisse, sanctus Clemens (*Ep.* I *ad Cor.*) haud obscure prodidit, et auctor de Mortib. persecutorum addit Christum Dominum ista apostolis suis post resurrectionem tradidisse; dum enim *aperuit corda eorum, scripturas illis interpretatus est;* dogmatibus fidei, quæ orbi universo traditori erant eos imbuit, disposuitque *testamenti novi solemnem disciplinam:* utique eam quæ ad sacrificii et sacramentorum confectionem et administrationem pertinet. Profecto singularis illa uniformitas, in præcipuis rebus ad sacrificium Eucharisticum spectantibus, quæ apud omnes Christianos observatur, non alteri causæ magis apte quam divinæ huic traditioni ascribenda videtur.

tuum Deitatis natura [a] et Martyrum adoptionis gratia patrem : audeamus invocare et dicere. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Dominus Jesus Christus qui Apostolum suum Petrum principem constituit Apostolorum : et claves illi tradidit regni celorum : presentem benedicat clerum et populum. ℟. Amen. Illosque ad promerendam salutem Apostoli sui obumbret umbra : qui ex ejus devotione solennitatis venerantur cathedram. ℟. Amen. Ut qui ad ejusdem cathedre concurrunt solennitatem : libamen percipiant indulgentie ad eternam salvationem. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et vi.

Com. Refecti Christi corpore.

Quere in Sanctorum Juliani et Basilisse. fol. 287. *Et si venerit in tempore Quadrag. dicatur loco* Gustate. Qui venit ad me.

Com. Repletum est cor nostrum. *Quere in primo Dominico Quadr. fol.* 98.

Oratio. Christe Dei Fili : qui oves tuas sub testimonio dilectionis tue Apostolorum omnium principi Petro commendans : quo et te interrogante et illo respondente : dignus probaretur pastor esse Ecclesie : fac nos veridice amatores tuos semper existere. Ut per eum cujus claves date sunt regni : nos intrare mereamur januas paradisi. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

IN FESTO [b] SANCTI MATHIE APOSTOLI.

Officium.

Gloriam et magnum decorem. *Quere in unius Martyris. fol.* 421.

316 *Oratio*. Concede omnipotens Deus : ut gloriosissimus Apostolus tuus Mathias : qui per Christum Dominum in Ecclesia devicit viriliter adversarium : in Christo Ecclesie destruat inimicum. Ut populo fidelium eterna pace obtineat gaudium : dum ad te quoque securitas conquirit proventum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Prophetia*. Justus si morte.

Quere in festo S. Clementis. fol. 20.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Psallendo. Os justi meditabitur

Quere in Sancti Bartholomei. fol. 365. [c] *Epistola*. Charissime confortare.

Evangelium. Una dierum Dominus noster.

Quere in Sancti Clementis. fol. 20.

Lauda. Alleluja. *Et Sacrificium. ut in Sancti Bartholomei. fol.* 365.

Missa. Largitorem eterni muneris fratres charissimi supplices imploremus : ut sacrificium quod offerimus hodie in honorem Apostoli sui Mathie : propiciatus acceptare dignetur. Ac sic preces omnium clementer accipiat : ut omnibus peccata dimittat. Et qui prestare dignatus est eidem Apostolo suo Deus Pater omnipotens olim victorie palmam : nunc quesumus universis postulata concedat : et eterne vite premia dignanter attribuat. ℟. Amen.

Alia Oratio. In honorem beatissimi Martyris tui Mathie Apostoli : cujus hodie natalem glorie celebramus : his majestati tue omnipotens Deus laudibus servientes : solennia festa concinimus : supplices te deprecantes : ut cujus meritis obsequimur : ejus te propicio ac donante : apud clementiam tuam semper precibus adjuvemur. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Pietatem tuam petimus sempiterna Trinitas Deus : et Sancti tui Mathie Apostoli et Martyris venerantes agonem : supplices imploramus : ut preces omnium clementer accipias : et omnibus peccata dimittas. Atque ita tibi sit offerentium devotio placita : ut defunctis etiam requies prestetur eterna. ℟. Amen.

Ad pacem. Reple nos Domine tue pacis et dulcedinis dono : ut qui in hoc die amabiliter Martyris tui Mathie Apostoli veneramur triumphum : martyriali proficiamus affectu : et quia eidem Sancto tuo impendimus obsequelle honorem : ejus precibus per te fructificemus in charitate.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum et salutare est : te inconfusa Trinitas et unius essentie indivisa majestas : Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum : fontem beatitudinis eterne laudare : quem scimus nullius servitutis obsequiis indigere : per quem beatissimus Martyr tuus Mathias Apostolus er-

[a] *Et Martyrum*. Lege *et nostrum*.

[b] *S. Matthie*. Sanctum Matthiam apostolum hac die, VI Kal. Martii, colunt in Sacramentariis Gregorianis Pamelii, Menardi et Rocchæ, in Breviario et Missali Mozarabum, et in Martyrologiis Corbeiensi Dacherii, Gellonensi Cod. sancti Galli, Romano Parvo, Bedæ Genuino, Adonis, Usuardi, Flori, Notkeri, Wandelberti, et Romano Baronii. Pluribus tamen libris liturgicis, Martyrologiis et Kalendariis deficit festivitas sancti Matthiæ, inter alia Orationali Gothico, Sacramentario Gelasiano em. Thomasii, aliquibus Codicibus vetustis Sacramentarii Gregoriani, Capitularibus Evangeliorum Georgii, Kalendario Gotho-Hispano, et Kalendario Carthaginensi. Græci sanctum Matthiam die 9 Augusti in Menologio Basilii, commemorant. Plura de sancto Matthia lege apud Bollandum (*Tom. III Februarii, a pag.* 431), quædam etiam apud Florentinium (*In notis ad Martyrologium Lucense, die* 31 *Maii*), apud P Sollerium (*In notis ad Usuardum, die* 24 *Februarii*), et in Baronio (*In notis ad Martyrologium Romanum*).

[c] *Epistola*. Epistola hæc eadem legitur in festo sancti Clementis ex epistola II ad Timotheum, cap. II, 1-10. In Codice Missalis Mozarabici, quo utor, ad extremitatem paginæ adjicitur hæc notula manu recentiori exarata : *Epistola exsurgens Petrus CXCIX*. Scilicet Epistolam eamdem legendam esse indicat ex Actuum apostolorum I, quæ feria secunda post Pascha legitur, fol. 198.

rores seculi sapientia vicit : terrores patientia superavit : et idcirco tam magnum tamque magnificum est quod fecit. Secutus quippe agnum : leonem vicit : quando persecutor seviebat : leo fremebat. Sed quia agnus sursum attendebatur : leo deorsum contemnebatur. Ipse enim intuebatur : qui mortem morte destruxit : in ligno pependit : sanguinem fudit : mundum redemit. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare ita dicentes. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : et vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus : [a] qui hodierno die animam sui testis Mathie Apostoli : devicto mundo evexit in celum. Ut que fuerat afflicta suppliciis : gaudiis frueretur eternis. Et que Dominice imitatrix extiterat passionis : celestis esset particeps regni. Hujus perinde meritis Deus summe : terminum pone delictis : et finem scandalis. Ut qui Martyris tui Mathie Apostoli veneratores existimus : remotis adversitatibus imitatores effici mereamur. Per Christum Dominum ac Redemptorem eternum.

Post pridie. [b] Hec tibi Domine tua servantes precepta : in altare tuum panis ac vini holocausta proponimus : et in commemoratione sancti tui Mathie Apostoli suscepta populi tui per has oblationes te jubente vota deferimus non nostris meritis : sed obsequio suscepti officii. Rogantes profusissimam tue misericordie pietatem omnipotens Deus : ut eodem spiritu quo te in carne virginitas incorrupta concepit : has hostias Trinitas indivisa sanctificet. ℟. Amen.

317 *Ad Orationem Dominicam.*

Deus qui in Sancti tui Mathie Apostoli corde flammam accendisti dilectionis tue : da mentibus nostris eadem fidei charitate fervere. Ut in cujus gaudemus triumphis : ejus provocemur exemplis : ad te proclamantes e terris. Pater noster. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Precibus justi sui Mathie Apostoli : vos Dominus ab omni reatu vestro justificet. ℟. Amen. Illius quoque vos efficiat imitari virtutem : ad cujus dedicandam solennitatem vestram excitavit devotionem. ℟. Amen. Ut participes vos ei in illa eternitate reddat in munere : cujus amabiliter hic prospicit celebrare solennitatem. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate

Com. Refecti Christi corpore.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui es vita.

Quere in Sanctorum Juliani et Basilisse, fol. 287. *Et ubi dicitur* Juliani et Basilisse *dicatur* Sancti Mathie Apostoli tui. *Et si venerit istud festum in Quadr. dicatur loco.* Gustate. Qui venit ad me. *Com.* Repletum est cor. *quere folio* 98. *Oratio ut supra.*

Adriani Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. folio. 421.

Donati Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fol. ut supra.

[c] *Emeterii et Celedonii :*
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 428.

[a] *Qui hodierno die.* De die emortuali sancti Matthiæ non una est omnium opinio ; multi hac die, alii 31 Maii passum volunt. Vide Sollerium, in Usuardum, die 24 Januarii, et citatum Florentinium ad diem 31 Maii, in notis ad Martyrologium Hieronymianum Lucense.

[b] *Hec tibi.* Hæc oratio *post pridie* eadem recurrit in missa sancti Matthæi apostoli et evangelistæ, in missa communi unius martyris, et paucis demptis, in missa Natalis Domini, estque una earum quibus recentiores nonnulli abutuntur ad persuadendum Gotho-Hispanos formam consecrandi Eucharistiam non in solis Christi Domini verbis solemnibus, sed simul in invocatione quadam reposuisse ; quod quantum a veritate alienum sit alibi satis fuse ostendi (*Vid. not. pag.* 217). Ad præsentem vero orationem quod attinet alibi etiam notavi (*Vid. not. pag.* 197, 193). Panis et vini holocausta quæ sacerdos, suo munere, de mandato Domini, surgens, altari imponit, et per quæ vota populi coram Deo defert, reipsa esse corpus et sanguinem Christi, quilibet harum rerum peritus probe novit. Nam merum panem et vinum simplex aqua mistum altari inferre diaconorum erat, non sacerdotum. *Levitæ inferunt oblationes in altaria*, inquit Gotho-Hispanorum doctor (*De Off. eccl. l.* II, *c.* 8), at, inquit, sacerdos *oblata sanctificat,quia in sacerdote consecratio est.* Et rursus (*Epist. ad Ludifred.*) : Ad diaconum pertinet altari *oblationes inferre et disponere ;* ad presbyterum vero *pertinet sacramentum corporis et sanguinis Christi ad altaria Dei conficere.* Præterea præceptum Christi, de quo in hac oratione sermo, utique illud est : *Hoc facite in meam commemorationem,* quo presbyteris et sacerdotibus præceptum datur, et simul potestas, conficiendi corpus et sanguinem Christi ; quare, cum in hac oratione dicitur : *Hæc tua, Domine, præcepta servantes, in altare tuum panis et vini holocausta proponimus,* non de pane aut de vino usuali, sed *de supersubstantiali* loquitur. Siquidem post prolata Christi verba *caro et sanguis, et panis de cœlo, et granum tritici,* aliaque ejusmodi plura, unum et idem significant corpus Christi, ut Etherius et Beatus antea præmonuerant. Unde, cum in hac oratione rogant *ut Trinitas indivisa has hostias sanctificet, eodem spiritu quo* Christum *virginitas incorrupta concepit,* pro elementis jam transsubstantiatis orant. Neque te moveat modus loquendi, primo aspectu singularis, nam similes verborum formulæ in aliis rebus, etiam inanimatis benedicendis passim adhibentur, ut optime norunt ii quibus libri liturgici familiares sunt. Sic in Sacramentario Gregoriano Menardi, p. 151, salem, ad aquam aspersionis faciendam, benedicentes, orant ut salem, *sancti Spiritus* sui *sanctitate* Deus *sanctificatum* reddat, et in benedictione calicis (*Pag.* 155) orant : *Precamur ut hunc calicem... emissione sancti Spiritus tui, cœlesti benedictione sanctifices,* quibus idem significatur, quod verba *sanctificare et benedicere* denotant.

[c] *Emeterii et Celedonii.* Quinto Nonas Martii celebris est apud Hispanos memoria martyrum Calagurritanorum Emeterii et Celedonii, quos Prudentius (*Hym.* I *de coron.*) fuse celebrat, et rursus (*Hym.* 4) urbes singulas cum suis martyribus Christo judici obviam prodeuntes describens, inquit :

Nostra gestabit Calagurris ambos,
Quos veneramur,

Emeterium nimirum et Celedonium. Acta præsidialia horum martyrum ævo Prudentii desiderabantur,

Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,

tempore persecutionis Diocletiani, ut credibile est. Sed defectum Prudentius, egregio hymno citato, supplevit. Supersunt quoque vetusta Acta, quæ in Ecclesiis Hispaniæ olim legebantur, et quæ, cum Prudentio et Missali nostro apprime conveniunt ; ea Ta-

Missa. [a] Sit dies hec nobis festa fratres : sit sacratum gaudium : quod cara duorum pectora fratrum : fida sibi soliditate conjuncta : et in celesti [b] tirocinia pompa felicibus armis instructa : et hostem vicere simul et mortem. Nunc nobis illud par nobile in precibus Emeterius et Celedonius suffragentur : qui sibi regnum celorum quesierunt meritis tormentorum. Quorum corpora eternis titulis vivacis memorie consecrata Calagurritana custodit [c] Ecclesia. Et licet sacrarum passionum monumenta non extent : tanto tamen beatissimis Martyribus plus honoris accidit : quod persecutores sui virtutum prodi gesta timuerunt. In promptu est enim fidelibus existimare cujus fuerint passiones ille meriti : quas predicavit gentilitas non publicari. Non illas paginas negligentia perdidit : nec casus abolevit. Nec vetustas incuriosa corrupit : sed malicia persecutoris invidit. Non est usitatum profecto : nec solemne : ac simplici peractum passione martyrium : quorum prodi in posterum gentibus formidatur exemplum. Sed prodeunt hec erubescentibus ex scriniis suppressa monumenta : et fidelis [d] inconscia posterorum fama testatur. Plus quodammodo loquens tacendo : et silentii sui habens testimonia majora quam vocis. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc.

Alia Oratio. Adestote nunc gloriosissimi Christi testes [e] anniversa Christo sacris rite solvendis : et solite dignationis intuitu inter mysteria vos dicanda miscete. Sedis enim vestre est omne quod sacrum est : et in omni Ecclesia patrius incolatus. Peculiarem ergo a Christo Domino charismatum promeriti gratiam : peculiarem nobis exhibete tutelam. Ut hic ubi fidelium effluunt lachryme : et pro remedio murmura silenda funduntur : non diu graves incumbant gemitus : nec suspiria jugiter trahenda prestridant. Hic non longis precibus curas secludat anxius : et [f] languorem deponat infirmus. Hic demones non totis viribus seviant : et siquando majore furore se efferunt : conflictu minore vincantur. Per vos Ecclesia Domini credentes omnes : aut pietatis gremio ambiat : aut fortitudinis robore custodiat. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Suscipite gloriosissimi Martyres sancti offerentium nomina : [g] sancto altario recitata : et horum devotionem auribus divine pietatis ingerite : atque pro eisdem affectu intentissimo Trinitatis omnipotentiam implorate. Ut nomina sua coram altario recensita : viventium inserat libro : septem signaculis presignato. Eorumque oblationem placida serenitate respiciens : gratam acceptam suscipiat : pausantium animas quies perpetua teneat : offerentes [h] ex fructibus præsenti largitate [i] multiplicet : et in futuro eterna eos remuneratione perlustret. ℟. Amen.

318 *Ad pacem.* Pax superna que exuperas omnem sensum. Pax que emissa de excelsis pacificasti cuncta in terris et in celis : discordantium remove furorem : dissidentium repelle rancorem : insidiantium disturba cogitationem : atque ita omnes in unam contrahe pacem : ut omni sopito rixarum stimulo : digne se interserant solennitatis presentis gaudio : crudamque simultatis crapulam : dolumve reminiscendo : ita horreant erubescendo : ne repetant iterando. Quatenus paci tue perpetim inherendo in te : qui es finis et pax omnium : permaneant perenniter habitando. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Deus noster : nos tibi gratias agere et Jesu Christo Filio tuo Domino nostro. Pro cujus confessione beatissimi Martyres Emeterius et Celedonius relictis feliciter infelicibus castris : ad nova prelia repente conversi

maius de Salazar (*Martyrol. Hisp. t. II, pag.* 95), et Bollandiani (*Tom. I Martii, pag.* 231) edidere. De iisdem martyribus sanctus Gregorius Turonensis (*Lib.* I *de Glor. mart., cap.* 93), sanctus Eulogius (*Memor. sanct., lib.* I, *cap.* 14), et, e Martyrologiis, v Non. Martii, Romanum Parvum, Adonis, Usuardi, Wandelberti, Notkeri, Antissiodorensis Ecclesiæ, Romanum Baronii, et alia pleraque agunt; sed in quibusdam alter martyrum omittitur, in aliis, et nominatim in vetustis Hieronymianis, nomina eorum adeo corrupta sunt, ut vix agnoscantur. De tempore martyrii id tantum habemus, eos passos esse antequam Gallæcia a Tarraconensi provincia divideretur, atque adeo sub Nerone fortasse, certe non serius quam sub Trajano. Emeterius et Celedonius militasse in legione Romana signiferi perhibentur, fortasse in sexta victrice, aut septima gemina.

[a] *Sit dies.* Prudentius ita hymnum 1 de coronis, qui est de sanctis Emeterio et Celedonio, concludit :

Sit dies hæc festa nobis, sit sacratum gaudium.

[b] *Tirocinia.* Lege *tirocinii.*

[c] *Ecclesia.* Corpora martyrum haud procul a loco in quo passi sunt, juxta torrentem arenatum, deposita primum fuere; tum, reddita pace Ecclesiæ, Calagurim translata sunt, qua in urbe, tempore sancti Gregorii Turonensis, colebantur ; sed de Translationibus reliquiarum eorum vide apud Bollandianos (*Tom. I Mart., pag.* 233). Tempore Prudentii locus in quo passi sunt, et primum sepulti, frequentabatur (*Hym.* 1 *de coron.*) :

Illitas cruore sacro nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere,

ubi procul dubio basilica erecta fuerat, aut certe domus aliqua orationis.

[d] *Inconscia.* Lege *conscia.*

[e] *Anniversa.* Lege *anniversariis.*

[f] *Languorem.* Plura beneficia, his martyribus intercedentibus, Deum fidelibus concedere solitum esse innuit hac oratione, Missale nostrum, et aperte (*Hym.* 1. *de coron.*) Prudentius testatur :

Nemo puras hic rogando frustra congessit preces,
Lætis hinc tersis revertit supplicator fletibus,
Omne quod justum poposcit, impetratum sentiens :
Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est,
Non sinunt inane ut ullus voce murmur fuderit,
Audiunt, statimque ad aurem Regis æterni ferunt,
Inde larga, fonte ab ipso, dona terris influunt,
Supplicum causas petitis quæ medelis irrigant.
Nil suis bonus negavit Christus unquam testibus.

Et intra fuse describit ut dæmones ibi torquebantur, et obsessa mortalium corpora cogebantur deserere.

[g] *Sancto altario.* Lege *coram sancto altario.*

[h] *Ex Fructibus.* Consuetudo Ecclesiæ vetusta est orare specialim pro iis qui eleemosynas dant. Hinc in Constitutionibus apostolorum (*Lib.* VIII, *cap.* 13), Diaconus clamat : *Pro offerentibus fructus sanctæ Ecclesiæ et facientibus pauperibus eleemosynam orate.* Similis oratio in liturgia Græca sancti Jacobi, et in aliis quibusdam recurrit, nomina publice in ecclesia recitabantur, ut alibi dixi, eorum qui faciebant eleemosynas.

[i] *Multiplicet.* Lege *substantiam multiplicet.*

sunt : quos nec primeva etate fides insinuata perdocuit : nec divinorum virtus operum : nec sacrarum cognitio litterarum : sed a te nutu abdito [a] inspirati martyrii ardor accendit. Deserunt aquilas : vexilla convertunt. Projiciunt pila : signa destituunt : et ad celestem procinctum : quem prius non noverant : incitantur. Primordia in terminis ponunt : et quod est finis incipiunt : initiis suis perfectionis summam rapiunt : et fidem martyrii auspicantur. O vere milites Dei : quibus potissimum visum est ictum excipere : quam ferire. Sanguinem consecrare : dum funditur. Animam servare : dum perditur. Pectus protegere : dum nudatur. Propriis vulneribus corpus hostile perfodere. Consequi gaudia per dolorem : victoriam parare per mortem. Vobis ad ista venientibus ille celestis militie princeps : a quo [b] Jesu Nave est confirmatus occurrit non animo sequendus trepido : nec visu ad dubitandum incerto. Et agnitione clarus : et nullius metu pavoris adorandus. Nec interrogandus vobis ostenditur : sed credendus. Merito tam cito : merito tam fortiter triumphastis. Nunquam enim occumbit victus : qui sic procedit armatus. Stupet hic subito hebes et bruta gentilitas ad novas acies veteranos milites advenisse. [c] Mutat stipendia : et sacramenta conversa. Incusat mutatam fidem [d] fidelis infidelitate [e] perfida. Versat se variis in [f] diversis conciliis heroas Dei promissis primum adgressura : post penis. Furit gemino felle [g] accensabilis judicis : gemunt sepius repetita supplicia : et reducta sensuum ipsorum excruciabili dilatione tormenta. Ingeniose peccantium pene : et recrudescentium cicatricum sensim semper recissa vestigia. Divisi per momenta cruciatus : et misere neces artificii languore [h] lentate. Stridula catenarum onera : ceci carceres profundum pedorem excogitata acuminum stramenta : et in lormitabilium vexationum A inquietam quietem. Nihil non cruentum in Martyres potuit inferre : qui suam seviciam puduit publicare. Quia novorum Martyrum virtus solennitate confessionis excessit furiam persequentis. Quamvis autem cauta versutia memoriam monimentorum tentaret abolere : non potuit tamen cuncta subtrahere. Fraudantur annalia : mirabilia perseverant. Delentur pagine : mansere virtutes. Servavit fides majora : quam perdidit. Siquidem post decursas omnium conflictuum questiones : cum per ultimam sententiam ducerentur : [i] tantum videbatur persecutoribus ad supplicium : quantum Martyribus ad triumphum. In conspectu omnium anulum atque orarium auris : ad celum subvehenda miserunt. Suscipiuntur obsequente flatu : in favoris divini testimonio fidelium pignora B ferculorum. Raresceunt diu sequentibus oculis stupefacta miracula : et evanescente jam summi aeris spacio : fraudatur inspectio [j] destituta. Intrant astrorum secreta dignanter suscipienda donaria : non precio extimanda : sed merito. Anulus refert fidei signum : orarium confessionis indicium. Martyrii munera utraque testata : illud oris : hoc cordis. Quia juxta divinam sententiam : et in corde fides est : et in ore confessio. Hec circa Martyres nostros dignationis divine fuere principia : sed nunc manent : eternaque manebunt potiora premia consecuta. Per te Trinitas Deus : cui omnes Angeli atque Archangeli **319** non cessant clamare : ita dicentes. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus es Domine Deus noster : propiciatio fidelium : et C redemptio animarum. Tu enim sanctus omnia sanctificas : et sanctitate ad te conversa perlustras. Quem recte et vere totius celi militia conclamat sanctum : cujusque incorruptum ut sancti simus habemus preceptum. Unde nos tibi rerum conditor : quamlibet impuris offeramus hostiam meritis : [k] ad *instar tui*

[a] *Inspirati.* Lege *inspirante.*

[b] *Jesu Nave.* Confer caput v, 15, libri Josue, hoc loco. Angelus ille qui apparuit Josue, creditur Dei verbum.

[c] *Mutat.* Lege *mutata.*

[d] *Fidelis.* Lege *infidelis*, scilicet *mutatam fidem infidelis* incusat, *fidelitate perfidiam.*

[e] *Perfida.* Lege *perfidiam.*

[f] *Diversis.* Lege *diversa.*

[g] *Accensabilis.* Corrig. *accensabili.*

[h] *Lentate.* Id est, *tardatæ.* Eo vocabulo sanctus Gregorius, sanctus Ambrosius, et alii, hoc sensu usi sunt, et Virgilius : (*Æn.* III) *lentandus remus in unda*, quod alii *morandus, tardandus*, alii *curvandus*, interpretati sunt.

[i] *Tantum.* Lege : *Cum per ultimam sententiam ducerentur, non tantum, ut videbatur persecutoribus, ad supplicium, quantum, ut videbatur Martyribus, ad triumphum.*

[j] *Destituta.* Idem in Actis horum martyrum in sancto Gregorio Turonensi (*Lib.* I *de Gl. mart.*, *cap.* 93) et in Prudentio (*Hym.* 1 *de coron.*) legitur.

[k] *Ad instar.* Si sermo sit de pane et vino nondum consecratis, ea sunt figura, typus, et imago corporis et sanguinis Christi in quæ sunt transmutanda. Si sermo sit de elementis consecratis sive de corpore et sanguine Domini, sub speciebus externis panis et vini existentibus, ea sunt figura corporis et sanguinis Christi prout in suo statu naturali existunt. Confer Bellarminum (*De Euch.*, *lib.* II, *cap.* 15). Eodem sensu Græci appellant elementa ἀντιτύπα, *antitipa*, corporis et sanguinis Domini, quo vocabulo nonnunquam verum corpus et sanguinem significant ut cum sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Cat. myst.* 5, *num.* 20) dicit de communicantibus : *Qui enim gustant, non panem et vinum degustare jubentur, sed antitipa corporis et sanguinis Christi*, nonnunquam vero, scilicet cum de elementis nondum consecratis loquuntur, panem ipsum et vinum consecrandum significant. In D hac autem oratione, quam Gotho-Hispani supra elementa nondum consecrata fundebant, loquuntur quidem de pane et vino, sed cum respectu ad corpus et sanguinem Christi, in quæ sunt mox transmutanda ; quare illa *hostiam* appellant, quod nomen stricte acceptum solis elementis consecratis convenit, corpori scilicet et sanguini Domini speciebus sacramentalibus tectis : illud etiam ad memoriam revocandum, sacrificium eucharisticum esse quidem sacrificium commemorativum, sed non pure commemorativum, sacrificii crucis, utpote quod habet cum commemoratione veritatem ejusdem victimæ oblatæ conjunctam, atque adeo, quod ad substantiam pertinet, non duo, sed unum atque idem crucis esse et missæ sacrificium. At si modus oblationis spectetur, duo sunt diversaque sacrificia, utrumque, specie sua, sacrificium verum ; quare cum antiquiores illos, qui insaniam Berengarii præcesserunt, multum differentes inveneris de mystico, de spirituali, de figurativo, de intellectuali de

corporis et sanguinis : in tuorum tamen gemino Martyrum festo : precibus deprecamur immensis : ut ad tuorum sanctificationem servorum : placido et sereno intuitu : tuum mereamur cum benedictione respectum. Christe Domine ac redemptor eterne. A

Post pridie. Oratio. Intuere propicius summe clementissime Deus : et de illa etheree arcis quadriformis machine sede : hec libationum munera vultibus attende serenis. Geminumque sanctorum Martyrum tuorum Emeterii et Celedonii sacrificium recolens et triumphum : hec que in eorum annuo natali litantur : solita benignitate sanctifica. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

B Ecce sacrorum [a] fratrum sacra solennia celebrantes : te Deum pietatis intentione rogamus. Ut quorum conditione corporum liberam dedicas terram : eorum precibus in pace : omnem in tuo sanguine redemptam tuearis Ecclesiam. Quo eisdem suffragantibus a te promereamur audiri : a quo preceptum suscipimus exoraudi. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus ad quem beatissimi Emeterius et Celedonius Martyres : ob confessionis fideique signaculum orarium atque anulum celis subvehenda miserunt : conservet vos utroque munere gratiarum. ℟. Amen. Ut per eos et fidei et confessionis virtute pollentes : eterni celestis C patrie habeamini cives : quorum hodie geminum festum celebratis ovantes. ℟. Amen. Quo sicut alumna plebs de eorum gemina susceptione corporum gratulatur : sic tota Ecclesia eorum se tueri ac defendi patrociniis gratulemur. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et. *Dicat Chorus.* Gustate et videte. *Com.* Refecti Christi corpore. *Oratio.* Domine Deus omnipotens qui es. *Quere in Sanctorum Juliani et Basilisse. fol. 287. Et si venerit istud festum in tempore Quadr. dicatur loco.* Gustate. Qui venit ad me. *Com.* Repletum est gaudium nostrum. *Oratio ut supra. fol. 93.*

Thome de Aquino :
Omnia dicantur unius Confessoris Doctoris. fol. 432. D

Perpetue et Felicitatis Martyrum :
Omnia dicantur plurimarum Virg. fol. 438.

Apolonie Virginis et Martyris :
Omnia dicantur unius Virginis. fol. 436.

Facundi et Primitivi Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Mart. fo. 430.

Gregorii Pape :
Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432.

Leandri Episcopi et Confessoris :
Omnia dicantur unius Confessoris Pont. fol. 432.

Leonis Pape et Mart. :
Omnia dicantur unius Mart. Pontificis. fol. 423.

Patricii Episcopi :
Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fo. 432

In festo S. Gabrielis Archangeli :
Omnia dicantur ut in festo Michaelis. fo. 390.

Eduardi Regis et Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

In festo S. Joseph Confessoris :
Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432.

Euchberti Episcopi et Confessoris :
Omnia dicantur unius Confessoris. fo. 432.

In festo S. Benedicti Abbatis :
Omnia dicantur unius Confessoris. fo. 432.

Pauli Episcopi et Confessoris :
Omnia dicantur unius Conf. Pont. fo. 432.

Annunciatio Beate Marie :
Omnia dicantur ut in alio festo quod dicitur S. Marie de la O. fol. 32.

Marcelli Pape et Confessoris :
Omnia dicantur unius Confessor. Pont. fo. 432.

Theodosie Virginis :
Omnia dicantur unius Virginis. fol. 436.

S. Ambrosii Episcopi et Confess.
Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432.

In festo S. Isidori Episcopi et Confessoris :
Omnia dicantur ut supra.

In Sancti Fructuosi Episcopi Bracharensis :
Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fol. 432.

320 *Toribii Confessoris :*
Omnia dicantur unius Confessoris fo. ut supra.

Eleuterii Episcopi :
Omnia dicantur unius Confess. fol. 432.

Victoris Bracharensis Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

Eufemie Virginis et Martyris :
Omnia dicantur unius Virg. fol. 436.

Tiburcii et Valeriani Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

sacramentali, etc., immolatione, sacrificio, oblatione, etc., ne credas eos quidquam derogare de veritate existentiæ corporis et sanguinis Christi tanquam veræ et unicæ altaris Christiani victimæ, hi enim, cum ista loquuntur, non de essentia sacrificii, sed de offerendi et immolandi modo sermonem habent.

[a] *Fratrum.* Hos fratres fuisse testatur Prudentius.

> Hic duorum chara fratrum convalescant pectora,
> Fida quos per omne tempus junxerat sodalitas.

Eosdem milites, et quidem signiferos, et militaribus præmiis olim donatos, Prudentius et Acta testantur ; dolendum quod de principe sub quo passi sunt altum sileant. Tradunt Acta eos martyrium fecisse quando *Gallæcia adhuc cum Tarraconensi sociata Hispaniæ citerioris haberetur*, atque adeo antequam Hispania (ut creditur ab Adriano principe) in quinque provincias partita est ; quare martyrium Emeterii et Celedonii ad Neronis persecutionem referri potest. Sin minus persecutioni Domitiani, aut Trajani, circa legionem Romanam cui ascripti fuerant. Si sub Nerone passi dicantur, credibile est eos in legione sexta victrice militasse, quæ extremis Neronis annis in Tarraconensi stativa habebat ; at si ad persecutionem Domitiani aut Trajani martyrium eorum differatur, fortasse in legione septima gemina stipendia fecerunt ; hæc enim legio, a principatu Vespasiani, diu in citeriori Hispania atque in Gallæcia castra habuit.

Vitalis Martyris :

Omnia dicantur unius Martyris. f. l. 421.

Georgii Martyris :

Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

Felicis et Fortunati Martyrum :

Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

Sancti Proficii Martyris :

Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

In festo Sancti Marci Evangeliste :

Omnia dicantur ut in festo Sancti Mathei Apostoli. fol. 382.

Cleti Martyris :

Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

Marcellini et Petri Martyrum :

Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 421.

Sancti Georgii :

Omnia dicantur unius Martyris. 421.

Vitalis Martyris :

Omnia dicantur unius Martyris. fo. 421.

Petri Martyris de Ordine Predicatorum :

Omnia dicantur unius Martyris precipui, fol. ut supra.

In festo Apostolorum Philippi et Jacobi :

Omnia dicantur ut in festo Apostolorum Petri et Pauli. fol. 335.

In festo SS. [a] *Torquati et Comitum ejus Episcoporum.*

Officium.

Dabo Sanctis meis. *fol.* 425.

Oratio. Hi sunt Domine septem facule hujus Hesperie finibus indite : ad effugandam ejus tetre noctis infidelitatem celitus misse. Ob hujus ergo muneris gratia a te nobis conlata : reficiat nos fragrantia odoris evangelice doctrine a timiamate preceptorum digne redolentium. Ex quo dogmate plenius referti : id ipsum corda et mens nostra parturiat : quod a te judicii tempore remunerari merito digna petitio nostra efflagitat. ℟. Amen. Per misericordiam tuam etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis (*Cap.* [b] XLIIII).

Multam gloriam fecit Dominus : magnificentia sua a seculo : dominantes in potestatibus suis homines magni virtute et prudentia sua prediti : nunciantes in prophetis dignitatem prophetarum. Et imperantes in presenti populo : et virtute [c] populi sanctissima verba. In puericia sua requirentes modos musicos : et narrantes carmina scripturarum. Homines divites in virtute : pulcritudinis studium habentes : pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis sue gloriam adepti sunt : et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt requirunt nomen narrantes laudes eorum : et sunt quorum non est memoria. Perierunt quasi non fuerint : et nati sunt quasi non nati : et filii ipsorum cum ipsis. Sed illi viri misericordes sunt : quorum pietas non defuit : et cum semine ipsorum perseverant bona : [d] hereditas nepotum illorum. Et in testamentis stetit semen illorum : et filii illorum propter illos. Usque in eternum manebit semen eorum : et gloria eorum non derelinquetur. Corpora eorum in pace sepulta sunt : et nomen eorum manebit in generatione et generatione. Sapientiam ipsorum

[a] *Torquati.* Kalendis Maii Gotho-Hispani memoriam colunt eorum septem episcoporum, qui post apostolos Evangelium in Hispania propagarunt. Horum nomina, ut fert prisca relatio, sunt Torquatus, Ctesiphon, Hesychius, Indaletius, Secundus, Euphrasius, et Cæcilius : hi Romæ, ab ipsis apostolis ordinati et in Hispaniam missi perhibentur. Hæc constans est et vetusta Hispanorum persuasio, quam hymnus Breviarii Mozarabum aperte tradit, et ex eo, Ado, in Martyrologio. Hinc sanctus Innocentius (*Epist. ad Decent. Eugubin.*) asserit neminem, exceptis scilicet apostolis, in Hispania, Gallia, Italia, Africa, aut in insulis interjacentibus *instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus, aut ejus successores, constituerint sacerdotes.* Imperante Nerone credibile est hosce septem episcopos in Hispaniam venisse ; quæ adjicienda supersunt ad locum depositionis, et diem cultus singulorum maxime spectant. Torquatus Acci, modo *Guadix*, sepultus, die prima Maii colitur. Ctesiphon Kalendis Aprilis colitur, sepultus dicitur Vergi, quod *Verga* oppidum esse creditur in Vasconum finibus (*Mariana, lib.* IV, *c.* 2). Hesychius Carchesiæ aut Carthesiæ sepultus, in urbe olim haud procul Asturica Augusta sita (*Mariana, ibid.*), colitur Kalendis Martii. Indaletius sepultus est Urci, quæ sex ab Urbe Almeria milliaribus dissita, in colle olim stabat, locus postea dictus est *Pasquena*. Sæculo XI labante, reliquiæ sancti Indaletii in Ecclesia oppidi *Pasquena* repertæ cum hac inscriptione :

HIC REQVESCIT INDALETIVS PONTIFEX VRCITANÆ CIVITATIS ORDINATVS A SANCTIS APOSTOLIS ROMÆ.

Ad monasterium sancti Joannis de Pinna translatæ sunt. Acta translationis a synchrono auctore scripta exstant apud Bolland. (*Tom. III Aprilis, a pag.* 717). Secundus juxta Abulam sepultus est : ea est urbs episcopalis in Castella veteri, ubi magna cum solemnitate colitur die secunda Maii ejus corpus, in vetusta ecclesia juxta dictam urbem anno 1519 detectum, die undecima Septembris, anno 1594. In ecclesiam Abulensem translatum fuit. Euphrasius, Illiturgi in Bætica, modo *Anduxarel Veio*, sepultus, die 14 Januarii colitur. Ejus reliquiæ in Gallæciam translatæ olim sunt, unde, anno 1596, pars earum ad urbem *Anduxar* relata est. Demum Cæcilius Eliberi, modo *Elvire*, haud procul ab urbe *Granata*, in colle posita, sepultus, Kalendis Februarii colitur. De illis Idibus Maii agunt Romanum Parvum, Ado, Usuardus, et Notkerus, in suis Martyrologiis, et eodem die in Martyrologio Romano Baronii commemorantur. De his quidem Orationale Gothicum silet, sed in Orationali de aliis festivitatibus siletur quos constat Gotho-Hispanos celebrasse. Demum notandum ab aliquibus hos omnes indiscriminatim martyres dici, et aliquos eorum, cultu martyrum, in suis Ecclesiis, venerari. Sanctus Gregorius VII, scribens ad Alphonsum VI Castellæ regem, ait eos suo sanguine ecclesias dedicasse, attamen Missali et Breviario nostro episcopi tantum inscribuntur, et Missali Toletano episcopi et confessores. De his plura apud Bolland. (*T. III Maii, pag.* 442 *seq.*) lege.

[b] *Cap. XLIV.* Vers. 2-16.

[c] *Populi.* Vulg. : *Et virtute prudentiæ populi sanctissima verba.*

[d] *Hereditas.* Vulg. : *Hæreditas sancta nepotes eorum.*

rum narrent populi : et laudem eorum nunciet Ecclesia. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Psallendo.* In omnem terram. *Epistola.* Fratres : gratia vobis. *Evangelium.* Si manseritis in me. *Lauda.* Alleluja. Celi enarrant. *Sacrificium.* Venite benedicti. *Require omnia in festo Apostolorum Petri et Pauli. folio* 335.

Missa. Diem hunc dilectissimi fratres : in quo memoria nostrorum vatum excolitur : quorum presentiam nostris urbibus auctoritate [a] Apostolica destinatam fuisse cognoscimus : devotis mentibus excolamus. Petentes a communi Domino et Salvatore nostro Jesu Christo : ut quorum doctrina occidue partis inlustrata est terra : eorum precibus a malis omnibus nostra expientur precordia. ℟. Amen.

Alia Oratio. Christe Dei fili : qui per totum mundum discreta predicantium presidia mittens : hos nostris partibus destinasti Doctores. Torcatum videlicet et Secundum. Indaletium. Tesefontem. Eufrasium. Celicium. et Esicium. quorum ignitis predicationum **321** jaculis error perfidie Hispaniarum partibus inlapsus abscederet : [b] exceptionis nostre suscipe votum : et hos nobis prepara in solacium : quos patronos sibi plebs vernula confitetur. Ut quorum predicatione fidei flamma nostris terris invecta est : eorum obtentu : et expiata coram te maneant corpora nostra.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus Dei fili cujus nomen mirificum per ora predicantium dilatatur : da nobis : ut Torquati tui precibus : et sociorum ejus in odorem unguentorum tuorum post te usquequaque curramus. Qualiter obliviscentes ea que retro sunt : sic ad superne vocationis bravium precurramus : ut de nominibus nostris celesti pagina annotatis : perenni gaudio exultemus : id nobis specialiter conferens : ut pro defunctis omnibus nos exaudias postulantes.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Ingeniti Patris unigenite Jesu Dei fili : qui septiformi illo gratiarum Spiritu discipulos implens : septem nostris partibus : turbas septem videlicet presulos destinare dignatus es : qui septiformi gratiarum ubertate repleti : ceca portionis nostre vel nubila sui presentia enubilarent. Da in nobis serenum lumen justicie : eterni luminis pacem : sempiterna Sancti Spiritus ubertatem. Quo tue pacis commodo opulentius pleni : gloriosa faciei tue mereamur presentiam contemplari.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere semper eterne omnipotens Deus. Cujus gloriosi nominis fidem doctorum ductiles preconcinunt tube : et specialium locorum predicandi privilegio gaudent : ex quorum numero hos agnoscimus septem presulatus gratia preditos : et nostris partibus ab Apostolis destinatos. Torquatum videlicet : Secundum : Indaletium : [c] Tisifontem : Eufrasium : Cecilium : et Esicium. Quos ob fidem Catholice institutionis tradendam : institutio Apostolica Hispanis destinat. Quorum prophetatio gloriosa et nostris urbibus jam vicina : ea nos gaudiorum innovat cultu : que miraculorum est acta profectu. Nam dum missis discipulis in [d] hujus urbis convicinitatem escarum emi parum aliquod precepissent : agunt asecle precepta sibi : que jussa sunt. Sed ecce subito dum idolis homines sacrificare conspiciunt : agnitis perfidis religionis patulo cultu : fervido cursu usque ad fluvium perfidorum turba prosequitur. Sed pons illic antiqua mole constructus dat utrique partis terminum. Nam id instar antique historie cum transfretavit Israel mare rubrum : salutis iter porrigens : sic nunc fugientibus discipulis beatorum : pons ipse subito miraculo intercedente dissolvitur : et fugientes sanctorum populos salvans : persequentes prorsus perfidos labiles mergit in undas. Illic ad transitum Israelis unda maris dividitur . hic ad salvandos Christi famulos ingentis molis constructura resolvitur. Illic marinis solis fluctibus persequentes intereunt : hic persecutorum cunei dissoluta pontis mole : in fluminis alveo demerguntur. Illic Egyptii cum curribus suffocantur : hic perditi cum lapidibus submerguntur : Illic Israelite dimersis hostibus in profundum : Deo laudis canticum promunt : hic simili leticia liberatorum populus gratulatus : hymnum tibi cum sanctis Angelis proclamant : ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : Qui discreta terris beneficia tribuens : nostrorum finium oblivisci non passus est : cum sic septeno Pontificum documento nos imbuit : ut septingratia innovati : has hostias illi pro tantis beneficiis exolvere debeamus devoti : quia ipse es Dominus ac redemptor eternus. ℟. Amen.

Post pridie. Oratio. Deus omnipotens qui ad salvandum partis nostre conventum : septem misisti specula Sacerdotum : eisdem intercedentibus [e] quorum sacratissime memorie tuo recitantur altario : Spiritum Sanctum de tuis sanctis sedibus mitte. Quo et oblatis hostiis sanctificationem : et nostris

[a] *Apostolica.* Romæ enim ordinati in Hispaniam ad Evangelium disseminandum missi sunt, tempus missionis certum non est (*Bolland.*, *ibid.*).

[b] *Exceptionis.* Forte, *acceptionis.* Sunt autem *vota acceptionis* ea quæ quotannis Deo solemniter referebantur *ob acceptionem*, id est, ob vocationem ad fidem *gentis Hispaniarum.*

[c] *Tisifontem.* Alibi, *Tesefontem*, et *Ctesefontem* scriptum invenies, horum enim sanctorum nomina diversimode et nonnunquam perperam exarata inveniuntur.

[d] *Hujus Urbis.* Accis, scilicet, quæ hodie *Guadix* nuncupatur.

[e] *Quorum sacratissimæ memoriæ tuo recitantur altario.* Lege *coram tuo*, et totam hanc interpolationem tolle ; certum enim est quod in oratione *post pridie* sanctorum nomina non recitabantur.

doctoribus profusissimam impercias sanctitatem.

℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Ecce dilectissimi fratris mecum in sublime oculos attollite : hoc a Domino specialiter precaturi. Ut qui gratia fidei Christiane **322** cor beate [a] Luparie dignatus est inlustrare repente : nos in hoc momento ab omni criminum labe dignetur efficaciter expurgare : proclamantes ad te e terris : atque ita dicentes. Pater noster.

Dicat Presbiter. Vicit leo. *Tribus viribus. Postea dicat.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus qui septeno presulum numero : occidue partis plagam dignatus est visitare clementer : ipse vos presentia sue majestatis inluminet. ℟. Amen. Quique eos ad salvationem destinavit Hispanie : ipse vos eorum predicamentis simul : et precibus dignetur luminosos efficere. ℟. Amen. Ut quorum predicamenta suscipitis : quorumque nunc memoriam facitis : eorum post transitum participium habere valeatis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Dicat Chorus. Gaudete populi.

Com. Refecti Christi Corpore. *Quere folio* 193.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui es vita. *Quere in festo Sanctorum Juliani et Basilisse. fol.* 287. *Et ubi dicitur* Sanctorum Juliani et Basilisse *dicatur* Sanctorum Confessorum Torquati et Sociorum ejus.

Athanasii Episcopi et Confessoris :
Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fol. 432.

In festo [b] Inventionis Sancte Crucis :
Ad Missam. [c] Officium.

Dicite in nationibus : alleluja : Dominus regnavit a ligno alleluja. Et correxit orbem terre : alleluja : alleluja. ℣. Cantate Domino canticum novum : cantate Domino omnis terra. *P.* Et correxit. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Et correxit.

Oratio. Christe Dei Fili : in cujus nomine per Crucis mysterium omne genu flectitur : da nobis in Cruce tua copiosius exultare. Ut in ejus victoria et inlesi mare secli transeamus : et ad te coronandi post nostrum transitum accedamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Prophetia.* Ego Johannes fui in spiritu. *Quere fol.* 246.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

[e] *Psallendo.* Dominus regnavit a ligno. Etenim correxit orbem terre : qui non commovebitur. ℣. Letentur celi et exultet terra. *P.* Qui non.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([f] *Cap. X*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : aperiens Petrus os suum dixit. In veritate comperi : quoniam non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente : que timet eum : et operatur justiciam : [g] acceptio est illi. Verbum enim suum misit filiis Israel enuncians pacem per Jesum Christum : hic est enim omnium Dominus. Vos autem scitis quod factum est verbum per universam Judeam : incipiens enim a Galilea post baptismum quo predicavit Johannes [h] Jesum Nazareth : quomodo unxit eum de Spiritu Sancto et virtute : qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo : quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium que fecit in regione Judeorum et Hierusalem. Quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die : et dedit ei manifestum fieri non omni populo : sed testibus preordinatis a Deo : nobis qui manducavimus : et bibimus cum illo : postquam resurrexit a mortuis : [i] per dies quadraginta. Et precepit nobis

[a] *Luparie.* Erat hæc nobilis femina quæ omnium prima, in Colonia Accitana, fidem Christi suscepit.

[b] *Inventionis.* Festum Inventionis sanctæ crucis missa et officio proprio gaudet in missali et in Breviario Mozarabum. Missam propriam habet in Missali Gallo-Gothico, et in Sacramentariis Bobiano, Gelasiano et Gregorianis Pamelii, Menardi et Roccæ. De eadem solemnitate agunt Antiphonarium Carnutense, comes Pamelii, et Martyrologia Latina ferme omnia, inter quæ Lucense Florentinii, Corbeiense Dacherii, Gellonense, Bedæ genuinum, Romanum Parvum, et exinde Adonis, Usuardi, et Romanum Baronii, quibus accedit Kalendarium Marmoreum Neapolitanum, die 3 Maii : INVENTIO S. CRUCIS ; at libri liturgici haud pauci antiquiores festum Inventionis sanctæ crucis prætermittunt, inter quos Orationale Gothicum, Lectionarium Luxoviense, Sacramentaria sancti Leonis Blanchinii, et Gregorianum Muratorii ; monet etiam Pamelius in Codice Coloniensi Sacramentarii Gregoriani festum sanctæ Crucis desiderari ; deficit pariter in Kalendario Frontonis, in Capitularibus Evangeliorum Georgii, in Lectionario Ambrosiano Thomasii, et in comite ejusdem, demum in Menologiis Græcorum. Cæterum Gotho-Hispanos *Inventionis crucis dominicæ festum* solemniter celebrasse ex Codice legum Visigothorum constat (*Lib.* XII, *tit.* 3, *leg.* 6), etsi de hac solemnitate in Orationali Gothico nihil inveniatur.

[c] *Officium.* Ps. XCV, 10. ℣. Ibid., 1. Illud *a ligno,* quod in Psalterio Mozarabum legitur, in Vulgata non invenitur. Sanctus Justinus (*Dial. cum Tryph.*, *n.* 73, *Ed. Maur.*) hunc recenset inter ea Scripturæ loca quæ Judæi de industria vitiaverunt : *Et psalmo Davidis nonagesimo quinto perpauca hæc abstulerunt* A LIGNO, cum textus integer fuerit : *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit a ligno*, et ita adhuc in Italica legitur.

[d] *Prophetia.* Eadem quæ Dominica sexta post Pascha legitur, in Sacramentario Bobiano nulla assignatur prophetia hoc die.

[e] *Psallendo.* Ps. XCV, 10. ℣. Ibid., 11.

[f] *Cap. X.* Vers. 34, ad finem capitis, et additur versiculus primus capitis XI. In Bobiano legitur ex Epistola ad Philippenses, II, 5–12, ut in Missali Ambrosiano edito an. 1548, et Romano sancti Pii V, ac in comite Pamelii Epistola legitur ex Epistola ad Galatas, V, 10 : *Fratres, confido de vobis in Domino.* In Missali Toletano edito an. 1550. Epistola ad Galatas V, 10, legitur, sed statim adnectitur ex *cap.* VI, 12-15.

[g] *Acceptio.* Vulg., *acceptus est illi.*

[h] *Jesum Nazareth.* Lege *a Nazareth.*

[i] *Per dies quadraginta.* In Vulg. et Gr. hoc loco non leguntur.

predicare populo : et testificari quia ipse est : qui A constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes prophete testimonium perhibent : remissionem peccatorum accipere in nomine ejus [a] qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hec : cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum : et obstupuerunt qui erant ex circumcisione fideles : qui venerant cum Petro : [b] quia hec in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. Audiebant illos loquentes linguis et magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus. Numquid aquam quis prohibere potest : ut non baptizarentur hi : qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos ? Et jussit eos in nomine Jesu Christi baptizari. Tunc rogaverunt eum : ut maneret apud eos aliquot diebus. Audierunt autem Apostoli et fratres qui erant in Judea : quoniam B et gentes receperunt verbum Dei : [c] et honorificabant Deum. ℟. Amen.

323 [d] *Evangelium.* Dominus noster Jesus Christus perambulabat Hierico. *Quere in Dominico post Pentecost. fol.* 264.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluja. ℣. Tu es Crux fidelis : in qua pependit salus nostra. *P.* Alleluja.

Sacrificium. Hec dicit Dominus qui erat et qui est. *Require retro in IV Dominico Pasche. fol.* 241.

Missa. [e] Hierosolimis inventio Sancte Crucis ab Helena Regina sub Constantino Imperatore : cujus et ipsa extitit mater. Inventionis autem preciosi Ligni historia cognitu digna : [f] ita se habet. Adrianus C [g] qui undecimus Cesar : et Imperator Rome erat : estimans se fidem Christianam loci injuria perempturam in loco passionis [h] simulacrum Jovis consecravit : et [i] Bethleem Adonidis fano profanatus est : ut quasi radix et fundamentum Ecclesie tolleretur : si in his locis idola colerentur : in quibus Christus natus est : ut pateretur : passus est : ut resurgeret. Surrexit : ut regnaret. Judex vel Rex ut judicaret. ℟. Amen.

Alia Oratio. Helena tamen Regina divinis admonita visionibus Hierosolimam petiit : atque ibi locum in quo sacrosanctum corpus Christi patibulo affixum pependerat : ab incolis perquirit : qui idcirco ad inveniendum difficilis erat : quia ab antiquis persecutoribus simulacrum in eo Veneris fuerat defixum : ut siquis Christianorum in loco illo Christum adorare voluisset : Venerem videretur adorare : et ob hoc infrequens : et pene oblivioni datus fuerat locus. Sed cum ut supra diximus religiosa femina properasset ad locum : celesti sibi judicio designatum : cuncta ex eo prophana et polluta deturbans : in altum purgatis terre sordibus : [j] tres confuso ordine reperit cruces. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus amplius ineffabilis : quam inestimabilis : concede nobis unde te existimemus : quantum de te natura humana sufficit : [k] et enarrare possimus. Aspira placatus votis et sacrificiis omnium. Et qui in die Crucis et passionis tue sanctorum quiescentium de sepulcris corpora suscitasti : non permittas ab inferno inferiori fidelium animas detineri : sed in tuorum requie electorum facias collocari. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Christe Domine Dei atque hominum mediator : qui per sanguinem Crucis tue : cuncta que in celis et que in terris sunt : pacificare dignatus es. Hoc per trophеum passionis tue tua pietas egit : quod et initio tue secundum carnem nativitatis Angelus nunciavit : omnisque celestis exercitus proclamavit. Gloria semper Deo in excelsis : et in terra pax hominibus bone voluntatis. Hoc et post triumphum Crucis tua placabilitas suis : et commendavit

[a] *Qui credunt.* Vulg., *omnes qui credunt.* Græc., *omnem credentem meum.*

[b] *Quia hec.* Vulg. et Gr., *quia et.*

[c] *Et honorificabant.* Sunt verba quibus finis imponebatur lectioni, desumpta ex versiculo 18 ejusdem capitis.

[d] *Evangelium.* In Bobiano Evangelium legitur ex Matthæi XIII, 44-51. In comite Pamelii legitur ex Joannis III : *Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine,* ut in Missali Romano sancti Pii V. At in Missali Toletano citato legitur ex Joannis XII, 31-37 : *Nunc judicium est mundi,* usque *Ut filii lucis sitis.* In Missali Ambrosiano edito an. 1548, ex Lucæ XI : *Loquente Jesu ad turbas, ecce quædam mulier extollens vocem de turba dixit,* usque *Ut qui ingrediuntur lumen videant.*

[e] *Hierosolimis.* In Apographo Martyrologii sancti Hieronymi, Corbeiensi Dacherii, V Non. Maii : *Hierosolimæ, Inventio sanctæ crucis Domini nostri Jesu Christi ab Helena regina.* In Romano Parvo : *Hierosolimis, Inventio sanctæ crucis.*

[f] *Ita se habet.* Hæc narratio magna ex parte desumpta est ex epistola 11, alias 31, sancti Paulini Nolani ad Severum.

[g] *Qui undecimus.* In hoc catalogo primus enumeratur Augustus, et, omissis Galba, Othone et Vitellio, statim post Neronem sexto loco Vespasianus, et undecimus Adrianus recensetur.

[h] *Simulacrum Jovis.* Ita sanctus Paulinus ; at sanctus Hieronymus (*Epist.* 13, *ad Paulinum, de institutione monachi*) distincte scribit in loco passionis stetisse statuam Veneris : *Ab Adriani temporibus usque ad Constantini, per annos circiter centum et octoginta, in loco Resurrectionis, simulacrum Jovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris, a gentibus posita, colebantur.* Eadem habent Eusebius, in Vita Constantini (*Cap.* 41, *lib.* III), Socrates (*Lib.* I, *cap.* 13), Sozomenus (*L.* I, *cap.* 1), Theodoretus (*Lib.* I *Hist. eccl., cap.* 18), Rufinus (*Hist. eccl. lib.* I, *cap.* 7) ; et cum locus Resurrectionis tam prope esset loco in quo crux steterat, hæc non tam accurate distinxit D sanctus Paulinus, quam sanctus Hieronymus et alii qui ista viderant.

[i] *Et Bethleem.* Lege, ex sancto Paulino, *Et Bethleem Adonidis fano profanata est.* Sanctus Hieronymus in citata mox epistola : *Bethleem, nunc nostrum et augustissimum orbis locum, de quo Psalmista canit : « Veritas de terra orta est, » lucus inumbrabat Thamutz, id est Adonidis, et in specu ubi olim Christus parvulus vagiit Veneris amasius plangebatur.*

[j] *Tres confuso ordine.* Miror quod reliqua ad inventionem crucis Domini pertinentia prosecuti non sint. Cæterum in Bobiano prima oratio facit mentionem de inventione crucis a Judæis absconditæ : *Venerabilem toto mundo de Inventione sanctæ crucis sacratissimum diem solemniter celebrantes, gratias agamus divinæ potentiæ, quæ tantæ salutis vexillum, quod Judaica nobis abscondebat malitia, cœlestis hodie revelavit clementia,* etc.

[k] *Et.* Lege : *Ut enarrare possimus.*

discipulis : et donavit. Ut in hoc hominibus tui ministri apparerent : si perfectam pacem et concordiam invicem custodirent. Presta igitur Domine : ut ii qui vexillum crucis tue in frontibus gestant : puram atque sinceram cum fratribus retineant charitatem : et nos [a] in osculo sancto digneris reconciliare perenniter. ℟. Amen.

[b] *Inlatio*. Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : tibi sacrificiorum vota persolvere : te in laudis preconio indesinenter attollere : et in conspectu admirande clementie tue preteritorum temporum acta recolere. Ac de utriusque [c] Ade : illius scilicet habitatoris paradisi : et istius redemptoris humani generis exempla proponere. Ille quidem prior : iste melior. Ille terrenus : iste celestis. Ille de limo fictus : iste de verbo conceptus. Tunc diabolo suadente Eva decipitur : nunc Angelo nunciante : Maria clarificatur. Tunc per invidiam serpentis : homo qui creatus fuerat perimitur : nunc per misericordiam redimentis homo qui perierat liberatur. [d] Ille per transgressionem legis paradisum amisit : iste per passionem Crucis mundum adquisivit. Ille per indicte arboris gustum mortem incurrit : iste per gloriose Crucis triumphum mortem devicit. Ille post admissum peccatum sub arbore absconditur : iste propter delictum nostrum in Cruce levatur. Tunc post vetite arboris contagionem Sol meridie friguit : nunc in nostre Crucis manifestatione medio die Sol occidit. Tunc homo mandatum non custodiendo de paradiso pellitur : nunc latro Christum confitendo [e] in paradiso introducitur. Unde rogamus **324** et supplices quesumus clementissime Pater : per inclite Crucis inenarrabile sacramentum : per Domini nostri Jesu Christi filii tui ammirabile regnum : [f] in hodiernum diem in quo Crucis ejus festivitatem inventionis celebramus : nos cum leticia spiritali : et modesta exultatione peragere concedas : et inter celestium virtutum laudes humilitatis nostre voces suscipias : supplici confessione dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : et benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui se pro peccatis nostris crucifigendum impiorum manibus tradidit : qui proprias manus in Cruce pro nobis extulit. Qui principatum et adversas potestates per Crucis mysterium abdicavit : ac totius humani generis delicta in ipsa Cruce transfigens : tibi se immaculatam hostiam obtulit : et a nobis exiguis servis pro sui commemoratione indesinenter [g] offerri precepit. Ipse Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Meminimus quidem omnipotens Pater : et fideli mente retinemus Domini nostri Jesu Christi filii tui : traditum nobis nativitatis ejus innenarrabile sacramentum : preclarum devicta per Crucem morte triumphum : atque gloriosum ad celos post Crucis passionem ascensum. Credimus etiam immensum et incomprehensibile consempiternum tecum ejus et consubstantiale principium : ipsum quoque venturum confitemur judicem mortuorum atque viventium. Unde quesumus tremende clementissime Pater : ut hanc hostiam [h] in similitudinem corporis et sanguinis ejus tibi oblatam : per signum Crucis [i] sanctifices : et benedicas : in signum Crucis suscipias et assumas : nobisque famulis tuis ejusdem Crucis vexillo prenotatis placatus distribuas : et benignus impercias. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Gratias tibi agimus omnipotens eterne Deus : et Domino nostro Jesu Christo filio tuo. Qui nos per sanguinem Crucis sue redemit : qui pro delictorum nostrorum indulgentia ad te de Cruce clamavit. Qui discipulos suos antequam ad Crucis passionem veniret : sic docuit orare et dicere. Pater noster.

Dicat Presb. Vicit leo. *tribus vicibus. Postea dicat.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus : qui extensis manibus pependit in ligno : omni vos purificet a delicto. ℟. Amen. Repleatque vos vino prudentie : qui aceti poculum bibit appensus in Cruce. ℟. Amen. Ut per Crucem Crucifixi solemnitatem inventionis sancte Crucis : celebrantes : nunc et in eternum salvemini. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei no-

---

[a] *In osculo sancto*. Alludit ad osculum pacis, quod inter solemnia missarum, vetusto more, tradebatur.

[b] *Inlatio*. Contestatio missæ Gallicanæ hujus diei ex hac illatione Gotho-Hispana desumpta est, ut eas conferenti facile patebit, etsi illatio Gotho-Hispana quædam habeat quæ in contestatione Gallicana, brevitatis causa, prætermissa sunt.

[c] *Ade*. Vox illa deficit Missali Gallo-Gothico.

[d] *Ille per transgressionem*. Hæc et quæ sequuntur usque ad *Tunc homo mandatum non custodiendo* in Missali Gallo-Gothico prætermissa sunt.

[e] *In paradiso*. Lege *in paradisum*. In Gallo-Gothico est : *Tunc latro Christum confitendo paradisum meretur.*

[f] *In hodiernum*. Lege *ut hodiernum diem*. Cæterum contestatio quæ in Sacramentario Bobiano hac die legitur, diversa omnino est. Versatur circa duplicem Christi naturam primum, tum circa victoriam relatam de diabolo, unde transit ad laudes crucis : *Adoremus crucis signaculum per quod salutis sumpsimus sacramentum.*

[g] *Offerri precepit*. Nam eadem est hostia quam Christus in cruce obtulit, et quam a sacerdotibus in missæ sacrificio offerri præcepit.

[h] *In similitudinem*. Vide quæ notavi supra (*Fol.* 319).

[i] *Sanctifices*. Nemo ignorat Ecclesiam cuncta quæ benedicit et sanctificat, signo crucis sanctificare; notum etiam est quam frequenter super sacra dona signum crucis fiat a sacerdote rebus divinis operante. Hinc auctor ille sermonis de Symbolo, inter Opera sancti Augustini (*Tom. VI Oper., append., col.* 277, *Edit. Maur.*), dixit quod *signo crucis consecratur corpus Domini*; et ipse sanctus Augustinus (*Tr.* 118, *in Joan., t. III Oper., Ed. Maur.*) negat baptismum, aut Eucharistiam, rite perfici nisi signum crucis adhibeatur : *Quid est quod omnes noverunt? Signum crucis Christi : quod signum nisi adhibeatur in frontibus credentium, sive ipsi aquæ qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil horum rite perficitur.*

stri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. A *Dicat chorus.* Gaudete populi. *Com.* Refecti Christi corpore. *Quere in vigilia Resurrectionis. fol.* 193.

Oratio. Christe Jesu qui mortalitatis nostre forma suscepta: mortis nostre et Crucis voluisti sustinere injuriam: da nobis: ut Crucis tue munimine circumsepti devincamus omnes laqueos inimici. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi: votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Alexandri: Eventii.
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

Quiriaci Episcopi et Martyris:
Omnia dicantur unius Martyris. fo. 421.

B *Johannis ante Portam Latinam:*
Omnia dicantur ut in alio festo: quod fit in Nativitate Domini nostri Jesu Christi. fo. 45.

S. Tripete Virg.:
Omnia dicantur unius Virg. fo. 436.

Domicile Virginis:
Omnia dicantur unius Virginis. fo. 436.

Revelatio S. Michaelis:
Omnia dicantur ut in alio festo S. Michaelis. fo. 390.

Isidori Militis:
Omnia dicantur unius Martyris. fo. 421.

Gregorii Nazianzeni:
Omnia dicantur unius confessoris fo. 432.

Translatio S. Nicolai:
Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fo. 432.

C *Gordani et Epimachi Martyrum:*
Omnia dicantur plurimorum Mart. fo. 431.

Pontii Martyris:
Omnia dicantur unius Martyris. fo. 421.

Nerei et Achillei atque Pancratii Martyrum:
Omnia dicantur plurimorum Martyrum.

Victoris et Corone Martyrum:
Omnia dicantur plurimorum Mart. fo. 430.

Bonifacii Confessoris.
fo. 432.

Potentiane Virginis et Mart.:
Omnia dicantur unius Virginis. fo. 436.

325 *Translatio S. Dominici:*
Omnia dicantur unius Confess. fo. 432.

Urbani Pape et Martyris:
Omnia dicantur unius Martyris Pont. fo. 423.

Translatio S. Francisci:
Omnia dicantur unius Confess. fo. 432.

Augustini Episcopi Anglorum:
Omnia dicantur unius Confess. Pont. fo. 432

Germani Episcopi et Confessoris:
Omnia dicantur unius Conf. Pont. fo. 432.

Petronille Virginis:
Omnia dicantur unius Virg. fo. 436.

Marcellini et Petri Martyrum.
Omnia dicantur plurimorum Mart. fo. 430.

Medardi et Geraldi Episcoporum:
Omnia dicantur plurimorum Conf. fo. 434.

Primi et Feliciani Mart.:
Omnia dicantur plurimorum Mart. fo. 430.

Barnabe Apostoli:
Omnia dicantur ut in festo S. Mathie Apostoli fo. 382.

Enofri Confessoris.
Omnia dicantur unius Confess. fo. 432.

Basilidis. Cirini. Naboris Mart.:
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

Antonii de Padua Confessoris:
Omnia dicantur unius Confess. fo. 432.

Basilii Episcopi et Confessoris:
Omnia dicantur unius Confess. Pont. fo. 432.

Viti et Modesti Martyrum:
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

SS. Cirici et Julite Mart.:
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

IN FESTO S. MARTYRUM [a] ADRIANI ATQUE NATALIE.

Ad Missam. [b] *Officium.*

Dabo vos nominatos in gloria: alleluja: in omnibus diebus vite vestre: alleluja: alleluja. ℣. Benedicti vos a Domino qui fecit celum et terram. *P.*

[a] *Adriani atque Nataliæ.* Græci eodem die 26 Augusti binos colunt sanctos Adrianos, ambos Nicomediæ passos, ambos Argyropoli sepultos, alterum Probi Augusti, ut ipsi aiunt, filium, alterum Nataliæ virum (*Menol. Basilii, Martyrol. Seberi, Menæa*). Non desunt tamen e recentioribus critici qui, Tillemontium secuti, hos non binos exstitisse, sed unum eumdemque Adrianum martyrem, Nataliæ maritum: quorum opinio, meris conjecturis fulta, non est tam facile contra antiquam receptamque, tam Græcorum quam Latinorum, sententiam admittenda; nam Latini etiam in suis Martyrologiis duos agnoscunt Adrianos martyres Nicomediæ passos: alterum mense Novembri, aut VII Idus, ut in Martyrologiis Epternacensi, Lucensi Fiorentini et Corbeiensi Dacherii, aut VIII Idus, ut in Antissiodorensi monasterii, Corbeiensi breviori, Morbacensi, etc.; alterum vero Adrianum, Nataliæ virum, VI Idus Septembris, colunt. Sic Epternacense, Lucense, Corbeiense, Augustanum, Romanum Parvum, Bedæ, Adonis, Usuardi, etc. Præterea Adrianus Nataliæ vir sub Galerio Maximiano, cum pluribus sociis, crurifragio martyrium fecit; alter vero Adrianus sub Licinio, solus, gladio coronatus est. Sunt etiam alia quibus hi Adriani martyres D discriminantur, sed hæc sufficiunt. Sanctum Adrianum martyrem quem Gotho-Hispani XV in Missali et Breviario, aut XVI Kalendas Julii colunt, ut in Orationali Gothico (*Pag.* 119), non alium esse quam Adrianum Nataliæ virum, ex orationibus quas recitant planum est; et simul cum Adriano eodem die Nataliam celebrant in Missali et Breviario, et in Orationali Gothico, ubi (*Pag.* 119) legitur: *Incipiunt orationes in die sanctorum Adriani et Nataliæ, completoria ad vesperas,* XVI *Kal. Julias.* Græci quoque, in Menæis et Menologiis suis, et Neapolitani, olim simul cum Adriano Nataliam commemorabant. De qua plura Latina Martyrologia omnino silent; alia, ut Martyrologium Usuardi et Romanum Baronii de ea Kalendis Decembris agunt; at Romanum Parvum VI Idus Septembris simul cum Adriano Nataliam recenset. Acta martyris sancti Adriani tam Græce quam Latine exstant, de quibus consule Stiltingum (*Bolland., tom. III Sept., pag.* 209 *seq.*), antiqua quidem, sed diu

[b] *Officium.* Soph. III, 20. ℣. Ps. CXIII, 15.

in omnibus. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* In omnibus.

Oratio. [a] Omnipotens sempiterne Deus presta nobis : ut obtentu beatorum. Martyrum tuorum Adriani atque Natalie salvemur in mundo : qui repausatio sanctis tuis [b] existunt in ergastulo. Et qui plagis beatorum exhibuerunt diligentiam : peccantibus curam [c] prorogent indefessis. ℣. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis ([d] *Cap. XI, XXVI*).

℟. Deo gratias.

Datio Dei permanet justis : et profectus illius successus habebit in eternum. Mulieris bone beatus vir : numerus annorum ejus inestimabiles. Mulier fortis oblectat virum suum : et annos vite illius in pace implebit. Pars bona mulier bona in parte bona : timentium Deum : dabitur viro pro factis bonis. Gratia mulieris sedule delectabit virum suum : et ossa illius impinguabit. Disciplina illius datum Dei : mulier sensata et tacita : non est immutatio erudite anime. Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata omnis autem ponderatio non est digna continentis anime. Sicut Sol oriens in mundo in altissimis Dei : sic mulier bona species in ornamento domus est. Lucerna splendens super candelabrum sanctum species faciei super etatem stabilem. Columne auree super bases argenteas : et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Fundamenta eterna super petram solidatam : et mandata Dei in corde mulieris sancte. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. [e] *Psallendo.* Mirabilis Deus in Sanctis suis. ℣. Manda Deus virtutem tuam : confirma Deus quod operatus es. *P.* In Sanctis. *Dicat Presb.* Silentium facite. *Epistola.* Debitores sumus non carni. *Evangelium.* Nihil opertum. *Quere plurimorum Martyrum. fo. 423. Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. [f] *Lauda.* Alleluja. ℣. Ambulabunt sancti in albis : quoniam digni sunt : et non delebo nomina eorum de libro vite. *P.* Alleluja.

[g] *Sacrificium.* Regnum et potestas et magnitudo regni dabitur populo sanctorum : alleluja. ℣. Consurget Michael princeps magnus : et salvabitur omnis qui inventus fuerit in libro scriptus : et qui ad justiciam erudiunt multos : fulgebunt quasi stelle in perpetua eternitate : pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia populo sanctorum.

Missa. Adriani beatissimi atque Natalie dilectissimi fratres hodierno die : et predicanda nobis et adsequenda exempla sunt : qui conceptus Sancti Spiritus pleni : dum concessa inter se conjugii connubia servant : Christo nupturi spiritualem thalamum in suis cordibus parant. Cum et in **326** illo gloria fuerit dimicandi : et in illa felicitas obsequendi. Illum fidelis virorum turba concelebret : huic femineus chorus hymnum dicat. Illum viri ad vincendum in sui imitatione proponant : hanc femine in obsequendo imitabilem habeant. Sit [h] in illum viri exemplum contemnendi humana : sit in hanc feminis famulandi probitas adsequenda. Per illum viri adsuescant mundum despicere : per istam doceantur femine suis viris obtemperare. Discant per illum viri subire certamina passionis : discant per istam femine [i] obedire passuris. Quo utrorumque

diu ante Metaphrasten interpolata. Ea sub Galerio Maximiano sanctum Adrianum martyrium fecisse produnt, de anno martyrii silent. Circa diem autem quo passus est, tanta est varietas, ut nihil certi statui queat. Græci, in Menologio Basilii, in Menæis, et in Martyrologio Metrico Seberi, die 26 Augusti natale sancti Adriani celebrant. Martyrologia Latina pleraque IV Nonas Martii, qua die Baronius passum opinatur, alia VI Idus Septembris, alia utroque die et 4 Martii, et rursus 8 Septembris natale ejus signant, a quibus omnibus dissentiunt Kalendarium marmoreum Neapolitanum, cui, mense Martio, insculptum est : II NS. ADRIANI ET NATALEE, id est : *Die secunda Martii, Natale sancti Adriani et Nataliæ*; et Gotho-Hispani, quorum alii 16, alii die 15 Junii festum Adriani et Nataliæ celebrabant. Romæ autem postquam Honorius papa I, qui ab anno 626 ad annum 638 sedit, ædificandam curavit *ecclesiam beato Adriano in tribus fatis, quam et dedicavit*, cultus sancti Adriani Romæ celebris esse cœpit, hinc antiquiora Sacramentaria sancti Leonis, sancti Gelasii, et sancti Gregorii, Muratorii, de eo silent ; an vero hic, cui basilicam erexit Honorius, sit Adrianus Nataliæ vir, cujus corpus Romæ translatum fuerat, ut habet Martyrologium Ecclesiæ Antissiodorensis, aliis examinandum relinquo. Cæterum in Kalendario Frontonis die 9 Septembris signatur festum Nativitatis beatæ Virginis, et eodem die sancti Adriani.

[a] *Omnipotens.* Hæc oratio exstat in Orationali Gothico (*Pag.* 119, *or.* 8) et in Breviario Mozarabum, ad matutinum, in festo sanctorum Adriani et Nataliæ dicitur.

[b] *Existunt.* Lege *exstiterunt.*

[c] *Prorogent.* Lege *prærogent.* In Orationali legitur *prærogat.*

[d] *Cap. XI.* Prophetia hæc consuta est ex fragmentis capitis XI, XXVI, libri Ecclesiastici; incipit a cap. XI, 17, et statim adnectitur caput XXVI, 1-4. Tum, omissis intermediis, a vers. 16 ad 25. Ad Nataliam autem ferme tota spectat.

[e] *Psallendo.* Ps. LXVII, 36. ℣. Ibid., 29.

[f] *Lauda.* Ex Apocal. III, 4.

[g] *Sacrificium.* Dan. VII, 27. ℣. Ibid., XII, 1-4.

[h] *In illum.* Lege *in illo*; et infra, *in hanc*, lege *in hac*, et animadverte frequenter accidere ut casus accusativus pro ablativo, præeunte præpositione *in*, et vicissim ablativus pro accusativo positus legatur in libris vetustis.

[i] *Obedire.* Ex hac oratione discimus, Nataliam specialem obedientiam exhibuisse marito suo Adriano, postquam ille ob Christi nomen in vincula conjectus est. Huc enim spectant ista : *Hanc feminæ in obsequendo imitabilem habeant.* Et : *Per istam doceantur feminæ suis viris obtemperare.* Et : *Discant per istam feminæ obedire passuris*; et demum quod rogant, *ut per ipsam obsequii capiamus mercedem.* Quidnam illud fuerit quod Adrianus uxori suæ Nataliæ mandaverit, et quod illa viri mandatis obtemperans executa sit, *missa* non docet, ut pote tunc, ex Actis, quæ præ manibus habebantur, notum. Sed neque in Actis vulgatis quidquam de ea re, aut de obedientia Nataliæ erga virum suum quidquam legitur.

exemplis incitati a virtutibus : et per illum superemus vitia : per quem devicte sunt pene . et per istam obsequii capiamus mercedem : per quam sanctorum curate sunt plage.

℟. Amen.

Alia Oratio. Eterne et inestimabilis Deus summe: in quo beatissima famula tua Natalia vehementi gaudio [a] exultavit : cum sibi conjunctum beatissimum Adrianum ad te conversum tota fidei devotione cognovit. Tu nos in te credentes ac de te sperantes utrorumque etiam suffragatione justifica. Ille nos exemplo suo fortiores efficiat : hec et curandos regat : et curatos tibi exhibeat. Per illum [b] turpes ad virtutes animi excitentur : per hanc vulnerum abdita medeantur. Suscitandos ille suscipiat : quos [c] vitandos ista custodiat. Ille curatis gloriam : hec curandis adhibeat medicinam. Colligat ille : quos ista non reprobet. Curetque ista : quos ille glorificet. Quo per utrosque sic curandis adhibeatur salvatio : ut curatis donetur eterne glorie plenitudo. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Jesu Dei Patris fili : qui es et victoria Martyrum et corona victorum : in hoc Sanctorum tuorum Adriani atque Natalie festo concede offerentibus indulgentiam pro delictis : et sepultis beatorum animari consortiis. Ut tam nos quam illi cum eis in futura vita mereamur habere partem : cum quibus idem tuus beatissimus Adrianus a gentili conversus errore : [d] sua voluit adnotari professione.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui beatos Martyres tuos Adrianum atque Nataliam conjugali federe copulatos : ad tantam gloriam provexisti : ut et ille patiendi munere : et hec locupletaretur obsequendi mercede : presta nobis ut devictis viciorum carnalium inceutivis : atque perfecte coram te exhibentes nostre mysterium servitutis : muneribus ditemur a te pacis eterne : atque dulcedinis. Quo ita tibi placabiles simus charitatis ex opere : ut illic post transitum : qua idem Sancti requiescunt : jocundemur in pace.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi semper gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui beatissimo Adriano [e] cum suis sociis : et certandi confidentiam : et remunerationis exhibuit gloriam. Quique tanto fidei ardore : archanum pectoris famule sue Natalie inlustravit : ut que non excepit martyrium [f] martyrii tamen consequi mereretur effectum. Cum martyrium quod perferre ab hoste non timuit : ceteris sanctis predicationis verbo amabile fecit. Illa quippe dum pietatis exhibuit cultum : pietatis capit premium. Et dum miseratio-nis impendit solacium : ad misericordiam pervenit usque effectum. Quia quibus quantisque compassionis atque solacii exhibuit verbum : cum tot tantisque commune creditur suscepisse martyrium. Ac proinde digna et venerabilis femina sanctis omnibus obsequens : cum omnibus patiens : cum omnibus gaudens communiterque cum omnibus regna celestia tenens : exaudiatur pro nobis a te Deus Pater : clemens atque sanctissime. Quo per eam et facinorum B careamus inlecebris : et regnum teneamus cum tuis omnibus Sanctis. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie ita dicentes.

℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : qui ita fervore ignis sui sanctorum corda inflammat : ut sit illis omne quod cupiunt licitum : liceatque eis implere quod cupiunt : dum ea cupiunt implere que sancta sunt. Etenim Natalia sanctorum vulnera curans : eorumque in passionibus non in crudelitate sed compassione exultans : cum per ultimam mortis sententiam Adrianus **327** cum sociis suis passi essent letale exitium : cucurrit illa ad virum : et desectam corporis ejus [g] manum sibi amoris usurpavit C in signum : ut ea pars membri in qua significabatur affectus operis : esset illi pro mentione in solacio charitatis. Quo per hanc amor viri semper in ejus viveret corde : et veram quodammodo ejus presentiam retineret. Sit ex hoc gloria tibi Pater omnipotens: qui tot beneficia ancille tue erga Sanctos exhibita remuneraturus aspiciens : lachrimisque ejus ineffabili pietate respondens : illorum eam glorioso cetui adgregasti : quorum eadem hic degens plagis curationem exhibuit. Per Christum Dominum ac Redemptorem eternum.

Post pridie. Has tibi Domine in solemnitate tuorum Sanctorum Adriani atque Natalie victimas offerentes : adclinati supplicatione rogamus : ut eorum intercedentibus meritis : des veniam nostris pecca-D tis. Quo exemplo Natalie : que viri sui sanguine se letabatur perunctam : nos quoque de corpore et san-

[a] *Exultavit.* In hoc officio nullibi legitur sanctum Adrianum de carcere egressum domum suam ad conjugem venisse, ut eam de proximo ejus certamine certiorem faceret, neque hic quidquam eorum inveniuntur quæ in Actis vulgatis minus credibilia occurrunt.

[b] *Turpes.* Lege *torpentes.*

[c] *Vitandos.* Forte, *vita donandos*, id est communicaturos. Vita enim Eucharistia, seu corpus Christi, Afris passim, Hispanis nonnunquam, dicta est.

[d] *Sua voluit.* Alludit ad id quod in Actis legitur, Adrianum dixisse : *Ponite, obsecro, et nomen meum cum sanctis hisce viris, nam et ego Christianus sum.*

[e] *Cum suis sociis.* Numerum sociorum sancti Adriani Acta (*Apud Bolland.*, *t. III Sept.*, *pag.* 218) non produnt. Plerumque tres et viginti numerantur in Martyrologiis, sic in Romano Parvo, et in Adonis Martyrologio, ad diem 8 Septembris; in quibusdam tamen plures censentur. Corbeiense Dacherii, ad IV Non. Martii, triginta tres, et Martyrologium Reginæ triginta quatuor numerat.

[f] *Martyrii tamen.* Hinc habes cur Natalia martyr dicatur, quamvis pro Christo sanguinem non fuderit.

[g] *Manum.* Unam manum abscissam fuisse Adriano testantur Acta. Attamen in Martyrologio Seberi, recentiores Græci, ad diem 26 Augusti, scribunt, Adriani et manus et pedes fuisse abscissos : Ἀδριανοῦ τέμνουσι χεῖρας καὶ πόδας. Eadem habent Ephemerides Græcæ, apud Bollandianos (*Tom. I Maii*), die 26 Augusti.

guine unigeniti filii tui libantes : consecutos nos A gaudeamus spiritus unctionem internam : et misericordiam copiosam. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus qui peccatores sine merito salvas : et justos ex gratia precedente glorificas : quique Adrianum ex infidelitate revocasti ad fidem : et Nataliam obsequiali coronasti ex munere : nostris quesumus in eorum festo et iniquitatibus parce et spirituali nos ardore succende. Quo spiritualiter accensi in intimis ad te proclamemus e terris. Pater noster.

Si istud festum evenerit in tempore Resurrectionis dicat Presb. Vicit leo. *Tribus vicibus. Quere fo.* 198. *Postea dicat.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus respiciat vota vestra : B qui Adrianum martyrii palma : et Nataliam obsequendi glorificavit ex gratia. ℟. Amen. Illorum quoque vos suffragio tueamini : quorum plagis Natalia famulatus sui dependit obsequio. ℟. Amen. Ut in presentis diei solennitate orantes : et hic et in futuro eorum gaudii mereamini esse participes. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Si venerit istud festum in tempore Resurrectionis dicat Chorus. Gaudete populi.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in vigilia Resurrectionis. fo.* 193.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui es vita. *Quere in festo Sanctorum Juliani et Basilisse. fo.* 287. *Et ubi dicitur* Sanctorum Juliani et Basilisse C *dicatur* Sanctorum Adriani atque Natalie.

Marci et Marcelliani Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

Gervasii et Prothasii Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

Florentie Virginis :
Omnia dicantur unius Virginis. fo. 436.

Silvestri Pape et Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fo. 421.

Consortie Virginis cum XI. millium Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

[a] *In Dominico pro adventu Sancti Johannis ad Missam. Officium.* Dominus regnavit. *Quere in Dominico post Epiphan. fo.* 64. *Dicat Presb.* Per omnia D semper secula seculorum. ℟. Amen. [b] *Dicat Presb.* Gloria. Benedictus Dominus Deus Israel. *Et Chorus cantet omnia alia usque in finem cantici sine* Gloria.

Oratio. Domine Deus qui adventum unigeniti filii tui : Johannem puerum precurrere voluisti : ut missus a te viam Christo [c] incredulorum cordibus prepararet : et sanando contribulates corde : et cecitatem restituendo luminis claritatem. Suffragio ejus et cecitatem cordis nostri inlumina : et tribulationes cordium nostrorum in eternum gaudium muta : ut qui in nativitate unigeniti filii tui gaudio Christiano attollimur : in adventu judicii ejus : nullis penarum vinculis contristemur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaye Prophete ([d] *Cap. XL*).

℟. Deo gratias.

Consolamini consolamini popule meus : dicit Dominus Deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem : et vocate eam : quoniam completa est malicia ejus. dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto : parate viam Domino : rectas facite semitas Dei nostri **328** in solitudine. Omnis vallis exaltabitur : et omnis mons : et collis humiliabitur. Et erunt prava in directa : et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini : et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Vox dicentis clama : et dixi. Quid clamabo? Omnis caro fenum : et omnis gloria ejus quasi flos agri. Et siccatum est fenum et cecidit flos. Verbum autem Domini Dei nostri stabit in eternum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Psallendo.* Expectabam [f] Deum : qui me salvum fecit [g] a defectione et tempestate. [h] ℣. Ecce elongavi fugiens et mansi in soli udine. *P.* A defectione.

Dicat Presbyter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Ephesios ([i] *Cap. IIII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Obsecro vos ego vinctus in Domino : ut digne ambuletis vocatione : qua vocati estis. Cum omni humilitate et mansuetudine. Cum patientia supportantes invicem : in charitate soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus : et unus spiritus : sicut et vos vocati estis in una spe vocationis vestre. Unus Deus : una fides : unum baptismum. Unus Deus pater omnium qui super omnes est : et per omnia et in omnibus [j] vobis. Unicuique autem [k] vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi in qua ipsi vocati estis. Propter quod dixit. Ascendens in altum captivam duxit captivitatem : dedit dona hominibus. Quod autem ascendit : quid est nisi quia et descendit primum in

[a] *In Dominico.* Ita etiam Breviario Mozarabum inscribitur; appellatur etiam *Dominica Adventus sancti Joannis Baptistæ*, de qua nihil in Orationali Gothico.

[b] *Dicat.* Galli canticum *Benedictus*, quod *prophetiam* vocabant, in omni ferme missa cantabant; idem, ut puto, a Gotho-Hispanis fiebat; at Mozarabes, cum, brevitatis studio, ab aliis missis canticum *Benedictus* sustulissent, loco hymni *Gloria in excelsis* illud cantari voluerunt in missa hujus Dominicæ, quam Dominicam Adventus sancti Joannis Baptistæ appellarunt.

[c] *Incredulorum.* Lege *in incredulorum.*

[d] *Cap. XL.* Vers. 1-9.

[e] *Psallendo.* Ps. LIV, 8.

[f] *Deum.* Vulg., *eum.* Psalt. Mozar., *Dominum.*

[g] *A defectione et tempestate.* Vulg., *a pusillanimitate spiritus.* Psalt. Moz., *a pusillo animo et tempestate.*

[h] ℣. Ps. LIV, 8.

[i] *Cap. IV.* Vers. 1-14.

[j] *Vobis.* Vulg., *et in omnibus vobis.*

[k] *Vestrum.* Vulg., *vostrum.*

inferiores partes terre. Qui descendit ipse est : et qui ascendit super omnes celos : ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos : quosdam autem Prophetas : alios vero Evangelistas : alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus mysterii in edificationem corporis Christi. Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionem filii Dei : in virum perfectum in mensuram etatis plenitudinis Christi. ℟. Amen.

Evangelium. Initium sancti Evangelii Jesu Christi filii Dei. *Quere in Dominica sexta Adventus Domini. fo.* 19. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Laudem Domini loquetur os meum : et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Vox clamantis in eremo : parate viam Domino : rectas facite semitas Dei nostri alleluja alleluja. ℣. Alleluja. Spiritus Domini super me : propter quod unxit me evangelizare hominibus : misit me sanare contribulatos corde : predicare captivis redemptionem : et cecis lumen reddere dicens. *P.* Parate viam Domino.

Missa. Universitatis potentissimum Creatorem fratres charissimi congregati solenniter adoremus : et predestinati populi benignissimum patrem : coram ipso humiliati salubriter invocemus. Ut pro malis sicut [c] Sol : et bona retribuat : et fideles suos in quacumque die tribulantur : exaudiat. Neque permittat innocentes sub calumniis laborare : sed dignetur universos evadere. Donec Regibus fidelibus cum mansuetudine et veritate justiciam largiatur : populis tranquillitate concordiam. Servientes sibi Dominus sine iracundia dominari conveniet : ut vicissim servos ad obediendum sine murmuratione compellat. Exoretur etiam divites non amare divitias perituras : ut per bona opera delectentur acquirere sempiterna. Ipse pauperes pascat : ipse nudos vestiat : ipse non habentes auxilio protegat. De conclusione captivitatis exules revocet. Et de domo carceris suspirantes in vinculis liberet. Sit pupillis quotidianus adjutor : sit benignus et misericors : viduarum lachrymantium consolator. Beneficia pluviarum consueta non auferat : ut inebriata terra pinguescat. Faciat nos in oratione promptissime vigilare : et hoc sacrificium in remissionem peccatorum [d] frequenter offerre. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui presentium hominum vitam agnoscis : diversarum necessitatum passionibus subjacere : exaudi desideria supplicantium : suscipe vota credentium. Sacerdotum auge salutem ; ut cordis auferat morbos : aut corporis manus medica dolorem mestique pestem pellat egroti. Si judicis aut ira vexat : mitiga tu ira perditum : libera tu ira subjectum. **329** Si ad litem publicam discordes funesta intentio vocat : dissidentium animos pax amica preveniat. Si terreni itineris subeunda vexatio est : Angelum sanctum decerne custodem. Abigat demones : predam bestie : errorem vie : casum fovee : insidias furis : vim latronis. Si adire maria navigaturus fidelis exoptat : tu in invisibilis gubernatoris beneficio sentiendo ingredere. Ut nec mentem in peccatum cupiditas lucro precipitata demergat : nec navem in profundum tempestas vento exagitata dissolvat. Tunc enim felicem substantia pensavit questum : si innocentia non fuerit passa naufragium. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Precamur Domine sancte Pater omnipotens Deus : qui omnium corda perscrutaris : et vota perpendis : ut non solum pro dictis petitionibus : verum etiam occultis desideriis nostris : benignus faveas : et adesse digneris. Ad quecumque enim poscenda concurrimus : universa priusquam loquamur intelligis. Offerimus itaque obsecrationes nostras pro egestate inopum : pro laboribus pupillorum : pro injuria vinctorum : pro securitate viantium : pro consolatione et requie fidelium defunctorum : et pro his qui sulcandum navibus equor arripiunt : ut reddantur in adversa securi. Febres omnes passionesque languentium excludantur : neque in aliquos immundi spiritus tentatio potestatem accipiat : sed cunctis celesti protectione defensis : oblatio subveniat tui altaris. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui dum sublimia deitatis ascendis : observare nos pacem auctoritate Evangelica precipis : da nobis placidus pacem tuam : ut discordie prona fugiamus : et per pacis bonum celorum ardua conscendamus. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine Deus noster : qui labantem animam et antiquo ulceris dolore confectam : non solum ad amissam revocas dignitatem : et in pristino nitore [e] restauras : sed etiam in partem glorie celestis admittis donando culpam prevaricationis : et remittendo perpetue injuriam mortis. Quod ut ista prestare non te nostre pravitatis officiositas : sed illa ingenita bonitatis consuetudo commovit. Tu igitur vinctum afflictumque hominem captivitate depulsa : libertati donasti : et obnoxium lege moriendi vicario munere redemisti. Mittendo unicum filium tuum Dominum nostrum : qui compensatione commercii : dum nos

[a] *Lauda.* Ps. CXLV, 2.

[b] *Sacrificium.* Isaiæ XL, 3. ℣. Lucæ IV, 18.

[c] *Sol : et.* Lege *sicut solet.*

[d] *Frequenter offerre.* Sacrificium in aliquibus Ecclesiis minus frequenter, in aliis magis frequenter offerebatur ; in Hispania quotidie privatim, publice vero diebus Dominicis, festivis, feria item quarta et sexta, offerri mos erat.

[e] *Restauras.* Huc refer illud sancti Chrysostomi (*Cateches.* 1, *ad illum.*, *Oper. Ed. Maur. t. II*, *pag.* 215). Cum docuisset baptismo omnia remitti peccata, sibi opponit : *Ob quam causam, inquis, si lavacrum nobis omnia peccata dimittit, non dicitur lavacrum remissionis peccatorum, nec lavacrum purificationis, sed lavacrum regenerationis?* Et respondet : *Quia non simpliciter a nobis peccata aufert, neque nos simpliciter mundat a delictis, sed ita puros efficit, plane ut generatos denuo; nos enim baptisma denuo condit et conficit.* Et paulo infra : *Neque enim nos simpliciter purgat, sed integrum de novo conflat.*

liberare contendit : sanguinem fudit. Ita celestis dignitas dum nos indignos prospicit : contumeliis addita subjacuit : omnique se injurie subdidit : dummodo hominem quem in nascendo susceperat : moriendo servaret. Per quem te quesumus et rogamus : ut intendas super hec munerum sincera libamina : que in hoc altare tuum sacrificiorum more detulimus. Ut in conspectu tuo offerentium vota custodias : et verus Sacerdos veram hostiam meritis celestibus benedicas : ac de istis temporalibus cibi immortalitatis sacramenta componas : que sue suavitatis gratia infirmitates corporum : et languores compescant animarum : per ipsum quem tecum et cum Spiritu Sancto in unitate Deitatis : omnes Angeli et Archangeli non cessant conlaudare : ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : atque in excelsis mirabilis Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Per quem tibi Deus Pater omnipotens famulantes offerimus sacrificium laudis : et simplicem devotionem nostri cordis. Non enim hic horrido mugitu pecudum : tristis hostia taurus occiditur : aut hircus de gregibus immolatur : sed hostia quam verus Dominus et Sacerdos instituit omnipotens. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Altare tuum Domine manus tue consecratione sanctifica : teque ipsum mentibus nostris leticie et gratie resurrectionis spe ostende. Omnibus tibi servientibus vota que acceptare digneris : inspirando largire : populum tuum placabilis respice : atque ad partem gratie salutaris admitte. Confitentibus parce. Letantibus fave : ac tristes per indulgentiam consolare. ℟. *Chorus.* Amen.

330 *Ad orationem Dominicam.*

Orationem dicturi Dominicam fratres charissimi nihil nostris mentibus cogitatio terrena subripiat : nihilque turpe vel lubricum horrende vanitatis occurrat. Sed penitentes de preteritis : et petentes veniam de futuris cum timore : et fiducia clamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedictionis Domini gratia semper vos protegat : et ab omni malo defendat. ℟. Amen. Mundet vos Dominus ab omni crimine peccatorum : et sibimet placere faciat in eternum. ℟. Amen. Ubique vobis Dominus placatus occurrat : et sue benedictionis opem dignanter attribuat. ℟ Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* Gustate.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis Christi. fo.* 267.

Oratio. Credimus Domine Jesu : quod precursor tuus Johannes : quod prophete in enigmate prophetaverunt : ipse digito ostendit dicens. Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit peccatum mundi : proinde quesumus et rogamus : ut qui primi adventus tui venturum tempus predicavit : in secundi adventus tui tempore dum judicare veneris vivos et mortuos : nos ad dexteram tuam coronandos [a] statuas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

[b] NATIVITAS SANCTI JOHANNIS BAPTISTE.

Ad Missam. [c] *Officium.*

Angelus Domini dixit Zacharie : alleluja. Ecce Elisabeth in utero concipiet : alleluja : et pariet filium : et nomen ejus Johannes vocabitur : alleluja : alleluja. ℣. Tu puer propheta altissimi vocaberis : preibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. *P.* Et pariet. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Et pariet.

Dicat Presb. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. Gloria in excelsis.

Oratio. Deus qui nos in Nativitate precursoris tui Johannis voluisti gaudere : fac nos plenum gaudium a te in futura examinatione percipere. Ut meritis ejus qui adventum tuum in spiritu et virtute Helie precessisse cognoscitur : et hic et in eternum gaudiis conletemur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio Hieremie Prophete. ([d] *Cap. I*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Priusquam te formarem in utero : novi te : et antequam exires de vulva sancti-

[a] *Statuas.* Lege *statuat.*

[b] *Nativitas.* Die vigesima quarta Junii, in tabulis ecclesiasticis tam Græcorum quam Latinorum festivitas Nativitatis sancti Joannis Baptistæ signatur (*Menol. Basil.*, *Menæa*, *Martyrologia Hieronymiana vetustissima, quibus accedunt Bedæ*, *Adonis*, *Notkeri*, *Usuardi, etc.*). Eadem in libris liturgicis celebratur, officium et missam proprium habet in Missali et Breviario Mozarabum. In Orationali Gothico (*Pag.* 120) plures sunt orationes *de nativitate sancti Joannis Baptistæ* dicendæ VIII *Kal. Jul.* De eadem agunt libri Gallicani, Sacramentarium Bobianum, Missale Gallo-Gothicum, et Lectionarium Luxoviense, vetustissima etiam Sacramentaria Romana sancti Leonis, sancti Gelasii, et sancti Gregorii, VIII *Kal. Jul.* Eamdem demum Ecclesia Mediolanensis, ut ex Lectionario Ambrosiano Thomasii, et Africana, ut ex Kalendario Carthaginensi Mabillonii, et ex sermonibus sancti Augustini habemus, die VIII *Kal. Jul.* celebrabant. In Sacramentariis Gelasiano et Gregoriano, in Lectionario Ambrosiano Thomasii, in vetustis Capitularibus Evangeliorum, et in quibusdam Martyrologiis huic festivitati vigilia præmittitur, de qua in Missali nostro, et in Orationali Gothico, et in libris Gallicanis, nulla fit mentio; tamen in Ecclesia Turonensi celebrabatur, ut scribit sanctus Gregorius (*Hist. Franc. lib.* x, *cap.* 31), ubi etiam Nativitas sancti Joannis Baptistæ antecedebat *natale sancti Petri episcopatus*, sive festum *Cathedræ sancti Petri*, et natale Passionis sancti Joannis Baptistæ, festum apostolorum Petri et Pauli; adeo verum est ista omnium episcoporum arbitrium et Ecclesiarum commodum moderari consuevisse.

[c] *Officium.* Lucæ I, 13. ℣. Ibid. 76.

[d] *Cap. I.* Vers. 5-11. Deinde vers. 7 ad finem capitis. In Lectionario Luxoviensi legitur ex Isaiæ XL, 1-11. In Sacramentario Bobiano legitur ex *Jeremia* XIX, 7-15, pluribus omissis.

ficavi te : et prophetam in gentibus dedi te : et dixi. a. a. a. Domine Deus ecce nescio loqui : quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me. Noli dicere : quia puer ego sum. Quoniam ad omnia que mittam te ibis : et universa quecumque mandavero tibi : loqueris. Ne timeas a facie eorum : quia tecum ego sum : et eruam te dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam ad me : et tetigit os meum. Et dixit Dominus ad me. Ecce dedi verba mea in ore tuo : et constitui te hodie super gentes et super regna : ut evellas : et destruas : et disperdas : et dissipes : et edifices : et plantes. Tu ergo accinge lumbos tuos ; et surge : et loquere ad eos omnia : que ego precipio tibi. Ne formides a facie eorum. Nec enim timere faciam vultum illorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam : et in columnam ferream : et in murum ereum super omnem terram regibus Juda : principibus ejus : et sacerdotibus ejus : et populo terre. Et [a] velabunt adversum te : et non prevalebunt : quia tecum ego sum : ait Dominus ; ut liberem te. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et

[b] *Psallendo.* Tu es Domine qui eduxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris mee. ℣. In te jactatus sum ex utero : de ventre matris mee tu es Deus meus : in te est decantatio mea. *P.* Spes mea. ℣. Repleatur os meum Deus laude tua : ut possim cantare gloriam tuam.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Galathas ([c] *Cap. I*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Notum vobis facio Evangelium : quod evangelizatum est a me : quia non est secundum hominem : neque enim ab homine accepi illud : neque didici : **331** sed per revelationem Jesu Christi. Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo : quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei : et expugnabam illam : et proficiebam in Judaismo supra multos coetaneos in genere meo. Abundantius emulator existens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei : qui me segregavit de utero matris mee : et vocavit me per gratiam suam : ut revelaret filium suum in me : et evangelizarem illum in gentibus : continuo non acquievi carni et sanguini. Neque veni in Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos : sed abii in Arabiam : et iterum reversus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum : et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem : nisi Jacobum fratrem Domini. Que autem scribo vobis ecce coram Deo : quia non mentior. Deinde veni in partes Syrie et Cilicie. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judee : que erant in Christo. Tantum autem auditum habebant : quoniam qui persequebantur nos aliquando : nunc evangelizant fidem : quam aliquando expugnabant : et in me clarificabant Deum. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([d] *Ca. I*).

In illis diebus. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi : et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus : quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa : et congratulabantur ei. Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum : et vocabant eum nomine patris ejus Zachariam. Et respondens mater ejus dixit. Nequaquam : sed vocabitur Johannes. Et dixerunt ad illam. Quia nemo est in cognatione tua : qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus : quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem : scripsit dicens : Johannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem confestim os ejus : et lingua ejus : et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum : et super omnia montana Judee divulgabantur omnia verba hec. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo : dicentes. Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu Sancto : et prophetavit dicens. Benedictus Dominus Deus Israel : quia visitavit et fecit redemptionem plebis sue. Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui : sicut locutus est per os Sanctorum qui a seculo sunt prophetarum ejus. Puer autem crescebat et confortabatur spiritu : et erat in deserto usque in diem ostensionis sue ad Israel. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluja. [e] ℟. Suavis sit Deo laudatio mea. Ego vero delectabor in Domino. *P.* Alleluja.

[f] *Sacrificium.* Sacerdos Zacharias fuit de vice Abia : et uxor illi de filiabus Aaron : erant enim justi ambo ante Deum : incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela : alleluja : alleluja. ℣. Apparuit Zacharie Angelus Domini stans a dextris altaris : dicens : ne timeas Zacharia : quoniam exaudita est deprecatio tua : et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium : et vocabis nomen ejus Johannem : et erit tibi gaudium et exultatio : et multi in nativitate ejus gaudebunt : et erit magnus coram Domino. *P.* Sine querela : alleluja.

Missa. Expectationi nostre fratres charissimi Dominus Deus noster gaudia desiderata restituens :

[a] *Velabunt.* Lege *bellabunt.*

[b] *Psallendo.* Psal. XXI, 10. ℣. Ibid., 11. *Jactatus sum.* Ita in Italica Thomasii. Vulgata legit *projectus sum.* ℣. Ps. LXX, 8.

[c] *Cap. I.* Vers. 11, ad finem capitis. In Luxoviensi Epistola legitur ex Actibus apostolorum, XIII, 16-43. In Bobiano ex Epistola ad Philippenses, IV, 4-10.

[d] *Cap. I.* Vers. 57, ad finem capitis, omissis decem integris versiculis, a 70 ad 80. In Luxoviensi legitur ex Lucæ I, 5 25 ; deinde, 39-47 ; deinde, 57-67 ; demum, *Benedictus Dominus Deus Israel*, et mox, *Puer autem crescebat*, etc., qui est ultimus versus cap. 1, idem Evangelium legitur in Sacramentario Bobiano.

[e] Ps. CIII, 34.

[f] *Sacrificium.* Ex Evang. sancti Lucæ I, 5, 6. ℣. Ibid., 11, 13, 14, 15.

natalem nobis precursoris sui Johannis: verum lumen lucerne preeuntis invexit. Cum festivitate reciprocantium etiam temporum ipsorum vernante leticia · qua se nobiscum in gaudio omnis creatura adventum Domini auditura diffudit. Et qui ad nativitatem precursoris sui Johannis annua nos festivitate revocavit: ad suum quoque natale cum profectu totius Ecclesie: et defectu nequicie spiritualis: simili dignatione nos provocet Et qui tanti prophete ortum prius nobis dignatus est nomine manifestare: quam luce: et ante ostendere electionis ejus: quam conceptionis initium: supplicibus tribuat servulis adimplere predicationis ipsius sacratissimum verbum. Quia scilicet preco mirabilis preparandus ac previus prius ab eo preconium laudis: quam viam accipere meruit vocis. Atque ut ante ortum ab eo ostenderetur laudandus: quem post ortum ipse ostenderet [a] laudaturum. Precamur ergo corde prostrato et affectu humiliationis devoto: **332** ut aperiat nobis Dominus noster quicquid in cordibus nostris infidelitas claudit: quicquid promissionum ejus gratiam obscuritas lubrici timoris intercipit: et concedat ut natale Angeli sui ante faciem suam missi: os nostrum repleat confessione: cor nostrum roboret fide: cursum nostrum dirigat voce: [b] contentum mortis instruat veritate: agnitionisque innocentiam populo suo ipse impetret: qui eum agnum Dei in populorum expectatione monstravit. Sit ejus laus in ore nostro: ut qui votis solemnia solvimus: verbi munera capiamus. ℟. *Chorus*. Amen.

Alia Oratio. Inter laudes tuas: et preces nostras omnipotens Deus: interest hodie beatissimi Johannis prestantissima in gaudiis populorum ordinata nativitas. In qua nobis multiplicis gratie tue dona venerantibus: dum in preconium vocatur ille: qui prestitit suffragium: queritur ille: qui meruit. Qui nobis naturarum omnium creatorem: necdum natus ostendit: ut expers vite sue fieret testis glorie tue. Haberetque prius cognitum lucis Dominum: quam communis luminis usum. Qui in illis coagulati corporis rudimentis: materni uteri lege vivescens: vocem Dominice matris salutantis exciperet: et quod a ministerio devotionis exiliens: motu exultanti responderet: qui ad opus Evangelii nasciturus: matrem de officio necdum editus commoveret. Qui predicaturus penitentiam: paterne diffidentie errorem intercepte vocis dispendio castigaret: et dubie mentis incredulitatem prophetatus clauderet: cum venture salutis fidem prophetaturus aperiret. In hujus ergo Domine natalicii diei solemnitate gaudentes: pacificas sacrificiorum tibi hostias immolamus: ut Sacerdotalis officii functionem sancti Angeli visitatione dignatus accepies: faciasque promissa nos credere: credita predicare: predicata non perdere.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Christe Jesu qui virginali A nasciturus de utero precursorem tuum Johannem senili fecisti exoriri ex alvo: quem lucernam ardentem tuo constituisti in templo: fac nos lucere in Ecclesia tua ardore fidei: et instructione docendi. Charitatis opere: et humilitatis perfectione. Orationis studio: et castimonie documento. Sicque nunc has oblationes offerentis populi fidelis accepta: ut cunctis congrua largiaris remedia. Per eum et spiritale gaudium vivis: et penarum evasionem conferendo defunctis: per quem tibi in cordibus incredulorum: et via est preparata: et indulte gratie primordia sunt ostensa. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui nobis per prophetiam precursoris tui Johannis obumbrantium significationum figuras: aperta veritatis tue manifestatione monstrasti: tribue nobis intelligentie lumen: B et pacis perpetue charitatem. Ut gratia succedente pro gratia: sic gloriemur in [c] nobis: ut in charitatis unitate constituti: non abutamur antiquis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est: omnipotens Pater: nos tibi gratias agere. Qui humane salutis ita ex prima conditione: sicut ex secunda reparatione sollicitus: ne inopinatos nos causa tanti muneris inveniret: ad manifestandum filii tui adventum electissimum Johannem nuncium destinasti. Qui nos de mirabilibus ejus: ipse jam per eum ex nativitate sua mirabilis commoneret: et magnitudinem sequentium rerum rudes adhuc populos credere sui ostensione consuesceret. Nunciaturus Christum: per An- C gelum nunciatur. Predicaturus in populo: predicatur in templo. Ante notus honore: quam tempore. Sic actum est tue dispensationis effectu: ut qui parentibus in incensi est oblatione promissus: gentibus in agnitione luminis sit premissus. Precursurus Verbum: silentium ponit incredulis: et ante processum vite sue: futura infidelitatis damna: muta patris voce loquebatur. Utique ut qui persuasione veteri loquebatur: paterne traditionis obstructum in meliorem Evangelii doctrinam fidelium linguam: nomen novi heredis absolveret. Ecce exultat in utero: ut **333** in parentis visceribus native gentis pectora venturi regis predicatione concuteret. Erumpit in gaudio: ut desperate promissionis taciturnitas filii veritate D convicta: in testimonium suscepti muneris exclamaret. Prophetat in spiritu: testificatur in Evangelio. Ministrat in Baptismo. Docet in populo. Degit in heremo. Proficit in deserto. Parat vie viam [d] venturum. Nunciat per quem venit: et priorem sibi quem secuturum diceret non tacebat. Erat spectaculum luminis. Initium baptismatis. Testimonium veritatis. Ut in plenitudine Christi signorum rem post rei signa monstraret. Nuncius salutis. Emulus passionis. Servit propheta baptismo. Baptista martyrio. Ut Christum Dei Filium pro mundi redemptione venturum: quem adnunciare se predicatione sermonis ostenderet: amare se effusione sanguinis

[a] *Laudaturum*. Lege *laudatum*.
[b] *Contentum*. Lege *contemptum*.
[c] *Nobis*. Lege *novis*.
[d] *Venturum*. Fortasse, *venturæ*.

comprobaret. Unde merito celi celorumque virtutes A cum Angelis et Archangelis : hymnum tibi laudis debite cum Seraphin exultant : ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus es Domine Deus omnipotens. Unitas distinctibilis : et distinctio inseparabilis. Unitas Trinitatis. Et Trinitas summe unitatis. Qui operibus tuis compatiens impassibilis : eo usque misericordiam porrigis : ut ad notescendum salutare tuum : premitteres Johannem puerum tuum previum vie : lucernam luminis : preconem judicis. Vocem Verbi : amicum sponsi. Unde nos pro tuis donis : ejusque bonis tibi litationis victimam offerentes : precamur : ut acceptabiliter eam adsumas : et dignatione consueta benedicas. Atque offerentes conformes ejus efficias : qui tibi in com- B memoratione Jesu Christi Filii tui Domini nostri : devota et prosternata servitute persolvimus. Per ipsum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Convaluisti : Domine Jesu Christe in gratia : et incredulis gentibus sedula testatione claruisti. Te annuncians beatissimus doctor ille Johannes : tam incomparabilis sanctitate : quam singularis magisterii assertor : fontem lavacri sitientibus dabat : sed esse venturum te procul dubio nunciabat. Ille descenderat aquis corpora purgaturus : tu sperabaris corpora redempturus. Ex hujus enim voce cognovimus : unigenitum te Dominum in corporis forma et carne conspicuum : de quo nobis dixit. Ecce agnus Dei : ecce qui tollit peccatum C mundi. Hic enim : cui et nomen antequam conciperetur dedisti : quem et Spiritu Sancto priusquam nasceretur implesti : qui et sterilitatem matris conceptus abstersit : et patris linguam natus absolvit. Oramus ergo te Domine ut hanc oblationem nostram : respicere et benedicere digneris : sicut benedicere dignatus es munus Abel justi pueri tui.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Deus qui per beatissimum Johannem precursorem et Martyrem tuum : gentibus universis lumen baptismatis intulisti : ut infidelitatem populorum : quam vane observantie ritus intulerat : regeneratio celestis absolveret : presta ut intercessio tanti vatis que nobis est indulta per lavacrum pie conscientie : proficiat ad exemplum. Ut salutaribus edocti preceptis : sic dicere mereamur e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Benedictio. Dominus Jesus Christus qui in nativitate precursoris sui : tribuit multis gaudium magnum : det vobis devicta omni tentatione remissionem omnium peccatorum. ℟. Amen. Et eadem se presule virtus nunc resultet in voce supplicum : que prolato Johannis nomine : os quondam reseravit paternum. ℟. Amen. Ac sicuti eo nascente matri est attributa fecunditas : ita menti vestre : quo sibi fructificet : fidei imperciatur ubertas. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere* [a] *in festo Corporis Christi. fol.* 267.

[a] *In festo.* Die 29 Junii, tam apud Græcos (*Menol. Basil.*, *Menæa*, *Ephem. Græc.*, *Mosc.*, *Bolland. tom. I Maii*, etc.), quam apud Latinos, in Kalendariis, Martyrologiis, et in libris liturgicis, de festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli agitur. Kalendarium Bucherianum : III *Kal. Jul.*, *Petri in catacumbas*, *et Pauli Ostiense*, et adjicitur *Tusco et Basso cos.* At consulatus ille, qui in annum æræ vulgaris 258 cadit, ad diem passionis Apostolorum certe non pertinet, quare aut aliunde luxatus huc per errorem intrusus est, ut Bucherius opinatur, et est verisimillimum, aut appositus est ad annum indicandum quo tempore persecutionis Valeriani corpus sancti Petri e Vaticano in catacumbas translatum fuit, ut putavit Pearsonius (*Annal. Cypr.*, *ad an.* 258) ; cujus opinioni Antonius Pagius (*Crit. Baron.*, *ad an.* 258) adjecit translationem esse factam D eodem die quo olim apostoli passi sunt : egregie, nisi quod meris conjecturis nituntur. Diem passionis sanctorum Petri et Pauli, quem Kalendarium Bucherianum distincte tradit, eumdem exhibent Fasti consulares a Joan. Georgio Eccardo (*Corp. hist. med. ævi*, *tom. I*) editi : NERONE CÆS. ET VETERE. *His consulibus passi sunt Petrus et Paulus* III *Kal. Jul.* Et catalogus pontificum sedente Liberio exaratus : *Passus est autem* Petrus *cum Paulo die* III *Kal. Jul.* Et excerpta e Fastis Cuspinianis (*Bolland.*, *tom. VII Jun.*, *part.* II, *pag.* 186 *seq.*) a Sollerio edita : NERONE II ET PISONE. *His consulibus passi sunt Petrus et Paulus Romæ*, III *Kal. Jul.* Et antiquus auctor, qui anno 396 scribebat, citatus ab Euthalio Sulcensi episcopo, in sua Editione Epistolarum sancti Pauli (*Apud Zacagn.*, *Coll. tom. I*, *p.* 535) testatur sanctum Paulum, sub Nerone, capite amputato, in urbe Roma martyrium fecisse anno a passione Christi 36, *quinta die mensis Panemi*, *secundum Syro-Macedones*, *quæ apud Ægyptios dicitur quinta mensis Ephiphi*, *apud Romanos vero* III *Kal. Julii.* Et ipse Euthalius (*Ibid.*) apud eumdem Zacag. (*Ibid.*, *pag.* 523) ait Romanos martyrium Apostoli solemni festivitate celebrare III *Kal. Julii*, *quæ est quinta Panemii mensis.* Et in Codice Lolliniano (*Ibid.*, *in not.*) habet : *II Kal. Julii*, *quæ est sexta mensis Loi*, qui Asiaticorum erat, et a die 24 incipiebat. Kalendarium Carthaginense, deficiente membrana, diem passionis apostolorum non exhibet ; habet enim..... *Jul.*, *sanctorum.... apostolorum*, quibus indicat ambos eodem die passos esse. Jam vero Apographa Martyrologii Hieronymiani, pro quibus sufficiat Lucense Florentinii citasse : *III Kal. Jul.*, *Romæ*, *natalis Petri et Pauli apostolorum. Petri in Vaticano*, *Pauli in Ostiensi.* Romanum Parvum : *III Kal. Jul.*, *Romæ*, *apostolorum Petri et Pauli.* Beda, in Martyrologio genuino : *III Kal. Jul.*, *Romæ*, *natalis apostolorum Petri et Pauli.* His accedunt Martyrologia Flori, Adonis, Rabani, Usuardi, Notkeri, Wandelberti, et Romanum Baronii, Sacramentaria quoque Gelasianum et Gregorianum, aliique antiquiores recentioresque liturgici libri, quibus omnibus traditur sanctos apostolos Petrum et Paulum die 29 Junii Romæ, imperante Nerone, martyrium subiisse, et juxta eam urbem sepultos esse ; quare, quod olim Caius ille catholicus (*Euseb.*, *lib.* II, *cap.* 25) contra Cataphrygarum patronum disputans dicebat, idem quilibet civis Romanus hodie dicere potest : *Sive in Vaticanum*, *sive ad Ostiensem viam*, *pergere libet*, *occurrent tibi trephæa eorum* apostolorum *qui* Romanam *Ecclesiam fundaverunt* ; horum enim reliquias ab Urbe alio translatos aliquando fuisse nemo unquam prodidit, quæ cum certa et ab omnibus ferme admissa sint (pauci siquidem inveniuntur quibus eruditi viri Joannis Pearso-

Oratio. Deus qui sterili Elisabet senique infructuoso Johannem promissionis filium condonasti : qui dum adhuc inclusus in ejus utero portaretur : Deum in **334** hospitium virginis habitantem sua salutatione prophetavit : te petimus : te rogamus : ut qui predicatione ejus regni celestis aperuisti credentibus januam : suffragio ejus nos perducas ad gloriam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Translatio S. Eligii Episcopi et confessoris :

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fol. 432.

Johannis et Pauli :

Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

Leonis Pape et Confessoris :

Omnia dicantur unius Confess. Pontificis. fol. 432.

IN FESTO APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Ad Missam. [a] *Officium.*

Dabo Sanctis meis primam sessionem : alleluja : in resurrectione eterna : et exquiram illos in gaudio meo. *P.* Et lux perpetua lucebit eis : alleluja. Et eternitas temporum preparata est : alleluja : alleluja. ℣. Benedicti vos a Domino qui fecit celum et terram. *P.* Et lux perpetua. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum : amen. *P.* Et lux perpetua.

Oratio. Hi sunt Christe Domine amici tui Petrus et Paulus qui tradentes corpora sua ad mortem ·

nii conjectura placet [*Ann. Cypr., ad an.* 258, n. ?, *et Oper. posth. Peurs.*], opinantis apostolos VIII Kal. Mart. passos esse), tamen circa annum quo passi sunt apostoli Petrus et Paulus difficile est quidquam certi statuere, propter varias et inter se dissonantes antiquorum recentiorumque ea super re sententias; sunt enim qui primo Neronis anno, Nerone et Vetere coss. (*Fast. cons., apud Echardum*) ; sunt qui ultimo (*S. Hier., de Vir. illustr., cap.* 1), sunt qui tertio, Nerone II et Pisone coss. (*Excerpt. Fast. consul., apud Bolland.*) ; alii qui quarto, Nerone III et Messala coss. (*Idat., in Fast.*), alii qui duodecimo (*S. Epiph., hær.* 27, *n.* 6) ; sunt qui undecimo ejusdem Neronis anno, Licinio Nerva et Vestinio Attico coss., apostolos martyrio coronatos tradidere, quæ ultima sententia mihi magis credibilis videtur ; sed quocunque anno passi sint, diem natalem passionis eorum, statim a martyrio, Romæ celebratum esse, monumentaque eorum frequentari cœpisse, consuetudo Ecclesiarum circa insignes martyres, et aperta Juliani Augusti auctoritas (*Apud S. Cyrillum, lib.* X *contra Julian.*) persuadet. Labente autem æræ Christianæ sæculo IV, non modo Romæ et in Italia, sed ubique terrarum festivitas sanctorum Petri et Pauli magna cum solemnitate celebrabatur (*S. Asterius, hom. in SS. Petrum et Paulum*). In Ponto et Cappadocia, auctor est sanctus Gregorius Nyssenus (*Laud. altera S. Steph., apud Zacagnium, Collect. t. I, p.* 33?), post festum protomartyris Stephani, Petrus, Jacobus, Joannes, omnesque apostoli uno die simul colebantur ; sed hæc solemnitas non ob natalem martyrii agebatur, sed ob peculiares rationes quas Nyssenus ibidem affert, at Petri et Pauli *natalem martyrii, hodie,* III Cal. Julii, *per mundum universum omnes Ecclesiæ debito honore concelebrant,* ut scribit sanctus Gaudentius Brixiensis (*Serm. de Apost. Petro et Paulo*), cui disciplina Ecclesiarum Ponti et Orientis ignota non erat. In Sacramentario sancti Leonis missæ octo et viginti exstant in natali apostolorum Petri et Pauli, quarum una *de Jejunio* inscribitur, et ultimæ tres *ad sanctum Paulum*; eodem enim die Romæ olim tribus in locis solemnitas hæc celebrabatur. *Trinis celebratur viis festa tantorum martyrum,* inquit sanctus Ambrosius in hymno : nimirum via Appia, in catacumbis, de qua Kalendarium Bucherianum ; via Triumphali in basilica Vaticana ; et via Ostiensi, in basilica sancti Pauli, de quibus Martyrologium Hieronymianum, Lucense, et Prudentius (*Hymn.* 12 *de coron.*). Antiquitus fortasse pontifex in hisce tribus basilicis sacrum faciebat; at Prudentii ævo jam pontifex desierat missas in catacumbis die sanctorum Petri et Pauli celebrare, quare (*Hym. citato*) festum hoc *bifidum* appellat. Vigilias enim et missam matutinam papa celebrabat in basilica Vaticana sancti Petri; inde ad basilicam sancti Pauli, via Ostiensi, delatus sacris iterum eodem die operabatur.

> Aspice, per bifidas plebs Romulea funditur plateas;
> Lux in duobus fervet una festis.

Et infra :

> Transtiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos,
> Mox huc recurrit duplicatque vota.

In Sacramentario Gelasiano (*Lib.* II, *n.* 29) exstat missa *in vigilia apostolorum Petri et Pauli,* III *Kal. Julias,* quæ, reor, in omnibus basilicis in quibus vigiliæ celebratæ fuerant canebatur. Rursus (*Ibid., num.* 30) missa *item in natali sancti Petri proprie,* III *Kal. Jul.*; et hæc in basilica Vaticana a pontifice dicebatur. Rursus (*Ibid., num.* 31) missa *in natali apostolorum Petri et Pauli,* III *Kal. Jul.,* quæ, ut puto, ab aliquo episcopo aut presbytero in catacumbis celebrabatur. Demum (*Ibid., num.* 32) missa *item in natali sancti Pauli proprie,* III *Kal. Jul.,* quam pontifex in basilica sancti Pauli faciebat, ubi animadvertendum quanta diligentia singulis hisce missis apponitur nota III *Kal. Jul.,* tum ad ostendendum has omnes eadem die celebrandas esse (et revera die sequenti nihil in hoc Sacramentario, neque in Leoniano, quemadmodum nec in antiquioribus Martyrologiis, fit de sancto Paulo), tum etiam ad ostendendum apostolos eodem die III Kal. Jul. passos simul esse. Sed in omnibus Sacramentariis Gregorianis aliter missæ inscribuntur disponunturque. IV Kal. Julii habentur binæ missæ, altera de sancto Leone papa, altera *de vigilia sanctorum Petri et Pauli.* Die sequenti, III *Kal. Jul.,* in Codice Pamelii et Muratorii inscribitur *natale sancti Petri,* in Codice Martenii *natale ejusdem Petri et Pauli;* et revera missa est de ambobus, eadem prorsus quam, juxta Missale sancti Pii V, hac die recitamus. Demum, *prid. Kal. Jul.* inscribitur *natale sancti Pauli apostoli.* Missa autem eadem est quæ in Missali sancti Pii legitur. Hoc recentius institutum, quod in omnibus Evangeliorum Capitularibus (*Apud Georgium, de Liturg. Rom. Pont., tom. III*) observatum est, Micrologus sancto Gregorio Magno tribuit; ejus autem nullum apparet vestigium in libris liturgicis Gotho-Hispanorum et Gallorum. Gotho-Hispani in Breviario Mozarabum de festo apostolorum, uno die, proprio officio agunt, cui vigiliam præmittunt, et in Missali unica missa de ambobus exstat, de quibus pariter exstant plures orationes in Orationali Gothico, nec die sequenti ullam sancti Pauli peculiarem faciunt memoriam, id ipsum Galli faciunt. In Sacramentario Bobiano et in Missali Gallo-Gothico exstant Missæ *in natale Petri et Pauli,* uno eodemque die celebrandæ, et in Lectionario Luxoviensi lectiones quæ ad utrumque Apostolum pertinent legendæ assignantur, ne quidquam de sancto Petro aut sancto Paulo apud Gallos aut Hispanos singillatim agebatur.

[a] *Officium.* Ex Esdræ IV, II, 23. ℣. Psal. CXIII, 15.

effecti sunt ductores gratie: fundatores Ecclesie. Quos et unitas [a] precandi: felicitas moriendi nec dividi passa est: nec elidi. Quesumus ergo ut qui illorum doctrina populos fecisti esse credentes: eorum prece nos efficias regni celestis coheredes. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Prophetia*. Multam gloriam fecit Dominus. *Quere in festo Philippi et Jacobi. fol.* 520. *Dicat Presbiter*. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. [c] *Psallendo*. In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terre verba eorum. ℣. Non sunt loquele neque sermones: quibus non audiantur voces eorum. *P*. Et in fines orbis. *Dicat Presb*. Silentium facite. [d] *Epistola*. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi qui benedixit. *Quere in commune plurimorum Martyrum. fol.* 450.

Lectio Sancti Evangelii secundum Johannem.
([e] *Cap. XV*).

In illis diebus: Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Si manseritis in me: et verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petite et fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus: ut fructum plurimum afferatis: et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater: et ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Si precepta mea servaveritis: manebitis in dilectione mea: sicut et ego precepta Patris mei servavi: et maneo in dilectione ejus. Hec locutus sum vobis: ut gaudium meum in vobis sit: et gaudium vestrum impleatur. Hoc est preceptum meum ut diligatis invicem: sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet: ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Vos amici mei estis: si feceritis que ego precipio vobis. Jam non dico vos servos: quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quecumque audivi a Patre meo: nota feci vobis. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos: et posui vos ut eatis et fructum afferatis: et fructus vester maneat. Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo det vobis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Lauda*. Alleluja. ℣. Celi enarrant gloriam Dei: et opera manuum ejus annunciat firmamentum. *P*. Alleluja.

[g] *Sacrificium*. Venite benedicti Patris mei percipite regnum: quod vobis paratum est ab origine mundi: alleluja. ℣. Cum venerit filius hominis in majestate sua: et omnes Angeli cum eo: tunc fulgebunt justi sicut Sol in regno Dei: alleluja.

Missa. Magnorum Apostolorum Petri et Pauli non varias diversasque virtutes: quas explicare digna predicatione non possumus revolventes: sed supremas et gloriosissimas passiones quas [h] exolvere annua devotione debemus: fratres charissimi: hodie celebrantes: Deum qui ipsorum et sanctorum omnium summa laus est: deprecemur. Ut sicut ipse [i] principaliter in eorum est laudatione laudandus: ita nobis libenter eorum intercessione: qua placandum eum credimus: sit placatus. **335** Ecclesiam suam quam in illis elegit: edificavit: replevit: et docuit: ipsis jugiter pro ea supplicantibus tueatur: fundatam eam in solidissimam petram: tempestatis procella non subruat. Nihil ei per tartareas hereticorum eversiones porte prevaleant inferorum: quas ita humiliati tenebrarum principes tollent: ut elevatis eternalibus portis: quasi in templum suum: sic in nobis unus atque idem virtutum Dominus: et Rex glorie celestis introeat. Qui propositas in terrorem fidelium persequentium minas tremendas sue majestatis objectu radiantibus nova luce fulgoribus: vocem verbi perennis avertat. Sibique per ipsam in se credentes humani generis susceptionem inferri: quod fideles suos pati pro suo nomine prospicit protestetur. In se nostri causa dolores excipiens: sibi fieri quicquid contra cultores Christiani nominis impii moliuntur:

[a] *Precandi*. Forte: *Prædicandi et felicitas moriendi.*

[b] *Prophetia*. Legitur ex Ecclesiastico, XLIV, 2-16, ut in festo sanctorum Torquati et comitum (*Pag.* 330). In Lectionario Luxoviensi pro *prophetia* legitur *passio sanctorum Petri et Pauli*. In Sacramentario Bobiano nulla est prophetia, quia in Gallia legebantur passiones, aut Acta sanctorum.

[c] *Psallendo*. Ps. XVII, 15. ℣. Ibid., 4.

[d] *Epistola. Cap. I.*, vers. 2-15. Exstat pag. 430. In Luxoviensi legitur ex Epistola ad Romanos VIII, 15-27. In Bobiano ex eadem Epistola ad Romanos V, 7-17. In Lectionario Ambrosiano em. Thomasii legitur ex *II Cor. XI*, 19. Sanctus Augustinus (*Serm.* 297, *Oper. tom. V, Ed. Maurin., n.* 5) scribit: *Adtende apostolum Paulum, quoniam et ipsius hodie dies festus est.... recole verba quæ paulo ante, cum ipsius Epistola legeretur, audivimus: « Ego, inquit, jam immolor, »* etc. Et sermone 299, n. 3, ait: *De passione sua jam imminente et propinquante prænuntiantem audivimus Paulum, cum ejus Epistola legeretur: « Ego enim jam delibor. »* Uterque sermo in natali apostolorum dictus erat; quare videtur in Africa, saltem Hippone, Epistolam ex II Tim. IV lectam esse.

[e] *Cap. XV*. Vers. 7-17. In Luxoviensi Lectionario Evangelium desumitur ex Matthæi V, 1-16. In Sacramentario Bobiano legitur partim ex Matthæi IV, 18, partim ex Joannis II, 15-19, continetque vocationem Petri ad apostolatum, ejusdem in supremum pastorem constitutionem, et Christi vaticinium de ejus morte. In Africa, sancti Augustini ævo, hac die, legebant ex Joanne XXI, 15, et ex sermone 296, secundo *in nat. sancti Petri et Pauli*, eruitur; et sancti Ambrosii tempore Mediolani legebant ex Lucæ V, fortasse a versiculo primo; nam sanctus Ambrosius (*Lib. de Virgin., cap.* 19, *n.* 124, 125, *Ed. Maur.*) versiculum quintum ex Evangelio hujus diei citat. In omnibus Capitularibus Evangeliorum apud illustriss. Georgium (*De Liturg. Rom. pontif., t. III*) citatis legitur ex Matthæi XVI, 13-20, ut modo in Missali sancti Pii V legimus.

[f] *Lauda*. Ps. XVIII, 1.

[g] *Sacrificium*. Matth. XXV, 34, 31; XIII, 43.

[h] *Exolvere*. Forte, *exrolere*.

[i] *Principaliter*. Huc refer illud sancti Maximi Taurinensis, hom. in nat. sanctorum Petri et Pauli: *Gloriosissimos Christianæ fidei principes annuis solemnitatibus honorantes, fratres charissimi, ipsum Dominum ac Deum nostrum, qui hujus auctor est fidei, debita religione veneramur; apostoli namque, Latino sermone, dicuntur missi, qui ergo honorant missos, manifestum est honorare eos mittentem.*

ostendat. Ut cunctis brachii sui magnitudine dominante: omnes se nobiscum in confessione Petri: et predicatione Pauli vivere gratulentur.

℟. Amen.

Alia Oratio. Domine qui beatissimos Apostolos tuos Petrum et Paulum diverso tempore vocationis beneficio elegisti: et uno die passionis merito coronasti: quorum ammirabilis singulorum fides ante obitum mortis inlate: unum fecit claves regni celestis accipere: alium usque in celum tertium penetrare. Cum ille censor credentium constitutus intromittendi illic probos: et excludendi improbos jus teneret. Hic in excessu: supra nubium raptus [a] recessu: ineffabilia divinorum secreta verborum gentium futurus Doctor hauriret: quodque alii Sanctorum passi: hoc isti meruere passuri. Hos nobis Domine facito esse patronos: quos fecisti esse magistros. Ut eorum obtentu: venie nostre suffragia sentiamus: quorum ducatu gratie tue instituta suscepimus. In Petro peccatorum nostrorum numerum amplificate modus remissionis excedat: in Paulo venam obstructam postridie: Christi sermone lumine nobis veritatis aperiat. In illo nobis prestetur nutantis seculi fluctibus non demergi: in isto antiqui serpentis morsibus non noceri. Ut nec naufragio malorum perditi: nec veneno vipereo sauciati. Eodem auctore salvemur: quo ille undas superavit: hic viperas.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui Apostolis tuis: quorum hodie solennitate gaudemus: in sorte sanctificationis electis clariora nomina tu dedisti. Cum et ille Petrus diceretur: hic Paulus. Ille indito sibi vocabulo usus est: hic mutato: eorum nobis oratione ac favore concede: ut a [b] natura [c] utero segregati vim carnis et sanguinis superantes: facta habeamus fidelium: qui nomina tuorum accepimus filiorum. Ut in nobis et spiritalis addatur ambitus: et carnalis mutetur affectus. Quibus mereamur Sacerdotalium possidere instrumenta virtutum: qui permittimur officia electorum agere Sacerdotum. Has quoque Catholicorum oblationes: velut de captura et manu Petri pulmentarium tibi Christe gratifica: et quasi ex ore Pauli: cui loqui dignatus es benedictione ditifica. Omnibus eorum interventu salutaris leticie causa prestetur: cunctosque necessaria ad Deum conversione convertendos ille pascat semper: hic doceat. Cum equalis gratie vicario munere: et ille sic [d] possit: et iste sic pascere. Pro spiritibus etiam defunctorum: quorum nomina ore prolata sunt recitantium: utique pro culpis apud te intercessores existant.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Omnipotens conditor et redemptor: qui ad conversionem gentium et penitentium reconciliationem: duo magna luminaria Pauli litteras: et Petri lachrymas posuisti: ut gratia tua nec illum persecutio: quam amor legis intulerat: nec istum negatio: quam timor mortis exegerat: faceret alienos. Da quesumus resipiscere post ignorantiam: flere post culpas: gratiam recuperare post lachrymas. Asserat apud indulgentiam tuam errantium causas et Paulus: cui non obfuit quod nescivit: et Petrus cui non impediit: quod negavit. Potest nos misericordia tua sic sanare: **336** ut vulnera inlata non [e] pareant. Sic restaurare: ut elisos nos adversarius noster fuisse non gaudeat: sic integros facere: ut fortiores expertos esse debiles non agnoscat. Valeat majestas tua absolutis nobis: etiam conscientiam delere peccati: si penam noluerit servare supplicii. Concordiam conferre unanimitatis: et pacem tempori largiri presenti. In te efficere charitate connexos: et a mundi scandalis te propugnante remotos.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est: omnipotens Pater nos tibi ingentes agere gratias: pro multiplici Apostolorum Petri et Pauli gloria: quam eis per diversas munerum distributiones larga satis pietate donasti. Quos et unigeniti tui discipulos: et gentium fecisti esse magistros. Qui ob Evangelii predicationem cum celorum preficiantur in regnis: carcerum clauduntur angustiis. Potestatem accipiunt peccata solvendi: et ferri vinculis alligantur. Sanitatem donant: et egritudines portant. Demonibus imperant: et ab hominibus flagellantur. Mortes fugant: et [f] fugiunt persequentes. Super mare ambulant: et in

[a] *Recessu.* Lege *recessus.*
[b] *Natura.* Lege *naturæ.*
[c] *Utero.* Forte, *vitio.*
[d] *Possit.* Adde *docere.*
[e] *Pareant.* Lege *appareant.*
[f] *Fugiunt persequentes.* Tertullianus, integro libro de Fuga in persecutione, contendit, cum Montanistis, ad quos defecerat, in persecutione fugiendum non esse; præceptum Domini; *Cum autem persequentur vos in ista civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x, 23) eludit, dicendo temporaneum esse, nec ad omnes pertinere, apostolis tantum datum esse, et pro eo tempore quo in Judæa prædicaturi erant. At Christus Dominus non solum verbo, sed suo exemplo ostendit fugiendum esse in persecutione; quod et apostoli aliique plures fortissimi martyres et sapientissimi episcopi præstiterunt, et Ecclesia, quamvis expresse, conciliorum decretis, non sanciverit fugiendum esse in persecutione, ad hoc enim satis erat præceptum Christi, tamen non semel prohibuit ne fideles se sponte persecutoribus objicerent, et eos qui fidei causa fugientes, fame, frigore, procella maris, aut feris perierant, inter confessores et martyres recensebat. Nam, inquit sanctus Cyprianus (*Epist.* 6), de iis qui in fuga mortui erant loquens: *Non minor est martyrii gloria non publice et inter multos periisse, cum pereundi causa sit propter Christum perire.* Præceptum vero Christi temporale non esse docent sanctus Athanasius (*Apol. pro fuga*), sanctus Augustinus (*Epist.* 580), sanctus Cyprianus (55, *et lib. de lapsis*), et sanctus Petrus Chrysologus, qui (*Serm.* 151), de Christi fuga in Ægyptum agens, paucis complexus est quid in his circumstantiis agendum sit: *Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persequentem, ut et persecutori indulgeat tempus resipiscendi, et sibi non auferat tempus supplicandi.* Et infra: *Persecutorem qui provocat facit, corrigit qui declinat; fugere ergo debemus, provocare non debemus.*

labore desudant. [a] Montes verbo transferunt: et propriis victum manibus querunt. Judicaturi Angelos: in questionem mittuntur. Cum Deo vivunt: in mundo periclitantur. Postremo Christus eis serviens pedes lavat: et facies eorum blasfemantium manus alapis collaphizat. Nihil sustinentibus pene defuit ad tolerantiam: nihil superantibus victorie non adfuit ad coronam. Si recurramus: quot ad testificandam fidei veritatem erumnarum pertulerint in tormentis frequenter suis: superfuere Martyribus. Si in mirabilibus: hoc per Christum fecere: quod Christus. Si in passionibus: hoc sustinuerunt illi necessitate mortali: quod ille voluntate moriendi. Isti ejus viribus: ille suis. Probantes doctrine auctoritatem similitudine: non equalitate doctoris. Implevit Petrus suo tempore: quod promiserat ante tempus. Posuit animam suam pro illo: quem se non crediderat negaturum. Quia ad ardue sponsionis celeritatem nimia charitate preventus non intellexit servum pro Domino dare non posse: quod pro servo ante Dominus non dedisset. Similiter non renuit crucifigi: sed equaliter non presumpsit appendi. Obiit ille rectus: iste subjectus. Ille ut majestatem ascendentis sublimitate proferret: iste ut fragilitatem descendentis humilitate monstraret. Nec Paulus affectu minor meminit: quem sibi arrogaverat dicens: Mihi vivere Christus est: et mori lucrum. Gaudet insanientis ictibus percussoris: domitas jugo Christo offerre cervices: et pro corporis sui capite: dare corporis sui caput. Diviserunt sibi passionis Dominice vestimentum duo milites Dei: unus in patibulo: alter in gladio. Petrus in transfixione: Paulus in sanguine. His igitur dispari mortis genere: non dispari moriendi amore perfunctis. Exultet in eorum doctrinis Ecclesia Catholica: in exequiis religiositas universa: in memoriis Urbs Romana: in patrociniis omnis anima christiana. Hec autem omnia tu Domine operaris: qui a Prophetis demonstraris: ab Angelis adoraris: et in omni seculo Apostolorum lumine declararis. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie ita dicentes.

℟. Sanctus.

Post Sanctus. Osanna in excelsis: idem excelse in excelsis. Idem humilis in terrenis Christe Fili Dei. Qui nebulosa [b] magice artis in Symonis presumptione prestigia: Apostolice concertationis veritate prodita destruxisti. Quem frustra celorum ascensum aeris molitionibus appetentem: decepta

[a] *Montes.* Apostolos Petrum aut Paulum montes verbo transtulisse alibi non legi.

[b] *Nebulosa.* Sanctum Petrum Romam profectum esse *ad expugnandum Simonem Magum* scribit sanctus Hieronymus (*De Vir. illustr. cap.*, 1). Idem tradit Eusebius (*Hist. Eccl. l.* II, *c.* 14). Simonem vero in aera, spectante populo, elatum fuisse, indeque, orante sancto Petro, fugatis dæmonibus, delapsum esse, testantur e Latinis Lucifer Calaritanus, aliique legati Liberii pontificis ad Eusebium Vercellensem scribentes (*Apud Baron.*, *ad ann.* 355, *n.* 8). Sanctus Ambrosius (*Hexam. lib.* IV, *cap.* 8, *num.* 33, *Ed. Maur.*), Philastrius (*De Hær.*, *cap.* 29), sanctus Augustinus (*De Hæres.*, *Op. t.* VIII, *col.* 6, *et epist.* 16, *ad Casulanum*, *n.* 21), e Græcis auctor Constitutionum apostolicarum (*Lib.* VI, *cap.* 9), sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Cat.* 6, *n.* 15), Theodoretus (*Hær. Fab. l.* I, *hær.* 1), aliique plures, inter quos sanctus Isidorus, in Chronico: *Hujus, Neronis, temporibus, Simon Magus cum altercationem proposuisset cum Petro et Paulo apostolis, dicens se quamdam virtutem esse Dei magnam, medio die, dum ad Patrem volare promittit in cælum, a dæmonibus a quibus ferebatur in aere, adjurante eos Petro per Deum, Paulo vero orante, demissus crepuit.* Aliqui hic cum Simone Mago concertationi interfuisse utrumque apostolum Petrum et Paulum scribunt. Ita sanctus Isidorus, sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, Sulpicius Severus (*Hist. eccl. l.* II, *c.* 24) et hoc loco Missale nostrum. Alii de sancto Petro solummodo loquuntur. Sic Orationale Gothicum (*Pag.* 124, *orat.* 4), et verbatim in Breviario Mozarabum legitur: *Domine Jesu Christe, qui adversas potestates per summos apostolos tuos Petrum ac Paulum destruis et disturbas, ut prædicationi veritatis apostolico ore depromptæ, nec nequitia malorum, nec versutia possit obviare magorum, dum Simonem Magum Petrus dejicit, et Elimam Paulus cæcitate percussit, adesto nobis*, etc. Sic sanctus Ambrosius, sanctus Augustinus, et Theodoretus (*Hær. Fabul. lib.* I *hær.* 1), cum dixisset sanctum Petrum Romam usque Simonem Magum insecutum esse, ac *fraudis eum pennis nudasse*, subdit: *Videntibus Romanis, magna illum ex altitudine precibus suis deturbavit, spectatoresque miraculi ad salutem perduxit.* Aliqui de Mago Simone loquuntur ac si continuo in terram decidens perierit. Sic Isidorus Pelusiota (*Lib.* I, *epist.* 13) *stupendum illum* ac celeberrimum Simonis interitum, lapsum ejus appellat; et Sulpicius Severus citatus: *In terram delapsus populo inspectante disruptus est.* Alii non statim post lapsum mortuum esse Simonem prodiderunt. Omnes tamen fatentur causam mortis ejus exstitisse lapsum ex aere, et hæ circumstantiæ non obstant quominus narratio vera sit. Quod autem scribunt recentiores critici, hanc narrationem e scriptoribus sublestæ fidei haustam esse, et de ea Irenæum, Tertullianum, Eusebium, Justinum silere, non ejus momenti sunt quæ rem, mirabilem quidem, sed tot præstantissimorum scriptorum auctoritate testatam, dubiam reddere queant. Nam hi antiqui non omnia dixerunt, et quædam quibusdam in libris quæ ad nos non pervenerunt tradiderunt, quæ in aliis libris prætermissa sunt. Esto autem in libris quibusdam apocryphis de volatu et lapsu Simonis fuse tractatum sit, non inde sequitur verum non esse Simonem a dæmone raptum esse, et, precibus apostolorum pulso dæmone, nequam hominem in terram dilapsum. Nam etiam scriptores isti nonnunquam vera narrant, neque hæc historia illorum auctoritate nititur, sed aliorum et probæ fidei scriptorum, qui de lapsu et volatu Simonis non tanquam de re obscura aut ab incertis auctoribus tradita loquuntur, sed tanquam de certa et omnibus probe nota, cum et *illustrem illam* adversus Simonem *congressionem*, aut *stupendum illum et celeberrimum Simonis obitum*, commemorant, nec quisquam antiquorum est qui lapsum Simonis Magi tanquam fabulam rejecerit. At, inquiunt (*Coteler.*, *ad cap.* 9 *lib.* VI *Const. apost.*), sanctus Augustinus (*Epist.* 31, *alias* 86, *ad Casulanum*) asserit plerosque Romanorum dicere falsum esse quod de certamine sancti Petri cum Simone Mago traditur, quamvis contraria sit plurimorum opinio. Sed revera diversa est omnino mens sancti Augustini, ut epistolam citatam, n. 21, legenti patebit. Tradit quidem sanctus doctor Romanorum alios asserere, alios negare morem suum, jejunandi die Sabbati, cœpisse initium ab eo jejunio quod cum Simone Mago die Dominica certaturus, sanctus Petrus pridie toti Ecclesiæ Romanæ indixerat; at nullibi asserit quemlibet Romanorum certamen sancti Petri cum Simone Mago falsum fictitiumve, putare.

guine unigeniti filii tui libantes : consecutos nos gaudeamus spiritus unctionem internam : et misericordiam copiosam. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus qui peccatores sine merito salvas : et justos ex gratia precedente glorificas : quique Adrianum ex infidelitate revocasti ad fidem : et Nataliam obsequiali coronasti ex munere : nostris quesumus in eorum festo et iniquitatibus parce et spirituali nos ardore succende. Quo spiritualiter accensi in intimis ad te proclamemus e terris. Pater noster.

Si istud festum evenerit in tempore Resurrectionis dicat Presb. Vicit leo. *Tribus vicibus. Quere fo.* 198. *Postea dicat.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus respiciat vota vestra: qui Adrianum martyrii palma : et Nataliam obsequendi glorificavit ex gratia. ℟. Amen. Illorum quoque vos suffragio tueamini : quorum plagis Natalia famulatus sui dependit obsequio. ℟. Amen. Ut in presentis diei solennitate orantes : et hic et in futuro eorum gaudii mereamini esse participes. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Si venerit istud festum in tempore Resurrectionis dicat Chorus. Gaudete populi.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in vigilia Resurrectionis. fo.* 193.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui es vita. *Quere in festo Sanctorum Juliani et Basilisse. fo.* 287. *Et ubi dicitur* Sanctorum Juliani et Basilisse *dicatur* Sanctorum Adriani atque Natalie.

Marci et Marcelliani Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

Gervasii et Prothasii Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

Florentie Virginis :
Omnia dicantur unius Virginis. fo. 436.

Silvestri Pape et Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fo. 421.

Consortie Virginis cum XI. millium Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 430.

[a] *In Dominico pro adventu Sancti Johannis ad Missam. Officium.* Dominus regnavit. *Quere in Dominico post Epiphan. fo.* 64. *Dicat Presb.* Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. [b] *Dicat Presb.* Gloria. Benedictus Dominus Deus Israel. *Et Chorus cantet omnia alia usque in finem cantici sine* Gloria.

Oratio. Domine Deus qui adventum unigeniti filii tui : Johannem puerum precurrere voluisti : ut missus a te viam Christo [c] incredulorum cordibus prepararet : et sanando contribulatos corde : et cecis restituendo luminis claritatem. Suffragio ejus et cecitatem cordis nostri inlumina : et tribulationes cordium nostrorum in eternum gaudium muta : ut qui in nativitate unigeniti filii tui gaudio Christiano attollimur : in adventu judicii ejus : nullis penarum vinculis contristemur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaye Prophete ([d] *Cap. XL*).

℟. Deo gratias.

Consolamini consolamini popule meus : dicit Dominus Deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem : et vocate eam : quoniam completa est malicia ejus : dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto : parate viam Domino : rectas facite semitas Dei nostri **328** in solitudine. Omnis vallis exaltabitur : et omnis mons : et collis humiliabitur. Et erunt prava in directa : et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini : et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Vox dicentis clama : et dixi. Quid clamabo? Omnis caro fenum : et omnis gloria ejus quasi flos agri. Et siccatum est fenum et cecidit flos. Verbum autem Domini Dei nostri stabit in eternum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Psallendo.* Expectabam [f] Deum : qui me salvum fecit [g] a defectione et tempestate. [h] ℣. Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine. *P.* A defectione.

Dicat Presbyter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Ephesios ([i] *Cap. IIII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Obsecro vos ego vinctus in Domino : ut digne ambuletis vocatione : qua vocati estis. Cum omni humilitate et mansuetudine. Cum patientia supportantes invicem : in charitate soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus : et unus spiritus : sicut et vos vocati estis in una spe vocationis vestre. Unus Deus : una fides : unum baptismum. Unus Deus pater omnium qui super omnes est : et per omnia et in omnibus [j] vobis. Unicuique autem [k] vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi in qua ipsi vocati estis. Propter quod dixit. Ascendens in altum captivam duxit captivitatem : dedit dona hominibus. Quod autem ascendit : quid est nisi quia et descendit primum in

[a] *In Dominico.* Ita etiam Breviario Mozarabum inscribitur; appellatur etiam *Dominica Adventus sancti Joannis Baptistæ*, de qua nihil in Orationali Gothico.

[b] *Dicat.* Galli canticum *Benedictus*, quod *prophetiam* vocabant, in omni ferme missa cantabant; idem, ut puto, a Gotho-Hispanis fiebat; at Mozarabes, cum, brevitatis studio, ab aliis missis canticum *Benedictus* sustulissent, loco hymni *Gloria in excelsis* illud cantari voluerunt in missa hujus Dominicæ, quam Dominicam Adventus sancti Joannis Baptistæ appellarunt.

[c] *Incredulorum.* Lege *in incredulorum.*

[d] *Cap. XL.* Vers. 1-9.

[e] *Psallendo.* Ps. LIV, 8.

[f] *Deum.* Vulg., *eum.* Psalt. Mozar., *Dominum.*

[g] *A defectione et tempestate.* Vulg., *a pusillanimitate spiritus.* Psalt. Moz., *a pusillo animo et tempestate.*

[h] ℣. Ps. LIV, 8.

[i] *Cap. IV.* Vers. 1-14.

[j] *Vobis.* Vulg., *et in omnibus vobis.*

[k] *Vestrum.* Vulg., *vostrum.*

inferiores partes terre. Qui descendit ipse est : et qui ascendit super omnes celos : ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos : quosdam autem Prophetas : alios vero Evangelistas : alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus mysterii in edificationem corporis Christi. Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionem filii Dei : in virum perfectum in mensuram etatis plenitudinis Christi. ℟. Amen.

Evangelium. Initium sancti Evangelii Jesu Christi filii Dei. *Quere in Dominica sexta Adventus Domini. fo.* 19. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Laudem Domini loquetur os meum : et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Vox clamantis in eremo : parate viam Domino : rectas facite semitas Dei nostri alleluja alleluja. ℣. Alleluja. Spiritus Domini super me : propter quod unxit me evangelizare hominibus : misit me sanare contribulatos corde : predicare captivis redemptionem : et cecis lumen reddere dicens. *P.* Parate viam Domino.

Missa. Universitatis potentissimum Creatorem fratres charissimi congregati solenniter adoremus : et predestinati populi benignissimum patrem : coram ipso humiliati salubriter invocemus. Ut pro malis sicut [c] Sol : et bona retribuat : et fideles suos in quacumque die tribulantur : exaudiat. Neque permittat innocentes sub calumniis laborare : sed dignetur universos evadere. Donec Regibus fidelibus cum mansuetudine et veritate justiciam largiatur : populis tranquillitate concordiam. Servientes sibi Dominus sine iracundia dominari conveniet : ut vicissim servos ad obediendum sine murmuratione compellat. Exoretur etiam divites non amare divitias perituras : ut per bona opera delectentur acquirere sempiterna. Ipse pauperes pascat : ipse nudos vestiat : ipse non habentes auxilio protegat. De conclusione captivitatis exules revocet. Et de domo carceris suspirantes in vinculis liberet. Sit pupillis quotidianus adjutor : sit benignus et misericors : viduarum lachrymantium consolator. Beneficia pluviarum consueta non auferat : ut inebriata terra pinguescat. Faciat nos in oratione promptissime vigilare : et hoc sacrificium in remissionem peccatorum [d] frequenter offerre. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui presentium hominum vitam agnoscis : diversarum necessitatum passionibus subjacere : exaudi desideria supplicantium : suscipe vota credentium. Sacerdotum auge salutem ; ut cordis auferat morbos : aut corporis manus medica dolorem mestique pestem pellat egroti. Si judicis aut ira vexat : mitiga tu ira perditum : libera tu ira subjectum. **329** Si ad litem publicam discordes funesta intentio vocat : dissidentium animos pax amica preveniat. Si terreni itineris subeunda vexatio est : Angelum sanctum decerne custodem. Abigat demones : predam bestie : errorem vie : casum fovee : insidias furis : vim latronis. Si adire maria navigaturus fidelis exoptat : tu in invisibilis gubernatoris beneficio sentiendo ingredere. Ut nec mentem in peccatum cupiditas lucro precipitata demergat : nec navem in profundum tempestas vento exagitata dissolvat. Tunc enim felicem substantia pensavit questum : si innocentia non fuerit passa naufragium. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Precamur Domine sancte Pater omnipotens Deus : qui omnium corda perscrutaris : et vota perpendis : ut non solum pro dictis petitionibus : verum etiam occultis desideriis nostris : benignus faveas : et adesse digneris. Ad quecumque enim poscenda concurrimus : universa priusquam loquamur intelligis. Offerimus itaque obsecrationes nostras pro egestate inopum : pro laboribus pupillorum : pro injuria vinctorum : pro securitate viantium : pro consolatione et requie fidelium defunctorum : et pro his qui sulcandum navibus equor arripiunt : ut reddantur in adversa securi. Febres omnes passionesque languentium excludantur : neque in aliquos immundi spiritus tentatio potestatem accipiat : sed cunctis celesti protectione defensis : oblatio subveniat tui altaris. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui dum sublimia deitatis ascendis : observare nos pacem auctoritate Evangelica precipis : da nobis placidus pacem tuam : ut discordie prona fugiamus : et per pacis bonum celorum ardua conscendamus. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine Deus noster : qui labantem animam et antiquo ulceris dolore confectam : non solum ad amissam revocas dignitatem : et in pristino nitore [e] restauras : sed etiam in partem glorie celestis admittis donando culpam prevaricationis : et remittendo perpetue injuriam mortis. Quod ut ista prestares, non te nostre pravitatis officiositas : sed illa ingenita bonitatis consuetudo commovit. Tu igitur vinctum afflictumque hominem captivitate depulsa : libertati donasti : et obnoxium lege moriendi vicario munere redemisti. Mittendo unicum filium tuum Dominum nostrum : qui compensatione commercii : dum nos

[a] *Lauda.* Ps. CXLV, 2.

[b] *Sacrificium.* Isaiæ XL, 3. ℣. Lucæ IV, 18.

[c] *Sol : et.* Lege *sicut solet.*

[d] *Frequenter offerre.* Sacrificium in aliquibus Ecclesiis minus frequenter, in aliis magis frequenter offerebatur ; in Hispania quotidie privatim, publice vero diebus Dominicis, festivis, feria item quarta et sexta, offerri mos erat.

[e] *Restauras.* Huc refer illud sancti Chrysostomi (*Cateches.* 1, *ad illum., Oper. Ed. Maur. t. II, pag.* 215). Cum docuisset baptismo omnia remitti peccata, sibi opponit : *Ob quam causam, inquis, si lavacrum nobis omnia peccata dimittit, non dicitur lavacrum remissionis peccatorum, nec lavacrum purificationis, sed lavacrum regenerationis?* Et respondet : *Quia non simpliciter a nobis peccata aufert, neque nos simpliciter mundat a delictis, sed ita puros efficit, plane ut generatos denuo; nos enim baptisma denuo condit et conficit.* Et paulo infra : *Neque enim nos simpliciter purgat, sed integrum de novo conflat.*

liberare contendit : sanguinem fudit. Ita celestis dignitas dum nos indignos prospicit : contumeliis addita subjacuit : omnique se injurie subdidit : dummodo hominem quem in nascendo susceperat : moriendo servaret. Per quem te quesumus et rogamus : ut intendas super hec munerum sincera libamina : que in hoc altare tuum sacrificiorum more detulimus. Ut in conspectu tuo offerentium vota custodias : et verus Sacerdos veram hostiam meritis celestibus benedicas : ac de istis temporalibus cibi inmortalitatis sacramenta componas : que sue suavitatis gratia infirmitates corporum : et languores compescant animarum : per ipsum quem tecum et cum Spiritu Sancto in unitate Deitatis : omnes Angeli et Archangeli non cessant conlaudare : ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : atque in excelsis mirabilis Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Per quem tibi Deus Pater omnipotens famulantes offerimus sacrificium laudis : et simplicem devotionem nostri cordis. Non enim hic horrido mugitu pecudum : tristis hostia taurus occiditur : aut hircus de gregibus immolatur : sed hostia quam verus Dominus et Sacerdos instituit omnipotens. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Altare tuum Domine manus tue consecratione sanctifica : teque ipsum mentibus nostris leticie et gratie resurrectionis spe ostende. Omnibus tibi servientibus vota que acceptare digneris : inspirando largire : populum tuum placabilis respice : atque ad partem gratie salutaris admitte. Confitentibus parce. Letantibus fave : ac tristes per indulgentiam consolare. ℟. *Chorus.* Amen.

330 *Ad orationem Dominicam.*

Orationem dicturi Dominicam fratres charissimi nihil nostris mentibus cogitatio terrena subripiat : nihilque turpe vel lubricum horrende vanitatis occurrat. Sed penitentes de preteritis : et petentes veniam de futuris cum timore : et fiducia clamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedictionis Domini gratia semper vos protegat : et ab omni malo defendat. ℟. Amen.

A Mundet vos Dominus ab omni crimine peccatorum : et sibimet placere faciat in eternum. ℟. Amen. Ubique vobis Dominus placatus occurrat : et sue benedictionis opem dignanter attribuat. ℟ Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* Gustate.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis Christi. fo.* 267.

Oratio. Credimus Domine Jesu : quod precursor tuus Johannes : quod prophete in enigmate prophetaverunt : ipse digito ostendit dicens. Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit peccatum mundi : proinde quesumus et rogamus : ut qui primi adventus tui venturum tempus predicavit : in secundi adventus tui tempore dum judicare veneris vivos et mortuos : nos

B ad dexteram tuam coronandos [a] statuas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

[b] NATIVITAS SANCTI JOHANNIS BAPTISTE.

Ad Missam. [c] *Officium.*

Angelus Domini dixit Zacharie : alleluja. Ecce Elisabeth in utero concipiet : alleluja : et pariet filium : et nomen ejus Johannes vocabitur : alleluja : alleluja. ℣. Tu puer propheta altissimi vocaberis : preibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. *P.* Et pariet. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Et pariet.

C *Dicat Presb.* Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. Gloria in excelsis.

Oratio. Deus qui nos in Nativitate precursoris tui Johannis voluisti gaudere : fac nos plenum gaudium a te in futura examinatione percipere. Ut meritis ejus qui adventum tuum in spiritu et virtute Helie precessisse cognoscitur : et hic et in eternum gaudiis conletemur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio Hieremie Prophete. ([d] *Cap. I*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Priusquam te formarem in utero : novi te : et antequam exires de vulva sancti-

[a] *Statuas.* Lege *statuat.*

[b] *Nativitas.* Die vigesima quarta Junii, in tabulis ecclesiasticis tam Græcorum quam Latinorum festivitas Nativitatis sancti Joannis Baptistæ signatur (*Menol. Basil.*, *Menæa*, *Martyrologia Hieronymiana vetustissima, quibus accedunt Bedæ*, *Adonis*, *Notkeri*, *Usuardi*, *etc.*). Eadem in libris liturgicis celebratur, officium et missam propriam habet in Missali et Breviario Mozarabum. In Orationali Gothico (*Pag.* 120) plures sunt orationes *de nativitate sancti Joannis Baptistæ* dicendæ VIII *Kal. Jul.* De eadem agunt libri Gallicani, Sacramentarium Bobianum, Missale Gallo-Gothicum, et Lectionarium Luxoviense, vetustissima etiam Sacramentaria Romana sancti Leonis, sancti Gelasii, et sancti Gregorii, VIII *Kal. Jul.* Eamdem demum Ecclesia Mediolanensis, ut ex Lectionario Ambrosiano Thomasii, et Africana, ut ex Kalendario Carthaginensi Mabillonii, et ex sermonibus sancti Augustini habemus, die VIII *Kal. Jul.* celebrabant. In

D Sacramentariis Gelasiano et Gregoriano, in Lectionario Ambrosiano Thomasii, in vetustis Capitularibus Evangeliorum, et in quibusdam Martyrologiis huic festivitati vigilia præmittitur, de qua in Missali nostro, et in Orationali Gothico, et in libris Gallicanis, nulla fit mentio; tamen in Ecclesia Turonensi celebrabatur, ut scribit sanctus Gregorius (*Hist. Franc. lib.* X, *cap.* 31), ubi etiam Nativitas sancti Joannis Baptistæ antecedebat *natale sancti Petri episcopatus*, sive festum *Cathedræ sancti Petri*, et natale Passionis sancti Joannis Baptistæ, festum apostolorum Petri et Pauli; adeo verum est ista omnia episcoporum arbitrium et Ecclesiarum commodum moderari consuevisse.

[c] *Officium.* Lucæ I, 13. ℣. Ibid. 76.

[d] *Cap. I.* Vers. 5-11. Deinde vers. 7 ad finem capitis. In Lectionario Luxoviensi legitur ex Isaiæ XL, 1-11. In Sacramentario Bobiano legitur ex Jeremia XIX, 7-15, pluribus omissis.

ficavi te : et prophetam in gentibus dedi te : et dixi. a. a. a. Domine Deus ecce nescio loqui : quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me. Noli dicere : quia puer ego sum. Quoniam ad omnia que mittam te ibis : et universa quecumque mandavero tibi : loqueris. Ne timeas a facie eorum : quia tecum ego sum : et eruam te dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam ad me : et tetigit os meum. Et dixit Dominus ad me. Ecce dedi verba mea in ore tuo : et constitui te hodie super gentes et super regna : ut evellas : et destruas : et disperdas : et dissipes : et edifices : et plantes. Tu ergo accinge lumbos tuos : et surge : et loquere ad eos omnia : que ego precipio tibi. Ne formides a facie eorum. Nec enim timere faciam vultum illorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam : et in columnam ferream : et in murum ereum super omnem terram regibus Juda : principibus ejus : et sacerdotibus ejus : et populo terre. Et [a] velabunt adversum te : et non prevalebunt : quia tecum ego sum : ait Dominus : ut liberem te. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et

[b] *Psallendo.* Tu es Domine qui eduxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris mee. ℣. In te jactatus sum ex utero : de ventre matris mee tu es Deus meus : in te est decantatio mea. *P.* Spes mea. ℣. Repleatur os meum Deus laude tua : ut possim cantare gloriam tuam.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Galathas ([c] *Cap. I*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Notum vobis facio Evangelium : quod evangelizatum est a me : quia non est secundum hominem : neque enim ab homine accepi illud : neque didici : **331** sed per revelationem Jesu Christi. Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo : quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei : et expugnabam illam : et proficiebam in Judaismo supra multos coetaneos in genere meo. Abundantius emulator existens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei : qui me segregavit de utero matris mee : et vocavit me per gratiam suam : ut revelaret filium suum in me : et evangelizarem illum in gentibus : continuo non acquievi carni et sanguini. Neque veni in Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos : sed abii in Arabiam : et iterum reversus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum : et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem : nisi Jacobum fratrem Domini. Que autem scribo vobis ecce coram Deo :

A quia non mentior. Deinde veni in partes Syrie et Cilicie. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judee : que erant in Christo. Tantum autem auditum habebant : quoniam qui persequebantur nos aliquando : nunc evangelizant fidem : quam aliquando expugnabant : et in me clarificabant Deum. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([d] *Ca. I*).

In illis diebus. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi : et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus : quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa : et congratulabantur ei. Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum : et vocabant eum nomine patris ejus Zachariam. Et respondens mater ejus dixit. Nequaquam : sed vocabitur Johannes. Et dixerunt ad illam. B Quia nemo est in cognatione tua : qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus : quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem : scripsit dicens : Johannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem confestim os ejus : et lingua ejus : et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum : et super omnia montana Judee divulgabantur omnia verba hec. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo : dicentes. Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu Sancto : et prophetavit dicens. Benedictus Dominus Deus Israel : quia visitavit et fecit redemptionem plebis sue. Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui : sicut C locutus est per os Sanctorum qui a seculo sunt prophetarum ejus. Puer autem crescebat et confortabatur spiritu : et erat in deserto usque in diem ostensionis sue ad Israel. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluja. [e] ℟. Suavis sit Deo laudatio mea. Ego vero delectabor in Domino. *P.* Alleluja.

[f] *Sacrificium.* Sacerdos Zacharias fuit de vice Abia : et uxor illi de filiabus Aaron : erant enim justi ambo ante Deum : incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela : alleluja : alleluja. ℣. Apparuit Zacharie Angelus Domini stans a dextris altaris : dicens : ne timeas Zacharia : quoniam exaudita est deprecatio tua : et D uxor tua Elisabeth pariet tibi filium : et vocabis nomen ejus Johannem : et erit tibi gaudium et exultatio : et multi in nativitate ejus gaudebunt : et erit magnus coram Domino. *P.* Sine querela : alleluja.

Missa. Expectationi nostre fratres charissimi Dominus Deus noster gaudia desiderata restituens :

[a] *Velabunt.* Lege *bellabunt.*

[b] *Psallendo.* Psal. XXI, 10. ℣. Ibid., 11. *Jactatus sum.* Ita in Italica Thomasii. Vulgata legit *projectus sum.* ℣. Ps. LXX, 8.

[c] *Cap. I.* Vers. 11, ad finem capitis. In Luxoviensi Epistola legitur ex Actibus apostolorum, XIII, 16-43. In Bobiano ex Epistola ad Philippenses, IV, 4-10.

[d] *Cap. I.* Vers. 57, ad finem capitis, omissis decem integris versiculis. a 70 ad 80. In Luxoviensi legitur ex Lucæ I, 5 25 ; deinde, 39-47 ; deinde, 57-67 ; demum, *Benedictus Dominus Deus Israel*, et mox, *Puer autem crescebat*, etc., qui est ultimus versus cap. 1, idem Evangelium legitur in Sacramentario Bobiano.

[e] Ps. CIII, 34.

[f] *Sacrificium.* Ex Evang. sancti Lucæ I, 5, 6. ℣. Ibid., 11, 13, 14, 15.

natalem nobis precursoris sui Johannis : verum lumen lucerne preeuntis invexit. Cum festivitate reciprocantium etiam temporum ipsorum vernante leticia · qua se nobiscum in gaudio omnis creatura adventum Domini auditura diffudit. Et qui ad nativitatem precursoris sui Johannis annua nos festivitate revocavit : ad suum quoque natale cum profectu totius Ecclesie : et defectu nequicie spiritualis : simili dignatione nos provocet Et qui tanti prophete ortum prius nobis dignatus est nomine manifestare : quam luce : et ante ostendere electionis ejus : quam conceptionis initium : supplicibus tribuat servulis adimplere predicationis ipsius sacratissimum verbum. Quia scilicet preco mirabilis preparandus ac previus prius ab eo preconium laudis : quam viam accipere meruit vocis. Atque ut ante ortum ab eo ostenderetur laudandus : quem post ortum ipse ostenderet [a] laudaturum. Precamur ergo corde prostrato et affectu humiliationis devoto : **332** ut aperiat nobis Dominus noster quicquid in cordibus nostris infidelitas claudit : quicquid promissionum ejus gratiam obscuritas lubrici timoris intercipit : et concedat ut natale Angeli sui ante faciem suam missi : os nostrum repleat confessione : cor nostrum roboret fide : cursum nostrum dirigat voce : [b] contentum mortis instruat veritate : agnitionisque innocentiam populo suo ipse impetret : qui eum agnum Dei in populorum expectatione monstravit. Sit ejus laus in ore nostro : ut qui votis solemnia solvimus : verbi munera capiamus. ℟. *Chorus.* Amen.

Alia Oratio. Inter laudes tuas : et preces nostras omnipotens Deus : interest hodie beatissimi Johannis prestantissima in gaudiis populorum ordinata nativitas. In qua nobis multiplicis gratie tue dona venerantibus : dum in preconium vocatur ille : qui prestitit suffragium : queritur ille : qui meruit. Qui nobis naturarum omnium creatorem : necdum natus ostendit : ut expers vite sue fieret testis glorie tue. Haberetque prius cognitum lucis Dominum : quam communis luminis usum. Qui in illis coagulati corporis rudimentis : materni uteri lege vivescens : vocem Dominice matris salutantis exciperet : et quod a ministerio devotionis exiliens : motu exultanti responderet : qui ad opus Evangelii nasciturus : matrem de officio necdum editus commoveret. Qui predicaturus penitentiam : paterne diffidentie errorem intercepte vocis dispendio castigaret : et dubie mentis incredulitatem prophetatus clauderet : cum venture salutis fidem prophetaturus aperiret. In hujus ergo Domine natalicii diei solemnitate gaudentes : pacificas sacrificiorum tibi hostias immolamus : ut Sacerdotalis officii functionem sancti Angeli visitatione dignatus accepies : faciasque promissa nos credere : credita predicare : predicata non perdere.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Christe Jesu qui virginali nasciturus de utero precursorem tuum Johannem senili fecisti exoriri ex alvo : quem lucernam ardentem tuo constituisti in templo : fac nos lucere in Ecclesia tua ardore fidei : et instructione docendi. Charitatis opere : et humilitatis perfectione. Orationis studio : et castimonie documento. Sicque nunc has oblationes offerentis populi fidelis accepta : ut cunctis congrua largiaris remedia. Per eum et spiritale gaudium vivis : et penarum evasionem conferendo defunctis : per quem tibi in cordibus incredulorum : et via est preparata : et indulte gratie primordia sunt ostensa. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui nobis per prophetiam precursoris tui Johannis obumbrantium significationum figuras : aperta veritatis tue manifestatione monstrasti : tribue nobis intelligentie lumen : et pacis perpetue charitatem. Ut gratia succedente pro gratia : sic gloriemur in [c] nobis : ut in charitatis unitate constituti : non abutamur antiquis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : omnipotens Pater : nos tibi gratias agere. Qui humane salutis ita ex prima conditione : sicut ex secunda reparatione sollicitus : ne inopinatos nos causa tanti muneris inveniret : ad manifestandum filii tui adventum electissimum Johannem nuncium destinasti. Qui nos de mirabilibus ejus : ipse jam per eum ex nativitate sua mirabilis commoneret : et magnitudinem sequentium rerum rudes adhuc populos credere sui ostensione consuesceret. Nunciaturus Christum : per Angelum nunciatur. Predicaturus in populo : predicatur in templo. Ante notus honore : quam tempore. Sic actum est tue dispensationis effectu : ut qui parentibus in incensi est oblatione promissus : gentibus in agnitione luminis sit premissus. Precursurus Verbum : silentium ponit incredulis : et ante processum vite sue : futura infidelitatis damna : muta patris voce loquebatur. Utique ut qui persuasione veteri loquebatur : paterne traditionis obstructum in meliorem Evangelii doctrinam fidelium linguam : nomen novi heredis absolveret. Ecce exultat in utero : ut **333** in parentis visceribus native gentis pectora venturi regis predicatione concuteret. Erumpit in gaudio : ut desperate promissionis taciturnitas filii veritate convicta : in testimonium suscepti muneris exclamaret. Prophetat in spiritu : testificatur in Evangelio. Ministrat in Baptismo. Docet in populo. Degit in heremo. Proficit in deserto. Parat vie viam [d] venturum. Nunciat per quem venit : et priorem sibi quem secuturum diceret non tacebat. Erat speculum luminis. Initium baptismatis. Testimonium veritatis. Ut in plenitudine Christi signorum rem post rei signa monstraret. Nuncius salutis. Emulus passionis. Servit propheta baptismo. Baptista martyrio. Ut Christum Dei Filium pro mundi redemptione venturum : quem adnunciare se predicatione sermonis ostenderet : amare se effusione sanguinis

[a] *Laudaturum.* Lege *laudatum.*
[b] *Contentum.* Lege *contemptum.*
[c] *Nobis.* Lege *novis.*
[d] *Venturum.* Fortasse, *venturæ.*

comprobaret. Unde merito celi celorumque virtutes cum Angelis et Archangelis : hymnum tibi laudis debite cum Seraphin exultant : ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus es Domine Deus omnipotens. Unitas distinctibilis : et distinctio inseparabilis. Unitas Trinitatis. Et Trinitas summe unitatis. Qui operibus tuis compatiens impassibilis : eo usque misericordiam porrigis : ut ad notescendum salutare tuum : premitteres Johannem puerum tuum previum vie : lucernam luminis : preconem judicis. Vocem Verbi : amicum sponsi. Unde nos pro tuis donis : ejusque bonis tibi litationis victimam offerentes : precamur : ut acceptabiliter eam adsumas : et dignatione consueta benedicas. Atque offerentes conformes ejus efficias : qui tibi in commemoratione Jesu Christi Filii tui Domini nostri : devota et prosternata servitute persolvimus. Per ipsum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Convaluisti : Domine Jesu Christe in gratia : et incredulis gentibus sedula testatione claruisti. Te annuncians beatissimus doctor ille Johannes : tam incomparabilis sanctitate : quam singularis magisterii assertor : fontem lavacri sitientibus dabat : sed esse venturum te procul dubio nunciabat. Ille descenderat aquis corpora purgaturus : tu sperabaris corpora redempturus. Ex hujus enim voce cognovimus : unigenitum te Dominum in corporis forma et carne conspicuum : de quo nobis dixit. Ecce agnus Dei : ecce qui tollit peccatum mundi. Hic enim : cui et nomen antequam conciperetur dedisti : quem et Spiritu Sancto priusquam nasceretur implesti : qui et sterilitatem matris conceptus abstersit : et patris linguam natus absolvit. Oramus ergo te Domine ut hanc oblationem nostram : respicere et benedicere digneris : sicut benedicere dignatus es munus Abel justi pueri tui.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Deus qui per beatissimum Johannem precursorem et Martyrem tuum : gentibus universis lumen baptismatis intulisti : ut infidelitatem populorum : quam vane observantie ritus intulerat : regeneratio celestis absolveret : presta ut intercessio tanti vatis que nobis est indulta per lavacrum pie conscientie : proficiat ad exemplum. Ut salutaribus edocti preceptis : sic dicere mereamur e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Benedictio. Dominus Jesus Christus qui in nativitate precursoris sui : tribuit multis gaudium magnum : det vobis devicta omni tentatione remissionem omnium peccatorum. ℟. Amen. Et eadem se presule virtus nunc resultet in voce supplicum : que prolato Johannis nomine : os quondam reseravit paternum. ℟. Amen. Ac sicuti eo nascente matri est attributa fecunditas : ita menti vestre : quo sibi fructificet : fidei imperciatur ubertas. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere* [a] *in festo Corporis Christi. fol.* 267.

[a] *In festo.* Die 29 Junii, tam apud Græcos (*Menol. Basil.*, *Menæa*, *Ephem. Græc.*, *Mosc.*, *Bolland. tom. I Maii*, etc.), quam apud Latinos, in Kalendariis, Martyrologiis, et in libris liturgicis, de festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli agitur. Kalendarium Bucherianum : III *Kal. Jul.*, *Petri in catacumbas, et Pauli Ostiense*, et adjicitur *Tusco et Basso cos.* At consulatus ille, qui in annum æræ vulgaris 258 cadit, ad diem passionis Apostolorum certe non pertinet, quare aut aliunde luxatus huc per errorem intrusus est, ut Bucherius opinatur, et est verisimillimum, aut appositus est ad annum indicandum quo tempore persecutionis Valeriani corpus sancti Petri e Vaticano in catacumbas translatum fuit, ut putavit Pearsonius (*Annal. Cypr.*, *ad an.* 258) ; cujus opinioni Antonius Pagius (*Crit. Baron.*, *ad an.* 258) adjecit translationem esse factam eodem die quo olim apostoli passi sunt : egregie, nisi quod meris conjecturis nituntur. Diem passionis sanctorum Petri et Pauli, quem Kalendarium Bucherianum distincte tradit, eumdem exhibent Fasti consulares a Joan. Georgio Eccardo (*Corp. hist. med. ævi, tom. I*) editi : NERONE CÆS. ET VETERE. *His consulibus passi sunt Petrus et Paulus* III *Kal. Jul.* Et catalogus pontificum sedente Liberio exaratus : *Passus est autem* Petrus *cum Paulo die* III *Kal. Jul.* Et excerpta e Fastis Cuspinianis (*Bolland.*, *tom. VII Jun.*, *part.* II, *pag.* 186 *seq.*) a Sollerio edita : NERONE II ET PISONE. *His consulibus passi sunt Petrus et Paulus Romæ*, III *Kal. Jul.* Et antiquus auctor, qui anno 396 scribebat, citatus ab Euthalio Sulcensi episcopo, in sua Editione Epistolarum sancti Pauli (*Apud Zacagn.*, *Coll. tom. I*, *p.* 535) testatur sanctum Paulum, sub Nerone, capite amputato, in urbe Roma martyrium fecisse anno a passione Christi 36, *quinta die mensis Panemi, secundum Syro-Macedones, quæ apud Ægyptios dicitur quinta mensis Ephiphi, apud Romanos vero* III *Kal. Julii.* Et ipse Euthalius (*Ibid.*) apud eumdem Zacag. (*Ibid.*, *pag.* 523) ait Romanos martyrium Apostoli solemni festivitate celebrare III *Kal. Julii, quæ est quinta Panemii mensis.* Et in Codice Lolliniano (*Ibid.*, *in not.*) habet : *II Kal. Julii, quæ est sexta mensis Loi*, qui Asiaticorum erat, et a die 24 incipiebat. Kalendarium Carthaginense, deficiente membrana, diem passionis apostolorum non exhibet; habet enim..... *Jul.*, *sanctorum.... apostolorum*, quibus indicat ambos eodem die passos esse. Jam vero Apographa Martyrologii Hieronymiani, pro quibus sufficiat Lucense Florentinii citasse : *III Kal. Jul.*, *Romæ, natalis Petri et Pauli apostolorum. Petri in Vaticano, Pauli in Ostiensi.* Romanum Parvum : *III Kal. Jul.*, *Romæ, apostolorum Petri et Pauli.* Beda, in Martyrologio genuino : *III Kal. Jul.*, *Romæ, natalis apostolorum Petri et Pauli.* His accedunt Martyrologia Flori, Adonis, Rabani, Usuardi, Notkeri, Wandelberti, et Romanum Baronii, Sacramentaria quoque Gelasianum et Gregorianum, aliique antiquiores recentioresque liturgici libri, quibus omnibus traditur sanctos apostolos Petrum et Paulum die 29 Junii Romæ, imperante Nerone, martyrium subiisse, et juxta eam urbem sepultos esse ; quare, quod olim Caius ille catholicus (*Euseb.*, *lib.* II, *cap.* 25) contra Cataphrygarum patronum disputans dicebat, idem quilibet civis Romanus hodie dicere potest : *Sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam, pergere libet, occurrent tibi trophæa eorum* apostolorum *qui* Romanam *Ecclesiam fundaverunt* ; horum enim reliquias ab Urbe alio translatos aliquando fuisse nemo unquam prodidit, quæ cum certa et ab omnibus ferme admissa sint (pauci siquidem inveniuntur quibus eruditi viri Joannis Pearso-

Oratio. Deus qui sterili Elisabet senique infructuoso Johannem promissionis filium condonasti : qui dum adhuc inclusus in ejus utero portaretur : Deum in **334** hospitium virginis habitantem sua salutatione prophetavit : te petimus : te rogamus : ut qui predicatione ejus regni celestis aperuisti credentibus januam : suffragio ejus nos perducas ad gloriam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Translatio S. Eligii Episcopi et confessoris :

Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fol. 432.

Johannis et Pauli :

Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

Leonis Pape et Confessoris :

Omnia dicantur unius Confess. Pontificis. fol. 432.

IN FESTO APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Ad Missam. [a] *Officium.*

Dabo Sanctis meis primam sessionem : alleluja : in resurrectione eterna : et exquiram illos in gaudio meo. *P.* Et lux perpetua lucebit eis : alleluja. Et eternitas temporum preparata est : alleluja : alleluja. ℣. Benedicti vos a Domino qui fecit celum et terram. *P.* Et lux perpetua. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum : amen. *P.* Et lux perpetua.

Oratio. Hi sunt Christe Domine amici tui Petrus et Paulus qui tradentes corpora sua ad mortem ·

nii conjectura placet [*Ann. Cypr., ad an.* 258, n. ?, *et Oper. posth. Pears.*], opinantis apostolos VIII Kal. Mart. passos esse), tamen circa annum quo passi sunt apostóli Petrus et Paulus difficile est quidquam certi statuere, propter varias et inter se dissonantes antiquorum recentiorumque ea super re sententias; sunt enim qui primo Neronis anno, Nerone et Vetere coss. (*Fast. cons., apud Echardum*) ; sunt qui ultimo (*S. Hier., de Vir. illustr., cap.* 1), sunt qui tertio, Nerone II et Pisone coss. (*Excerpt. Fast. consul., apud Bolland.*) ; alii qui quarto, Nerone III et Messala coss. (*Idat., in Fast.*), alii qui duodecimo (*S. Epiph., hær.* 27, *n.* 6) ; sunt qui undecimo ejusdem Neronis anno, Licinio Nerva et Vestinio Attico coss., apostolos martyrio coronatos tradidere, quæ ultima sententia mihi magis credibilis videtur ; sed quocunque anno passi sint, diem natalem passionis eorum, statim a martyrio, Romæ celebratum esse, monumentaque eorum frequentari cœpisse, consuetudo Ecclesiarum circa insignes martyres, et aperta Juliani Augusti auctoritas (*Apud S. Cyrillum, lib.* x *contra Julian.*) persuadet. Labente autem æræ Christianæ sæculo IV, non modo Romæ et in Italia, sed ubique terrarum festivitas sanctorum Petri et Pauli magna cum solemnitate celebrabatur (*S. Asterius, hom. in SS. Petrum et Paulum*). In Ponto et Cappadocia, auctor est sanctus Gregorius Nyssenus (*Laud. altera S. Steph., apud Zacagnium, Collect. t. I, p.* 33?), post festum protomartyris Stephani, Petrus, Jacobus, Joannes, omnesque apostoli uno die simul colebantur ; sed hæc solemnitas non ob natalem martyrii agebatur, sed ob peculiares rationes quas Nyssenus ibidem affert, at Petri et Pauli *natalem martyrii, hodie*, III Cal. Julii, *per mundum universum omnes Ecclesiæ debito honore concelebrant*, ut scribit sanctus Gaudentius Brixiensis (*Serm. de Apost. Petro et Paulo*), cui disciplina Ecclesiarum Ponti et Orientis ignota non erat. In Sacramentario sancti Leonis missæ octo et viginti exstant in natali apostolorum Petri et Pauli, quarum una *de Jejunio* inscribitur, et ultimæ tres *ad sanctum Paulum ;* eodem enim die Romæ olim tribus in locis solemnitas hæc celebrabatur. *Trinis celebratur viis festa tantorum martyrum*, inquit sanctus Ambrosius in hymno : nimirum via Appia, in catacumbis, de qua Kalendarium Bucherianum ; via Triumphali in basilica Vaticana ; et via Ostiensi, in basilica sancti Pauli, de quibus Martyrologium Hieronymianum, Lucense, et Prudentius (*Hymn.* 12 *de coron.*). Antiquitus fortasse pontifex in hisce tribus basilicis sacrum faciebat ; at Prudentii ævo jàm pontifex desierat missas in catacumbis die sanctorum Petri et Pauli celebrare, quare (*Hym. citato*) festum hoc *bifidum* appellat. Vigilias enim et missam matutinam papa celebrabat in basilica Vaticana sancti Petri ; inde ad basilicam sancti Pauli, via Ostiensi, delatus sacris iterum eodem die operabatur.

> Aspice, per bifidas plebs Romulea funditur plateas;
> Lux in duobus fervet una festis.

Et infra :

> Transtiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos,
> Mox huc recurrit duplicatque vota.

In Sacramentario Gelasiano (*Lib.* II, *n.* 29) exstat missa *in vigilia apostolorum Petri et Pauli*, III *Kal. Julias*, quæ, reor, in omnibus basilicis in quibus vigiliæ celebratæ fuerant canebatur. Rursus (*Ibid., num.* 30) missa *item in natali sancti Petri proprie*, III *Kal. Jul.*; et hæc in basilica Vaticana a pontifice dicebatur. Rursus (*Ibid., num.* 31) missa *in natali apostolorum Petri et Pauli*, III *Kal. Jul.*, quæ, ut puto, ab aliquo episcopo aut presbytero in catacumbis celebrabatur. Demum (*Ibid., num.* 32) missa *item in natali sancti Pauli proprie*, III *Kal. Jul.*, quam pontifex in basilica sancti Pauli faciebat, ubi animadvertendum quanta diligentia singulis hisce missis apponitur nota III *Kal. Jul.*, tum ad ostendendum has omnes eadem die celebrandas esse (et revera die sequenti nihil in hoc Sacramentario, neque in Leoniano, quemadmodum nec in antiquioribus Martyrologiis, fit de sancto Paulo), tum etiam ad ostendendum apostolos eodem die III Kal. Jul. passos simul esse. Sed in omnibus Sacramentariis Gregorianis aliter missæ inscribuntur disponunturque. IV Kal. Julii habentur binæ missæ, altera de sancto Leone papa, altera *de vigilia sanctorum Petri et Pauli*. Die sequenti, III *Kal. Jul.*, in Codice Pamelii et Muratorii inscribitur *natale sancti Petri*, in Codice Martenii *natale ejusdem Petri et Pauli ;* et revera missa est de ambobus, eadem prorsus quam, juxta Missale sancti Pii V, hac die recitamus. Demum, *prid. Kal. Jul.* inscribitur *natale sancti Pauli apostoli.* Missa autem eadem est quæ in Missali sancti Pii legitur. Hoc recentius institutum, quod in omnibus Evangeliorum Capitularibus (*Apud Georgium, de Liturg. Rom. Pont., tom. III*) observatum est, Micrologus sancto Gregorio Magno tribuit; ejus autem nullum apparet vestigium in libris liturgicis Gotho-Hispanorum et Gallorum. Gotho-Hispani in Breviario Mozarabum de festo apostolorum, uno die, proprio officio agunt, cui vigiliam præmittunt, et in Missali unica missa de ambobus exstat, de quibus pariter exstant plures orationes in Orationali Gothico, nec die sequenti ullam sancti Pauli peculiarem faciunt memoriam, id ipsum Galli faciunt. In Sacramentario Bobiano et in Missali Gallo-Gothico exstant Missæ *in natale Petri et Pauli*, uno eodemque die celebrandæ, et in Lectionario Luxoviensi lectiones quæ ad utrumque Apostolum pertinent legendæ assignantur, ne quidquam de sancto Petro aut sancto Paulo apud Gallos aut Hispanos singillatim agebatur.

[a] *Officium.* Ex Esdræ IV, II, 23. ℣. Psal. CXIII, 15.

effecti sunt ductores gratie: fundatores Ecclesie. Quos et unitas [a] precandi: felicitas moriendi nec dividi passa est: nec elidi. Quesumus ergo ut qui illorum doctrina populos fecisti esse credentes: eorum prece nos efficias regni celestis coheredes. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Prophetia.* Multam gloriam fecit Dominus. *Quere in festo Philippi et Jacobi. fol.* 320. *Dicat Presbiter.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. [c] *Psallendo.* In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terre verba eorum. ℣. Non sunt loquele neque sermones: quibus non audiantur voces eorum. *P.* Et in fines orbis. *Dicat Presb.* Silentium facite. [d] *Epistola.* Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi qui benedixit. *Quere in commune plurimorum Martyrum. fol.* 430.

Lectio Sancti Evangelii secundum Johannem.
([e] *Cap. XV*).

In illis diebus: Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Si manseritis in me: et verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petite et fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus: ut fructum plurimum afferatis: et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater: et ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Si precepta mea servaveritis: manebitis in dilectione mea: sicut et ego precepta Patris mei servavi: et maneo in dilectione ejus. Hec locutus sum vobis: ut gaudium meum in vobis sit: et gaudium vestrum impleatur. Hoc est preceptum meum ut diligatis invicem: sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet: ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Vos amici mei estis: si feceritis que ego precipio vobis. Jam non dico vos servos: quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quecumque audivi a Patre meo: nota feci vobis. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos: et posui vos ut eatis et fructum afferatis: et fructus vester maneat. Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo det vobis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Lauda.* Alleluja. ℣. Celi enarrant gloriam Dei: et opera manuum ejus annunciat firmamentum. *P.* Alleluja.

[g] *Sacrificium.* Venite benedicti Patris mei percipite regnum: quod vobis paratum est ab origine mundi: alleluja. ℣. Cum venerit filius hominis in majestate sua: et omnes Angeli cum eo: tunc fulgebunt justi sicut Sol in regno Dei: alleluja.

Missa. Magnorum Apostolorum Petri et Pauli non varias diversasque virtutes: quas explicare digna predicatione non possumus revolventes: sed supremas et gloriosissimas passiones quas [h] exolvere annua devotione debemus: fratres charissimi: hodie celebrantes: Deum qui ipsorum et sanctorum omnium summa laus est: deprecemur. Ut sicut ipse [i] principaliter in eorum est laudatione laudandus: ita nobis libenter eorum intercessione: qua placandum eum credimus: sit placatus. **335** Ecclesiam suam quam in illis elegit: edificavit: replevit: et docuit: ipsis jugiter pro ea supplicantibus tueatur: fundatam eam in solidissimam petram: tempestatis procella non subruat. Nihil ei per tartareas hereticorum eversiones porte prevaleant inferorum: quas ita humiliati tenebrarum principes tollent: ut elevatis eternalibus portis: quasi in templum suum: sic in nobis unus atque idem virtutum Dominus: et Rex glorie celestis introeat. Qui propositas in terrorem fidelium persequentium minas tremendas sue majestatis objectu radiantibus nova luce fulgoribus: vocem verbi perennis avertat. Sibique per ipsam in se credentes humani generis susceptionem inferri: quod fideles suos pati pro suo nomine prospicit protestetur. In se nostri causa dolores excipiens: sibi fieri quicquid contra cultores Christiani nominis impii moliuntur:

[a] *Precandi.* Forte: *Prædicandi et felicitas moriendi.*

[b] *Prophetia.* Legitur ex Ecclesiastico, XLIV, 2-16, ut in festo sanctorum Torquati et comitum (*Pag.* 330). In Lectionario Luxoviensi pro *prophetia* legitur *passio sanctorum Petri et Pauli.* In Sacramentario Bobiano nulla est prophetia, quia in Gallia legebantur passiones, aut Acta sanctorum.

[c] *Psallendo.* Ps. XVII, 15. ℣. Ibid., 4.

[d] *Epistola. Cap. I.*, vers. 2-15. Exstat pag. 430. In Luxoviensi legitur ex Epistola ad Romanos VIII, 15-27. In Bobiano ex eadem Epistola ad Romanos V, 7-17. In Lectionario Ambrosiano em. Thomasii legitur ex *II Cor. XI*, 19. Sanctus Augustinus (*Serm.* 297, *Oper. tom. V, Ed. Maurin., n.* 5) scribit: *Audiende apostolum Paulum, quoniam et ipsius hodie dies festus est.... recole verba quæ paulo ante, cum ipsius Epistola legeretur, audivimus: « Ego, inquit, jam immolor, »* etc. Et sermone 299, n. 3, ait: *De passione sua jam imminente et propinquante prænuntiantem audivimus Paulum, cum ejus Epistola legeretur: « Ego enim jam delibor. »* Uterque sermo in natali apostolorum dictus erat; quare videtur in Africa, saltem Hippone, Epistolam ex II Tim. IV lectam esse.

[e] *Cap. XV.* Vers. 7-17. In Luxoviensi Lectionario Evangelium desumitur ex Matthæi V, 1-16. In Sacramentario Bobiano legitur partim ex Matthæi IV, 18, partim ex Joannis II, 15-19, continetque vocationem Petri ad apostolatum, ejusdem in supremum pastorem constitutionem, et Christi vaticinium de ejus morte. In Africa, sancti Augustini ævo, hac die, legebant ex Joanne XXI, 15, et ex sermone 296, secundo *in nat. sancti Petri et Pauli*, eruitur; et sancti Ambrosii tempore Mediolani legebant ex Lucæ V, fortasse a versiculo primo; nam sanctus Ambrosius (*Lib. de Virgin., cap.* 19, *n.* 124, 125, *Ed. Maur.*) versiculum quintum ex Evangelio hujus diei citat. In omnibus Capitularibus Evangeliorum apud illustriss. Georgium (*De Liturg. Rom. pontif., t. III*) citatis legitur ex Matthæi XVI, 13-20, ut modo in Missali sancti Pii V legimus.

[f] *Lauda.* Ps. XVIII, 1.

[g] *Sacrificium.* Matth. XXV, 34, 31; XIII, 43.

[h] *Exolvere.* Forte, *exsolvere.*

[i] *Principaliter.* Huc refer illud sancti Maximi Taurinensis, hom. in nat. sanctorum Petri et Pauli: *Gloriosissimos Christianæ fidei principes annuis solemnitatibus honorantes, fratres charissimi, ipsum Dominum ac Deum nostrum, qui hujus auctor est fidei, debita religione veneramur; apostoli namque, Latino sermone, dicuntur missi, qui ergo honorant missos, manifestum est honorare eos mittentem.*

ostendat. Ut cunctis brachii sui magnitudine dominante : omnes se nobiscum in confessione Petri : et predicatione Pauli vivere gratulentur.

℟. Amen.

Alia Oratio. Domine qui beatissimos Apostolos tuos Petrum et Paulum diverso tempore vocationis beneficio elegisti : et uno die passionis merito coronasti : quorum ammirabilis singulorum fides ante obitum mortis inlate : unum fecit claves regni celestis accipere : alium usque in celum tertium penetrare. Cum ille censor credentium constitutus intromittendi illic probos : et excludendi improbos jus teneret. Hic in excessu : supra nubium raptus [a] recessu : ineffabilia divinorum secreta verborum gentium futurus Doctor hauriret : quodque alii Sanctorum passi : hoc isti meruere passuri. Hos nobis B Domine facito esse patronos : quos fecisti esse magistros. Ut eorum obtentu : venie nostre suffragia sentiamus : quorum ducatu gratie tue instituta suscepimus. In Petro peccatorum nostrorum numerum amplificate modus remissionis excedat : in Paulo venam obstructam postridie : Christi sermone lumine nobis veritatis aperiat. In illo nobis prestetur nutantis seculi fluctibus non demergi : in isto antiqui serpentis morsibus non noceri. Ut nec naufragio malorum perditi : nec veneno vipereo sauciati. Eodem auctore salvemur : quo ille undas superavit : hic viperas.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui Apostolis tuis : C quorum hodie solennitate gaudemus : in sorte sanctificationis electis clariora nomina tu dedisti. Cum et ille Petrus diceretur : hic Paulus. Ille indito sibi vocabulo usus est : hic mutato : eorum nobis oratione ac favore concede : ut a [b] natura [c] utero segregati vim carnis et sanguinis superantes : facta habeamus fidelium : qui nomina tuorum accepimus filiorum. Ut in nobis et spiritalis addatur ambitus : et carnalis muletur affectus. Quibus mereamur Sacerdotalium possidere instrumenta virtutum : qui permittimur officia electorum agere Sacerdotum. Has quoque Catholicorum oblationes : velut de captura et manu Petri pulmentarium tibi Christe gratifica : et quasi A ex ore Pauli : cui loqui dignatus es benedictione ditifica. Omnibus eorum interventu salutaris leticie causa prestetur : cunctosque necessaria ad Deum conversione convertendos ille pascat semper : hic doceat. Cum equalis gratie vicario munere : et ille sic [d] possit : et iste sic pascere. Pro spiritibus etiam defunctorum : quorum nomina ore prolata sunt recitantium : utique pro culpis apud te intercessores existant.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Omnipotens conditor et redemptor : qui ad conversionem gentium et penitentium reconciliationem : duo magna luminaria Pauli litteras : et Petri lachrymas posuisti : ut gratia tua nec illum persecutio : quam amor legis intulerat : nec istum negatio : quam timor mortis exegerat : faceret alienos. Da quesumus resipiscere post ignorantiam : flere post culpas : gratiam recuperare post lachrymas. Asserat apud indulgentiam tuam errantium causas et Paulus : cui non obfuit quod nescivit : et Petrus cui non impediit : quod negavit. Potest nos misericordia tua sic sanare : **336** ut vulnera inlata non [e] pareant. Sic restaurare : ut elisos nos adversarius noster fuisse non gaudeat : sic integros facere : ut fortiores expertos esse debiles non agnoscat. Valeat majestas tua absolutis nobis : etiam conscientiam delere peccati : si penam noluerit servare supplicii. Concordiam conferre unanimitatis : et pacem tempori largiri presenti. In te efficere charitate connexos : et a mundi scandalis te propugnante remotos.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : omnipotens Pater nos tibi ingentes agere gratias : pro multiplici Apostolorum Petri et Pauli gloria : quam eis per diversas munerum distributiones larga satis pietate donasti. Quos et unigeniti tui discipulos : et gentium fecisti esse magistros. Qui ob Evangelii predicationem cum celorum preficiantur in regnis : carcerum clauduntur angustiis. Potestatem accipiunt peccata solvendi : et ferri vinculis alligantur. Sanitatem donant : et egritudines portant. Demonibus imperant : et ab hominibus flagellantur. Mortes fugant : et [f] fugiunt persequentes. Super mare ambulant : et in

[a] *Recessu.* Lege *recessus.*

[b] *Natura.* Lege *naturæ.*

[c] *Utero.* Forte, *vitio.*

[d] *Possit.* Adde *docere.*

[e] *Pareant.* Lege *appareant.*

[f] *Fugiunt persequentes.* Tertullianus, integro libro de Fuga in persecutione, contendit, cum Montanistis, ad quos defecerat, in persecutione fugiendum non esse; præceptum Domini : *Cum autem persequentur vos in ista civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x, 23) eludit, dicendo temporaneum esse, nec ad omnes pertinere, apostolis tantum datum esse, et pro eo tempore quo in Judæa prædicaturi erant. At Christus Dominus non solum verbo, sed suo exemplo ostendit fugiendum esse in persecutione; quod et apostoli aliique plures fortissimi martyres et sapientissimi episcopi præstiterunt, et Ecclesia, quamvis expresse, conciliorum decretis, non sanciverit fugiendum esse in persecutione, ad hoc enim satis erat præceptum Christi, tamen non semel prohibuit ne fideles se sponte persecutoribus objicerent, et eos qui fidei causa D fugientes, fame, frigore, procella maris, aut feris perierant, inter confessores et martyres recensebat. Nam, inquit sanctus Cyprianus (*Epist.* 6), de iis qui in fuga mortui erant loquens : *Non minor est martyrii gloria non publice et inter multos periisse, cum pereundi causa sit propter Christum perire.* Præceptum vero Christi temporale non esse docent sanctus Athanasius (*Apol. pro fuga*), sanctus Augustinus (*Epist.* 180), sanctus Cyprianus (56, *et lib. de lapsis*), et sanctus Petrus Chrysologus, qui (*Serm.* 151), de Christi fuga in Ægyptum agens, paucis complexus est quid in his circumstantiis agendum sit : *Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persequentem, ut et persecutori indulgeat tempus resipiscendi, et sibi non auferat tempus supplicandi.* Et infra : *Persecutorem qui provocat facit, corrigit qui declinat; fugere ergo debemus, provocare non debemus.*

labore desudant. [a] Montes verbo transferunt : et propriis victum manibus querunt. Judicaturi Angelos : in questionem mittuntur. Cum Deo vivunt : in mundo periclitantur. Postremo Christus eis serviens pedes lavat : et facies eorum blasfemantium manus a lapis collaphizat. Nihil sustinentibus pene defuit ad tolerantiam : nihil superantibus victorie non adfuit ad coronam. Si recurramus : quot ad testificandam fidei veritatem erumnarum pertulerint in tormentis frequenter suis : superfuere Martyribus. Si in mirabilibus : hoc per Christum fecere : quod Christus. Si in passionibus : hoc sustinuerunt illi necessitate mortali : quod ille voluntate moriendi. Isti ejus viribus : ille suis. Probantes doctrine auctoritatem similitudine : non equalitate doctoris. Implevit Petrus suo tempore : quod promiserat ante tempus. Posuit animam suam pro illo : quem se non crediderat negaturum. Quia ad ardue sponsionis celeritatem nimia charitate preventus non intellexit servum pro Domino dare non posse : quod pro servo ante Dominus non dedisset. Similiter non renuit crucifigi : sed equaliter non presumpsit appendi. Obiit ille rectus : iste subjectus. Ille ut majestatem ascendentis sublimitate proferret : iste ut fragilitatem descendentis humilitate monstraret. Nec Paulus affectu minor meminit : quem sibi arrogaverat dicens : Mihi vivere Christus est : et mori lucrum. Gaudet insanientis ictibus percussoris : domitas jugo Christo offerre cervices : et pro corporis sui capite : dare corporis sui caput. Diviserunt sibi passionis Dominice vestimentum duo milites Dei : unus in patibulo : alter in gladio. Petrus in transfixione : Paulus in sanguine. His igitur dispari mortis genere : non dispari moriendi amore perfunctis. Exultet in eorum doctrinis Ecclesia Catholica : in exequiis religiositas universa : in memoriis Urbs Romana : in patrociniis omnis anima christiana. Hec autem omnia tu Domine operaris : qui a Prophetis demonstraris : ab Angelis adoraris : et in omni seculo Apostolorum lumine declararis, Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Osanna in excelsis : idem excelse in excelsis. Idem humilis in terrenis Christe Fili Dei. Qui nebulosa [b] magice artis in Symonis presumptione prestigia : Apostolice concertationis veritate prodita destruxisti. Quem frustra celorum ascensum aeris molitionibus appetentem : decepta

[a] *Montes.* Apostolos Petrum aut Paulum montes verbo transtulisse alibi non legi.

[b] *Nebulosa.* Sanctum Petrum Romam profectum esse *ad expugnandum Simonem Magum* scribit sanctus Hieronymus (*De Vir. illustr. cap.*, 1). Idem tradit Eusebius (*Hist. Eccl. l.* II, *c.* 14). Simonem vero in aera, spectante populo, elatum fuisse, indeque, orante sancto Petro, fugatis dæmonibus, delapsum esse, testantur e Latinis Lucifer Calaritanus, aliique legati Liberii pontificis ad Eusebium Vercellensem scribentes (*Apud Baron.*, *ad ann.* 355, *n.* 8). Sanctus Ambrosius (*Hexam. lib.* IV, *cap.* 8, *num.* 33, *Ed. Maur.*), Philastrius (*De Hær.*, *cap.* 29), sanctus Augustinus (*De Hæres.*, *Op. t.* VIII, *col.* 6, *et epist.* 16, *ad Casulanum*, *n.* 21), e Græcis auctor Constitutionum apostolicarum (*Lib.* VI, *cap.* 9), sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Cat.* 6, *n.* 15), Theodoretus (*Hær. Fab. l.* I, *hær.* 1), aliique plures, inter quos sanctus Isidorus, in Chronico : *Hujus*, Neronis, *temporibus*, *Simon Magus cum altercationem proposuisset cum Petro et Paulo apostolis, dicens se quamdam virtutem esse Dei magnam, medio die, dum ad Patrem volare promittit in cœlum, a dæmonibus a quibus ferebatur in aere, adjurante eos Petro per Deum, Paulo vero orante, demissus crepuit.* Aliqui hic cum Simone Mago concertationi interfuisse utrumque apostolum Petrum et Paulum scribunt. Ita sanctus Isidorus, sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, Sulpicius Severus (*Hist. eccl. l.* II, *c.* 24) et hoc loco Missale nostrum. Alii de sancto Petro solummodo loquuntur. Sic Orationale Gothicum (*Pag.* 124, *orat.* 4), et verbatim in Breviario Mozarabum legitur : *Domine Jesu Christe, qui adversas potestates per summos apostolos tuos Petrum ac Paulum destruis et disturbas, ut prædicationi veritatis apostolico ore depromptæ, nec nequitia malorum, nec versutia possit obviare magorum, dum Simonem Magum Petrus dejicit, et Elimam Paulus cæcitate percussit, adesto nobis*, etc. Sic sanctus Ambrosius, sanctus Augustinus, et Theodoretus (*Hær. Fabul. lib.* I *hær.* 1), cum dixisset sanctum Petrum Romam usque Simonem Magum insecutum esse, ac *fraudis eum pennis nudasse*, subdit : *Videntibus Romanis, magna illum ex altitudine precibus suis deturbavit, spectatoresque miraculi ad salutem perduxit.* Aliqui de Mago Simone loquuntur ac si continuo in terram decidens perierit. Sic Isidorus Pelusiota (*Lib.* I, *epist.* 13) stupendum illum ac celeberrimum Simonis interitum, lapsum ejus appellat; et Sulpicius Severus citatus : *In terram delapsus populo inspectante disruptus est.* Alii non statim post lapsum mortuum esse Simonem prodiderunt. Omnes tamen fatentur causam mortis ejus exstitisse lapsum ex aere, et hæ circumstantiæ non obstant quominus narratio vera sit. Quod autem scribunt recentiores critici, hanc narrationem e scriptoribus sublestæ fidei haustam esse, et de ea Irenæum, Tertullianum, Eusebium, Justinum silere, non ejus momenti sunt quæ rem, mirabilem quidem, sed tot præstantissimorum scriptorum auctoritate testatam, dubiam reddere queant. Nam hi antiqui non omnia dixerunt, et quædam quibusdam in libris quæ ad nos non pervenerunt tradiderunt, quæ in aliis libris prætermissa sunt. Esto autem in libris quibusdam apocryphis de volatu et lapsu Simonis fuse tractatum sit, non inde sequitur verum non esse Simonem a dæmone raptum esse, et, precibus apostolorum pulso dæmone, nequam hominem in terram dilapsum. Nam etiam scriptores isti nonnunquam vera narrant, neque hæc historia illorum auctoritate nititur, sed aliorum et probæ fidei scriptorum, qui de lapsu et volatu Simonis non tanquam de re obscura aut ab incertis auctoribus tradita loquuntur, sed tanquam de certa et omnibus probe nota, cum et *illustrem illam* adversus Simonem *congressionem*, aut *stupendum illum et celeberrimum Simonis obitum*, commemorant, nec quisquam antiquorum est qui lapsum Simonis Magi tanquam fabulam rejecerit. At, inquiunt (*Coteler.*, *ad cap.* 9 *lib.* VI *Const. apost.*), sanctus Augustinus (*Epist.* 51, *alias* 86, *ad Casulanum*) asserit plerosque Romanorum dicere falsum esse quod de certamine sancti Petri cum Simone Mago traditur, quamvis contraria sit plurimorum opinio. Sed revera diversa est omnino mens sancti Augustini, ut epistolam citatam, n. 21, legenti patebit. Tradit quidem sanctus doctor Romanorum alios asserere, alios negare morem suum, jejunandi die Sabbati, cœpisse initium ab eo jejunio quod cum Simone Mago die Dominica certaturus, sanctus Petrus pridie toti Ecclesiæ Romanæ indixerat; at nullibi asserit quemlibet Romanorum certamen sancti Petri cum Simone Mago falsum fictitiumve, putare.

demonum inlusione jactantia altius extulit : gravius elidendum. Ut quo eum paulo longius sursum volandi audacia permissa sustolleret : multo validius in deorsum volantis insania dimissa disrumperet. Nescientem utique quod nisi laudatam Petri confessionem : nisi creditam Pauli fidem teneret : celi cujus claves Petrus habebat : et cujus Paulus intima penetraverat : januam non intraret. Immemor etiam illius servitutis atque censure : qui Ananiam et Saffiram **337** Sancto Spiritui mentientes prevaricationis et perfidie reos presentis mortis animadversione damnavit. Paris quoque Pauli in Evangelio potestatis ignarus : qui doctrine sue contradicentem Elymam magum : justa protinus cecitate percussit : et seducentem Pythonis garrulum spiritum : imperata illico descensione migravit. Totum illis celestium athletarum viribus pro Jesu nomine : pro Salvatoris divinitate : pro Christi insinuatione pugnantibus : divina est clementia prestitutum. Quia ipse est Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Ob arcana mysterii tui Jesu Christe Deus noster a te conlata inspiratione poscentes : deficit in contuitu acies : in intellectu visus : in relatione virtus : in narratione sermo. Quis enim abs te convenienter qui possit dicere supereminentem charitatem : qua nos dignatus es redimere : qua ut ita dicam humili compulsus es incarnari descensione : qua electos jussisti Apostolos omnibus ad salutiferam nationibus mittere conversionem : qua eminentiores Discipulis ceteris Petrum voluisti et Paulum efficere. Sed quia hec immensa in dignitate vite : et nature corruptione digne non possumus replicare : presentis solennitatis officio : tuam omnipotens inestimabilem poscimus pietatem ut favore gemino Apostolorum tuorum patronorum scilicet nostrorum : acceptum habeas et efficias ratum hujus oblatum diei [a] sacrificium. [b] Quod sacratissima illa inarbitrabili gratia ita digneris inlustrare : ut omnium percipientium receptum in pectoribus : sit in peccaminum expiatione : in mentis et corporis incolumitate : in hujus periculosissime vite custodia et munitione. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam

Preciosam in conspectu tuo Domine mortem Sanctorum Apostolorum tuorum Petri et Pauli : [c] annuis recursibus honorantes : damus gloriam laudi tue : quia luminaria preciosa a te vero lumine indeficiente succensa : non so'um dum leguntur : sed dum coluntur inlustrant. Quia hi sunt duo olive : et duo candelabra aurea in conspectu tuo : atque in universam terram exiit sermo oris eorum : quorum intercessionis exoratus : dum suscipis devotionis officium : precum quesumus largiaris effectum : dum clamaverimus e terris. Pater noster.

Dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus qui omne remedium pietatis tribuit miseris : det vobis Petri lachrymis emundari ab omnibus culpe contagiis. ℟. Amen. Concedat doctrine Pauli : suscipere vos sapientiam verbi. ℟. Amen. Ut ille per penitentiam : iste per doctrinam faciat vos pervenire ad vitam eternam.

[a] *Sacrificium.* Hinc etiam patet elementorum consecrationem peractam esse antequam oratio *post pridie* recitetur. Et simul patet Gotho-Hispanos pro elementis consecratis orasse.

[b] *Quod sacratissima.* Fortasse, *quo sacratissima illa libamina*; rogant enim ut elementa consecrata *inenarrabili gratia* illustrentur.

Annuis recursibus. Sanctos apostolos Petrum et Paulum Romæ eodem die coronatos fuisse minime dubium est. An vero eodem anno passi sint, non adeo certum, propter auctoritatem Prudentii, qui (*Hym.* 12 *de cor.*) scripsit, anno integro martyrium sancti Petri passionem sancti Pauli præcessisse.

Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno,
Vidit superba morte laureatum.

Et infra :

Prima Petrum rapuit sententia.

Prudentium secutus est Arator, subdiaconus Ecclesiæ Romanæ, et ipse poeta, in libro de Actibus apostolorum, quem sedente Vigilio publice recitavit. Eamdem opinionem tenet auctor sermonis inter opera sancti Augustini (*Tom. V, append., serm.* 205, *Ed. Maur.; alias serm.* 28, *de sanctis*) ; at sermo iste perperam sancto Augustino tribuitur, et sanctus Gregorius Turonensis (*De Glor. martyr. lib.* 1, *cap.* 29) : *Paulus vero apostolus post revolutum anni circulum, ipsa die qua Petrus apostolus passus est apud urbem Romam, gladio percussus occubuit.* At notat eruditus Editor D. Th. Ruinart incertum esse an hæc lectio *sit reipsa sincerior* ; nam illud, *post revolutum annum*, in omnibus Codicibus non reperitur, et huic contraria opinio in Gallia fuit magis recepta, ut ex passione sanctorum Petri et Pauli, quæ in Lectionario Luxoviensi legitur, et ex Fortunato habemus. Gelasius papa, in decreto de libris recipiendis, hanc opinionem hæreticis quibusdam tribuit. Paulus, inquit, *non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone coronatus est.* Eodem anno passos esse apostolos Petrum et Paulum tradit Eusebius Cæsariensis (*Lib.* II, *cap.* 25), eamque opinionem confirmat auctoritate Dionysii, Carthiorum episcopi. Notat quidem hic Valesius Dionysium dixisse κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, *eodem tempore*, passos esse apostolos, quod, inquit ille, ad plurium dierum intervallum extendi potest. Neque hæc ego negaverim; sed cum aliunde constet eos eodem die coronatos esse, de die quæstio non est. Quare nisi illud, τὸν αὐτὸν καιρὸν, ad plures menses protrahatur, significat *eodem anno* mortuos esse; neque aliter sanctus Hieronymus intellexit, qui (*De Vir. illustr., cap.* 1), cum dixisset Petrum *decimo quarto* Neronis anno cruci affixum fuisse, addit (*Ibid., cap.* 5) de Paulo : *Hic ergo quarto decimo Neronis anno eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatur.* Idem sentiunt ii omnes antiqui quos pag. 254 citavi, qui, quamvis inter se de anno discrepent, in hoc tamen conveniunt, Petrum et Paulum eodem anno martyrium fecisse; quibus adde Idatium, in Fastis consularibus; Cassiodorum, in Chronico; sanctum Epiphanium (*Hær.* 27, n. 6), qui mortem eorum ad duodecimum Neronis annum refert; Asterium, episc. Amasenum, in fine homeliæ de sanctis Petro et Paulo, quos ait simul in carcerem conjectos, et simul ambos jussu Neronis morte affectos; sanctum Augustinum, qui (*Serm.* 299, n. 2, *Ed. Maur.*) *scribit* Deum Petrum et Paulum *apostolos, primum et novissimum passione conjunxisse*; et sanctum Leonem I papam, qui (*In præf. Cod. canon. Eccles. Rom.*) distincte ait sanctum Paulum *uno die unoque tempore cum Petro* morte affectum fuisse.

℟. Amen. Ipso prestante et auxiliante : qui in Trinitate perfecta unus Deus vivit et regnat in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Re'ecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis Christi. Fol.* 267.

Oratio. Domine Jesu Christe qui Petrum et Paulum viriliter certantes : unum cruce : alterum gladio dignatus es consecrare : ut pro amore tui nominis fida dilectione : et ille crucis exitium : et hic gladii susciperet ictum : da nobis ut similiter dilectionem suam sequentes : et per Petrum crucis intremus secretum : et per Paulum spiritualis verbi semper gladio muniamur. Quo et per crucem Christi : cruciatus evadamus inferni : et per gladium spiritus penetremus abdita celi. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Commemoratio Sancti Pauli.
Quere in natale unius Martyris. Fol. 421.

Octava Sancti Johannis Baptiste
Omnia dicantur ut in die. Fol. 330.

Visitatio Sancte Elisabeth :
Omnia dicantur ut in Assumptione. Fol. 361.

Processi et Martiniani Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. Fol. 430.

Octava Apostolorum Petri et Pauli :
Omnia dicantur ut in die. Fol. 334.

Marcialis Episcopi :
Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. Fol. 432.

338 *Octava Visitationis :*
Omnia dicantur ut in die. Fol. 361.

Septem fratrum Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. Fol. 430.

Translatio Sancti Benedicti :
Omnia dicantur unius Confessoris. Fol. 432.

[a] *In festo Sancte Marciane Virginis et Martyris. Ad Missam.* [b] *Officium.*

Omnia mandata tua ego custodivi Domine : sine causa persecuti sunt me : adjuva me : alleluja : alleluja : alleluja. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea Regi. *P.* Sine causa. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum : amen. *P.* Sine.

[a] *In festo.* Est hæc Marciana, aut Martiana, illa virgo Deo dicata et martyr quæ, in municipio Rusuegurítana nobili genere nata, Cæsareæ in Mauritania, ob marmoreum Dianæ simulacrum, quod fregerat, primum a tumultuante plebe graviter cæsa, deinde, sententia præsidis, in ludum gladiatorum data (in quo Christus Dominus insigni miraculo pudicitiam ejus intactam servavit), demum in amphitheatro bestiis tradita, coronam gloriæ obtinuit. A Gotho-Hispanis die IV Idus Augusti missa et officio proprio colitur; in Martyrologiis Adonis, Usuardi, Notkeri, et in Martyrologio Fuldensi, V Idus Januarii Marciana virgo et martyr in Mauritania Cæsariensi passa legitur. His præivisse creditur Romanum Parvum, in quo tamen *Macra* legitur : *V Idus Jan., in Mauritania Cæsariensi, Macræ virginis et martyris.* In Romano Baronii V Idus Januarii, ob natalem passionis, et rursus IV Idus Augusti, ob translationem reliquiarum, ut in notis animadvertit em. Baronius, Marciana virgo et martyr commemoratur. In Martyrologiis Bedæ, Rabani, aut in Apographis Hieronymianis nomen ejus frustra quæsieris ; de ea pariter silet Kalendarium Carthaginense, et quod V Idus Januarii Kalendarii Gotho-Hispani sæpius laudatum fragmentum de sancta Marciana sileat, nil mirandum, siquidem vetusto more a Gotho-Hispanis ejus festum IV Idus Augusti celebrabatur. Acta sanctæ Marcianæ edita sunt a Mombritio, et rursus ex Codice Andreæ Du Chesne cum aliis collato edita sunt a Bollando (*Tom. I Januarii, pag.* 569). Sunt autem, non quidem præsidialia, sed ab auctore Christiano fideliter scripta, qui non diu post martyrium sanctæ Marcianæ in urbe Cæsariensi Mauritaniæ vixisse videtur. Tillemontius, qui (*Hist. eccl. tom. V*) integro titulo de sancta Marciana agit, ait Acta pluribus annis post mortem sanctæ martyris exarata esse : quod haud ægre concedam, dummodo tempus illud non ultra triginta aut quadraginta annos protrahatur ; at quod dicit, *facta plura particularia* in Actis illis *legi* quæ de eorum fide suspicandi occasionem præbent, nisi de vana suspicione loquatur, concedendum omnino non est, nec ille indicat quænam facta illa sint quæ de auctoris veracitate suspicionem creant. Nam quod Marciana statuam Dianæ, contra disciplinam Ecclesiæ, fregerit, Tillemontius ipse reponit similia in Actis martyrum maxime authenticis inveniri. Miraculum illud parietis sese inter virginem et gladiatores interponentis, quoties illi noctu contra castitatem ejus quidquam attentarent, est plane singulare. At hoc a suspicione falsi vindicat Tillemontius, reponendo, Deum potentiam suam sæpe et mirabiliter exercuisse, cum integritas sacrarum virginum suarum a malorum hominum injuria vindicanda erat ; additque : Si alia, hac occasione, patrata miracula diligenter quis recenseri velit, inveniet fortasse nonnulla hoc *parietis* miraculo creditu difficiliora, et sane angelo difficilius non est speciem induere parietis quam hominis. Quod sancta Marciana contra mansuetudinem Christianam non fecerit maledicendo archisynagogæ et ejus domui, eventus probavit, quo eam, non vindictæ desiderio, sed spiritu Dei actam, ultrices flammas in blasphemantis Judæi domum prædixisse potius quam imprecatam esse apparuit. Quibusdam displicet quod ad ludum gladiatorum damnata fuerit ; sed cum feminas haud raro in arenam descendisse et gladio pugnasse non ignorant, incredibile illis videri non debet, si puellam impietatis, ut paganis videbatur, ream in ludum damnatam legant. Consule Lipsium (*Saturnal. l.* II, *c.* 4). Est tamen unus aut alter locus in Actis obscurus, ob vocum defectum, quæ fortasse ex aliis Codicibus, hactenus ineditis, supplebuntur. At fidem Actorum ista non minuunt. Cæterum de tempore martyrii sanctæ Marcianæ nihil certi constat ; credibile est ante Diocletiani imperium contigisse. Dies passionis ejus V Idus Januarii, in actis a Bollando editis signatus, sed in Mombritio Idibus Januarii, et in Codice Du Chesne V Idus Julii, legitur. Hymnus Breviarii Mozarabum qui die sanctæ Marcianæ canitur ejus Acta breviter complexus est, indeque, et ex toto officio, patet, Marcianam quam Toleti Gotho-Hispani colebant, eam esse quæ Cæsareæ in Mauritania passa est. Quare Tamaius de Salazar (*Martyr. Hisp. tom. IV, pag.* 112, *ad diem* 12 *Jul.*) in hac re, aliique recentiores, quos citat, audiendi non sunt, asserentes aliam esse Marcianam martyrem Toletanam, aliam Mauritanam (*Vide Bolland., tom. III Julii, ad diem* 12, *in prætermissis, pag.* 224).

[b] *Officium.* Est cento consutus ex laciniis ps. CXVIII 168, 161, 86. ℣. Ps. XLIV, 2.

Oratio. Domine Jesu Christe : cui Virgo et Martyr A Marciana et integritate jungitur : et sanguine sociatur : dum tibi et castimoniam vovit : et pro te sanguinem fudit : presta famulis supplicantibus : ut expiati a peccatis : tibi ita adhereamus : ne a te ulterius recedamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaye prophete ([a] *Cap. LIIII*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus : lauda sterilis que non paris decanta laudem[b] et hymnum que non pariebas. Quoniam multe filie deserte magis quam ejus que habet virum : dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui : et pelles tabernaculorum tuorum extende : ne parcas. Longos fac funiculos tuos : et clavos tuos consolida. B Ad dexteram enim tuam : et ad levam penetrabis : et semen tuum gentes possidebit : et civitates desertas hereditabit. Noli timere quia non confunderis : neque erubesces. Non enim te pudebit : quia confusiones adolescentie tue oblivisceris : et obprobrium viduitatis tue non recordaberis amplius. Quia dominabitur tui qui fecit te : Dominus exercituum nomen ejus : et redemptor tuus sanctus Israel : Deus omnis terre vocabitur. Quia ut mulierem derelictam et merentem spiritu vocavit te Dominus : et uxorem [c] ab adolescente abjectam dixit Dominus Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te : et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis mee abscondam faciem meam parumper a te : et in C misericordia sempiterna misertus sum tui : [d] dixit redemptor eternus sanctus Israel Dominus omnipotens. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Psallendo.* Psalmum dicam nomini tuo Deus in secula : ut reddam vota mea de die in diem. ℣. Quia factus es spes mea : turris fortitudinis a facie inimici : habitabo in tabernaculo tuo Deus in secula. *P.* Ut reddam. *Dicat Presb.* Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Ephesios ([f] *Cap. II*).

℟. Deo gratias.

Fratres : vos qui aliquando eratis longe : facti estis prope in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra : qui fecit utraque unum : et medium parietem macerie [g] sepis solvens inimicitias in carne sua. Legem D mandatorum decretis evacuans : ut duos condat in semetipsum : in unum novum hominem faciens pacem : et reconcilians ambos in uno corpore Deo per crucem interficiens inimicitiam in semetipsum · et veniens evangelizavit pacem vobis : qui longe fuistis : et pacem his qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem. Ergo jam non estis hospites et advene : sed estis cives sanctorum et domestici Dei. Superedificati super fundamentum Apostolorum : et prophetarum : ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo et vos coedificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. ℟. Amen.

Evangelium. Dominus noster Jesus Christus cum esset in Bethania. *Quere in commune unius Virginis. Fol.* 436.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[h] *Lauda.* Alleluja. ℣. Nequando rapiat ut leo animam meam : dum non est qui redimat : neque qui salvum faciat. *P.* Alleluja.

[i] *Sacrificium.* Alleluja. Magna facta es et preclara filia Syon in universa terra : alleluja. ℣. Alleluja : benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob : tu gloria Hierusalem : tu leticia Israel : tu honorificentia populi tui. *P.* In universa terra : alleluja.

Missa. Fortissimum auxiliatorem debellantium : eternorum conlatorem bonorum : Jesum Christum Dominum nostrum **339** continua supplicatione fratres charissimi imploremus : cui ad prestandum donum glorie [j] nec exercituum adversitas impedit sexum : sed consummatio tota prestanti in potestate ipsius redundat conlatoris ac Domini. Qui ad celorum regna conscendere nos provocans : tam castitatis mundicieque doctrinam : quam Martyrum nobis [k] prebuerunt gloriosa exempla. Hic namque ita ex utero virginali progressus matrem post suum egressum custodivit intactam : ut caro que sancta foret perpetuam de qua precesserat virginem servaret et sanctam. Et que sanctior utique futura erat post partum : sanctitatis antea in se haberet commercium. Cujus hec quoque [l] sacrata celebs : imitabilem cursum divino amore costodiens vim virilem suo in pectore gestans : illi concupivit equari virginitate : que genuit eum : qui corporali pro nobis interemptus est passione. Nos ergo humiles et abjecti qui nostre fragilitatis incuria : hujus sumus impares dono : quibus de actu nulla est audacia : saltim de penitentia : ut aliqua sit ejus intercessione fiducia : flebili cordis affectu Domino unanimes supplicemus : ut quia nos speramus de nostris malis suppliciorum perpeti penam : de illius nobis sentiamus postulatione indultam esse criminum veniam. Et qui nostrorum scelerum

[a] *Cap. LIV.* Vers. 1-9

[b] *Et hymnum.* Vulg. et Hebr., *et hinn.* LXX, *erumpe, et clama.* Chald., *gaude.*

[c] *Ab adolescente.* Vulg., *ab adolescentia.* LXX : *non ut mulierem quæ ab adolescentia odiosa est, dixit Deus tuus.*

[d] *Dixit.* Vulgata tantum legit : *dixit redemptor tuus Dominus.*

[e] *Psallendo.* Psal. LX, 9, ℣. Ps. LX, 45.

[f] *Cap. II.* Vers. 13 ad finem capitis.

[g] *Sepis.* Nec in Vulg. nec in Græco legitur. Cæterum et illud *turris fortitudinis* in psallendo, et hoc *medium parietem*, alludunt ad miraculum parietis quo sancta Marciana ab injuriis gladiatorum protegebatur.

[h] *Lauda.* Ps. VII, 3.

[i] *Sacrificium.* Ex Judith. XIII, 25; XV, 10.

[j] *Nec exercituum.* Aliquid hic deficit ; forte : *Cui ad præstandum donum gloriæ nec exercituum* desideratur numerositas, nec *diversitas impedit sexuum, sed consummatio tota præstantis in potestate* posita, in laudem *ipsius* redundat *collatoris ac Domini.*

[k] *Prebuerunt.* Lege *prebuit.*

[l] *Sacrata.* Forte, *sacrata virgo celebs.*

admissione premimur : per ipsius interventum apud A Deum cujus amore tormenta sustinuit : remissione peccatorum aliquantula sublevemur. ℟. Amen.

Alia Oratio. Domine Deus Jesu Christi Domini nostri ante cuncta principia genitor : et in fine seculi demonstrator : te supplices humili imploratione precamur : ut nobis in hunc diem sacratum Virginis tue Marciane collectis : nulla diabolice fraudis inlecebrosa inruptio subrepat : ut que vim sue carnis vincendo : sexum meruit transgredi genitalem : nos quoque sua tibi faciat esse placabiles prece : et que per carnis sue contemptum amori conexa est tuo : nos sue adsociet te miserante consortio. Queve triumphalem palmam adepta et sui sanguinis effusione : pro nobis apud te suffragetur in judicii futuri examine. Ut nos debita non puniamur ex pena : B qui ejus suffragio : nostraque te placari credimus obsequela. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Unigenite Dei fili : qui beatissimam famulam tuam Marcianam gemina muneris claritate vestisti : ut et virginitatis enitesceret merito : et martyriali adtolleretur triumpho : prebe eam suffragatricem esse mortalibus cunctis : que merito sui letatur in celis. Quo per eam et vivis et defunctis commoda tribuas : per quam nobis exempla castitatis insinuas. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Domine Jesu Christe ineffabilis pulcritudo justicie : qui inter lilia pasceris : et blandissimis delectaris Virginum choris : qui desponsatam tibi Marcianam fortissimam Virginem : tanto C charitatis amore junxisti : ut eam tibi et Virginem et Martyrem consecrares : presta ut sicut illa in paradiso tuo : immarcescibilibus sanctimonie tue atque martyrii sertis coronata triumphat : ita nos assiduo ejus patrocinio : a conluvionibus peccatorum : et inlecebris carnalibus abstrahas : ac defendas. Et sic tibi acceptos efficias : ut eterne indulgentie compotes reddas : et pacis tue muneribus glorificandos adtollas. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere satis justum et pulcrum est : nos semper te in tuis operibus conlaudare : eterne Deus Pater omnipotens. Et cum non sit equum : ut pro sancta tua gloria a pollutis labiis nomineris : justum tamen est : ut nec etatis nec sexus infirmitas pro tuis immensis rebus : a tuis D unquam debeat conticescere laudibus. Qui inter omnia que in hujus mundi officium libens creasti : hominem solum gloriosis tuis manibus ita formare jussisti : ut tue quoque similitudinis dignabili eum faceres pietate conformem. Ut ille interior habitus : qui ea quoque similitudine est formatus : quem ipse voluisti esse intelligibilem : sensum exteriorem suum habitu tuo faceret obedire precepto : et nequaquam uterque de tua laude sileret affectus : dum utriusque in tua jussa servitutis **340** consummaretur profectus. Quem utique interiorem : sic tibi beata famula tua Marciana custodivit : ut feceras : ut non in aliquo degenerari in se pateretur : nec minui quod crearas : filieque tuo Christo Domino nostro se preparans : in ejus dilectione quam semper habuit roborata permansit. Quia illi se maluit moriendo conjungi : cui se vivendo obtulerat consecrari. Ipsi sponsalicium custodivit pudorem : cujus semper concupivit habere amorem. Ipsi suam servavit fidem : cui se totam commisit devotione. Ipsius desideravit ornatum : cujus in se tenuit semper amplexum. Que parata ad nuptias venturum sperabat sponsum : adepta est celestis thalami dignitatem per suum martyrium. Dumque eum quem diligebat anima ejus quereret : ab eo qui eam in promptuarium paradisi introduceret inventa est : perfectam in se Christi retinens charitatem. Sanguinem non trepidavit suum effundi in terram : dum creatorem suum interioribus oculis videret : [a] intenta extenditur ligno : uritur flammis : laceratur ungulis. Stat mente immobilis : voce fortis : patientia laudabilis. De preteritis gaudens : de futuris exultans : de pollicitis non formidans. Comtemnit temporalem penam : dum gloriam indubitata fide sperat sempiternam. Impientur sancto cruore ulcera laterum loca : et per sulcos cruentos : liquor decurrit immaculatus. Dumque ad similitudinem crucis exaltatur ligno : animam immobiliter fixam tenet semper in celo. Merito ergo credimus hujus intercessu : tuum adesse nobis placatum aspectum : quem nostris sceleribus nobis fecimus esse adversum : per quod rogamus te : ut malorum nostrorum non recorderis : dum pietate solita parcis. Dumque ipsius semper ante te habes humillimas preces : quibus pro nobis incessabiliter exoraris : per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum : ante cujus conspectum sanctorum millia Angelorum : multitudo Martyrum : chorus Virginum : omnisque innumerabilis gloriosus exercitus beatorum non cessat clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : semper et benedictus : Dominus Deus omnipotens : quem previdebant sancte tue in suo conspectu : qui a dextris eis fuisti ne unquam commoverentur. Teque laudat indesinenter omnis exercitus Angelorum. Quia tu es Dominus ac Redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Te omnipotens Deus petimus et rogamus : ut hanc oblationem quam tibi fideli et humili devotione offerimus : suscipere digneris propicius : et nostre servitutis libamina ipse tibi facias acceptabilia. [b] Ut accepta per mysterium Sancti Spiritus : nobis sanctificata tribuas postulatione nostre salutis : et in odorem suavitatis accipias.

[a] *Intenta.* De equuleo, ungulis et lampadibus silent Acta Sanctæ Marcianæ, et vicissim nulla hic fit mentio bestiarum, leonis qui virginem non læsit, tauri a quo graviter vulnerata, neque pardi a quo dilaniata interfectaque est. De quibus in hymno Breviarii distincte agitur.

[b] *Ut accepta.* Lege : *Ut accepta et per ministerium sancti Spiritus sanctificata nobis tribuas, postulationemque nostræ salutis in odorem suavitatis accipias.*

℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Domine Jesu Christe : cujus imperio rabidissimus leo non solum a nece beatissime Virginis et Martyris Marciane abstinuit : verum etiam feritate deposita : ejus immaculatum corpus adortus : moleste contigere non presumit : presta nobis : ut nitore tui Sancti Spiritus circumsepti : immanitatem non timeamus leonis horrendi : sed majestatis tue virtute repulsus : semper a lesione nostra maneat alienus. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Benedictio. Omnipotens Dominus qui beatissimam Marcianam virginitatis ac pudicitie ornavit decore : mentes vestras expiet ab omni mundane corruptionis contagione. ℟. Amen. Quique huic prestitit suam idolis non inclinare cervicem : a vobis arceat spirituum malignorum tentationem. ℟. Amen. Ac sicut illa post victoriam letatur cum Christo : ita eadem patrocinante : reduces vos gaudeatis fieri paradiso. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

341 *Oratio.* Domine Jesu Christe : qui beatissimam Marcianam tibi testem : et Virginem consecrasti : dum te incorrupta sequitur : et pro te gloriosa mactatur : annue nobis precibus ejus : ut eadem suffragante quamvis indigni : et castitatis donum : et confessionis mereamur obtinere triumphum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est : In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Margarite Virginis :
Omnia dicantur unius Virginis. Folio 436.

Quirici Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. Folio 430.

Triumphum Sancte Crucis:
Omnia dicantur ut in Exaltatione. Folio 375.

Alexii Confessoris :
Omnia dicantur unius Confessoris. Folio 432.

IN FESTO SANCTARUM VIRGINUM ET MARTYRUM [a] JUSTE ET RUFINE.

Ad Missam. [b] *Officium.*

Vias tuas Domine pronunciavi : et exaudisti me. Docuisti me Deus justificationes tuas. Viam mandatorum tuorum cucurri Domine. ℣. Servavi mandata tua : et testimonia tua Domine. Quia omnes vie mee in conspectu tuo. *P.* Viam mandatorum tuorum. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum. Amen. *P.* Viam mandatorum.

Oratio. Domine Deus : qui Virginibus tuis glorioso amore flagrantibus concessisti : et querere et invenire dilectum : concede nobis ita a te ferventiori voto exquirere : ut fructuosi laboris mereamur reportare mercedem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Lectio Libri Proverbiorum Salomonis ([c] *Cap. XXXI*).

℟. Deo gratias.

Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus precium ejus. Confidit in ea cor viri sui : et spoliis ejus non indigebit. Reddet ei bonum et non malum : omnibus diebus vite sue. Quesivit lanam : et linum : et operata est consilio manuum suarum : facta est quasi navis institoris : de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit : deditque predam domesticis suis et cibaria ancillis suis. Consideravit agrum et emit eum. De fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit [d] fortiter lumbos suos : et ro-

[a] *Juste et Rufine.* De sanctis virginibus et martyribus Hispalensibus Justa et Rufina XVI Kalendas Julias agunt Missale et Breviarum Mozarabum officio et missa propriis; et Orationale Gothicum, pag. 125 : *Incipiunt orationes in diem sanctarum Justæ et Rufinæ*, XVI *Kal. Aug.* At in Romano Parvo, Adonis, Usuardi, Romano Baronii, aliisque quibusdam Martyrologiis, die XIV Kal. Augusti coluntur. Martyrologium antiquum Ecclesiæ Antissiodorensis, XIV Kal. Aug. : *Apud Hispaniam, Hispali civitate, sanctarum Justæ et Rufinæ martyrio coronatarum.* Ado prolixum, Usuardus brevius addunt elogium, quo tormenta quæ passæ sunt et mortis genus commemorantur. An in Apographis Hieronymianis de virginibus istis et martyribus mentio fiat, ambiguum est. In quibusdam XIV Kal. Augusti occurrit *Justæ* nomen, in aliis *Justi*, in aliis utrumque omittitur, et in nullo Justa simul cum sorore Rufina legitur. Acta earum exstant apud Tamaium de Salazar, in Martyrologio Hispano (*Tom. IV, pag.* 165), ad diem 19 Julii, quæ satis conveniunt cum iis quæ de virginibus istis in libris liturgicis Gotho-Hispanis leguntur, et cum Actis quæ Ado et Vincentius Bellovacensis (*Spec. hist. lib.* XIII, *cap.* 4) viderant. Erant igitur Justa et Rufina sorores virgines Hispalenses bonis fortunæ pauperes, quæ victum sibi, et unde egentibus subvenirent, labore manuum et fictilium mercimonia, quærebant. Accidit ut plebs pagana Salambonem (est ea Venus Syra Adonidem plangens) per urbem circumferens, stipem flagitaret. Cumque a Justa et Rufina vasa quædam ex iis quæ vendebant postulassent, reposuerunt illæ nefas sibi esse quidquam in cultum profani Idoli conferre, quo repulsu incensa plebs, alii virgines incessere maledictis, alii vasa fictilia pedibus conterere cœperunt. Eo in tumultu Salambo, de feretro decidens, confracta est. Pagani de comminuti numinis sui crimine virgines sorores accusantes, tanquam sacrilegas ad Diogenianum præsidem trahunt, a quo interrogatæ, cum Christianas se esse professæ fuissent, post equuleum, ungulas, aliaque tormenta, Justa in carcere, inedia, Rufina gladio, martyrii præmium consecuta est. Apud Adonem Gabinius episcopus corpus Justæ in puteum, projectum extraxisse, et in cœmeterio Hispalensi deposuisse dicitur. Hunc alii Sabinum episcopum Hispalensem esse contendunt, qui an. 285 ordinatus, concilio Illiberitano interfuisse creditur, atque inde colligunt Justam et Rufinam imperantibus Diocletiano et Maximiano passas esse. De reliquiis et cultu harum virginum apud Hispalenses aliasque Hispaniæ exterasque gentes, lege, si vacat, Bolland. (*T. IV Julii, pag.* 583).

[b] *Officium.* Ps. CXVIII, 26, 32. ℣. *Ibid.*, 168. *Pronuntiavi.* Vulg., *enuntiavi.*

[c] *Cap. XXXI.* Vers. 10, ad finem capitis.

[d] *Fortiter.* Ita LXX. *Fortitudine* Vulg.

beravit brachium suum. [a] Gustavit : quia bona est negociatio ejus : non extinguetur in nocte lucerna illius. Manum suam misit ad fortia : et digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi : et palmas suas extendit ad pauperes. Non timebit domui sue a frigoribus nivis : omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi : byssus et purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus : quando sederit cum senatoribus terre. Syndonem fecit et vendidit : et cingulum tradidit Chananeo. Fortitudo et decor indumentum ejus : et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientie : et lex clementie in lingua ejus. Consideravit semitas domus sue : et panem [b] ociosa non comedit. Surrexerunt filii ejus : et beatissimam predicaverunt : vir ejus et laudavit eam. Multe filie congregaverunt divitias : tu autem supergressa es universas. Fallax gratia : et vana est pulcritudo : mulier timens Deum ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum : et laudent eam in portis opera ejus.
℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.
℟. Et cum.

[c] *Psallendo*. Spem dedisti mihi Domine : hec me consolata est in humilitate mea. ℣. Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi. Memor fui judiciorum tuorum Domine. *P*. In humilitate. *Dicat Presb*. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios ([d] *II, cap. III*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus : ut sublimitas sit virtutis Dei : et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur : sed non angustiamur. Aporiamur : sed non destituimur. Persecutionem patimur : sed non derelinquimur. Dejicimur : sed non perimus. Semper mortificationem [e] Jesu Christi in corpore nostro circumferentes : ut et vita Jesu in cordibus nostris manifestetur. Semper enim nos qui vivimus : in mortem tradimur Jesu : ut et vita Jesu manifestetur in **342** carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur : vita autem in vobis. Habentes autem eundem spiritum fidei sicut scriptum est. Credidi propter quod locutus sum. Et nos credimus : propter quod et loquimur. Scientes quoniam qui suscitavit Dominum Jesum : et nos cum Jesu suscitabit : et constituet vobiscum. Omnia enim propter vos : ut gratia abundans [f] per multas gratiarum actiones abundet in gloriam Dei. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam ([g] *Cap. VII*).

In illis diebus. Rogabat Jesum quidam Phariseus : ut manducaret cum illo. Et ingressus domum discubuit. Et ecce mulier que erat in civitate peccatrix : ut cognovit quod accubuit in domo Pharisei : attulit alabastrum unguenti. Et stans retro secus pedes ejus : lachrymis cepit rigare pedes ejus : et capillis capitis sui tergebat : et osculabatur pedes ejus : et unguento ungebat. Videns autem Phariseus qui vocaverat eum : ait intra se dicens. Hic si esset propheta sciret utique : que et qualis est mulier : que tangit eum : quia peccatrix est. Et respondens Jesus dixit ad illum. Symon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait. Magister dic : et ait. Duo debitores erant cuidam feneratori : unus debebat denarios quingentos : alius quinquaginta. Non habentibus illis unde reddere : donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Symon dixit. Estimo : quia is cui plus donavit. At ille dixit. Recte judicasti. Et conversus ad mulierem : dixit Symoni. Vides hanc mulierem? intravi in domum tuam : aquam pedibus meis non dedisti. Hec autem lachrymis cepit rigare pedes meos : et capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti : hec autem ex quo intravit non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti : hec autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi : remittuntur ei peccata multa : quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur : minus diligit. Dixit autem ad illam. Remittuntur tibi peccata. Et ceperunt qui simul accumbebant dicere intra se. Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem. Fides tua te salvam fecit : vade in pace.
℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[h] *Lauda*. Alleluja. ℣. Audi filia et vide. Quia concupivit rex pulcritudinem tuam : et ipse est Deus tuus. *P*. Alleluja.

[i] *Sacrificium*. Offerte Domino holocausta et victimas vestras : decimas et primicias manuum vestrarum. Vota atque donaria : et comedite ex eis in conspectu Domini : ut benedicat vobis Dominus Deus vester. Alleluja ℣. Locutus est Dominus ad Moysen dicens : dabo populo meo talem habere mentem : ut timeant me : et custodiant mandata mea : ut benedicam eis et filiis eorum in sempiternum. Vade et dic eis : revertimini in tentoria vestra. *P*. Ut benedicam.

Missa. Devotissimam Sanctarum ac beatissimarum Juste et Rufine Martyrum fidem : et famosissimas toto orbe victorias : debito honore venerantes : omni studio : omnique intentione fratres charissimi : Domino supplicemus : ut sicuti earum virtutibus gratulamur : ita earum meritis copulemur. Neque nos desperare fas est : Martyris nobis gloriam quocumque in tempore posse donari. Namque iracundiam cohibuisse : insignis patientie est. Cupiditatem frenasse : palma virtutis est : et domuisse libidinem : corona martyrii est. Per hec diabolus infe-

[a] *Gustavit*. Vulg., *gustavit et vidit*. LXX, *gustavit quod bonum est operari*.
[b] *Ociosa*. LXX, *et cibos ociosa non comedit*.
[c] *Psallendo*. Ps. CXVIII, 49, 50. ℣. Ibid., 51, 52.
[d] *Cap. IV*. Vers. 7-16.
[e] *Jesu*. Vulg. et Græc., *propter Jesum*.
[f] *Per multas*. Vulg., *per multos in gratiarum actione*. Græc., *per multorum gratiarum actionem*.
[g] *Cap. VII*. Vers. 36, ad finem capitis.
[h] *Lauda*. Ps. XLIV, 11.
[i] *Sacrificium*. Ex Deuteronomio, XII, 6, 7. ℣. Deut. V, 29, 30.

stat : per que ista congreditur : et pleramque plus valent occulta bella : quam publica : dum minus erubescunt : qui sine teste operantur. Ad celum itaque oculos animumque vertamus : ut omnipotens Deus inspector cordis : cognitorque secreti cum probaverit sibi placere que querimus : voluntatem nostram sibi pro passione deputet : et vota pro sanguine. ℟. Amen.

Alia Oratio. Penitentia tuarum Domine Martyrum Juste et Rufine solennia celébrantes : que mercimonio fictilium vasculorum contempto : usque passionis meruerunt gloriam pervenire. Te acclives oramus : ut per eas apud te nostra accipiatur oratio : quarum tu letatus es de triumpho. Per eas evincamus cupiditatis incendia : per quas **343** ipse tortoris [a] evincisti tormenta : ipsisque nos intercedentibus corrige : quarum te victorem ostendisti in passione. Ut que tibi per gloriam meritorum : effecta sunt vasa virtutum : unumquemque nostrum apud te obtineat vas suum absque contagione possidere peccaminum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui nos per Apostolum tuum : propriis manibus victum querere precepisti : Sanctarum tuarum Juste et Rufine precibus spiritualem nobis attribue victum : et quotidianum pie miserationis subsidium. Ut he Virgines que suis manibus et proprie saluti : et indigentie provisores inopum extiterunt : suis suffragiis tam viventibus : quam defunctis congrua remedia largiantur. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Piissime redemptor et conditor universe carnis : qui patientia tuarum Virginum antiqui hostis contrivisti impulsum : qui predictarum Virginum societatem turbare ex confractione ausus est vasculorum. Dona nobis : ut immobiliter in nostris cordibus radicatus : infirma nostri corporis vasa fortia tibi per charitatis opera preparemus. Quo nullis elisi jaculis adversantis : indisrupte utamur muneribus pacis. *Respondetur*. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi immensas agere gratias omnipotens Trinitas Deus. Qui Martyres tuas Justam et Rufinam : victum sibi fictili commercio requirentes : [b] nefandis idolorum monstruosis dissipatisque : in honorem vanitatis offerri sibi proposita perurgebant : eo usque ad consummationem martyrii perduxisti : ut nulla insultantis caterve procacitate turbate : nullaque infestantis [c] principis ferocitate mollite : postremo nec ipsis penarum atrocitatibus fracte : te verum Deum integra confessione clamando infula passionis ornate : regnis celestibus jungerentur. Magnum est itaque ante passionem miraculum jam premissum : frangebantur itaque vasa fictilia : quia celestia per passionem parabantur immutari Martyrum membra. Non fuit temporale commercium : sed Christi negotium per quod possent emere sancte Martyres celum. O furor sacrilegus : se ipsum frangit in vasis : et Christum facit triumphare de sanctis. Sua non sunt membra que destruxit quas cum eterno Rege vivere facit : cum punit. Ecce innumerabiles non cessant [d] pene : et sanctissime Virgines Christum Dominum non desinunt preconari. Coctum adversarius dissipat : quod a sanctissimis Virginibus venditur lutum. Quia crudelitatem suam gehenne parabat exurendam incendio. Talis atrocitas veritate devincitur : sic humilitas cum superbia dimicat. Ut martyres quas per confractionem vasculorum diabolus condemnasse credebat : perfecta consummatione martyrii celeste regnum obtinuisse [e] gemescat. Unde majestatem tuam Pater piissime postulamus : ut quemadmodum illis in congressione passionis donasti constantiam : ita et nos vitiis carnalibus expiatos facias pervenire ad gaudia sempiterna. Per Christum cui merito omnes Angeli non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Quem sacre Virgines Justa et Rufina : vite operibus pariles : sociaque passionis consummatione felices. Ex illo [f] se questu pertenui fictilium vasculorum : vestierunt in paupere : collegerunt in hospite : satiarunt in sitiente. Sit igitur illi honor : et indefessa laudatio : qui horum munerum inspirator est pariter et susceptor. Cum ipse his se egere pronunciat : qui solus hec hominibus tribuenda inspirat. Ipse quippe horum inspirator : dum hic in membris suis pie reficitur : donata donantibus post multiplici fenore : se retribuente largitur. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Ob honorem passionis famularum tuarum Juste et Rufine : has tibi Deus Pater hostias immolantes : precamur : ut illarum interventu : que se tibi vasa mundissima exhibuerunt : hoc tibi oblatum sanctifices holocaustum. Prestans supplicibus nobis : ut quarum mercimonio dudum saciasti inopiam : pauperum harum prece rata tibi efficias vota fidelium populorum.

℟. Amen.

344 *Ad orationem Dominicam*.

Fac nos eterne Deus : ut unusquisque nostrum : vas suum in honore et sanctificatione possideat : qui Virgines tuas Justam et Rufinam ex questu fictilium vasculorum passionis perduxisti ad gloriam : quo emundatis conscientiis ad te proclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Benedictio. Christus Dominus vos sibi placita efficiat vasa : qui Justam et Rufinam sibi efficit vasa mundissima. ℟. Amen. Quique illas non passus est de fictilium vasculorum fractione tristari : nunquam

[a] *Evincisti*. Lege *evicisti*.

[b] *Nefandis*. Forte (*nefandis idolorum monstris dissipatis, cum in honorem vanitatis offerre stipem proposita pœna perurgebantur*) *eo usque*, etc.

[c] *Principis*. Forte, *præsidis*.

[d] *Pene*. Lege *pœnæ*.

[e] *Gemescat*. Lege *gemiscat*.

[f] *Se*. Lege *te*.

ves patiatur dissolutis compagibus interne mentis A inludi. ℟. Amen. Quo fortes corde et corpore : quarum nunc celebratis solemnia : perpetualiter percipiatis suffragia. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in fo.* 267.

Oratio. Confirma in visceribus nostris misericordie tue munera omnipotens Deus : ad augendam fidem nostram : ad corroborandam spem : ad illuminandam scientiam : ad multiplicandam charitatem : ad conservandam corporis et anime puritatem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. B Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

[a] SANCTE RUFINE VIRGINIS.

Ad Missam. Officium

Omnia mandata tua. *Oratio.* Domine Jesu Christe cui Virgo et Martyr Rufina. *Prophetia.* Lauda sterilis. *Require in Sancte Marciane. fo.* 338.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Psallendo.* Letabor ego super eloquia tua Domine : sicut qui invenit spolia multa. ℣. Iniquitatem odio habui : et abominatus sum : legem autem tuam dilexi. *P.* Sicut qui invenit. *Dicat Presb.* Silentium C facite.

Epistola. Qui statuit in corde suo. *Quere in communi unius Virginis. folio* 436.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([c] *Cap. X*).

In diebus illis Dominus noster Jesus Christus in quoddam castellum intravit : et mulier quedam Martha nomine excepit illum in domum suam : et huic erat soror Maria nomine : que etiam sedens secus pedes Domini : audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium : que stetit et ait. Domine non est cure : eo quod solam reliquit me soror mea ministrare? Dic ergo illi : ut adjuvet me. Et respondens dixit illi Dominus. Martha Martha solicita es : et turbaris erga plurima : porro unum est necessarium : Maria optimam partem D elegit : que non auferetur ab ea. Et cum hec diceret : extollens vocem quedam mulier de turba dixit illi. Beatus venter qui te portavit : et ubera que tu suxisti. At ille dixit. [d] Utique beati qui audiunt verbum Dei : et custodiunt illud. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Lauda.* Lauda anima mea Dominum : laudabo Dominum in vita mea : alleluja.

Sacrificium. Munera accepta erunt. *Quere in Sancta Leocadia. fol.* 416.

Missa. Adesto nunc precibus famulorum tuorum clementissime Deus : in hac celebritate gloriose Martyris tue Rufine : pro cujus invicto agone : tuis altaribus sacrificiorum libamina offerimus : et laudes cum exultatione cantamus. Tua est enim gratia : non solum viros : sed etiam feminas per fidei confessionem miris victoriis emicare : atque subacta nature conditione : hostem religionis agone justicie evincere. Hujus ergo in laudibus festisque solennibus : tuam clementiam flagitamus piissime Pater : ut adsit nobis in suffragium glorie ejus auxilium : perveniatque nobis passio ejusdem ad veniam : que illam eternam comitatur ad gloriam.

℟. Amen.

Alia Oratio. Sacratissimam passionem Martyris tue Rufine : tempore recurso celebrantes eterne Deus : hujusmodi [f] sacrificiis libamina tuis a te consecranda immolamus altaribus : invocantes clementiam tuam : ut **345** hoc sacrificium per intercessionem beatissime Martyris tue Rufine : repropiciationis nostre valeat coram te meritum obtinere. Atque ita pro nostris expiandis delictis : hujus libaminis ascendat oblatio : sicut Sancte tue Rufine per tolerantiam passionis : precessit gloriosa vocatio. ℟. Amen.

Post nomina. Recensitis nominibus Sanctorum fideliumque viventium : ac defunctorum : tuam summe Pater clementiam flagitamus : ut qui Sanctis tuis pro laboribus prestas coronam : defunctis conferas sortem quietis fidelibus repromissam : nobis quoque pietatis tue donum tribuas eternorum. ℟. Amen.

Ad pacem. Hec est fratres charissimi Ecclesie lex : et Christiani nominis forma : Deo atque hominibus pace conjungi : corde copulari. Pax sit in ore : pax sit in voluntate : pax sit in moribus : ac temporibus nostris. Ut dum per concordie vinculum unum sumus : Martyris tue Rufine meritis justicie fructibus decoremur : et in compagem : connexionemque Christi corporis maneamus. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere equum et salutare est : nos tibi omnipotens Deus gratias agere : sacrificia spiritualia celebrare : per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum. Cujus ob amorem Martyr tua Rufina : tanto vigore certaminis claruit : ut oblata [g] secum sui referentia ad palestram mirabilis prelii prestantior reperta viris : invicto agone consisteret : plus subjacens religioni : quam sexui. Imbecillitatem carnis exuperans con-

[a] *Sancte Rufine.* In Breviario Mozarabum singillatim de Justa et de Rufina propriis officiis agunt. In Missali sunt pariter binæ missæ, quarum prima est de ambabus, altera sanctæ Rufinæ propria, illatio utrisque communis est. Orationale Gothicum unico officio ambas has sacras virgines colit.

[b] *Psallendo.* Ps. CXVIII, 162. ℣. Ibid., 163.

[c] *Cap. X.* Vers. 38, ad finem capitis, et cap. XI, 27, 28.

[d] *Utique.* Vulg., *quin imo.* In vetustis Codicibus Vercellensi, Veronensi et Brixiensi, legitur : *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt*, omissis particulis *quin imo* aut similibus, et in fine particula *illud.*

[e] *Lauda.* Ps. CXLV, 2.

[f] *Sacrificiis.* Lege *Sacrificii.*

[g] *Secum sui referentia.* Tolle ista, et lege : *Ut oblata ad palestram mirabilis prælii*, etc.

stantia mentis : cujus compar prelii [a] gloriosaque non dissimilis [b] Rufina Martyr pervenit ad premium passionis. Utreque paupercule mundo : sed divites celo. Nihil habentes : sed omnia possidentes : gestantes in vasis fictilibus thesaurum non corruptibilium metallorum : sed celestium premiorum. Ex fragili quodam hujus vite usu supernas mercantes divitias : ad passionem veloces : ad tolerantiam fortes : stadium mundi congresse : vires diaboli zelo fidei conciderunt. Non robore corporis : sed tue auxilio potestatis. [c] Infirmitas quippe earum natura : inlustres coronas adepte sunt : quia nec fragilitas femine accessit : nec virtus in dolore [d] devicit. Quarumcumque tanta extiterunt insignia laudis : ut eliso demonum [e] simulacro : te Deum clara voce predicarent mundo. Colendum te creatorem cunctorum ostenderent : et redemptorem confessione mirabili adtestarentur. Sequipedes [f] Marie more comites extiterunt : contemnentes mundum et amantes Christum. Ille enim Apostolis denunciaverunt : Jesum ab inferis resurgentem : iste gentibus Christum in celis regnantem. Atque ita dum pari funguntur officio : pariter nunc [g] conlectantur regno et merito. Per ipsum cui merito omnes Angeli non cessant clamare : ita dicentes. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus semper : et benedictus Dominus Deus omnipotens : quem previdebant Sancte tue in suo conspectu : qui a dextris eis fuisti : ne unquam commoverentur. Te laudat indesinenter omnis exercitus Angelorum. Quia ipse es Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Te omnipotens Deus petimus et rogamus : ut hanc oblationem : quam tibi fideli et humili devotione offerimus : suscipere digneris propicius : et nostre servitutis libamina : ipse tibi facias acceptabilia. [h] Ut accepta per ministerium Sancti Spiritus nobis sanctificata : tribuas postulationem nostre salutis : in odoremque suavitatis accipias.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Oremus Patrem dilectissimi : sicut Magister docuit. Amica et familiaris oratio est : Deum de suo rogare : ad aures ejus ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater filii sui verba : dum precem fundimus : qui habitat intus in pectore : ipse sit et in voce : et cum ipsum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris : quando peccatores pro delictis nostris petimus : advocati verba proclamemus : clamantes : atque ita dicentes. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus qui Virginem suam Rufinam : casto sibi desponsavit amore : indissolubiliter vos sibi per suam charitatem **348** adsociet. ℟. Amen. Quique in illam virginitatis contulit donum : conferat in vobis sue gratie complementum. ℟. Amen. Ut qui virginitate caretis : ex meritis virginis Rufine potiamini gaudiis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. [i] Domine Jesu Christe : cui Virgo et Martyr Rufina : et integritate jungitur et sanguine sociatur : dum tibi et castimoniam vovit : et pro te sanguinem fudit : presta famulis supplicantibus : ut expiati a peccatis : tibi ita adhereamus : ne a te ulterius recedamus. ℟. Amen.

Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. *Chorus.* Deo gratias.

Marine Virginis :

Omnia dicantur unius Virginis precipue. fol. 436.

Margarite Virginis et Martyris :

Omnia dicantur unius Virginis ut supra.

Praxedis Virginis :

Omnia dicantur unius Virginis. fol. ut supra.

[j] IN FESTO SANCTE MARIE MAGDALENE.

Ad Missam. [k] *Officium.*

In omni opere suo dedit confessionem sanctam :

[a] *Gloriosaque.* Lege *gloriaque.*

[b] *Rufina.* Plerumque *Justa* appellatur soror Rufinæ.

[c] *Infirmitas.* Lege : *Infirmæ quippe natura illustres coronas adeptæ sunt.*

[d] *Devicit.* Lege *est devicta.*

[e] *Simulacro.* Simulacrum hoc Salambonis, seu Veneris Syræ aut Babyloniæ plangentis Adonidem fuisse, Acta harum virginum produnt. Lampridius, in Heliogabalo, cap. 7 : *Salambonem omni planctu et jactatione Syriaci cultus exhibuit, omen sibi faciens imminentis exitii.* Hesychius (*In Lexico*) : Σαλαμβώ, ἡ Ἀφροδίτη παρὰ βαβυλωνίοις. *Salambo, Venus apud Babylonios.* De etymologia hujus vocis *Salambo*, consule, si lubet, Salmasium : hoc autem simulacrum cum prope apothecam sacrarum virginum Justæ et Rufinæ in terram delapsum comminutumque fuisset, eisdem præclaram martyrii obeundi occasionem præbuit.

[f] *Marie.* Forte, *Mariarum.*

[g] *Conectantur.* Lege *collætantur.*

[h] *Ut accepta.* Eadem oratio est in missa sanctæ Marcianæ (*Pag.* 340). Vide ibidem notata.

[i] *Domine.* Hæc eadem oratio in Breviario legitur ad matutinum officii sanctæ Rufinæ, ex hac autem et ex aliis orationibus Breviarii, ac Missalis et Orationalis Gothici, apparet quantum a vero aberrent ii qui Justam et Rufinam, non virgines, sed matronas appellaverunt.

[j] *In festo.* De sancta Maria Magdalene silent libri omnes liturgici antiqui, præter Missale et Breviarium nostrum. Silent Apographa vetusta Martyrologii Hieronymiani, et Gellonense Martyrologium. At sanctam Mariam Magdalenam die 22 Julii commemorant Martyrologia Bedæ, Adonis, Usuardi, etc., et antea Romanum Parvum. Græci quoque, in Menologio Basilii, et in Menæis, die 22 Julii eamdem colunt. Si excipiantur ea quæ de sancta Maria Magdalene evangelistæ in Evangeliis et in libro Actuum tradiderunt, pauca supersunt ad eam spectantia quæ certo constent. Incertum est an fuerit mulier illa peccatrix de qua sanctus Lucas in Evangelio (*Cap* VII, 37) an virgo fuerit, an vidua, an fuerit soror Marthæ et Lazari, an martyr obierit, an reliquiæ ejus Constantinopoli, an in Gallia habeantur. De quibus consule em. Baronium (*In Annal., ad an.*

[k] *Officium.* Ecclesiastici. XLVII, 9. ℣. Ps. IX, 2.

alleluja. Verbum glorie et in corde suo hymnum A dixit : alleluja. ℣. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua. *P.* Verbum. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Verbum.

Oratio. Laudet te Domine lingua nostra : annunciando justicias tuas. Et exaltent labia nostra preconia veritatis : ut non dissolvantur vaniloquio falsitatis. Sicque tibi confitendo remissis criminibus exultemus : ut in congregatione justorum sacro agmine decantantes : vite beate efficiamur heredes. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Profetia. Mulierem fortem. *Require in Sanctarum Juste et Rufine. fol.* 341.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et B cum spiritu.

Psallendo. [a] Confitebor tibi Domine in vasis psalmorum : veritatem tuam psallam tibi in cythara Deus sancte Israel. ℣. Sed et lingua mea annunciabit justiciam tuam : tota die laudem tuam. *P.* Psallam tibi in.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos ([b] *Cap. X*).

Deo gratias.

Charissimi : hoc est verbum [c] filii Dei : quod predicamus : quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum : et in corde tuo credideris : quod Deus illum suscitavit a mortuis : salvus eris. Corde enim creditur ad justiciam : oris autem confessio fit ad salu- C tem. Dicit enim Scriptura. Omnis qui crediderit in eo : non confundetur. Non enim est distinctio inter Judeum et Grecum. Nam idem Dominus omnium : dives in omnibus : qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini : salvus erit. ℟. Amen.

Evangelium. Rogabat Jesum quidam phariseus. *Require in festo Sanctarum Juste et Rufine. fol.* 342. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Lauda.* Alleluja. ℣. Deus meus es tu et confitebor tibi : Deus meus es tu et exaltabo te. *P.* Alleluja.

[e] *Sacrificium.* Munera accepta erunt super altare D meum : et domus orationis mee honorabitur : alleluja. ℣. Letetur anima mea in Domino : induit enim me veste salutari : et tunica jocunditatis tanquam sponsus imposuit mihi mitram : ut sponsam decoravit me ornamento : sicut terra que producit flores suos : et sicut paradisus germina sua. *P.* Et domus orationis.

Missa. Domine Jesu Christe : qui ad agnitionem tui nominis Mariam Magdalenam ducere dignatus es : et eam a nexu criminum tua bonitate solvere voluisti. Concede nobis famulis tuis de tua misericordia confidentibus : ut tua pietate solita : et per ejus merita puro corde et mente devota : ad tui nominis confessionem pervenire mereamur inlesi. ℟. Amen.

Alia Oratio. Christe Jesu qui mentes et corda purificas : conscientias nostras petimus **347** ab omni contagione peccati abstergas : ut impollutis labiis confessionem veram de te plebi prodere conemur : sicut beata Maria Magdalena nomen tuum confitendo : meruit ab omnibus vitiis expiari : ita nos indignos et per peccatum maculatos : dignos et purificatos ad te per confessionem jubeas gratissime pervenire. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. O bone redemptor qui miserando parcis : et parcendo remittis : te diligentes ab omni periculo libera. Etiam fideli populo nomen tuum vere confitenti : et [f] Maria Magdalene festivitate congaudenti : peccatorum omnium remissionem plenariam concede. Et sicut dignatus es post lachrymarum rigationem Magdalenam ab omni sorde peccaminum emundare : ita nos purgatis mentibus : et vitiis extirpatis : consortes fieri facias tui regni celestis. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Omnipotens et immense Deus : qui Marie Magdalene placatus confessione : ad te animam ejus accedere jussisti : in pace tu nos : et pia peccatorum confessione salva : et fraterne dilectionis unanimitate justifica. Quo per Mariam Magdalenam et confessionis dono a vitiis emundemur : et pacis unitate tue visionis solacio potiamur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Pater : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Cujus nec fides necessitate sexus variatur : nec virtus teneritudine muliebrium artuum enervata dissolvitur. Invictum enim Ecclesie Catholice caput : ita suis membris subrogavit virtutis augmentum : ut non solum viros sui nominis testes : in certamine victores per patientiam redderet : verum etiam feminis triumphalem coronam per tolerantiam condonaret. Implacabilis quippe carnificis furor exquisita supplicia membris muliebribus admovebat : sed virilis in feminis virtus inlata cruciamenta tenebat. Nec enim

an. 33), Sollerium (*Apud Bolland., tom. V Jul., a p.* 187), Tillemontium (*Tom. II, Hist. eccl., a pag.* 28, *et a pag.* 471), Natalem Alexandrum (*Hist. eccl., sæc.* I, *diss.* 17), aliosque bene multos apud hos citatos. Græci aiunt sanctam Mariam Magdalenam Ephesi obiisse, e qua urbe corpus ejus Constantinopolim delatum fuit. A sæculo XII celebris erat cultus sanctæ Mariæ Magdalenæ Vezeliaci, in monasterio Burgundiæ cujus reliquiæ illuc, ut aiebant, Hierosolymis translatæ fuerant. Eam sanctam Mariam Magdalenam, cujus reliquiæ in Ecclesia fratrum Prædicatorum oppidi sancti Maximini, in Provincia, coluntur, sororem esse Marthæ et Lazari perhibent. De qua plura vide apud Natalem Alexandrum (*Hist. eccl., sæc.* I, *diss.* 17, p. 2).

[a] *Psallendo.* Ps. LXX, 22. ℣. Ibid., 24.

[b] *Cap. X.* Vers. 8-14.

[c] *Filii Dei.* Vulg. et Græca, Primasius et Ambrosiaster, *fidei* legunt.

[d] *Lauda.* Ps. CXVII, 28.

[e] *Sacrificium.* Est cento e verbis Scripturæ et alienis consutus.

[f] *Maria.* Lege *Mariæ*.

debuit fremitum viri formidare tortoris : que intimo A palacio mentis presenti fruebatur presidio Salvatoris : et que invicti Regis auxilio utebatur in corde : cruciatus fortiter vincebat in corpore. Sed in his omnibus Christus Dominus unigenitus tuus continuis laudibus est glorificandus : qui est ubique laudabilis : ubique mirabilis. Qui et Mariam Matrem inlibatam ab omni corruptione servavit : et Mariam Magdalenam sui nominis [a] fidelissimam testem in confessionem suscepit. Et sicut Mariam fecit Virginem permanere post partum : ita Mariam Magdalenam victricem fecit post transitum. Quem conlaudant omnes Angeli et Archangeli : ita dicentes. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : qui celestium non solum hymnum tibi vis offerri : sed meritum. Et sanctorum Angelorum tam votis uti : quam carmina admittere. Qui supernarum virtutum concentum in tua predicatione sumimus : etiam superioris vite affectu : ex correctione vivamus. Per Christum Dominum ac Redemptorem eternum.

Post pridie. Precibus Confessoris tue Marie Magdalene omnipotens Deus : hoc tibi oblatum a nobis sacrificium suscipe : et tue benedictionis perlustra sanctificatione. Ut dum ex his sumpserimus : quicquid in confessione poposcerit lingua : prelargiri dignetur tua miseratio consueta. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam. Deus qui beate Marie Magdalene penitentiam ita tibi placitam gratamque fecisti : ut non solum ei peccata dimitteres : sed C etiam singulari tuo amore grata cordis ejus intima perlustrares : da nobis tue propiciationis abundantiam : ut ejus solennitate letemur : cujus precibus apud te a peccatorum nostrorum maculis emundemur. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℣. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Christus Dominus qui beatissimam Mariam Magdalenam se digne coram hominibus confiteri fecit : confiteatur et nos coram Patre suo : qui est in celis. ℟. Amen. Et qui in ore suo accepta sibi confessionis contulit cantica : ipse confessionem nostram remunerandam suscipiat. ℟. Amen. Ut exemplo beatissime Marie Magdalene confitentis : confitendo et laudando nomen **348** Jesu Christi in seculum : participes ejus quam confessi sumus : mereamur esse in celo. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* Gustate. *Com.* Refecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* B 267.

Oratio. Domine Deus omnipotens : qui es vita et salus fidelium : quem venturum judicem credimus verum : esto nobis propicius. Et qui hanc oblationem pro nostra nostrorumque salute : vel pro expiatione nostrorum peccatorum : in honorem Sancte Marie Magdalene tibi obtulimus : misericordie opem in nos diffundi sentiamus. Ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium : dono tuo muneris consequi mereamur premium sempiternum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Apollinaris Episcopi et Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris Pontificis. folio 423.

In [b] *sancte Christine Virginis et Martyris :*
Ad Missam Officium.
Et omnia alia dicantur unius Virginis. fol. 436.

Missa. Plasmatorem generis humani fratres charissimi Virginis filium : pro Virginibus deprecemur :

[a] *Fidelissimam testem.* Gotho-Hispani esti cultum sanctæ Mariæ Magdalenæ a Græcis accepisse videantur, tamen in officio Breviarii, et in hac missa, docent eam non aliam esse quam mulierem illam peccatricem de qua Luc. VII, 37; quam opinionem sanctus Gregorius Magnus (*Hom.* 35 *et* 33 *in Evang.*) clare tenet, ejusque auctoritate adeo commendaverat, ut in Hispania et Gallia sæculo VII tanquam minime dubia recepta fuerit, quod ex Chrodoberti Turonensis episcopi judicio de muliere adultera, in notis ad sanctum Leonem (*T. II, pag.* 489, *Edit. Quesn.*) edito, et ex hoc officio Gotho-Hispano, colligere licet, in quo tamen nullibi innuunt Mariam Magdalenam sororem fuisse Lazari et Marthæ, eam autem aperte in oratione *post pridie* confessorem appellant, et in illatione tormenta pro fidei confessione passam esse ostendunt. Sane Modestus ille Hierosolymorum archiepiscopus (*Apud Photium, Bib. Cod.* 275) in homelia de myrophoris, seu de mulieribus ad sepulcrum Domini unguenta ferentibus, scribit in historia traditum esse Mariam Magdalenam virginem exstitisse, et martyrium subiisse, atque in urbe Ephesi *cursum* vitæ *apostolicum per martyrium* confecisse.

[b] *Sancte Christine.* Non una apud hagiologos sancta Christina virgo et martyr legitur. Kalendarium marmoreum Neapolitanum 13 Martii P. S. CHRISTINE signat, id est, *Passio sanctæ Christinæ* de qua eodem die Menæa Græcorum, Martyrologium Seberi, Menologium Sirleti, et ex eo Martyrologium Romanum Baronii agunt, eam autem in Perside passam tradunt. Alia est Christina virgo et martyr, quam cum martyribus Lampsacenis 15 Maii refert Menologium Basilii ab em. Hannibale Albano editum, et alia quam idem Menologium die 30 Maii commemorat, simul cum Eusebio Charalampo aliisque martyribus passa; sed omnium celeberrima est sancta Christina illa quam Græci pariter et Latini die 24 Julii colunt. De D qua Græci in laudato Menologio Basilii, Latini in vetustis Hieronymianis, in Romano Parvo, in Adonis, Bedæ genuino, Romano Baronii, aliisque passim Martyrologiis mentionem faciunt. Hanc Gotho-Hispani missa et officio proprio colunt. De patria ejus et loco martyrii ambigitur. Menologium Græcorum et Apographa Hieronymiana Christinam *in civitate Tyro* passam exhibent. Et Ado, ex Romano Parvo, IX Kal. *Aug.*, addit : *Apud Italiam in Tyro, quæ est circa lacum Vulsinum, natale sanctæ Christinæ virginis.* Et ex his Martyrologium antiquum Antissiodorensis Ecclesiæ : IX *Kal. Aug., in Italia, civitate Tyro, quæ est circa lacum Vulsinum, natale sanctæ Christinæ virginis et martyris.* Difficultatem auget quod nulla exstet probata memoria hujus civitatis Tyri ad lacum Vulsinum; quare non desunt qui, cum Græcis, putent sanctam hanc Christinam Tyri in Phœnicia martyrium fecisse, ejusque reliquias, in Italiam translatas, in oppidum aliquod juxta lacum Vulsinum collocatas fuisse. Ut

et in utroque sexu contra carnis incentiva [a] luctantes: diabolus compungatur: [b] in stimulis clipeum sue pietatis opponat: [c] famule vero Christine precibus: hec que in fidem passionis sue offerimus sacrificia: pariter omnibus nobis ornamenta concedat. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui Sanctam Martyrem tuam Christinam: celesti igne succensam lumen omnibus oblatione proprii corporis voluisti imitabilem demonstrare. Concede nobis: ut sicut illa superando spiritalium nequiciarum bella nomini tuo claruit: ita et nos devictis vitiorum criminibus perfecta cordium puritate tibi semper placere mereamur. ℟. Amen.

Post nomina. [d] Accipe venerabilis Martyr et Virgo Christina: etsi indigni cultoris officia: tandem et vota totius populi precantis attende: ut que es de meritorum tuorum remuneratione secura: sis etiam de nostrorum criminum remissione solicita. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui Virginum votis placaris: qui in martyrii oblatione letaris: dona nobis tibi offerre quo placeris: ut sancte Martyris et Virginis tue Christine consequamur auxilium: et tue propiciationis arbitrio tales efficiamur in die judicii: quales nos delibatos protulisti. ℟. Amen.

Inlatio. Equum et justum est: dignum et justum est: nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus: per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui beatissimam Virginem et Martyrem suam Christinam: diversis certaminibus dimicantem: celestibus muneribus cumulavit. Arguitur quidem multis tormentis: sed corona ipsius diversis margaritis ornatur in celis. Prestat ei divinus amor audaciam: quia ipsa victrix existit in pugna: in confessorem Dei sententia mutatur: et devicto seculo cum Patre et Filio et Spiritu Sancto gloriatur. [e] Permanet ejus merces gloriosa in celestia regna: et inter innumerabiles multitudines Sanctorum leta exultat in gloria. Atque cum Angelis et Archangelis non cessant dicentes. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Deus qui nos celestium non solum hymnum tibi vis offerri: sed meritum: et sanctorum Angelorum tam vota petere: quam carmina admittere. Qui supernarum virtutum concentum in tua predicatione sumimus: et etiam superioris vite affectum: fac ut ex correctione vivamus. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Hec igitur precepta servantes: [f] sacrosancta munera nostre salutis offerimus: obsecrantes te clementissime omnipotens Deus: ut infundere digneris Spiritum tuum Sanctum super hec libamina: ut fiat nobis legitima Eucharistia: in te filiique tui nomine: et Spiritus Sancti benedicta: in transformatione ejusdem corporis Domini nostri Jesu Christi filii tui edentibus nobis in vitam eternam regnumque [g] perpetuum. ℟. Amen.

349 *Ad orationem Dominicam.*

Deus a quo docente nos Spiritu paterno tuo Sancto: te nomine invocare presumimus: crea in nobis fidelium corda filiorum: ut promptam hereditatem mereamur ingredi: per devictam servitutem clamantes e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Respice Domine propicius hanc familiam tuam: ac sereni vultus illustratione: preces eorum suscipe: et hostias placatus adsume. ℟. Amen. Brachio tuo extento defende: et in gremio sancte Ecclesie fac permanere. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi Corpore. *Quere in Festo Corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui es vita. *Require in Festo Sancte Marie Magdalene. folio precedenti.*

In Festo Sancti Jacobi Apostoli.

Officium et omnia alia quere in Omnium Offerentium. fol. 220.

In festo Beatissime Anne Matris Marie.

Omnia dicantur ut in festo Sancte Marie Magdalene. fo. 342. *Preter Evangelium : quod est.* Simile est reguum celorum decem virginibus. *Quere fol.* 430.

in re dubia, donec certiora proferantur, opinor sanctam Christinam Italam esse atque *in civitate Thora ad lacum Velinum* passam. Nam de oppido Thora ad lacum Velinum posito exstat memoria antiqua; quo exciso, crevit oppidum *Pie de lugo* vulgo nuncupatum, et in Martyrologiis (ad diem 9 Julii, in civitate Thora passi sunt Anatolia et Audifex) *Tyro* et *Tyria* pro *Thora* legitur, et facile erat Velinum in Vulsinum deformare. De tempore martyrii sanctæ Christinæ nihil certi constat.

[a] *Luctantes.* Adde *protegat.*

[b] *In stimulis.* Forte, *illius stimulis.*

[c] *Famule.* Forte: *Famulæ vero suæ Christinæ precibus exoratus, per hæc... ornamenta castitatis concedat.*

[d] *Accipe.* Plerumque ad altare Deus rogatur ut, intercedentibus sanctis suis, nobis dona sua et beneficia concedat; aliquando tamen, etiam inter missarum solemnia, oratio directe ad sanctos dirigitur, iique rogantur ut vota nostra suscipiant, nobisque, quæ petimus, Dei dona obtineant, quod in missis Latinis et in liturgiis Græcorum et Orientalium observare licet.

[e] *Permanet.* Lege: *In cœlestibus regnis, et cum innumerabilibus multitudinibus sanctorum,* etc.

[f] *Sacrosancta.* Nimirum corpus et sanguinem Christi, atque munera consecrata, et *plene transformata.* Non est necesse sæpius repetere Gallos, et Gotho-Hispanos, imo et Romanos, omnesque Christianos, in suis liturgiis pro elementis consecratis orasse; alibi etiam monui *legitimam Eucharistiam* Gotho-Hispanis et Gallis dictam esse, eam quæ et consecrata fuerat ad *plenam transformationem* elementorum, et insuper benedicta fuerat ad dona Spiritus sancti rite communicantibus conferendum.

[g] *Perpetuum.* Adde *collatura potantibus.*

In festo [a] *Sancti* [b] *Christophori et comitum ejus.*
Officium.

Dabo sanctis meis. *Quere in festo Apostolorum Petri et Pauli. fol.* 335.

Oratio. Deus exultatio et palma sanctorum : Christophori vel comitum ejus Martyrum tuorum : exaudi nos supplices tuos : et presta : ut quorum in tuo amore [c] reliquias veneramur : et [d] emolumenta recolimus : eorum meritis ab omnibus malis liberari : et conservari mereamur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Justorum anime in manu Dei sunt. *Quere in communi plurimorum Martyrum. fol.* 428.

[e] *Psallendo.* Transivimus per ignem et aquam : et induxisti nos refrigerium. ℣. Probasti nos Deus sicut probatur argentum : posuisti tribulationes in dorso nostro. *P.* Et induxisti.

Dicat presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli [f] *ad Corinthios* (*I*, [g] *cap. II*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro : et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi : Pater misericordiarum : et Deus totius consolationis : qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : ut possimus et ipsi consolari eos : qui omni pressura sunt : per exhortationem : qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis : ita et per Christum abundet consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute : sive exhortamur pro vestra exhortatione : que operatur tolerantiam earundem passionum : quas et nos patimur : et spes nostra firma pro vobis. Scientes quoniam sicut socii passionum estis : sic eritis et consolationis. ℟. Amen.

Evangelium. Ecce ego mitto vos sicut oves. *Quere in communi plurimorum Martyrum. fol.* 426. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluja. ℣. Ambulabunt sancti gaudentes velut agni pleni pascue. *P.* Alleluja.

[h] *Sacrificium.* Omnes viri atque mulieres mente devota obtulerunt donaria : ut fierent opera que jusserat Dominus per manus Moysi cunctis filiis Israel voluntarie : alleluja.

Missa. Adest Christe reducto anni circulo : votivus alumne plebis conventus ad eximii sanctissimi Chri-

[a] *Sancti Christophori.* Celeberrimum est nomen sancti Christophori apud hagiographos tam Occidentis quam Orientis Ecclesiarum. In Apographis Hieronymianis, Lucensi Florentinii, VIII Kal. Aug. : *XPISTOFANI*; in Corbeiensi Dacherii, Christofori, ut in Missali nostro legitur. Bedæ in Martyrologio genuino, IV Kal. Maii, *nat. sancti Christophori* signatur, quem Ottobonianum, aliaque nonnulla Martyrologia sequuntur. Non unus apud Græcos colitur sanctus Christophorus; hunc autem, sub Decio passum, in Menologio Basilii, die 9 Maii commemorant; idem in Kalendario marmoreo Neapolitano bis signatur VIII Maii cum Græcis : N. S. CRISTOFORI. *Natale sancti Christofori.* Et iterum 24 Julii : N. S. CHRISTOPHORI. *Natale sancti Christophori.* Gotho Hispani sanctum Christophorum missa et proprio officio colunt, erant reliquiæ ejus Toleti, erant et basilica et monasterium Cordubæ, quorum sanctus Eulogius (*In Mem. sanct.*, *lib.* II, *cap.* 4, 9) mentionem facit. Acta sancti Christophori, quæ circumferuntur, vitiata prorsus sunt, de quibus plura apud Bollandianos (*Tom. VI Julii, a pag.* 25). His itaque prætermissis, inhærendum est iis quæ Gotho-Hispani in hymno Breviarii Mozarabum, et in nonnullis Breviarii et Missalis orationibus de sancto Christophoro tradunt. Fuit sanctus Christophorus gente barbarus, qui a conquisitoribus tironum a suis abstractus, et legioni Romanæ inscriptus, plures commilitonum, cum ipse Christianus esset, ad fidem Christi perduxit, cum quibus et ipse baptizatus est. Sed cum linguam Romanam non calleret, a Deo obtinuit ut Latine loqueretur, quo charismate munitus, multos e militibus atque multos etiam e populo ad Christum convertit. Hæc imperante Philippo contigisse credibile est ; quo sublato, cum a Decio principe edicta persecutionis proposita fuissent, sanctus Christophorus se diu latere non posse sentiens, ecclesiam adiit, Deumque rogavit ut si martyrio dignum judicaverat, virgam quam manu tenebat (erat fortasse vitis) frondescere juberet. Annuit Christus, illico virga multa fronde repletur, et brevi postea Christophorus a militibus captus, tribunali Cæsaris Decii sistitur, fidem Christi audacter profitetur, quam ob causam, cum aliis decem, post multa tormenta, gladio punitur, sed antea Gelonicam et Aquilinam, pugione confossos, ad palmam præmiserat. Hæc in Missali et Breviario Mozarabum de sancto Christophoro traduntur, quibus apparet in persecutione Decii, forte anno 250, passum esse. In Mœsia martyrium fecisse credibile est, a Decio Augusto, aut certe a Decio Cæsare, ob Christi fidem, morti traditus.

[b] *Christophori.* Lege *intercessione Christophori, etc.*

[c] *Reliquias.* Erant Toleti reliquiæ sancti Christophori. Tammaius de Salazar (*Martyrol. Hisp.*, *Tom. IV*, pag. 243).

[d] *Emolumenta.* Beneficia. Præclare ad rem præsentem Theodoretus (*De Curat. Græc. affectionum, cap.* 8), de gloria martyrum agens : *Et animæ quidem beatorum martyrum in cœlesti nunc patria vitam agunt, angelorum choris intersitæ ; eorum vero corpora, non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed civitates, oppida, paganique conventus hæc inter se partiti, laborantibus animis, ac ægrotis corporibus salutares eos confiteri non cessant... sectis itaque eorum corporibus, integra tamen vis et gratia perseverat, tenuesque ac tantillæ reliquiæ parem habent virtutem toti martyri nullas in partes dissecto; gratia enim quæ pollens vigensque persistit petentibus dona distribuit, fidei supplicantium liberalitatem suam commensa.* Eodem argumento sanctus Gregorius Nazianzenus (*Carm. iam.* 18) paganos urget, inde probans veritatem religionis Christianæ, et Christi Dei nostri potentiam, qui tantam virtutem iis dedit qui fidei causa supplicia et mortem passi sunt, ut non tantum integra eorum corpora, sed minimæ etiam eorum reliquiæ, dæmones fugarent morbosque depellerent, tantumque valerent exiguæ reliquiæ quantum integrum corpus; nam, inquit : *Exiguus pulvis, vel ossium particula, aut paululum comæ, vestisve, aut sanguinis sparsi notæ, parem vim habent integro martyri.* Cæterum in Oriente martyrum corpora in frusta secari, et per Ecclesias dividi, citius cœpta sunt quam in Occidente; tamen hujus contrariæ disciplinæ eadem ratio fuit, scilicet Ecclesiarum erga martyres suos cultus et veneratio ne minueretur, in Occidente corpora intacta servabant; in Oriente autem, ut eorumdem veneratio latius propagaretur, corpora martyrum in particulas secabant, qui mos paulatim etiam in Occidente receptus est.

[e] *Psallendo.* Ps. LXV, 12. ℣. Ibid., 10, 11.

[f] *Ad Corinthios* : *I* Cor. *ad Corinthios II*, cap. I.

[g] *Cap. II.* Vers. 3-8.

[h] *Sacrificium.* Ex Exod. XXV, 21.

stophori tui Martyris [a] collectus inclitum festum. Te rerum omnium mirabilium conditorem : cernuo poscentes affectu : ut perspicuo illo claritatis tue lumine mereamur inlustrari : per quod possit plebs tua caligine ignorantie carere : et sedere divino lustrata munere. In eo enim quod omnipotens cuncta ex nihilo creas : mirificus reperiris : [b] et dum ipsam creaturam variis dispositionum functionibus conspici prebes : miranda mirabiliter patras. Sed dum undique agnoscendum te verum Deum : per Catholice Fidei rudimenta : in una copulando jungis ecclesia : hec nos eminentiora mirabilibus misericordie **350** prospicimus referta muneribus. Dum enim predictum hunc Martyrem [c] aliene gentis lustratum fide : robustum mente invictum : efficis passione : spei nostre digna prebe subsidia gratie. [d] Quia per alios in aliis dona largiris : et in alios prebes unde aliorum indigentiam reples. Unde acclives quesumus : ut hujus gloriose palestre tuis presidiis tuti : ea que vanitati seculi dedita manent evellamus a mente : et victores maneamus conculcantes aereas potestates. Te pro nobis pugnante : et semper in nobis vincente. Sicque precepta tua impleamus solerter : ut fructum tibi beneplacitum exhibentes : dextere tue mereamur sine fine esse participes. ℟. Amen.

Alia Oratio. Hec est Domine Deus noster devota plebs : votive mentis annue votis : devotum munus exhibendo convenit : frui desiderans tui gloriosi Martyris Christophori presidio : quem dignum tua agnoscit munere : munificum gratia. Ille etenim iste est Christophorus : quem seva mundi hujus crudelium principum tela [e] a proprio gentis solo [f] expulit : sibi subdere [g] conaverat : letabunda magno illo dispensationis tue munere ignara. Que hunc ad se velut captum trahebat : a quo postmodum se expoliatam et [h] rubore proprio evacuatam cernebat. Suscepit eum tanquam per capturam humiliorem : quem post paululum contra se reperit fortiorem. Captus namque : captorem suum vicit : et velut captum expoliavit : cui paulo ante subditus mansit. Vere in omnibus se tibi Christe Domine imitabilem prebuit : qui gratiam nobis sortiri promeruit. Ex sacro etenim lavacro tinctus Christophorus est appellatus : quia Christum indutus : et Christi gratia jam refertus : Christi virtute firmatus : ut Christi etiam exemplo existeret gloriosus. Ut quia princeps hujus mundi diabolus : dum a paradiso subtractum genus humanum per carnis inlecebram gloriabatur subjectum : sibi nequiter copulare suo dominatui deputatum : velut victo dominans retineret : advenientem quoque pro redemptione [i] generis nostri : humanitate vestitum cerneret : velut ceterum genus humanum suo conabatur dominio mancipare : a quo captus et elisus omnem fidelium amisit cetum. Sic et Christophorus Christi virtute munitus : Decium Cesarem a militibus suis expoliatum : et a plebium agmine reddidit depopulatum. Hic Domine Martyr tuus a te et fide inluminatus : et nomine sublimatus : sit nobis patronus assiduus : sit defensor fortissimus. Et sic nos suo suffragio separet a mundi contagio : ut tibi copulando societ in regno superno. ℟. Amen.

Post nomina. Nominis tui Christe gratia preclarum militem tuum Christophorum munificans : et ejusdem nominis virtute ditatum locupletas. Cum tibi per eum multitudinem fidelium adgregas populorum : quos dignos martyrii nomine consecratos in perpetua exultatione suscipis gloriosos. Proinde quesumus te Domine Deus noster : ut [j] gratia nominis tui in qua signati sumus : inviolabiliter illam usque ad nostrum obitum conservemus. Ut gratia nobis succedente pro gratia : et fidem tibi inlibatam exhibeamus dum vivimus : et vite eterne premia capiamus post transitum. Sic etiam quesumus Domine predicto Martyre tuo suffragante : concessa sit requies fidelibus defunctis : ut mutata sorte tristium mansionum : celesti perfruantur societate justorum. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Christe Dei filii : qui [k] stigmate passionis tue præclaro munere dilatando : d.versa

[a] *Collectus.* Lege *collectæ.*

[b] *Et dum.* Forte, *sed dum* (fatemur) *undique agnoscendum te verum Deum,* qui *per Catholicæ fidei rudimenta in una copulando nos jungis Ecclesia,* hanc *eminentioribus mirabilibus misericordiæ luce perspicimus refertam muneribus, dum enim,* etc.

[c] *Aliene gentis.* Scilicet gentis quæ imperio Romano subdita non erat. Infra, *orat. ad pacem,* dicitur *alienæ gentis et fidei,* quo loco *fides* pro Sacramento militari accipitur; unde et *mutare fidem* dicuntur ii qui contra eos pugnant quibus antea militaverant. Sanctus Christophorus, in hymno Breviarii Mozarabum, describitur *elegans statura, mente elegantior, visu fulgens, corde vibrans et capillis rutilans ;* quibus indiciis, certe non Syrus aliquis, aut Palæstinus, sed Germanus, Gothus, aut Sarmata dignoscitur. In vulgatis Actis sanctus Christophorus gente *Cananæus,* atque etiam *Cynocephalus* fuisse traditur (*Bolland., t. V. Jul., ad diem* 25). Num forte sanctus Christophorus fuit gente Caninefas? Certe in Palæstina, a pluribus sæculis ante principatum Decii, oblitteratum fuerat Cananæorum nomen, et gens Cynocephala nulla nunquam exstitit; at Caninefatum haud ignota natio erat, ex ea gente alæ et cohortes Romanis militabant, nec alienum fuit ab ingenio nugatorum illorum qui Acta illa fictitia sancti Christophori consarcinarunt Caninefatem in *caninam faciem* deformare ; atque inde sanctum Christophorum Cynocephalum, monstrum dicere, qualis fingitur latrator Anubis.

[d] *Quia.* Forte, *qui.*

[e] *A proprio.* Breviarium Mozarabum, in capitulo ad vesperas, habet sanctum Christophorum *alienigena a gente* abstractum esse, *ut belligerator efficeretur fortissimus.* Scilicet a conquisitoribus, cum aliis tironibus, a patria et parentibus longe abactus fuit, hinc etiam in hoc officio *captus* dicitur; non quod fuerit conditionis servilis, sed quia tiro, cum eligitur, *miles capi* dicitur. Conquisitores etiam solebant tirones vincire ne fugerent, quod sancto Martino Turonensi contigit; ille enim *cum esset quindecim annorum, a conquisitore raptus* a suis, *et catenatus, sacramenti militaribus implicatus est,* ut Sulpicius Severus prodidit (*Vit. S. Mart., c.* 2).

[f] *Expulit.* Lege *expulerunt,* nisi forte *tela* singulari numero pro *fraude* accipiatur.

[g] *Conaverat.* Lege *conata fuerant.*

[h] *Rubore.* Forte, *robore.*

[i] *Generis nostri.* Adde : *Dei Filium humanitate vestitum cum cerneret,* etc.

[j] *Gratia.* Lege *gratiam.*

[k] *Stigmate.* Lege *stigmata.*

nationum genera naitati ecclesie tue consocias adgregando. Inter quos beatum Christophorum aliene gentis et fidei : tui gratia ditas : et nominis gloria decoras : et passionis ornamento glorificas : fac nos quesumus ita unitati sancte Ecclesie conjunctos existere : ut nunquam ab ejus discedamus societate. Sed sic charitatis tue munere in ea perpetim colligemur : ut fide et opere tibi placere in perpetuum mereamur.

Inlatio. Dignum et justum est : vere Domine equum et congruum est : te Dominum Deum nostrum fontem eterne beatitudinis : et indeficientem gloriam sempiterni muneris conlaudare. Qui tanto luminis dono lustrati hunc mundum : expellendo a cordibus fidelium principem tenebrarum : et largiendo credentibus charismata gratiarum. Ad quod munus non solum eos vocas qui humane conditionis integram retinent formam : sed etiam illos attrahis : **351** qui potentorum more [a] dissimiles extant ab humana conditione. Cùm enim misericordie tue munus non possit lege constringi : qui sicut inenarrabilis gloria immensus potentia preclarus gratia inextimabilis misericordia. Omnibus enim prestas quod tibi indeficienter extat : et digna prebes indignis : cum ipse largiendo non angustaris. Qui sanctum hunc Martyrem tuum Christophorum et corporali ostensione [b] terribilem : et gratia muneris eminentem : et gloria nominis tui demonstras potentem. Cujus initium fidei miraculis cepit ut primum incognite lingue loquelam acciperet : ut reserato vinculo oris promereret aliis eloquia predicationis. Tu enim Domine in hoc Martyre tuo hanc gratiam ostendisti virtutis : qui primum per sapientiam os mutorum aperuisti : et linguas infantium disertas fecisti. Sicque post hoc munus : duplici eum locupletas dono : dum militum ad se agmine intromisso et [c] corpora cibo : et corda pascit eloquio. Adgreditur dehinc numeroso fultus comite Cesarem : [d] et insuper cibi omentis erectum mortali gloria circumdatum : et nimio superbie culmine elevatum. [e] Quem ita suo almifico terruit aspectu : ut properaret cadere de solio suo. Vere Christicolam intuens magnum : cujus vultu territus : in se confusus extiterat inimicus. Exequitur post hec crudelis officia tormentorum : in quo se semper aspiciens : prius defecit mente : quam jussione. Et herens lingua guttori : sensusque mentis turbato : omnis ejus jussio cassatur in disposito. Frustratur denique crudelitate penarum magistri sui diaboli. Verum exquirit laqueum [f] ut per carnis delectamenta deciperet animam sanctam. Et in hoc sibi concessa speravit frui victoria : si illicitis eum motibus traheret ad luxuriam. Sed quid agit : qui inaniter laborat : cui iniquitas procuratur? Cum et sua perniciosa dispositione foret evacuatus : et eas quas ad decipiendum preparaverat : per martyrii gratiam preparaverat laureandas. Jamque post hec Sanctus Martyr : et militum sibi copulavit sodalitatem [g] et reliqua fidelium multitudine cruore martyrii purpurata : celorum Domino premisit in aula. Cum quibus ipse post consummatam gloriam passionis : inseparabili Trinitati et sempiterne divinitati : glorie hymnum dulci modulatione depromit : ita fideliter dicens. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus es Domine Deus noster : qui ex omnibus gentibus gloriosam assumis Ecclesiam : que tue passionis et resurrectionis gloriam : et augmentum capit per fidem : et glorie suscipit retributionem : cum tibi indesinenter beneplacitam exhibeat operationem. Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Preclaro Christe illo tue majestatis instructi oraculo : quem nos usque ad diem secundi adventus tui semper tue passionis : que est gloria nostre redemptionis : memorare jussisti. Ut hec nos commemoratio tibi faceret manere connexos : et a prave actionis nexibus absolutos. Obtentu Martyris tui Christophori fac nos sequaces esse tue gloriosissime passionis : ut repleti gratia Spiritus Sancti : carnem subjiciamus anime : et animam tibi. Ut purificato cordis receptaculo : sumamus precium nostre redemptionis : et ob hoc te sequamur ad gloriam resurrectionis.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Eximio eminentie munere immensa tua pietas eminet Christe : in quo sepe indignis dona largiris : dum et prevenis misericordia volentes : et provehis laureandos in celis. Qui Sanctum tuum Christophorum Martyrem : dum juxta quod in omnibus consueta species manet : [h] dissimilis extat : repositionem

[a] *Dissimiles.* Hoc est, qui non modo gentes quæ civiliter vivunt, sed barbaras etiam nationes, quæ humanitatem exuisse videntur, ad fidem vocas.

[b] *Terribilem.* Apage ista, aliaque similia, ex vitiatis Actis interpolata. Sanctus Christophorus non fuit monstrum aliquod, neque corpore fuit immanis et vastus. Imo fuit decorus, et elegans corpore, ut in hymno Gotho-Hispani officii legitur.

[c] *Corpora cibo.* Sanctus, ut contubernales suos demereretur, peculiari cura illis cibos in castris præparabat.

[d] *Et insuper.* Locus mendosus; forte, *in superbi throni ornamentis erectum.*

[e] *Quem ita.* Et hæc interpolata.

[f] *Ut per carnis.* Et hæc e vitiatis Actis interpolata supponunt Aquilinam et Galonicam mulieres meretrices fuisse, quas, ut habent Acta apud Surium, ad sanctum Christophorum sollicitandum miserunt, easque aiunt ejus opera ad Christum conversas martyrium subiisse; sed Galonica et Aquilina erant milites, commanipulares sancti Christophori, qui, ob fidem Christi, pugione ante alios confossi, ad palmam pervenerunt, ut aperte in hymno Breviarii legitur:

Aquilinam tunc deinde, sanctumque Gelonicam
Vehementer pœnis actum sævienter dedicat.
Pugione consecravit memoratos milites.

Pluraque autem nomina propria virorum apud Gothos et Saxones antiquos in *a* desinebant, cujus rei ignorantia eos quoque decepit qui Sunniam et Fretelam, ad quos epist. 106 (*Edit. Veron.*) sanctus Hieronymus scribit, sacras Virgines fuisse opinati sunt.

[g] *Et reliqua.* Lege *et reliquam.... multitudinem... purpuratam.... præmisit in aulam.*

[h] *Dissimilis.* Hæc etiam alludunt ad faciem caninam quam Acta vitiata sancto Christophoro tribuunt.

tanto fidei cremasti ardore : ut tuo fretum munere : A et inimicis eum ostenderis in terrore : et victorem illum feceris in passionis agone. Prebe nobis quesumus similem te sequendo obtinere amorem. Ut qui nostro ex merito indigni sumus servi vocari : ejus suffragio te Patrem mereamur adoptivum habere : ut libera voce semper ad te clamemus e terris. Pater noster.

352 *Dicat Presbiter.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dei filius : a quo cuncta constat esse creata : faciat vos in beneplacito sibi manere opere. ℟. Amen. Ut qui beatum Christophorum gratia sua prestat locupletem esse : faciat vos ejus meritis sibi placabiles existere. ℟. Amen. Ut sicut per ejus magnum certamen sibi adgregavit multitu- B dinem Sanctorum : ita ejus suffragio dignetur vestra abolere omnia contagia peccatorum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in Festo Corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui convertis ignorantes : et reducis ad viam veritatis de errore in scientiam : et commutas fera in humana : presta misericordiam omnibus invocantibus nomen beatorum Christophori Martyris tui atque comitum ejus : ut non tantum ab angustiis et tribulationibus hujus seculi eruantur : sed ab illo loco in quo requies est amara : et sempiternus dolor inhabitat. ℟. Amen. C Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum : qui tecum et cum Spiritu Sancto unus Deus vivit et regnat in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. *Chorus.* Deo gratias.

In natale Sanctorum septem Dormientium :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

In natale Sanctorum Nazarii : Celsi : et Pantaleonis :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. ut supra.

In festo [a] *Sancti Felicis Martyris.*

Ad Missam Officium.

Gloriam et magnum decorem. *Quere in communi unius Martyris. fol.* 421.

Oratio. Deus cujus honor sanctitas est : quem di- D ligere salus est : et amare perfectio : inlabere in cordibus nostris : et da in omni Ecclesia tua Martyris tui Felicis lucere vestigia. Ut te regente omnium gressus : ea nos via perducat ad vitam : que beatissimum Martyrem tuum extulit ad coronam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Profetia. Beatus vir qui non est lapsus verbo. *Quere in communi unius Martyris.* 421.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[b] *Psallendo.* Exurge Domine et intende judicio meo Deus meus : et Dominus meus in causam meam. ℣. Effunde frameam : et conclude adversus eos qui me persequuntur : dic anime mee : salus tua ego sum. *P.* Deus meus.

Dicat Presbiter. Silentium facite. *Epistola.* Confortare in gratia que est in Christo Jesu *Evangelium.* Una dierum Dominus etc. *Quere in com. unius Martyris. fol.* 423. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. *Lauda.* Alleluja. ℣. Beatus homo. *Sacrificium.* Fulgebit justus. *Quere in com. unius Martyris. fol.* 422.

Missa. Omni cura : omni studio : omnique devotione fratres charissimi diem hunc : quem beatissimus Felix effusione sanguinis sui pro Christi nomine felici martyrio consecravit : divinis officiis celebremus. Qui Salvatoris nostri precepta custodiens : dum studio secularium litterarum Cesarea degeret : perfectus in legem Domini Sanctam Hierusalem Felix intravit. Et quod in ista de ambitione humane institutionis amisit : in illa Angelorum societatem divina contemplatione promeruit. In ista reliquit temporalem ac perituram stulticie sapientiam : in illa adquisivit eternam in Deo manentem veram sapientiam. Hujus igitur presidio Deum communi prece poscamus : ut qui illum ditavit virtutibus : nobis per eum suis dignetur suffragare muneribus. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui beatissimum Felicem Martyrem tuum : ita Sancti Spiritus calore inflammasti : ut contemptu rerum presentium : te sequeretur : et promissionis tue donis celestibus ditaretur. Qui in [c] genitali solo tepescente persecutionis flamma : dum miles tuus in quo pro tuo nomine certaretur : inquireret : et inexardescentem declinare a civitate in civitatem sciret : 353 zelo tui amoris armatus :

[a] *Sancti Felicis.* De sancto Felice celebri martyre Gerundensi Prudentius (*Hym. 4 de cor.*) canit :

> Parva Felicis decus exhibebit
> Artubus sacris locuples Gerunda.

De eodem sanctus Eulogius (*Mem. sanct. l.* 1), sanctus Gregorius Turonensis (*De Glor. Mart. l.* 1, *c.* 92), meminerunt. De eodem J. Tamaius (*Martyrol. Hisp. t. IV*, *p.* 332) et Sollerius (*Apud Bolland. t. I August., pag.* 22) satis fuse agunt. Acta ejus ex Miss. Codice Moissacensi (*Apud Bolland., t. I Aug. pag.* 26) edita sunt. Tamaius (*in Martyrol. Hisp., t. IV, p.* 333) breviora dedit ex *vetusto Legendario Hispalensi*). Apud Hispanos non uno die colebatur sanctus Felix ; nam in Missali Mozarabum IV Kal. Augusti missa propria, in Breviario Mozarabum pr. Nonas Augusti, officio proprio gaudet ; at in Orationali Gothico (*Pag.* 127) titulus legitur : *Incipiunt orationes in diem sancti Felicis, ad vesperum completuria, Kal. Aug.*, et sane Kalendis Augusti commemoratur in Martyrologiis Hieronymianis vetustioribus et in Martyrologiis Adonis, Flori, Usuardi, Notkeri, et Romano Baronii. Porro hic sanctus Felix distinguendus est ab alio sancto Felice martyre Gerundensi, qui die 18 Martii colitur, quique, ut ferunt, diaconus fuit sancti Narcissi episcopi.

[b] *Psallendo.* Ps. XXXIV, 23. ℣. Ibid., 3.

[c] *Genitali solo.* Erat enim sanctus Felix natione Afer, qui cum in Hispaniam venisset ut sanguinem pro Christo funderet (*S. Eulog., Mem. sanct. l.* 1) captus Gerundæ, initio persecutionis, inter primos sævitiam Daciani expertus est.

non ad ostium se elegit abscondere : sed in acie ubi certamen ageretur immittere. His itaque patrie cedens ponti freta transcurrens : te qui ubique totus es querens : Gerundam usque pervenit. In qua ut bonus negociator preciosam margaritam : quam distractis omnibus comparaverat : cunctis fidelibus preponebat. Per quam et fortes in fide construeret : et dubios fidei fideliter reformaret. Non formidando de presentibus penis : sed properando congaudens premiis de eternis. Unde precamur te omnipotens Deus : ut ejus suffragio nos tuearis de celis : cujus martyrium cultu tuo celebramus de terris. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui auctor felicitatis eterne es : Felicis Sancti tui obtentu serenus recepta offerentis populi votum : et cunctis tribue remedium postulatum. Sicque per illum pius opitulator assiste precibus nostris : ut defunctorum spiritus beatorum consortiis consoleris. Quo illo interveniente feliciter vivamus in seculo : qui nomine Felix et merito : felici est pro te consecratus martyrio. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Jesu Dei fili : qui felices animas beatorum in celestem Hierusalem feliciter locans : felices eos qui in ejus pace gaudent divina auctoritatis sententia prolata denuncias. Fac nos feliciter Felicis tui merito in ipsius superne Hierusalem perenni felicitate letari : atque illius de die in diem desideriis renovari : et sicut hujus civitatis avidus negociator hic Sanctissimus extitit Felix : qui probitate morum potissimus : et patria exul et rebus tumentis seculi sapientiam deserturus : celestes accumulans fructus : ad illam conscendit cum his que adquisierat coronatus : ita quoque nos te opitulante streuui negociatores in hac vita pacis et charitatis effecti : sic omnia que gerimus in tua et proximi dilectione agamus : ut dignum conquestum huic sancte patrie coronaturi post nostrum transitum deportemus.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : satis nobis conveniens : tibique dignum est vere : ut gratias referamus tua creatura : tue majestati Domine omnipotens sempiterne Deus per Jesum Christum filium tuum : si tamen fueris dignatus inspirare : quas tibi possimus grates persolvere. Nam nihil tibi dignum servitutis est nostre : nisi quod dignum effici possit dederis ipse. Unde cum in Sanctis tuis cernimus mirabilem te : mirabilia conspicimus a Sanctis fieri per te. [a] Tu es enim qui facis mirabilia solus. Quis enim reticeat laudes tuas ? quas nec intellectu colligere : nec lingua possumus dicere : et tamen obstestatione tui compellimur non reticere. Tu enim Felici tuo felicitatem conferens : primum Christi tui enim agnitione inlustrem : dehinc lavacri unda prestantem. Post hec laudabilis vite moderamen continentem : postremo martyrii fecisti congressione ammirabilem. Cunctis similiter insinuans posse te impertiri : si similiter cuncti gratie tue vellent adherere. Aut si certa omnium merita : dispensatione tua per distributionem munerum : et multimoda actione sua : non ostenderes a semetipsis discreta. Quid sunt enim bona merita nostra : nisi dona tua ? Et ideo benedicimus te : gratias agimus tibi : magnificamus et conlaudamus te. Creasti enim omnia bonitate : redemisti miseratione : amas benignitate. Et cum in omnia opera tua : ab operibus tuis intelligaris omnipotens : minus de te profertur : quam sentitur : et plus est procul dubio : quam sentiatur. Quid enim dignum loquetur caro de spiritu ? natura lutea de opifice suo ? mortalis de vita ? temporalis de eterno ? homo de Deo ? sed quoniam in contemplatione tua deficit : non modo viciata : sed etiam illa superna et purgata creatura : nihil conducibilius nobis esse credimus : si in hac festivitate Martyris tui Felicis : felicitate Felix : et nomine : redempti unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi sanguine : votum nostrarum precum cum supernis virtutibus noveno numero consecratis : nos oves pascue tue recepti in denarium : ut continuemus clamantes : et dicentes. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

354 *Post Sanctus.* Vere sanctus : vere gloriosus es et ammirabilis Deus Pater omnipotens. Qui beatissimum Martyrem tuum Felicem : ita magisterio fecisti evangelice predicationis instructum : ut dum relicta patria : exul te luminum Patrem quereret : ut non obtecta modio : sed super candelabrum lucerna fidei cunctis in Ecclesia perluceret : sevientem fidei persecutorem inimicum [b] non quesitus aufugit : sed querens cum quo certaret invenit. Qui cum [c] comprehensores cruentis tribunalibus ob confessionem tui nominis [d] sisteret : et primum lenocinatione sermonum Sanctum tuum suasionibus inimici inlecebrare tentarent : pectus quod tu sera gratie tue firmaveras telo reserare non valuerunt inimici. Ingerit itaque insaciata crudelitas imi squallorem carceris ferri pondera. Inedie tabem : flagellorum sulcam ungularum lacerationem : maris naufragia : totaque perversitate mentis terrere militem tuum attentat. Sed tu adjutor fortis : dum in omnibus facis victorem Martyrem

[a] *Tu es enim.* Hoc loco quæ ad laudem sancti Felicis pertinent congeruntur. A Gerundensibus *doctor* et *apostolus* appellatur : incertum tamen est an monachus, an clericus fuerit. In Actis apud Joannem Tamaium sancti *Cucufatis frater* nuncupatur; hoc loco tamen de ejus cum sancto Cucufate consanguinitate, et familiaritate cum sancta Eulalia Barcinonensi prorsus siletur. Videtur sanctus Felix fuisse homo laicus ; qui, mercaturæ faciendæ prætextu, Christianis subveniebat, et Christi doctrinam spargebat. Sanctus Eulogius (*Mem. sanct., lib.* I) de sancto Felice scribit : *Felicissimus martyr Felix, cum fideli relatu persecutionem Catholicorum quæ apud Gerundam, Hispaniæ urbem, confinem Galliæ, gerebatur comperiret, crudeliterque Ecclesiam Dei ibidem a paganis infestari cognosceret, extemplo, litteraturæ liberalis studium derelinquens, quod in Cæsareæ Mauritaniæ positus excolebat, præpeti navigatione, æquore transmisso, prædictum oppidum adiit, ibique martyrium, quod patriæ suæ deerat, devotus Christi miles triumphabiliter consummavit.*

[b] *Non quæsitus aufugit.* Forte, *quæsitus non aufugit.* Certe sanctus Eulogius enumerat Felicem hunc inter eos martyres qui sponte se obtulerunt et coronati sunt.

[c] *Comprehensores.* Lege *comprehensus.*

[d] *Sisteret.* Lege *sisteretur.*

tuum : deficientibus penis : fatetur se etiam adversa- A rius victum. Ut sentiret se divino judicio penis subditum : qui vanis supersticionibus deditus cogebat tormentis subdi Martyrem tuum. Insaniens itaque victa crudelitas Sanctum interfici jubet : carcere trusum : sed Felix triomphator Dominum Deum confessus in terris : felicem animam triumphantibus Angelis premisit in celis. Christo Domine Redemptori nostro.

Post pridie. Oratio. Unigenite Deus noster : qui pro beatissimi militis tui Felicis fide remuneraturus aspiciens : non eum solo deseris : non etiam pelago. Cum divinitatis tue auxilio ubique munitus : et in terra consistens : adversarium conterit verbis : et mari adgrediens fluidas suis submittit undas vestigiis. Quesumus : ut hujus Martyris mollitus suffragio : vitam B nostram eluens : ceno eruas a profundo : conferendo sanctificationem oblatis : et perpetuam benedictionem sumpturis : quo te Dominum nostrum et corde et labiis perenniter confiteamur mundissimis : quem idem Martyr Angelis immixtus conlaudavit vocibus suis. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Omnipotens Domine : qui es auctor felicitatis eterne : impetrante quesumus Sancto tuo Felice : squalorem a nobis nostre infelicitatis absterge : ut apud te in eternum cum ipso feliciter gaudeamus : cujus congaudentes felicitati : festa hodie solennia celebramus : proclamantes e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. C

Benedictio. Felices vos Dominus Martyris sui Felicis intercessione efficiat : et omnia mala a vobis depellat. ℟. Amen. Presentem vitam feliciter agere concedat : ac vobis benedictione perpetua benedicat ℟. Amen. Nullum ex vobis infelicem esse permittat : sed felicibus vobis felicior semper occurrat. ℟. Amen Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore. *Require in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Presta nobis omnipotens Deus beatissimi tui Felicis assiduum patrocinium : ut ejus quoque preclarum assequi mereamur exemplum. Ut sentientes impensissime suffragantem : sequamur fortissime preliantem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

In festo Sanctorum Simplicii : Faustini : et Beatricis : Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

In festo Sancte Marthe hospite Christi : Omnia dicantur unius virginis. fol. 436.

In festo Sanctorum Abdon et Sennen Martyrum : Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

In festo Sancti Germani Episcopi et confessoris : Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fol. 432.

Vincula Sancti Petri : Omnia dicantur ut in Cathedra. fol. 312.

In festo Machabeorum Martyrum : Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

355 *In festo Sancti Stephani Pape et Martyris : Omnia dicantur unius Martyris Pontificis.* 423.

Inventio Sancti Stephani Martyris : Omnia dicantur ut in alio festo majori. fol. 42.

In festo Sancti Petri Exomensis : Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fol. 432.

In festo Sancti Dominici de Ordine Predicatorum : Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432.

Eodem die Sancte Marie de Nivibus : Omnia dicantur ut in Assumptione. folio 561.

Transfiguratio Domini : Omnia dicantur ut in Dominico post Pentecosten. fol. 263. *In festo Sanctorum* [a] *Justi et Pastoris ad Missam officium : omnia alia plurimorum Martyrum. fol.* 426, *excepta Missa.*

Missa. Dominum Jesum Christum auctorem justicie : et celestis alimonie largitorem fratres charis-

[a] *Justi et Pastoris.* Justus et Pastor, fratres Complutenses, cum tenera adhuc ætate litterarum elementis imbuerentur, audientes Dacianum Complutum ad Christianos puniendos venisse, projectis in ludo elementario tabulis ad tribunal præsidis recto contenderunt, et se fidem legemque Christi amplexos, deos vanos non adorare, ultro professi sunt ; quam ob causam statim cæsi, mox extra urbem ducti decollantur. Corpora martyrum, ut ceciderant, ab invicem sejuncta, fideles in eodem campo sepelierunt, ubi per annos supra octoginta, humo et longa temporis oblivione obruta, sine cultu jacuerunt, donec Asturius, episcopus Toletanus, divina revelatione commonitus, diligenter quæsita tandem detexit (*S. Ildeph., in addit. ad libr. S. Isid. de Vir. Illustr.*). Asturius autem sacra pignora in iisdem tumulis reposuit in quibus invenerat, ratus nullum locum condendis eorum reliquiis martyribus acceptiorem fore illo ipso quem cruore suo olim consacraverant. Basilicam itaque erexit, et in ea binas Deo aras constituit, quarum una Justi, altera Pastoris, corpus tegebatur ; exinde locus iste crebris atque ingentibus miraculis, Deo operante, clarescere cœpit, cultusque Justi et Pastoris per omnem Hispaniam vicinasque regiones late diffusus est. Gotho-Hispani VIII Idus Augusti missa et officio proprio Justum et Pastorem colunt. In Orationali Gothico (*Pag.* 130) exstat titulus : *Incipit oratio, vel benedictio, de festivitate sanctorum Justi et Pastoris*, etc., VIII *Id. Aug.* Et in lapide Caradignano, apud Morales D (*Chron. gener. Hisp. lib.* x, *fol.* 355, *pag.* 1), duceuti monachi interfecti a Saracenis leguntur *octavo Idus Augusti, die sanctorum martyrum Justi et Pastoris.* Eodem quoque die horum festivitas inscribitur Martyrologiis Adonis, Usuardi, Gallicano Martenii, et Romano Baronii ; at Martyrologia Hieronymiana, Lucense Florentinii, Corbeiense Dacherii, Richenoviense, Augustanum, Reginæ, Labbeanum, utrumque Antissiodorense, Gellonense, Fuldense, Ottobonianum, et fortasse alia quædam, VIII Kal. Septembris de Justo et Pastore agunt. Acta præsidialia horum martyrum nulla olim exstitere, siquidem, ne auditi quidem, nec pro tribunali a præside interrogati, gladio puniti fuerunt, quare quæ in missa et officio Gotho-Hispano de eorum martyrio traduntur certiora habenda sunt. Missa enim et officium sancto Asturio, Toletano episcopo, qui Justi et Pastoris corpora invenit, haud vana conjectura, auctori tribuuntur. Exstant apud Bollandianos (*Tom. II Augusti, pag.*

simi unanimes deprecemur : ut nos in die electorum Justi et Pastoris Martyrum suorum justicie fructu locupletet : et salutaris verbi sacramento reficiat. Justi sui precibus peccatores justificet : et Pastoris patrociniis tueatur Catholicum gregem. Atque ita utrorumque Sanctorum preces suscipiat : ut cunctorum supplicantium peccata dimittat. Det nobis in tanta festivitate leticiam : omnique Christiane congregationi concordiam. Deprecantium se voces exaudiat : languentibus medelam infundat : oppressis libertatem : discordantibus tribuat pacem : laborantium necessitatibus subveniat : populorum vota multiplicet : suscipiat vota fideliter : que inspiravit offerenda clementer. Et quodcumque non facile prestatur indignis : totum nobis pro suis quibus nihil [a] abnegat imperciat Sanctis. ℟. Amen.

Alia Oratio. Domine qui es justus justorum : et pastor piissimus animarum : qui Justum et Pastorem innocentes : in regno tuo Martyres suscepisti : tribue in nobis innocentiam tenere : dum vivimus : et justiciam custodire : dum judicamus. Ut etiam defuncti in consortio tuorum Sanctorum sine fine vivamus. Quatenus eorum vestigiis inherentes : non ab illis per mala opera afficiamur exteri : qui te confitendo propter te mortui : tibique sunt feliciter sociati. Ea fides te nobis reddat propicium : que illos gloriose pervexit ad regnum. Illi tuam contemplantur quotidie gloriam : nos flagitamus per momenta misericordiam. Illis conlata est post mortem victoria : nobis eorum interventu donetur facinorum indulgentia. Ut qui illos amicitie tue fecisti participes : nos indignos eorum gaudiis efficias sine fine consortes. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui justicie vindex : et pastor pius : redemptor ovium cognosceris esse : propiciatus in hac solennitate tuorum infantium Justi et Pastoris oblationes populi suscipe offerentis.

A Justi tui precibus respice misericors : et Pastoris suffragio consolare defunctos. Quo justicia pastoris summi concreta clementie : celesti pascat alimonia : quos creavit : pietate justificet : quos redemit. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Fons pacis : origo dulcedinis : initium charitatis Christe Deus : qui cara duorum parvulorum pectora fratrum Justi scilicet et Pastoris tanto tue dilectionis implesti amore : ut ultra vires viriliter dimicarent : qui adhuc lactentis teneritudine agebantur infantie : presta nobis : ut alterne nexi vinculo pacis : nullis attentemur jaculis adversantis : quo sic in nobis justicia Justi precibus floreat : ut Pastoris consolatio se super nos in pace dilatata diffundat. ℟. Amen.

B *Inlatio.* Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi gratias agere omnipotens Deus : cujus potentia mundum regit : atque clementia in omnibus mundi partibus opportuna Sanctorum suffragia prebet. Postquam enim per orbem universum : notitiam tui nominis regeneratis inter populos tradidisti : Martyres quoque : qui te non solum voce : sed et sanguine testificati sunt : Ecclesiæ tue presules per loca quamplurima : velut preciosissima ornamenta disposuisti : ut fidelium congregatio : que peregrinatur in terris : haberet consolationem in Sanctis. Et que presentibus afficitur malis : tuitionem inveniat [b] vernacula in patronis. Inter quos dum Justi tui plena devotione adheret [c] exequiis : C Pastoris simul **356** atque ejusdem se gubernari gaudet precibus indefessis. Quos ab occiduis partibus semper victuros : immaculatos pueros elegisti : ac propter nominis tui confessionem punitos ; velut acceptabiles tibi hostias assumpsisti. Ipse etenim laudem ex ore infantium et lactentium perfecisti : qui [d] in sue infantie rudimentis : necdum loquendi habilem propter te punitam Sanctorum etatulam

154) Acta sanctorum Justi et Pastoris ; eadem ferme, paucis interpolatis, apud Tamaium (*Martyrol. Hisp. tom. IV, pag.* 397) legebantur. Sed mihi displicet procemium istorum Actorum, quo traditur quod *Dacianus instinctu serpentis universum percurreret*, ut Christianos *in diversis regionibus cruciaret, et ad sacrilegæ suæ religionis ritum omnium populorum converteret dignationem*. Displicet etiam quod de inventione corporum Justi et Pastoris omnino sileant, et quod structuram basilicæ, cum duobus in ea altaribus, quæ, procul dubio, post reliquias a sancto Asturio inventas, ædificata est, cum prima martyrum sepultura conjungant. De inventione reliquiarum Justi et Pastoris ab Asturio facta scribit pseudo-Dexter, in Chronico *Apud Nicolaum Antonium, Bib. antiq. Hisp. t. II, pag.* 277), eam anno 400 contigisse ; sed cum Prudentius exeunte sæculo IV (*Hym.* 4 *de coron.*) detectis jam martyrum corporibus, scripserit :

> Sanguinem Justi, cui Pastor hæret,
> Ferculum duplex, geminumque donum
> Ferre Complutum gremio juvabit
> membra duorum ;

et sanctus Paulinus anno 391, aut 392, filium suum, octavo a nativitate die defunctum, juxta martyres Complutenses se tumulasse dicat (*Carm.* 32, *Edit. Veron. Muratorii, alias carm.* 15, *de obitu Celsi pueri*), horum corpora ante annum 400 detecta fuisse censenda sunt. Quare credibile est, quod scribit Ferreras in Synopsi historica rerum Hispanicarum sanctum Asturium, sive Asterium, qui anno 400 concilio primo Toletano interfuit (*de Aguirre, tom. II, Conc. Hisp., dissert.* 6, *cap.* 154), anno circiter 388, corpora sanctorum Justi et Pastoris, Deo revelante, invenisse. De eorumdem reliquiarum translationibus, quæ, eversis in Hispania per Saracenos Gothorum regno et vero Dei cultu, primum in Galliam, deinde D in Vallem Nocetam, diœcesis Oscensis, ac demum Oscam delatæ fuerunt, consule Bollandianos socios (*Tom. II Augusti, pag.* 148 *seq.*) cuncta diligenter discutientes.

[a] *Abnegat.* Hanc, circa intercessionem sanctorum, esse genuinam Hispanorum sæculo IV doctrinam, confirmat Prudentius (*Hym.* 1 *de coron.*) ubi de suis Calaguritanis martyribus canit :

> Nil suis bonus negavit Christus unquam testibus.

Idem in Cappadocia docebat sanctus Gregorius Nazianzenus (*Orat. de S. Theodoro*) ; tum subdit : Hinc pius populus discat *hoc : pretiosa et honorata est coram Domino mors sanctorum ejus.*

[b] *Vernacula.* Lege *vernaculam*.

[c] *Exequiis.* Forte, *obsequiis*.

[d] *Qui in suæ infantiæ.* Alludit ad innocentes martyres Bethlemiticos.

coronasti : tueque dextere tactu parvulis benedicens : talium esse regnum celorum : voce veridica predixisti. Nullus itaque sexus nullaque non etas exornata efficitur premiis sempiternis : quia omne humanum genus redemptum est precio sanguinis tui. Propter quod Ecclesia Catholica : que accepit arram Paracliti tui : hec tibi [a] in Sanctis offert pignora perceptura gloriam tui regni. Quorum meritis bonorum universitas adjuvatur : horum memoriis nostra congregatio : nostraque inlustretur ex toto devotio. Quorumque ex progenie tanti nominis testes suscipiuntur in celo : eorum posteritati uberiora beneficia condonantur in seculo. Quique jam a te Domine post victoriam coronati : et in tua beatitudine constituti atque Angelorum cetibus adgregati : te piissimum redemptorem quotidie cum Cherubin ac Seraphin sine fine conlaudant : ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus. Qui parvulorum suorum Justi et Pastoris roboravit infantiam. Quo eorum tenera etas persequentis posset sustinere [b] tormenta. Quique in illis cum se invicem ad passionem exhortarentur : fari dignatus est per gratie donum. Qui non vigore corporis : sed spiritus optatum continuo adepturi erant martyrium. Pro quo debitas illi tecum atque Sancto Spiritui gratias referentes : qui solus abundans in dono gratie : ex ore infantium et lactentium perfecit laudem. Precamur : ut horum innocentiam mereamur tenere dum vivimus : quorum hodie festa solennia celebramus. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post nomina. Oratio. Deus lactentium fides : Spes infantium : Charitas puerorum. qui per [c] innocentium tuorum Justi et Pastoris laudem : cunctos provocas ad salutem : infunde in nobis quesumus puritatem lactentis infantie. Ut dum sensu justicie parvulis adequamur : in illa remuneratione fidelium pariter gloriemur. Sicque eorum interventu : his hostiis benedicito : ut ex his sumentes : et peccaminum eluantur labe : et pure confessionis potiantur dulcedine. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Exultantes de tuorum Justi et Pastoris Deus Pater triumphis : quorum lactentium infantium etas relictis scole tabulis : ad suscipiendum alacriter pervolavit bravium passionis : tibi creatori nostro et vota cum gaudiis : et scelera pandimus cum lamentis. Poscentes tuam piissimam majestatem : ut qui illorum innocentiam consecrasti martyrio : nostram miseriam repares innocentie bono. Quo eorum adjuti suffragiis : ad te proclamare mereamur e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Benedictio. Deus qui pius redempti gregis est pastor : eterne justicie prerogator : sanctorum Justi et Pastoris precibus nos tueatur a malo. ℟. Amen. Justi sui obtentu faciat vos semitas tenere justicie : et Pastoris prece : super vos pius pastor invigilet. ℟. Amen. Quo utrorumque adjuti presidiis : sic perenniter fulgeatis justicie cultu : ut sine confusione perveniatis ad pastorem animarum vestrarum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Suscipe Domine precem populi tui : et directam in spiritu tuo supplicationem : tanquam odorem incensi fragrantis assume. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Sixti Pape : Felicissimi : et Agapiti Martyrum : Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

357 *In natale S. Donati Episcopi et Martyris : Omnia dicantur unius Mart. fol.* 433.

Eodem die Mammetis Martyris : Omnia dicantur ut supra.

In natale SS. Ciriaci et Largi et sociorum ejus : Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

In natale [d] S. Laurentii Martyris.

Ad Missam. Officium.

[a] *In Sanctis.* Forte, *pro sanctis.*

[b] *Tormenta.* Hinc discas sanctos Justum et Pastorem revera tormenta sustinuisse, etsi vulgata Acta contrarium innuere videantur.

[c] *Innocentium tuorum.* In hoc officio (quod a sancto Asturio exeunte sæculo IV compositum tradunt, et sane est tanto auctore dignissimum) Justi et Pastoris tenera ætas tam frequenter iisque verbis exprimitur, ut minime dubitandum sit quin ante pubertatis annos martyrium fecerint. Nam et innocentes, et infantes, et parvuli, et lactentes, et pueri, aliisque nominibus appellantur, quæ iis tantummodo aptari possunt qui nondum pubertatem attigerunt. Cum Missali et Breviario Mozarabum, quoad teneram horum martyrum ætatem, convenit Orationale Gothicum, ut ex hac rubrica (*Pag.* 130) ad officium sanctorum Justi et Pastoris spectante apparet : *Cæteræ tamen orationes de Matutino, de Antifonis, id est,* SINITE PARVULOS, *et* SAPIENTIA APERUIT OS MUTORUM, *sive de Alleluiatico* EX ORE INFANTUM, *vel de Responsorio*, qui ordine sequitur, *superius in Missa quarta infantum factæ sunt quæ in isto die dicendæ sunt.* Sane pes et calceus sancti Justi, quem Bollandiani citati delineatum exhibent, non nisi ad teneræ ætatis puerulum pertinet : modo quidam aiunt reperiri ossa quædam grandiora inter reliquias sanctorum Justi et Pastoris, quibus, habita proportionis ratione, contendunt hos martyres juvenes fuisse, statura eminenti, senum pedum cum dimidio, et amplius. Sed de his ossibus quid statuendum sit legas apud citatos Bollandianos.

[d] *Sancti Laurentii.* Celeberrimum in omni Ecclesia est, et semper fuit, sancti Laurentii martyrium. Unde sanctus Augustinus (*Tom. V, serm.* 303, *Ed. Maur.*) dixit : *Quam non potest abscondi Roma, tam non potest abscondi Laurentii corona.* A Græcis pariter et Latinis die decima Augusti colitur, ab illis quidem in Menæis et Menologio Basilii, a Latinis in Kalendario Bucheriano, in Kalendario Carthaginensi, cunctisque Martyrologiis, et in Sacramentariis

Gloriam et magnum decorem. *Quere unius Martyris. fol.* 421.

Oratio. Domine Jesu Christe: qui beatissimum Laurentium Martyrem tuum: amplius refulgere meritis: quam flammis affici prestitisti: [a] ut fortissimus Martyr plus amore: quam ardore ferveret: tribue: ut scintilla fidei ejus ita flammemur: ne ab igne seculi consummamur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis ([b] *C. XXXI*).

℟. Deo gratias.

Qui aurum diligit: non justificabitur. Et qui insequitur [c] consummationem: replebitur ex ea. Multi dati sunt in auri casus: et facta est [d] in facie ipsius perdicio illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium. Ve illis qui sequuntur illud: et omnis imprudens disperiet in illo. Beatus dives: qui inventus est sine macula: et qui post aurum non abiit: nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic: et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. [e] Quis probatus est in illo: et perfectus est? et erit illi gloria eterna. Qui potuit transgredi et non est transgressus: et facere mala: et non fecit. Ideo stabilita sunt bona ejus in Deo: et eleemosynas illius [f] enarravit Ecclesia sanctorum. ℟. Amen. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Psallendo.* Beatus vir qui miseretur et commodat: disponet sermones suos in judicio: quia in eternum non commovebitur. ℣. Dispersit et dedit pauperibus: justicia ejus manet in seculum seculi. *P.* Quia in eternum.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios
(*II* [h] *cap. IX*).

℟. Deo gratias.

Fratres: hoc dico. Qui parce seminat: parce et metet. Et qui seminat in benedictionibus: de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo: non ex tristicia aut necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est enim Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes: abundetis in omne opus bonum. Sicut scriptum est. Dispersit dedit pauperibus: justicia ejus manet in eternum. Qui autem amministrat semen seminanti: et panem ad manducandum prestabit: et multiplicabit semen vestrum: et augebit incrementa frugum justitie vestre: ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem: qua operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea que desunt Sanctis: sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino. Per probationem ministerii hujus glorificantes Deum in obedientiam confessionis vestre in Evangelium Christi. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum
([i] *Cap. VI*).

In illis diebus: Dominus noster Jesus Christus: loquebatur discipulis suis dicens. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi erugo et tinea demo-

Leoniano, Gelasiano, Gregoriano, in Missali et Breviario Mozarabum, in Orationali Gothico, in Missali Gallo-Gothico, in Capitularibus Epistolarum et Evangeliorum, aliisque libris liturgicis, paucis omnino exceptis. In his sunt Sacramentarium Bobianum et Lectionarium Luxoviense, quæ sancti Laurentii expressam non faciunt memoriam. Acta sancti Laurentii genuina prorsus et sincera non habentur, horum tamen vicem supplent hymnus Prudentii secundus de Coronis atque sanctus Ambrosius (*De Offic.*, *lib.* I, *cap.* 4, et *lib.* II, *cap.* 28). Sanctus Augustinus, sanctus Leo papa, sanctus Maximus Taurinensis, et sanctus Petrus Chrysologus, in homeliis quas de sancto Laurentio habuerunt, diem passionis omnes IV Idus Augusti nominant. De anno et persecutione non conveniunt: nam Indiculus consulum, ex quo Sollerius excerpta quædam edidit Bolland. (*Tom. VII Julii*, *pag.* 184), sanctum Laurentium anno 250 persecutione Decii passum exhibet: *Decio* XI *et Grato bis consulibus*, *passus sanctus Laurentius*, III *Idus Augusti*, ubi etiam III Idus pro IV Idus signatur. Eusebius quoque, in Chronico, persecutioni Decii martyrium sancti Laurentii ascribit: quem sequuntur Bedæ Genuinum et quædam alia Martyrologia, Acta vulgata sancti Laurentii, et Menologium Basilii. Sed cum auctoritate sancti Ambrosii, Prudentii, aliorumque, constet sanctum Laurentium triduo post sanctum pontificem Xistum II, cujus fuerat diaconus, passum esse, Xisti autem martyrium VIII Idus Augusti Tusco et Basso consulibus, anno æræ vulgaris 258, haud ambiguis argumentis signetur, fatendum est sanctum Laurentium, non sub Decio, sed sub Valeriano et Gallieno principibus, IV Idus Augusti, anno et consulibus suprascriptis, martyrium celeberrimum fecisse coram præfecto Urbis Cornelio Sæculari, cum ambo principes Roma absent. Cæterum Gotho-Hispani una eademque missa sanctum Laurentium et sanctum Xistum colunt. Galli vero, in Missali Gallo-Gothico, alteram sancto Xisto, alteram missam sancto Laurentio propriam attribuunt. In Martyrologio Metrico Seberi, et in Menologio Basilii, Græci eodem die Xistum, Laurentium et Hippolytum commemorant, diversis diebus passos. Sanctus Cyprianus (*Epist.* 82) scribit: *Xistum in cœmeterio animadversum sciatis, octavo Iduum Augustarum, et cum eo diacones quatuor*; ita enim Manutius, Morellus et Baluzius, in suis Editionibus legunt, et ita legendum esse propugnat Baluzius in notis ad hunc locum. Horum autem diaconorum unum fuisse sanctum Laurentium credibile est; neque enim necesse est ut dicamus quatuor hosce diaconos omnes eodem die cum suo pontifice martyrium obiisse. Nam insuetum non est uno eodemque die eorum memoriam in Ecclesia celebrari qui distinctis diebus obierant.

[a] *Ut fortissimus.* Forte: *Quique ut fortissimus martyr plus amore quam ardore ferveretur tribuisti*, *concede*, etc.

[b] *Cap. XXXI.* Vers. 5-12.

[c] *Consummationem.* Vulg., *consumptionem.*

[d] *In facie.* Vulg., *in specie.* Textus Græcus legit: *Multi ligati sunt gratia auri, et facta est perditio eorum coram faciem ipsorum.*

[e] *Quis.* Ita textus Græcus interrogative legit; at Vulgata, sine interrogatione, *qui probatus*, etc.

[f] *Enarravit.* Vulg., *enarrabit.*

[g] *Psallendo.* Psal. CXI, 5. ℣. Ibid., 9.

[h] *Cap. IX.* Vers. 7-15. Eadem epistola in vetusto Lectionario Ambrosiano Thomasii huic festivitati assignatur.

[i] *Cap. VI.* Vers. 19-34.

litur : et ubi fures effodiunt : et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in celo : ubi neque erugo : neque tinea [a] exterminat : et ubi fures non effodiunt : nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus : ibi et cor tuum est. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si fuerit oculus tuus simplex : totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit : totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebre sunt : ipse tenebre quante erunt? Nemo potest duobus Dominis servire. Aut unum odio habebit : et alterum diliget : aut unum sustinebit : et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammone. Ideo dico vobis ne soliciti sitis anime vestre : quid manducetis : neque corpori vestro : quid induamini. Nonne anima plus est quam esca : et corpus : quam vestimentum? Respicite volatilia celi : quoniam non serunt : neque metunt : neque congregant in horrea : et Pater vester celestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest **358** adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant : neque nent. Dico autem vobis : quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est : sicut unum ex istis. Si autem fenum agri quod hodie est [b] in agro : et cras in clibanum mittitur : Deus sic vestit : quanto magis vos [c] minime fidei? Nolite ergo soliciti esse dicentes : quid manducabimus aut quid bibemus : aut quo operiemur? Hec omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester : quia his omnibus indigetis. Querite autem primum [d] regnum Dei : et hec omnia adjicientur vobis.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Lauda.* Alleluja. ℣. Videant pauperes et letentur : querite Dominum et vivet anima vestra. *P.* Alleluja.

[f] *Sacrificium.* Ego Dominus creavi te : et dixi tibi : puer meus es tu : elegi te : noli timere. Egeni et pauperes querunt te : et tu exaltabis eos in Domino Deo tuo : alleluja. ℣. Vocavit te Dominus ad justiciam : et tenens manum tuam confortavit te : et constituit te in lucem gentium : aperire oculos cecorum : ut populus direptus et vastatus invocans me. *P.* Et tu exaltabis.

Missa. Ad misericordie opera exequenda fratres charissimi : Christianas mentes hodierna solennitas excitavit : que beatum Laurentium facultates sibi ab antistite suo Sixto Sancto commissas : Ecclesie sic misericorditer dispensasse narravit : ut replens dexteram pauperum : illic poneret que custodienda susceperat : ubi violentus persecutor intrare non poterat. Imitemur proinde Martyris patientiam : cujus beatam approbavimus vitam. Transferamus nos etiam universa queque diligimus ad eterna tabernacula : qui migrare disponimus de hac temporali vita. Ut cum dies tentationis advenerit : nihil habeamus quod perdamus inviti : sed spirituali gaudio sapienter accincti : dimicemus fortiter ad effusionem sanguinis : contra perfidiam inimici. Reservantes constantiam veritatis : qua possimus devincere adversarium hostem in nomine Trinitatis. Hec est enim victima Deo semper accepta : cujus per hoc sacrificium recordari compellimur : quando ejus salutaris hostie perceptione mundamur. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui divinitatis tue potentia clarens : divinos ac celibes Ecclesie tue [g] Sixtum atque Laurentium elegisti gubernatores. Cum in unum Sacerdotii summam : in alterum Levitici ordinis contuleris gratiam : intentis te precibus supplicamus. Ut in tanto diei solennitate : conventum familie tue placatus ipse respicias : et postulatus celer occurras. Sixtus officii sui non immemor sanctificanda tibi offerat vota : similiter et Laurentius ministerii sui exequens curam supplicantibus nobis subministret remedia postulata. Per illum discamus quod ipse egit : pro te Domino cervices ponere : per istum cremantis seculi : [h] illum non subrui tempestate. Permature discretionis judicio freti polleamus senio-

[a] *Exterminat.* Vulg., *demolitur;* at Codices Vercellensis, Corbeiensis et Veronensis legunt : *Ubi neque erugo neque tinea exterminat.* Brixianus : *Ubi tinea et erugo exterminant.*

[b] *In agro.* Hæc verba neque in Vulgata, neque in laudatis Codicibus Vercellensi, Veronensi, Corbeiensi et Brixiano leguntur.

[c] *Minime fidei.* Ita Codex Corbeiensis ; at Codices Vercellensis, Veronensis et Brixianus, cum Vulgata legunt *modicæ fidei.*

[d] *Regnum Dei.* Citati Codices omnes cum Vulgata ad dunt *et justitiam ejus.*

[e] *Lauda.* Psal. LXVIII, 33.

[f] *Sacrificium.* Est cento consutus ex verbis Isaiæ XLI, 10, 17 ; XLII, 6, et alienis.

[g] *Sixtum.* De sancto Sixto II, sive, ut alii scribunt, Xisto, catalogus Liberianus hæc breviter tradit : *Xistus, an.* II, *m.* XI, *d.* VI, *cœpit a cons. Maximi et Glabrionis, usque Tusco et Basso; passus est* VIII *Idus Augusti.* Sixtus igitur sedit annos duos, menses undecim, dies sex. Pontificatum suscepit anno 256, Maximo et Glabrione consulibus ; martyrio affectus est die sexta Augusti anno 258, Tusco et Basso consulibus, sub Cornelio Seculari Urbis præfecto. De ejus martyrio, præter citatum catalogum, testis est sanctus Cyprianus (*Epist.* 82), ad Successum scribens : *Xistum autem in cœmeterio animadversum sciatis, octavo Iduum Augustarum die, et cum eo Quartum.* Ita Pamelius legit ; alii autem, quod supra monui, *et cum eo diacones quatuor* legunt. De eodem martyrio meminit Pontius diaconus in Vita sancti Cypriani : *Jam de Xisto, bono et pacifico sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, ab Urbe nuntius venerat.* Sanctum Sixtum Latini in Martyrologiis VII Idus Augusti colunt. Kalendarium Bucherianum : *VIII Id. Aug., Systi in Callisti.* Kalendarium Carthaginense : *VIII Id. Aug., sancti Systi episcopi et martyris Romæ.* Græci autem die decima Augusti Xistum, Laurentium et Hippolytum simul colunt in Menologio Basilii, quos sub Decio passos opinantur. In Missali Gallo-Gothico sanctus Sixtus missam propriam habet.

[h] *Illum.* Tolle hanc vocem, extra locum suum positam, et infra repone, et lege : *Per istum cremantis sæculi non obrui tempestate, per illum maturæ discretionis judicio,* etc.

rum : per istum valide juventutis luctamen arripientes : fide extinguamus incent'va libidinum. Quo sic per Sixtum sanctificandi tuis altaribus offeramur : ut tradente nobis Laurentio calicem salutis in remissionem peccatorum sumere mereamur.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Clementissime creaturarum omnium Deus : pro cujus nomine beatissimi Sixtus atque Laurentius Martyres viriliter certaverunt : et diverso moriendi genere coronati sunt. Cum et Sixtus tuo domitas jugo cervices [a] gladio perempturus exhibuit : et Laurentius combustum in craticulam corpus suum versari precipiens : spiritum vite inter flammas efflavit. Te quesumus : te rogamus : ut horum precibus corpus nostrum tentationum flammis non ardeat : cor divinis flatibus concalescat. Sicque Sixtus ex accepto Sacerdotali privilegio ligata criminum nostrorum vincula solvat : ac defunctorum nexus orationis favore disrumpat. Ut ministerii sui curam cunctis Laurentio impendente : et vivi piaculis et sepulti se noverint evasisse supplicia.

℟. *Chorus.* Amen.

359 *Ad pacem. Oratio.* Deus qui beatissimi Levite tui Laurentii fidem : nec igne subrui nec avaricia fecisti corrumpi : cum et inter flammas invictus : et inter nummos existeret a cupiditate intactus : perspicuam tue majestatis potentiam imploramus. Ut fidem qua tibi credimus in nobis adaugeas : charitatis opes impendas : cupiditates interimas : simultatum faces extinguas. Quo nec avaricia victi : nec odiis : ad te veniamus inlesi : illo charitatis tue rore renovandi : quo idem Martyr tuus decoctus igne meruit recreari.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum et salutare est : sancto nomini tuo sempiterna Trinitas fortissime Deus : pro electorum tuorum certaminibus gloriosis : acceptabilem tibi : si pusillis possibile facis : laudis hostiam immolare. Quicquid enim in his magnificum [b] operante peragitur merito : totum tuis virtutibus deputatur. Hujus siquidem congressio pugne : nisi te duce et presule fuerit instituta : nec iniri certamen poterit : nec cum laude finiri. Idcirco Domine militum tuorum triumphalem victoriam celebramus : quorum te et velle et perficere fuisse probamus. Adsunt igitur Domine [c] horum dierum tempore : tui nominis confessione insuperabiles facti : et coronarum ammirabilium splendoribus decorati. Sixtus Apostolorum tuorum cathedre dignus ascensor : ejusque [d] Archidiaconus Laurentius triumphi celestis A ardentissimus assecutor. Sed et Hipolitus velut utrorumque parentum bonis locupletior factus : his adjungitur heres : quibus licet biduana vel triduana fuerint intervalla : te ut oportuit dispensante subeundi certaminis : idem tamen in obtinendo premissionem celestium bravio fidei viguit ardor. Sixtus quidem ut bos jugo dominice mansuetudinis assuetus : submisso occurrit capite percussori : potentisque canicie fulgenti cervice renovatus : ut aquila ad celos juventute volavit. Quique Apostolorum choro donatum filium generose mentis Laurentium exspectabat. Quia sine eo proprii sanguinis victimam offerre nolebat : cui cuncta mysteriorum ministeria transienda commiserat. Qui cum de sua remansione patri querulus extitisset : ab eodem flere prohibitus : B quod post tres dies se sequeretur audivit. Nec debere de sua desertione causari premonuit : quoniam ei gloriosior diabolo seviente : irrisoque tiranno triumphus maneret. O Martyrum tuorum Christe infatigabilis fortitudo! Quantum enim durioribus fuerint cruciatibus seviente carnifice deputati : tantum a te novarum virium augmenta triumphant consecuti. Ut et Sanctis tuis gloriam : et inimicis cumules penam. Una denique eademque justicia : et judicem inferna cruentum : et celi suscipiunt innoxium virum. Qui eo usque dum exureretur robustior factus emicuit : ut carnificem tali irrisione damnaret. Ut si cibus placeret quod jam assatum fuerat : manducaret. Quibus verbis exemplum fidelibus contemnende mortis insinuans : victricem ani- C mam patri et spiritum commendavit : et post sudorem prelii : Christi refrigeratus amplexu : sub ara celesti umbraculo requiescit. Hunc Hipolitus dum sibi traditum asservaret custodia militari : crucis tue impressione stupuit miracula facientem : mox animi ferocitate deposita : ad sequendum te fit ove mitior : et ad perferenda pro tuo nomine graviora tormenta leone robustior. Cujus tam subito mutatum mentis propositum : judex impius cernens acriori sevitia fertur : ut pote amissis propriis gemens : in quo confestim decernit penam omni crudelitate majorem. Quemque distentum primitus cardis ferreis laniari : ac deinde ferociorum jumentorum trahi per devia precepit pedibus alligatum. Sed etiam sic felicem D Christe predicamus tuorum militum pugnam : quibus nec comminatio cruenta defectum : nec pena supplicium : nec mors intulit detrimentum. Cui merito celi : et omnes virtutes debita laude confessionis occurrunt : aureorumque candelabrorum septifera

[a] *Gladio.* Sanctum Sixtum decollatum fuisse recepta est opinio, quam Gotho-Hispani in hac missa aperte sequuntur. Quam auctoritate sancti Cypriani (*Epist.* 82) confirmant, scribentis, *Xistum in cæmeterio animadversum esse;* idem enim est *animadverti* atque *gladio puniri.* Nisi forte hoc loco sanctus Cyprianus voce *animadverti* usus sit pro *puniri.* Prudentius (*Hymn.* 2 *de Coron.*) Sixtum cruci affixum fuisse prodit :

Forte hæc sacerdos dixerat
Jam Xistus, affixus cruci,
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite.

Videndum tamen an *crucis* nomine Prudentius equuleum intellexerit?

[b] *Operante.* Lege *operante te.*

[c] *Horum dierum tempore.* His ostendunt Sixtum et Laurentium diversis diebus coronatos fuisse, etsi una missa unaque et eadem solemnitate eorum memoria celebretur.

[d] *Archidiaconus.* Sic quoque (*Tom. V Oper.*, *serm.* 302, 303, *Edit. Maurin.*) a sancto Augustino sanctus Laurentius archidiaconus nuncupatur.

coruscatione fruentes : perpetuis vocibus cantum A suavitatis extendunt. Archangelorum quoque exercitus **360** in tuo nomine letantes tripudiant : et augustius triumphantes exultant. Cherubin quoque et Seraphin aureo gestientes volatu perstrepunt : et suavisono carmine : senarum alarum remigiis se pennigerantes extollunt. Bis bina denique animalia cum duodenorum felicium numero seniorum : omnis debita officia servitutis exsolvunt : et egregia cantica meditantes clamare non cessant : ita dicentes. Sanctus.

Post Sanctus. Osanna in excelsis : vere dignum et justum est : omni quidem tempore : sed precipue in honorem Sanctorum tuorum : nos tibi gratias consempiterna Trinitas et consubstantialis : et cooperatrix omnium bonorum Deus : et pro beatissimi Mar- B tyris tui Laurentii celeberrimo die : laudum hostias immolare. Cujus gloriosum passionis triumphum anni circulo revolutum : Ecclesia tua leta concelebrat : Apostolis quidem tuis in doctrina subparem : sed in Domini confessione non imparem. Qui [a] niveam illam stolam Leviticam : martyrii cruore purpureo decoravit : cujus cor in igne tuo quem veneras mittere super terram : ita flammasti : ut ignem istum visibilem non sentiret : et appositas corpori flammas mentis intentione superaret : ardentemque globum fide validus non timeret. Quique craticule superpositus : novum sacrificium tibi semetipsum castus minister exhibuit : et veluti super aram holocausti more decoctus : saporem [b] Dominus suavitatis ingessit. In quo incomparabilis Martyr precordiis C pariter ac visceribus [c] medullis liquescentibus desudavit ac defluentia membra torreri invicta virtute patientie toleravit. In quo extensus ac desuper fixus : [d] sub dictis jacuit ac pependit incendiis : et holocaustum pietatis cruda coxit impietas : que sudorem liquescentium viscerum bibulis vaporibus suscepit. Supra quam velut super altare corpus suum : novi generis sacrificium celebrandum minister imposuit : et Levita predicandus ipse sibi Pontifex : et hostia fuit. Et qui fuerat minister Dominici corporis : in offerendo semetipsum : officio functus est Sacerdotio. Tuam igitur Domine in eo virtutem : tuamque potentiam predicamus. Nam quis crederet corpus fragili compage conglutinatum : tantis sine D te sufficere conflictibus potuisse? quis incendiorum estibus humana estimaret membra non cedere : nisi flagrantior [e] ad te veniens : interiorem hominem lampas animasset : cujus potentia factum est : ut leta rore suo anima : coctione proprii corporis exultaret : dum versari se Martyr precipit : et vorari : ne et paratam coronam uno moriendi genere sequeretur : et sic lenitate cruciatuum vitalis tardaret interitus : non existeret gloriosus coronatus. Per te Dominum qui es Salvator omnium : et Redemptor animarum.

Post pridie. Oratio. Memores mirabilium tuorum Domine : quomodo Levita tuus Laurentius nec minis cessit : nec flammis : qui sic in creditis sibi facultatibus avariciam vicit : ut nullo modo posset inter flammas positus superari. Rogamus : ut devictis in nobis facibus malarum cupiditatum : a te sanctificata hec que offeruntur : horum precibus quorum hodie solennia celebramus : sumantur. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus qui in veri holocausti hostiam igne examinatum Levitam suscepisti Laurentium : quo more holocausti decoctus ad te perveniret integer : pro miseris rogaturus : ejus quesumus suffragiis in nobis omnibus ignis celestis facis [f] accendi. Ut purgata conscientia : ad te mereamur proclamare : et dicere. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Christus Dominus vota vestra respiciat : pro quo et Sixtus machera : et Laurentius consumptus est flamma. ℟. Amen. Eoque favente sic per Sixtum grex Catholicus tueatur : ut per Laurentium salutaris calicis [g] potatione salvetur. ℟. Amen. Quo et illo tuente : et isto suffragante s'o illius accendamur exemplo : istius relevemur suffragio. ℟. Amen. Ipso prestante et auxiliante : qui cum Patre et Spiritu Sancto unus Deus vivit et regnat in eterna secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

361 *Dicat Chorus.* Gustate.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Domine Jesu Christe : qui beatissimum Laurentium Martyrem tuum respuentem vilissimum mundum : aurum ostendisti purissimum : quod ignis utique non consumeret : sed probaret. Et quanto plus arderet : tanto amplius rutilaret : tribue nobis ut cupiditatis incendia non consumant : quos tam fulgentia Martyris tui exempla clarificant. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Tiburtii Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fol. 430.

Clare Virginis de Ordine Minorum :
Omnia dicantur unius Virginis. fol. 436.

Sancti Hypoliti sociorumque ejus :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 428.

Sancti Eusebii Presbyteri :
Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432.

[a] *Niveam.* Alludit ad stolam albam qua diaconi induebantur.
[b] *Dominus.* Lege *Domino.*
[c] *Medullis.* Lege *medullisque.*
[d] *Sub dictis.* Forte, *subjectis.*
[e] *Ad te veniens.* Forte, *a te veniens;* forte, *ad te venientem.*
[f] *Accendi.* Lege *accende.*
[g] *Potatione.* Alludit ad morem antiquum juxta quem diaconorum erat calicem communicanti populo porrigere.

ᵃ IN FESTO ASSUMPTIONIS SANCTE MARIE VIRGINIS.

Ad Missam. ᵇ *Officium.*

Inter medios cleros penne columbe deargentate : alleluja. Et supra scapulas suas in viriditate auri : alleluja : alleluja. ℣. Specie tua et pulcritudine tua : intende prospere procede et regna. *P.* Et supra scapulas suas. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Et supra scapulas suas.

Oratio. Tibi semper Domine gloria omnipotens Jesu Christe : cujus in celo : et in terra laudis confessio permanet : dum tibi gloria in excelsis decantatur : et in terra pax hominibus nunciatur. Bonam quesumus voluntatem nobis famulis tuis : et populis supplicantibus tribue : ut ab omnibus nos mundes peccatis : et pacem tuam perpetuam nobis propicius : et omni populo largiaris. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri ᶜ *Sapientie Salomonis* (ᵈ *Cap. I, II, III, IV, VI*).

℟. Deo gratias.

O pulcra Dei Virgo inter mulieres egredere : et abi post vestigia gregum tuorum. Assimiliavi te amica mea : pulcre sunt gene tue sicut turturis. Ecce tu pulcra es amica mea. Ecce tu pulcra es. Oculi tui columbarum. Surge propera amica mea et veni. Jam enim hyems transiit et recessit : flores apparuerunt in terra. Surge ostende mihi faciem tuam : et sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis : et facies tua decora. Que est ista que descendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus mirrhe et thuris : et universi pulveris pigmentarii ? Quam pulcra es amica mea : quam pulcra es : oculi tui columbarum : absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David : tota enim pulcra es : et macula non est in te. Veni de Libano sponsa mea. Veni de Libano : coronaberis. Hortus conclusus soror mea sponsa : hortus conclusus. Fons signatus. Emissiones tue paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Una est columba mea : perfecta mea : una est matris sue electa genitricis sue. Viderunt illam filie Hierusalem : et beatissimam predicaverunt : regine : et concubine laudaverunt eam. Que est ista que progreditur quasi aurora consurgens : pulcra ut Luna : electa ut Sol : terribilis ut castrorum acies ordinata ? Que est ista que ascendit de deserto : deliciis affluens enixa super dilectum suum ? Pone me ut signaculum supra cor tuum : et quasi monile in brachio tuo : et vera Dei permanet dilectio. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

ᵉ *Psallendo.* In manibus portabunt te : ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. Quoniam Angelis suis mandavit de te : ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ne unquam.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

ᶠ *Epistola.* De virginibus preceptum.

Quere in communi plurimarum Virginum. fol. 438.

ᵃ *In festo Assumptionis.* Eodem modo inscribitur Breviario Mozarabum ; in Sacramentario autem Bobiano exstat *Missa in Adsumptione sanctæ Mariæ*, et in Missali Gallo-Gothico *Missa in Adsumptione sanctæ Mariæ matris Domini nostri.* Festum Assumptionis beatæ Virginis antiquiores Galli mense Januarii celebrabant (*Vide Mabillonium, de Liturg. Gallic., lib.* II, *pag.* 118, 119). Unde in Missali Gallo-Gothico statim post Epiphaniam occurrit *Missa in Adsumptione sanctæ Mariæ matris Domini nostri*, et in Lectionario Luxoviensi post Dominicam quæ Epiphaniam consequitur apponuntur *legenda in festivitate sanctæ Mariæ*, scilicet de ejus Assumptione ; at in Sacramentario Bobiano, post missam Cathedræ sancti Petri, consequuntur binæ missæ, altera *Missa sanctæ Mariæ*, altera *Missa in Adsumptione sanctæ Mariæ*; et sanctus Gregorius Turonensis (*Lib.* I *de Glor. mart., c.* 9) testatur quod *Hujus festivitas sacra mediante mense undecimo* (quæ illi est Januarius) celebrabatur. Etiam in quibusdam Martyrologiis vetustis Hieronymianis *Depositio* beatæ Virginis die 18 Januarii commemoratur. Lucense Florentinii, XV Kal. Febr. : *Depositio sanctæ Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi.* Kalendarium Corbeiense a Mabillonio (*De Liturg. Gallic., lib.* II, *pag.* 118) citatum, XV Kal. Febr. : *Depositio sanctæ Mariæ virginis.* Idem in Floriacensi, quod olim fuit Ecclesiæ Senonensis, signatur. Plura vide apud Florentinium, in notis ad Martyrologium Lucense, die 18 Januarii, et in exercitatione de Assumptione Deiparæ (*Ibid., pag.* 263). In fragmento vetusti Kalendarii Gotho-Hispani menses Januarium et Februarium complectente quod, post Franciscum de Pisa, edidit Joannes Pinius (*Tract. hist. chron. de Liturg. antiq. Hisp., cap.* 9, *sect.* 5), nulla exstat mentio de festivitate *Dormitionis aut Assumptionis beatæ Virginis* ; quare consuetudo celebrandi solemnitatem Assumptionis Deiparæ die 15 Augusti admissa censenda est apud Gotho Hispanos ; eodem die in Hieronymianis Apographis vetustissimis signatur. Sic in Lucensi Florentinii, XVIII Kal. Sept. : *Assumptio sanctæ Mariæ.* In Corbeiensi Dacherii, XVIII Kal. Sept. : *Assumptio sanctæ Mariæ matris Domini nostri.* Iisdemque verbis in Martyrologio Gellonensi signatur, et in aliis passim hac die festivitas *Assumptionis* legitur. At XVIII Kal. Septembris Romanum Bedæ genuinum, Adonis et Usuardi Martyrologia, *de Dormitione sanctæ Mariæ* agunt ; a Græcis quoque, 15 Augusti, ἡ κοίμησις, *Dormitio gloriosissimæ Domini nostri Deiparæ*, in Menologio Basilii, et in Menæis, celebratur ; de hac autem solemnitate nihil in Orationali Gothico et in Sacramentario sancti Leonis invenitur, utrumque enim mutilum est. Deficit quoque vetusto Lectionario Ambrosiano em. Thomasii ; at in Sacramentario Gelasiano est missa *in Adsumptione sanctæ Mariæ*, XVIII *Kal. Sept.*, quo die in Sacramentariis Gregorianis *Assumptio sanctæ Mariæ* commemoratur, et die 15 Augusti in Kalendario Frontonis ; et in Capitularibus Evangeliorum Georgii, signantur *solemnia de Pausatione sanctæ Mariæ.* De hujus festivitatis antiquitate non satis inter se conveniunt scriptores ; illud plane constat, sæculo saltem VII, in Ecclesiis Hispaniæ et Galliæ celebratam esse.

ᵇ *Officium.* Psal. LXIV, 14. ℣. Psal. XLIV, 5.

ᶜ *Sapientie.* Lege *libri Cantici canticorum.*

ᵈ *Cap. I.* Est potius cento consutus e laciniis hinc inde dissectis e cap. I, 8, 9, 15 ; II, 10, 11, 12, 14 ; III, 6 ; IV, 1, 4, 7, 8, 12 ; VI, 8, 9 ; VIII, 5, 6. In Bobiano et in Luxoviensi nulla assignatur prophetia.

ᵉ *Psallendo.* Ps. IX, 12. ℣. Ibid., 11.

ᶠ *Epistola.* Eadem epistola legitur in Lectionario Luxoviensi, sed in versiculum 40 desinit, atque adeo est paulo prolixior ; in Bobiano legitur ex Apocalypsi XIV, 1 8.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([a] *Cap. X*). A

In diebus illis : Dominus noster Jesus Christus : in quodlam castellum intravit : et mulier quedam Martha nomine **362** excepit illum in domum suam : et huic erat soror Maria nomine. Que etiam sedens secus pedes Domini : audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Que stetit et ait. Domine non est tibi cure : quod soror mea reliquit me solam ministrare ? Dic ergo illi ut adjuvet me. Et respondens dixit illi Dominus. Martha Martha sollicita es : et turbaris erga plurima : porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit · que non auferetur ab ea. Et cum hec diceret : extollens vocem quedam mulier de turba : dicit illi. Beatus venter qui te portavit : et ubera que suxisti. At ille dixit. Utique. Beati qui audiunt verbum Dei : B et custodiunt illud. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Lauda.* Alleluja. ℣. Lauda anima mea Dominum : laudabo Deum in vita mea. *P.* Alleluja.

[c] *Sacrificium.* Sicut turris David edificata es : et reprehensio non est in te. Quam speciosa et decora facta es in ornamento tuo : et odor unguentorum tuorum sicut odor Libani super omnia aromata : alleluja. ℣. Sicut columbe sedentes super abundantia aquarum : et sicut phiale aromatum gignentes unguentoria : et sicut lilia distillantia mirrham : et sicut cornatilia aurea plena Tharsis : et sicut Libanus electus et sicut cedrus : et sicut colunne marmoree C posite super bases aureas formose. *P.* Quam preciosa et decora.

Missa. Omni studio omnique mentis voto fratres charissimi : Dominum deprecemur : ut quantum inopie possibile datur affari : grates in quantum possumus agamus : Acclives illius divinitati : que inter omnia divinitus inspirata : inter precipua atque eminentiora humano generi dona digne largita : non parvum est : quod tribuit genitrici filii sui gloriose Marie. Dumque ideo eam post mysterium vere Incarnationis : Nativitatis : Passionis : ac patule ad celum Ascensionis : quamquam prolixi temporis intercapedine gloriosam accersivit ad se gloria Assumptionis. Sic vero unita carnis natura virginitati consimilis. Hodie una cantilla illius conditione : D sedem adiit mirabiliter deitatis. Nec immerito quidem debuit feliciter cum filio gloriari : cui divinitus intemerato virginitatis pudore meruit invicerari. Ibi namque cum sacris Virginibus jocundari : cui etiam in unito carnis federe incentivis nevis non potuit viciari. Ibi nempe perenniter ditata Martyrum victoria cum meruit eis adunari : dum eisdem ineffabiliter univit : cujus manu extenti sunt celi. Cui per integritatem carnis et spem sincerissimi cordis : attolli digne concessum est in celestibus regnis. ℟. Amen.

Alia Oratio. Ingenite Pater summe : qui tanta se talia beneficii munera Virgini gloriose Marie contulisti. Cujus verbo attestante Angelo ditata : cujus spiritu inlibate sistit fecunda. Cujus virtute divinitas obumbrata. Cujus munditia salvationem noscitur paritura. Cujus voluntate virgo sistit ante partum : cujusque posse virgo mansit post partum. Cujus imperio ipsius candida castitas. Cujus miraculo immaculata virginitas. Indignis quesumus annue nobis : ejus favore tu eripe de nugis : sine merito mundari de propriis. Ac sicut [d] illa hodie inter Angelorum Virginumque choros meruit assumi : sive dono inlibate carnis feliciter jocundari : sic nos stimulo perfecte extirpato carnali : beatiores ibidem misericorditer [e] admitti. Fruituri nempe ibidem cum Angelis perennius regno : quibus hodie fuit per eam letabunda Assumptio. Ibidem semper sine termino permansuri : ubi omnis celestis exercitus gloria tante assumptionis gavisus : indesinenter meruit jocundari.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Eterne Deus summe : acclives clementiam exoramus divinitatis tue : ut qui hodie inter Angelorum florentissimas legiones : Prophetarumque fulgentissimos fasces. Inter Apostolorum titulos latiores : Martyrum : Virginumque catervas dedicatas : gloriosissimam Virginem assumpsisti Mariam : **363** [f] per unigenitum tuum : filiumque suum Dominum nostrum ad superam et inenarrabilem celi sedem. Quo nemo hominum creditur sumptus : nullusque preter illam attolli noscitur sexus. Dum non sola merito ibidem pervenire potuit : nisi quod sola Virgo post [g] parturitium mansit. Postquam sola celi ac terre Dominum divinitus parturit : et Deum [h] caro factum ineffabiliter utero vehit. Te quesumus : te rogamus : ut sicut illam tanti incircumscripti muneris fecisti dominam : ita facias Ecclesiam tuam per universum orbem diffusam : te

[a] *Cap. X.* Vers. 38, ad finem capitis, et cap. XI, 27, 28. Idem Evangelium in Sacramentario Bobiano, in Missalibus Toletano, Ambrosiano, et Romano sancti Pii legitur, sed in his pertingit tantum ad finem capitis X. Idem quoque legitur Evangelium in Kalendario Frontonis et in Capitularibus vetustis Evangeliorum Georgii, et cum Missali nostro hæc adjiciunt versiculos 27, 28, ex capite XI. In Luxoviensi legitur ex Lucæ I, 39-60.

[b] *Lauda.* Ps. CXLV, 2.

[c] *Sacrificium.* Est cento consutus ex verbis Cantici canticorum, IV, 4, 7, 11. ℣. Ibid., V, 12 seq.

[d] *Illa hodie.* Huc refer illud Wandelberti :

Octava et decima, mundi lux flosque Maria
Angelico comitata choro petit æthera virgo,

nimirum XVIII Kalend. Septembris.

[e] *Admitti.* Lege *admitte.*

[f] *Per Unigenitum tuum.* Alludit ad receptam in Ecclesiis Hispaniæ et Galliæ opinionem quam sanctus Gregorius Turonensis (*De Glor. Mart.*, *l.* I, *cap.* 4) refert, scilicet Christum Dominum morienti Matri suæ adfuisse, priusque animam ejus suscepisse, et deinde *Corpus sanctum susceptum in nube deferri jussisse in paradisum, ubi nunc resumpta anima cum electis ejus exsultans, æternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur.*

[g] *Parturitium.* Id est, post partum.

[h] *Caro.* Lege *carnem.*

Dei presule omnem contra eam venientium respuere pravitatem. Nesciens in religione casum : abdicans in conversatione [a] del'quium. Sit quesumus Domine : in religiosis gloriosa : in clericis dedicata : in ministris sancta : in Martyribus prompta : in Virginibus inlibata : in continentibus fecunda : in pauperibus affluens : in pupillis exuberans : in captivis et vinctis clemens : in viduis continens : in oppressis relevans : desperatis solamen impertiens : in lascivis refrenans : in luxuriosis evocans : in obstinatis evetans : in desperatis pia : in viventibus mag'stra : in fidelibus defunctis requies exoptata.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Domine Jesu Christe : qui ex Virgine natus : unicus Virginum permanes sponsus. Quarum tu cetus prebuisti ducatum : ad celi sedem : ubi caput illarum esse voluisti assumendo matrem gloriosissimam Virginem : te quesumus et rogamus : ut obtentu illarum nigredine careamus omnium nostrorum facinorum. Divina namque illa et ineffabilis mansio que Virginem hodie sumpsit : sic permansuros in ea nos dextera tue virtutis censeat : ut letos graviter lumine speciei tue ibidem sine fine instituat. Nam si discreta donorum merita ibidem prerogant loca summa et ineffabilia : hodie adeptura noscitur Virgo Maria per te Domine : cui adsunt possibilia universa. Tu es itaque Domine : qui omnia ista disponis : qui etiam celestia ac terrestria precio pacificasti sacri laboris : et filios dignatus es facere gratuita dignitate.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : sanctum et pulcrum est : summe et ineffabilis Deus noster quantis possumus laudare preconiis : et si potentes adsumus lumen tue claritatis pollutis contingere labiis : sed in quantum ipse donaveris : te benedicere et conlaudare digne licebit nobis. Qui etiam ab initio massam [b] faxiens fortiter electorum : nonnullis ex illis miracula dare jussisti per vitam : signa per mortem : portenta per assumptionem. Alios namque potenter resuscitans post carnis defectum : alios vero concremans per mentis excessum : dumque alios reddidisti dissimiles per obitum ineffabilem soporum. Illud enim vero Domine quod non dubium de Enoch creditur : vel Helia certius : eo magis verius confitemur de [c] Johanne vel Maria. Dicam : dicam : hoc illi meruere ante sacrum adventum : quod et isti

A experti sunt [d] post evum paratum : dicam : plerique propter Christum. Quidve mirantur? Ille Enoch nunquam comparavit : cum vates et ipse Israelita auriga simillime latuit : et corpore vivos mansio celestis utrosque detinuit. Complevit et ipsa : quod perfecit : et istis. Illis per indeclinabilem carnis statum : [e] post etiam sepulcri descensum permiceemque illinc Marie et ineffabiliter exitum : sicuti ibidem Johannis ingressum : sic permansurum incomprehensibiliter usque ad futurum adventum. O sacratissimum archanum : et inexprobabile provisum : quod unumquemque illorum jam per disparem modum inter plurimos mire sublimavit ad celum. Merito quidem et gloriosa Virgo Maria : celi petivit intimum : dum celi et terre sola visceribus sacris

B portavit Deum et Dominum. O ineffabilis castitas : et immaculata virginitas : que novo et ineffabili modo adsumi in superna meruit sede. Visura cum Angelis ibidem perpetim Deum : cujus Verbi in terra sacrum effecta est templum. Cui nullo modo ibidem incomprehensibilis frustratur sedes : sicuti incomprehensibilis partus non denegatur in terris. Talium est enim ibi divinitus ascendisse : qualium in novo Virginis partu hic similem non invenisse. Quid vero verius datur intelligi : hanc Christus elegit a qua natus est : **364** hic sic illam voluit mansisse. Merito diuque merito ibidem gloriosior fore pre cunctis : dum merito longeque digno dignior inviseratur ex ea Salvator. Hoc te Domine cooperante qui omnia que velis : facis : et de nullo nusquam ventilaris. Quem

C quoque [f] gemunt potestates : celicolique ammirantur cives. Cui multiplex celica illa Angelorum legio : catervaque Sanctorum : omnium Virginum : Martyrumque concio sive terrestris beatorum multitudo in hoc Assumptionis gloriose Virginis festo non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus eterne omnipotens Deus : Jesus Christus Filius tuus. Qui [g] tam visibilia ab initio instituens [h] infinita : tecum et Spiritu Sancto potentialiter creans : omnia felicius complevit : et divinitus peregit extremo. Figitur inter primevam vel ultimam seculi seriem : se cum in forma Dei esset exinaniens :

D [i] Deo equalem nostrum dignatus est contagium sumere pulverem. Non quo ante illum eguisset [j] clipeo : sed quo vero letalia vulnera sanasset antidoto.

[a] *Deliquium.* Forte, *delictum.*

[b] *Faxiens.* Forte, *faciens.*

[c] *Johanne.* Scilicet apostolo et evangelista, de quo vide pag. 64, in notis.

[d] *Post evum paratum.* Num forte *post ejus partum*, aut *post Virginis partum?*

[e] *Post etiam.* Lege *illis post etiam.* Nimirum hic sequimur opinionem quæ tenet sanctum Joannem mortuum quidem et sepultum esse, sed deinde resurrexisse. Dei Genitricis Virginis corpus prius depositum esse in sepulcro quam in cœlum deferretur, non modo Gotho-Hispani, sed et Galli prædicant (*Miss. Gallo-Goth.*, *n.* 12, *miss. de Assumpt. sanctæ Mariæ*), cum in oratione *post nomina* dicunt : *Fratres charissimi, precibus Dominum imploremus, ut ejus indulgentia illuc defuncti liberentur a tartaro quo beatæ Virginis translatum corpus est de sepulcro;* et cum (*Ibid.*) dicunt de beata Virgine quod *nec, per Assumptionem,* DE MORTE SENSIT ILLUVIEM, quæ *vitæ portavit auctorem;* et in illatione cum dicunt : *Quæ nec de corruptione suscepit contagium, nec resolutionem pertulit in sepulcro.*

[f] *Gemunt.* Lege *tremunt.*

[g] *Tam visibilia.* Adde *quam invisibilia instituens.*

[h] *Infinita.* Forte, *infinita potentia.*

[i] *Deo æqualem.* Forte, *Deo æqualis.*

[j] *Clipeo.* Id est, indumento.

Non quo ante infirmus fulciret propria : [a] sed quo vero potentius celestia : terrestria salvasset : vel tartara. Non quo ante ullam passus esset inopiam : sed quo [b] vero : inopem gratia redderet divitem. Non quo ante imbecillis celestes : vel aerios domuisset exercitus : sed quo vero fortissimus novos ibidem reseraret introitus. Unde hoc ante nusquam Domine omne confitemur peractum : nisi et completum esset per Verbum caro factum : quod non natura humana : sed gratia adunivit assumptum. Accepit namque quod fecerat : in quo ante mirabili modo seseque factum predixerat. De quo mater Syon dicet : homo : et homo divinitus ammirabiliterque est factus. Talem multoque vere creditur mirabilem matrem creasse : [c] qualem divinitus per eam transiens : decus Virgineum non admisisset. Dum ab illo creari : ita est [d] ab ipso concipi. Hec autem Domine omnia si humanis viribus possent exequi · omnia divina nusquam probarentur oriri. Quis vero tandem hujus sancte mysterium approbare poterit tante Incarnationis : Nativitatis Filii : in celum Ascensionis : et matris tam incomprehensibilis inlibate Assumptionis : nisi recta de Patre et Filio atque Spiritu Sancto sinceriter credat : et de matris Assumptione mirabiliter sentiat. Dum et incomprehensibilia sunt utraque : et inde credenda utraque : qui vere confitemur utraque. Hec fides verissima : qua reconciliamur piissimo Deo : et adoptamur in filiis. Christo Domino redemptorique nostro.

Post pridie. Oratio. Virgo Dei genitrix Maria : cujus hodie veram Assumptionem celebramus in sede superna : quesumus indigni : et peccatores [e] ubi assumpta est novi miraculi gloria : beatiores quandoque mereamur attolli prece hac tua dicata. Roget quesumus ibidem pro nobis dignitas tui pudoris : qui te de terris ineffabiliter sumpsit [f] in celis post somnum quietis : et cursum consummatum vite temporalis. Adsit rogamus ibidem pro nobis indignis [g] plebs tua semper suffragatrix. Quatenus hic per eam [h] abluti ab omnibus facinorum contagiis : mereamur Angelorum compotes esse in celestibus regnis.

℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Domine Jesu Christe : qui sic Virginem matrem honorificasti : quousque Assumptionis gratia eam [i] coram te suffragatricem incomparabilem : indigni quesumus divinitatis tue clementiam. Quatenus per obtentum illius beatissime genitricis : quam [j] celibem hodie fecisti in celestibus regnis : emundati ab universis contagiis audeamus exclamare : et dicere e terris. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Exoratu Virginis sacre Marie vestra sint merita : et radicitus coram Christo abolita piacula. ℟. Amen. Et sicut illa hodie conletatur in sede superna cum Angelis Sanctis : sic vos gaudeatis adquisisse **365** paradisum eterne felicitatis. ℟. Amen. Quo anima simul et corpore sani et integri hinc exeuntes : ad illam feliciter et digne perveniatis sedem : quo ipso miserante ab eo divelli nullatenus possitis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Com.* Refecti Christi corpore. *Require in festo corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Omnes qui huic tante Assumptionis solennitati convenistis : et sacrosancta communione mortalia corpora vivificastis : mereamini per interventum Sancte et gloriose Dei genitricis : et hic ab omnibus malis eripi : et in futuro cum Christo jocundari. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sic acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Octava S. Laurentii Martyris :
Omnia dicantur sicut in die. fol. 357.

Agapiti Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

Bernardi Abbatis :
Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432.

Octava Assumptionis Beate Marie Virginis :
Omnia dicantur sicut in die. fol. 361.

SS. Timothei : et Simphoriani :
Omnia dicantur plurimorum Mart. fol. 426.

IN FESTO [k] S. BARTHOLOMEI APOSTOLI.

Ad Missam. [1] *Officium.*

Gloriam et magnum decorem impones super eum : alleluja. Et dabis eum in seculum seculi : alleluja : alleluja. ℣. Vitam petiit a te : et tribuisti ei Domine

[a] *Sed quo vero.* Lege : *Sed qua vera potentia cœlestia, terrestria solveret, vel Tartara domaret.*
[b] *Vero.* Lege *vere.*
[c] *Qualem.* Lege *qualis.*
[d] *Ab ipso.* Lege *ab ipsa.*
[e] *Ubi.* Lege *quo.*
[f] *In cœlis.* Lege *in cœlos.*
[g] *Plebs tua.* Lege *prex tua*, id est, oratio, precatio tua.
[h] *Abluti.* Lege *absoluti.*
[i] *Coram te.* Adde *evexisti*, aut potius lege *eam coram te* EFFECISTI *suffragatricem* pro nobis *incomparabilem.*
[j] *Celibem.* Forte, *celebrem.*
[k] *Sancti Bartholomæi.* De sancto Bartholomæo plura habet cum. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, die 25 Augusti. Fuse quoque de eo agunt Bollandiani, tom. V Augusti (*Pag.* 7 *seq.*), qui (*Pag.* 14 *seq.*) tenent sanctum Bartholomæum non alium esse quam Nathanaelem illum de quo sanctus Joannes in Evangelio (*Cap.* I) agit. Passus dicitur in India, unde ejus reliquiæ Anastasiapolim primum, tum Liparim, delatæ sunt. Ex insula Lipari, opere Sicardi principis, Beneventum translatæ, ante medium sæculi IX, in ea urbe magno cum honore colebantur ; hanc translationem alii anno 832, alii 838, alii 840, Bollandiani (*Ibid., pag.* 58) contigisse putant anno 839. Demum jussu Othonis secundi imperatoris corpus sancti Bartholomæi Romam delatum, in porphyretica

[1] *Officium.* Ps. XX, 6, 7. ℣. Ibid., 5.

longitudinem dierum in eternum : et in seculum se- A culi. *P.* Et dabis eum. ỳ. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum. Amen. *P.* Et dabis.

Oratio. Eternum tue virtutis nomen omnipotens Deus oramus : ut nos [a] martyris tui Bartholomei Apostoli : et omnium Sanctorum meritis socios fide ; pares devotione : extremos passione : et consimiles in resurrectione felicium facias coequari. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Justus si morte preoccupatus fuerit. *Require retro in festo Sancti Clementis Pape. fol.* 20.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Psallendo.* Os justi meditabitur sapientiam : et B lingua ejus loquetur judicium. ỳ. Lex Dei ejus in corde ipsius : et non supplantabuntur gressus ejus. *P.* Et lingua ejus.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Epistola. Charissime confortare.

Evangelium. Una dierum Dominus noster Jesus Christus. *Require ut supra.*

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Lauda.* Alleluja. ỳ. Exultabit justus in gloria : et gaudebit in leticia sempiterna. *P.* Alleluja.

[d] *Sacrificium.* Oravi Deum meum ego Daniel dicens : exaudi Domine precem servi : inlumina faciem tuam super sanctuarium tuum : et propicius intende populum istum : super quem invocatum est nomen C tuum Deus : alleluja. ỳ. Cum effunderem precem meam in oratione in conspectu Domini Dei mei pro peccato populi Israel : et pro loco sancto ejus in tempore sacrificii : Gabriel cito pervolans tetigit me : et locutus est mihi dicens : Daniel vir desideri rum : ab initio obsecrationis tue : ego egressus sum : et veni ut dicam. *P.* Et propicius intende.

Missa. Preciosissimam Martyris Bartholomei Apostoli solemnitatem fratres charissimi : promptissima celebremus devotione : suppliciter orantes Dei nostri misericordiam. Ut qui beatissimam prefati Apostoli : et martyris sui annua festivitate : in hunc diem memoriam excolimus : etsi equari factis ejus non possumus : saltim ipso patrocinante imitari fidem ejus per omnia valeamus. ℟. Amen.

Alia Oratio. In memoria eterna Beatissimi Apostoli tui Bartholomei Domine letamur : tempore recurrenti. Magnificantes ejus gloriam passionis : et beatitudinis ipsius facta celebrantes ; que a te accepit : atque **368** in te possedit : largitore inexhausto : retributore perpetuo : fonte perfluo : thesauro sempiterno : da nobis quesumus veneratoribus tuis : ejus peculiare suffragium : [e] et quibus dedisti nominis ejus titulum : presta patrocinium indisruptum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. In honorem martyris tui Bartholomei Apostoli : votivum tibi Deus sacrificium exhibentes : rogamus : ut ejus meritis : et offerentibus veniam : et sepultis requiem largiaris. Quo hujus suffragatione te utrobique parciturum prebeas : cujus te in passione victorem fuisse demonstras. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui sancto Apostolo : et martyri tuo Bartholomeo tantum ardorem tue dulcedinis contulisti : ut non cederet [f] penalibus flammis :

phyretica urna conditum fuit, ut in Germaniam transferretur; at exstincto Othone, corpus apostoli Romæ remansit, ubi in insulæ Tiberinæ basilica, ejus nomini dicata, hactenus die 25 Augusti Romani illud debito cultu venerantur. De hac translatione acriter Beneventanos inter et Romanos contenditur, negantibus Beneventanis corpus sancti Bartholomæi a sua urbe amotum esse, Romanis vero asserentibus non aliud quam sancti Bartholomæi corpus Othonem II abstulisse, quod in Germaniam transferret. Rationes et aucteritas neutri parti contendentium deficiunt ; vulgo tamen, contradicant licet Beneventani, corpus sancti Bartholomæi Romæ esse creditur. Non uno eodemque die festivitas sancti Bartholomæi ab omnibus Ecclesiis celebrata est. Armeni bis quotannis, 23 Februarii et 3 Decembris, Coptitæ 18 Junii et 20 D Novembris sanctum Bartholomæum prisco instituto colunt (*Assemannus, Bibl. orient. tom. III, part.* I, *pag.* 646, 648, 649, 654). Græci die 11 Junii *certamen sanctorum apostolorum Bartholomæi et Barnabæ* in Menologio Basilii commemorant, et rursus die 25 Junii de translatione reliquiarum ejus agunt Martyrol. Seberi. In Hieronymianis, Lucensi Florentinii, et Corbeiensi Dacherii, et in Martyrologio Gellonensi, bis commemoratur sanctus Bartholomæus, Idibus Junii : *In Perside, sanctus Bartholomæus apostolus*, et IX Kal. Sept. : *In India, sancti Bartholomæi apostoli.* Modo autem plerumque de sancto Bartholomæo agitur die 24, Romæ vero die 25 Augusti ; at olim Romæ, ut ex Martyrologio sancti Cyriaci ad Thermas colligit em. Baronius (*Not. Martyr., die* 25 *August.*), de sancto Bartholomæo agebant die XIII Kal. Septembris. De sancto Bartholomeo silent Sacramentaria Leonianum, Gelasianum, Bobianum et libri liturgici Gallicani. Silet etiam Orationale Gothicum, missam tamen propriam habet in Missáli, et proprium officium in Breviario Mozarabum. Missam quoque propriam habet in Sacramentario Gregoriano Menardi, qui in nota admonet eamdem inveniri in Codicibus Rhemensi, Ratoldi et Rodradi. Eadem exstat in Gregoriano Pamelii, sed apposito signo eorum quæ posteriori manu adjecta sunt, et sane in Capitularibus Evangeliorum Georgii nulla fit mentio hujus festivitatis.

[a] *Martyris.* In Romano Parvo : *IX Kal. Septembris Bartholomæi apostoli et martyris.*

[b] *Psallendo.* Ps. XXXVI, 30. ỳ. ibid., 31.

[c] *Lauda.* Ex Psal. CXLIX, 5.

[d] *Sacrificium.* Est cento consutus ex verbis Danielis IX. ỳ. Ibid.

[e] *Et quibus dedisti.* Est peculiaris petitio pro iis qui sancti Bartholomæi nomine vocabantur. Sanctos specialem curam gerere eorum quibuscum est nominis communio, prisca est fidelium opinio, siquidem Christianus in clientelam ejus sancti quodammodo datur, cujus nomen in baptismate suscipiebat. Hinc Juliana illa pia et illustris femina, apud sanctum Ambrosium (*Exhort. virgin., cap.* 3), filium suum Laurentium hortabatur : *Considera cui te muneri pater, tali nomine, designavit, qui te vocavit Laurentium.... redde martyri quod debes martyri*, etc. Sanctos igitur quorum nomina gerebant fideles tanquam patronos venerabantur, rati vicissim sanctos illos patrocinio suo clientes fovere. Quod aperte Theodoretus (*De curat. Græc. affect. cap.* 8, *in fine*) docet : *Quin et nascentibus filiis horum* (sanctorum martyrum) *nomina imponere* (fideles) *student, securitatem inde ipsis tutelamque comparantes.*

[f] *Pœnalibus flammis.* De genere mortis sancti Bartholomæi apostoli, non una est opinio. Alii cruci

habitans in eo tue dilectio charitatis. Presta nobis: A ut pacis bono accincti: careamus scandalis: expiemur delictis: et eterne semper prestolemur gloriam visionis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est vere Domine: quia dignum et pulcrum est: nos tibi gratias agere per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui gloriari se in corona Martyris sui Bartholomei Apostoli demonstravit: et persequentis inimici furorem rabidum ad nihilum usquequaque redegit. Scindebatur quidem pro Christo Rege militis corpus variis generibus tormentorum: sed anima ejus fontibus rigabatur spiritualium gaudiorum: eternum evadens carcerem inferorum. Beatus Martyr cruciabatur in terris: cujus immarcescibili victorie corona potiretur in celis. Vulnerabatur ejus corpus plagis: sed agonia in eo B non frangebatur spiritalis; sua viscera diversis tradidit penis: ne filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum negare videretur in terris. Offerebat se Deo sacrificium castum: ut posset centuplum de superioribus premiis accipere fructum per eum. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie: ita dicentes. ℟. *Chorus.* Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus: vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui Apostolum et Martyrem suum Bartholomeum: et vita probabilem: et potissimum reddit passione. Cujus hodierna celebritas id nobis in affectum adducit: quod idem Apostolus et Martyr tuus pro te sanguinem fudit: suppliciis caruit: vitam invenit. Cujus te ut C nostris Deus parcas sceleribus suffragatione rogamus: petentes ut hic Martyr tuus: qui veraciter huic crucifixus est mundo: sit in auxilium populo Christiano. Per Christum Dominum ac Redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Sanctifica Deus quod offerimus: et tribue propicius: quod rogamus: ut qui passionem Apostoli et Martyris tui Bartolomei venerabiliter annua vice excolimus: suffragio ejus perenniter potiamur.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam. Dominum Deum nostrum fratres charissimi toto corde deprecemur: et humili oratione poscamus: ut festivitatem hanc: quam hodierno die in honorem Sancti ac beatissimi Apostoli Bartholomei devotissime celebramus: illustret: et nos consortes Sanctis effectos propositum nostrum vitamque consumet. Et cui sumus in hac nostra devotione fautores: esse mereamur donante Christo participes: proclamantes e terris. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Benedictio. Benedicat vobis omnipotens Dominus: et tribuat per presentis Martyris suffragia patrocinia sempiterna. ℟. Amen. Habeatis in Martyris intercessione presidium: in recordationis die gaudium sempiternum. ℟. Amen. Ut qui ad festivitatem tanti Martyris fide integra: et mente devota venistis: magna vobiscum gaudia et premia portetis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine: te laudamus Domine alleluja: alleluja: alleluja.

367 *Oratio.* Deus immense et gloriose: quem in passionibus Martyrum colimus: in beatorum solennitatibus veneramur: atque in certaminibus vincentium conlaudamus. Adesto precibus supplicantium interventu Martyris tui Bartholomei Apostoli: ut qui te pro admissis terribilem metuimus: ejus precibus exoratum in misericordia placitum inveniamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi: perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

IN FESTO ᵃ GENESII MARTYRIS.

Ad Missam. Officium.

Gloriam et magnum decorem. *Quere in sancto Bartholomeo. fol.* 345.

Oratio. Presta nobis Deus beatissimi Martyris tui Genesii assiduum patrocinium: ut ejus quoque preclarum assequi mereamur exemplum. Ut sentientes

affixum dicunt, quibus Græci in Menologio Basilii favent. Alii inverso capite crucifixum, cum pseudo-Hippolyto, addunt. Alii excoriatum tradunt cum sancto Isidoro (si modo ejus sit liber de Vita et morte D sanctorum Novi Testamenti, cap. 76; ejus autem esse inter alios contendit Nicolaus Antonius, in Bibliotheca veteri Hispaniæ). Auctor hujus officii Sanctum Bartholomæum igne consumptum fuisse opinatus est.

ᵃ *S. Genesii.* Præter celeberrimum illum Genesium mimum, Thymelicæ artis magistrum, qui Romæ sub Diocletiano passus est, quatuor Genesii martyres in Gallia reperiuntur, quorum unus monachus a Danis an. 888 interfectus est (*Sauss., append. Martyrol. Gallic., tom. II, pag.* 1223); alter, de quo meminit Gregorius Turonensis (*De Glor. Martyr., lib.* I, *cap.* 74), est Genesius presbyter et martyr Beborritanus, cujus *passionis historia* Turbæ (nunc *Tarbes*) in urbe episcopali *apud loci incolas* legebatur. Tertius Genesius Arvernus est, qui juxta castellum Tigireuse, in albis positus, per martyrium migravit ad cœlum, ut idem sanctus Gregorius Turonensis scribit (*De Glor. martyr., l.* I, *c.* 74). Quartus demum est Genesius Arelatensis, qui in officio judicis, munere fungens notarii, seu exceptoris, edictum persecutionis excipere renuit, abjectisque ad pedes judicis ceris, aufugit, quam ob causam, aliquandiu frustra quæsitus ad pœnam, ab irato judice jussus est occidi in quocunque loco inventus fuerit: a percussoribus tandem deprehensus, ut manus eorum evaderet, cornu Rhodani fluminis transavit. At vix aqua egressus, in alios percussores incidit, a quibus illico interfectus, suo sanguine baptizatus, evolavit in cœlum. Locus in quo percussus est, ut scribit Passionis ejus vetustus auctor, *nunc oratione assidua et votis nunquam irritis frequentatur.* Corpus martyris, non ubi passus est, sed in adversam fluminis ripam translatum, fideles sepelierunt. Martyrologia de sancto Genesio agunt die 25 Augusti, et quidem Romanum Parvum, Ottobonianum, Adonis, Usuardi, et alia quædam utrumque Genesium Romanum et Arelatensem hac die colunt; alia vero Martyrologia, ut Hieronymiana, Lucense, Corbeiense, Richenoviense, Labbeanum, Flori, item et Fuldense, die 24 Aug

impensissime suffragantem : sequamur fortissimum A preliantem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Dominus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Sapientia justum deduxit.

Quere in festo S. Johannis Apostoli et Evangeliste. fol. 45.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Psallendo*. In memoria eterna erit justus : ab auditu malo non timebit. ℣. Paratum est cor ejus sperare in Domino : confirmatum est donec videat inimicos suos. *P*. Ab auditu.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Galathas B ([b] *Cap. III*).

Deo gratias.

Fratres : qui tribuit vobis spiritum : et operatur virtutem in vobis ex operibus legis : an ex auditu fidei? [c] Sicut Abraam credidit Deo : et reputatum est illi ad justiciam. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt : hi sunt filii Abrae. Providens autem scriptura : quia ex fide justificat gentes : Deus prenunciavit Abrae quia benedicentur in eo omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt : benedicentur cum fideli Abraam. Quicumque enim ex operibus legis sunt : sub maledicto sunt. Scriptum est enim. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus : que scripta sunt in libro legis : ut faciat ea. Quoniam autem in lege C nemo justificabitur apud Deum. Manifestum est : quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide : sed qui fecerit ea vivet in illis. ℟. Amen.

Evangelium. Si quis vult post me venire. *Quere in natale S. Andree. fol. 27.*

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Lauda*. Beatus homo quem tu eruisti Domine : et de lege tua docuisti eum : alleluja. *Sacrificium*. Ego servus tuus et filius ancille tue dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo sacrificium laudis : alleluja.

Missa. Fide pleni : spe robusti : voto alacres : charitate ferventes predicemus Genesii Martyris victorie gloriam : simulque et victoriam gloriosam. Qui gratia Christi Domini et Salvatoris nostri preveniente : respectus et interius se monentem audivit : et exterius jubentem sibi contempsit. Cum in studio militie secularis exceptoris functus officio : non eum qui mortifera : sed eum qui vitalia precepta jubebat : audivit. Manum divinam porrigens operi : et auditum suo preparans conditori. Hujus igitur exemplo reformari nos nostro cupientes artifici : cum his victimis omnipotenti Domino supplicantes : et Martyris concinamus gloriam : et nostrorum scelerum reseremus occulta. Dabit profecto ille quicquid a nobis fuerit in confessione rogatus : qui predictum Martyrem prevenit etiam non quesitus. ℟. Amen.

Alia Oratio. Quid dignum tue clementie Domine Deus pro tam gloriosissimi Martyris tui Genesii offerri ab infimis celebranda poterit dignitate : nisi ipse castrorum tuorum victoriosissimus miles : tam triumphi sui non immemor merito : quam supplicantium constrictus obsequio : quas placere tibi optime comprobavit : ingerat laudes : qui specialis gratie tuæ largitate preventus : prius te meruit invenire : **368** [e] quam querere. Prius potuit diabolum vincere : quam : [f] bellandum arte calcare. Prius pro te animam ponere : quam ipsius fidei rudimenta [g] subire. In quo anticipatum est perfectione :

Genesium mimum Romanum, die 25 Genesium Exceptorem Arelatensem commemorant. Acta passionis sancti Genesii Romani, quæ sincera habentur apud Ruinartium (*Pag.* 283), eum decollatum fuisse tradunt VIII Kal. Septembris, quo die Romæ celebratur in basilica sua, quam Gregorius III restauravit : is enim, procul dubio, Genesius est de quo Kalendarium Frontonis, et Capitularia Evangeliorum Georgii meminere. Est et sanctus Genesius in Kalendario Carthaginensi, et in Lectionario Ambrosiano em. Thomasii; at incertum an Romanus, an potius Arelatensis. De neutro horum exstat memoria in Kalendario Bucheriano, in Martyrologio Gennino Bedæ, in libris liturgicis D Gallicanis, et in Orationali Gothico. Attamen Gotho-Hispanos Genesium Arelatensem coluisse certum est; ejus enim in Missali exstat missa propria, et in Breviario Mozarabum officium proprium. De eodem Prudentius (*Hymn. 4 de Coron.*) cecinit :

Teque præpollens Arelas habebit,
Sancte Genesi.

Est autem animadvertendum cum Nicolao Antonio (*Bibl. veter. Hisp. tom. I, pag.* 399) hunc exceptorem, seu notarium Arelatensem, et non alios Genesios coluisse Hispanos; quare audiendi non sunt qui ex pseudo-Dextero, pseudo-Juliano et similibus, intrudunt Genesium militem et martyrem Cordubæ, die 25 Augusti, et alium Mantuæ Carpetanorum. In Bibliotheca Patrum (*Edit. Paris. tom VI, pag.* 251) exstat martyrium sancti Genesii Arelatensis, auctore beato Paulino, ut fertur, episcopo Nolano, et inter ejus opera a Rosweydo et ab aliis editum est. Non desunt tamen qui tractatum hunc de martyrio sancti Genesii tribuant Paulino Bitirensi episcopo, qui Paulino Nolano aliquanto antiquior fuit. Est etiam in eadem Bibliotheca Patrum (*P.* 670, *tom. VI*) homelia Eusebii Gallicani de Natali sancti Genesii quam alii Fausto Reiensi, alii Eucherio Lugdunensi ascribunt. Eumdem Genesium celebrant Venantius Fortunatus (*Lib.* VIII, *carm.* 4), Gregorius Turonensis (*De Glor. Martyr., lib.* I, *cap.* 68, 69) et Prudentius citatus. Sanctus Genesius passus creditur anno primo persecutionis Diocletianæ æræ vulgaris 303, sed de die et anno passionis ejus silet auctor Martyrii.

[a] *Psallendo*. Ps. CXI, 7. ℣. Ibid., 8.

[b] *Cap. III*. Vers. 5-13.

[c] *Sicut*. Vulgata : *sicut scriptum est Abraham credidit Deo*, etc.

[d] *Lauda*. Ps. CXV, 16, 17.

[e] *Quam quærere*. Hic plura congeruntur ad statum catechumenorum alludentia, quibus nec cum fidelibus orare fas erat, nec fidelium mysteria suscipere, ac ne fidei quidem Symbolum illis tradebatur, nisi paucis aliquot ante baptismum diebus, idque non omnibus, sed solis competentibus; quare cum Genesius infimi gradus catechumenus foret, ille nec Deum, oratione cum fidelibus facta, *quærere noverat*. Nec dæmonem *bellantum*, hoc est fidelium, *arte*, institutisque *calcare* didicerat, nec fidei rudimenta sive Symbolum, adhuc susceperat.

[f] *Bellandum*. Lege *bellantum*.

[g] *Subire*. Forte, *suscipere*.

A quod fuerat currendum per ordinem. Cui prius moriendi pro te insinuasti desiderium : quam [a] revelasses baptismi Sacramentum. Quem prius voluisti litare sanguinis [b] tui victimam : quam sacerdotis adscultare doctrinam. Unde quis nostrum comprehendere pusillus sensu prevaleat : quanta illi apud te maneat gloria : cui tanta in hoc seculo fidelium tuorum deserviat obsequela? Quique timorem mortis spiritus tui vehementia supergressus : ita huic mundo ejusque inlecebrosis renunciaverat pompis : ut Principum quorum temporaliter cruentis subjacebat imperiis : liberrime dedignatus sit superfluis parere preceptis. Merito igitur dum baptismi inter medios [c] littores expeteret gratiam : consummatam obtinuit sui sanguinis sanctificatus ablutione coronam. Sed nec defuit martyrio : quod inerat voto. Idcirco **B** dum suos ad te confugiendo fugerat percussores : Rodani medias inter undas sanctos Angelos reperit te baptizante [d] parentes : quos post triumphum certaminis eterne meruit claritatis invenire consortes. Pro quibus donis ac beneficiis tuis : et laudum tibi vota persolvimus : et nostrorum scelerum abdita publicamus. Poscentes tue majestatis clementiam : ut qui eum baptismo sui sanguinis ablutum assumpsisti in celos : nos lachrymarum alluvione eluas a delictis.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Tuam Domine in hac Martyris tui Genesii solennitate gloriam predicamus : quem et fidei indicem et consumatorem victorie : idem Martyr promeruit invenire. Qui prius fidei voto : **C** quam regenerationis preditus sacramento : te unum et verum culturis demonum dando repudium assecutus est Deum. Acclives te igitur precibus imploramus : ut hec inspirata a te : nostrorum omnium vota subsequatur misericordia tua. Faciasque ut quos prevenisti credulitate : eterna remuneres ex mercede. Hujus Martyris suffragio preveniens defunctos ad requiem : cujus cor preventum est prius fide : quam baptismatis tinctione.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Unigenite Dei fili : ex cujus latere duo illa mirifica sacramenta : sanguis scilicet et aqua fluxerunt : que huic Genesio Martyri tuo ad susceptionem regenerationis conlata sunt. Cum non solum Rodani undis abluitur : sed etiam sanguinis **D** sui effusione renovatur : precibus ut adsis quesumus supplicantium. Da regeneratis nobis vitam sine crimine ducere : scandalis carere : innovari tue dulcedinis ubertate. Quo baptismum quod in peccatorum ablutione suscepimus : in pace : que tu es : inviolabiliter conservemus.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : in honore Sanctorum tuorum : sed precipue in Sancti ac beatissimi Martyris tui Genesii : cujus hodie gloriosam de mundi hoste victoriam universalis Ecclesia festa exultatione concelebrat : qui adhuc cathecumenus : et nec dum mysteriis unde salutaris ablutus : sacrilegi commilitonis militiam detestatus : innocentibus [e] ceteris nefaria edicta nequaquam passus imprimere : cruentas impio ex ore sententias respuit : manu repudiavit : auditu refugit officio : et piam dexteram [f] ab incipiendo tanquam sacrificando retraxit : et annotare ceris sacrilega verba mens Deo vota contremuit. Qui incumbente persecutionis mole : insequentibus ministris diaboli : animum celo preparans : corpus Rodano dedit : tanquam Jordanis in eo sacramentum requirens : et [g] alteriori ripe Martyrem portans : ut illam sanguine : hanc corpore inlustraret. Sic itaque repletus gratia tua Domine : fideli spiritu fidei instituta preveniens : nondum baptismum consecutus : inter ipsa est religionis principia consecratus. Necdum manifestatis sibi Dei legibus : et jam Deo plenus. Nondum Sacramentorum conscius : et in sacrificium jam ipse preelectus. Necdum a Domino [h] libertati donatus : et jam pro Deo testis **369** adsumptus. Nondum publica professione vocatus ad gratiam : et jam raptus est ad coronam. Prius enim adoptatus est : quam renatus. Non quidem undam fontis ingressus : sed egresso ad se fonte perfusus. Abluitur sanguine : regeneratur morte. Damnatione absolvitur : gladio consecratur. Felix qui tali baptismo meruit baptizari : per quod et originale peccatum deleret : et nunquam amitteret : quicquid [i] cruore hujusmodi condonaret. Nec ulla culpa in posterum macularet : quod semel sanguinis unda [j] dilueret. Qui in se ostium peccatorum fide clausit : fide damnavit. Quique in se per undam sanguinis [k] geminato munere baptismi : sacramenta complevit : qui non tinctus est fonte : sed ablutus est passione. Donante Domino nostro Jesu Christo : quem conlaudant omnes Angeli : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Quem predictus Martyr adiit fide : quesivit ex opere : assecutus est passione. Qui dum ob sui lavacrum Rodani se purgaturus ingereret undis : in baptizando se officio

[a] *Revelasses.* Haud ignotum Genesio erat baptismi sacramentum, quo ad salutem consequendam sibi opus esse persuasum habebat; nam ubi primum certior factus est se proscriptum esse, *per fidos internuntios a catholicæ religionis antistite donum baptismatis postulavit;* ei tamen ignotum erat quibus ritibus baptismus conferri solebat, et magis fortasse ignota erant alia sacramenta quæ simul cum baptismate tunc conferebantur; ea enim tunc solummodo catechumenis revelabantur, cum eadem susciperent.

[b] *Tui.* Lege *sui.*

[c] *Littores.* Lege *lictores.*

[d] *Parentes.* Hoc est sponsores et susceptores.

[e] *Cæteris.* Lege *ceris.*

[f] *Ab incipiendo.* Forte, *ab inscribendo.*

[g] *Alteriori.* Lege *ulteriori.* Cæterum in hac missa, non uno in loco, sensus et ipsa verba Passionis sancti Genesii exprimuntur.

[h] *Libertati.* Lege *libertate.*

[i] *Cruore.* Lege *quidquid eruor condonarat.*

[j] *Dilueret.* Lege *diluerat.*

[k] *Geminato munere,* baptismi scilicet et martyrii.

functus est Sacerdotis. Hic igitur te Deus Pater pro A nobis obtineat: cum rogaverit: qui donum fidei priusquam [a] te postularet accepit. Ex te Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Confitemur nomini tuo Domine gemino cordis ac votis obsequio: celebrantes gratiam tuam pro triumphis Genesii Martyris tui. Qui perficiens in infirmitate virtutem: eternam vitam prius lavacro sanguinis: quam regenerationis accepit. Non adoptatus baptismate: sed [b] assumptus. Non admiscendus neophitorum [c] turbis: sed consortiis Angelorum. Hujus igitur intercessionibus exaudi nos: et adesto Domine his oblationibus nostris: ut te quem in Sanctis tuis colimus: per Sanctos tuos interpellare mereamur. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus qui nolentes prevenis fide: atque credentes subsequendo: facis non frustra te credidisse: quique beatissimum Genesium prius gratia prevenisti dulcedinis: quam regeneratione baptismatis: te suppliciter deprecamur: ut jam preveniamur miserationibus tuis: qui ad te fiducialiter possimus proclamare e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Gratia Christi: que beatissimum Genesium Martyrem prevenit fide: vos subsequatur in munere. ℟. Amen. Et que illum aquis [d] Rodani originali solvit a vinculo: vos hujus calicis vivificet sacramento. ℟. Amen. Atque qui illum fluviali consecravit [e] ex gurgite: vos mundiali non subruat C tempestate. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri: qui est benedictus etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine: alleluja: alleluja: alleluja.

Oratio. Sit Domine precedente et orante Martyre tuo Genesio: in nobis famulis tuis: ita te amandi prompta voluntas: ut in nullo impediat carnis infirmitas: sicque eodem docente a nobis calcetur mundi cupiditas: ut eodem intercedente perveniat ad victoriam charitatis. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Presbiter. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

IN FESTO SANCTI [f] GERONTII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432. Preter orationem que sequitur immediate post officium et ora- B *tionem immediate post com. videlicet.* Domine Deus omnipotens qui.

Oratio. Deus Dei Fili: quem Gerontius antistes toto corde confessus: nomen tuum honorificando perductus est ad coronam: da in ore nostro confessionem: que nos expurget a crimine. Ut quicquid in tue laudis honore depromimus: in lucro nobis prodesse eterno munere sentiamus.

Oratio. Domine Deus omnipotens: qui es vita et salus fidelium: quem venturum judicem credimus verum: esto nobis propicius: et qui hanc oblationem pro **370** nostra nostrorumque salute: vel pro expiatione nostrorum peccatorum in honorem beatissimi Confessoris tui Gerontii tibi obtulimus: misericordie tue opem in nos diffundi sentiamus. Ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium: dono tui muneris consequi mereamur premium sempiternum. ℟. Amen.

Sancti Rufi Martyris:
Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

Victoris Episcopi.:
Omnia dicantur unius Pontificis. fol. 432.

[a] *Te postularet.* Hoc est antequam inter *competentes* ascriberetur.

[b] *Assumptus.* Forte addendum *martyrio.*

[c] *Turbis.* Neophyti, per aliquot dies post baptismum, seorsim habebantur a consortio communi fidelium, quibus diebus orationi vacabant, albis induebantur, quotidie communicabant, et fidei mysteria, maxime quæ ad sacramenta pertinebant, et ea quæ ante baptismum illis revelare nefas erat, docebantur. Ad hanc consuetudinem hic alludit, cum ait Genesium non turbis neophytorum statim a baptismo immistum esse, sed choris angelorum insertum.

[d] *Rodani.* Forte addendum *egressum.*

[e] *Ex gurgite.* Forte et hic addendum *egressum.*

[f] *Gerontii.* Hujus sancti episcopi et confessoris memoriam Gotho-Hispani die 26 Augusti colunt, qua die inscribitur Kalendario præmisso Missali et Breviario Mozarabum. Hymnus Breviarii prodit sanctum Gerontium episcopum ob fidem Christi ferro vinctum in carcere obiisse, de die, anno et loco martyrii silet. Usuardus in Martyrologio, die 25 Augusti, scribit: *In Hispania, civitate Italica, sancti Gerontii episcopi in carcere quiescentis.* Sollerius (*in notis, hic*) putat Usuardum in itinere Hispano hujus sancti episcopi nactum esse notitiam. Aliquam etiam ejus notitiam fortasse ex Apographis Hieronymianis accepit. Nam in Lucensi Florentinii, prid. Non. Maii, *in civitate Gallia, beatissimi Gerontii confessoris,* occurrit memoria; et in Corbeiensi Dacherii, prid. Non. Maii: *In Gallicia civitate, natalis beatissimi Gerontii confessoris*, ubi illud *Gallia* seu *Gallicia*, irrepsisse credibile est pro civitate *Italica.* Erat autem Italica (ubi in carcere, ut tradit Usuardus, mortuus est Gerontius) nobile municipium, ac deinde colonia provinciæ Bæticæ cujus ruinæ exstare dicuntur juxta pagum *Sevilla la vieja*, ad Bætim fluvium, aliquot D milliaribus Hispali dissitum. Vetusti apud Hispanos cultus sancti Gerontii testis est basilica ejus nomini dicata *ad quam* sanctus Fructuosus (Bracarensis, postea episcopus, qui VII sæculo sanctitate claruit) *devotionis gratia, de civitate Spalensi navigio profectus est,* ut apud Mabillonium (*Sæc.* II *Benedict., part.* II, *pag.* 580) scribit vetus auctor Vitæ sancti Fructuosi. De tempore quo vixit sanctus Gerontius, id solum in hymno Breviarii Mozarabum legimus:

> Hic fertur apostolico
> Vates fuisse tempore,
> Et prædicasse supremum
> Patrem potentis Filii;
> Quique dum per occiduam
> Percurreret clarus plagam,
> Tandem ira gentilium
> Ad pass onem trahitur;

quibus innuunt, sanctum Gerontium proximum temporibus apostolorum vixisse, et in Hispania, nulli certæ sedi affixum, Christi fidem disseminasse.

Sancti Augustini Episcopi et Confessoris :
Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. f. 432.

[a] IN FESTO DECOLLATIONIS SANCTI JOHANNIS BAPTISTE

Ad Missam. Officium.

Gloriam et magnum decorem. *Require in Sancto Bartholomeo. folio* 365.

Oratio. [b] Deus filius : qui in cruce tua et salutem Regibus donas : et humiles tuos ad victoriam semper armas : tempera jam tandem miseriarum nostrarum erumnas. Ac ne gladio maligno nostre feriantur cervices : obtentu gloriosi Precursoris tui Johannis Baptiste : gladio verbi tui nos reddito efficaces. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Prophetia.* Justus si morte preoccupatus fuerit. *Require in Sancti Clementis Pape. fol.* 20.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Educ Domine de carcere animam meam : ad confitendum nomini tuo. ℣. Deus canticum novum cantabo tibi : in psalterio decem chordarum psallam tibi : quia liberasti servum tuum Deus de gladio maligno. *P.* Ad confitendum.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios ([e] II, cap. XII).

℟. Deo gratias.

Fratres. Scio hominem in Christo ante annos qua-
A tuordecim : sive in corpore sive extra corpus nescio : Deus scit : raptum ejusmodi usque ad tertium celum. Et scio ejusmodi hominem : sive in corpore sive extra corpus nescio : Deus scit · quoniam raptus est in paradisum. Et audivit archana verba : que non licet hominibus loqui : pro ejusmodi gloriamur. Pro me autem nihil gloriabor : nisi in infirmitatibus meis. Nam etsi voluero gloriari : non ero insipiens. Veritatem enim dicam. Parco autem : ne quis me existimet supra id quod videt me : aut audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me : datus est mihi stimulus carnis mee Angelus Sathane : qui me colaphiset : [f] ut non extollar. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me [g] infirmitas carnis : et dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea : nam
B virtus in infirmitate perficitur : sed [h] gloriabor in infirmitatibus meis : ut habitet in me virtus Christi. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Matheum ([i] Cap. XIIII).

Illo in tempore. Audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu : et ait pueris suis. Hic est Joannes Baptista quem ego decollavi : ipse surrexit a mortuis : et ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit : et alligavit eum : et posuit in carcere propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Johannes : non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere : timuit populum. Quia sicut Prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis sal-

[a] *In festo decollationis.* Die 29 Augusti a Græcis in Menologio Basilii, a Latinis in Martyrologiis Hieronymianis, in Gellonensi, in Bedæ, Adonis, Usuardi, Romano Parvo, aliisque passim, commemoratur passio, seu decollatio sancti Joannis Baptistæ; at in Corbeiensi Dacherii, et in Codice Divionensi Bedæ, die 30 Augusti *natalis* utique passionis *sancti Joannis Baptistæ* signatur. In Orationali Gothico (*Pag.* 133) exstat titulus ; *Incipiunt orationes de decollatione sancti Joannis Baptistæ, ad vesperum completuria,* VIII *Kal. Octob.*, atque adeo die 24 Septembris Gotho-Hispani, in quibusdam saltem Ecclesiis, festum hoc celebrabant, et auctor ille, haud sane recens, qui, sub sancti Augustini nomine, scribit ad *Bibianum Sanctonicæ civitatis antistitem,* apud Mabillonium (*De Liturg. Gallic., pag.* 458), tres distinguit sancti Joannis Baptistæ solemnitates : unam nativitatis ejus, *aliam* IV *Kalendas Septembris, quando inventum legitur caput* ejus, et præter has aliam VIII *Kalendas Octobris, pro eo quod eadem die Joannes præcursor Domini a majoribus nostris traditur et ab angelo nuntiante conceptus, et Herodis funesto gladio trucidatus.* In Missali Gallo-Gothico *Missa in diem passionis sancti Joannis Baptistæ et martyris,* missam sancti Sixti, et in Sacramentario Bobiano missam apostolorum Petri et Pauli præcedit; unde suspicari licet Gallos hanc festivitatem diversis diebus, sed ante mensem Augusti celebrasse. In Africa, quantum ex Kalendario Carthaginensi colligere licet, VI Kal. Jan. martyria sanctorum Joannis Baptistæ et Jacobi majoris celebrabantur. Ex his tamen colligitur, festum decollationis sancti Joannis Baptistæ sæculo VI apud Gallos, Hispanos et Afros, diversis quidem diebus, ob Ecclesiarum commodum, tamen celebratum esse. In Italia et Romæ, an hæc festivitas adeo vetusta sit incertum reddit quod de ea Sacramentaria Leonianum et Gregorianum Muratorii, Kalendarium Frontonis, et Capitularia em. Thomasii et ill. Georgii sileant. In Sacramentario Gelasiano exstat missa *in die passionis sancti Joannis Baptistæ,* IV *Kal. Septem-*
C *bris,* sed hic Codex olim Ecclesiæ cujusdam Gallicanæ erat. In Gregorianis quoque Menardi, Pamelii et Roccæ habentur missæ in decollatione sancti Joannis Baptistæ, 29 Augusti, sed hæ secundo loco assignantur, quemadmodum et in posterioribus quibusdam Capitularibus Evangeliorum invenitur huic festivitati Evangelium secundo loco assignatum (*Vide ill. Georgium, de Liturg. Rom. pont., in append. tom. III, pag.* 275). Demum, in vetusto Lectionario Ambrosiano Thomasii, inter festum sancti Genesii et sancti Cibriani, occurrit *in sancti Joannis decollatione;* at nulla assignatur Epistola legenda. Cæterum, in excerptis Sollerii et fastis Cuspinianis (*Bolland., tom. VII Jun., pag.* 186) legitur : *Basso et Pisone bis consulibus passus est Joannes Baptista.* Sed per errorem *Bassus* pro *Crasso* irrepsit. Passus enim est an. ær. vulg. 27, M. Licinio Crasso Frugi et L. Calpurnio Pisone consulibus; sepultusque est Sebaste, quæ Samaria olim appellabatur, ubi sancti
D Hieronymi ævo (*Hier., epist.* 27) sepulcrum ejus adhuc exstabat.

[b] *Deus Filius.* Forte, *Dei Filius.*

[c] *Prophetia.* In Lectionario Luxoviensi Galli prophetiam legunt ex Isaia, XLIII, 1-XLIV, 1-5, omissis versiculis octo capitis XLIII, 15-22. In Sacramentario Bobiano nulla legitur prophetia.

[d] *Psallendo.* Ps. CXLI, 8. ℣. Ps. CIII, 9, 10.

[e] *Cap. XII.* Vers. 2-10. Luxoviense legit ex Epist. ad Hebr. XI, 33-XII, 1-7; Bobianum ex Sapientiæ, id est, ex Ecclesiastici XXXI, 8-12.

[f] *Ut non extollar.* Ambrosiaster, *ne extollar.* In Vulgata non leguntur ista verba.

[g] *Infirmitas carnis.* Hæc neque Vulgata, neque Ambrosiaster legit.

[h] *Sed gloriabor.* Vulgata : *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.*

[i] *Cap. XIV.* Vers. 1-15. Idem Evangelium in Luxoviensi et Bobiano legitur.

Deo presule omnem contra eam venientium respuere pravitatem. Nesciens in religione casum : abdicans in conversatione [a] delquium. Sit quesumus Domine : in religiosis gloriosa : in clericis dedicata : in ministris sancta : in Martyribus prompta : in Virginibus inlibata : in continentibus fecunda : in pauperibus affluens : in pupillis exuberans : in captivis et vinctis clemens : in viduis continens : in oppressis relevans : desperatis solamen impertiens : in lascivis refrenans : in luxuriosis evocans : in obstinatis evetans : in desperatis pia : in viventibus mag'stra : in fidelibus defunctis requies exoptata.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Domine Jesu Christe : qui ex Virgine natus : unicus Virginum permanes sponsus. Quarum tu cetus prebuisti ducatum : ad celi sedem : ubi caput illarum esse voluisti assumendo matrem gloriosissimam Virginem : te quesumus et rogamus : ut obtentu illarum nigredine careamus omnium nostrorum facinorum. Divina namque illa et ineffabilis mansio que Virginem hodie sumpsit : sic permansuros in ea nos dextera tue virtutis censeat : ut letos graviter lumine speciei tue ibidem sine fine instituat. Nam si discreta donorum merita ibidem prerogant loca summa et ineffabilia : hodie adeptura noscitur Virgo Maria per te Domine : cui adsunt possibilia universa. Tu es itaque Domine : qui omnia ista disponis : qui etiam celestia ac terrestria precio pacificasti sacri laboris : et filios dignatus es facere gratuita dignitate.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : sanctum et pulcrum est : summe et ineffabilis Deus noster quantis possumus laudare preconiis : et si potentes adsumus lumen tue claritatis pollutis contingere labiis : sed in quantum ipse donaveris : te benedicere et conlaudare digne licebit nobis. Qui etiam ab initio massam [b] faxiens fortiter electorum : nonnullis ex illis miracula dare jussisti per vitam : signa per mortem : portenta per assumptionem. Alios namque potenter resuscitans post carnis defectum : alios vero concremans per mentis excessum : dumque alios reddidisti dissimiles per obitum ineffabilem soporum. Illud enim vero Domine quod non dubium de Enoch creditur : vel Helia certius : eo magis verius confitemur de [c] Johanne vel Maria. Dicam : dicam : hoc illi meruere ante sacrum adventum : quod et isti experti sunt [d] post evum paratum : dicam : plerique propter Christum. Quidve miramur? Ille Enoch nunquam comparavit : cum vates et ipse Israelita auriga simillime latuit : et corpore vivos mansio celestis utrosque detinuit. Complevit et ipsa : quod perfecit : et istis. Illis per indeclinabilem carnis statum : [e] post etiam sepulcri descensum perniciemque illinc Marie et ineffabiliter exitum : sicuti ibidem Johannis ingressum : sic permansurum incomprehensibiliter usque ad futurum adventum. O sacratissimum archanum : et inexprobabile provisum : quod unumquemque illorum jam per disparem modum inter plurimos mire sublimavit ad celum. Merito quidem et gloriosa Virgo Maria : celi petivit intimum : dum celi et terre sola visceribus sacris portavit Deum et Dominum. O ineffabilis castitas : et immaculata virginitas : que novo et ineffabili modo adsumi in superna meruit sede. Visura cum Angelis ibidem perpetim Deum : cujus Verbi in terra sacrum effecta est templum. Cui nullo modo ibidem incomprehensibilis frustratur sedes : sicuti incomprehensibilis partus non denegatur in terris. Talium est enim ibi divinitus ascendisse : qualium in novo Virginis partu hic similem non invenisse. Quid vero verius datur intelligi : hanc Christus elegit a qua natus est : **364** hic sic illam voluit mansisse. Merito diuque merito ibidem gloriosior fore pre cunctis : dum merito longeque digno dignior invisceratur ex ea Salvator. Hoc te Domine cooperante qui omnia que velis : facis : et de nullo nusquam ventilaris. Quem quoque [f] gemunt potestates : celicolique ammirantur cives. Cui multiplex celica illa Angelorum legio : catervaque Sanctorum : omnium Virginum : Martyrumque concio sive terrestris beatorum multitudo in hoc Assumptionis gloriose Virginis festo non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus eterne omnipotens Deus : Jesus Christus Filius tuus. Qui [g] tam visibilia ab initio instituens [h] infinita : tecum et Spiritu Sancto potentialiter creans : omnia felicius complevit : et divinitus peregit extremo. Figitur inter primevam vel ultimam seculi seriem : se cum in forma Dei esset exinaniens : [i] Deo equalem nostrum dignatus est contagium sumere pulverem. Non quo ante illum eguisset [j] clifeo : sed quo vero letalia vulnera sanasset antidoto.

[a] *Deliquium.* Forte, *delictum.*

[b] *Faxiens.* Forte, *faciens.*

[c] *Johanne.* Scilicet apostolo et evangelista, de quo vide pag. 64, in notis.

[d] *Post evum paratum.* Num forte *post ejus partum,* aut *post Virginis partum?*

[e] *Post etiam.* Lege *illis post etiam.* Nimirum hic sequimur opinionem quæ tenet sanctum Joannem mortuum quidem et sepultum esse, sed deinde resurrexisse. Dei Genitricis Virginis corpus prius depositum esse in sepulcro quam in cœlum deferretur, non modo Gotho-Hispani, sed et Galli prædicant (*Miss. Gallo-Goth., n.* 12, *miss. de Assumpt. sanctæ Mariæ*), cum in oratione *post nomina* dicunt : *Fratres charissimi, precibus Dominum imploremus, ut ejus indulgentia illuc defuncti liberentur a tartaro quo beatæ Virginis translatum corpus est de sepulcro;* et cum (*Ibid.*) dicunt de beata Virgine quod *nec, per Assumptionem,* DE MORTE SENSIT ILLUVIEM, quæ *vitæ portavit auctorem;* et in illatione cum dicunt : *Quæ nec de corruptione suscepit contagium, nec resolutionem pertulit in sepulcro.*

[f] *Gemunt.* Lege *tremunt.*

[g] *Tam visibilia.* Adde *quam invisibilia instituens.*

[h] *Infinita.* Forte, *infinita potentia.*

[i] *Deo æqualem.* Forte, *Deo æqualis.*

[j] *Clipeo.* Id est, indumento.

Non quo ante infirmus fulciret propria: [a] sed quo vero potentius celestia: terrestria salvasset: vel tartara. Non quo ante ullam passus esset inopiam: sed quo [b] vero: inopem gratia redderet divitem. Non quo ante imbecillis celestes: vel aerios dominisset exercitus: sed quo vero fortissimus novos ibidem reseraret introitus. Unde hoc ante nusquam Domine omne confitemur peractum: nisi et completum esset per Verbum caro factum: quod non natura humana: sed gratia adunivit assumptum. Accepit namque quod fecerat: in quo ante mirabili modo seseque factum predixerat. De quo mater Syon dicet: homo: et homo divinitus ammirabiliterque est factus. Talem multoque vere creditur mirabilem matrem creasse: [c] qualem divinitus per eam transiens: decus Virgineum non admisisset. Dum ab illo creari: ita est [d] ab ipso concipi. Hec autem Domine omnia si humanis viribus possent exequi · omnia divina nusquam probarentur oriri. Quis vero tandem hujus sancte mysterium approbare poterit tante Incarnationis: Nativitatis Filii: in celum Ascensionis: et matris tam incomprehensibilis inlibate Assumptionis: nisi recta de Patre et Filio atque Spiritu Sancto sinceriter credat: et de matris Assumptione mirabiliter sentiat. Dum et incomprehensibilia sunt utraque: et inde credenda utraque: qui vere confitemur utraque. Hec fides verissima: qua reconciliamur piissimo Deo: et adoptamur in filiis. Christo Domino redemptorique nostro.

Post pridie. Oratio. Virgo Dei genitrix Maria: cujus hodie veram Assumptionem celebramus in sede superna: quesumus indigni: et peccatores [e] ubi assumpta est novi miraculi gloria: beatiores quandoque mereamur attolli prece hac tua dicata. Roget quesumus ibidem pro nobis dignitas tui pudoris: qui te de terris ineffabiliter sumpsit [f] in celis post somnum quietis: et cursum consummatum vite temporalis. Adsit rogamus ibidem pro nobis indignis [g] plebs tua semper suffragatrix. Quatenus hic per eam [h] abluti ab omnibus facinorum contagiis: mereamur Angelorum compotes esse in celestibus regnis.

℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Domine Jesu Christe: qui sic Virginem matrem honorificasti: quousque Assumptionis gratia eam [i] coram te suffragatricem incomparabilem: indigni quesumus divinitatis tue clementiam. Quatenus per obtentum illius beatissime genitricis: quam [j] celibem hodie fecisti in celestibus regnis: emundati ab universis contagiis audeamus exclamare: et dicere e terris. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Exoratu Virginis sacre Marie vestra sint merita: et radicitus coram Christo abolita piacula. ℟. Amen. Et sicut illa hodie conletatur in sede superna cum Angelis Sanctis: sic vos gaudeatis adquisisse **365** paradisum eterne felicitatis. ℟. Amen. Quo anima simul et corpore sani et integri hinc exeuntes: ad illam feliciter et digne perveniatis sedem: quo ipso miserante ab eo divelli nullatenus possitis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Com.* Refecti Christi corpore. *Require in festo corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Omnes qui huic tante Assumptionis solennitati convenistis: et sacrosancta communione mortalia corpora vivificastis: mereamini per interventum Sancte et gloriose Dei genitricis: et hic ab omnibus malis eripi: et in futuro cum Christo jocundari. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi: votum nostrum sic acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Octava S. Laurentii Martyris:
Omnia dicantur sicut in die. fol. 357.

Agapiti Martyris:
Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

Bernardi Abbatis:
Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432.

Octava Assumptionis Beate Marie Virginis:
Omnia dicantur sicut in die. fol. 361.

SS. Timothei: et Simphoriani:
Omnia dicantur plurimorum Mart. fol. 426.

IN FESTO [k] S. BARTHOLOMEI APOSTOLI.

Ad Missam. [1] *Officium.*

Gloriam et magnum decorem impones super eum: alleluja. Et dabis eum in seculum seculi: alleluja: alleluja. ℣. Vitam petiit a te: et tribuisti ei Domine

[a] *Sed quo vero.* Lege: *Sed qua vera potentia cœlestia, terrestria solveret, vel Tartara* domaret.

[b] *Vero.* Lege *vere.*

[c] *Qualem.* Lege *qualis.*

[d] *Ab ipso.* Lege *ab ipsa.*

[e] *Ubi.* Lege *quo.*

[f] *In cœlis.* Lege *in cœlos.*

[g] *Plebs tua.* Lege *prex tua,* id est, oratio, precatio tua.

[h] *Abluti.* Lege *absoluti.*

[i] *Coram te.* Adde *evexisti,* aut potius lege *eam coram te* EFFECISTI *suffragatricem* pro nobis *incomparabilem.*

[j] *Celibem.* Forte, *celebrem.*

[k] *Sancti Bartholomæi.* De sancto Bartholomæo plura habet em. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, die 25 Augusti. Fuse quoque de eo agunt Bollandiani, tom. V Augusti (*Pag.* 7 *seq.*), qui (*Pag.* 14 *seq.*) tenent sanctum Bartholomæum non alium esse quam Nathanaelem illum de quo sanctus Joannes in Evangelio (*Cap.* I) agit. Passus dicitur in India, unde ejus reliquiæ Anastasiapolim primum, tum Liparim, delatæ sunt. Ex insula Lipari, opere Sicardi principis, Beneventum translatæ, ante medium sæculi IX, in ea urbe magno cum honore colebantur; hanc translationem alii anno 832, alii 838, alii 840, Bollandiani (*Ibid., pag.* 58) contigisse putant anno 839. Demum jussu Othonis secundi imperatoris corpus sancti Bartholomæi Romam delatum, in porphyretica

[1] *Officium.* Ps. XX, 6, 7. ℣. Ibid., 5.

longitudinem dierum in eternum : et in seculum seculi. *P.* Et dabis eum. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum. Amen. *P.* Et dabis.

Oratio. Eternum tue virtutis nomen omnipotens Deus oramus : ut nos [a] martyris tui Bartholomei Apostoli : et omnium Sanctorum meritis socios fide : pares devotione : extremos passione : et consimiles in resurrectione felicium facias coequari. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Justus si morte preoccupatus fuerit. *Require retro in festo Sancti Clementis Pape. fol. 20.*

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Psallendo.* Os justi meditabitur sapientiam : et lingua ejus loquetur judicium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius : et non supplantabuntur gressus ejus. *P.* Et lingua ejus.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Epistola. Charissime confortare.

Evangelium. Una dierum Dominus noster Jesus Christus. *Require ut supra.*

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Lauda.* Alleluja. ℣. Exultabit justus in gloria : et gaudebit in leticia sempiterna. *P.* Alleluja.

[d] *Sacrificium.* Oravi Deum meum ego Daniel dicens : exaudi Domine precem servi : inlumina faciem tuam super sanctuarium tuum : et propicius intende populum istum : super quem invocatum est nomen tuum Deus : alleluja. ℣. Cum effunderem precem meam in oratione in conspectu Domini Dei mei pro peccato populi Israel : et pro loco sancto ejus in tempore sacrificii : Gabriel cito pervolans tetigit me : et locutus est mihi dicens : Daniel vir desideriorum : ab initio obsecrationis tue : ego egressus sum : et veni ut dicam. *P.* Et propicius intende.

Missa. Preciosissimam Martyris Bartholomei Apostoli solennitatem fratres charissimi : promptissima celebremus devotione : suppliciter orantes Dei nostri misericordiam. Ut qui beatissimam prefati Apostoli : et martyris sui annua festivitate : in hunc diem memoriam excolimus : etsi equari factis ejus non possumus : saltim ipso patrocinante imitari fidem ejus per omnia valeamus. ℟. Amen.

Alia Oratio. In memoria eterna Beatissimi Apostoli tui Bartholomei Domine letamur : tempore recurrenti. Magnificantes ejus gloriam passionis : et beatitudinis ipsius facta celebrantes : que a te accepit : atque **368** in te possedit : largitore inexhausto : retributore perpetuo : fonte perfluo : thesauro sempiterno : da nobis quesumus veneratoribus tuis : ejus peculiare suffragium : [e] et quibus dedisti nominis ejus titulum : presta patrocinium indisruptum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. In honorem martyris tui Bartholomei Apostoli : votivum tibi Deus sacrificium exhibentes : rogamus : ut ejus meritis : et offerentibus veniam : et sepultis requiem largiaris. *Quo hujus* suffragatione te utrobique parciturum prebeas : cujus te in passione victorem fuisse demonstras. ℟. *Amen.*

Ad pacem. Oratio. Deus qui sancto Apostolo : et martyri tuo Bartholomeo tantum ardorem tue dulcedinis contulisti : ut non cederet [f] penalibus flammis :

phyretica urna conditum fuit, ut in Germaniam transferretur; at exstincto Othone, corpus apostoli Romæ remansit, ubi in insulæ Tiberinæ basilica, ejus nomini dicata, hactenus die 25 Augusti Romani illud debito cultu venerantur. De hac translatione acriter Beneventanos inter et Romanos contenditur, negantibus Beneventanis corpus sancti Bartholomæi a sua urbe amotum esse, Romanis vero asserentibus non aliud quam sancti Bartholomæi corpus Othonem II abstulisse, quod in Germaniam transferret. Rationes et auctoritas neutri parti contendentium deficiunt ; vulgo tamen, contradicant licet Beneventani, corpus sancti Bartholomæi Romæ esse creditur. Non uno eodemque die festivitas sancti Bartholomæi ab omnibus Ecclesiis celebrata est. Armeni bis quotannis, 25 Februarii et 3 Decembris, Coptitæ 18 Junii et 20 Novembris sanctum Bartholomæum prisco instituto colunt (*Assemannus, Bibl. orient. tom. III, part.* I, *pag.* 646, 648, 649, 654). Græci die 11 Junii *certamen sanctorum apostolorum Bartholomæi et Barnabæ* in Menologio Basilii commemorant, et rursus die 25 Junii de translatione reliquiarum ejus agunt Martyrol. Seberi. In Hieronymianis, Lucensi Florentinii, et Corbeiensi Dacherii, et in Martyrologio Gellonensi, his commemoratur sanctus Bartholomæus, Idibus Junii : *In Perside, sanctus Bartholomæus apostolus*, et IX Kal. Sept. : *In India, sancti Bartholomæi apostoli.* Modo autem plerumque de sancto Bartholomæo agitur die 24, Romæ vero die 25 Augusti ; at olim Romæ, ut ex Martyrologio sancti Cyriaci ad Thermas colligit em. Baronius (*Not. Martyr., die 25 August.*), de sancto Bartholomæo agebant die XIII Kal. Septembris. De sancto Bartholomeo silent Sacramentaria Leonianum, Gelasianum, Bobianum et libri liturgici Gallicani. Silet etiam Orationale Gothicum, missam tamen propriam habet in Missali, et proprium officium in Breviario Mozarabum. Missam quoque propriam habet in Sacramentario Gregoriano Menardi, qui in nota admonet eamdem inveniri in Codicibus Rhemensi, Ratoldi et Rodradi. Eadem exstat in Gregoriano Pamelii, sed apposito signo eorum quæ posteriori manu adjecta sunt, et sane in Capitularibus Evangeliorum Georgii nulla fit mentio hujus festivitatis.

[a] *Martyris.* In Romano Parvo : *IX Kal. Septembris Bartholomæi apostoli et martyris.*

[b] *Psallendo.* Ps. XXXVI, 30. ℣. Ibid., 31.

[c] *Lauda.* Ex Psal. CXLIX, 5.

[d] *Sacrificium.* Est cento consutus ex verbis Danielis IX. ℣. Ibid.

[e] *Et quibus dedisti.* Est peculiaris petitio pro iis qui sancti Bartholomæi nomine vocabantur. Sanctos specialem curam gerere eorum quibuscum est nominis communio, prisca est fidelium opinio, siquidem Christianus in clientelam ejus sancti quodammodo datur, cujus nomen in baptismate suscipiebat. Hinc Juliana illa pia et illustris femina, apud sanctum Ambrosium (*Exhort. virgin., cap.* 3), filium suum Laurentium hortabatur : *Considera cui te muneri pater, tali nomine, designavit, qui te vocavit Laurentium.... redde martyri quod debes martyri*, etc. Sanctos igitur quorum nomina gerebant fideles tanquam patronos venerabantur, rati vicissim sanctos illos patrocinio suo clientes fovere. Quod aperte Theodoretus (*De curat. Græc. affect. cap.* 8, *in fine*) docet : *Quin et nascentibus filiis horum* (sanctorum martyrum) *nomina imponere* (fideles) *student, securitatem inde ipsis tutelamque comparantes.*

[f] *Pœnalibus flammis.* De genere mortis sancti Bartholomæi apostoli, non una est opinio. Alii cruci

habitans in eo tue dilectio charitatis. Presta nobis: ut pacis bono accincti: careamus scandalis: expiemur delictis: et eterne semper prestolemur gloriam visionis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est vere Domine: quia dignum et pulcrum est: nos tibi gratias agere per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui gloriari se in corona Martyris sui Bartholomei Apostoli demonstravit: et persequentis inimici furorem rabidum ad nihilum usquequaque redegit. Scindebatur quidem pro Christo Rege militis corpus variis generibus tormentorum: sed anima ejus fontibus rigabatur spiritualium gaudiorum: eternum evadens carcerem inferorum. Beatus Martyr cruciabatur in terris: cujus immarcescibili victorie corona potiretur in celis. Vulnerabatur ejus corpus plagis: sed agonia in eo non frangebatur spiritalis: sua viscera diversis tradidit penis: ne filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum negare videretur in terris. Offerebat se Deo sacrificium castum: ut posset centuplum de superioribus premiis accipere fructum per eum. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie: ita dicentes. ℟. *Chorus.* Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus: vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui Apostolum et Martyrem suum Bartholomeum: et vita probabilem: et potissimum reddit passione. Cujus hodierna celebritas id nobis in affectum adducit: quod idem Apostolus et Martyr tuus pro te sanguinem fudit: suppliciis caruit: vitam invenit. Cujus te ut nostris Deus parcas sceleribus suffragatione rogamus: petentes ut hic Martyr tuus: qui veraciter huic crucifixus est mundo: sit in auxilium populo Christiano. Per Christum Dominum ac Redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Sanctifica Deus quod offerimus: et tribue propicius: quod rogamus: ut qui passionem Apostoli et Martyris tui Bartolomei venerabiliter annua vice excolimus: suffragio ejus perenniter potiamur.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam. Dominum Deum nostrum fratres charissimi toto corde deprecemur: et humili oratione poscamus: ut festivitatem hanc: quam hodierno die in honorem Sancti ac beatissimi Apostoli Bartholomei devotissime celebramus: inlustret: et nos consortes Sanctis effectos propositum nostrum vitamque consumet. Et cui sumus in hac nostra devotione fautores: esse mereamur donante Christo participes: proclamantes e terris. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Benedictio. Benedicat vobis omnipotens Dominus: et tribuat per presentis Martyris suffragia patrocinia sempiterna. ℟. Amen. Habeatis in Martyris intercessione presidium: in recordationis die gaudium sempiternum. ℟. Amen. Ut qui ad festivitatem tanti Martyris fide integra: et mente devota venistis: magna vobiscum gaudia et premia portetis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine: te laudamus Domine alleluja: alleluja: alleluja.

367 *Oratio.* Deus immense et gloriose: quem in passionibus Martyrum colimus: in beatorum solennitatibus veneramur: atque in certaminibus vincentium conlaudamus. Adesto precibus supplicantium interventu Martyris tui Bartholomei Apostoli: ut qui te pro admissis terribilem metuimus: ejus precibus exoratum in misericordia placitum inveniamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi: perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

IN FESTO [a] GENESII MARTYRIS.

Ad Missam. Officium.

Gloriam et magnum decorem. *Quere in sancto Bartholomeo. fol.* 345.

Oratio. Presta nobis Deus beatissimi Martyris tui Genesii assiduum patrocinium: ut ejus quoque preclarum assequi mereamur exemplum. Ut sentientes

affixum dicunt, quibus Græci in Menologio Basilii favent. Alii inverso capite crucifixum, cum pseudo-Hippolyto, adduut. Alii excoriatum tradunt cum sancto Isidoro (si modo ejus sit liber de Vita et morte sanctorum Novi Testamenti, cap. 76; ejus autem esse inter alios contendit Nicolaus Antonius, in Bibliotheca veteri Hispaniæ). Auctor hujus officii Sanctum Bartholomæum igne consumptum fuisse opinatus est.

[a] *S. Genesii.* Præter celeberrimum illum Genesium mimum, Thymelicæ artis magistrum, qui Romæ sub Diocletiano passus est, quatuor Genesii martyres in Gallia reperiuntur, quorum unus monachus a Danis an. 888 interfectus est (*Sauss., append. Martyrol. Gallic., tom. II, pag.* 1223); alter, de quo meminit Gregorius Turonensis (*De Glor. Martyr., lib.* 1, *cap.* 71), est Genesius presbyter et martyr Behorritanus, cujus *passionis historia* Turbæ (nunc *Tarbes*) in urbe episcopali *apud loci incolas* legebatur. Tertius Genesius Arvernus est, qui juxta castellum Tigirense, in albis positus, per martyrium migravit ad cœlum, ut idem sanctus Gregorius Turonensis scribit (*De Glor. martyr., l.* 1, *c.* 71). Quartus demum est Genesius Arelatensis, qui in officio judicis, munere fungens notarii, seu exceptoris, edictum persecutionis excipere renuit, abjectisque ad pedes judicis ceris, aufugit, quam ob causam, aliquandiu frustra quæsitus ad pœnam, ab irato judice jussus est occidi in quocunque loco inventus fuerit: a percussoribus tandem deprehensus, ut manus eorum evaderet, cornu Rhodani fluminis tranavit. At vix aqua egressus, in alios percussores incidit, a quibus illico interfectus, suo sanguine baptizatus, evolavit in cœlum. Locus in quo percussus est, ut scribit Passionis ejus vetustus auctor, *nunc oratione assidua et votis nunquam irritis frequentatur.* Corpus martyris, non ubi passus est, sed in adversam fluminis ripam translatum, fideles sepelierunt. Martyrologia de sancto Genesio agunt die 25 Augusti, et quidem Romanum Parvum, Ottobonianum, Adonis, Usuardi, et alia quædam utrumque Genesium Romanum et Arelatensem hac die colunt; alia vero Martyrologia, ut Hieronymiana, Lucense, Corbeiense, Richenoviense, Labbeanum, Flori, item et Fuldense, die 24 Augusti

impensissime suffragantem : sequamur fortissimum prelianiem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Dominus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Sapientia justum deduxit.

Quere in festo S. Johannis Apostoli et Evangeliste. fol. 45.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Psallendo*. In memoria eterna erit justus : ab auditu malo non timebit. ℣. Paratum est cor ejus sperare in Domino : confirmatum est donec videat inimicos suos. *P*. Ab auditu.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Galathas ([b] *Cap. III*).

Deo gratias.

Fratres : qui tribuit vobis spiritum : et operatur virtutem in vobis ex operibus legis : an ex auditu fidei? [c] Sicut Abraam credidit Deo : et reputatum est illi ad justiciam. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt : hi sunt filii Abrae. Providens autem scriptura : quia ex fide justificat gentes : Deus prenunciavit Abrae quia benedicentur in eo omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt : benedicentur cum fideli Abraam. Quicumque enim ex operibus legis sunt : sub maledicto sunt. Scriptum est enim. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus : que scripta sunt in libro legis : ut faciat ea. Quoniam autem in lege nemo justificabitur apud Deum. Manifestum est : quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide : sed qui fecerit ea vivet in illis. ℟. Amen.

Evangelium. Si quis vult post me venire. *Quere in natale S. Andree. fol.* 27.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Lauda*. Beatus homo quem tu eruisti Domine : et de lege tua docuisti eum : alleluja. *Sacrificium*. Ego servus tuus et filius ancille tue dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo sacrificium laudis : alleluja.

Missa. Fide pleni : spe robusti : voto alacres : charitate ferventes predicemus Genesii Martyris victorie gloriam : simulque et victoriam gloriosam. Qui gratia Christi Domini et Salvatoris nostri preveniente : respectus et interius se monentem audivit : et exterius jubentem sibi contempsit. Cum in studio militie secularis exceptoris functus officio : non eum qui mortifera : sed eum qui vitalia precepta jubebat : audivit. Manum divinam porrigens operi : et auditum suo preparans conditori. Hujus igitur exemplo reformari nos nostro cupientes artifici : cum his victimis omnipotenti Domino supplicantes : et Martyris concinamus gloriam : et nostrorum scelerum reseremus occulta. Dabit profecto ille quicquid a nobis fuerit in confessione rogatus : qui predictum Martyrem prevenit etiam non quesitus. ℟. Amen.

Alia Oratio. Quid dignum tue clementie Domine Deus pro tam gloriosissimi Martyris tui Genesii offerri ab infimis celebranda poterit dignitate : nisi ipse castrorum tuorum victoriosissimus miles : tam triumphi sui non immemor merito : quam supplicantium constrictus obsequio : quas placere tibi optime comprobavit : ingerat laudes : qui specialis gratie tuæ largitate preventus : prius te meruit invenire : **368** [e] quam querere. Prius potuit diabolum vincere : quam : [f] bellandum arte calcare. Prius pro te animam ponere : quam ipsius fidei rudimenta [g] subire. In quo anticipatum est perfectione :

Genesium mimum Romanum, die 25 Genesium Exceptorem Arelatensem commemorant. Acta passionis sancti Genesii Romani, quæ sincera habentur apud Ruinartium (*Pag*. 283), eum decollatum fuisse tradunt VIII Kal. Septembris, quo die Romæ colebatur in basilica sua, quam Gregorius III restauravit : is enim, procul dubio, Genesius est de quo Kalendarium Frontonis, et Capitularia Evangeliorum Georgii meminere. Est et sanctus Genesius in Kalendario Carthaginensi, et in Lectionario Ambrosiano em. Thomasii ; at incertum an Romanus, an potius Arelatensis. De neutro horum exstat memoria in Kalendario Bucheriano, in Martyrologio Genuino Bedæ, in libris liturgicis Gallicanis, et in Orationali Gothico. Attamen Gotho-Hispanos Genesium Arelatensem coluisse certum est ; ejus enim in Missali exstat missa propria, et in Breviario Mozarabum officium proprium. De eodem Prudentius (*Hymn. 4 de Coron*.) cecinit :

Teque præpollens Arelas habebit,
Sancte Genesi.

Est autem animadvertendum cum Nicolao Antonio (*Bibl. veter. Hisp. tom. I, pag*. 399) hunc exceptorem, seu notarium Arelatensem, et non alios Genesios coluisse Hispanos ; quare audiendi non sunt qui ex pseudo-Dextero, pseudo-Juliano et similibus, intrudunt Genesium militem et martyrem Cordubæ, die 25 Augusti, et alium Mantuæ Carpetanorum. In Bibliotheca Patrum (*Edit. Paris. tom VI, pag*. 251) exstat martyrium sancti Genesii Arelatensis, auctore beato Paulino, ut fertur, episcopo Nolano, et inter ejus opera a Rosweydo et ab aliis editum est. Non desunt tamen qui tractatum hunc de martyrio sancti Genesii tribuant Paulino Bitirensi episcopo, qui Paulino Nolano aliquanto antiquior fuit. Est etiam in eadem Bibliotheca Patrum (*P*. 670, *tom. VI*) homelia Eusebii Gallicani de Natali sancti Genesii quam alii Fausto Reiensi, alii Eucherio Lugdunensi ascribunt. Eumdem Genesium celebrant Venantius Fortunatus (*Lib*. VIII, *carm*. 4), Gregorius Turonensis (*De Glor. Martyr., lib*. I, *cap*. 68, 69) et Prudentius citatus. Sanctus Genesius passus creditur anno primo persecutionis Diocletianæ æræ vulgaris 303, sed de die et anno passionis ejus silet auctor Martyrii.

[a] *Psallendo*. Ps. CXI, 7. ℣. Ibid., 8.

[b] *Cap. III*. Vers. 5-13.

[c] *Sicut*. Vulgata : *sicut scriptum est Abraham credidit Deo*, etc.

[d] *Lauda*. Ps. CXV, 16, 17.

[e] *Quam quærere*. Hic plura congeruntur ad statum catechumenorum alludentia, quibus nec cum fidelibus orare fas erat, nec fidelium mysteria suscipere, ac ne fidei quidem Symbolum illis tradebatur, nisi paucis aliquot ante baptismum diebus, *idque non* omnibus, sed solis competentibus ; quare cum Genesius infimi gradus catechumenus foret, ille nec Deum, oratione cum fidelibus facta, *quærere noverat*. Nec dæmonem *bellantum*, hoc est fidelium, *arte*, institutisque *calcare* didicerat, nec fidei rudimenta sive Symbolum, adhuc susceperat.

[f] *Bellandum*. Lege *bellantum*.

[g] *Subire*. Forte, *suscipere*.

quod fuerat currendum per ordinem. Cui prius moriendi pro te insinuasti desiderium : quam [a] revelasses baptismi Sacramentum. Quem prius voluisti litare sanguinis [b] tui victimam : quam sacerdotis adsecultare doctrinam. Unde quis nostrum comprehendere pusillus sensu prevaleat : quanta illi apud te maneat gloria : cui tanta in hoc seculo fidelium tuorum deserviat obsequela? Quique timorem mortis spiritus tui vehementia supergressus : ita huic mundo ejusque inlecebrosis renunciaverat pompis : ut Principum quorum temporaliter cruentis subjacebat imperiis : liberrime dedignatus sit superfluis parere preceptis. Merito igitur dum baptismi inter medios [c] littores expeteret gratiam : consummatam obtinuit sui sanguinis sanctificatus ablutione coronam. Sed nec defuit martyrio : quod inerat voto. Idcirco B dum suos ad te confugiendo fugerat percussores : Rodani medias inter undas sanctos Angelos reperit te baptizante [d] parentes : quos post triumphum certaminis eterne meruit claritatis invenire consortes. Pro quibus donis ac beneficiis tuis : et laudum tibi vota persolvimus : et nostrorum scelerum abdita publicamus. Poscentes tue majestatis clementiam : ut qui eum baptismo sui sanguinis ablutum assumpsisti in celos : nos lachrymarum alluvione eluas a delictis.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Tuam Domine in hac Martyris tui Genesii solennitate gloriam predicamus : quem et fidei indicem et consumatorem victorie : idem Martyr promeruit invenire. Qui prius fidei voto : C quam regenerationis preditus sacramento : te unum et verum culturis demonum dando repudium assecutus est Deum. Acclives te igitur precibus imploramus : ut hec inspirata a te : nostrorum omnium vota subsequatur misericordia tua. Faciasque ut quos prevenisti credulitate : eterna remuneres ex mercede. Hujus Martyris suffragio preveniens defunctos ad requiem : cujus cor preventum est prius fide : quam baptismatis tinctione.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Unigenite Dei fili : ex cujus latere duo illa mirifica sacramenta : sanguis scilicet et aqua fluxerunt : que huic Genesio Martyri tuo ad susceptionem regenerationis conlata sunt. Cum non solum Rodani undis abluitur : sed etiam sanguinis D sui effusione renovatur : precibus ut adsis quesumus supplicantium. Da regeneratis nobis vitam sine crimine ducere : scandalis carere : innovari tue dulcedinis ubertate. Quo baptismum quod in peccatorum A ablutione suscepimus : in pace : que tu es : inviolabiliter conservemus.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : in honore Sanctorum tuorum : sed precipue in Sancti ac beatissimi Martyris tui Genesii : cujus hodie gloriosam de mundi hoste victoriam universalis Ecclesia festa exultatione concelebrat : qui adhuc cathecumenus : et nec dum mysteriis unde salutaris ablutus : sacrilegi commilitonis militiam detestatus : innocentibus [e] ceteris nefaria edicta nequaquam passus imprimere : cruentas impio ex ore sententias respuit : manu repudiavit : auditu refugit officio : et piam dexteram [f] ab incipiendo tanquam sacrificando retraxit : et annotare ceris sacrilega verba mens Deo vota contremuit. Qui incumbente persecutionis mole : insequentibus ministris diaboli : animum celo preparans : corpus Rodano dedit : tanquam Jordanis in eo sacramentum requirens : et [g] alteriori ripe Martyrem portans : ut illam sanguine : hanc corpore inlustraret. Sic itaque repletus gratia tua Domine : fideli spiritu fidei instituta preveniens : nondum baptismum consecutus : inter ipsa est religionis principia consecratus. Necdum manifestatis sibi Dei legibus : et jam Deo plenus. Nondum Sacramentorum conscius : et in sacrificium jam ipse preelectus. Necdum a Domino [h] libertati donatus : et jam pro Deo testis **369** adsumptus. Nondum publica professione vocatus ad gratiam : et jam raptus est ad coronam. Prius enim adoptatus est : quam renatus. Non quidem undam fontis ingressus : sed egresso ad se fonte perfusus. Abluitur sanguine : regeneratur morte. Damnatione absolvitur : gladio consecratur. Felix qui tali baptismo meruit baptizari : per quod et originale peccatum deleret : et nunquam amitteret : quicquid [i] cruore hujusmodi condonaret. Nec ulla culpa in posterum macularet : quod semel sanguinis unda [j] dilueret. Qui in se ostium peccatorum fide clausit : fide damnavit. Quique in se per undam sanguinis [k] geminato munere baptismi : sacramenta complevit : qui non tinctus est fonte : sed ablutus est passione. Donante Domino nostro Jesu Christo : quem conlaudant omnes Angeli : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Quem predictus Martyr adiit fide : quesivit ex opere : assecutus est passione. Qui dum ob sui lavacrum Rodani se purgaturus ingereret undis : in baptizando se officio

[a] *Revelasses.* Haud ignotum Genesio erat baptismi sacramentum, quo ad salutem consequendam sibi opus esse persuasum habebat; nam ubi primum certior factus est se proscriptum esse, *per fidos internuntios a catholicæ religionis antistite donum baptismatis postulavit*; ei tamen ignotum erat quibus ritibus baptismus conferri solebat, et magis fortasse ignota erant alia sacramenta quæ simul cum baptismate tunc conferebantur; ea enim tunc solummodo catechumenis revelabantur, cum eadem susciperent.

[b] *Tui.* Lege *sui.*

[c] *Littores.* Lege *lictores.*

[d] *Parentes.* Hoc est sponsores et susceptores.

[e] *Cæteris.* Lege *ceris.*

[f] *Ab incipiendo.* Forte, *ab inscribendo.*

[g] *Alteriori.* Lege *ulteriori.* Cæterum in hac missa, non uno in loco, sensus et ipsa verba Passionis sancti Genesii exprimuntur.

[h] *Libertati.* Lege *libertate.*

[i] *Cruore.* Lege *quidquid cruor condonarat.*

[j] *Dilueret.* Lege *diluerat.*

[k] *Geminato munere*, baptismi scilicet et martyrii.

functus est Sacerdotis. Hic igitur te Deus Pater pro nobis obtineat : cum rogaverit : qui donum fidei priusquam [a] te postularet accepit. Ex te Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Confitemur nomini tuo Domine gemino cordis ac votis obsequio : celebrantes gratiam tuam pro triumphis Genesii Martyris tui. Qui perficiens in infirmitate virtutem : eternam vitam prius lavacro sanguinis : quam regenerationis accepit. Non adoptatus baptismate : sed [b] assumptus. Non admiscendus neophitorum [c] turbis : sed consortiis Angelorum. Hujus igitur intercessionibus exaudi nos : et adesto Domine his oblationibus nostris : ut te quem in Sanctis tuis colimus : per Sanctos tuos interpellare mereamur. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus qui nolentes prevenis fide : atque credentes subsequendo : facis non frustra te credidisse : quique beatissimum Genesium prius gratia prevenisti dulcedinis : quam regeneratione baptismatis : te suppliciter deprecamur : ut jam preveniamur miserationibus tuis : qui ad te fiducialiter possimus proclamare e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Gratia Christi : que beatissimum Genesium Martyrem prevenit fide : vos subsequatur in munere. ℟. Amen. Et que illum aquis [d] Rodani originali solvit a vinculo : vos hujus calicis vivificet sacramento. ℟. Amen. Atque qui illum fluviali consecravit [e] ex gurgite : vos mundiali non subruat tempestate. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui est benedictus etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Sit Domine precedente et orante Martyre tuo Genesio : in nobis famulis tuis : ita te amandi prompta voluntas : ut in nullo impediat carnis infirmitas : sicque eodem docente a nobis calcetur mundi cupiditas : ut eodem intercedente perveniat ad victoriam charitatis. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Presbiter. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

IN FESTO SANCTI [f] GERONTII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432. Preter orationem que sequitur immediate post officium et orationem immediate post com. videlicet. Domine Deus omnipotens qui.

Oratio. Deus Dei Filii : quem Gerontius antistes toto corde confessus : nomen tuum honorificando perductus est ad coronam : da in ore nostro confessionem : que nos expurget a crimine. Ut quicquid in tue laudis honore depromimus : in lucro nobis prodesse eterno munere sentiamus.

Oratio. Domine Deus omnipotens : qui es vita et salus fidelium : quem venturum judicem credimus verum : esto nobis propicius : et qui hanc oblationem pro **370** nostra nostrorumque salute : vel pro expiatione nostrorum peccatorum in honorem beatissimi Confessoris tui Gerontii tibi obtulimus : misericordie tue opem in nos diffundi sentiamus. Ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium : dono tui muneris consequi mereamur premium sempiternum. ℟. Amen.

Sancti Rufi Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

Victoris Episcopi. :
Omnia dicantur unius Pontificis. fol. 432.

---

[a] *Te postularet.* Hoc est antequam inter *competentes* ascriberetur.

[b] *Assumptus.* Forte addendum *martyrio.*

[c] *Turbis.* Neophyti, per aliquot dies post baptismum, seorsim habebantur a consortio communi fidelium, quibus diebus orationi vacabant, albis induebantur, quotidie communicabant, et fidei mysteria, maxime quæ ad sacramenta pertinebant, et ea quæ ante baptismum illis revelare nefas erat, docebantur. Ad hanc consuetudinem hic alludit, cum ait Genesium non turbis neophytorum statim a baptismo immistum esse, sed choris angelorum insertum.

[d] *Rodani.* Forte addendum *egressum.*

[e] *Ex gurgite.* Forte et hic addendum *egressum.*

[f] *Gerontii.* Hujus sancti episcopi et confessoris memoriam Gotho-Hispani die 26 Augusti colunt, qua die inscribitur Kalendario præmisso Missali et Breviario Mozarabum. Hymnus Breviarii prodit sanctum Gerontium episcopum ob fidem Christi ferro vinctum in carcere obiisse, de die, anno et loco martyrii silet. Usuardus in Martyrologio, die 25 Augusti, scribit : *In Hispania, civitate Italica, sancti Gerontii episcopi in carcere quiescentis.* Sollerius (*in notis, hic*) putat Usuardum in itinere Hispano hujus sancti episcopi nactum esse notitiam. Aliquam etiam ejus notitiam fortasse ex Apographis Hieronymianis accepit. Nam in Lucensi Florentinii, prid. Non. Maii, *in civitate Gallia, beatissimi Gerontii confessoris*, occurrit memoria; et in Corbeiensi Dacherii, prid. Non. Maii : *In Gallicia civitate, natalis beatissimi Gerontii confessoris*, ubi illud *Gallia* seu *Gallicia*, irrepsisse credibile est pro civitate *Italica*. Erat autem Italica (ubi in carcere, ut tradit Usuardus, mortuus est Gerontius) nobile municipium, ac deinde colonia provinciæ Bæticæ cujus ruinæ exstare dicuntur juxta pagum *Sevilla la vieja*, ad Bætim fluvium, aliquot milliaribus Hispali dissitum. Vetusti apud Hispanos cultus sancti Gerontii testis est basilica ejus nomini dicata *ad quam* sanctus Fructuosus (Bracarensis, postea episcopus, qui VII sæculo sanctitate claruit) *devotionis gratia, de civitate Spalensi navigio profectus est*, ut apud Mabillonium (*Sæc.* XI *Benedict.*, *part.* II, *pag.* 586) scribit vetus auctor Vitæ sancti Fructuosi. De tempore quo vixit sanctus Gerontius, id solum in hymno Breviarii Mozarabum legimus :

Hic fertur apostolico
Vates fulsisse tempore,
Et prædicasse supremum
Patrem potentis Filii ;
Quique dum per occiduam
Percurreret clarus plagam,
Tandem ira gentilium
Ad passionem trahitur ;

quibus innuunt, sanctum Gerontium proximum temporibus apostolorum vixisse, et in Hispania, nulli certæ sedi affixum, Christi fidem disseminasse.

Sancti Augustini Episcopi et Confessoris:
Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. f. 432.

[a] IN FESTO DECOLLATIONIS SANCTI JOHANNIS BAPTISTE

Ad Missam. Officium.

Gloriam et magnum decorem. *Require in Sancto Bartholomeo. folio* 365.

Oratio. [b] Deus filius: qui in cruce tua et salutem Regibus donas: et humiles tuos ad victoriam semper armas: tempera jam tandem miseriarum nostrarum erumnas. Ac ne gladio maligno nostre feriantur cervices: obtentu gloriosi Precursoris tui Johannis Baptiste: gladio verbi tui nos reddito efficaces. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Prophetia.* Justus si morte preoccupatus fuerit. *Require in Sancti Clementis Pape. fol.* 20.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Educ Domine de carcere animam meam: ad confitendum nomini tuo. ℣. Deus canticum novum cantabo tibi: in psalterio decem chordarum psallam tibi: quia liberasti servum tuum Deus de gladio maligno. *P.* Ad confitendum.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios ([e] *II, cap. XII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim: sive in corpore sive extra corpus nescio: Deus scit: raptum ejusmodi usque ad tertium celum. Et scio ejusmodi hominem: sive in corpore sive extra corpus nescio: Deus scit: quoniam raptus est in paradisum. Et audivit archana verba: que non licet hominibus loqui: pro ejusmodi gloriamur. Pro me autem nihil gloriabor: nisi in infirmitatibus meis. Nam etsi voluero gloriari: non ero insipiens. Veritatem enim dicam. Parco autem: ne quis me existimet supra id quod videt me: aut audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me: datus est mihi stimulus carnis mee Angelus Sathane: qui me colaphiset: [f] ut non extollar. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me [g] infirmitas carnis: et dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur: sed [h] gloriabor in infirmitatibus meis: ut habitet in me virtus Christi. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([i] *Cap. XIIII*).

Illo in tempore. Audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu: et ait pueris suis. Hic est Joannes Baptista quem ego decollavi: ipse surrexit a mortuis: et ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit: et alligavit eum: et posuit in carcere propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Johannes: non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere: timuit populum. Quia sicut Prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis sal-

[a] *In festo decollationis.* Die 29 Augusti a Græcis in Menologio Basilii, a Latinis in Martyrologiis Hieronymianis, in Gelloneusi, in Bedæ, Adonis, Usuardi, Romano Parvo, aliisque passim, commemoratur passio, seu decollatio sancti Joannis Baptistæ; at in Corbeiensi Dacherii, et in Codice Divionensi Bedæ, die 30 Augusti *natalis* utique passionis *sancti Joannis Baptistæ* signatur. In Orationali Gothico (*Pag.* 133) exstat titulus; *Incipiunt orationes de decolatione sancti Joannis Baptistæ, ad vesperum completuria*, VIII *Kal. Octob.*, atque adeo die 24 Septembris Gotho-Hispani, in quibusdam saltem Ecclesiis, festum hoc celebrabant, et auctor ille, haud sane recens, qui, sub sancti Augustini nomine, scribit ad *Bibianum Sanctonicæ civitatis antistitem*, apud Mabillonium (*De Liturg. Gallic., pag.* 458), tres distinguit sancti Joannis Baptistæ solemnitates: unam nativitatis ejus, *aliam* IV *Kalendas Septembris, quando inventum legitur caput* ejus, et præter has aliam VIII *Kalendas Octobris, pro eo quod eadem die Joannes præcursor Domini a majoribus nostris traditur et ab angelo nuntiante conceptus, et Herodis funesto gladio trucidatus.* In Missali Gallo-Gothico *Missa in diem passionis sancti Joannis Baptistæ et martyris*, missam sancti Sixti, et in Sacramentario Bobiano missam apostolorum Petri et Pauli præcedit; unde suspicari licet Gallos hanc festivitatem diversis diebus, sed ante mensem Augusti celebrasse. In Africa, quantum ex Kalendario Carthaginensi colligere licet, VI Kal. Jan. martyria sanctorum Joannis Baptistæ et Jacobi majoris celebrabantur. Ex his tamen colligitur, festum decollationis sancti Joannis Baptistæ sæculo VI apud Gallos, Hispanos et Afros, diversis quidem diebus, ob Ecclesiarum commodum, tamen celebratum esse. In Italia et Romæ, an hæc festivitas adeo vetusta sit incertum reddit quod de ea Sacramentaria Leonianum et Gregorianum Muratorii, Kalendarium Frontonis, et Capitularia em. Thomasii et ill. Georgii sileant. In Sacramentario Gelasiano exstat missa *in die passionis sancti Joannis Baptistæ*, IV *Kal. Septembris*, sed hic Codex olim Ecclesiæ cujusdam Gallicanæ erat. In Gregorianis quoque Menardi, Pamelii et Roccæ habentur missæ in decollatione sancti Joannis Baptistæ, 29 Augusti, sed hæ secundo loco assignantur, quemadmodum et in posterioribus quibusdam Capitularibus Evangeliorum invenitur huic festivitati Evangelium secundo loco assignatum (*Vide ill. Georgium, de Liturg. Rom. pont., in append. tom. III, pag.* 275). Demum, in vetusto Lectionario Ambrosiano Thomasii, inter festum sancti Genesii et sancti Cibriani, occurrit *in sancti Joannis decollatione*; at nulla assignatur Epistola legenda. Cæterum, in excerptis Sollerii et fastis Cuspinianis (*Bolland., tom. VII Jun., pag.* 186) legitur: *Basso et Pisone bis consulibus passus est Joannes Baptista.* Sed per errorem *Bassus* pro *Crasso* irrepsit. Passus enim est an. ær. vulg. 27, M. Licinio Crasso Frugi et L. Calpurnio Pisone consulibus; sepultusque est Sebaste, quæ Samaria olim appellabatur, ubi sancti Hieronymi ævo (*Hier., epist.* 27) sepulcrum ejus adhuc exstabat.

[b] *Deus Filius.* Forte, *Dei Filius.*

[c] *Prophetia.* In Lectionario Luxoviensi Galli prophetiam legunt ex Isaia. XLIII, 1-XLIV, 1-5, omissis versiculis octo capitis XLIII, 15-22. In Sacramentario Bobiano nulla legitur prophetia.

[d] *Psallendo.* Ps. CXLI, 8. ℣. Ps. CXLIII, 9, 10.

[e] *Cap. XII.* Vers. 2-10. Luxoviense legit ex Epist. ad Hebr. XI, 33-XII, 1-7; Bobianum ex Sapientiæ, id est, ex Ecclesiastici XXXI, 8-12.

[f] *Ut non extollar.* Ambrosiaster, *ne extollar*. In Vulgata non leguntur ista verba.

[g] *Infirmitas carnis.* Hæc neque Vulgata, neque Ambrosiaster legit.

[h] *Sed gloriabor.* Vulgata: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.*

[i] *Cap. XIV.* Vers. 1-15. Idem Evangelium in Luxoviensi et Bobiano legitur.

tavit filia Herodiadis in medio : et placuit Herodi. A Unde cum juramento pollicitus ei dare quodcumque postulasset ab eo. At illa premonita a matre sua : da mihi inquit in disco caput Johannis Baptiste. Et contristatus est Rex : propter juramentum autem : et eos qui pariter recumbebant : jussit dari. Misitque et decollavit Johannem in carcere : et adlatum est caput ejus in disco : et datum est puelle : et tulit matri sue. Et accedentes [a] discipuli ejus : tulerunt corpus ejus : et sepelierunt illud. Et venientes discipuli nunciaverunt Jesu. Quod cum audisset Jesus secessit inde in navicula in locum seorsum. Et cum audissent turbe : secute sunt eum pedestres de civitatibus. Et exiens vidit [b] turbam multam : et curavit languidos eorum. ℟. *Chorus*. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

371 [c] *Lauda*. Alleluja. ℣. Lauda anima mea Dominum : laudabo Dominum in vita mea. *P*. Alleluja.

[d] *Sacrificium*. Justiciam tuam Domine non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi : [e] nam zelavi misericordiam tuam : et veritatem tuam a congregatione multa : alleluja. ℣. In capite libri scriptum est de me : ut faciam voluntatem tuam : Deus meus volui : et legem tuam in medio cordis mei : [f] bene nunciavi justiciam tuam in Ecclesia magna. *P*. Et veritatem tuam.

Missa. Grandi nobis fide fratres charissimi et tota ad Deum conversione gloriosi Johannis [g] adoranda sanctitas : celebranda solemnitas est ; qui eo divine [h] lectionis nunciatus munere : quo finitus : in hoc recessit celestis glorie testimonio : quo processit. [i] Cui toti in virtutem Sancti Spiritus amore translato : Christus fuit causa moriendi : cui Christus fuit causa nascendi. Nullum sibi tempus in eo nature infirmitas vindicavit : cui [j] in conceptu vaticinium : in actu baptismum : in obitu datum est implere martyrium. Per unam eamdemque gratiam [k] accendit generatio quem promisit : conversatio quem docuit : passio quem amavit. Prophetat in utero : predicat in seculo : consummatur [l] in gladio. A justicia [m] erigitur · de justicia loquitur : pro justicia decollatur. Nec mirum quod [n] virum tot sanctitatis meritis in Dei agnitione [o] dispositum : quem non cohibuit uterus matris : non interruit gladius imperantis. Et consequens fuit : ut Herodi pro castitate non cederet : qui patrem pro incredulitate non distrinxerat. [p] Et percuteret verbo Regem : qui silentio percusserat Sacerdotem. Hunc ergo honestatis legisque censorem mores improbi [q] non tulerant : profanam [r] petulantis conscientiam [s] abjectam incesti : facinus exacerbat : et furor verecundia provocatus studet perdere : [t] quo docetur : dum nescit corrigere quod vetatur. Putat latere culpam posse : [u] si ponat in prohibentem custodiam. B Tantus prophete splendor in carceris claustra detruditur : et preciosus Deo sanguis meretricie saltationis mercede taxatur. Et inter gentiles [v] delicie : et voluptatis epulas : fit [x] expectaculum : quo inter religiose confessionis hostias credentibus gaudium : credituris exemplum : terris presidium : celis fieret ornamentum.

℟. Amen.

Alia Oratio. Te Domine Jesu Christe in Precursoris tui nativitate laudamus : te in ejus predicatione ammirabiliter extollimus : te in illius morte quant in humana valet pusillitas : voce qua possumus honorificamus. Cujus nativitate ubera reserasti senilia : et patris linguam : quam incredulitas nexuerat : absolvisti. Cujus predicatione te terris discipuli adesse crediderunt : et populi qui illis prestaret salutem saluberrimam audierunt. C Cujus morte veritas patuit : et mens belluina virus quod in se latebat occultare non valuit. Ejus ergo precibus dignare inspirare cordibus : ut celorum regnum appropinquare credentes. Te semper penitendo rogemus : tibi preces lachrymabili corde fundamus : tua promissa confidenter speremus : ut mundata mens nostra a pollutione delicti : Spiritum tuum Sanctum : quem in columbe adventu sub illius manibus suscepisti : venire in nobis : et manere eum sentiamus nobiscum. Ac filium te Dei dilectissimum voce : qua ipse audivit : audiamus : et equa-

[a] *Discipuli*. In Vulgata hoc loco non legitur.

[b] *Turbam multam*. Addit Vulgata *et misertus est eis*.

[c] *Lauda*. Ps. CXLV, 2.

[d] *Sacrificium*. Ps. XXXIX, 11. ℣. Ibid.

[e] *Nam zelavi*. Lege *non celavi*. Vulg. *non abscondi*.

[f] *Bene nunciavi*. Ita Italica, et Psalterium Mozarabum, at Vulgata legit *annuntiavi*.

[g] *Adoranda*. Lege *adornanda*, et ita in Codice quo utor calamo emendatum est. In Sacramentario Bobiano : *Deus cui sancta conversatione directa, gloriosi Joannis ornanda sanctitas, et celebranda solemnitas est*.

[h] *Lectionis*. Lege *electionis*.

[i] *Cui toti*. Hinc corrige quod in Bobiano, *orat. secret.*, legitur : *Cui totum in virtutem sancti Spiritus ab ore translatum, Christus fuit causa moriendi*.

[j] *In conceptu*. Et hinc corrige *contestationem* Bobianam in qua legitur *cui in conspectu*.

[k] *Accendit*. Lege ex contestatione Bobiana *ostendit*, ubi legitur *quo per unam eamdemque dispensationem ostendit generatio quem promisit*, etc.

[l] *In gladio*. Bobianum, *in gaudio*, perperam.

[m] *Erigitur*. Fortasse, *eligitur*, ut est in Bobiano.

[n] *Virum*. Lege *vir*.

[o] *Dispositum*. Lege *dispositus*.

D [p] *Et percuteret*. Lege *sed percuteret*, atque integram sententiam sic legas : *Nec mirum quod vir, tot sanctitatis meritis in Dei agnitione dispositus, quem non cohibuit uterus matris, non interruit gladius imperantis, ut consequens fuit, Herodi pro castitate non cederet, qui patrem pro incredulitate distrinxerat, sed percuteret verbo Regem, qui silentio percusserat sacerdotem*.

[q] *Non tulerant*. Lege *non tulerunt*.

[r] *Petulantis*. Adde *mulieris*.

[s] *Abjectam*. Lege *objectam*.

[t] *Quo*. Id est, *cum a quo*.

[u] *Si ponat*. Lege *si ponatur prohibens in custodia*.

[v] *Delicie*. Lege *delicias*.

[x] *Expectaculum*. Lege *spectaculum*, et hinc corrige contestationem Bobianam, ubi legitur *atque inter gentilitiæ voluptatis fit epulas speculum, cui merito omnes angeli*, etc. Et adverte primam orationem *secreta* et contestationem, e quibus missa Bobiana constat esse meras lacinias ab hac unica nostra oratione Gotho-Hispana dissectas.

lem Patri cum Spiritu Sancto confiteamur : credamus : et semper oremus. ℟. *Chorus*. Amen.

Post nomina. Oratio. Unigenite Dei fili : quem beatissimus Johannes salutavit in utero : monstravit in heremo : precessit nascendo : preivit moriendo. Concede nobis : [a] tanti vatis ut in hoc die : quo idem capite [b] defectus occubuit : nos te miserante : capite nostro semel pro nobis mortuo a vitiis mereamur occidi : et spiritalis dono gratie innovari. Hic tibi Sanctus vir obsequentis vota deferat plebis : qui preco factus est judicis : prece sua nostris lumen ingerat tenebris : qui lucerna extitit luminis. **372** Voxque illa pro defunctorum spiritibus erogatura opponat : que Domino mortuis preparavit in cordibus viam.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Gloriosum Precursoris tui Johannis Christe Deus passionis festum hodierno die voto concinimus : sacrificiis dedicamus. Qui justiciam predicans legis : sententia mulctatur Herodis. Ob hoc te deprecamur : et petimus : ut idem qui terminus fuit prophetis : finem ponat scandalis. Et qui fuit baptismatis initium : pacis nobis preroget complementum. Regatque conservos prece : qui te Dominum precessit in morte.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi semper gratias agere Domine sancte Pater omnipotens Deus : teque mirabilem in Sanctis tuis predicare : eorumque memoriam sub tuis laudibus colere : quorum fuit in conspectu majestatis tue et mors et vita preciosa. Unde nos hodie passionem beatissimi Johannis Baptiste Martyris tui annua solennitate recolentes : altaribus tue pietatis assistimus : tibique laudum hostias immolamus. Johannes enim tuus : qui Domino nostro Jesu Christo unigenito tuo : et in nativitate fuit previus : et in passione Precursor : Sacerdotalis prosapie genus : et propheta ille vocatus Altissimi : cui emissum nomen e celo est : qui ipsum illum sue nativitatis ortum prophetie precessit officio : et eterni presentia Domini priusquam ipse vel Christus nasceretur agnovit : atque intra viscera materna commotus in virtutem oraculi mentem parentis agitavit : ad cujus nomen edendum muta diu sancti patris ora laxata sunt. Hic heremi distincte habitator : et primus regnorum celestium preco : mundi fallentis inlecebras abstinentie virtute calcavit : et Dominum majestatis in corpore constitutum felici atque perfecto vaticiniorum fine monstravit. Talem profecto : talem esse oportebat : qui Dominum baptizaret : et cui se sacra illa divini germinis membra submitterent : qui conceptam Sancto Spiritu carnem aquas [c] potius affluentem : fluvio auderet immergere. Sit igitur fas : hunc talem sub tui nominis honore lau-

A dare. Cui tante gloriæ prestitisti agonem : suffragia nobis ejus tua bonitate largire. Sonet pro nobis vox illa sublimis : qua parandas vias Domini : et semitas ejus rectas esse faciendas inter deserta clamavit. Loquatur lingua illa pro nobis : que nescit tacere justiciam. Talis pro te ac plebe : talis precetur : qualem illum Jordanis fluenta viderunt : cum a te Spiritum Sanctum in columbe specie super unicum tuum descendentem videre promeruit. Ille pro populo tuo manus orent : quas Christus dignatus est sanctificare dum tangitur. Asserat tuorum vota famulorum sanguis ille benedictus : qui est fusus in carcere. Qui rubuit in disco : qui ad te cum Sanctis omnibus clamat : quos ex Abel nunc usque impie cesos eterna pietatis tue memoria conservat. Cui merito

B omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie : una voce dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Pro quo Johannes Baptista et Martyr : mystico vaticinii sui prenunciavit oraculo : [d] quod illum crescere : se autem minui oportet. His etenim verbis et suam pariter : et Domini mortem vivens longe ante predixit : cum et idem filius tuus elevatus in cruce : et iste comminutus sit capite. Nam ille Dominus creature sublimitate prelatus est ligni : iste animadversione discisus est gladii. Illius caput crux in altum porrexit : istius cervicem mucro sevus dissecuit. Ille spiritum emisit in

C cruce : hic animam efflavit in carcere. Sed ille in luce qui vitam redditurus esset omnibus moritur : iste in abditis [e] qui nisi Christo moriente : et redempturus esset ex inferis : jugulatur. Sic sic plane decuit : ut per has mortium dissimilitudines : sacramentorum patescerent qualitates. Quo et in illo divinitas se exaltata ostenderet : et in isto humilitas se custodita monstraret. Ipso Domino redemptoreque nostro.

373 *Post pridie. Oratio.* Redempti Christe tui sanguinis precio : Precursoris tui : ut nobis parcas : exoramus suffragio. Tu per eum et nobis et his benedicito hostiis : per quem te manifestasti incredulis. [f] Ut qui tue fuit previus mortis : nostre sit prerogator salutis. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

D Educ Domine de carcere animas nostras : qui beatissimum Johannem Herodiano gladio consecrasti. Detur per eum nobis penitentie optio : qui penitudinis extitit predicator. Conservet in fide populos : qui arguit de infidelitate superbos. Deferat ad te confessionem humilium : qui redargutor factus est contemptorum. Quique nuncius extitit Verbi : gratiam nobis preroget nunciati : cum ad te nunc proclamaverimus e terris. Pater noster.

[a] *Tanti vatis.* Adde *intercessione.*

[b] *Defectus.* Lege *dissectus.*

[c] *Potius.* Fortasse : *Aquis potius sanctitatem afferentem.*

[d] *Quod illum crescere.* Confer sanctum Augustinum.

[e] *Qui nisi.* Forte, *qui non nisi Christo moriente redimendus esset ex inferis;* participium enim in *rus* desinens non raro passive accipitur in hoc Missali.

[f] *Ut qui.* Lege : *Ut qui tibi fuit prævius morte, nostræ sit,* etc.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Benedictio. Beatissimus Johannes : cujus caput cruento Regi hosti desectum inter pocula allatum est disco : sit pro vobis omnibus apud Deum intercessor. ℟. Amen. Idem quoque qui fraternum prohibens violare connubium : hodie in carcere peregit martyrium : suis vos precibus faciat incentiva superare libidinum. ℟. Amen. Ut sicut idem Dominice Precursor factus est mortis : ita vestris intercessor existat previus pro delictis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri, etc.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Dicat Chorus. Gustate et videte

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Educ Domine de carcere animas nostras : qui sputa pro nobis perpessus es : et flagella. Ut precibus justi hujus Joannis Baptiste Martyris tui : ex hoc mundo educti de carcere triumpho crucis tue debita post nostrum obitum tibi preconia cum Sanctis omnibus precinamus cum laude assidua. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Sabine Martyris :
Omnia dicantur unius Virginis. Fol. 436.

Sanctorum Felicis et Audacti Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. Fol. 430.

Egidii Abbatis :
Omnia dicantur unius Confessoris. Fol. 432.

Sanctorum Vincentii et Leti :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. Fol. 430.

Antonini Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris precipui. Fol. 421.

Marcelli Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. Fol. 421.

Sancte Obdulie Virginis :
Omnia dicantur de una Virgine precipua. Fol. 436.

[a] IN NATIVITATE GLORIOSE VIRGINIS MARIE.

Ad Missam. [b] *Officium.*

Gaude filia Syon : dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te : et verba mea que posui in corde tuo : non recedant de ore tuo : nec de ore seminis tui usque in sempiternum. ℣. Lauda Hierusalem Dominum : et conlauda Deum tuum Syon. *P.* Usque in sempiternum. ℣. Gloria et honor Patri et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen.

P. Usque in sempiternum.

Dicat Presb. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. Gloria in excelsis Deo.

Oratio. Supplicationem servorum tuorum Deus miserator exaudi : ut qui in Nativitate Dei Genitricis et Virginis Marie congregamur : ejus intercessionibus a te : de instantibus periculis eruamur. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Dominus possedit me. *Require in Conceptione Virginis Marie. Fol.* 413.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Psallendo. Gloriose Virginis Marie ortum dignissimum recolamus. *P.* Cujus Dominus humilitatem respiciens : et Angelo nunciante te concepit redemptorem mundi. ℣. Beatissime Virginis Marie Nativitatem devotissime celebremus. *P.* Cujus Dominus.

374 *Epistola.* Fratres gaudete in Domino semper. *Require in festo Sancte Marie ante Natale Domini que dicitur* de la O. *Fol.* 32.

[c] *Principium sancti Evangelii secundum Matheum.*

Liber generationis Jesu Christi filii David filii Abraam. Abraam genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Marie : de qua natus est Christus. Omnes ergo generationes ab Abraam usque ad David : generationes quatuordecim. Et a David usque ad transmigrationem Babilonis : generationes quatuordecim. Et a transmigratione Babilonis usque ad Christum : generationes quatuordecim : Christi autem generatio sic erat. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *In Nativitate.* Festum Nativitatis beatæ Virginis Galli antiquitus colebant, ut distincte innuit *Contestatio* missæ Assumptionis, in Missali Gallo-Gothico; sic enim de beata Virgine canebant : *Cujus sicuti gratulati sumus ortu, tripudiavimus partu, ita glorificemur in transitu*; attamen in libris liturgicis Gallicanis nulla exstat missa propria pro Nativitate Deiparæ; quia fortasse missam communem beatæ Mariæ celebrabant, et ejusmodi missa communis exstat in Sacramentario Bobiensi ante missam Assumptionis. An Gotho-Hispani celebraverint festum Nativitatis beatæ Virginis incertus hæreo. Illud constat, nullum ejus festivitatis officium proprium exstare aut in Orationali Gothico, aut in Breviario Mozarabum. Missam autem hanc quæ in Missali Mozarabico legitur, patet a Mozarabis esse consarcinatam. Cæterum Nativitatem beatæ Virginis Græci et Latini die VIII Septembris colunt, illi in Menæis et in Menologio Basilii, hi in præcipuis Martyrologiis omnibus, sancti Hieronymi, Bedæ, Rabani, Adonis, Usuardi, in Gellonensi, in Romano Parvo, et in Romano Baronii. Unicum exstat Hieronymianum Epternacense, in quo 16 Augusti Nativitas Virginis enuntiatur; at cum cæteris Martyrologiis consentiunt Sacramentaria Gelasianum, et Gregorianum, et vetusta Evangeliorum Capitularia, quibus die 8 Augusti inscribitur Nativitas beatæ Mariæ. Sacramentarium sancti Leonis et Capitulare Epistolarum Mediolanense em. Thomasii festum Nativitatis beatæ Virginis non enuntiant, quo etiam argumento Sacramentarii Leoniani probatur antiquitas. Sed de solemnitatis hujus antiquitate plura, si vacat, apud em. Baronium, in notis ad Martyrologium, die 8 Septembris, legas, et adde in statutis sancti Bonifacii Moguntini episcopi, festum Nativitatis beatæ Mariæ inter eas solemnitates numerari quibus ab opere servili abstinendum erat. *VI Idus Septembris*, atque adeo sæculo VIII, in Germania, et vicina Gallia inter præcipuas solemnitates celebrabatur. De eadem festivitate meminit Anastasius Bibliotecarius, in Sergio I, quæ Romæ sæculo VII fluente agebatur.

[b] *Officium.* Isaiæ LX, 21. ℣. Ps. CXLVII, 1.

[c] *Principium.* Id est, I, 1, 2, 16, 17.

Lauda. Nativitas tua Dei genitrix Virgo gaudium attulit universo mundo : quia ex te ortus est Sol justicie Christus Deus noster : alleluja.

Sacrificium. Alleluja. ℣. Magna facta es et preclara filia Syon in universa terra : alleluja.

Missa. Approbate [a] consuetudinis mos est apud Christianos : Sanctorum patrum dies natalicios observare diligenter : et [b] tunc precipue virtutes eorum assignatis litteris in Ecclesia recitare : ad Dei laudem : ex cujus munere sunt : et ad instrumenta morum. Inter omnes autem Sanctos : memoria beatissime Virginis eo frequentius agitur : atque festivius : quo majorem gratiam apud Deum creditur invenisse. Unde post alia quedam ipsius [c] antiquiora solemnia : non fuit contenta devotio fidelium : quin Nativitatis solemnem diem superadderet hodiernum. Quesumus ergo : ut suffragiis ejus odore virtutum : odores criminum fugiamus. Ut celesti illo spiramine recreati : a cunctorum vitiorum fetoribus exules reperiamur et sobrii. ℟. Amen.

Alia Oratio. Beata ergo Domini Mater et perpetua Virgo Maria priusquam nasceretur [d] oraculis enunciata est : et designata miraculis. Nata vero progenies divinitus ordinata : privilegio virtutum insignis enituit : Salvatorem edidit : a quo glorificata in celo nunquam terrigenis patrecinari desistit. Propositionem sequatur ordine suo narratio : jamque referamus unum de pretaxatis oraculis : ac inde paucis expediamur. Dixit eternus ad veterem : Deus ad serpentem : inimicitias ponam inter te et mulierem : et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum. Ut per hoc quod de te que vera sunt credimus : ad hoc quod te diligentibus tribuis : ardentius veniamus. ℟. Amen.

[a] *Consuetudinis.* De hac consuetudine, Evangelicæ prædicationi coæva, alibi quædam notavi, modo autem animadvertendum festivitates non uno nomine in libris liturgicis designari. Nam frequenter *Natale* aut *Natalis*, et *Natalitium*, non raro *festum*, *festivitas*, aut *solemnitas*, aliquando *passio*, vel *dies* hujus aut illius martyris aut similibus nominibus appellantur. Deinde notandum quemlibet diem solemniter festivum apud antiquos *Natale* aut *diem Natalem* dici, quo sensu *Natalis adoptionis*, et *Natalis imperii*, apud Spartianum, in Adriano, significant diem festivum, quem ob adoptionem Adriani, et illum quem ob initium imperii ejusdem, quotannis agebant. Eodem sensu in Laterculo Polemii Silvii, et apud alios, *Natalis calicis* sumitur pro feria quinta majoris hebdomadæ, quam quotannis peculiari devotione et cultu fideles celebrant ob Eucharistiam ea die a Christo Domino institutam. Sic *Natalis martyrii* in Actis sancti Polycarpi, *Natale sanctæ Agnetis de passione* in Sacramentario Gelasiano, *Natale sancti Polycarpi Genuinum* in Actis sancti Pionii, sic *Natalis Ecclesiæ* festum dedicationis Ecclesiæ, *Natalis episcopi*, et *Natalis cathedræ*, festum annuum ob episcopi ordinationem significant. Tertium quod notandum est, olim publice in Ecclesia denuntiabatur qua die, in qua basilica, cœmeterio, aut oratorio, festum proximum martyris aliave solemnitas celebranda erat. Formulam hujus denuntiationis habes in Sacramentario Gelasiano (*Lib.* II, *init.*). Quartum, passiones martyrum, eorumque dies natales, frequenter ipso die quo passi sunt recurrente, frequenter etiam aliis diebus celebrari consuevisse. Ad priorem consuetudinem respicit illud Sacramentarii sancti Leonis, pag. 15, col. 1, n. 28 : V. D. *qui nos beatorum martyrum palmas, in diebus quos suo sanguine signavere venerantes*, etc. Ad secundum Kalendarium Bucherianum respicit, in quo tam episcoporum quam martyrum non dies mortis, sed depositionis, sive quo sepulti sunt, signatur. Non raro etiam contingit ut festum celebretur die translationis reliquiarum, aut die dedicationis basilicæ, aut demum die ab episcopo, vel synodo, vel ab ipsa consuetudine, ob commodum populi, assignato. Tamen festivitas, quocunque tandem die recurrente celebretur, *dies natalis*, diesque *passionis* plerumque nuncupatur : ab exemplis abstineo, quia obvia sunt.

[b] *Tunc precipue.* Passiones martyrum et Acta sanctorum diebus eorum festivis in Ecclesia publice legebantur, ut ex sancto Augustino (*Tom. V Oper., Edit. Maur., serm.* 27), sancto Gregorio Turonensi (*De Mart., lib.* I, *cap.* 86; *lib.* II *de Mirac. sancti Martini, cap.* 29, 49); et sane in Ecclesiis Gallicanis Acta sanctorum loco prophetiæ legebantur. Hinc in libris liturgicis Gallicanis missæ sanctorum plerumque prima lectione carent, quæ non e Scriptura, sed e passionario petenda erat, et in Lectionario Luxoviensi Acta sanctorum Petri et Pauli die natali eorum, loco prophetiæ, legenda assignantur. At Gotho-Hispani nihil nisi e Scriptura sacra, saltem in missa, legebant; hinc Acta martyrum et sanctorum, aut omnino in officiis divinis non legebant, aut solum ad horas matutinas legebant, nam, hac in re, diversam apud eos exstitisse Ecclesiarum disciplinam suspicor : certe in Missali et Breviario Mozarabum lectiones omnes e Scriptura depromptæ sunt, et missis sanctorum nunquam deficit prima lectio e divina Scriptura. Neque obstat quod Braulio Cæsaraugustanus episcopus in epistola ad Fronimianum presbyterum, præmissa vitæ sancti Æmiliani Cuculati (*Apud Mabil., Sæc. Ben.* I, *pag.* 205) scribat se libellum de vita sancti Æmiliani brevem conscripsisse, *ut in missæ ejus celebritate quantocius legi possit.* Nam ibi sermo non est de missa quæ quotannis in festo sancti Æmiliani celebrabatur, sed de prima missa illa quæ, ut nunc loquimur, in ejus canonisatione dicenda erat, et quæ, ut Braulio mandaverat, erat *missa de communi* confessoris non pontificis. Sed his prætermissis, quæ alibi forsitan examinabo, ex hac epistola id, ad summum, sequitur, quamdam ea in re exstitisse apud Gotho-Hispanos disciplinæ varietatem, apud quos plerumque Acta sanctorum ad altare non legebantur. Sed ne præclara eorum gesta populus ignoraret, mos erat illa hymnis et orationibus tam missæ quam officiis, et maxime illationibus inserere, quæ proinde prolixiora frequenter in missis occurrunt. Hoc ex Breviario et Missalis Mozarabum et Orationali Gothico planum est. Mos idem apud Gallos olim in usu erat, ut missæ quædam Sacramentarii Bobiani et Missalis Gallo-Gothici probant, et Hilduinus abbas, in epistola ad Ludovicum Pium, libris Areopagiticis suis præmissa prodit; ibi enim ait se invenisse quosdam Missales libros nimia vetustate consumptos *continentes missæ ordinem more Gallico qui ab initio receptæ fidei in hac Occidentali plaga est habitus, usquequo tenorem, quo nunc utimur, Romanum suscepit, in quibus voluminibus habentur duæ missæ, quæ sic inter celebrandum, ad provocandam divinam clementiam, et corda populi ad devotionis studia excitanda, tormenta martyris* Dionysii *sociorumque ejus succincte commemorant, sicut et reliquæ missæ aliorum apostolorum vel martyrum, quorum passiones habentur, notissime decantant.*

[c] *Antiquiora solemnia.* Hinc apparet festivitatem Nativitatis beatæ Virginis sero apud Gotho-Hispanos susceptam esse.

[d] *Oraculis enuntiata.* Inter quæ est celebre illud Isaiæ VII, 14 : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium*, etc.

Post nomina. Oratio. [a] Eterne Dei fili qui : Virginee Matris uterum sic intrasti : ne rumperes : sic aperuisti : ne signata ullo modo violares. Suscipe benignus hoc sacrificium : quod tibi offerimus in honorem Nativitatis Genitricis tue. Tribuens per hoc et vivis : anime corporisque salutem : et defunctis eterne reparationis felicitatem. ℟. Amen. A

Ad pacem. Oratio. [b] Christe Verbum summi Patris : qui caro factus es : ut habitares in nobis : inlabere sensibus nostris. Quo omnes qui festivitatem Nativitatis gloriose Virginis Marie celebramus : perpetue maneamus pacis societate connexi. ℟. Amen.

[c] *Inlatio.* Dignum et justum est : nos tibi omnipotens Pater gratias agere : [d] si debitoribus que reddere debeant dignatus fueris prerogare : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Ex B te Deo Patre sine initio natum : tibique indesinenter : atque indemutabiliter coeternum : ac per omnia coequalem. Non adoptione : sed genere : nec gratia : sed natura. Qui in utero [e] sanctificate ac Sancte Virginis inlapsus : et sine ulla sorde peccati ineffabiliter natus : hec sola meruit ferre Deum post celum : et sola meruit Virgo inveniri post partum. [f] Hec sola meruit Deum et hominem : Deum imperiis suis : lacte uberis potat. Hunc diem nobis quem devotissime celebremus [g] instituit. Propter quod eundem Salvatorem nostrum unigenitum tuum : tecum semper et cum Spiritu Sancto regnantem : celi celorum et Angelice potestates sine cessatione conlaudant : ita dicentes. ℟. Sanctus : Sanctus : Sanctus.

375 *Post Sanctus.* [h] Vere sanctus : vere benedi- C ctus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Ipse est qui castitatem contulit virginitatis : decus non abstulit matri. Qui et pro nobis ex eadem dignatus est nasci : et pro nostra adoptione non abhorruit suscipere mortem. Ipse Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. [i] Nunciamus Domine quod credimus : nec tacemus. Te totis visceribus deprecantes : [j] ut qui Nativitate genitricis tue prestitisti ut mater esset et virgo : tribuas Ecclesie tue : ut sit fide incorrupta : [k] per castitatem fecunda. Atque hec libamina ita tue gratie dulcedo sanctificet : ut sumentibus et salutem corporum : et delictorum veniam prestent. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

[l] Deum : cujus magnitudo divinitatis capi non potest : quique sine initio Deus summus : et Pater est : deprecemur dilectissimi fratres : ut idem Pater qui nasci filium suum voluit ex utero virginis matris : mundet nos ab omni inquinamento carnis et sanguinis. Quo sicut divina [m] inspiratione nata est virgo : ita nos divina inspiratione accensi conceptum Spiritus Sancti : quem ipso Domino Jesu Christo docente accepimus : proferamus publice : et dicamus. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Dominus Jesus Christus qui olim et Virgine dignatus est nasci : sue vos genitricis intercessu sanctificet. ℟. Amen. Quique matrem servavit a corruptele contagio : sinum vestri cordis emaculet a delicto. ℣. Amen. Et qui eam fecit virginem manere post partum : celum vobis tribuat possidere post transitum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. *Chorus.* Et cum spiritu tuo.

Hic dicat Chorus. Gustate et videte. *Require in festo Corporis Christi. fol.* 257.

Com. Refecti Christi corpore : et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. [n] Sumpsimus Domine celebritatis annue votiva sacramenta : presta quesumus : ut et temporalis nobis vite remedia prebeant : et eterne. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

[o] EXALTATIO SANCTE CRUCIS.

Ad Missam. [p] *Officium.*

Dicite in nationibus : alleluja. Dominus regnavit a ligno : alleluja. Et correxit orbem terre : alleluja : alleluja. ℣. Cantate Domino canticum : quia mirabilia fecit. *P.* Et correxit. ℣. Gloria et honor Patri :

[a] *Æterne.* Eadem *oratio post nomina* in festo Annuntiationis (*Pag.* 44) legitur, mutatis vocibus *Incarnationis tuæ in Nativitatis genitricis tuæ.*

[b] *Christe.* Et hæc, paucis mutatis, desumpta est e D missa Annuntiationis.

[c] *Inlatio.* E missa Annuntiationis desumpta est, pluribus tamen omissis.

[d] *Si debitoribus.* Lege *qui debitoribus quod reddere debent dignatus es prorogare.*

[e] *Sanctificate ac Sancte.* Pag. 44. legitur *Sanctificatæ, sanctæ, ac virginis.*

[f] *Hec sola.* Lege : *Hæc sola meruit Deum et hominem subditum imperiis suis lacte uberis potare.*

[g] *Instituit.* Adde, ex illatione Annuntiationis : *Qui homo redimendis hominibus factus, de secreto uteri Virginitatis immaculatus emicuit.*

[h] *Vere Sanctus.* Et hæc oratio e missa Annuntiationis desumpta est.

[i] *Nunciamus.* Et hæc e missa Annuntiationis.

[j] *Ut qui.* Lege : *Ut qui genitrici tuæ, cujus hodie Nativitatem celebramus, tribuisti, ut mater esset et virgo*, etc.

[k] *Per castitatem.* Lege, ut pag. 45 legitur, *castitate fecunda.*

[l] *Deum.* Et hæc oratio, paucis mutatis, e missa Annuntiationis deprompta est.

[m] *Inspiratione.* Forte, *dispensatione.*

[n] *Sumpsimus.* Desumpta videtur e Sacramentario Gregoriano.

[o] *Exaltatio Sancte Crucis.* De hac solemnitate pauca in Missali, nihil in Orationali Gothico, et in Breviario Mozarabum habetur, quod proprium sit, sed *omnia dicuntur ut in Inventione sanctæ crucis.* At de Exaltatione sanctæ crucis, die 14 septembris tam Græci quam Latini agunt. Latini in Martyrologiis Hieronymianis, excepto Epternacensi, in Gellonensi, in Bedæ Genuino, in Romano Parvo, in Adonis, Usuardi, et in Martyrologio Romano *Baronii*, in Sacramentariis Gelasiano, et Gregorianis omnibus, et in omnibus Capitularibus Evangeliorum, quibus nonnunquam *Exsultatio sanctæ crucis* inscribitur. Græci vero

[p] *Officium.* Ut in festo Inventionis.

et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Et correxit.

Oratio. Christe Dei Fili in cujus nomine per Crucis mysterium. *Require in Inventione Sancte Crucis. fol.* 322.

Prophetia. Ego Johannes fui in spiritu : et ostendit mihi Dominus. *Require in sexto Dominico post Sanctum Pascha. fol.* 246.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Psallendo. Dominus regnavit.

Epistola. Aperiens Petrus os suum dixit. *Require in Inventione Sancte Crucis. fol.* 322.

Evangelium. Perambulabat Hierico.

Require in Dominico primo post Pentecosten. fol. 264.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluja. ℣. Tu es Crux fidelis : in qua pependit salus nostra. *P.* Alleluja.

Sacrificium. Hec dicit Dominus qui erat et qui est. *Require in quarta Dominica post Resurrectionem Domini. fol.* 241.

Missa. Gloriemur in Cruce Domini nostri Jesu Christi fratres dilectissimi . et tota mentis exultatione letemur : et hujus diei festivitatem cum grandi reverentia et spirituali gaudio celebremus. In qua Cruce ipse Dominus noster et Salvator pro nostra salute pependit : et de diabolo triumphavit. In istius namque altitudine Crucis primi hominis delicta suspensa sunt : et manus ille que vetitum ori porrexerant cibum : clavorum impressione **376** transfixe sunt. Per hanc ergo Crucem male concupiscentie appetitum : quod dulcedo arboris inlesit : amaritudo fellis coercuit. Et gule desiderium quod suavitas pomi decepit : aceti asperitas refrenavit. Per hanc igitur Crucem venenum : quod serpens prothoplaustis hominibus propinavit : medicamento quod de Christi latere manavit : a fidelium pectoribus expurgavit. Postremo per hanc Crucem : hominem quem transgressio precepti de paradiso expulit : confessio nominis Christi sine dubio reformavit.

℟. Amen.

Alia Oratio. Domine Jesu Christe : qui in patibulo Crucis suspensus Patrem ex forma servi quam susceperas : iisdem fuisti verbis deprecatus. Ut quid te derelinqueret : cum ab eo non recederes : acclamasti : et ut iniquis ac sceleratis persecutoribus veniam tribueret postulasti : atque ut spiritum tuum in suis gloriosis tibi tantummodo cognitis susciperet : manibus indicasti. Unde nos exigui famuli tui tuorum sermonum tramitem secuti : tuam supplices imploramus clementiam. Ut quod tunc pro suscepte carnis humilitate a Patre expetere videbaris : nunc cum eodem connexa semper divinitatis potestate consistens prestare digneris. Ut Ecclesiam tuam Catholicam : quam precioso sanguine redemisti : nunquam derelinquens : nobis indignis in eadem concurrentibus : et Crucis tue solennia celebrantibus : ut criminum indulgentiam concedas precamur. Atque ut animas nostras in conspectu tuo semper suspicias : custodias : et benedicas : humillima prece deposcimus. Et qui latronis tecum in Cruce pendentis confessionem justificare dignatus es : omnium recte in te credentium fidem augeas : multiplices : et solita pietate conserves.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus amplius ineffabilis : quam inestimabilis. *et omnia alia preterquam ubi dicitur* dicat Chorus. Gustate et. *dicantur ut in Inventione S. Crucis. fol.* 323.

Dicat Chorus. Gustate et.

Oratio. Christe Jesu mortalitatis nostre forma. *Require in Inventione Sancte Crucis. folio* 324.

In octava Beatæ Mariæ :
Omnia dicantur ut in die. fol. 361.

[a] *In Jejunio Sancti Cipriani.*
Pro Missa.
Proverbiorum Salomonis ([b] *Cap. VII*).

℟. Deo gratias.

vero de eadem in Menologiis Basilii et Sirleti; in Menæis et Ephemeridibus metricis agunt. Sed Græci, et Latinorum aliqui, *Exaltationem sanctæ crucis* celebrare videntur ob primam sancti ligni inventionem, ab Helena imperatrice detectam, quam Gotho-Hispani et Galli, et passim in Occidente, peculiari festivitate *Inventionis sanctæ crucis*, mense Maio commemorant. Hujus autem *Exaltationis sanctæ crucis* solemnitatis instituendæ duplicem causam affert vetus Romanum Martyrologium, quod Romanum Parvum appellant, alteram toti Ecclesiæ communem, alteram Romanæ Ecclesiæ peculiarem : XVIII. *Kal. Octob. Exaltatio sanctæ crucis, ab Heraclio imperatore Hierosolymam reportatæ ; quando et Romæ lignum salutiferum crucis a Sergio papa inventum ab omni populo veneratur.* Eadem fusius Ado, brevius Usuardus prosequitur (*Vid. Baron., in not. ad Martyr. Rom., hac die*). Cæterum Heraclius, anno æræ vulgaris 629, crucem, a Persis receptam, Hierosolymam retulit (*Ant. Pagius, crit. Bar., ad an.* 628, *n.* 2). Aliqui putant Chrysostomum, in homelia de sanctis Berenice, Domnina, et Prosdoce (*Oper. Gr. Lat. Edit. Maur., tom. II, p.* 635) de festo Exsultationis sanctæ crucis locutum esse cum sit : *Nondum elapsi sunt dies viginti ex quo memoriam crucis celebravimus ;* sed eruditus Editor, in præmonitione ad citatam homeliam, animadvertit, hæc verba alludere ad memoriam crucis quod feria 6 in Parasceve celebrabatur. Demum, in Lectionario Ambrosiano em. Thomasii nulla fit mentio *Inventionis* neque *Exaltationis sanctæ crucis ;* at in Ambrosiano Pamelii et in missali Ambrosiano an. 1548 edito exstat missa *de Inventione sanctæ crucis ;* de festo *Exaltationis* sanctæ crucis siletur.

[a] *In Jejunio S. Cypriani.* Breviario Mozarabum (*fol.* 256) inscribitur : *Incipit officium jejuniorum Kalendarum Novembrium* [lege *Septembrium*], *quod observatur tribus diebus ante festum sancti Cypriani.* De jejunio septimi mensis meminit sanctus Isidorus (*De Eccl. Off. l.* II, *c.* 38); at quota die mensis incipiebat non indicat, neque docet a quo institutum fuit. De hoc sane jejunio silent concilia Hispanica, nisi forte in concilium Toletanum v, can. 1, error irrepserit, et pro *a die Iduum Decembrium* legendum sit *a die Iduum Septembrium*, quod haud ægre crediderim ; nam de jejunio illo mense Decembri nulla exstat memoria in Breviario, in missali, aut in Orationali Gothico, at de jejunio mensis Septembris, præter sanctum Isidorum, Missale et Breviarium expresse agunt. Celebratur autem tribus diebus ante festum sancti Cypriani, nimirum III, et pridie, et Idibus Septembris.

[b] *Cap. VII.* Vers. 1, 2.

Fili : custodi sermones meos : et precepta mea A reconde tibi. Serva mandata mea et vives. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Erigite vos. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Et Chorus dicat. Lectio libri Levitici ([a] *Cap. XIX*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Locutus est Dominus ad Moysen dicens. Loquere ad omnem cetum filiorum Israel. Et dicos ad eum. Sancti estote : quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Unusquisque patrem et matrem suam timeat : [b] et ego Dominus Deus vester. Cum messueris segetes terre tue : non tondes usque ad solum superficiem terre tue : nec remanentes B spicas colligas. Neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis : sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes : ego Dominus Deus vester. Non facies furtum : non mentiemini : nec decipiet unusquisque proximum suum. Non perjurabis in nomine meo : nec pollues nomen Domini Dei tui. Ego Dominus. Non facies calumniam proximo tuo : nec opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane. Non maledices surdo : nec coram ceco ponas offendiculum. Sed timebis Deum tuum. Quia ego sum Dominus. Non facies quod iniquum est : nec injuste judicabis : sed nec consideres personam pauperis : nec honores vultum potentis : juste judica proximo tuo. Non eris criminator et susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego C Dominus. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo : sed publice argue eum : ne habeas super illo peccatum. Non queres ultionem : nec memor eris injurie civium tuorum. Diliges amicum tuum : sicut te ipsum : ego Dominus. Non declinetis ad magos : neque ab ariolis aliquid sciscitemini : ne polluamini **377** per eos. Ego Dominus Deus vester. Coram cano capite consurge : et honora personam senis : et time Deum tuum. Ego sum Dominus. Si habitaverit advena in terra vestra : et moratus fuerit inter vos : ne exprobretis eum : sed sit inter vos quasi indigena : et diligetis eum quasi vosmetipsos. Fuistis enim et vos advene in terra Egypti. Ego Dominus Deus vester. Nolite facere iniquum aliquid in judicio : et in regula : et in pondere : et in mensura. Justus erit D modius : equusque sextarius. Ego Dominus Deus vester : [c] qui sanctifico vos. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Propter gloriam nominis tui Domine libera nos : et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. ℣. Memento plebi tue quam creasti ab inicio : animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. *P.* Et propicius.

Dicat. Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Ephesios. ([e] *Cap. V*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Videte quomodo caute ambuletis. Non quasi insipientes : redimentes tempus : quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes : sed intelligentes que sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino : in quo est luxuria : sed implemini spiritu : loquentes vosmetipsi. In psalmis et hymnis et canticis spiritualibus cantantes : et psallentes in cordibus vestris Domino. Gratias agentes semper pro omnibus vobis : in nomine Domini Jesu Christi Deo et Patri. ℟. Amen.

Evangelium. Erant appropinquantes ad Dominum Jesum Christum.

Quere in Dominico ante jejunium Calendarum, fol. 279.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Lauda.* Alleluja. ℣. Laudate Dominum de celis : laudate eum in excelsis : alleluja.

[g] *Sacrificium.* Si in preceptis meis ambulaveritis : et custodieritis mandata mea : et feceritis ea : dicit Dominus : dabo vobis pluviam temporibus suis : et terra gignet germen suum : et pomis arbores replebuntur : alleluja : alleluja.

Missa. Ecce dilectissimi fratres : antiqui veteratoris invalescente graviter incentivo flagitiorum diversorum : committitur facinus : ostenditur ulcus : propalatur infidelitatis immane [h] deliquium. Quo et totius mundane molis machina labefacta subruitur : et Ecclesie Catholice vigor magna ex parte conteritur. Unde et totum potest id ipsum funditus evertere mundum : si penitentie lamento : nequaquam ad miserationem numen flectatur divinum. [i] Et ideo per singulorum mensium cursum : trium dierum jejunia devotis cordibus celebrantes preoccupemus faciem Dei in confessione : ne ob scelus assiduum fragore celi subruat mundum. Ne terra dissiliens universum absorbeat hominis genus : neve varia inlata clade : generaliter dispereat orbis. Profecto etenim ille cito flectetur ad veniam : si absque malicia contriti cordis perspexerit quotidiana peccamina. ℟. Amen.

Alia Oratio. Novimus : novimus : o summe pietatis Domine : quot innumerose extent misericordie tue. Nam si quantis sedule criminibus sauciamur attenderes : nullus esset qui tuam posset evadere ultionem. Sed quia es incomparabiliter pius : ob hoc inextimabiliter parcis errantibus. Et quantum es pre omni-

[a] *Cap. XIX.* Vers. 1-37, pluribus omissis.

[b] *Et ego.* Vulgata : *Ego Dominus Deus vester.*

[c] *Qui sanctifico vos.* Sunt verba quibus finis imponebatur lectioni.

[d] *Psallendo.* Psal. LXXVIII, 9. ℣. Ps. LXXIII, 2, 19.

[e] *Cap. V.* Vers. 15-20.

[f] *Lauda.* Ps. CXLVIII 1.

[g] *Sacrificium.* Levit. XXVI, 3, 4.

[h] *Deliquium.* Forte, *delictum.*

[i] *Et ideo.* De jejuniis, sive litaniis singulis mensibus peragendis, exstat decretum concilii XVII Toletani (*Cap.* 6), et hinc habemus litanias istas cum triduano jejunio conjunctas fuisse.

bus gloriosus : tantum absque severitate intendis humanum scelus. Proinde miseratione tua [a] fidei omnipotentissimam tuam flagitamus clementiam ut Ecclesie tue fidem sub augmento corrobores : commoditatem principibus nostris tribuas : et equitatem eis in judicando : atque mansuetudinem cumules : populo tuo fideli miseratus veniam dones : et [b] cunctorum prophanationum : diversorumque facinorum nota respersos corrigendo emacules : atque indulgendo sanctifices. Quatenus glorie eternitatem per fidem adquirant : et perpetue felicitatis dignitatem per opus bonum obtineant. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui solus es mundus : et respectu gratie tue de immundo efficis mundum : absolve nos ab omni sorde facinorum. Quo brachio tuo justificati : **378** et nostrorum omnium nomina adscribantur in celo : et fidelium defunctorum spiritus de penali habitatione exempti : transferantur in locum lucis ac refrigerii.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Christe Domine : qui spiritus tui inlapsu : pacis bonum in tuorum cordibus efficacius contulisti discipulorum : abjice a nobis per visionem pacis tue : simultates : cunctaque opera tenebrarum. Et quia frequenter nostrorum peccaminum mole offensus : pace tua privamur : ad tue nos dulcedinis concordiam revoca : et pacis fedus omnibus intemerato jure possidendum condona. Fraterna Sacerdotes tuos semper charitate connecte : cordisque eis et corporis mundiciam prelargire : et per viam eos tue deducito voluntatis. Quatenus datione donorum tuorum mereamur charitatis amplexibus in commune tibimet indissolubiliter sociari.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum satis est omnipotens Deus : vere satis pulcrum : et inestimabiliter gloriosum est : nos incessabiliter tibi Deo nostro gratiarum copiam pandere : et indesinenti jubilo in majestatis tue judiciis exultare. Indubie etenim liquet : quia et quando irasceris : errantes paterna pietate redarguis : et quando placaris : immeritis gratie tue donaria tribuis. Quis etenim majestatem tuam condignis poterit votis extollere? Cujus sublimitas vel miseratio nulla potest ratione considerari. Numerosa etenim sunt operum carnalium scelera : que cum absque terrore patrantur : nullus dignus est : qui : perhibente Apostolo tuo : regno celesti potiatur. Nam fornicatio diversorum animas sauciat : immundicia inquinat : luxuria sordidat : avaricia : que est idolorum servitus : deturpat. Beneficia pervertunt : contentiones disturbant prophanatio nominis tui : et jusjurandi transgressio graviter dejicit. Et quamplurima alia quibus turbulentis motibus corda hominum lacinantur : que dum in perniciem nostri sepe crebescunt : mundo senescente aspicimus ollam peccatorum nostrorum igne succensam. Unde cernentes nos talibus incommodis circumseptos : quid debito nostro meritis coram te summe Pater pro solamine nostro loquamur : uspiam reperire : nequimus. Ligaverunt nos iniquitates nostre : et earum vinculis detinemur per omnia vincti. Nihil est ex nobis : quod merito prosperetur nobis. Sed quia nos de tua pietate confidere jubes : quia non vis mortem peccatoris : sed ut convertatur et vivat. Ob hoc sperantes in tuo nomine : non deficimus tolerantia bone spei. Trium etenim dierum per uniuscujusque mensis curriculum : exomologesim facientes : pro totius populi delictis : hoc tibi libamen dedicamus sacrificii salutaris : poscentes : ut quicquid quotidianis diebus generaliter actu vel cogitatione offendimus : miseratus ignoscas. Manuum etenim tuarum opificium sumus : non nos in ira tua dijudices : ut meremur. [c] Principibus quoque nostris et potestatibus seculi : et hujus fidelibus commoditatem vite : simulque mansuetudinis temperantiam tribue : et universo populo tuo Christiano : quicquid contra tuam voluntatem agit : propiciatus omitte. De infidelium sane [d] intimis prophanationis nodos resolve : et callidi hostis ab eis astutiam exclude : atque eos qui nequaquam sunt transgressionis experti scelus : ne aliquatenus pervertantur custodias. Pestilentiam · famem : varieque cladis incursum : a nostris procul effice finibus : quietem terre : opulentiam frugum : et gratie tue tribue dona : atque infirmis salutare fomentum. Quatenus dum ea que os nostre mortalitatis a te piissime Pater expostulat : largitioneque tua extiterint attributa : totius populi criminis noxa detersa : charitatis dono tibimet glomerati : mereamur fiducialiter cum omni virtutum celestium frequentia proclamare. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus. Qui et juste peccatores flagellat : et pietate solita a debitis angustiis liberat. **379** Proinde cernui te precamur clementissime Deus : ut et que male sunt consueta : a cordibus nostris procul expellas. Et per hec sacra libamina consecres nos tibimet : in quibus habites vasa mundissima. Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Inlabere quesumus omnipotens Deus super sacrificii hujus libationem : quam tibi deferimus : Et licet impuris hanc tibi manibus dedicemus ac meritis : respectu tamen clementie tue in conspectu tuo maneat acceptabilis. Quo dum quisque devotione promptissima et edulium sacri corporis et sanguinis tui perceperit : sentiat se dignus pro-

[a] *Fidei.* Lege *miserationi tuæ fidentes*, etc.
[b] *Cunctorum.* Lege *cunctos.*
[c] *Principibus.* Concilium Toletanum XVII, cap. 6, cum præmisisset litanias singulis mensibus *priscorum patrum instituto* esse decretas, subdit : *Decernimus ut deinceps per totum annum in cunctis duodecim mensibus per universas Hispaniæ et Galliarum provincias, pro statu Ecclesiæ Dei, pro incolumitate principis nostri, atque salvatione populi, et indulgentia totius peccati, et ex cunctorum fidelium cordibus expulsione diaboli, exomologeses votis gliscentibus celebrentur.*
[d] *Intimis.* Adde *cordibus.*

meruisse custodiam : [a] indignus suorum criminum A veniam : languidus fomenti medelam : contritus vel desperatus spem consolationis sibimet impertitam : et hi qui non habent substantiam bonorum operum : a te mole dempto peccaminum : sese gaudeant percepisse consortium beatorum. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Quid poterit : o piissima Trinitas Deus noster : condigne tibi infirmitas humane fragilitatis tribuere? que tantis facinorum ponderibus pregravatur quotidie? Et quia non est [b] hora punctus atque momentum quo a nobis non offendaris Deus : ideo coartati angustiis ad domum tue majestatis tremende concurrimus. Scelera nostra confessione oris proprii patefacimus : adversum nos iniquitates nostras pro- B nunciamus : vulnerum nostrorum infirmitates ostendimus : et a te vero medico malagna nostris ulceribus adhiberi expostulamus. Unde quia tu es agnus Dei : qui tollis peccatum mundi : ob hoc prostrati quesumus tue omnipotentiam deitatis : ut quoties a nobis offenderis : toties ignoscere digneris : quia te precipiente etsi indigni clamamus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Christus Dei filius : qui cum Patre et Spiritu Sancto deitatis obtinet unitatem : ipse in hoc indictum abstinentie jejunium triduanum : prostratu Ecclesie Dei : et totius populi salvatione : votum vestrum clementer acceptet. ℟. Amen. Quique solus pro nostra salvatione patibulum pertulit crucis : ipse cor vestrum emaculet ab omni appetitu vanitatis. ℟. Amen. Ut defecati ab universali conluvione delicti : premio ab eo potiamini indepte promissionis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri, etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore. *Require in festo corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Refecti Christi corpore pariterque sanctificati : Deo Patri omnipotenti gratias referamus : ut nos in eadem refectione : et sanctificatione habentes : hic et in futuro seculo gloriam percipiamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

[c] IN FESTO SANCTI CIPRIANI.

Ad Missam. Officium.

Gloriam et magnum decorem. *Require in festo Sancti Bartholomei Apostoli. fol.* 293.

Oratio. Eternum tue virtutis nomen omnipotens Deus oramus : ut nos Martyris tui Cipriani Episcopi: et omnium Sanctorum meritis : socios fide pares: devotione [d] extrenuos : passione consimiles : et in resurrectione felicium facias coequari. ℟. Amen.

[a] *Indignus.* Eucharistiam peccata, non modo venialia, sed lethalia etiam aliquando demittere, et C gratiam primam, ut theologi loquuntur, per accidens conferre, opinio vetusta est, quæ non semel in sanctis Patribus et in liturgiis recurrit.

[b] *Hora punctus.* Lege *horæ.*

[c] *In festo sancti Cypriani.* Sanctus Cyprianus episcopus Carthaginensis, die 14 Septembris in omni Occidenti colitur. Kalendarium Bucherianum. *XVIII Kal. Oct., Cypriani Africæ, Romæ celebratur in Callisti.* Kalendarium, Carthaginense : *XVIII Kalend. Octob. sancti Cypriani episcopi et martyris Carthagine.* His adde Apographa Hieronymiana, Romanum Parvum, Gellonense, Bedæ Genuinum, Adonis, Usuardi, Rabani, et Romanum Martyrologium Baronii; Kalendarium Marmoreum Neapolitanum : XIII. P. S. CIPR. ET. EXAL. SCE. CRVCIS : *die decima quarta passio sancti Cypriani et Exaltatio sanctæ crucis;* libros quoque liturgicos, Sacramentaria; Leonianum, *XVIII Kal. Octob., Natale sanctorum Cornelis et Cypriani;* Gelasianum, et Gregoriana, quæ eodem ferme modo inscribuntur; Missale Gallo-Gothicum : D *Missa in natale sanctorum Cornili et Cypriani;* Missale et Breviarium Mozarabum, et Orationale Gothicum, in quo : *XVIII Kal. Octob., incipit oratio, vel benedictio de festivitate sancti Cypriani, tam ad vesperum quam ad matutinum dicendum,* ac demum Capitularia vetusta Epistolarum et Evangeliorum, inter quæ Thomasii Ambrosianum : *In sancti Cypriani* et Frontonis, die 14 Septembris : *Natal. sancti Cornelii Pontificis, et Cypriani;* quibus apparet Romæ et in Gallia sanctos Cornelium et Cyprianum eodem die eodemque officio celebratos esse; in Hispania vero, Mediolani, et in Africa, solum sanctum Cyprianum. Celeberrimum fuisse nomen sancti Cypriani non modo in Occidente et in Africa, sed etiam in Oriente, auctor est sanctus Gregorius Nazianzenus (*T. I Oper., serm.* 18, *de S. Cypriano*). Attamen ejus festivitas fastis Græcis recentioribus ignota est; quem enim illi colunt sanctum Cyprianum, is est *qui ex mago* Christianus Nicomediæ, cum sancta Justina, sub Diocletiano, gladio martyrium complevit. De sancto Cypriano, Carthaginensi episcopo, quatuor sermones exstant sancti Augustini, duo sancti Maximi Taurinensis, unus sancti Fulgentii et unus sancti Petri Chrysologi. Est et egregia oratio sancti Gregorii Nazianzeni de sancto Cypriano, sed, quod mirum est, sanctum Cyprianum Carthaginensem episcopum a sancto Cypriano Antiocheno Nicomediæ passo, qui magus fuerat, non distinguit. Prudentius quoque, hymno 13 de Coronis, martyrium sancti Cypriani Carthaginensis describens, quædam immiscet quæ ad sanctum Cyprianum magum spectant. Exstat Vita sancti Cypriani episcopi a Pontio diacono suo scripta, et Acta proconsularia ejusdem, quibus constat eum passum esse XVIII Kal. Octobris, Tusco et Basso coss., anno ær. vulg. 258. Idem confirmant excerpta ex fastis Cuspinianis (*Apud Bolland., tom. VII Junii, in quo : Tusco et Basso. His Coss. passus est Cyprianus Carthagine* XVIII *Kal. Octobris*). Duplicem Carthagine basilicam sancto Cypriano erexerunt : alteram in loco ubi sanguinem fuderat, quæ dicebatur *mensa Cypriani;* alteram in loco qui *Mappalia* nuncupabatur, in quo sacrum ejus corpus conditum jacuit, donec eversa per Saracenos religione Christiana in Africa, legati Caroli Magni, ex Perside, per Africam redeuntes, cum Carthagine basilicas derelictas cernerent, et rem gratissimam se imperatori suo facturos scirent, corpora sancti Cypriani et Scillitanorum martyrum a Saracenis obtinuerunt, et in Galliam secum anno 866 transtulerunt. Reliquiæ sancti Cypriani Arelate primum, tum Lugdunum delatæ sunt, ac demum Compendium, et in monasterio quod in palatio suo construxerat a Carolo Calvo depositæ fuerunt. Non omittendum sanctum Cypriani nomen in canone Romano quotidie recitari, quod plane probat eum in communione Romanæ Ecclesiæ martyrium fecisse.

[d] *Extrenuos.* Lege *strenuas.*

Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Vir iste conservavit legem. *Require in natale sancti Saturnini. fol.* 23.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Psallendo.* Posuisti super caput ejus : coronam de lapide precioso. ℟. Super salutare tuum Domine exultavit vehementer : desiderium anime ejus dedisti ei : et voluntatem labiorum ejus non fraudasti ei. *P.* Coronam.

380 *Dicat Presbiter.* Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Timotheum (II, [b] cap. I).

℟. Deo gratias.

Charissime : noli erubescere testimonium Domini nostri : neque me vinctum ejus. Sed conlaborat [c] Evangelium secundum virtutem Dei : qui nos liberavit : et vocavit vocatione sancta. Non secundum opera nostra : sed secundum prepositum suum et gratiam : que data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia. Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi : qui destruxit mortem : illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium : in quo positus sum ego predicator et Apostolus et magister gentium. Ob quam causam hec patior : sed non confundor. Scio enim cui credidi : et certus sum : quia [d] potens est custodire in illum diem. Formam habe sanorum verborum : que a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi : [e] per spiritum qui habitat in nobis.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([f] Cap. V).

In illis diebus. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita : neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio : sed super candelabrum : ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus : ut videant vestra bona opera : et glorificent Patrem vestrum : qui in celis est. Nolite putare quoniam veni solvere legem : aut prophetas. Non veni solvere : sed adimplere. Amen dico vobis. Donec transeat celum et terra : jota unum aut unus apex non preteribit a lege : donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis : et docuerit sic homines : minimus vocabitur in regno celorum. Qui autem fecerit et docuerit : hic magnus vocabitur in regno celorum. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Tu es Sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech. *P.* Alleluja

[h] *Sacrificium.* Stans Sacerdos ad altare in circuitu ejus corona fratrum : quasi germen cedrorum in Libano circumdederunt eum sicut arbores palmarum. Et obtulit oblationem Domino in conspectu universe Ecclesie : alleluja. ℣. Exaltatus est et fulget in templo Dei quasi stella matutina in media nube : et sicut Luna plena in diebus suis : sicut arcus pacis inluminans in nubibus glorie. Et sicut oliva germinans fructum : accepit autem stolam sanctam. *P.* Et obtulit oblationem Domino.

Incipit Missa. Omnipotentem Deum fratres charissimi : in honorem beatissimi Martyris sui Cipriani supplices postulemus : ut populorum concurrentium suscipiat vota : ac singulis quibusque propria desideriorum sperata distribuat. Et sicut illi palmam victorie triumphali titulo contulit : qui coruscantis ferri aciem propter amorem nominis sui : non est cunctatus excipere : ut fulgidum majestatis sue jubar : ejus reluceret [i] insensibilis : sic ipsius nunc vobis meritis atque universo populo suo : et eterna exultationis gaudia : ut tribuere dignetur : supplices deprecemur. ℟. Amen.

Alia Oratio. Prespicui excelse Domine Deus triumphum Cipriani Martyris tui : [j] hodierno die votis attollimus : sacrificiis honoramus. Qui Dominico commissoque sibi gregi in suprema jam passione pius pastor relicturus exemplum : [k] bisdenis temporalem comparavit aureis : mortem sanguine potius malens subditis : quam verbo scribere que doceret. Te proinde in hac ejus annua festivitate rogamus : ut qui eum conceptu mortis fecisti esse felicem : feliciores nos efficias actu beate vite. Quo omnia que de ejus virtutibus ammiranda cognovimus : effectu operis impleamus. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Tuam proni Domine immensam quesumus majestatem : quem unum et verum Deum predictus Martyr scientia pollens : 381 studio calens : virtute flagrans : passione triumphans : [l] commiste sibi caterve verbo predicavit : et sanguine. Tribue nobis quod illi tribuisti : et virtutibus

[a] *Psallendo.* Ps. XX, 4. ℣. Ibid., 2, 3.

[b] *Cap. I.* Vers. 8-15.

[c] *Evangelium.* Lege *Evangelio.*

[d] *Potens est.* Adde, ex Vulgata, *depositum meum*, etc.

[e] *Per Spiritum.* Vulg., *per Spiritum sanctum.*

[f] *Cap. V.* Vers. 14-20.

[g] *Lauda.* Ps. CIX, 4.

[h] *Sacrificium.* Ex Ecclesiast., L, 13. ℣. Ibid. 6, 7, 8, 9.

[i] *Insensibilis.* Forte, *in sensibus.*

[j] *Hodierno die.* Vetustam esse apud Hispanos solemnitatem sancti Cypriani ostendit Prudentius (*Hym.* 11 *de Coron.*), Valerianum episcopum alloquens :

Inter solemnes Cypriani, vel Chelidoni
Eulaliæque dies, currat et iste tibi,

quo nimirum sanctus Hippolytus colitur.

[k] *Bisdenis.* Et infra, semel et iterum, *viginti aureos* speculatori datos esse repetit. Attamen in Actis passionis ejus viginti quinque aurei ut speculatori darentur sanctum Cyprianum mandasse clare legitur. Editores Anglicani Operum sancti Cypriani hanc liberalitatem amanuenses de suo addidisse suspicantur. Tamen clarissimus Ruinartius testatur : *Omnes Mss. quos videre licuit hanc Cypriani liberalitatem commemorant*, eamque hæc oratio confirmat.

[l] *Commiste.* Lege *commissæ.*

salubriter erigi : et adversitatibus non noceri. Quo hujus Martyris beneficio fidelium favens votis : requiem jubeas prestare defunctis.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Pacis tue Deus nobis largire donaria : qui in sancto Cipriano Martyre tuo tantam tribuisti scientie gratiam. Reple nos fructu tue dulcedinis : qui ob ejus celestibus replesti doctrinis. Da in nobis abundantiam : qui in illo contulisti scientiam tui. Ut sicut ille predicata verbo : sanguinis effusione complevit : ita nos ea que de tua pace scimus : non solum verbo : sed et opere predicemus.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vere et justum est : nos tibi gratias omnipotens Domine agere. Qui Sanctum Martyrem tuum Ciprianum et Sacerdotalibus infulis redimitum : et passione martyrii coronatum : in hunc diem ad te : solita miseratione evocare dignatus es : quem nulla sevorum principum interminatio pavefecit : [a] non lugubris : et squallida ergastulorum obscuritas a proposito sancte deliberationis retinuit : non denique extricti ensis in jugulo descensurus mucro deterruit. Constantia intrepida : fides indubitata : permanens perseverantia. [b] Lucernum birrum : quo indutus sacrosancto semper astabat altario sui prostravit genibus percussoris : propter te Domine adventum expectans. [c] Qui viginti aureos quam mercedem operis sui mox dari decernit : temporalem comparans mortem : per quam lucraretur coronam vite perpetue : [d] trepida conatus manu astringere nequivit tempora manibus : [e] nisi fratrem [f] Auxilie sacrum [g] vinxisset : Christoque jam [h] dedit caput. Et licet humane fragilitatis pavore turbatus : sed constanter spe fidei sue condensus in te obtegit digitis lumina clausa suis : ut non cerneret coruscum : priusquam exciperet cervicibus gladium. Strictoque ita ferro sue parato neci : non dubitavit subdere collum presentis vite jactura : naturam superans mortalem : ut immortalitatem vite consequeretur eterne. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie : ita dicentes. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : et pius es Domine Deus noster. Quem hodierno die presentis sacrificii litatione laudamus : in qua tanti Pontificis tui Cipriani gloriosa universo orbe : et perfecta in Christo consummatio celebratur. Qui jam in charitatis tue arce consistens : tam magistri quam Domini precedentis inluminata cordis acie inherendo vestigiis : meruit ejus particeps effici passionis : ut postmodum consors fieret regni. Ac per hoc heres Dei et coheres fieret Christi. Hinc namque populum sibi celesti auctoritate commissum : non solum doctrine fontibus inrigavit : sed etiam in confessione pii nominis fortiter perseverans sanguinis effusione decoravit. Veri pastoris electissimus imitator existens : qui dum pro ovibus sibi commissis acceptabilia Deo sacrificia jugiter retulisset : ut se ipsum quoque post hec posset Dei : cui hactenus ministraverat : sacrificium acceptabile exhibere. oratione continua flagitavit. Implens scilicet opere : que predicaverat verbo : nec in aliquo prevaricationis reus existens. Merito illi Apostolo gentium atque magistro coequatus est Paulo : in quo Christus habitans velut e templi sui conclavibus loquebatur. Tibi igitur Deus Sanctorum tuorum sunt deputanda preconia : cui cura est etiam certamina a celestibus premiis destinata mirifice profligare. Hos tu jam in numero tuorum adgregatos : eternis divitiis locupletare dignatus es. Quos quia in te teque in illis Domine munere confidimus : ut eos nobis miseris in patrocinium deputare digneris : suppliciter postulamus. Christe Domine ac redemptor eterne.

382 *Post pridie. Oratio.* Sanctifica Domine oblata tibi ab infimis : qui solus glorificaris in Sanctis. Ut in tanti viri solemnitate ante altare tuum adstantes : illo repleamur charitatis tue ardore : quo idem vir plenus non solum mortem pro te capitalem preoptavit suscipere : sed ipsum quoque qui se percussurus esset : voluntaria maluit remunerari mercede. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Ecce Domine redemptor noster et conditor : hodierno die incumbente festo Cipriani Martyris tui copiosius jocundamur : et tamen pro ablutione nostrorum criminum suspiramus. Illius quippe gloriosos cineres [i] retinet Africana Carthago : sed lingua toto pene claret in mundo. Unde quia hic vir etsi loculo teneatur in corpore : beneficiis

[a] *Non lugubris.* Sanctum Cyprianum in carcerem aliquando conjectum fuisse neque in Actis ejus neque in Vita legitur. Legitur autem apud Prudentium (*Hym.* 13 *de Coron.*), ubi carcerem quo inclusus est graphice describit. Sed hoc ad alium Cyprianum, qui cum Justina passus est, potius spectat, cujus Acta non satis accurate distinxit Prudentius ab Actis sancti Cypriani Carthaginensis episcopi.

[b] *Lucernum.* Lege *Lacernam*, et locum integrum ex Actis ita restitue : *Lacernam birram, qua indutus* erat, se exspoliavit, quam diacono, qui *sacrosancto semper astabat altario*, tradidit *suo*, et in orationem se prostravit, propter te, *Domine, adventum exspectans* speculatoris, *cui viginti aureos pro mercede operis sui mox dare præcepit.* Lacerna autem *birra* est lacerna coloris rufi. Vide du Cange, in Glossario Latino verb. *Birrus.*

[c] *Qui.* Lege *cui.*

[d] *Trepida.* Sanctus Pontius diaconus, in Vita sancti Cypriani, scribit : *Sed jam ligatis per manus suas oculis ;* Acta vero ita habent : *Postea vero beatus Cyprianus manu sua oculos sibi texit, qui cum lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Julianus presbyter, et Julianus subdiaconus* (alii *diaconus*) *ei ligaverunt.* Nimirum sanctus martyr lineo manuali sibi ipsi oculos texit, quod alii nodo astrinxerunt.

[e] *Nisi.* Forte, *non nisi.*

[f] *Auxilie.* Corr., *auxilio.*

[g] *Vinxisset.* Forte, *vinxit.*

[h] *Dedit.* Lege *deditum.*

[i] *Retinet.* Hinc patet officium hoc, antequam Saraceni Carthaginem occuparent, conscriptum fuisse, alias certe ruinam rei Christianæ in Africa nequaquam prætermisisset.

tamen patet ubique. Te rogamus et petimus : ut A ejus nobis [a] suffragio ea que tibi debemus omittas : cujus nos doctrinis : ut te oremus inlustras. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliatè vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Intercessu Martyris sui Cipriani : a vitiis omnibus liberemini : qui viginti aureos suo obtulit percussori. ℟. Amen. Ejus quoque foveamini indesinenter presidiis : cujus letamini in doctrinis. ℟. Amen. Ut qui vos verbis instruit ad vitam : beneficiis perducat ad gloriam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Debitas tibi Domine eterne referimus grates : et Jesu Christo Domino nostro : in cujus similitudinem beatissimus Ciprianus dum offert victimam : ipse est victima. Dumque sacerdotium eligit : martyrium devotus implevit. Obtineat igitur apud te Deus summe : de miseris indulgentiam post delictum : qui meruit post sacerdotium subire martyrium. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Nicomedis Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

S. Vincentii :
Omnia dicantur unius Martyris. fol. 424.

S. Eufemie Virginis et Martyris :
Omnia dicantur unius Virginis. fol. 436.

S. Lamberti Episcopi et Martyris :
Omnia dicantur unius Mart. Pont. fol. 423.

In festo [b] *S. Matthei Apostoli ad Missam. Officium : Et omnia alia* [c] *dicantur ut in festo Mathie Apostoli. fol.* 316. *Excepta Missa.*

Missa. Omnes qui secularium curarum turbinibus ferimur aut forsan adlidimur : quique inlicientis evi sepe laqueis inretimur : earundem curarum paululum fasce deposito : ad considerandam Do- D mini vocationem alacriter sublevemur. Placeat jam earumdem curarum sub opprimentibus oneribus paululum respirare : placeat Christi vocationem in Sanctis Apostolis solicite [d] profligare : et solerti cogitatu perpendere. Erigatur mentis oculus ad considerandа divine gratie munera : et fidelium Christi servulorum pura citaque obsequia. Ecce etenim iste Matheus Apostolus Sanctus et Evangelista : cujus insigne celebrat hodie festum Ecclesia : una Christi voce vocationis audita : mundi contempsit honores et floscula. Non solum sequitur eum : quem se vocantem audivit : sed eidem etiam ex vocatione sua repletus leticia prandium fecit. Gratuita venit ad illum gratia Christi : et hinc ex publicano : scriptor factus est Evangelii. Ex publicanis quippe B actibus conversus sequitur Christum : et post predicator sanctus effectus : scribit veraciter Evangelium. Unde igitur ejus conversio fuit tam cita : nisi Christi Domini cooperante gratia gratuita? Hunc ideo Christum Dominum et Salvatorem omnium puro corde rogemus : ut gratia sua qua dignatus est vocare Apostolos : nos sibi placabiles faciat servos. **383** Inspiret sui amorem predicantibus Apostolis : quos elegit : et scelerum diluat culpas his ipsis orantibus : quos martyrio coronavit. Det pium orandi se votum : et orationis commodet clementer effectum. His largiri dignetur et temporum pacem : et criminum veniam : quibus Apostolis predicantibus : Evangelii novam dare dignatus est legem. Hos ad se faciat feliciter perve- C nire pro quibus sanguinem dignatus est fundere. Ipsis tribuat beatitudinis premium : pro quibus in carne visitare dignatus est mundum. Ut omnes qui ipso moriente redempti sumus : obtentu Martyris sui sancti Matthei Apostoli et Evangeliste : cujus hodie festum [e] incolimus : celeste regnum optantes intremus.

℟. Amen.

Alia Oratio. Dator et inspirator omnium munerum Christe fili Dei : qui Apostolorum predicatione universos terrarum situs inlustras : et evangeliorum amne quadrifluo rigas : quique pro te mori posse Martyribus tribuis : eosque pro ultronea morte coronas : respice in hac festivitate Martyris tui Sancti Matthei Apostoli et Evangeliste tuorum fidelium vota :

[a] *Suffragio*. Quanti faciendum sit sancti Cypriani patrocinium apud Deum Ennodius Ticinensis episcopus, in hymno de sancto Cypriano (*Carm. lib.* I, *carm.* 12) exponit :

Orator orat, obtinet,
Et dura causis temperat,
Facit beatos ex reis
Peccata rumpens carmine.
Non flamma, carcer, vinculum,
Potest nocere quos juvat.....

[b] *S. Matthei Apostoli*. Apographa Martyrologii Hieronymiani sanctum Matthæum apostolum die 1 et 6 Maii, 21 Septembris, et 7 Octobris commemorant. Romanum Parvum, Beda, Florus, Ado, Usuardus, Martyrologium Romanum Baronii, et alia quædam, eumdem die 21 Septembris tantummodo enuntiant. Græci pariter de eo semel quotannis die 16 Novembris in Menæis et Menologio Basilii agunt. Cum Græcis Neapolitani, in Kalendario marmoreo, sculpserunt : *XVI Novembris*. S. MATHEI. EVAN. Porro de sancto Matthæo silent Sacramentaria vetusta Leonianum et Gelasianum, Lectionarius Ambrosianus em. Thomasii, vetusta omnia Evangeliorum Capitularia, libri liturgici Gallicani, et Orationale Gothicum. In Sacramentariis Gregorianis Roccæ et Menardi die 21 Septembris exstat missa sancti Matthæi. In Gregoriano Pamelii pariter exstat, sed virgulis inclusa, utpote quæ recentiori manu addita fuerat; in Gregoriano Muratorii nulla est missa sancti Matthæi apostoli.

[c] *Dicantur*. Corr. *dicantur ut in Missa unius martyris sex capparum fol.* 421.

[d] *Profligare*. Forte, *vestigare*.

[e] *Incolimus*. Lege *colimus*.

eosque inlesos evi facito periculosi transire naufra- A gia. Ut qui illum una vocationis tue voce : dignum tibi fecisti ministrum : qui regalem tuam sequens prosapiam : primus scriberet Evangelium : facias nos ad te sequendum idoneos : et in timore nominis tui perfectos. Instrue nos quesumus ejus doctrinis : quem fore voluisti scriptorem primum evangelice predicationis. Reple nos ejus meritis spiritali fervore : qui preconia veritatis tue : ejus voluisti audiri ex ore. Da nobis amorem tui : qui eidem dedisti gratiam Spiritus Sancti. Trahe nos ad te miserationibus consuetis : qui illum Evangelistam fecisti ex publicanis operibus. Illumina nostri cordis archana : qui illum ad [a] tholoneum sedentem vocasti gratia gratuita. Ejus interventu nobis adesto placatus : qui tuus factus est in veritate discipulus. Exaudi illum B pro nobis : qui apud illum cum non egeres : pranderes. Ipse ad te nostra tibi placitura deferat vota : cujus predicatio toto mundo facta est gloriosa. Non nostris nos patiaris puniri pro meritis : qui illum replesti muneribus sanctis. Suscipe in ejus honore nostrum obsequium : qui illum post tanta preconia fecisti Martyrem gloriosum. Ut qui penam meremur ex propriis : in ejus honore tibi oblatis justificemur obsequiis. Qualiter dum ejus meritis vota famulantium suscipis : ejus obtentu facias eidem obsequentes cum illo consortes in celestibus regnis.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Via veritas et vita : qui incarnari voluisti : ut redimeres universa : redime nos a chirographo delictorum. Sancti tui Matthei Apostoli et Evangeliste : nec non et Martyris prece. Qui [b] Eufrenonem puerum invocatione nominis tui suscitavit a mortuis : suscitet nos quesumus a viciorum nostrorum sepulcris. Quique [c] cum Deus putaretur : non se esse Deum : sed Dei servum veridica voce referre non distulit : et ut putantes : ad te Deum converterentur : relicto simulacrorum errore : instanter ac fortiter predicavit : ad te nobis redeundi post lapsus aditum prestet : nosque in veritate : quam predicavit : stabiles faciat. Suscitet mortuorum in sceleribus ad penitentiam corda : qui mortificata suscitavit sceleriter puerilia membra. Timori tuo nos subdat : qui virginum cuneos tuo servitio mancipavit. Conferat vivis tutelam : et de- D functis amenitatis eterne quietem : quem inter omnes cum propriis condiscipulis : duodecim tribuum constituere dignatus es judicem.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Pax omnium Christe : et cunctorum te diligentium charitas pura : simultatum quesumus a nobis radices abscide : nosque perenniter in tua pace consolida. Fac nos te amare in veritate : fac tua sequentes et servantes precepta : odiorum vincula solve : lites remove : discordiam fuga : dissidia pelle : et quicquid pacem dirumpit : procul a nobis propicius effice. Pacem quam tuis discipulis commendasti in terris : hanc infundere nostris dignare pectoribus. Pax quam abs te traditam Sanctus iste tuus Mattheus Apostolus et Evangelista **384** personavit in mundo : nos tibi cousignans : consortes eidem facias in regno superno. Fidelium tuorum nullus per discordiam pereat : eorumque odium perimendo : nullum possideat. Sed ita omnes inviolabiliter in tua pace vivamus : ut ad te post coronandi cum Sanctis omnibus veniamus. Et ita pacis osculum demus ad invicem : ut eterni regni mereamur apud te consequi mansionem. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum et salutare est : te inconfusa Trinitas : et unius essentie indivisa majestas : Deum patrem et Filium et Spiritum Sanctum fontem beatitudinis eterne laudare : quem scimus nullius servitutis obsequiis indigere. Per quem beatissimus martyr tuus Mattheus Apostolus et Evangelista : errores seculi sapientia vicit : terrores patientia superavit : et idcirco tam magnum tamque magnificum est quod fecit. Secutus quippe agnum : leonem vicit. Quando persecutor seviebat : leo fremebat. Sed quia agnus sursum attendebatur : leo deorsum contemnebatur. Ipse enim intuebatur : qui mortem morte destruxit : in ligno pependit : sanguinem fudit : mundum redemit. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : et vere benedictus : Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui hodierno die animam sui testis Matthei Apostoli et Evangeliste devicto mundo evexit in celum. Ut que fuerat afflicta suppliciis : gaudiis frueretur eternis. Et que dominice imitatrix extiterat passionis : celestis esset particeps regni. Hujus proinde meritis Deus summe terminum pone delictis : et finem scandalis. Ut qui Martyris tui Matthei Apostoli et Evangeliste veneratores existimus : remotis adversitatibus imitatores effici mereamur. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. [d] Hec tibi Domine tua servantes precepta : in altare tuum panis ac vini holocausta proponimus : et in commemorationem Sancti tui Matthei Apostoli et Evangeliste suscepta : populi tui per has oblationes te jubente vota deferimus : non nostris meritis : sed obsequio suscepti officii. Rogantes profusissimam tue misericordie pietatem omnipotens Deus : [e] ut eodem spiritu : quo te in carne

stris curasset.

[a] *Tholoneum.* Lege *telonium.*

[b] *Euphrenonem.* Hunc Abdias filium regis Æthiopum dicit.

[c] *Cum Deus putaretur.* Scribit Abdias idem ferme contigisse sancto Matthæo in Æthiopia, postquam a mortuis suscitavit regis filium, quod sancto Paulo in Licaonia evenit (*Act.* XIV, 10) cum claudum Ly-

[d] *Hec tibi.* De hac oratione vide (*Pag.* 571) quæ notavi ad pag. 316.

[e] *Ut eodem.* Hoc loco, ut sæpius monui, agitur de sanctificatione conferenda tantummodo in ordine ad effectus sacramentales : rogant autem Christum Dominum, Dei Filium (ad eum enim refertur illud

virginitas incorrupta concepit: has hostias Trinitas indivisa sanctificet. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Domine Jesu Christe: qui elegisti tua ex plebe Mattheum: qui Levi sumit cognomen: Apostolum et Evangelistam: itaque in vertice Ecclesie eum statuisti ex publicano a te Christe electum: primum in Judea quidem evangelizare fecisti: et postmodum [a] in Macedonia te predicans: pastorum sicque requiescit in montibus: annue precibus nostris: ut ejus interventu nos futuro liberes a tormento. Ut verbum tuum quod ille gloriosis in mundo vocibus sparsit: nos sanctificatum in receptaculum nostri pectoris conservemus: qui nos docuisti orare et dicere. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus B sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Dominus Jesus Christus: qui ingenti pietate: Apostolum suum Mattheum et Evangelistam: ex publicano fecit [b] mirificum: nos de adversis faciat semper victoriam promereri. ℟. Amen. Et qui illum exaltavit vocatione promptissima: ab omni

A nos mundane conversationis dignetur eruere contagio. ℟. Amen. Et qui voce predicationis et apostolatus gratia illum ditavit in mundo: nos spiritualium gaudiorum munificet incremento. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine: alleluja: alleluja: alleluja.

Oratio dicatur ut in festo sancti Mathie. folio 267.

In festo sancti Mauritii sociorumque ejus:
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 430.

Sancte Clete Virgini.:
Omnia dicantur unius Virginis. fol. 436.

385 *Sancti Fortunati Episcopi et Confessoris:*
Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fol. 432.

In festo Sanctorum [c] Cosme et Damiani.
Ad Missam. Officium.

Dabo Sanctis meis. *Require in festo Apostolorum Petri et Pauli. fol.* 334.

Oratio. Deus qui Sanctis tuis Cosme et Damiano

omnipotens Deus) ut *Trinitas indivisa sanctificet has hostias* per Spiritum sanctum, tum quia *indivisa sunt opera Trinitatis*, ut loquuntur concilia Toletana, tum etiam *quia quidquid facit Deus, id Spiritus sancti opera facit*, ut loquitur sanctus Joannes Damascenus (*De Fid. orthod. l.* IV, *c.* 13).

[a] *In Macedonia.* Sanctus Isidorus, in libro de Vita et Morte sanctorum Novi Testamenti (*Cap.* 77), scribit sanctum Matthæum *primum in Judæa*, *postmodum in Macedonia* prædicasse Evangelium, et requiescere *in montibus pastorum.* Hunc librum esse opus sancti Isidori contra alios contendunt Bollandiani et Nicolaus Antonius. pseudo-Abdias et ex eo Venantius Fortunatus tradunt sanctum Matthæum in Æthiopia, in civitate cui nomen *Nadaver*, interfectum esse. Sanctus Paulinus (*Natal.* 18) canit:

Parthia Matthæum complectitur.

Recentiores Græci Hierapoli ad Euphratem obiisse scribunt.

[b] *Mirificum.* Addendum, forte, *Martyrem.*

[c] *Cosme et Damiani.* Græci, in Menologio Basilii, et in Menæis, tria sanctorum *anargyrorum* paria commemorant, hoc est medicorum, qui sine mercede medicinam exercebant, quibus singulis nomina Cosmi et Damiani imposuerunt. Horum par unum ἀναργύρων colunt die prima Novembris, filios Theodotæ feminæ sanctissimæ, qui in Asia confessores obierunt (*Menol. Basil.*, *Ephem. Græc.-Mosc.*, *apud Bolland.*, *t. I Maii*, *Martyrol. Metricum Seberi*). Par aliud est D Cosmæ et Damiani fratrum Romanorum, qui, imperante Carino, Romæ passi sunt. Hos Græci thaumaturgos anargyros colunt Kalendis Julii (*Menol. Basil.*, *Ephem. Græc.-Mosc.*, *Bolland.*, *t. I Maii*). Tertium par Arabum fratrum est qui, imperante Diocletiano, Ægeæ in Cilicia sub Lysia præside passi sunt. Menologium Basilii hos die 17 Octobris signat; at in Græco Martyrologio Metrico Seberi agitur de iis die 4 Octobris, et rursus die 28 ejusdem mensis. Latini 27 Septembris de his plerumque agunt. Romanum Parvum, v Kal. Oct.: *In Ægea civitate*, *Cosmæ et Damiani Leontii et Euprepii.* Consonant Beda, Ado, Rabanus, Usuardus; Hieronymiana autem aliter locum passionis enuntiant. Corbeiense Dacherii legit *Adaucia civitate*, at Lucense Florentinii habet *Ad Acia.* Socios, Martyrologium Seberi adjungit, *Leontium*, *Anthimum et Eutropium*, quos omnes *fratres anargyros* die 4 Octobris signat. Kalendarium marmoreum Neapolitanum Cosmum et Damianum bis commemorat die 22 Octobris: P. S. COSM. ET DAMIA: *Passio sancti Cosmæ et Damiani;* Et rursum die 27 Septembris: PAS. S. COSM. ET DAMIA: *Passio sancti Cosmæ et Damiani.* An iidem qui ambobus diebus, an diversi sint qui commemorantur, incertum. Equidem puto Neapolitanos, Græcos secutos, par unum anargyrorum medicorum martyrum die 27 Septembris, par aliud 22 Octobris coluisse. C Vetus sane est et late diffusus cultus sanctorum Cosmæ et Damiani. Stabat Theodoreti ævo templum horum martyrum in Cyrensi diœcesi. Erat aliud Constantinopoli tempore Proculi patriarchæ. S. Germanus Autissiodorensis monasterium et ecclesiam sanctorum Cosmæ et Damiani erexit. Erat et Ecclesia sanctorum Cosmæ et Damiani, et monasterium Agaliense juxta Toletum situm, cui sanctus Ildefonsus aliquando præfuit abbas. Romæ exstat ædes sanctorum Cosmi et Damiani, cujus pars anterior olim templum fuit, ut tradunt, Romæ dicatum, interior autem pars basilica est a sancto Felice IV ædificata, ut versus musivo opere in apside depicti produnt:

Aula Dei claris radiat speciosa metallis
In qua plus fidei lux speciosa micat.
Martyribus medicis populo spes certa salutis
Venit, et e sacro crevit honore locus.
Obtulit hoc Domino Felix, antistite dignum
Munus ut ætherea vivat in arce poli.

Justinianus Augustus, horum martyrum ope ab ægritudine gravi liberatus, basilicam illis amplam Constantinopoli erexit. In Occidente autem, præter alia, horum martyrum cultum antiquum esse probant Missale et Breviarium nostrum in quibus propriam missam et officium habent, et Orationale Gothicum (*P.* 133) in quo exstant orationes in eorum festivitate dicendæ, quibus addenda Sacramentaria Gelasianum, et Gregoriana omnia, Capitularia quoque Evangeliorum, et capitularium Epistolarum Ambrosianum emin. Thomasii. Eorum quoque meminere Adelmus (*De Laud. Virgin.*) et sanctus Gregorius Turonensis (*Hist. lib.* X, *cap. ult.*) ubi ait se reliquias sanctorum Cosmæ et Damiani posuisse *in cellula sancti Martini*, *ecclesiæ ipsi contigua;* et rursus de Glor. Martyr lib. (*cap.* 98). Cæterum Acta quæ habentur horum martyrum vitiata sunt. Neque satis constat an cum Græcis tria admittenda sint paria anargyrorum medicorum, an

geminas contulisti ante mortem coronas : dando illis : [a] et immedendi arte affectum : et victoriam supplicii : te rogamus et petimus : ut anime atque corpori nostro horum interventu : salutem impertiens : et vita nostra : incentivorum careat morbis : et desideriorum concrescat spiritualibus documentis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaye Prophete ([b] *Cap. LXI*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. [c] Vos omnes sancti Dei vocabimini : ministri Domini Dei nostri : dicetur vobis : fortitudinem gentium comeditis : et in gloria eorum [d] superbi estis. Pro confusione vestra dupplici et rubore laudabunt partem eorum. Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt : leticia sempiterna erit eis. Quia ego Dominus diligens judicium : et odio habens rapinam [e] in holocaustum. Et dabo opus eorum in veritate : et fedus perpetuum feriam cum eis. Et scietur in gentibus semen eorum : et gesmen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos : cognoscent illos : quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Psallendo.* Da nobis auxilium Domine. In tribulatione. ℣. In Deo faciemus virtutem. Et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. *P.* In tribulatione.

Dicat Presbyter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos ([g] *Cap. VIII*).

Deo gratias.

Fratres. Scimus quod diligentibus Deum : omnia cooperantur in bonum : his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos prescivit : et predestinavit conformes fieri imaginis filii ejus : ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem predestinavit : hos et vocavit. Et quos vocavit : hos et justificavit. Quos autem justificavit : illos et [h] magnificavit. Quid ergo dicemus ad hec? Si Deus pro nobis : quis contra nos? Qui etiam filio suo non pepercit : sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam omnia nobis cum illo donabit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat : quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est : imo qui resurrexit : qui sedet ad dexteram Dei : qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An persecutio? An fames? An nuditas? An periculum? An gladius? Sicut scriptum est. Quia propter te mortificati sumus : tota die estimati sumus : ut oves occisionis. Sed in his omnibus [i] separamur : propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim : quia neque mors : neque vita : neque Angeli : neque [j] principatus : neque instantia : neque futura : neque fortitudo : neque altitudo : neque profundum : neque alia creatura poterit nos separare a charitate Dei : que est in Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

Evangelium. Convocatis duodecim Apostolis. dedit illis virtutem. *Quere in communi plurimorum Martyrum. fol.* 431.

[k] *Missa.* Oblatis super aram unigeniti filii Dei devota mente muneribus : amicos Dei victores secli coheredes Christi spirituales medicos : medendi cura industrios Cosmam et Damianum fratres dilectissimi deprecemur : ut omnigene infirmitati nostre : et medendi prerogent curam : et visitandi non auferant gratiam. Quo per eos consolemur positos in dolore : qui medicamento tacti justicie : ad suscipiendam insuperabiles facti sunt passionem. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus sanator noster et medicus sempiternus : qui Cosmam et Damianum inconcusse fide : insuperabiles in virtute fecisti : ut per suscepta vulnera vulneribus mederentur humanis. Qui ante passionem ex terreno medicamine : salutem operati essent in populis. Hos quesumus nostris infirmitatibus 386 et custodes et medicos deputa. Per eos sanentur infirma. Per eos non recrudescant sanata. Per hos corpora : per hos anime medicinam adquirant. Hi tipicis anime egritudinibus finem : hi patulis celerem impendant egrimoniis sanitatem. Hi putredines vulnerum orationibus defecent : hi manu precationis : abdita vulneratorum expurgent. Hi virtutem invalidis : roborem fessis : victum egenis : subventionem viduis : defensionem orphanis : tuitionem largiantur pupillis. Hi miseris humanis medelam inlaturi : occurrant : hi pressuris hominum concita levigatione subveniant. Hi etiam sic nos hic a peccati morbo servent inlesos : ut ad celestem perducant patriam coronandos. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Recte Domine per hos Martyres tuos populis attribuis gratiam sanitatum : qui insuperabiles in passione probati sunt. Ex hoc igitur tuam oblatis victimis clementiam imploramus : ut

unum tantum, quod contendit Baronius ; ego sane puto Cosmam et Damianum quos Romæ et in Occidente colunt, Romanos esse martyres quibus Acta martyrum Arabum attribuerunt quod aliis quoque martyribus contigit. Neque omittendum Cosmam et Damianum in Canone Romano quotidie recitari.

[a] *Et immedendi.* Lege *et in medendi arte effectum.*

[b] *Cap. LXI.* Vers. 6-10.

[c] *Vos omnes.* Vulg. et LXX, *vos autem.*

[d] *Superbi estis.* Vulg., *superbietis.* LXX : *Et in divitiis eorum eritis admirabiles.*

[e] *In holocaustum.* Vulg., *in holocausto.* LXX, *ex iniquitate.*

[f] *Psallendo.* Ps. L, 13. ℣. Ibid., 14.

[g] *Cap. VIII.* vers 28, ad finem capitis.

[h] *Magnificavit.* Vulg., *glorificavit.*

[i] *Separamur.* Vulg., *separamus.*

[j] *Principatus.* Vulgata addit : *Neque virtutes.* Græca, *neque potestate*, οὔτε δυνάμεις.

[k] *Missa.* Cixila Toletanus episcopus scribit sanctum Hildefonsum, cum esset abbas monasterii sanctorum Cosmi et Damiani, *duas missas in laudem ipsorum divorum, quas in festivitate ipsorum psallerent, miro modulationis modo perfecisse* (*Cixila, in Vita S. Hildeph., apud em. de Aguirre, Conc. Hisp., t. II, pag.* 658).

hoc oblatio et viventibus gratie donum : et sepultis eterne quietis conferat refrigerium. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Mirabilis es Deus : mirabilis et preclarus : qui Sanctis Cosme et Damiano effectus adjutor fortis : non eos passus es adversantium interimi lapidibus vel sagittis. Nec enim fas erat : ut sublimitate crucis erectos : tela inimici redderent vulneratos. Pro quo pietatis tue cum tremore audentes clementiam postulamus : ut nos ista majestas tua premuniat : quo nullis odiorum jaculis tacti : tibi qui verus lapis es : per pacis bonum mereamur sine fine conjungi. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum : qui sanctis gloriosisque Martyribus Cosme et Damiano geminas contulit ante mortem coronas : dando illis et [a] immedendi arte affectum : et victoriam per supplicium. Illi namque curationum compotes facti : hinc fesso medentur alieno corpori : illinc infirma sui affligunt corpora [b] crucifigi. Hinc aliorum infirmitates curant : illinc proprias egritudines tolerant. Alieno [c] malama conferunt vulneri : se ultronee subjiciunt passioni. Alterorum cruciatus [d] exurunt : et spontaneis se passionibus tradunt. In alienis perimunt : quod in se obvenisse letantur. Aliorum salutem signis virtutum : suam cumulant stigmatibus passionem. Aliorum egritudines verbo : suas temporali expiantes supplicio. [e] Illorum medicaminibus probis : suas passionibus improbis. Aliorum morbis aque tepentis potione medentur : sibi marinis melius immergi gurgitibus consulunt. Per quos te Deus Pater rogamus : et petimus : ut anime atque corpori nostro : horum interventu salutem impertiens : et vita nostra incentivorum careat morbis : et desiderium concrescat spiritualibus documentis. Cui merito omnes Angeli : et Archangeli non cessant clamare quotidie una voce dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui predictos Martyres suos et medicaminis arte industrios : et crucis efficit in patibulo gloriosos. In utroque igitur capitis sui imitantes exemplum : et curationum enitent gratia : et crucifixionis mulctati sunt pena. Sic sic delitescenda virtus Martyrum : que terris occulitur : in crucis porrecta patibulo exaltatur. Tenuit illic humilitas in abditis : ne vanitati patesceret : quod hic crux patule omnibus ammirandum fore monstraret. Nec tamen hoc cruciatu Martyrum elabitur vita : quo sua mortificare redemptor voluit membra. Ut quibus cruce [f] crucifixi : membra permittebant in cruce positi : non deficerent : sed gauderent. In te Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Facta Domine commemoratione Martyrum tuorum Cosme et Damiani : qui pro te nervis cesi : marinis fluctibus dediti : flammis injecti : eculeo impositi : cruci affixi : et per passionem invicti : et triumphatores exstiterunt per mortem. **387** Te votis supplicibus imploramus : ut in hoc eorum venerabili festo oblatas tibi victimas sereno vulto respicias : sumentibusque ex eis Sancti Spiritus lumen infundas. Quo in hoc die passionis eorum : sit populo fideli spiritalis leticia : et gaudia tribuantur eterna. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus qui ad salutem humani generis filium tuum destinasti ad terras : cujus exemplum predicti Martyres : et virtute miraculorum : et passione ipsa secuti sunt : respice nos horum propiciatus suffragio : et confessionis proprie voto. Per hos infirmo nostre subveniens corpori : quos spirituales medicos elegisti. Quo nostra his intervenientibus a te accipiatur oratio : quibus curationum attributa est optio. Ut per hos medicamine divino compuncti a te cum oraverimus mereamus ocius exaudiri. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Divina vestris precibus clementia faveat : que Sanctos suos Cosmam et Damianum crucifixione glorificavit corporea. ℟. Amen. Hos quoque deputet suffragio pereuntium : quos prerogatores esse voluit sanitatum. ℟ Amen. Quo eorum precibus a corruptione loti : a vulnere sanati corde : et corpore : regna cum illis mereamini celestia possi-

[a] *Immedendi.* Lege, ut supra, *et in medendi arte effectum.*

[b] *Crucifigi.* Lege *illinc infirma sua affiguntur corpora cruci.*

[c] *Malama.* Lege *malagma.*

[d] *Exurunt.* Forte, *exhauriant.*

[e] *Illorum.* Num, forte, *ILLorum*, hoc est *N. N.*? et hoc loco eorum nomina recitabant qui ope martyrum salutem adepti erant. Sane insolens non erat eorum nomina palam recitare qui sanitatem aliave peculiaria beneficia a Deo, intercedentibus sanctis suis, consecuti fuerant (*S. August., de Civit. Dei, lib.* XXII, *cap.* 7, *n.* 21, *Ed. Maur.*). Nec tantum recitando nomina eorum in quorum gratiam patrata fuerant Dei miracula manifestare gaudebant fideles, sed vota etiam in ecclesiis appendebant, quibus eadem omnibus, etiam idiotis, ob oculos ponere gestiebant. Hujus rei testis est luculentus Theodoretus, in libro octavo de Græcarum affectionum Curatione, ubi circa finem, cum plura dixisset de gratiis curationum, aliisque miraculis quæ Deus per martyres suos patrare solebat, et de fiducia qua solebant prisci fideles basilicas martyrum oraturi adire, subdit : *Pie vero fideliterque precatos ea maxime consequi quæ desiderant, testantur illa quæ, votorum rei, dona persolvunt, manifesta adeptæ sanitatis indicia; nam alii quidem oculorum, alii vero manuum simulacra suspendunt, ex argento aurove, aliave materia confecta; gratissime namque accipit eorum Dominus qualiacunque sunt dona, nec exigua nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis animo facultateve metitur. Hæc autem omnium oculis exposita, testantur morborum depulsiones, quarum sunt certissima signa, a sanitate consecutis allata, et quæ sit sepultorum ibi martyrum virtus ostendunt. Martyrum autem virtus quem ipsi coluerunt Deum verum esse Deum declarat.* Hæc ille sui sæculi disciplinam referens, unde notandum consuetudinem appendendi vota in ecclesiis, non a paganis, ut quidam volunt, sed a priscis fidelibus, ad nos pervenisse.

[f] *Crucifixi.* Lege *affixa.*

dere. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Deus sanator noster et medicus sempiterne : qui Cosmam et Damianum inconcussos fide : et insuperabiles in virtute fecisti : ut per suscepta vulnera vulneribus mederentur humanis : qui ante passionem ex terreno medicamine : salutis opera essent in populis : hos quesumus nostris infirmitatibus et custodes et medicos deputa. Per eos sanentur infirma : per eos adquiratur anime medicina. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

[a] IN FESTO SANCTORUM FAUSTI JANUARII ET MARCIALIS.

Ad Missam Officium.

Dabo Sanctis meis. *Quere in festo Apostolorum Petri et Pauli. fol.* 334.

Oratio. Letifica Domine populum : in hac celebritate beatissimorum Martyrum tuorum Fausti Januarii et Marcialis : ut qui de nostris peccatis contristamur : eorum orationibus consolemur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Sapientie Salomonis ([b] *Cap. XVI*).

℟. Deo gratias.

Passi sunt [c] justi digne tormenta : et per multitudinem bestiarum exterminati sunt. Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum : quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui. Novum saporem escam parans eis [d] ortigometram. Ut illi quidam concupiscentes escam : propterea que illis ostensa : et missa sunt : etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Ili autem in brevi inopes facti : novam gustaverunt escam. Oportebat enim illis quidem sine excusatione : supervenire : in interitum exercentibus tirannidem. His autem tantum ostendere : quemadmodum inimici illorum exterminarentur. Etenim dum pervenit illis seva bestiarum ira : morsibus perversorum serpentium exterminabantur. Non in perpetuum permansit ira tua : sed ad correctionem in brevi turbati sunt. Signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tue. Qui enim conversus est : non per hoc quod videbat sanabatur : sed per te omnium salvatorem. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Psallendo.* Transivimus per ignem et aquam : et induxisti nos in refrigerium. ℣. Probasti nos Deus sicut probatur argentum : posuisti tribulationes in dorso nostro. *P.* Et induxisti.

Dicat Presb. Silentium facite.

Epistola. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi pater misericordiarum. *Quere in festo sancti Christofori et comitum. fol.* 349.

388 *Evangelium.* Nihil opertum quod non reveletur. *Quere in communi plurimorum Martyrum. fol.* 428.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Lauda.* Alleluja. ℣ Ambulabunt Sancti gaudentes : velut agni pleni pascue : alleluja.

[g] *Sacrificium.* Locutus est Daniel Ananie Azarie et Misael : queramus misericordiam a facie Dei omnipotentis super sacramento isto. Tunc Danieli revelatum est mysterium et benedixit Deum : alleluja. ℣. Throni positi sunt : et antiquus dierum sedit : vestimenta ejus quasi nix candida : et capilli capitis ejus sicut lana munda : thronus ejus flamma ignis : rote ejus ignis accensus : fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie Dei : millia millium ministrabant ei : et decies millia centena millia assistebant ei : judicium sedit : et libri aperti sunt. *P.* Super sacramento.

Missa. Inlustrem atque triumphalem passionis diem : Martyrum Dei : Fausti : Januarii : et Marcialis : cum summa veneratione celebremus dilectissimi fratres : Deum Patrem omnipotentem humiliter exorantes : atque ante aulam sacrarii sui cum tremore adstantes. Legatione siquidem fungimur impositi officii : pro nostris peccatis non idonei cogimur interpellare pro sceleribus populi deliquentis.

[a] *In festo.* Die IV Kal. Octobris in Missali Mozarabum propria missa et in Breviario officio proprio coluntur martyres Cordubenses Faustus, Januarius et Martialis, de quibus eodem die IV *Kal. Oct.* agunt Romanum Parvum : *Cordubæ, Fausti, Januarii, et Martialis, martyrum* ; et exinde Ado, Notkerus, Florus, et Wandelbertus in suis Martyrologiis ; at Usuardus, et, ex eo, Martyrologium Romanum Baronii, Hieronymiana secutus, eosdem VIII Octobris commemorant qua die Wandelbertus de iis rursum agit. Acta sanctorum Fausti, Januarii et Martialis reperiuntur die 13 Octobris, apud Tamaium (*In Martyrol. Hisp. tom. V, pag.* 514) et apud Dn. Th. Ruinart (*Act. Martyr., pag.* 597) præfatiuncula posteriori manu addita videtur : Acta ipsa aut præsidialia sunt, aut certe e præsidialibus deprompta, et congruunt cum iis quæ in Missali et Breviario nostro leguntur. Tillemontius (*Tom. V, pag.* 796) opponit sanctos se sponte periculo objecisse, et injuriosa verba contra præsidem protulisse, sed hæc, cum in Actis maxime probatis inveniantur, et alia pauca quæ ibidem congerit, auctoritati Actorum istorum officere nequeunt, maxime apud peritos harum rerum judices. De tempore martyrii innuunt Acta illud contigisse cum plures simul principes reipublicæ præessent. Horum sanctorum corpora, anno 1577, in cathedrali ecclesia Cordubensi reperta sunt.

[b] *Cap. XVI.* Vers. 1-9.

[c] *Justi.* Vulgata, *digne.*

[d] *Ortigometram.* Lege *ortygometras*, coturnices majores. Confer Numer. XI, 31.

[e] *Psallendo.* Ps. LXV, 12. ℣. Ibid.

[f] *Lauda.* Ex Sap. XIX, 9.

[g] *Sacrificium.* Danielis II, 17, 18, 19. ℣. Ibid., VII, 9.

Non est itaque nostre presumptionis quod agimus : sed sui est imperii quod audemus. Rogemus ergo ut mundans me indignum famulum suum a delicto proprio : veniam concedat [a] confitendi populo suo : et sanctificet hodie sacrificium in honore predictorum Martyrum suorum super suo altario positum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Digna Domine Deus noster laus debetur Martyribus tuis : digna veneratio militibus tuis certis : dignum obsequium impendi debet fidelibus amicis. Tres hodie voluerunt mori : ut viverent : voluerunt occidi : ut regnarent : voluerunt [b] crucifigi : ut gehenne cruciatus evaderent : et divitias regni celestis perpetuo possiderent. O beatum consilium : quod inter tormenta et penas non est mutatum : sed sic Faustus Januarius et Marcialis : toto animo et corde confortati sunt per Spiritum Sanctum : ut hodie vincerent diabolum : calcarent seculum : et mente et corpore sequerentur Regem eternum. Quorum expetimus interventu : ut per ipsos prebeas te nobis Domine Deus noster propicium : et infundas super nos multimodas misericordias benedictionum tuarum. ℟. *Chorus.* Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui unum in trinitate possides nomen : oblatas tibi in hoc tuorum trium Martyrum festo has oblationes assume. Quo et offerentibus ad salutem : et defunctis proficiat ad quietem. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Assistite nobis Sancti Martyres Dei : in quibus trina et indivisa charitatis societas : ignis est conflatione probata. Vestris quesumus suffragiis prebete nostris finibus pacem : et cunctis inconvulsibilem charitatem. Ut vestro interventu : cuncta in pace permaneant : que in hoc die passionis vestre copiose exultant. ℟ Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi gratias agere Trinitas Deus : per Jesum Christum Dominum nostrum : qui semper impari numero gaudens : in campum gloriosi certaminis tres hodie signiferos coronavit : ut nullus eorum dissonaret a fide : sed Marcialis faceret quod Januarium [c] vidisset : Januarius sequeretur Faustum celestia invadentem. Sic tres Trinitatis fide [d] repleti : tirannicam superbiam calcaverunt : vana idola spreverunt : pompam seculi contempserunt : et ad celestia regna ipso Domino nostro filio tuo duce migraverunt. Tuum est Domine totum quicquid agitur bonum : tu vincis in homine : tu victor semper existis cum homine. Tu in tali prelio auctor es : tu hujus certaminis arma es : tu in tam gloriosa pugna virtus es. Tu in omnibus vincis : et magnitudinis victorie palmam concedis. In probatorum itaque Martyrum tuorum honore : dignum majestati tue laudis sacrificium offerentes : sanctificetur quesumus holocaustum tuo altario impositum : per signum filii tui : per descensum Spiritus Sancti : per presentiam **389** Angeli deputati. Sit tibi acceptum. Sit tibi gratum. Sit tibi sanctum. Venerabile gloriosum et pingue et vivum vitale et igneum. Unicuique nostrum cum degustaverimus : [e] carbo igneus efficiatur : quem vidit Esayas propheta Angelica manu : forcipe abstractum ab ara : labia nostra mundet : immunda polluta peccatis nostra tibi sanctificet corda. Sit credentibus vita. Sit confitentibus venia. Sit tristantibus leticia. Sit egrotantibus sanitas. Sit malagma. Sit mortem timentibus vita. Sit ab errore redeuntibus bona via. Et languori anime atque infirmitati carnis a te Domino nostro confecta sancta et perpetua medicina. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Cujus vestigia hi tres inconcusso gradu fidei secuti sunt Martyres : Faustus fautor Patris legibus : Januarius januam vite adeptus : ac Marcialis Martyris sacra in probando potissimus. Hi vere servi Christi : et coheredes Regni : dum hic temporalis pene damno mulctati sunt : celesti in regione locati : palmas victorie acceperunt. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post nomina. Oratio. Indivisa Trinitas et una majestas : que predictorum Martyrum hodie in passione laudaris : et presentium sacrificiorum litatione placanda ascisceris : te vocibus : votis : et orationibus imploramus : ut que illis inexpugnabilem tribuisti devicto hoste victoriam : hec nostra sanctifices propiciata oblata. ℟. *Chorus.* Amen.

Ad orationem Dominicam.

Conserva nos Deus in timore nominis tui : qui societatem trium Martyrum tuorum Fausti : Januarii : et Marcialis : inimici persuasionibus non passus es dividi. Quique illorum animas post eculeum inter flammas suscepisti : nostras post voces libitum carnis inter commotiones seculi fluctuantis exaudi : cum ad te nunc ea proclamaverimus : que nobis ipse instituisti. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Intercessu Martyrum suorum Fausti. Januarii : et Marcialis : vos Trinitas tueatur altissima : que in illis tribus : se demonstravit unitas indivisa. ℟. Amen. Sicque Faustus vestris precibus faveat : ut Januarius januas vobis eterne vite aperiat. ℟. Amen. Quo ita Marcialis obtentu : seculi respuatis inlecebras : ut Christo judicante : immar-

[a] *Confitendi.* Lege *confitenti.*

[b] *Crucifigi.* Hoc est in equuleum tolli, non enim cruce, sed igne martyrium consummarunt. Equuleus nonnunquam figuram crucis habebat, sive litteræ T, hinc etiam crux dicta.

[c] *Vidisset.* Forte addendum *facientem.*

[d] *Repleti.* In Actis horum martyrum Martialis legitur dixisse : *Confitendus et laudandus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.*

[e] *Carbo igneus.* Eucharistia non raro Orientalibus *carbo* dicitur, et in liturgia Græca sancti Jacobi Christus *duplicis naturæ carbo* appellatur.

cescibiles percipiatis pro sancta conversatione coronas. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore. *Require in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Domine Jesu Christe : cujus potentia sancti Martyres tui : rotantem ignis impetum [a] extinxerunt : et justiciam operati sunt : peccatoribus nobis favorem tue pietatis imperti. Ut per fidem qua s ncti vicerunt regna : per eam peccatores celestem mereamur obtinere coronam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est etc.

[b] IN FESTO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

Ad Missam. Officium.

Dabo Sanctis meis. *Quere in festo Apostolorum Petri et Pauli. fol.* 334.

Oratio. O Michael princeps exercitus Angelorum : veni quesumus ad liberandas animas fidelium populorum. Ut et justi justiciam obtinendo : in bonis semper fructificent : et injusti ad penitentiam conversi : veniam accipere non desperent. Sicque nos invicem provocemur in melius : ut premium consequi mereamur eternum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Apocalipsis ([c] *Cap. XII*)

Illis in diebus. Factum est prelium magnum in celo. Michael et Angeli ejus preliabantur cum dracone : et draco pugnabat et Angeli ejus : et non valuerunt : neque locus inventus est eorum amplius in celo. Et projectus est draco ille magnus : **390** serpens antiquus : qui vocatur diabolus et sathanas : qui seducit universum orbem : et projectus est in terram : et Angeli ejus cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in celo dicentem : nunc facta est salus et virtus : et regnum Dei nostri et potestas Christi ejus : quia projectus est accusator fratrum nostrorum : qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte : et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni : et propter verbum testimonii sui : et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea [d] letamini et qui habitatis in eis.

℟. Amen.

[a] *Extinxerunt.* Alludit ad illud Apostoli (*Hebr.* XI, 34) cum hi tres moriendo in igne dicuntur exstinxisse ignis impetum.

[b] *In festo.* De sancto Michaele archangelo silent Missale Gallo-Gothicum et Capitularia Ambrosianum em. Thomasii ; ejus tamen et aliorum sanctorum angelorum cultus vetustus est in Ecclesia, neque illum reprehendit Apostolus (*Ad Cor.* II, 18), aut concilium Laodicenum (*can.* 35), ut vel ex ipsis Scripturæ et concilii verbis facile eruitur, sed pravam Cerinthianorum superstitionem damnant. Græci sanctum Michaelem et sanctos angelos die octava Novembris solemniter venerantur (*Menol. Basil.*, *Ephem. Græc.-Mosc.*, *Martyrol. Severi Metricum*). Frequentes autem exstitisse basilicas sancto Michaeli dicatas e lege *Quondam* (*Cod. Just.* 16, *de Sacrosanc. Eccles.*) liquide colligitur. Harum una, haud procul Bisantio, Constantini Magni tempore, stabat, in qua apparitiones et crebra fiebant miracula, ut scribit Sozomenus (*His. Eccl. lib.* II, *cap.* 3, *Edit. Vales.*). In Occidente autem celebris erat dedicatio basilicæ sancti Michaelis via Salaria, septimo ab Urbe lapide sita (*Vid. Bed. Genuin.*, *apud Bolland. tom. II Marti.*). Hujus dedicationis festivitas die 30 Septembris in Sacramentario sancti Leonis Blanchinii commemoratur *pridie Kalendas Octobris N* (natalis) *basilicæ angeli via Salaria*, at in Sacramentariis Gelasiano et Gregorianis signatur 29 Septembris, quo die Capitularibus Evangeliorum Georgii et Thomasii, et Kalendario Frontonis inscribitur. Nam in antiquioribus ists libris liturgicis Romanis crediderim potius sermonem esse de basilica angeli via Salaria, quam de basilica ejusdem in monte Gargano, et hinc in quibusdam Martyrologiis, in quibus de utraque hac dedicatione fit mentio, primum locum occupat dedicatio basilicæ in via Salaria. Lucense Florentinii, III Kal. Oct. : *Romæ, dedicatio basilicæ angeli Michaelis, vel* (id est, *et*) *in monte qui dicitur Garganus, ubi multa mirabilia Deus ostendit*. Corbeiense brevius, III Kal. Octob. : *Romæ, milliario* 6 (forte 7), *dedicatio basilicæ angeli Michaelis, vel in monte qui dicitur Garganus* ; nam sæculo IX celebris adhuc erat basilica sancti Michaelis in Salaria, ut ex Anonymo, apud Eckartum (*De Reb. Franc. Orient.*, *tom. I*, *part.* II, *pag.* 831) habemus, qui loca sacra juxta Urbem Romam sita enumerans, inter alia via Salaria hanc quoque ecclesiam sancti Michaelis *septimo ab Urbe milliario positam recenset*, at, gliscente fama miraculorum quæ in monte Gargano patrabantur, in plurimis Martyrologiis et libris liturgicis de sola dedicatione basilicæ archangeli in Gargano mentio occurrit. Corbeiense Dacherii III Kal. Octob. : *Dedicatio basilicæ sancti Michaelis in monte qui dicitur Garganus*. Antissiodorensis Ecclesiæ, III Kal. Octobris : *In monte Gargano venerabilis memoria sancti Michaelis archangeli, ubi multa miracula Deus ostendit*. Cui in aliquibus, adjungitur dedicatio ecclesiæ, vel oratorii, sancti Michaelis in urbe Roma a Bonifacio IV facta, omissa prorsus dedicatione basilicæ angeli, via Salaria, quæ ob distantiam ab Urbe jam minus frequentabatur. In Hispania quoque, ob dedicationem ecclesiæ cujusdam in honorem sancti Michaelis, ejus festivitas quotannis celebrabatur. An Gotho-Hispani hanc solemnitatem die 26 Septembris celebraverint, an alia die, incertum mihi est : haud tamen negaverim credibile esse solemnitatem sancti Michaelis, quæ alia fortasse die antea agebatur, a Mozarabis in diem 29 Septembris translatam esse, ut aliarum Ecclesiarum consuetudini sese accommodarent. Nam inde ab anno 813 concilium Moguntinum (*Can.* 36) inter alias festivitates *diem dedicationis sancti Michaelis* enumeraverat, eamdemque Herardus Turonensis, Capitulario suo, anno 846 edito (*Cap.* 16) inseruerat. Non alia de causa, hisce decretis statutum esse reor ut dies sancti Michaelis celebretur 29 Septembris, quam quia ea die dedicatio basilicæ in monte Gargano commemorabatur. Eamdemque ob causam dedicatio basilicæ in via Salaria, quæ die 30 Septembris apud sanctum Leonem in Sacramentario celebratur, in Gelasiano et Gregorianis Sacramentariis; et in Capitularibus Evangeliorum omnibus die 29 recolitur; sed, quod pene omiseram, animadvertendum est ante concilium Moguntinum festum sancti Michaelis in Gallia, saltem in quibusdam Ecclesiis, celebratum esse, ut suadet Sacramentarium Bobianum in quo exstat missa propria *in honore sancti Michaelis*, quæ Missam communem *in Dedicatione* Ecclesiæ consequitur.

[c] *Cap. XII*. Vers. 7–17. In Sacramentario Bobiano hæc prophetia, pro Epistola, legitur in missa sancti Michaelis.

[d] *Letamini*. Vulgata addit *cæli*.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

[a] *Psallendo.* Confitebuntur celi mirabilia tua Domine : et veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum. ℣. Quoniam quis in nubibus equabitur Domino? aut quis similis erit Deo inter filios Dei? *P.* In Ecclesia.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Thessalonicenses (II, cap. [b] I).

℟. Deo gratias.

Fratres. Gratias agere debemus Deo semper pro vobis : ita ut dignum est. Quoniam supercrescit fides vestra : et abundat charitas uniuscujusque omnium vestrum in invicem : ita ut et nos ipsi gloriemur in vobis in Ecclesiis Dei. Pro patientia vestra et fide in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus : quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei : ut digni habeamini regno Dei : pro quo hoc patimini. Si tamen est apud Deum retribuere tribulationem : his qui vos tribulant : et vobis qui tribulamini requiem [c] vobiscum in revelatione Domini Jesu de celo cum Angelis virtutis ejus et in flamma ignis : dantis vindictam his : qui non noverunt Deum : et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. Qui penas dabunt in interitu eternas a facie Domini : et a gloria virtutis ejus : cum venerit glorificari in Sanctis suis : et ammirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. In quo etiam oramus semper pro vobis : ut dignetur vos vocatione sua Deus noster : et impleat omnem voluntatem bonitatis : et opus fidei in virtute. Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis : et vos in illo secundum gratiam Domini nostri et Dei Jesu Christi.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([d] cap. XXV).

In illis diebus. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Cum venerit filius hominis in majestate sua : et omnes Angeli cum eo : tunc sedebit super sedem majestatis sue : et congregabuntur ante eum omnes gentes : et separabit eos ab invicem : sicut pastor segregat oves ab hedis. Et statuet oves quidem a dextris suis : hedos autem a sinistris. Tunc dicet Rex iis : qui a dextris ejus erunt. Venite benedicti patris mei : possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim : et dedistis mihi manducare. Sitivi : et dedistis mihi bibere. Hospes eram : et collegistis me. Nudus : et cooperuistis me. Infirmus : et visitastis me. In carcere eram : et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes. Domine : quando te vidimus esurientem : et pavimus? Sitientem : et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem : et collegimus te? Aut nudum : et cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum : aut in carcere : et venimus ad te? Et respondens Rex dicet illis. Amen dico vobis : quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis : mihi fecistis. Tunc dicet et his qui a sinistris ejus erunt. Discedite a me maledicti in ignem eternum : qui preparatus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim : et non dedistis mihi manducare. Sitivi : et non dedistis mihi bibere. Hospes eram : et non collegistis me. Nudus : et non cooperuistis me. Infirmus et in carcere : et non visitastis me. Tunc respondebunt ei et ipsi dicentes. Domine : quando te vidimus esurientem : aut sitientem : aut hospitem : aut nudum : aut infirmum : vel in carcere et non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis dicens. Amen dico vobis : quamdiu non fecistis uni de minoribus istis : nec mihi fecistis. Et ibunt hi in **391** supplicium eternum : justi autem in vitam eternam.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Lauda.* Alleluja. ℣. Respice Domine de celo et vide : et visita vineam istam. *P.* Alleluja.

[f] *Sacrificium.* Regnum et potestas et magnitudo regni dabitur populo sanctorum : alleluja. ℣. Consurget Michael princeps magnus : et salvabitur omnis qui inventus fuerit in libro scriptus : et qui ad justiciam erudiunt multos : fulgebunt quasi stelle in perpetua eternitate : pertransibunt plurimum : multiplex erit scientia populo sanctorum : alleluja.

Missa. Communi voto et affectu connexi superno fratres charissimi [g] imploremus aspectum : cujus magnitudinis eminentiam humana non queit promere lingua. [h] Quia et ipsa cordis receptacula pensantur : ad agnoscenda superne majestatis judicia. Hoc solum nostro conceditur desiderio : ut ad solenne officium ardenti concurramus ex voto. Et subnixo genu cordis : petamus auxilium nostre salutis. Quia ausum nobis prebent suffragia summi nuntii salvatoris. Michaelis etenim Archangeli hodierni diei solenne [i] dedicamus : et excipimus festum : [j] quem devotus populus per ministerium alumnum obtinet immensi Regis : perfruendo aspectu. Hujus nos suffragatione quesumus Deus summe : facito tibi placere : cujus

[a] *Psallendo.* Ps. LXXXVIII, 6. ℣. Ibid., 7.
[b] *Cap. I.* Vers. 3, ad finem capitis.
[c] *Vobiscum.* Vulg., *nobiscum.*
[d] *Cap. XXV.* Vers. 31, ad finem capitis. In Bobiano legitur ex Matthæi XVII, 1-17, ubi de Transfiguratione Domini agitur.
[e] *Lauda.* Ps. LXXIX, 15.
[f] *Sacrificium.* Dan. VII, 27. ℣. Ibid., XII, 1, 2, 3.
[g] *Imploremus aspectum.* Hic aliquid deest; forte : *Dei Patris imploremus aspectum.*
[h] *Quia et*; forte : *Quia nec ipsa cordis receptacula pensantur* (id est, *sufficiunt*) *ad cognoscenda superne Majestatis judicia.*
[i] *Dedicamus.* Forte, *solemne dedicationis excipimus festum.* Constat enim ex hymno Breviarii festivitatem hanc celebratam fuisse die anniversaria dedicationis basilicæ in honorem sancti Michaelis.
[j] *Quem.* Locus corruptus; fortasse : *Quod devotus populus* frequentat, ut *per* ejus *ministerium almum obtineat immensi Regis perfruendo aspectu* præsentari.

famulatum tuo efficis indefesso obsequio permanere. A Ut quem elegisti principem militie Angelorum : digneris prelargire patronum ad tuendas animas populorum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Ecce fratres charissimi solennitas nobis hodie claruit summi nuntii : [a] quem olim quondam nostrorum meruit obtinere fides majorum. Quia cum sit ministerio eminens Angelorum : non habere animus [b] extuavit nostrorum : ut frueretur potius illius intercessione et sociorum. Nam cum in conditione omnium creaturarum individua Trinitas : [c] qui est unius deitatis sempiterna majestas : conderet Angelorum agmina : que primi operis lux est appellata : [d] eminentior Angelis qua preferretur ceteris. Superba turgidus voluntate : ruit profundior immanissimus omni crudelitate. Cujus animadversio sicut B auctori culpe applicavit interitum : ita permansuris in servitute donavit regnum beatitudinis indefessum. Tantoque solidior aucta est fides manentium : quanto crudelior facta est damnatio delinquentium. Amissa claritate interiit : qui humilitatem servare nequivit. Et sublimis in gloria pollet : cujus in ministerio perfectio manet. Apostata etenim Angelus ab eterna beatitudine projectus : factus est humano generi insidians inimicus : ne locum quem perdiderat gloria : humana potiretur. Fragilis glutinatio plasme : prius enim decepit quem sexu fragilem vidit : et per illam letale virus rudi et incauto obtulit viro. Cujus [e] protinus parens culpa juste damnationis intulit penam : [f] a quo disseminata ex illis progenies : ob noxam maneret abstricta. Sed vicit pietas Domini C creatoris : callidi anguis suadella [g] discipula ; et transgressoris ammissa piacula. Redemit enim misericorditer : quem dudum culpam damnaverat condecenter. Et libero arbitrio heredem contulit celo : quem olim fore beatum plasmaverat in paradiso. Namque prius conditus homo Angelorum fuerat societate locandus : si non fuisset inobediens factus. [h] Post vero suadenti obtemperat : et creatoris jussa relinquit : consortium Angelorum amisit. Quod quidem jam manet restauratum per Dei Patris omnipotentis Verbum : unicum [i] caro factum. In cujus incarnatione Angeli gloriam cecinerunt : et homines bone voluntatis consimili laude secum sociandos denunciaverunt. Horum ergo militie Angelorum Michael : eminentior manet in officio actionum. Ut ordinatim dispositi maneant in obsequio conditoris : et vota deferant populi communi omnium creatori.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Recensita Domine tuorum nomina famulorum : pietatis tue imploremus misericordie donum. Ut precum nostrarum [j] portionem tuum nuntium destines Michaelem. Ut petenda nos que congruunt : doceat : et petitioni nostre **392** ipse tibi intercessor adsistat. Ut vivis impetrando tutelam : defunctis adquirat requiem sempiternam.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Christe Dei fili : qui dissidium pacis : quod inter Angelos et homines objecerat nequam ille spiritus pravitatis : tue incarnationis mysterio restaurasti. Ut illi Angeli nunquam dilapsi reformatos per te ad gratiam homines conservos agnoscerent : quos extorres pridem per culpam sentirent. [k] Et qui se adorare prius non prohibebant : [l] postmodum ne fieret prolato clamore recusabant. Tanto itaque beneficio redempti quesumus : ne amplius in pristino lapsu decepti cadamus. Sed renovationem baptismi ita fide conservemus et opere : ut sanctorum Angelorum tuorum societati semper studeamus connexi manere.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : satis dignum et pulcrum est : te indivisa Trinitas et unius essentie : discreta personaliter : una Deitas conlaudare. Cujus imperio omnis subjacet creatura : et creatrici tue potencie creditam exhibet obsequelam. Ex quibus nos nimie exiguitatis pertenues audere cupimus : si valere possimus : ut a quo creati consistimus : licet non ut debemus : quia minus valeamus : sed tamen in quantum vires suppetunt : laudationis munera deferamus. Nam cum Deus Pater cum Filio Sanctoque Spiritu ante secula cuncta disponens : primam in creaturarum conditione Angelorum conderet electionem : utique [m] lucis lumine appellat : cum indefessi luce luminis perfruitur. Sed primus in Angelis conditus ab auctore suo : munere glorie decoratus. Dum non ei a quo acceperat deputavit quod pollebat : sed suo turgidus sublevatus conatu : ruit profundior

[a] *Quem.* Forte : *Quem defensorem olim quondam nostrorum meruit obtinere fides majorum.*

[b] *Extuavit.* Et hic locus corruptus; num forte : *Eum habere animus æstuat protectorem, ut fruatur potiore illius intercessione et sociorum?*

[c] *Qui.* Lege *quæ.*

[d] *Eminentior.* Lege *Lucifer eminentior angelis quo præfertur cæteris, eo superba turgidus voluntate* ruit profundior, etc

[e] *Protinus parens*; forte, *cujus protoparentes.*

[f] *A quo.* Lege *qua.*

[g] *Discipula.* Lege *decipula.*

[h] *Post vero.* Lege *postea vero quam suadenti*, etc.

[i] *Caro factum.* Lege *carnem factum.*

[j] *Portionem.* Lege *portitorem.*

[k] *Et qui se adorare prius.* Confer Gen. XVIII, 2; XIX, 3; Josue V, 15, et sæpe alibi.

[l] *Postmodum.* E sancto Gregorio (*Hom.* 8 *in* D *Evang.*, *n.* 2) tota hæc oratio desumpta est quoad sensum. *Quid est*, inquit sanctus pontifex, *quod ante Redemptoris adventum, angeli ab hominibus adorentur et tacent, postmodum vero adorari refugiunt, nisi quod naturam nostram quam prius despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, substratam sibi videre pertimescunt*, etc. Angelus (*Apoc.* XIX, 10) sancto Joanni, qui eum adoraturus erat, dixit : *Vide ne feceris; conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu : Deum adora.* At angeli non prohibuerunt Abrahamum, Loth et Josuem, ne ab iis adorarentur, ut sanctus Gregorius citatus urget. Angeli enim, post Incarnationem Filii Dei *sub se veluti infirmam contemnere* non audent naturam humanam, *quam supra se in cœlesti Rege venerantur.*

[m] *Lucis lumine.* Lege *lucis nomine appellantur.* Confer *sanctum Augustinum* (*De Civitat. Dei, lib.* XI, *c.* 9, *in fine*).

sub omni : quicquid constat esse creatum : cujus vicem glorie non superbie Michael adeptus est cum humilitate : ut illa celsa sublimaretur in arce : que creatori suo totum quod erat noverat deputare. Nec adhuc infidelis ille apostata Angelus se compescuit : dudum dannatus : sed [a] militie sue facibus accensus : prothoplaustorum beatitudinem invidendo : quibus [b] pene illos subdidit male suadendo : quibus a gaudiis paradisi exclusis : gavisum se fore arbitrabatur : ad sufferenda supplicia sociis adquisitis. Sed rediit in illis affectus pietatis : quos gravaverat plasma lutea corporalis. Ut ipse creator reformaret ex lapso : quem pridem juvenem plasmaverat ex limo. Nam quia deceptorem illum ad probationem hominum superna clementia pollicetur submittendum : ut augmentato malicie sue cumulo : attrocius [c] premeremur divino judicio. Ad cujus inferendam necem summum nuntium [d] inquit mittere Michaelem ; ut ejus districto rigore intereat princeps superbie : qui infirmus humilitate in obsequio conditoris studuit permanere. E celo missus : iniquum hostem perimens submittet in inferno : et ipse victor exultans victori plaudet : a quo victor manebit. Ecce quomodo superbia ruet : et humilitas gliscet. Superbia damnata in inferno perimitur : humilitas perfecta celorum gloria sublimatur. Discat queso : fratres charissimi : vestra benignitas : quantum valet perseverans humilitas. Que dum se ad futurum in cunctis subjicit creatori : ejus gratia aucta nomen participat conditoris. Michael enim dicitur : quis sicut Deus? Eo quod nullus facere audeat : quod faciat Deus : dum ad debellandas aereas potestates vice Domini mittitur : cujus nominis participationem meruit ex adoptione. Attentius charissimi si fas est pensate : quantum in imis superbia jacet : aut quantum in summo humilitas pollet. Nec reor vobis hoc absque munere delatum : quod vatum oraculis dudum maneat predicatum. Audite : cognoscite : cognito bonis operibus decorate. Sicque vos metipsos exhibete Dei ministros : ut illorum mereamini cetibus adunari ; quorum devote videmini solennitatem excolere. Dominus enim Deus noster consortium nobis pollicetur Angelorum : tantum si ei placeamus de exhibitione operum bonorum. Ipse enim prestat opera digna indignis : qui super omnia gloriosus regnat in celis. Cui merito omnes Angeli non cessant clamare quotidie : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

393 *Post sanctus.* Vere sanctus : vere in omnibus gloriosus Christus Dei filius. Cui innumerabilis obsecundat numerus Angelorum : quem togatorum immensitas conlaudat sanctorum. Qui Michaeli tuo nuncio primatum gratie contulisti : et populi tui defensorem constituisti. Ob cujus merita quesumus : presenti in seculo defensari : et ad te post transitum beatorum numero adunari. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Recolentes Christe Deus gloriose passionis tue mysterium : in quo debellandas aereas potestates : triumphare nos crucis tue vexillo de eorum nequiciis facis. Quia dum tu caput nostrum sublimaris in cruce : obstrusus quondam nobis reseratur aditus vite. Humanitas quippe tua ex terris assumpta : coeterna facta est Patri et Spiritui Sancto in secula. Ad te nos cum gemitu proclamamus : tibi et vota promimus : et mestitias propalamus. Tu enim nosti que desideramus : a quo ex nihilo plasmati maneamus. Nostro nos merito incusamus : qui ad te oculos digne erigere non audemus. Inde supplices flagitamus : ut precum nostrarum portitorem Michaelem Archangelum habere mereamur : qui te favente pacem fidelibus obtineat semper. Per hunc tempora quietem : et vite meliorationem. Per hunc Catholica Ecclesia firmitatem : et increduli fidei sancte percipiant credulitatem. Per hunc Pontificalis ordo aucto culmine polleat : et sublimatum apicem glorie virtutum meritis antecedat. Per hunc clerus floreat sanctitate. Per hunc monachi firmissimam obtineant religiositatem. Per hunc principum moderata in populis ira decreta consistant. Per hunc plebium fidelitas Catholice fidei munimine coalescat. Per hunc conjugati continentiam. Virgines studeant obtinere perseverantiam. Per hunc turgida mens se constringet freno humilitatis. Per hunc adquirant solamen spei : criminibus nimis desperati. Per hunc ad penitentiam lapsi : ad veniam rei : ad misericordiam sevi : ad patientiam veniant iracundi : per hunc vincti absolutionem : captivi liberationem : vidue habeant defensionem : pupilli tuitionem. Per hunc tumentes marinorum fluctus blandum navigantibus prebeant cursum. Per hunc naufragi optatum tranquillumque inveniant portum. Per hunc exul ad solum remeare valeat suum. Per hunc discordes pacem : concordes perseverantie charitatem. Per hunc infirmi medelam : defuncti obtineant requiem eternam. Et ita per hunc tua pietas beneficia nobis concedat quesita : ut repulsa omni adversitate : inlecebra celesti nos faciat exultare in patria. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Christum : Dei filium : cujus testimonio instructi manemus : eo quod una anima quemque ad suum tutamentum custodem habeat Angelum deputatum : quesumus : ut assidue nobiscum manente Angelo pacis : procul efficiatur refuga ille quondam Angelus auctor iniquitatis. Ut corde et corpore purificati : ad corporis et sanguinis sui sacramenta mereamur accedere beatificandi. Ut sic aurem cordis ad sua inclinemus precepta : ut semper ad eum fiducialiter clamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Militie.* Lege *malitiæ.*

[b] *Pene.* Lege *pœnis.*

[c] *Premeremur.* Lege *premeretur.* Totus hic locus corruptus est; forte : *Nam deceptorem hominum ad probationem hominum pollere permittit, ut augmentato malitiæ suæ cumulo*, etc.

[d] *Inquit.* Forte, *libuit*, id est, placuit mittere.

Benedictio. Benedicat vobis omnipotens Deus Jesus Christus Dei filius Rex eternus : et misereatur vestri. ℟. Amen. Mittat vobis Angelum suum Sanctum Michaelem : qui custodiat corda et corpora vestra. ℟. Amen. Maneat pax Domini nostri Jesu Christi vobiscum : ut in lumine pacis ambuletis : et in numero Sanctorum computati sitis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et. *Require in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Tuam clementissime Pater supplices exoramus clementiam : ut hodierna solennia que pro beatissimi Archangeli tui veneratione suscepimus : ipse tibi commendes. **394** Et sicut illi coronam sancte perfectionis tribuisti : ita nobis eius intercessione omnium delictorum veniam et indulgentiam largiaris. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

In festo Sancti Hieronymi Presbiteri et Confessoris : Omnia dicantur unius Confess. fo. 432.

Verissimi et Maximi et sociorum ipsorum : Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 436.

Leodegarii Episcopi et Martyris : Omnia ut unius Martyris Pontificis. fo. 423.

In festo Sancti Francisci Confessoris : Omnia unius Confess. fo. 432.

Marci Episcopi et Confessoris : Omnia unius Conf. Pontificis: Ut supra.

Sergii et Bachi et Marcelli Martyrum : Omnia plurimorum Mart. fo. 426.

Dionysii sociorumque ejus Martyrum : Omnia plurimorum Martyrum. Ut supra.

Geraldi Confessoris : Omnia dicantur unius Confessoris. fo. 432.

Calixti Pape et Martyris : Omnia dicantur unius Mart. Pontificis. fo. 423.

Unfraui Episcopi : Omnia dicantur unius Confessoris Pontificis. fo. 432.

Victoris Martyris : Omnia dicantur unius Martyris. fo. 424.

Lupi Episcopi Confessoris : Omnia dicantur unius Conf. Pont. fo. 432.

In festo sancti Luce Evangeliste : Omnia dicantur unius Confessoris. fo. 432. *addendo nomen ipsius Luce Evangeliste.*

Sancte Herene Virginis et Mart. Omnia dicantur unius Martyris. fo. 424.

Sancti Caprasii Martyris : Omnia dicantur unius Martyris. fo. 424.

Ursule et undecim millium Virginum : Omnia dicantur plurimarum Virginum. fo. 438.

[a] *In festo Sanctorum Servandi et Germani. Ad Missam.* [b] *Officium.*

Deduxit eos Dominus in viam rectam : alleluja. Ut irent in civitatem habitationis : alleluja : alleluja. ℣. Benedicti vos a Domino qui fecit celum et terram. *P.* Ut irent. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. Amen. *P.* Ut irent in.

Oratio. Deus qui sanctis tuis Servando et Germano tantam gratiam in passione dedisti : ut insigniter apertum fidei vincerent hostem : qui primum spiritualiter in se bella sui corporis devicissent. Presta nobis auxilium de tua pietate firmissimum : quo muniti atque precincti : et rebellantem spiritui carnem valeamus compescere : et nos ipsos intrepidos studeamus bellis spiritualibus preparare. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Sancti iter fecerunt per deserta. *Quere in plurimorum Martyrum. fo.* 426.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Psallendo.* Anima nostra sicut passer erepta est de muscipula venantium. Laqueus contritus est : nos salvati sumus. ℣. Nisi quia Dominus erat in nobis : dicat nunc Israel. Nisi quia Dominus erat in nobis. Cum insurgerent homines in nos : forsitan vivos deglutissent nos. *P.* Laqueus contritus.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos ([d] *Cap. V*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Justificati ex fide : pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Per

[a] *In festo.* Die 23 Octobris apud Hispanos memoria Servandi et Germani martyrum celebratur, quorum in Missali Mozarabum exstat propria missa, et in Breviario officium. De iisdem hac die agunt Romanum Parvum, Adonis, Usuardi et Baronii Martyrologium Romanum, et præterea Tamaius de Salazar in Martyrologio Hispano (*Tom. V, a pag.* 621) de iisdem plura congerit. Eorum Acta quædam exhibet, et plures recentiores qui de iis mentionem fecerunt citat. Sed quæ certiora supersunt de his martyribus e Breviario et Missali nostro petenda sunt. Tradunt autem Servandum et Germanum ob fidei confessionem in carcerem conjectos, reddita pace Ecclesiæ, demissos fuisse; at postea, cum vitam asceticam viverent, atque verbo et exemplo plures a profano idolorum cultu averterent, iterum captos, post plura tormenta gladio cæsos esse; reliquias Servandi civitati Gaditanæ, Germani vero Emeritensi cessere. De tempore passionis nihil certi constat; fortasse Christum sub Aureliano primum confessi sunt, demum sub Diocletiano martyrii palmam adepti. In Actis apud Tamaium judex sub quo passi sunt Viator denominatur, *qui vicariam agebat præfecturam.* Erat scilicet procurator Cæsaris, cum jure gladii; qui procuratores vice præsidis dicebantur; de uno horum legimus in Actis sanctorum Perpetuæ, Felicitatis, Revocati, etc. : *Hilarinus procurator, qui tunc loco proconsulis Minucii Timiniani defuncti jus gladii acceperat, inquit*, etc.

[b] *Officium.* Ps. CVI, 7. ℣. Ps. CXIII, 15.

[c] *Psallendo.* Ps. CXXIII, 7. ℣. Ibid. 2, 3.

[d] *Cap. V.* Vers. 1-12.

quem accessum habemus per fidem : [a] in gratia in qua stamus et gloriamur in spe glorie filiorum Dei. Non solum autem : sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quia tribulatio patientiam operatur. Patientia autem probationem. Probatio vero spem. Spes autem non confundit. Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Ut quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est : [b] justus pro injustis? Vix enim pro justo quis moritur. Nam pro bono forsitan : et quis audeat mori? Commendat autem Deus suam charitatem in nobis. Quoniam si cum adhuc peccatores [c] essemus : Christus pro nobis mortuus est : multo ergo [d] magis justificati sanguine ipsius : salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus : reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus : multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem : sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum : **395** per quem nunc reconciliationem accepimus. ℟. Amen.

Evangelium. Cum venerit filius hominis in majestate sua : et omnes Angeli cum eo. *Quere in festo sancti Michaelis Archangeli. fo. 390.*

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Lauda*. Alleluja. ℣. O Domine salvos nos fac : o Domine bona prosperare : alleluja.

[f] *Sacrificium*. Venite benedicti Patris mei : percipite regnum : quod vobis paratum est ab origine mundi : alleluja. ℣. Cum venerit filius hominis in sede majestatis sue : et omnes Angeli cum eo : tunc fulgebunt justi sicut Sol in regno Dei. *P*. Alleluja.

Missa. Gloriosa Martyrum Servandi et Germani fratres charissimi hec dies illuxit : in qua ipsorum operatio fructuosa laboris : supremo gladii ictu invecta est in supernis. Dominum Deum igitur in horum passione laudantes rogamus : ut qui illorum instructione quam plurima idolorum sacra [g] comminuit : nos eisdem intercedentibus : calore fidei faciat ampliari. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui Sanctis tuis Servando et Germano tantam gratiam in passione dedisti : ut insigniter apertum fidei vincerent hostem. [h] Qui primum spiritualiter in se bella corporis sui devicissent : prebe nobis auxilium de tua pietate firmissimum. Quo muniti atque precincti : et rebellantem spiritui carnem valeamus compescere : et nespsos (*sic*) intrepidos studeamus bellis spiritualibus preparare. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Unigenite Dei fili : qui melius contritione cordis quam munerum oblatione placaris : preces nostras respice effusas pro viventibus ac defunctis : ut in hoc die quo predicti Martyres pro te vibrantis gladii mucrone disecti sunt : utroque a te congrua remedia nobis flagitantibus largiantur. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui Martyrum tuorum corpore unius glorie remuneratione indivise fruentia : divisis in regionibus locas : et Servandum Gaditano situi donas : et Germanum Emeritensium civibus accommodas. Presta nobis : ut gratie tue luce inluminati : et corporaliter divisi : unitatem retentemus dulcedinis : et collecti in unum redundemus munere charitatis.

℟. *Chorus*. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi gratias agere : Domine Sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Christum Dominum nostrum. Pro quo beati Martyres Servandus et Germanus corporaliter lacessiti : fames : vincula : carceresque vicerunt. Hos vita felix invictos reddidit in pena : humiles in conscientia : probabiles in doctrina. Hi predicant idolorum sacra [i] subverti : et solum adorandum Christum filium Dei. [j] Post primam igitur quam meruerunt de triumphato hoste victoriam : rursus ad ungulas et tormenta : rursusque ad penas rapiuntur atque supplicia. Non hos [k] labor itineris : non coangustatio carceris : non totius inlate terruerunt supplicia passionis : sed ambo campum fidei constanter adgressi : quod mercati sunt fide : adepti sunt passione. Exceperunt quippe sacris coruscum cervicibus gladium : et pro tuo Deus nomine viriliter animas posuerunt. Sicque parili alternoque mysterio : dum divisi sacris inlustrant corporibus terras : indiviso meritorum suffragio : et beneficia largiuntur populis et coronas. Unigeniti tui concedente clementia : cui merito omnes Angeli non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Do-

[a] *In gratia*. Vulg., *in gratiam istam*.

[b] *Justus pro injustis*. Hæc in Vulgata non leguntur.

[c] *Essemus*. Vulgata addit *secundum tempus*.

[d] *Magis*. Vulg., *multo igitur magis nunc justificati*.

[e] *Lauda*. Ps. CXVII, 25.

[f] *Sacrificium*. Matthæi XV, 34. ℣. Ibid., 31.

[g] *Comminuit*. Cum multos scilicet ad fidem ipsi convertissent.

[h] *Qui primum*. Hinc habemus hos martyres saltem post primam fidei confessionem vitam asceticam duxisse.

[i] *Subverti*. Quod de sacris privatis intelligendum; quilibet enim ad fidem conversus idola sua comminuebat, nam res paganorum sacras aut idola publica evertere, legibus Ecclesiæ vetitum erat.

[j] *Post primam*. Hinc habemus hos martyres in duplici persecutione versatos esse.

[k] *Labor itineris*. Non satis constat quando hoc iter susceptum erat; nam quod in Actis apud Tamaium legitur, Viatorem martyres Emeritæ primum tortos in Mauritaniam, quo proficiscebatur, secum adduxisse, sed mutata sententia, cum in agrum Gaditanum venisset, eos capite ibidem truncari jussisse, magnam habet difficultatem. Nam nec Viator ille, qui tantum procurator erat, reos secum in alienam provinciam (Emerita enim ad Lusitaniam, ager Gaditanus ad Bæticam spectabant) trahere poterat, et multo minus fas illi erat eos in aliena provincia morte multare. In Missali et in Breviario Mozarabum nulla fit mentio neque Urbis in quo capti fuerunt, neque loci in quo gladio cæsi.

minus noster Jesus Christus filius tuus. A quo et Servandus servaturus compos effectus est voti : et Germanus germine nobilitatus est fidei. Ambo quippe dum fructibus germinarent justicie conlate e celis : servati victorie : eternam perducti sunt ad mercedem. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Intende pie Pater in oblatis sacrificiis : et benignus adspira precibus nostris. Quique predictorum Martyrum predicatione : idolorum contrivisti funesta : hec **396** nostra tui opitulatione sanctifica holocausta. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

In hac tuorum Martyrum Servandi et Germani Christe Deus passione letantes : oblatis tibi victimis veniam te nostris dare flagitamus offensis. Poscentes : ut qui eorum gladii animadversione non terruisti constantiam : nostra eisdem intervenientibus et abluas crimina : et suscipias postulata : quia te jubente dicimus e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. *Chorus.* Et cum.

Benedictio. Servandi prece Christus Dominus in sui vos timore nominis conservet : et Germani obtentu germinare vos faciat : et semine multiplicari justicie. ℟. Amen. Horum quoque et [a] instrumento floreatis pariter et suffragiis : qui divisi corpore : indiviso fruuntur presentia veritatis. ℟. Amen. Ut ad instar eorum amabiliter vestris divinum suscipiatis cervicibus jugum : sicut illi suis pro Domino meruerunt suscipere gladium. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Quere in festo Corporis Christi. fo.* 267.

Com. Refecti Christi corpore : et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja.

Oratio. Deus filius Christe qui melius contritione cordis : quam munerum oblatione placaris : respice Deus ad preces serstorum (*sic*) tuorum : ut in hoc die quo predicti Martyres Servandus et Germanus pro te vibrantis gladii mucrone desecti sunt : utroque a te congrua remedia nobis flagitantibus largiantur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Fructi Confessoris :
Omnia dicantur unius Confessoris. fo. 432.

Crispini et Crispiniani Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. folio 428.

Vedasti et Amandi Episcoporum :
Omnia dicantur plurimorum Confessorum. fo. 431.

Vincentii Sabine et Christete :
Omnia dicantur plurimorum Mart. fo. 426.

[b] IN FESTO APOSTOLORUM SYMONIS ET JUDE.

Ad Missam. Officium.

Dabo sanctis meis : *et omnia alia dicantur ut in festo Apostolorum Petri et Pauli fo.* 334, *excepta Oratione et Missa.*

Oratio. Deus qui Sanctis Apostolis tuis Symoni et Jude durum martyrii gradum scandere et velle tribuis : et posse concedis : tu das voluntatis initium : tu operi largiris effectum. Exaudi nos famulos tuos : et tu nobis da [c] fervende devotionis initium : et tribue bone consummationis effectum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Missa. Sanctorum Apostolorum et Martyrum Symonis et Jude charissimi fratres : solemnia celebrantes : Salvatori Deo ac Domino nostro exhibeamus sacrificium laudis : eique abdita pandamus cordis : si-

[a] *Instrumento.* Forte, *instructione.*

[b] *In festo apostolorum.* Græci apostolos Simonem et Judam distinctis diebus colunt, Simonem die 10 Maii, Judam 19 Junii, et rursum eosdem cum cæteris apostolis die 29 Junii simul commemorant (*Menol. Basil., Ephem. Græc. Mosc.*). Latini vero in Martyrologiis eosdem simul die 28 Octobris celebrant : ita Apographa Hieronymiana, Gellonense, Bedæ Genuinum, Adonis, Usuardi, Romanum Parvum, et Romanum Baronii Martyrologium : prætерea in quibusdam Apographis Martyrologii sancti Hieronymi, ut in Corbeiensi Dacherii, et Richenoviensi, enuntiantur die 29 Junii simul cum apostolis Petro et Paulo ; in aliis vero, ut in Lucensi Florentinii, in Augustano, in Labbeano, in Corbeiensi Breviario et in Gellonensi signantur die 29 Junii et die prima Julii. In Sacramentariis Leoniano, Gelasiano et Gregoriano Muratorii, in Capitularibus Evangeliorum Georgii, in Kalendariis Frontonis, Martenii et Allatii, in Capitulari Ambrosiano Thomasii, nulla exstat mentio solemnitatis apostolorum Simonis et Judæ, neque Kalendario marmoreo Neapolitano insculpta est ; at die 28 Octobris in Missali Mozarabum apostoli Simon et Judas habent missam propriam et officium in Breviario. Missam quoque habent in Sacramentariis Gregorianis Pamelii, et Menardi, et die præcedenti in Sacramentario Menardi, et in Gellonensi signatur vigilia eorum, cum missa propria. Evangelistæ (*Matth.* xx, 3; *Marc.* III, 18) sanctum Simonem *Cananæum* appellant, quem sanctus Lucas in Evangelio (*Cap.* VI, 15) et in Actis (*Cap.* I, 13) Zelotem nominat, siquidem *Cananæus* idem significat atque *Zelotes*, teste sancto Hieronymo (*In cap.* X *Matth.*). Quem vero Matthæus et Marcus *Thaddæum* appellant, sanctus Lucas, in citatis locis, *Judam Jacobi* constanter appellat, qui etiam *Zelotes* apud sanctum Hieronymum (*Contr. Helvid. aliosque*) dictus est. Constans est Syrorum traditio binos exstitisse Thaddæos, sive Adæos apostolos, alterum e septuaginta discipulis, alterum e duodecim apostolis, et hunc etiam (quem 18 Octobris colunt) asserunt in Syria, Osroena et Mesopotamia, Evangelium prædicasse (*Asseman. Bib. Or. tom III, p.* II, *pag.* 13, *n.* 4). Cæterum an Simon et Judas apostoli fratres germani fuerint, an e fratribus Domini, an ambo dicti sint Simones, ambo Zelotes, an Simon is qui in episcopatu Hierosolymitano successit sancto Jacobo et qui sub Trajano passus est, sit Simon Cananæus, sive Zelotes, unus e duodecim apostolis, aliaque ad hos apostolos pertinentia, invenies discussa apud em. Baronium (*In Annal., tom. I, ad an.* 68), et in notis ad Martyrologium (*die* 28 *Octob.*) apud Florentinium, in notis ad Martyrologium Lucense (*Exercit.* 4, 5, *a pag.* 61), et Tillemontium (*Tom. I, a pag* 399, *et a pag.* 651).

[c] *Fervende.* Lege *fervidæ.* Eadem oratio in Breviario legitur.

mul et mentis : ut qui [a] in eorum habetur auctor victoria : dignetur se pium ostendere precibus nostris. Hi enim sunt charissimi : qui inter ceteros Sanctorum aggeres in laudibus sunt habendi : et colloquiis Domini ac Salvatoris nostri honore precipue celebrandi : [b] qui si pro Domino non interiissent sanguine fuso : solennes haberentur Domini sui doctrine documento. Sufficiens quippe erat illis : ad sanctitatis culmen ipsa frequens Domini visio : cum assiduo discipline documento. At cum illis inextimabilis et ineffabilis Spiritus Sancti datur infusio : et Ecclesiam primitivam instruunt : et corrigunt verbo : excellentior habetur illorum et mirabilis gloria : et eorum letior et vegetatior sancta Ecclesia suscipit incolenda solennia. Sed quantum ad rei magnitudinem et gratie gloriam [c] expectat : parum est et Dominum et magistrum suum corporaliter cernere : et ejus doctrinis per orbem universum mirabiliter fulgere. Quando usque adeo fidei gloria crevit : ut dulce fuerit pro eodem Domino sanguinem fundere. Et quod pro universis facere viderint magistrum : hoc illi faciendo ceteris reliquerint faciendi exemplum Solicita igitur in eorum festivitatibus convenire debet fidelium **397** [d] toga : et cum studio compunctionis eorum celebrare solennia. Excitentur corda suspiriis : et mens illorum doctrinis hilarior compungatur in gaudiis. Ut qui tanta valuerunt mirabiliter consequi : dignentur nobis jugiter adesse patroni. Et qui mirabiles effecti sunt per Christi doctrinam : dignentur meritis tueri Ecclesiam. ℟. Amen.

Alia Oratio. Magister omnium Apostolorum et doctor Ecclesie Christe : convenientibus nobis in honorem sanctorum tuorum Apostolorum et Martyrum Symonis et Jude : propicius adesse dignare. Fac nos eorum doctrine sequaces : fac amabiles : fac et docibiles : ut ab eis non inveniamur extorres : quos fidei scimus egregios educatores. Habeat cum illis spes nostra glorie premium : qui postquam magistri doctrinam fuderunt : meruerunt obtinere martyrium. Fulgeat Ecclesia illorum doctrina : quorum in illa habetur predicatio gloriosa. Adsint miseris nobis cum omnibus adjutores : qui Ecclesie mirabiles extiterunt Doctores. Doceant nos normam tenere justicie : quorum prædicationibus fulget Ecclesia ut Sol et Luna. Erigant lapsos ad penitentiam : qui eximii facti sunt per doctrinam. Impetrent peccatoribus scelerum veniam : qui doctrinis fundaverunt Ecclesiam. Conferant Regibus modestiam : virginibus perseverantiam : clericis disciplinam : laicis continentiam : certantibus in fide constantiam : qui quasi in mari navem predicationibus gubernant Ecclesiam. Ut qui illorum victoriis excitati : eorum solennia celebramus : eorum meritis a criminibus absoluti : ad te post transitum veniamus. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Fidelis Domine in verbis tuis et sancte in omnibus operibus tuis : occurre nobis pius : Sanctorum tuorum Symonis et Jude Apostolorum solennia celebrantibus. Et qui illis dedisti potestatem ejiciendi demonia per Spiritum Sanctum : tribue nobis ad te semper habere cor mundum et spiritum rectum. Detur abs te viventibus amor justicie : et defunctis post evasionem exilii : sessio beate vite. Qui in temporali permanent vita : illorum corrigantur doctrinis : et qui jam exuti sunt carne : illorum meritis mereantur annumerari cum Sanctis. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Pax indeficiens Christe et origo dulcedinis : qui pacem tuam tuis tradidisti discipulis : dignare hanc plenissimam effundere pectoribus nostris. Ut non sicut mundus dat pacem : pacifici conversantes : mandata tua aut per odium : aut per oblivionem relinquamus, sed in dilectione Dei et proximi radicati : in observatione mandatorum tuorum mercamur invenire perfecti. Ut pacis osculum inter nos decurrens : nos pacificos reddat : et per pacem ad te venire sine crimine faciat. Dulcedo pacis : odii in nobis amaritudinem vincat : et charitas multitudinem peccatorum operiat. Ut pax tua que tu ipse es exuperans omnem sensum : totius simultatis in nobis perimat vicium : et timorem foris mittentis charitatis conferat gaudium. Ut precibus Apostolorum tuorum et Martyrum in pace perenniter custoditi : per pacis concordiam habeamur beati. ℟. Amen.

Inlatio : Dignum et justum est omnipotens Pater : vere satis equum et pulcrum est : nos tibi gratias agere : et Jesu Christo filio tuo Domino nostro : qui tecum et cum Spiritu Sancto unus in deitate consistens : extremis mundi spiritibus carnem pro redimendis servulis sumpsit : et moriens ac resurgens : nobis omnibus patientie documentum reliquit. Qui Sanctos Apostolos discipulos suos ad predicationis officium eligens : patienter et humiliter docuit : eisque sustinendo injurias perfidorum : patiendi normam monstravit. E quibus sunt isti : quorum festa celebramus Sancti Symon et Judas : qui et doctrinis veraciter sunt edocti : et patientie virtutibus mirabiles inventi sunt et perfecti. Qui demonibus in idolis silentium ponunt : et iterum ad derisionem pontificum idola colentium : idola loqui precipiunt. Qui futuram esse pacem mundorum nunciant : et patienter stultorum contradictiones sustinent. Qui verbo demones ligant : et stultorum hominum injurias tolerant. Qui per patientiam ne aliquid mali inrisores **398** et adversarii paterentur exorant : et Christi sequentes vestigia non malum pro malo reddere : sed inimicos debere diligere predicant. Qui celo jam divites : terrenas et terrenorum divitias spernunt : et spiritu pauperes et beati : has pauperibus distribui suggerunt. Omni gladio ancipiti penetrabilior

[a] *In eorum.* Tolle illud *in*.
[b] *Qui si.* Lege *qui etsi*.
[c] *Expectat.* Lege *spectat*.
[d] *Toga.* Idem hic significat *toga* atque *concio*, scilicet frequens concursus populi, qualis ad tribunalia magistratuum, cum celebris aliqua causa a togatis, id est, a causidicis agitur, qua significatione, alibi in Missali nostro, et in sexti et septimi sæculi scriptoribus, adhibetur.

amor Christi : quis vel eorum qui sensu vigent hominum te eloqui possit ? quis de omnibus que in hominibus operaris : vel pauca verbis texere valeat ? Tantus et talis es : ut totus dici minime valeas : et tamen de te per omnia silere prohibeas. Ex hominibus illico Angelos facis : et de temporalibus quam subito ad eterna transducis. Ecce isti nostri Apostoli Sancti Symon et Judas electi de mundo : in mundum quasi mundum non noverint ; currunt : et necessaria vite retibus et mercimoniis requirentes : traditas sibi divitias spernunt : et non temporaliter divites : sed pauperes fieri eligunt. Ad extremum ne alii moriantur ; ipsi feliciter mori cupiunt : et Christi et Domini exempla sequendo : in virtute potentes persecutoribus cedunt. Mortui pro Christo et pro vendicanda veritate feliciter vivunt : et cum omnium turmis : cum celorum virtutibus exultant : et incessabiliter exclamant : et dicunt. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere gloriosus es in Sanctis tuis Christe Deus. Qui pro redimendis servulis : passionis ludibria sustines : et sustinentes Sanctos perpetuitatis decore glorificas. Das illis pro te et velle et posse voluntarie et mori : et passionum tolerantia quasi diadematum pulcritudine decorari : ut mundo dantes repudium : te solum et vite sue : et mortis habeant lucem. Quia tu es Deus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Amator et conservator Sanctorum omnipotens Pater : ecce super altare tuum in honorem Sanctorum Apostolorum Simonis et Jude : panis ac vini ab unigenito tuo Domino nostro [a] holocausta instituta proponimus : eaque Sancti Spiritus rore perfunde deposcimus. Dignetur quesumus super illa inlabi Spiritus Sanctus : dignetur illa sanctificata suscipere illorum institutor : tuus unigenitus filius. Ut quotquot ex illis libaverimus : non pro presumptione sustineamus vindictam , sed pro voto perfrui mereamur corona. Qualiter Christi Domini nostri filii tui perceptis sacrificiis communicantes : ad conspectum glorie tue perveniamus indemnes. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Omnis conventus Ecclesie : qui tolerantiam et virtutem Sanctorum Apostolorum et Martyrum Symonis et Jude audistis , mentis oculos mecum in intima ducite , et quid contemptus mundi valeat : pie perpendite. Ecce divitie dantur et respuuntur : ecce vindicandi de persecutoribus licentia conceditur : et contemnitur. Et hinc est quod demonibus imperandi facultas et finitur et obtinetur. Non alias namque diabolus vincitur : quam cum mundus cum suis opibus temnitur. Respuamus igitur temporalia : ut devicto diabolo premia possimus perfrui sempiterna. Et orationem quam nos docuit habitator in celis : liberi possimus clamare e terris. Pater noster qui es.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dei Patris unigenitus filius, qui Sanctis Apostolis suis Symoni et Jude potestatem dedit demonibus imperandi : gratia vos sua protegere et munire dignetur Spiritus Sancti. ℟. Amen. Et qui illis dedit ut contemptis divitiis : temporalem appeterent paupertatem : de presenti et temporali vita feliciter vos duci jubeat ad beatam. ℟. Amen. Ut qui pro illius amore : Sanctorum suorum memoriam recolitis : coram illo post cum eisdem in celestibus gaudeatis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Require in Festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

399 *Oratio.* Deus sub cujus altare Sanctorum Apostolorum Symonis et Jude anime placide requiescunt : et stolam candidam charitatis accipiunt : nos quoque famulos tuos in commilitonum numero fidelis promissor adjunge. Ut vita saltim nostra perveniat ad misericordiam : si mors non pervenerit ad coronam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Eustachii sociorumque ejus Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 428.

Bellum de Benamarim :
Omnia dicantur ut in Exaltatione sancte Crucis. fo. 475.

Claudii et sociorum ejus Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fo. 428.

Sancti Quintini Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fo. 424.

[a] *Holocausta instituta.* Modus loquendi huic simillimus occurrit in sancto Isidoro (*De Vocat. gentium, cap.* 26). Manifestum est autem Christum Dominum non instituisse holocaustum panis et vini, sed sub speciebus panis et vini sui corporis et sanguinis holocaustum instituisse et offerri jussisse ; hinc apud Gallos, in Missali Gallo-Gothico et in Sacramentario Bobiano (*Immol. miss., in trad. Symbol.*), Eucharistia dicitur *panis immolatus et sanguis ;* sic enim concludunt : *Adveni ergo, rogamus, et in medium nostri assiste; et qui nos tunc reparasti per crucem, per istum immolatum panem et sanguinem iterum lapsos repara*, etc. Hic autem planum est *immolatum panem* idem esse atque *immolatam carnem*, ut voces *et sanguinem* produnt. Neque dicas τὸ *panem* repsisse oscitantia scriptoris, nam eadem verba tam in Missali Gallo-Gothico quam in Bobiano leguntur. Quare, quod alias dixi hic repetendum, *panis* nomen cum, post prolata verba Christi, pro Eucharistia significanda adhibetur, non aliud significat quam panem illum vitæ, panem supersubstantialem, Christum Dominum, ejusque corpus et sanguinem sub speciebus panis positum ; idemque de vino dicendum. Hic autem panis in altari Ecclesiæ oblatus cum idem sit atque ille qui in ara crucis oblatus fuit, et ab eodem sacerdote offeratur, recte Galli rogant ut *per istum immolatum panem et sanguinem* iterum lapsi reparentur; reparatio enim ista, olim quidem per crucem parta, iterata est, relate ad eos quibus denuo applicatur post lapsum.

[a] IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Ad Missam. [b] *Officium.*

Dabo sanctis meis primam sessionem : alleluja : in resurrectione eterna. Et requiram illos in gaudio meo. Et lux perpetua lucebit eis : alleluja. Et eternitas temporum preparata est eis : alleluja : alleluja. ℣. Benedicti vos a Domino qui fecit celum et terram. *P.* Et lux perpetua. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum. ℟. Amen. *P.* Et lux.

Oratio. Deus qui sacra omnium Sanctorum tuorum pectora : tanto fidei ardore flammasti : ut carnis tormenta contemnerent : dum ad te vite auctorem toto vigore animi festinarent : exaudi preces nostras : et presta ut frigescat in nobis viciorum inimica dulcedo : et ferveat in nobis tue charitatis infusa dile- B ctio. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Apocalipsis Beati Johannis Apostoli ([c] *Cap. VII*).

In illis diebus. Ecce ego Johannes vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis : habentem signum Dei vivi : et clamavit voce magna quatuor Angelis : quibus datum est nocere terre et mari dicens : Nolite nocere terre et mari neque arboribus : quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati : ex omni tribu filiorum C Israel. Ex tribu Juda : duodecim millia signati. Ex tribu Ruben : duodecim millia signati. Ex tribu Gad : duodecim millia signati. Ex tribu Asser : duodecim millia signati. Ex tribu Neptali : duodecim millia signati. Ex tribu Manasse : duodecim millia signati. Ex tribu Simeon : duodecim millia signati. Ex tribu Levi : duodecim millia signati. Ex tribu Isachar : duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon : duode- A cim millia signati. Ex tribu Joseph : duodecim millia signati. Ex tribu Benjamin : duodecim millia signati. Post hec vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat : ex omnibus gentibus : et tribubus : et populis : et linguis stantes ante thronum : et in conspectu agni amicti stolis albis : et palme in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes : salus Deo nostro : qui sedet super thronum et agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni et seniorum et quatuor animalium : et ceciderunt in conspectu throni in facies suas : et adoraverunt Deum dicentes : Amen. Benedictio. Et claritas. Et sapientia. Et gratiarum actio : honor : et virtus. Et fortitudo Deo nostro in secula seculorum.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Sancti tui Domine sicut palma florebunt : plantati in domo tua Domine. ℣. Bonum est confiteri Domino : et psallere nomini tuo altissime. *P.* Plantati.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios (*II*, [e] *Cap. I*).

Fratres. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro : et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi : pater misericordiarum : et Deus totius consolationis : qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : ut possimus : et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt : per exhortationem : **400** qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis : ita et per Christum abundet consolatio nostra. [f] Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute : sive exhortatione : que operatur in tolerantiam earundem passionum : quas nos et patimur : [g] et spes nostra firma pro vobis. Scientes quoniam sicut socii

[a] *In festo.* De festo omnium sanctorum videndi Baronius, in notis ad Martyrologium Romanum, die 13 Maii et 1 Novembris; Florentinius, in notis ad Martyrologium Lucense, die 1 Novembris; J. Fronto, in notis ad Kalendarium suum; Martenius (*De antiq. Eccl. Ritib., lib.* IV, *c.* 34), et P. Petrus Lazzari, in duplici diatriba quam de consecratione Panthei a Bonifacio IV facta erudite scripsit. Origo hujus festivitatis tribuitur Bonifacio papæ IV, qui cum Therma- D rum Agrippæ Pantheon, quod ad lavandum in usu esse desierat, ab imperatore Phoca obtinuisset, complanato pavimento, soliisque amotis, illud in formam ecclesiæ redegit, et Idibus Maii, anno fortasse 609, in honorem beatæ Virginis et omnium sanctorum martyrum Deo dedicavit; festivitas autem, non die ipsa dedicationis, sed proxima Dominica quotannis celebrabatur, ut expresse admonent vetusta Evangeliorum Capitularia Thomasii, Georgi, Frontonis, Alatii; at postea Gregorius papa IV, qui ab anno 827 ad 844 sedit, solemnitatem omnium sanctorum ad diem primum Novembris transtulit, et toti Ecclesiæ communem reddidit (*Usuard., in Martyrol., die* 1 *Nov.*), atque ita paulatim hæc festivitas in omni Occidenti recepta, et Kal. Novembris celebrata est. De hac solemnitate plerumque silent Martyrologia Hieronymiana; at in Corbeiensi Dacherii Kal. Novembribus enuntiatur. De ea silent Sacramentaria Leonianum, Gelasianum, vetustiora Apographa Sacramentarii Gregoriani, et Capitularia Evangeliorum vetusta; at festum omnium sanctorum *Kal. Novemb.* signant sacramentaria Gregoriana Pamelii et Menardi, et Martyrologia Bedæ, Adonis, Usuardi, et Romanum Parvum. Ante dedicationem Panthei in quibusdam Ecclesiis festivitas omnium sanctorum martyrum celebrabatur. Hujus solemnitatis aperta fit mentio in Kalendario, sive potius in Capitulari Evangeliorum, a Martenio et Durando edito (*Thes. nov. Anecd., tom. V, a col.* 66). Festum hoc Gotho-Hispanos celebrasse ex hac missa patet, in qua, sub nomine omnium sanctorum, memoria omnium martyrum solemniter colitur; quo etiam sententia P. Petri Lazari confirmatur asserentis (*De Cons. Panth.*, *sect.* 2) Bonifacium IV Pantheum reipsa in honorem omnium sanctorum Deo consecrasse, etsi dedicatio nomina tantummodo beatæ Mariæ Virginis et omnium martyrum prætulerit.

[b] *Officium.* Ex Esdr. IV, II, 23. ℣. Ps. CXIII, 15.

[c] *Cap. VII*, vers. 2-13.

[d] *Psallendo.* Ps. XCI, 13. ℣. Ibid., 1.

[e] *Cap. I.* Vers. 2-8.

[f] *Sive.* Supple ex Vulgata : *Sive consolamur pro vestra consolatione.*

[g] *Et spes.* Vulg., *ut spes.*

passionum estis : sic eritis et consolationis. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mattheum ([a] *Cap. V*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus videns turbas : ascendit in montem. Et cum sedisset accesserunt ad eum discipuli ejus. Et aperiens os suum docebat eos dicens. Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum celorum. Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt justiciam : quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justiciam : quoniam ipsorum est regnum celorum. Beati eritis cum maledixerint vobis : et dixerint omne malum adversum vos : mentientes propter me. Gaudete et exultate : quoniam merces vestra copiosa est in celis. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Lauda.* Gaudete justi in Domino : rectos decet laudatio. *P.* Alleluja.

[c] *Sacrificium.* Mirabilis Deus in Sanctis suis. Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi sue : benedictus Deus : alleluja : alleluja.

Missa. Omnium Sanctorum prelatis meritorum titulis : in honorem nominis Christi fratres charissimi : solennia celebremus. Hi sunt enim a Deo Patre ante constitutionem mundi predestinati : atque presciti : [d] quorum sanguis adeptus antequam fusus. Hi sunt qui nunc in locis beatorum inter palmas immarcescibilium coronarum : [e] amicti stolis perennibus premiorum gaudiis celestibus perfruuntur in regnis. Sumentes insignia que divino perceperunt ex munere dona. Non enim conscientia nostra pro illis audaciam sumit orandi : sed illos pro nobis excubantes optat audiri. Ut etsi palmam non meremur in gloria : vel vitam habeamus in venia.

℟. Amen.

Alia Oratio. Agnoscentes Domine quid laudis Sanctis tuis dederis : quidve virtutis. Illos auctores rogamus ad veniam : quos tibi familiares scimus ad gloriam. Illis indulgentiam credimus ex supplicii pena : quibus te novimus ex hostibus indulsisse victoriam. Illos sequimur pro misericordia : qui te secuti sunt pro corona. Ut per ipsos recipias intercessionis officium : per quos insinuas devotionis exemplum. Ut non punias reos : dum non repudias advocatos. Ut peccatoribus parcas : dum Martyribus nihil [f] excusas. Ut indulgentiam largiaris in perditis : dum amiciciam impertiris in Sanctis. Ut intercessionis fortes habeat patrocinium : quos confessio fideles habuit ad triumphum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Si nos Domine in oratione nostra : mali operis facta non premerent : difficilem obtinendi viam : preces quas tibi fundimus : non haberent. Sed necesse est impossibile esse : quod petitur : quibus sit contemptibile quod jubetur. Nam tibi iniquitas abrogat : quod prestare tua deitas non laborat. Votorum nostrorum studia vincunt negocia meritorum. Non habet efficax desiderium : qui fit pervificax ad reatum. Dumque res peccato plena nos cruciat : non habet fides opere vacua : quod expectet. Que etsi sit confessa : quod crederet : non tamen operata est : quod placeret. Sic nempe agitur : ut dum non servans instituta quod didicit : non accipiat improvida : que poposcit. Da igitur Domine ut dum in honorem omnium Sanctorum tuorum : sacro altario hostiam immolamus : nobis proficiat ad salutem : et defunctis fidelibus ad quietem. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Adestote Dei testes : regni heredes : Christi comites : diabolique victores. Qui servorum conditione mutata : **401** amicorum familiaritate suscepta : regni celestis beatitudinem meruistis. Venerantibus favete supplicibus in salutem credentium : potentiam merite sanctitatis ostendite. Nostrum est officium probare quod colimus : vestrum obtinere suffragiis quod rogamus. Vobis proinde apud Deum intercedentibus : populis donetur divina cognitio : et pacis integerrima plenitudo. ℟. Amen. Quia ipse est vera pax nostra : et charitas indisrupta : qui vivit et omnia regit in secula seculorum. ℣. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine Deus noster. Qui sacras tuorum Sanctorum passiones : toties triumphorum laudibus innovas : quoties annuis vicibus representas. Ut in

[a] *Cap. V.* Vers. 1-12. In citato Kalendario, sive Capitulario, Martenii et Durandi assignantur sex lectiones legendæ *in natali omnium sanctorum martyrum*, quarum quarta hæc est ex Matth. XXIV.

[b] *Lauda.* Psal. XXXII, 1.

[c] *Sacrificium.* Ps. LXVII, 36.

[d] *Quorum sanguis.* Hic plane de martyribus sermo est, uti et infra, in *alia oratione, ut peccatoribus parcas, dum* MARTYRIBUS *nihil excusas*; in oratione *ad pacem : Adestote*, DEI TESTES; in illatione : *Qui sacras sanctorum tuorum* PASSIONES *toties triumphorum laudibus innovas, quoties annuis vicibus representas*; et in *Benedictione : Christus qui invictus victor in suorum sanctorum exstitit* PASSIONE, etc. In hac autem missa *sanctorum omnium* mentio frequenter fit; tamen nomine sanctorum omnium non alios intelligi quam martyres planum est, tum quia soli martyres in tota hac missa nominantur, tum etiam quia non semel innuitur omnium sanctorum appellatione solos martyres significari. Sic in oratione *post sanctus :* Dominus Jesus Christus *qui omnium sanctorum* PASSIONEM [Forte, *passiones*] *ponit ad cultum*; et infra : *Ut quod perierat* PASSIONE, *reviviscat in laude*; et in oratione *post pridie :* Deus cujus beneficii est sanctorum fides atque victoria, *quem in omnium sanctorum* PASSIONES [Lege, *passionibus*] *colimus... adesto... qui illorum* CERTAMINIBUS *adfuisti, etc.*

[e] *Amicti stolis.* Confer Apoc. VII, 13 seq., ubi ista de martyribus dicuntur.

[f] *Excusas.* Forte, *recusas*; unde quod Prudentius (*De coron, hymn.* 1) cecinit :

Nil suis bonus negavit Christus unquam testibus.

apud priscos fideles tanquam certum habebatur. Hinc eorum tam firma fiducia et tam crebra in eorum gratiam patrabantur miracula.

conversatione gestorum populi fidelis intentio : A dum ammonetur celebrare quod creditur : videatur sibi expectare quod legitur. Seminatur [a] incoruptione : incorruptione fructificatur. Honore proficit : quod dolore deficit. Vivit festivitati : quod periit questioni. Persequentis impietas non resurgit : vincentis felicitas non senescit. Sevitie non redditur iteratio : glorie non infertur oblivio. Crudelitas vite confunditur : credulitas coronata laudatur. Hoc de Christo omnes Sancti velut de capite membra traxerunt : mortificata sibi semel morte : pro morte : ut qui propter ipsum animam ponerent : cum ipso beatitudinem non finirent. Cui merito omnes Angeli : non cessant clamare quotidie una voce dicentes.

℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Do- B minus noster Jesus Christus filius tuus. Qui omnium Sanctorum [b] passionem ponit ad cultum : perducit ad primum. Porrigit ad exemplum : proponit ad fidem : glorificat laude : exornat honore. Ut illorum mors dedicetur in laudibus : quorum fuit vita [c] commota virtutibus. Ut mentis adscribantur laudi : quorum vita confixa est cruci. Ut quod perierat passione : reviviscat in laude. Et quod affectum est contumeliis : dedicetur obsequiis. Ut perpetuus vivat honor in Sanctis : et merces in miseris. Cum quicquid omnibus Sanctis impenditur ad honorem : obsequentibus proficiat ad salutem. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Deus : cujus beneficii est fides C Sanctorum atque victoria : quem in omnium Sanctorum [d] passiones colimus : quia in illorum fide te predicantes : dum eorum merita complectimur : tua dona veneramur : adesto cunctis intercedentibus in hujus litatione sacrificii : qui illorum certaminibus adfuisti. Ac tribue precibus nostris : ut quorum prestitisti nos celebrare festa insignia : per eorum nos facias ambulare vestigia. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Tribue nobis Domine veritatis apprehendere viam : et dimicandi tenere audaciam. Ut qui Sanctorum festa excolimus : per Sanctos tuos te interpellare valeamus. Quo per eos te nobis parcendum ostendas : per quos nobis affectum te rogandi insinuas. Ut effectum largiaris e celis : cum ad te cum gemitu proclamaverimus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Christus Dominus : qui invictus victor in suorum Sanctorum extitit passione : pietate solita vos adjuvet in labore : et consoletur in munere. ℟. Amen. Efficiatque vos sibi in conversatione placabiles : qui illos reddidit in certamine victores. ℟. Amen. Ut quorum festa nunc venerantes excolitis : cum eis partem in celestibus habeatis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Deus charitatis atque concordie : te per intercessionem omnium Sanctorum tuorum deprecamur ; ut sicut illis triumphum victorie prestitisti : ita in nobis **402** ignem tui amoris : et sinceritatem cordis ipsis suffragantibus largiaris. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi : votum nostri sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Octava omnium Sanctorum :
Omnia dicantur ut in die. fol. 399.

Quatuor Coronatorum Martyrum :
Omnia dicantur plurimorum Mart. fol. 430.

Theodori Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fol. 421.

Menne Martyris :
Omnia dicantur unius Martyris. fol. ut supra.

In festo [e] Sancti Martini Episcopi :
Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432. excepta Oratione et Missa.

[a] *In corruptione fructificatur.* Lege : *In incorruptione fructificat.*

[b] *Passionem.* Forte, *passiones.*

[c] *Commota.* Forte, *communita.*

[d] *Passiones.* Lege *passionibus.*

[e] *Sancti Martini.* Post apostolos celeberrimum in Occidente est sancti Martini nomen, neque Græcis ignotum. Gente Panonius, patre tribuno militum, Sabariæ natus undecimo Constantini Magni principatus anno, in Italia pueritiam et pubertatem transegit, decimo ætatis anno catechumenus, quinto decimo sacramentum militare dixit. Sub Constantino, ejusque liberis, inter Alares stipendia fecit, nec nisi veteranus honestam missionem a Juliano Cæsare obtinuit, cum biennio ante baptismum suscepisset. Sacramento solutus, in Pannoniam rediit, matrem ab errore paganorum ad fidem Christi revocavit; sed *cum adversus perfidiam sacerdotum* Arianorum acerrime pro orthodoxa pietate pugnaret, sibi Confessoris titulum fecit, *multis suppliciis affectus.* Ad ultimum *publice virgis cæsus,* atque in exsilium pulsus Italiam repetiit, et *Mediolani sibi monasterium statuit,* sed neque ibi diu subsistere licuit; ab Auxentio enim Arianorum præsule, cujus communionem respuebat, ab urbe ejectus, in insulam Gallinariam abiit, ubi, anachoretarum more, agrestibus herbis victitans, magnum vitæ discrimen adiit, cum radicem D quamdam venenosam pro sana comedisset. Sanitati, ope divina, restitutus, in Galliam profectus, a sancto Hilario susceptus, et exorcista ordinatus, in locum dictum Logociacum secessit, monachos collegit, quos præceptis optimis, sed magis exemplo, instituit, crebra et ingentia miracula patravit, adeo ut duos mortuos ad vitam revocaverit, quibus permotus populus Turonensis, exstincto sancto Lidorio, Martinum, etsi renuentem, sacerdotem elegit. Ordinatus est episcopus anno principatus Valentiniani et Valentis octavo, æræ vulgaris 371, die IV Nonas Julii, quo in Martyrologiis dies ordinationis ejus signatur. Ad solium Ecclesiæ promotus, pristinam vivendi rationem constanter retinuit. Monasterium (quod postea *majus monasterium* appellatum est) haud procul ab urbe Turonensi constituit, in quo ita cum monachis et ipse monachus vivebat, ut episcopatus munia sedulo obiret; diœcesim frequenter circumibat, Evangelium prædicabat, fana paganorum evertebat, arbores diis

Oratio. Jesu Deus noster et Domine : qui inlustrem meritis Martinum Confessorem atque Pontificem . ita fecisti sapientiam custodire : ut in gloria mereretur et jocunditate consistere. Da nobis vere sapientie intellectum : et sancte operationis studium. Ut pauperibus prerogantes substantiam : facinorum nostrorum et evadamus vindictam. ℟. Amen. Per

A misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Missa. Immensum preclarumque et omni laude dignissimum nomen Dei Patris omnipotentis : fratres charissimi suppliciter exoremus : ut hodierna solennia : que pro Sancti ac gloriosissimi Pontificis sui Martini [a] evocationis veneratione suscepimus :

profanis sacras lucosque abscindebat, idola comminuebat, dæmones ab obsessorum corporibus ejiciebat, gratia curationum adeo pollebat, ut *nullus ferme ad eum ægrotus accesserit qui non continuo receperit sanitatem*. Mortuum quoque vitæ restituit. Ecclesiam Turonensem annos XXVI menses IV dies XVII rexit, cumque ante ejus episcopatum pauci in illis regionibus, et maxime in plebe rustica, Christiani invenirentur, ejus opere factum est ut Christi nomen ubique veneraretur, et vix ullus fuerit locus *qui non aut* B *ecclesiis frequentissimis, aut monasteriis sit repletus, nam ubi fana destruxerat, statim ibi aut ecclesias aut monasteria construebat*. In Condatensi vico, quo, ad litem componendam, profectus erat, pace inter clericos restituta, in febrim incidit, animamque Deo reddidit, ætatis anno octogesimo primo, VI Idus Novembris, media nocte, die Dominica, Cæsario et Attico consulibus, anno æræ Christianæ 397 (*S. Greg. Turon., Hist. Franc. lib.* X, *cap.* 31, *et alibi haud semel; Sev. Sulp., in Vita S. Mart., cap.* 13, *et epist.* 3, *ad Bassulam*). Sanctus Martinus statim a morte coli cœptus est ; corpus ejus, quod Pictavi sibi vindicare conabantur, somno sopitis Pictavis, Turonenses navi impositum ad urbem suam, per flumen Ligerim, devexere, illudque primum juxta ripam fluminis deposuerunt, inde, alio translatum, sepelierunt. Ejus sepulcrum, quo orationis causa populus frequens confluebat, Britius, qui illi in episcopatu successit, basilica texit, quæ anno 41 a morte sancti C Martini erecta est. Hanc basilicam sanctus Perpetuus diruit, et in eodem loco aliam longe majorem splendidioremque ædificavit, quam anno circiter 472 dedicavit (*Sigisb., in Chron.*) et in apsidem corpus sancti Martini transtulit. Hæc quæ erat una ex celeberrimis in omni Gallia ecclesiis, distabat ab urbe Turonensi passibus quingentis et quinquaginta. E Gallia in Hispaniam, Italiam et Britanniam, veneratio sancti Martini brevi propagata est. Romæ Symmachus papa, qui ab anno 498 ad 514 sedit, ecclesiam sanctorum Silvestri et Martini exædificavit. Sanctus Benedictus, anno 528, cum Casinense fanum Apollinis aramque evertisset, in ipso templo oratorium sancti Martini, et ubi ara profani numinis stabat, oraculum sancti Joannis construxit (*S. Greg., in Vita*). Celebris circa hoc tempus erat imago sancti Martini in ecclesia sanctorum Joannis et Pauli Ravennæ depicta, ante quam lampas ardebat, cujus oleo cum Venantius Fortunatus oculos unxisset, D gravi ophthalmia illico liberatus est, ut ipse (*Lib.* IV *de Vit. S. Mart., in fine*) testatur, et sanctus Gregorius Turon. (*L.* I *Mir. S. Mart., c.* 15). Cultum sancti Martini in Hispaniam cito invectum esse, verba in oratione *post nomina* infra citanda ostendunt, et apud sanctum Gregorium Turonensem mentio fit de basilica in Hispania antiquitus in honorem sancti Martini exstructa, et de infante mortua in eadem basilica, vitæ restituta (*Lib.* III *de Mir. S. Mart., cap.* 8). Sed cultus ille plurimum auctus est postquam Chararicus, qui et Theodimirus, Suevorum, in Gallicia, rex, cum omni gente sua, miraculis sancti Martini ad fidem catholicam, ejurata hæresi Ariana, conversus est (*Greg. Turon., Mir. S. Mart. lib.* I, *c.* 11, *et lib.* IV, *cap.* 7; *Mariana, de Reb. Hisp. lib.* V, *cap.* 9). Deinde ad devotionem augendam jejunium triduanum festo sancti Martini præmitti placuit, de quo jejunio pauca notavi ad pag. 281. In Britannia, ut auctor est Beda (*Hist. Eccl. gentis Anglorum*, *libro* I, *cap* 21) sanctus Martinus colebatur cum adhuc Romani insulæ dominarentur ; erat enim prope civitatem Cantuariam *ecclesia in honorem sancti Martini, antiquitus facta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent*, in qua sanctus Augustinus prædicare populo et baptizare primum cœpit. Per Græciam quoque et Orientem Ægyptum et Africam fama sanctitatis et miraculorum sancti Martini cito diffusa est (*Soz., Hist. eccl. lib.* III, *cap.* 13; *Sulpicius Severus, dial.* 1, *cap.* 20). Attamen in Kalendario Carthaginensi nomen sancti Martini desideratur, neque in Sacramentariis Leoniano et Gelasiano legitur nomen Martini, quod indicium est vetustatis istorum librorum ; nam præter Sacramentaria Gregoriana, in quibus omnibus est missa propria sancti Martini, de eo agunt Martyrologia omnia, et Capitularia Evangeliorum et Epistolarum. Menologium Græcum Basilii et Kalendarium marmoreum Neapolitanum : XI. NT. S. MENNE. ET. MARTINI. *Die undecima, natale sancti Mennæ et Martini*. In Missali Mozarabum missam propriam habet, in Breviario officium, et plures orationes in Orationali Gothico (*Pag.* 135). Habet et missam propriam in Sacramentario Bobiano, et aliam in Missali Gallo Gothico.

[a] *Evocationis*. Binæ antiquitus erant sancti Martini festivitates, alia IV Nonas Julii, die ordinationis ejus in episcopum Turonensem, celebrabatur (*Greg. Tur., lib.* I *Mir. S. Mart., c.* 6), qua deinde et translatio corporis, et dedicatio basilicæ, a sancto Perpetuo, exstructæ simul celebrari consueverunt (*Beda, Ado, Usuardus, et alii, hoc die, in Martyrologiis*). Alia festivitas sancti Martini celebrabatur III Idus Novembris, eratque hæc ejus præcipua festivitas, de qua Nicetius Trevirensis an. 565, ad Chlodosuindam Longobardorum reginam scribens, mentionem facit, et Gregorius Turonensis (*Lib.* II *Hist. Franc., cap.* 14). Ad hanc celebrandam convenerant Patres concilii Turonensis anno 461. De hac Orationale Gothicum (*Pag.* 135) : *Incipiunt orationes in die sancti Martini, III Idus Novembris*; Martyrologia Bedæ, Usuardi, Adonis, auctuaria Hieronymiana, et Romanum Parvum, in quo : III *Idus* Novembris, *Turonis, Martini episcopi miraculorum patratoris*; quibus accedunt Sacramentaria et Capitularia Evangeliorum, quæ III Idus Novembris primum de sancto Menna, *deinde* de sancto Martino agunt, et cum his Kalendarium marmoreum Neapolitanum. Porro animadvertendum in Kalendario Frontonis; et in Capitulari Evangeliorum Georgii signari : 12 *Novembris, Natale sancti Martini*; et in Capitulari Allatii legi : *Prid. Id. Novemb., Natale sancti Martini*; quibus non de sancto Martino papa, sed de sancto Martino Turonensi agitur, cui diem duodecimum attribuerunt, ut undecimus integer sancto Mennæ servetur, eamdemque opinor ob causam in Menologio Basilii Græcis : *Die 12 Novembris, Commemoratio sancti Patris nostri Martini Franciæ episcopi*, signatur. Jam vero hæc præcipua sancti Martini solemnitas pluribus nominibus antiquitus appellabatur. In concilio Turonensi RECEPTIO DOMNI MARTINI; in Gregorio Turonensi (*Hist. lib.* II, *cap.* 14) : DEPOSITIO. *Depositionem vero ejus* III *Idus Novembris esse cognoscas*; in Missali nostro, in Missali Gallo-Gothico, et in Martyrologiis Gellonensi, in Lucensi Florentinii, Corbeiensi Dacherii, aliisque plurimis Hieronymianis, *Depositio* scribitur; Martyrologio Bedæ, aliisque plurimis NATALE aut *Natalis*, Lirinensi *nativitas sancti Martini*, inscribitur. Missali

ipse sibi commendare dignetur. Tribuatque : ut sicut illi hodierno quondam die pro innumeris abstinentie vel confessionis sue virtutibus : celorum regna patefecit : nobis quoque pro innumerabilibus peccatis consuetam misericordiam largiatur. ℟. Amen.

Alia Oratio. Eminentissimum nobis omnipotens Deus hunc diem venerabilem : ac plena ammiratione dignissimum Sacerdotis tui Martini transitus consecravit. Qui exutus corpore celum quod quesivit ex opere : invenit ex munere. Qui seculum calcavit in viciis : regnum tuum intravit in gaudiis. Reddens tibi animam qualem dederas : qualem feceras ex lavacro : qualem tibi placere dixeras ex precepto. Qui [a] in pubescentis etatis exordio jam tibi in adolescentia senescebat : prius se perfectione : quam professione monstrando. Ut ante rem sanctitatis impleret : quam speciem religionis assumeret. Qui in frigore pauperem vestiendo : amore tuo [b] calcavit : et tibi vincebat miles [c] alienus : et tibi militabat victoria tuus. Sic preveniente gratia conscientiam : ut dum non videretur [d] electus : probaretur assumptus. Dignus valde cui te pro misericordia revelares : ut et tantum munus virtute cognosceret : et virtus remunerata plus cresceret. Cui operante gratia tua : hoc fuerit instituere : quod currere. Et per abundantem quam per te faciebat mirabilium suorum diversitatem : magis familiare habuerit exemplis docere : quam litteris. Qui in se crucis tue rigore suscepto : ita tibi verus cultor assisteret : ut laudis tue causas vite meritis ampliaret. Idoneus quippe cui te per Sacerdotii dignitatem Ecclesie spem : populorum salutem : singularem quoque virtutem committeres familiarem. Qui per arduum continentie fastigium : et amicum tue gratie blandimentum : futurorum prescius noveras in eo manentem humilem rem potentem. Hic igitur tuam prece populum salvet : qui tibi placuit opere. Justificetque peccatores in vita : qui justificatus pervenit ad gloriam. Impetret ut a te non puniamur a nostris : qui abste meruit coronari de propriis. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui mirabilis es in Sanctis tuis : cujus cultui deputatur : quicquid amicis tuis honoris impenditur. Intenta oratione te poscimus : ut hunc diem quem Sancti et incomparabilis viri Martini inlustravit excessus : prosperum nobis et posteris in rebus nationum propiciatus indulgeas. Tribuasque ut cujus veneratores sumus : imitatores effici mereamur. [e] Hunc etiam virum quem celicolis ammirandum Martyribus [f] adgregatum [g] etatis nostre tempora protulerunt : jubeas auxilium nostris ferre temporibus. Dubium enim non est : quod sit Martyr in celo : qui fuit Confessor in seculo. Cum sciatur [h] non Martino martyrium : sed martyrio defuisse Martinum. Oramus Domine : ut qui tantum potuit tuis se equare virtutibus : ut vitam mortuis redderet : dignetur etiam defunctorum spiritus **403** consolari : ac viventes in tribulatione defendere : qui potens fuit mortuos suscitare. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Multis coram te Deus Pater exultantes in laudibus : Confessoris tui Martini hodierno die obitus memoriam facimus : doctrinam recolimus : opera memoramus. Qui licet totum vite sue cursum gloriosa decoraverit pace : finem tamen ineffabili charitatis bono reddidit : et probabilem : et inlustrem. Cum vicinum sui cernens terminum finis : pacem inter se discordantibus restituit clericis. Quo ad eternam continuo vocatus hereditatem : exemplo Domini tenendam suis pacem discipulis commendaret. Hujus ergo viri suffragiis : pelle a nobis Deus quicquid dividit [i] unitatem : et dona ut

nostro ACCEPTIO, Martyrologio Turonensi DEPRECATIO MARTINI EPISCOPI, Sacramentario Bobiensi DIES TRANSMIGRATIONIS sancti Martini, in Missali nostro DIES TRANSITUS sancti Martini, demum in Martyrologio Richenoviensi DORMITIO sancti Martini ; quibus omnibus, licet diversis appellationibus, idem significatur, nimirum festivitas illa quæ 11 die Novembris agebatur, tum ob transitum ejus, tum ob depositionem, tum demum ob receptionem et acceptionem corporis ejus a Turonensibus, quod Pictavi auferre voluerant. Sexcentis autem exemplis probatur festivitates sanctorum, quamvis, pro ecclesiarum varia consuetudine, diversis diebus celebrabantur, tamen appellari dies passionis, depositionis, transitus, natalis eorumdem ; quare ex hujusmodi locutionibus, cum in orationibus recurrunt, nihil certi argumenti desumi potest ad diem passionis, mortis, depositionisve sanctorum statuendum. Neque prætermittendum præter has duas solemnitates sancti Martini, binas alias esse recentioris instituti, aliam SUBVENTIONIS, sive *Auxilii*, dictam, quæ IV Idus Maii celebrabatur, ad gratias Deo agendum ob urbem Turonensem *subventione sancti Martini* a Normannis liberatam, aliam RECEPTIO sancti Martini dictam, ob corpus sancti Martini, metu Normannorum, Antissiodorum translatum, tandem, anno 887 a Turonensibus receptum. Hæc die 13 Novembris celebrabatur.

[a] *In pubescentis.* Forte, *in pubescentis ætatis exordio, et in adolescentia, jam tibi senescebat*; alludit enim ad ea quæ refert Sulpicius Severus in Vita sancti Martini (*Cap.* 2), cum esset annorum decem, invitis parentibus, inter catechumenos nomen dedisse, et *cum esset annorum duodecim eremum concupivisse.*

[b] *Calcavit.* Forte, *concaluit.*

[c] *Alienus.* Nam characterem Christi, qui in baptismate et confirmatione datur, nondum acceperat, et mundo militabat.

[d] *Electus.* Erat tantum catechumenus, nondum *electus*, id est, inter competentes ascriptus.

[e] *Hunc etiam.* Eadem ferme in Missa sancti Martini Sacramentarii Bobiani leguntur in prima oratione, ex nostro Missali desumpta.

[f] *Aggregatum.* Forte, *aggregandum*, ut in Bobiano legitur.

[g] *Ætatis nostre.* Hinc patet quam vetustus fuerit in Hispania cultus sancti Martini, et quam vetusta sit hæc Missa.

[h] *Non Martino.* Locus iste oscitantia et audacia amanuensium misere corruptus est. Lege igitur ut in Bobiano adhuc legitur, et olim in nostro legebatur : *Cum sciamus non Martinum martyrio, sed martyrium defuisse Martino ;* recte autem in Bobiano est *cum sciamus*, ii enim loquuntur qui sanctum Martinum cognoverant.

[i] *Unitatem.* Alludit ad schisma quo, ineunte sæculo V, Ecclesiæ Hispaniæ laborabant ; nam cum episcopi provinciarum Carthaginensis et Bæticæ improbarent indulgentiam concessam Symphosio, Dictinio, aliisque quibusdam episcopis, qui hæresim Priscillianam ejuraverant, quos neque recipere, neque cum iis communicare volebant, qui eos reci-

eidem consortes simus in premio : cujus hic dilectionis edocemur exemplo.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere equum et justum est : nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : [a] in depositione anniversarie commemorationis Sancti Martini Episcopi et Confessoris tui : Quem pro pietate tua et servitute sua : tam beatum labore quam munere inter Sanctorum omnium florentissimas legiones : ac felicissimos Martyrum choros et inlustres : et eminentium seniorum cathedras : dextri ordinis locum tenere confidimus. Quia bona arbor bonos fructus facit : et bonus homo de bono thesauro cordis sui bona profert. Cumque in eodem Evangelio ipse docueris : ex fructibus eorum cognoscetis eos. Hunc ergo inter justos juste numerandum testantur facta per seculum : signa post transitum : opera dum vixit : mirabilia post recessum. Cum presertim ad unum sanctitatis culmen diversus mittat ascensus. Non una est virtutum via : que glorie tue ducit ad regnum. [b] Quid enim minus est crucem ferre per tempora : quam mortem subire per vulnera? Quid inferius est mundum vincere : quam gladium non timere? Cum plus luctaminis habeat diuturnitas crucifixi : quam sceleritas interempti. Quid supereminet affectus martyrii consummatus : quam diutius custoditus? Non distat propter te mortificatus a mortuo : cum in utroque sit gloriosum et abuti velle quod placeat. Pugnam sustinere sine defectu : an coronam rapere sine metu? Propositum non mutare sub spacio : an implere desiderium sub momento? Par est ut credimus inlecebris non cedere per dolorem : ubi equalis in dilectione animus. Percussor deest : fidei non Confessor. Voluit triumphare dum militat : qui militare non destitit dum consummat. Inter carnales pugnas et spiritales insidias : laboriosius est hostem occultum superare : quam publicum. Quia non fit levius sperare semper quem caveas : quam non formidare quem videas. Jugiter in procinctu providere cautelam : quam fortiter in congressu servare constantiam. Non interest in angustia vivere serviturus : aut in pena devicere feriendum. Quotidie declinare quod decipiat : aut cum compendio ambire quod finiat. Postremo in agone Martyrum [c] et extruendam fidem : hoc semper proponitur quod horreat : hic etiam quod delectat. Ibi tormenta terrori : hic etiam blandimenta discrimini. Ibi homo nititur expugnare per amara : hic diabolus inlaqueare per dulcia. Ibi mors securitatem prestat : hic A securitas mortem facit : ibi aliene ire impietas : hic proprie nature mobilitas inimica est. Sed in his omnibus nihil sibi sine adjutorio tuo arroget humana fragilitas : tuis muneribus debet unusquisque deputare quod vicit. Qui tuis viribus portavit : uterque quod pertulit. Horum tu verus arbitror Deus : quos propter nos supplices quesumus : ut sicut illi tibi accepti : ita nos illis mereamur esse suscepti. De quibus hoc nobis sufficit credere : quod una amoris tui causa per diversa merita : discreto vel fine vel tempore : feliciter afflicti : veraciter probati : potenter prediti : clementer assumpti : et equaliter sint beati. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

B **404** *Post Sanctus.* Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui solus servientium sibi et primordia consecrat : et fines glorificantes exornat. Qui illorum commendat exitum finis : quorum vitam ambitio exornaverit sanctitatis. Quique hujus Confessoris sui ita est glorificatus in opere : ut non pateretur eum confundi inimicis [d] in porta loquentem. Hic quippe vir cujus mundo vita in testimonium : discipulis extitit in exemplum [e] vidit eminus sevientem consistere adversarium : quem et apertis oculis exprobravit : quo se continuo in sinu Abrae recipi veridica inspiratione prescivit. Hunc tunc Deus summe coram te pro nostris facinoribus intercessorem statue : quem dono gratie tue et vita inlustrem : et mortis intermina- C tione constituisti insignem. Per te Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Placeat tibi Domine quod offerimus : et sanctifica que tibi sanctificanda litamus : ut hoc die quo beatissimus Presul Martinus gloriosus transmigrationis evocatus est obitu : donetur a te nobis omnibus indulgentia peccatorum. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam. Deus qui animam viri Sancti : ac Confessoris tui Martini soluta carnali compage : celesti collocasti in requie : ut tuorum consors existeret Angelorum : qui vita calcaverat mundum : essetque paradisi possessor : qui eremi extiterat habitator : haberetque celestis gloriam vite : qui increpato diabolo triumpharet in morte : tu nos predicti viri obitus memoriam celebrantes : actu pla- D cabiles : cogitatione facito esse felices. Quo nec opere nec cogitatione sordentes : et corde : et lingua proclamemus ad te ita dicentes. Pater noster qui es in celis.

piebant, scissa est ecclesiastica unitas, et natum schisma, quod Innocentius I tandem sustulit (*Vide Innocentii I epist.* 13, *ad episcopos synodi Tolosanæ* [*Toletanæ*] *apud Sirmund.*, *tom. I Concil. Gal.*, *pag.* 36).

[a] *In depositione.* Lege *in depositionis anniversaria commemoratione.*

[b] *Quid enim minus* Hinc illud sancti Isidori (*Orig. lib.* VII, *c.* 11) docentis duo esse martyrii genera, unum in aperta passione, alterum in occulta virtute. Confer etiam, si lubet, sanctum Chrysostomum, in homilia de sancto Eustatio (*Edit. Maur.*, *tom. II*, *pag.* 608) docentem coronam martyrii non *morte sola*, sed etiam voluntate comparari.

[c] *Et extruendam.* Lege *ad exstruendam*, id est, ad ædificandam, excitandam fidem.

[d] *In porta.* Alludit ad illud Ps. CXXVI, 5: *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.*

[e] *Vidit eminus.* Imo *vidit cominus.* Severus Sulpicius (*Epist.* 3, *ad Bassulam*) describens mortem sancti Martini : *Diabolum vidit prope assistere : Quid hic, inquit, astas, cruenta bestia? nihil in me funeste reperies. Abrahæ me sinus recipit.*

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus qui per [a] Confessorem suum Martinum : pacem discordanti restauravit Ecclesie : faciat vos eodem intercedente : omni peccato carere. ℟. Amen. Quique illum exprobantem zabulum : ammirabili glorificavit in transitu : justi faciet vos proprie vocationis in exitu. ℟. Amen. Ut in ejus sinu post obitum receptos ; vos gaudeatis : quo idem se recipi patulis predixit oraculis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Require in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine : te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Deus perennis salus : beatitudo inextimabilis : da queso : ut qui ineffabili munere tuo sancta ac beata sumpserunt : sancti . ac beati esse mereantur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Emiliani Abbatis :

Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 432.

In festo Sancti Bricii Episcopi et Confessoris :

Omnia dicuntur unius Confessoris Pontificis. fol. ut supra.

Clementini et Theodori Mart. :

Omnia dicantur plurimorum Mart. fol. 430.

In festo Sancti Eugenii Archiepiscopi Toletani :

Omnia dicantur unius Martyris Pontificis. fol. 422.

In festo Sancti [b] *Sperati : et ejus comitum.*

Ad Missam. Officium.

Dabo Sanctis meis. *Require in festo Apostolorum Petri et Pauli. fol.* 334.

[a] *Confessorem.* Sanctus Martinus passim in Martyrologiis et libris liturgicis confessor et episcopus nominatur, quibus in locis vox *confessor* stricte sumitur, eo sensu quo ab antiquis adhiberi consuevit, pro eo qui coram persecutore, aut pagano, aut hæretico, fidem orthodoxam confessus erat; nam sanctus Martinus ob fidei catholicæ confessionem ab Arianis *sæpe palam verberibus cæsus, demum in exsilium pulsus*, patria extorris factus est (*Soz., lib.* III, *c.* 3; *Severus Sulpicius, in Vita S. Martini, cap.* 6). Quare illi merito competit titulus confessoris stricto illo et rigoroso sensu quo sanctis Hilario, Athanasio, Victricio, aliisque, ob exsilia et pericula fidei causa perpessa, tribuitur.

[b] *Sperati.* Sanctos Speratum et comites martyres in Breviario Mozarabum XII Kal. Julii officio proprio, in Missali vero XVI Kal. Dec. et Martyrologia commemorant, et de iis agunt XVI Kal. Aug., quæ dies cum in Hispania cultui sanctarum Justæ et Rufinæ fuerit dicata, necesse erat Speratum et comites in aliam transferre. Credibile est Gotho-Hispanorum alios die 21 Julii, alios die 16 Novembris festum sancti Sperati et comitum ejus celebrasse, at circa festivitatem horum martyrum, unde nata sit discrepantia inter Missale et Breviarium Mozarabum, plane non assequor. Bollandiani (*Tom. I Martii, p.* 632, *n.* 7) opinati sunt, sanctum Speratum episcopum fuisse Carthagine martyrio coronatum cum multis *utriusque sexus* comitibus *qui passim Scillitani* martyres *appellantur.* Sane non desunt Martyrologia et Kalendaria quibus sanctus Speratus episcopus inscribitur. Kalendarium Vaticanum, ab angelo Rocca Sacramentario Gregoriano præfixum, et rursum ab illustrissimo Georgi ad calcem Adonis editum : *XVI. Kal. Jul., in Carthagine, Natalis sanctorum Sperati episcopi, Martialis, Januarii, Felicis, Aquilini, Lactantii, Generosi, Vestæ, Donatæ, Secundæ.* Kalendarium Laurishamense, ab eodem Georgi (*Ibid.*) editum : *XVI Kal. Aug., Nat. sancti Sperati episc. et mart* Martyrologium Bedæ, a Martenio et Durando (*Tom. VI Coll. max. vet. script. et monum.*) editum. XVI Kal. Aug. : *Natale sancti Sperati episcopi et martyris.* Sabuliense (*Ibid. editum*) XVI Kal. Aug., *in Carthagine, Natalis sanctorum Sperati episcopi, Martialis, Januarii, Cilii*, et die sequenti reliquos Scillitanos vulgo appellatos enuntiat. Neque obstat quod in Actis sanctus Speratus *episcopus* non dicatur, nam Acta illa integra non sunt. Manifesto enim prima martyrum interrogatio eorumque Christiani nominis confessio deficiunt, atque adeo deficiunt quæ ad eorum statum et conditionem pertinent, de quibus rei primum interrogabantur. Sed ne credatur sanctum Speratum episcopum esse prohibet Pontius diaconus, qui, in fine Vitæ sancti Cypriani, aperte asserit, sanctum Cyprianum omnium primum *in Africa sacerdotales coronas* sanguine *imbuisse; ex quo enim*, inquit, *Carthagini episcopatus ordo numeratur, nunquam aliquis, quamvis ex bonis sacerdotibus*, ante Cyprianum *ad passionem venisse memoratur;* ac demum concludit, sanctum Cyprianum, *in civitate ipsa in qua multa præclara fecerat*, primum *etiam sacerdotii cælestis insignia glorioso cruore decorasse.* Quæ sane nunquam scripsisset si sanctus Speratus fuisset episcopus, non quidem Carthaginensis, sed vel Scillitanus, et martyr : nam memoria tam insignis martyrii adeo cito deleri non potuit. At quamvis sanctus Speratus episcopali dignitate insignitus non fuerit, præcipuus tamen inter martyres qui cum eo passi sunt habebatur, et se tanquam eorum antesignanum gerebat : nam, ut ab Actis martyrii habemus, ille proconsuli pro omnibus respondebat, et postquam in omnes sententia mortis prolata est, subdunt Acta, apud Baronium : *Speratus et* QUI CUM EO ERANT *omnes dixerunt : Deo gratias* ; et cum e tabella proconsul sententiam diceret, Speratum ante alios nominat, tanquam cæterorum instructorem et ducem ; et in Martyrologiis Romano Parvo, sancti Cyriaci ad Thermas, reginæ Christinæ, Barberino, Genuino Bedæ (juxta optimum Codicem Veronensem, qui distincte Sperati nomen exaratum habet. [*Vid. prol. ad tom. IV Anastasii, pag.* 82]), Adonis, Usuardi, Notkeri, aliisque, in quibus Scillitanorum martyrum nomina signantur, sanctus Speratus constanter primum locum tenet. Hinc suspicor, eum aut presbyterum, aut archidiaconum fuisse. In hymno Breviarii Mozarabum, qui utique antiquus est, sanctus Speratus se sociosque Christi ministros appellat : *Christi minister ego sum, quosque videtis socios tales adesse credite;* quod, nisi sensu translato dictum sit, diaconis rite conveni . Et in Martyrologio Ottoboniano ad calcem Adonis Georgi ed.to, Speratus et socii diaconi scribuntur : *XVI Kal. Aug., in Carthagine. Natalis sanctorum Sicula* DIACONORUM *Sperati, Martialis, Chitai, Vesturii, Felicis, Aquilini Lactani, Generosi, Vesti, Januarii, Donate, Secunde, sub Saturnino præfecto passi.* Facile est animadvertere *Sicula* mendose scriptum esse pro *Scilla*, aut *Scillita;* at si omnes isti diaconi, nimis multi sunt, et sane non omnes diaconi, nam Vesta, Donata, et Secunda feminæ erant, forsan Speratus de viris tantummodo, qui secum capti fuerant, loquitur, ii autem duo erant; si quidem Acta, apud Baronium, in prima interrogatione quinque socios addunt Spe-

Oratio. Laudamus te Domine. *Require in Omnium* A *Offerentium. fol.* 221.

Prophetia. Justi in perpetuum vivent et apud Dominum. *Quere in communi plurimorum Martyrum fol.* 430.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

rato, scilicet *Narzalem, et Cittinum viros, Donatam, Secundam et Vestinam* feminas, quibus postea sex alii adduntur; nam in citatis Actis sententia mortis duodecim nominatim continet : *Proconsul . . . dedit in eos sententiam, per exceptorem dicens sic : Speratum, Narzalem, Cittinum, Veturium, Felicem, Acyllinum, Lætantium, Januariam, Generosam, Vestinam, Donatam, et Secundam, Christianos se esse confitentes, et imperatori honorem et dignitatem recusantes, capite truncari præcipio. Hæc cum essent e tabella recitata, Speratus et qui cum eo erant omnes dixerunt : Deo gratias,* etc. Atque adeo comites sancti Sperati undecim fuere, sex viri, et quinque feminæ, quas simul cum Sperato Romanum Parvum, Bedæ, Adonis, B et his recentiora Martyrologia, Scillitanos martyres appellant; at contra Martyrologia Hieronymiana hos a Scillitanis martyribus aperte distinguunt, eodem tamen die passos esse enuntiant quo Scillitani. Mirum quoque est quantum in nominibus horum martyrum Acta passionis eorum et Martyrologia inter se discrepent; hinc Florentinii dubitationes circa Acta illa quæ em. Baronius (*Annal. tom. II, ed. an* 202) edidit, an sint martyrum Scillitanorum, ut em. Baronius contendit, in cujus sententiam eunt D. Theodoricus Ruinart (*Act. mart. pag.* 75), Tillemontius (*Tom. III, pag.* 13, 638), et Bollandiani (*Tom. IV Julii, a pag.* 204); an potius, ut Florentinius suspicatur (*In not. ad. Mart. Lucense, die* 17 *Julii*), sint Acta sancti Sperati et comitum ejus, Acta vero Scillitanorum nondum esse detecta. Neque ad scrupulum evellendum quem Florentinius movit satis est librariorum incuriam et ignorantiam accusasse, aut contra auctoritatem Hieronymianorum, Bedæ, aliorumque C eo recentiorum, Martyrologia citasse : nam errores qui ex oscitantia amanuensium oriuntur fere nunquam ad omnes Codices pertingunt; at Apographa Hieronymiana cuncta sanctum Speratum a Scillitanis distinguunt. Imo Gellonense Martyrologium de Scillitanis silet, quod in aliis quibusdam observare licet, quibus tamen sanctus Speratus enuntiatur. Præterea duodecim illi martyres neque in Actis passionis eorum, neque in Missali aut Breviario nostro, neque in ullo monumento, Martyrologio Bedæ, aut Romano Parvo vetustiore Scillitani appellantur; unde igitur habuit Beda hos esse Scillitanos? Erat Carthagine celebris basilica Scillitanorum, quam Vandali suo cultui addixerunt (*Vict. Vit., de Pers. Vand., lib.* I). De Scillitanis Kalendarium Carthaginense : *XVI Kal. Aug., sanctorum Scillitanorum.* Possidius (*Indic. cap.* 9) quoque meminit de sermone sancti Augustini *per natalem sanctorum martyrum Scillitanorum*, qui adhuc latet : nam sermo 285 (*Edit. Maur.*) inscribitur *de Martyri-* D *bus Massilitanis*, de quibus XI Kal. Augusti agit Kalendarium Carthaginense. Est et sermo 155 (*Ed. Maur.*) sancti Augustini de verbis Apostoli, qui, ut titulus præfert, *habitus fuit in basilica sanctorum martyrum Scillitanorum.* Eodem modo sine ulla nominum distinctione vetustissimis Hieronymianis tabulis XVI Kal. Augusti inscribuntur *et Scillitanorum;* nam fortasse usus obtinuerat ut Carthagine hoc nomine appellarentur omnes ii martyres quorum reliquiæ in basilica Scillitanorum depositæ colebantur, etsi omnes Scillitani non forent; et duodecim illi martyres, quamvis aliqui eorum Carthaginenses forent, omnes Scillitani vulgo nuncupabantur; saltem hoc sensu sanctum Speratum e Scillitanis martyribus unum fuisse est valde credibile. Nam nisi sub generali appellatione Scillitanorum sanctus Speratus comprehendatur, de eo nulla fit mentio in Kalendario Carthaginensi : est autem prorsus inverisimile insignem martyrem, qui gloria miraculorum Carthagine florebat, a scriptore Carthaginensis Kalendarii prætermissum esse. De sancto Sperato canit hymnus Gothicus, amus :

Hunc urbs præpollens Africæ
Carthago servat martyrem,
Amplectitur occiduus
Christo dicatus populus.

Floret ejusdem tumulus
Eximiis virtutibus,
Ut passionis gloriam
Amplificent miracula.

Credibile autem est hosce martyres dictos esse Scillitanos ab oppido proconsularis provinciæ quod B *Scylla* apud Notkerum (*In Martyrol., ad* 17 *Julii*) denominatur, ab aliis *Scillita* dicitur, eratque sede episcopali ornatum. In collatione Carthaginensi anno 411 occurrunt *Faustinus episcopus plebis Scilitanæ*, et ibidem *Possidonius* ejusdem *loci episcopus*, et inter eos qui subscribunt epistolæ synodicæ ad Paulum Constantinopolitanum *Pariator, gratia Dei, episcopus sanctæ Ecclesiæ Scilitanæ.* Martyres Scillitani passi creduntur anno æræ vulgaris 200, Tib. Claudio Severo et Aufidio Victorino coss., jussu Saturnini proconsulis gladio decollati : utrumque ex Actis eorum habetur; is autem Saturninus *qui primus* in Africa *gladium in nos egit*, ut loquitur Tertullianus (*Ad Scap.*, *c.* 3), postea *lumina amisit*, qui an Valgius, an Vigellius, an M. Gellius Saturninus dictus fuerit, videsis apud Pamelium in notis ad citatum Tertulliani librum ad Scapulam, cap. 3. Pleraque exstant exemplaria Actorum martyrii, ut creduntur, Scillitanorum : prima edidit em. Baronius (*Tom. II Annalium, ad* C *an.* 202), alia D. Th. Ruinart (*Act. mart., a pag.* 77), alia Bollandiani (*Tom. IV Julii, a pag.* 214), quorum optima, et quæ proxime ad proconsularia accedunt, Baroniana videntur. Cultum sanctorum Sperati et comitum vetustum esse in Hispania, præter hymnum Breviarii Mozarabum, qui ad ea tempora spectat quæ Vandalorum in Africa dominatum præcessere, probat Elipandus, qui in epistola ad Alcuinum (*Oper. Alcuin., col.* 917, *Edit. Paris.*) citat missam sancti Sperati. Advertendum autem, orationem quam citat, non in Missali, sed in Breviario, ad matutinas laudes sancti Sperati, legi, et notum est antiquiores horas canonicas missas appellasse. Illud etiam animadvertendum, Elipandum, levi mutatione, voces catholice scriptas ad sensum suum fraudulenter detorquere, quam ejus fraudem Alcuinus suboluerat. Sic enim in oratione legitur : *ingeniti Patris, unigenite Filius Dei... qui ab arce sedis ætheree, hujus mundi infima petens,* AD ADOPTANDUM HOMINEM *non horruisti vestimentum sumere carnis, et ad liberationem fidelium non es de-* D *dignatus*, etc.; at Elipandus scripsit : *qui . . . hujus mundi infima petens*, ADOPTIVI HOMINIS *non horruisti vestimentum sumere carnis*, etc. Cultus sancti Sperati, qui in Africa pene exstinctus fuerat, ineunte sæculo IX in Occidente plurimum crevit. Nam cum, anno 806, Ratbertus, Caroli Magni legatus, e Perside rediens, Carthaginem appulisset, ibique, magno suo dolore, vidisset basilicas Christianorum desertas, concedentibus Saracenis, sustulit corpora sanctorum Cypriani, Sperati, et caput sancti Pantaleonis, eaque secum in Galliam transtulit. Sacræ reliquiæ primum Arelate depositæ sunt; deinde petenti Leidrado, Lugdunensi archiepiscopo, ab imperatore Carolo concessæ; ejus cura Lugdunum delatæ, in ecclesia sancti Joannis Baptistæ conditæ fuerunt (*Ado, in Chron., ad an.* 806, *et in Mart., ad diem* 14 *Sept.*) Utriusque translationis, Arelatensis et Lugdunensis, historiam Agobardus carmine complexus est (*Agobar. oper. tom. II, pag.* 220, *Edit. Baluz.*). Tillemontius

[a] *Psallendo.* Sancti tui Domine sicut palma florebunt. Plantati in domo tua Domine. ℣. Bonum est confiteri Domino : et psallere nomini tuo altissime. ℟. Plantati.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios (*II*, [b] *cap. I*).

Fratres. Nolumus vos ignorare de tribulatione nostra : que facta est in Asia. Quoniam supra modum gravati sumus **405** supra virtutem : ita ut tederet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus ut non simus fidentes in nobis : sed in Domino qui suscitat mortuos. Qui de tantis periculis eripuit nos : et eruit : in quem [c] speravimus quod et adhuc eripiet : adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis : ut ex multarum personis [d] facierum ejus que in nobis est donationis : per multos gratie agantur pro nobis. Nam gloria nostra hec est testimonium conscientie nostre. Quod in simplicitate et sinceritate Dei : et non in sapientia carnali : sed in gratia Dei conversati sumus in mundo : abundantius autem ad vos. Non enim alia scribimus vobis : quam que legistis : et cognovistis. Spero autem quod usque in finem cognoscetis : sicut et cognovistis nos ex parte. Quia gloria vestra sumus : sicut et vos nostra in die Domini nostri Jesu Christi. ℟. Amen.

Evangelium. Videns turbas ascendit in montem. *Quere in festo omnium Sanctorum. fol.* 400.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluja. ℣. Gaudete justi in Domino.

Sacrificium. Mirabilis Deus in.

Require in festo omnium Sanctorum. fol. ut supra.

Missa. Generalibus Sanctorum exemplis : ac beatorum Martyrum Sperati vel comitum ejus magisteriis eruditi : eterno Regi Domino fratres charissimi supplicemus : ut nobis quoque fidei calore concesso prestet etiam semper de inimicis nostris ferre triumphum. Eorumque nos quesumus tu Deus Pater omnipotens imitatores efficias quibus et victorie palmas : et immortalitatis eterne dedisti coronas. ℟. Amen.

Alia Oratio. Dignanter ad te Domine repetitas preces revolute supplicationis [e] ammittis : in hac quesumus Sanctorum Martyrum tuorum Sperati vel comitum ejus celebritate benignus indulge. Ac presta precamur omnipotens Deus : ut quicquid totius orbis Dominus palmo mensus amplecteris : excelso etiam virtutis tue brachio propicius tuearis. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Martyrum tuorum Domine virtutibus congaudentes : per eorum te gloriosa merita precamur acclives : ut offerentium vota vel munera dignanter accerptes : et peccantibus omnibus remissione concessa : spiritus etiam defunctorum in pace refrigeres. ℟. *Chorus.* Amen.

Ad pacem. Oratio. Quoties in tuis laudibus Domine Martyrum tuorum Sperati : vel comitum ejus : passionum deferentur insignia : humanis toties oc currunt votis te miserante subsidia. Petimus ergo : ut eisdem intercedentibus pacem tuam nobis dones in terris : quam illi se gaudent te largiente possidere in celis. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : omnipotens Domine : nos in tuis laudibus jugiter exultare : tibique semper gratias agère. Qui tantum fidei robur Martyribus : Confessoribus : Virginibusque tuis largitus es : ut impressis flammis corporibus non cederent : virili animo penarum ergastula vincerent : et inde ultricia abdicarent tormenta : unde tibi preoptatam jam cernebant victoriam. Tantus est amor nominis tui Domine : ut nihil ille mortis prevaluerit apparatus : nec cesserit Inlata pena tortoribus. Non laceratum ferro corpus animos fidelium inclinavit : non scissum sulcis latus : fidem professam virtutis exclusit : nec illis sanguine fluxus ungularum stridore provocatus : vocem supplicantis exegit. Hec est tuorum Martyrum Virginumque corona : et virtutum celestium palma : quoniam [f] fortiora sunt vulnera militum tuorum : quam carnificum. Precamur ergo Domine Deus noster : ut qui eorum virtutibus triumphum glorie prestitisti : nostris semper precibus pla-

(*Hist. eccl. tom. III*, *pag.* 135), et Baluzius, in notis ad Agobardum (*Pag.* 145), ex Sigisberto (*in Chron.*), statuunt, corpora sanctorum Cypriani, et Sperati, et caput sancti Pantaleonis, anno 802, in Galliam ab Isaaco Judæo, qui solus e legatis Caroli Magni superstes fuerat, delata esse. At potior est auctoritas Adonis, qui temporibus quibus hæc contigerunt proxime vixit, quique tradidit has reliquias anno 806 a Ratberto esse translatas. Bollandiani (*Tom. IV Jul.*, *pag.* 212) animadvertunt, vetustos chronographos rerum Francicarum prodidisse, Carolum Magnum bis misisse legatos in Persidem, atque e prima legatione, duobus in itinere exstinctis, solum rediisse Judæum Isaac, anno 802; at e secunda legatione, anno 806, Ratbertum cum aliis salvum rediisse; has binas legationes Sigisbertum non distinxisse, eaque de causa translationem corporum sanctorum Cypriani et Sperati in an. 802 conjecisse. Mabillonius (*Annal. Benedict. lib.* XXXVII, *n.* 94, *ad an.* 877) refert, corpora sanctorum Cypriani, et Sperati, et caput sancti Pantaleonis, jussu Caroli Calvi, in monasterium Compendiense translata esse, quo etiam corpus sancti Cornelii aliasque reliquias deferendas curaverat. Idem refert D. Th. Ruinart (*Act. Mart.*, *pag.* 76). Non desunt tamen qui negent, corpus sancti Sperati Lugduno esse amotum (*Tillem.*, *Hist. eccl. tom. III*, *pag.* 135, *et tom. IV*, *pag.* 197). Sane Ado, qui in Martyrologio, ad diem 14 Septembris, juxta Codices quibus usi sunt Rosweydus et Georgius, corpus sancti Cypriani jussu Caroli Calvi ad Compendiense monasterium translatum asserit, de translatione corporis sancti Sperati omnino silet. Et die 17 Julii, in Codicibus Georgii, de translationibus reliquiarum sancti Sperati nullam facit mentionem; at in Codicibus Rosweydi aperte testatur : Eorum *reliquiæ* (Sperati et Scillitanorum) *venerantur Lugduni, in basilica beatissimi Joannis Baptistæ.* Cæterum Romæ, in basilica sanctorum Joannis et Pauli, Scillitanorum martyrum, præter Sperati, depositas esse reliquias scribit Baronius, in notis ad Martyrologium, die 17 Julii.

[a] *Psallendo.* Ex psal. XCI, 13, 14. ℣. Ibid., 1.

[b] *Cap. I.* Vers. 8-15.

[c] *Speravimus.* Vulg., *Speramus.*

[d] *Facierum.* Deficit in Vulgata.

[e] *Ammittis.* Lege *Admittas.*

[f] *Fortiora.* Fortasse : *Quoniam fortiora sunt ad ferenda vulnera militum tuorum pectora, quam manus carnificum ad inferenda*

catus occurras. Ut nos quoque te laudemus in terris : sicut illi jugiter laudant in celis ; ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : semper et benedictus tu Domine Deus omnipotens : quem previdebant Sanctus Speratus : et socii ejus in suo conspectu : qui a dextris eis fuisti : ne unquam commoverentur : te laudat indesinenter omnis exercitus Angelorum. Deum Dominum ac redemptorem eternum.

406 *Post pridie. Oratio.* Mirabilem te in Sanctis tuis Domine confitentes : ac resurrectionis Domini nostri Jesu Christi gloriam predicantes : per eorum te deprecamur piissimas preces : quos in agone certaminis reddidisti victores : ut de illo invisibili ac profluo fonte : quo illi vitam eternam potare non cessant : [a] spiritum sanctificationis emittas : qui oblatum hoc sacrificium celesti rore pinguescere faciat. Quod dum a te Domine sumpserimus sanctificatum : tuoque munere fuerit visceribus nostris infusum : omni nos benedictione refectos : atque ab omni onere peccatorum absolutos : nos semper sentiamus et liberos. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Peccatorum nostrorum conscii fratres charissimi : suffragia Sanctorum Martyrum Sperati vel comitum ejus instanter queramus. Et qui divino pro nostris meritis videmur egere auxilio : omnes pariter clamemus atque dicamus. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedictio vos Domini comitetur semper in terris : que suorum Martyrum Sperati vel comitum ejus animas assumpsit in celis. ℟. Amen. Quod ex ore nostro in officium benedictionis egreditur : Sanctorum meritis in vos divinitus compleatur. ℟. Amen. Quique ad hanc solenniitatem hodie devotissime convenistis : optată vobiscum gaudia reportetis. ℟. Amen. Quod ipse prestare dignetur : cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Require in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine : te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Propitiare Domine supplicationibus nostris : et exemplo Martyrum tuorum Sperati vel comitum ejus flammam in nobis accende claritatis. Et quorum nos jubes esse imitatores : ita presta esse participes. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis : et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

In festo Sancti [b] Aciscli et Victorie Martyrum : Ad Missam. Officium :

Et omnia alia dicantur plurimorum Martyrum excepta Missa.

Missa. Beatissimi Aciscli magnam solennitatem fratres charissimi celebrantes : divine omnipotentie maximas exsolvamus laudes : post triumphum sui Martyris grates : et pro nostro certamine feliciter consummando pari affectu fundamus humillimas preces. Ejusque largissimam bonitatem suppliciter obsecremus : ut sicut ei non solum contulit meriti dignitatem : verum etiam martyrii incommutabilem tribuit charitatem : ita etiam nos quos adoptionis sue gratissimo munere decoravit : justicia indutos faciat ejus assequi dignitatem. Et peracto luctamine mundi : indulgentie beneficio : concedat nitorem charitatis perpetue adipiscere. Atque sicut ejus muneris : ut vite hujus ille premia contemneret : dum future perennem gloriam affectaret : ita ipsius sit gratie : ut temporales corde fixo illecebras respuamus : et sempiterna gaudia feliciter expectemus : ut hujus Martyris apud Deum suffragiis muniamur : ex cujus festivitate gloriosam incarnationis divine inchoamus celebrare adventum. ℟. *Chorus.* Amen.

Alia Oratio. Sempiterne atque in Sanctis gloriose

[a] *Spiritum.* Sanctum Spiritum appellant Spiritum sanctificationis, qui a Deo mittatur *ad oblatum hoc sacrificium* sanctificandum, atque adeo ad dona consecrata omni cœlesti benedictione replenda, quæ rite communicantibus infundantur.

[b] *Aciscli.* Sanctum Aciscelum martyrem Cordubensem, sub Diocletiano et Maximiano, capite truncatum anno 303 Missale et Breviarium Mozarabum, Orationale Gothicum et Martyrologia Adonis, Flori, Usuardi, et Romanum Baronii, die 17 Novembris commemorant, die vero sequenti XIV Kal. Decembris Hieronymiana de eo agunt. Ex illatione hujus missæ habemus, sanctum Aciscium antea fidei causa verbera, opprobria et exsilium passum fuisse, an sub Diocletiano, an sub alio persecutore incertum. Prudentius (*Hymn. 4 de Coron.*) de Aciscelo canit :

Corduba Aciscium simul et Zoellum
Tresque coronas.

Martyres scilicet Faustum, Januarium et Martialem, de quibus supra egimus. Sancti Aciscli ædes, in qua sacrum ejus corpus sepultum jacebat, haud procul ab urbe Corduba sita erat; hanc ædem et sepulcrum martyris, cum Ægila rex Gothorum, in contemptum religionis catholicæ, profana set, dignas impietatis pœnas brevi postea dedit. Nam erumpentibus Cordubensibus, quos obsidione gravi premebat, partem exercitus, interfecto filio, et *thesaurum omnem cum insignibus opibus perdidit;* soluta obsidione, ipse victus Emeritam se recepit, qua in urbe a suis interfectus est. Hæc sanctus Isidorus in Chronico Gothorum, edito a Labbeo (*Bibl. manuscr. libr., tomo I, pag.* 67), quæ in vulgatis Editionibus frustra quæsieris. Adverte, apud Labbeum (*Loco citato*) errore amanuensis, *Beatissimi martiris Sacircli* perperam, pro *Aciscli*, nomen scriptum esse. Sancto Aciscio martyri quædam Martyrologia addunt sanctam Victoriam; at Missali et Breviario nostro inscribitur *Aciscli et comitum*, inter quos forte Victoria fuit. Tradunt Ado et, ex eo, Usuardus, Cordubæ *ob commendationem pretiosæ mortis eorum rosas ortas divinitus florentes colligi* die festo sancti Aciscli. Martyrologia Hieronymiana vetustiora de sancta Victoria silent; de rosis tamen Lucense Florentinii meminit sic XIV Kal. Dec. : *In Spania, Corduba civitate, Aciscli martyris. Hac die colliguntur ibidem rosæ.* Similia in Gellonensi leguntur; at Corbeiense Dacherii silet de rosis. Plura de sancto Aciscio, si vacat, legas apud Tamaium de Salazar in Martyrologio Hispano (*Tom. VI, pag.* 204).

et ammirabilis Deus : respice quesumus hujus fidelis A populi tui religiosissimum conventum : in recordationem tui Martyris Aciscli : ad laudandum te unanimiter congregatum. Et cunctorum qui prospicis votum : placidum accommoda paterne pietatis affectum. Reple singulorum corda dono spiritus principalis : et a cunctis expelle vicium infructuosi timoris. Ut pro veritate discamus indubitanter animas ponere : et ad celestem gloriam obtinendam totis viribus festinare. Hec vero pura libamina sacrificii salutaris sereno obtutu respiciens : ita nostris oramus precibus semper adesse digneris : quo et pro obsequiis **407** Martyris tui Aciscli largus nobis remunerator existas : et in die adventus tui faciem tuam nobis placatus ostendas. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. O quam admirabilis es hodie Domine : in oculis plebis tue Martyris tui Aciscli B palma triumphalis victoriæ. Dum gloriosus hic dies festivitatis ejus : et adventus tui laudabilis [a] exornatur : et passionis ipsius titulis inlustratur. Pro quo quesumus Domine clementiam tuam : ut effusus ejus cruor tam offerentibus : quam defunctis obtineat criminum veniam : et adventus glorie tue inlustret pectora nostra. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Pax Domine quesumus servetur in famulis : que olim est habita plenissime in electis. Ut sicut per eam Sanctus Martyr tuus Aciscius : et dilectione adventus tui flagrabat : et passionis inlate verbera sustinebat : ita queque nos per eam et carnalium viciorum inlecebras evincamus : et adventum incarnationis tue devotis mentibus celebremus. ℟. *Chorus.* Amen. C

Inlatio. Equum et justum est : dignum : et pulcrum est : nos tibi semper gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui sancto suo geminam Aciscio coronam donavit : dum in eo et meriti honorem : et martyrii dignitatem mirabiliter consummavit. Qui secutus est ingressu impigro Dominum Salvatorem : et impios contempsit furore sacrilego sevientes. Currebat enim alacer per metas seculi blandientis : ut apprehenderet bravium perpetue claritatis. Toleravit exilia. Sustinuit obprobria : tantum ne fraudaretur celesti victoria. O beata passio sancti Martyris : qui caput calcavit tortuosi serpentis : et hostiam obtulit sui beatissimi sanguinis. Elegit caput mortalibus membris infixum abscisioni subjicere : quo posset capiti sempiterno suum caput infigere : et cum ceteris Sanctis sanctam Domino gloriam decantare. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. D

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus et ammirabilis : Dominus noster Jesus Christus Filius tuus. Qui beatum Martyrem suum Aciscium : et virtutum floribus exornavit : et passionis gloria extulit. Quesumus igitur Deus Pater : ut eo suffragante detur nobis perseverantia bone vite : ex cujus festivitate moris nostri est adventus filii tui gloriam in laudibus inchoare. Per ipsum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Oblatum tibi hoc sacrificium : inlustratione quesumus adventus tui omnipotens Deus sanctificetur. Quo mereamur omnes qui hunc diem Martyris tui Aciscli annua celebritate excolimus : nostrorum criminum veniam eo suffragante percipere : et horum perceptione libaminum mundati a crimine : regnum tuum ammirabiliter postolare.

℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Omnes nos : qui terribilem adventum tuum Domine expectamus : refoveat et confortet ille veritatis spiritus : quo Martyr tuus Aciscius ad subeunde passionis certamen est roboratus. Ut sicut idem Martyr tuus eodem spiritu in se permanente : post consummatum supplicium meruit consortium beatorum : ita nobis eodem nunc pro nobis interpellante : mereamur nostrorum obtinere veniam delictorum : cum his quibus nos docuisti verbis exclamaverimus e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnes qui beati Martyris Aciscli festum excolitis : et divine incarnationis mysteria ammodo celebranda in laudibus inchoatis : benedicamini dono spiritus principalis. ℟. Amen. Amor adventus Dei emaculet vos ab omni delicto : quo possitis post transitum Martyris sui Aciscli adunari consortio. ℟. Amen. Ut celebritas adventus Domini vos exuat a crimine : et obsequium Martyris eternam vobis preparet mansionem. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Dicat Chorus. Gustate. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine **408** te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio plurimorum Mart. fol. 426.

In octava Sancti Martini :
Omnia dicantur ut in festo ipsius. fol. 402.

In Sancti [b] Romani Martyris:
Ad Missam. [c] Officium.

Sanguinem justorum requiram ego : dicit Domi-

[a] *Exornatur.* Forte, *exordium;* nam Gotho-Hispani a festivitate sancti Aciscli Adventum inchoabant, ut patet ex oratione *Post Sanctus* in qua : *Ex cujus festivitate moris nostri est adventus Filii tui gloriam in laudibus inchoare ;* et rursus *in Benedictione* dicitur : *Omnes qui beati martiris Aciscli festum excolitis, et divinæ incarnationis misteria amodo celebranda in laudibus inchoatis,* e c., et in Breviario similia leguntur. Sed circa initium Adventus varia fuit Ecclesiarum Hispaniæ disciplina, ut in præfatione monui.

[b] *Romani.* Sanctum Romanum exorcistam et diaconum Cæsariensem, qui Antiochiæ, anno primo persecutionis Diocletiani, *generoso, si quis unquam alius, martyrio coronatus est,* Menologia Græcorum et Martyrologia Latinorum die 18 Novembris enuntiant. Antiquum esse ejus in Hispania cultum, probat hymnus

[c] *Officium.* Ex ps. IX, 13 et Apocal. XXI, 3. ℣. Sap. V, 17.

nus : et habitabo cum eis in regno meo : alleluja : alleluja. ℣. Justi autem in perpetuum vivent : et apud Dominum est merces eorum. *P.* Et habitabo. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto.

bat hymnus Prudentii 10 de Coron., in Gallia, homelia sancti Eucherii Lugdunensis episcopi (*De S. Romano*) quæ sub nomine Eusebii Gallicani in Bibliotheca Patrum legitur (*Tom. VI, pag.* 671, *Edit. Paris.*), et ecclesiæ Viennæ et Lugduni ejus nomini sæculis v et vi erectæ (*Tillem., Hist. eccl. tom. III, pag.* 624), de Colonia, Hist. litter. Lugdunen. (*T. II, pag.* 297). In Missali Mozarabum missam propriam habet, in Breviario officium proprium, et plerasque orationes in Orationali Gothico (*Pag.* 6). De eo tamen Martyrologium Bedæ Genuinum, et libri liturgici Romani antiqui silent. Martyrium sancti Romani fuse describit Prudentius (*Hymn.* 10 *de Coronis*). Initium et finem ejusdem diligenter scribit Eusebius Cæsariensis (*Hist. eccl. lib.* VIII ; *de Mart. Palæst., cap.* 2, *Edit. Vales.*), et rursus idem Eusebius (*Lib.* II *de Resur. et Ascens.*) attingit martyrium sancti Romani, et multa supplet quæ in libro de Martyribus Palæstinis omiserat. Est hic liber, sive sermo, unum ex quatuordecim opusculis Eusebii Cæsariensis editis a Sirmundo (*Oper. Sirm. tom. I*), quæ, quamvis Latine tantum exstent, tamen Sirmundus, Hen. Valesius, Tillemontius, Ruinartius, aliique passim, tanquam genuinum Eusebii Cæsariensis fetum, laudant (*Vid. Oudinum, de Script. eccl. tom. I, col.* 313; *Dupin., tom. II, p.* 9; *D. Remigium Cellier, tom. IV, cap.* 8, *art.* 13). Guilielmus Cave ea opuscula tribuit Eusebio Emiseno, cujus hac in re judicium *absurdum plane* Oudinus pronuntiavit (*Ibid.*). Sunt præterea Romano binæ homiliæ inter opera sancti Chrysostomi (*Edit. Maur. tom. II, a pag.* 611). Harum prima, quæ tota versatur circa sanctum Romanum, excisa lingua, loquentem, ut omnes fatentur, est fetus genuinus sancti Chrysostomi ; alteram, ob styli, inquiunt, diversitatem, aliqui a sancto Chrysostomo abjudicant, alii, et hi harum rerum periti, sub nomine sancti Chrysostomi eam citant. Certe hanc styli diversitatem Fronto Ducæus non animadvertit ; et in Editione Maurina hæc homilia in appendicem rejecta non est. Tillemontius (*Tom. V, pag.* 206) eam presbytero Antiocheno tribuit, et D. Bernardus de Montfaucon (*In admonit. prævia*) putat ejus esse presbyteri cui munus concionandi alternatim cum Chrysostomo Flavianus imposuerat. Ad veritatem rerum quæ de sancto Romano narrantur, parum refert an hæc secunda homilia sit sancti Chrysostomi an presbyteri anonymi concionatoris, quandoquidem uterque historiam martyrii sancti Romani probe noverat. In hac homilia de pueri martyrio fuse agitur, et sanctus Romanus dicitur occasionem præbuisse passioni suæ, se opponendo præfecto, cum in ecclesiam Christianorum sacrificaturus irrumpere vellet. Exstat quoque homilia Eusebii Gallicani de sancto Romano, de qua supra mentionem feci, sive ea Eucherii Lugdunensis, ut passim traditur, sive alterius æque antiqui tractatoris sit, in qua etiam quædam de infantis martyrio leguntur, et Romanus, sine lingua loquens, laudatur. Acta præsidialia martyrii sancti Romani olim legebantur, quæ præfectus diligenter transcripta Diocletiano miserat. De iis meminit Prudentius (*Hymn.* 10 *de Coron.*) eaque perlegerat; horum etiam exemplaria in Ecclesia Antiochena conservabantur, ut par est credere. Acta quædam sancti Romani apud Mombritium et Surium habentur, et pariter (*Tom. II, a pag.* 17.) exstant inter Acta martyrum Orientalium et Occidentalium e Codice Syriaco in linguam Latinam translata ab illustr. Stephano Evodio Assemano, archiepiscopo Apameensi ; sed hæc Acta præsidialia non sunt, imo medica manu indigent. Passus est sanctus Romanus anno æræ vulgaris 303, anno primo persecutionis Diocletiani, *die septimo decimo mensis Dii, quod est apud Romanos ante diem* XV *Kalendas Decembris*, inquit Eusebius (*De Mart. Palæst., cap.* 1), et reipsa die 15 Novembris in vetustis Apographis Martyrologii sancti Hieronymi, Lucensi Florentinii, et Corbeiensi Dacherii enuntiatur *Cæsareæ* Romanus, et die sequenti *Antiochiæ* Romanus, Barale, etc. Forte Eusebius morem Ecclesiæ suæ in annotanda morte sancti Romani secutus est. Certe in Menologiis Græcorum, et Martyrologiis Latinis colitur, non die XV, sed XIV Kal. Decembris. Eminentissimus Baronius opinatus est duos exstitisse Romanos qui Antiochiæ passi sunt, quos in unum Prudentius conflaverat (*In not. ad Martyr. Roman., die* 18 *Nov.*). In eamdem sententiam ivit eruditissimus Florentinius (*Not. ad Mart. Lucense, die* 17 *et* 18 *Nov.*). Rationes illis sunt quod Græci in Menologiis duos Romanos colunt; quod horum alter solus, alter cum puero passus sit; quod alter martyrium subiit quia Christianos ad delubra deorum euntes libera voce redarguerit; alter quia præfectum ecclesiam ingredi volentem prohibuerit; demum quod alter Romanus fuerit clericus, alter monachus. Hæc argumenta infra examinabo diligentius. Huic contraria sententia tenet, unicum exstitisse Romanum martyrem Antiochenum. In hanc ivit Fronto Ducæus (*In not. ad hom.* 1 *S. Chrys., ibi, pag.* 99), quem secuti sunt Valesius (*In not. ad Euseb. lib. de Mart. Palæst., c.* 2), Tillemontius (*Hist. eccl. t. V, pag.* 669), Ruinartius (*Act. Mart., pag.* 579), pluresque alii. Inter utramque hanc sententiam dubius hæret Sollerius (*In not. ad Usuard., die* 18 *Nov.*) omnemque difficultatem alibi diligentius examinandam seponit. Mihi, ut in materia difficili, eorum opinio magis placet qui unicum admittunt Romanum martyrem, eumdemque diaconum Cæsariensem, Antiochiæ passum, nec puto Prudentium, aut inscitia rerum, aut ornandi carminis causa, e duobus unum finxisse Romanum, sed præcipua martyris gesta, et Dei miracula in ejus passione patrata, fideliter narrasse, uti in Actis præfectoriis legerat. Non tamen censendus est ipsa Acta transcripsisse, nam carmen panxit, eamque ob causam minuta quædam prætermisit, et in concionibus prolixior est, in quibus credibile est eum dicta sancti Romani fusius explicasse. Nam et sanctum Romanum in tormentis positum plura in contemptum idolorum et ad Dei veri laudem dixisse, innuunt Prudentius cum eum *fortem Dei assertorem* dicit, et sanctus Chrysostomus cum ait, eum, instar citharæ et cymbali percussi, carmen pietatis edidisse. Cæterum cardo hujus difficultatis in silentio Eusebii Cæsariensis (*Lib. de Mart. Palæst., cap.* 2) vertitur; at ille (*Ibid.*) haud obscure se multa prætermisisse innuit; nam si nihil in passione sancti Romani contigerat præter ea quæ in citato libro refert, qua fronte dicere potuit, Romanum *generoso, si quis alius unquam, martyrio decoratum esse?* At si dixerimus Eusebium in libro de Martyribus Palæstinæ pleraque ad martyrium sancti Romani spectantia de industria omisisse, difficultas omnis evanescit. Multa autem omisisse Eusebium et Prudentii (*Hymn.* 10 *de Coron.*), et Chrysostomi (*Hom.* 1 *de S. Rom.*) et anonymi, qui forte Chrysostomus est (*Hom.* 2 *de S. Rom.*), et ipsius Eusebii (*Lib.* II *de Resur. et Ascens.*) probat auctoritas. De industria ista prætermissa esse haud dubitandum est, cum ea ignorasse Eusebium vix sit credibile; sed quia Romanus, cum Antiochiæ passus fuerit, inter Antiochenos martyres potius numerari debuit, quam inter Palæstinos, ad quos gente, non martyrio, pertinebat, certamen ejus breviter tantum, in libro de Martyribus Palæstinæ, attigit, et excusationem quamdam facit quod omnino de eo locutus sit. De puero vero martyre prorsus silet, quia ille ad Palæstinos ne gente quidem pertinebat.

cto : in secula seculorum : amen. *P.* Et habitabo. A

Oratio. Laus tua Domine in Ecclesiis Sanctorum personet : et fidelium pectora in te semper exultent. Ut dum pro debito exultant : merito sancti letentur in gaudio fideles populi. Quique vero laudem in tuo honore depromimus : cum Sanctis tuis promissa gaudia impetremus. ℟. Amen. Per misericordiam. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Vos omnes Sancti Dei vocabimini ministri Dei nostri. *Quere in festo Sancti Cosme et Damiani. fol.* 38[illegible].

[a] *Psallendo.* Transivimus per ignem et aquam : et induxisti nos in refrigerium. ℣. Probasti nos Deus. sicut probatur argentum : posuisti tribulationes in dorso nostro. *P.* Et induxisti.

Epistola. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro B et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus. *Quere in festo Sancti Christofori et comitum. fol.* 349

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam
([b] *Cap. VI, XXIII*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus elevatis oculis in discipulos suos : dicebat. Beati pauperes : quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis : quia saturabimini. Beati qui nunc fletis : quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines : et cum separaverint vos : et exprobraverint et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die : et exultate : ecce enim merces vestra multa est in celis. Secundum hec enim faciebant prophetis patres eorum. Vos autem estis qui permansistis mecum [c] in tentationibus multis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum : ut edatis et bibatis super mensam meam in regno : et sedeatis super thronos judicantes : duodecim tribus Israel. ℟. Amen.

Lauda. Alleluja. ℣. Beati qui habitant in domo tua Domine : in secula seculorum laudabunt te. *P.* Alleluja.

[d] *Sacrificium.* Regnum et potestas et magnitudo regni dabitur populo Sanctorum : alleluja. ℣. Consurget Michael princeps magnus : et salvabitur omnis qui inventus fuerit in libro scriptus : et qui ad justitiam erudiunt multos : fulgebunt quasi stelle in B perpetuas eternitates : pertransibunt plurimi : et multiplex erit scientia. *P.* Populo.

Missa. [e] Annua celebritatis recursio hunc diem nobis fratres charissimi representat : et lachrymis sacrandum et hostiis libandum. In quo olim beatissimus Martyr Romanus : et miraculis claruit : et suppliciis triumphavit. Ipse quippe fores domus Dei fortiter obserans : ad victricia martyrii bella incitavit fidelium populorum catervas. Quo et in fide Domini viriliter permanerent : et [f] inimicum fidei limen domus Dei ingredi non sinerent. Unde in honorem tanti Martyris : summi redemptoris clementiam flagitemus : et pia ei vota reddamus. Nam idem qui dedit in Martyre Romano repugnandi fidu-

[a] *Psallendo.* Ps. LXIX, 12. ℣. Ibid., 10, 11.

[b] *Cap. VI.* Vers. 20 24; XX I, 28-31.

[c] *In multis.* Vulg., *in tentationibus meis.*

[d] *Sacrificium.* Danielis VII, 27. ℣. Ibid., XII, 1, 2, 3.

[e] *Annua.* Sanctum Romanum martyrem anno 1 persecutionis Diocletiani die XV Kal. Decembris passum esse, ex Eusebio Cæsariensi (*De Mart. Palæst.*, *cap.* 1, 2, *Ed. Val.*) eruitur; nam in fine capitis primi cum retulisset, martyrium Alphæi et Zacchæi contigisse *die 17 mensis Dii. quod est apud Romanos ante diem* XV *Kal. Decembris*, illico subdit : *Sed et memoria digna sunt in primis quæ circa Romanum martyrem* EODEM DIE *Antiochiæ gesta sunt.* Hæc cap. 2 (*Ed. Val.*) leguntur; illud autem *eodem die* sumendum non esse de die quo captus est sanctus Romanus aut quo igni addictus, et deinde, a rogo abductus, lingua illi præcisa est, sed de die quo in carcere, *in ipso jacens nervo, fractis laqueo faucibus, martyrio, sicut optaverat, exornatus est*, ipse Eusebius ostendit; nam in eodem capite scribit, sanctum Romanum, post D abscissam linguam, *diutissime* in carcere maceratum esse, jacentem in ligno, *ad quatuor usque puncta distentos pedes* habentem; additque necatum esse anno primo persecutionis, cum *imperatoris vicennalia jam adessent, et ex solemni more universis qui in custodia habebantur indulgentia publice per præconem annuntiata esset.* Jam vero ex libro de Mortibus persecutorum habemus vicennalia Diocletiani a die XII kal. Decembris anno æræ vulgaris 303 celebrata esse, atque adeo diem XV Kal. Decembris, de quo Eusebius, diem esse gloriosæ mortis sancti Romani. De hac re fusius aliquantulum dixi, quia modus loquendi hujus orationis Missalis nostri nonnihil similitudinis habet cum loquendi modo Cæsariensis Eusebii; nam et in oratione dicitur : *Annua celebritatis recursio hunc diem nobis repræsentat... quo olim beatissimus martyr Romanus, et miraculis claruit, et suppliciis triumphavit*, quod de die emortuali sancti Romani constat intelligendum esse; dies vero quo, C felici morte, sanctus Romanus palmam gloriæ adeptus est, in Martyrologiis Latinis, et in Menologiis Græcis, plerumque non XV, quo eum necatum esse asserit Eusebius, sed XIV Kal. Decembris signatur. Verum quidem est, in Apographis vetustioribus Martyrologii Hieronymiani sanctum Romanum die XV Kal. Decembris signari Cæsareæ in Palæstina, die vero XIV Kal. Decembris Antiochiæ, simul cum Barile, et rursus simul cum Barile XV Kal. Martias; et in Menologio Basilii Græcos die 18 Novembris sanctum Romanum Antiochiæ, in carcere, laqueo necatum, et die 16 Martii sanctum Romanum diaconum Cæsareæ gladio passum referre; eodem die 18 Novembris in Menologio Canisii (*Lect. antiq. tom. II, vet. Ed.*) commemorari; hæc tamen frustra adducuntur ad probandum duos exstitisse Romanos martyres Antiochenos; sexcentis enim et amplius exemplis constat Ecclesias pro suo commodo, aut pro episcoporum libito, sanctorum festivitates diversis diebus ab iis D quibus passi sunt celebrasse, etiam ubi nullus erat prætextus, aut translationis reliquiarum, aut dedicationis basilicæ. Hæc cum diligentius non animadverterint Martyrologiorum collectores, aliquando eumdem sanctum distinctis diebus in tabulas suas intulerunt, nec tantum diversis diebus, sed nonnunquam eumdem sanctum diversis urbibus attribuunt, ac si plures forent. Demum advertendum, in Orationali Gothico (*Pag.* 6) esse titulum : *Oratio decimo Kalendas Decembres, quando et sancti Romani festum incurrit.* Illud autem *decimo* mendose scriptum est pro *decimo quarto* Kalendas Decembris, ut ex serie titulorum subsequentium patet; nam immediate subsequens titulus inscribitur : *Decimo tertio Kalendas Decembris*; tum : *XII Kal. Decembris*; post hunc : *XI Kal. Decembris*; deinde : *X Kal. Decembris orationes in die sanctæ Celie*, hoc est sanctæ Cæciliæ; qui omnes tituli prima manu exarati sunt.

[f] *Inimicum.* Ita in Or. Goth., pag. 6, or. 3.

ciam : quo non permitteret hostem Domini intrare in aulam : dabit in nobis Spiritus Sancti virtutem invictam : quo et adversarium nostre anime superemus : et eum in nostri cordis hospitio introire minime permittamus. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui beatissimi Martyris tui Romani precibus ita adfuisti : ut paratum ad supplicium suum ignem sic celestium extingueres pluviarum ex gurgite : ne locus flamme ullo modo videretur accense : tu in nos eo apud te suffragante petulantie divinis flatibus incentiva extingue : ut super nos ità stillent gutte tui amoris : quo mereamur fructum capere eterne felicitatis. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Rex noster et Domine qui ex ore Theodoli infantuli Martyris tui fecisti laudem : dum linguam ejus concessisti esse discretam per donum gratie : qui adhuc plene fari non poterat per etatem : da in ore nostro **400** et sapientie canti um : et petitionis effectum. Ut qui in hoc die Martyris tui Romani has tibi hostias immolamus : tam viventibus quam defunctis indulgentiam criminum impetremus. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Fac nos eterne Deus ea pace tibi conjungi : qua Sanctus Romanus Martyr tuus accensus : hostem [a] fores Ecclesie tue minime intrare permisit. Ut sicut ille per eam evicit tempo-

[a] *Fores ecclesiæ.* Sanctum Romanum ab ingressu ecclesiæ conatum esse prohibere præfectum Asclepiadem, Missale nostrum et Orationale Gothicum non semel docent. Idem quoque docent Prudentius (*Hymn.* 10 *de Coron.*) et sanctus Chrysostomus (*Hom.* 2 *de S. Romano*). Uterque asseruit, sanctum Romanum, ob libertatem loquendi, qua hac occasione usus est, excruciatum fuisse ; at Eusebius (*De Mart. Palæst.*) ait, cum Antiochiam eo ipso tempore venisset quo ecclesiæ destruebantur, multosque omnis sexus et ætatis, templa deorum, sacrificandi causa, adeuntes vidisset, *propius accessisse, et elata voce objurgare eos cœpisse, ob cujus facinoris audaciam illico comprehensum* igni addictum esse, etc. Hæc tamen non sufficiunt ad convincendum duos exstitisse Romanos martyres Antiochenos, alterum qui præfecto se opposuerit in ecclesiam irrumpenti, alterum qui plebem ad delubra deorum confluentem objurgavit. Nam, ut Fronto Ducæus (*In not. ad hom.* 1 *S. Chrysostomi de S. Romano martyre*) animadvertit, *Sæpe fit ut, dum eamdem pugnam duo historici narrant, quædam ejus partes ab uno attingantur, quædam ab alio prætermittantur.* Non tamen sibi invicem contradicunt isti, neque diversas pugnas, sed unam eamdemque narrant. Idem de martyrio sancti Romani sentiendum. Sane si tot admittendi sunt Romani martyres, quot apud probatos scriptores causæ adducuntur quæ occasionem ejus martyrio præbuerunt, saltem tres et fortasse quatuor distincti Romani inveniuntur; nam Eusebius citatus ait, Romanum comprehensum esse quod populum templa numinum adeuntem objurgavit. Prudentius vero et Chrysostomus quod præfecto in ecclesiam irrumpenti se objecerit; at idem Chrysostomus, vel, si vis, alius (*Hom.* 1 *de S. Romano*), ait, sanctum martyrem cum Christianos Antiochiæ metu persecutionis fractos invenisset, et plerosque a pietate defecisse aliosque dubios comperisset, totum se ad exhortandum corroborandumque fideles dedisse, ac tantum apud eos profecisse, ut pagani, repente factam mutationem animadvertentes (nam *fugitivos reduxit, metum expulit, et pro timidis audaces fecit*), in Romanum, tanquam in auctorem ejus, virus omne effuderint, linguamque illi propterea amputatam fuisse, *ut voce qua fruebantur martyris discipuli, et concilio destituti, atque admonitione privati timidiores evaderent.* En igitur ter nus Romanus. Dabo quartum. Eusebius Cæsariensis (*lib.* II *de Resur. et Ascens.*) inter Opera Sirmundi (*Tom. I, col.* 66) scribit : *In Antiochenorum illa urbe Romanus quidam exstitit martyr ; iste peregrinus advenerat illo ; cum autem jactari tempestatibus illam tunc videret civitatem, invenerat enim jam multos milites Ecclesiæ cecidisse, non est passus dare diabolo locum ut exsultaret, sed exsultantem judicem de his qui fuerant superati aggreditur : Non recedes lætus, habet enim Deus milites qui superari non possunt. Judex autem... præcepit eum induci.* Tormenta adhibentur, etc. Hic Romanus non rapitur ad tormenta et mortem quod sacrificantes increpuerat, non quia præfectum ab ingressu ecclesiæ averterat, non quia fideles animaverat ad constantiam in fide, sed ipse sponte, ut ostendat Christo non deesse *milites qui superari non possunt*, judicem aggreditur, se tormentis et morti objicit. Num igitur quatuor sunt Romani? Minime ; sed dum martyrium unius Romani narratur a diversis, alii hanc, alii illam ejus partem describunt, cæteris prætermissis. Romanus enim, cum Antiochiam venisset postquam edicta persecutionis proposita fuissent, et omnia terrore et sollicitudine plena invenisset, desertores fidei increpat, terret, et ad fidem revocat : en causam martyrii quam adduxit Eusebius (*Lib. de Mart. Palæst.*). Stantes in fide laudat, hortatur, dubios animat ad bene sperandum, ad vitam præsentem contemnendam ut futuram assequantur : en causam quam Chrysostomus (*Hom.* 1 *de S. Rom.*) affert. Deinde cum præfectus vellet ingredi ecclesiam, Romanus, moriendi pro Christo cupidus, fideles hortatur ne elabi sinant oblatam occasionem rapiendi martyrii palmam ; neque satis illi fuit cunctos ita ad certamen fidei animasse ut viri, mulieres, parvulique statuerent in eodem loco mortem, pietatis causa, oppetere, sed, præmissa brevi ad Deum oratione, de ecclesia exsiliens, prodit in vestibulum, et *jam irruentem impietatis inundationem coercet*, præfectum ipsum invadens : *Siste*, inquit, *tyranne, furiosum hunc cursum, imbecillitatis tuæ mensuram agnosce, crucifixi terminos revereri*, etc. : en causam quam Chrysostomus (*Hom.* 2 *de S. Rom.*) et Prudentius (*Hymn.* 10 *de Coron.*) volunt occasionem dedisse martyrio, et hoc tempore credibile est Romanum dixisse præfecto : *Haud lætus discedes, et habet Deus milites qui vinci nequeunt*, et alia quæ refert Eusebius (*De Res. et Ascens., lib.* II). At, inquis, persecutio incipiebat ab ecclesiarum eversione, atque adeo stantibus ecclesiis ad sacrificandum non compellebantur Christiani. Hinc sequitur, non eumdem fuisse Romanum qui præfectum ab ecclesia amovit, et illum qui sacrificaturos corripuit. Verum ista non satis solido nituntur fundamento. Nam, etsi Nicomediæ ecclesia diruta est antequam proponerentur edicta persecutionis, tamen in aliis urbibus id ita factum esse credibile non est, imo rationi videtur magis consentaneum, prius proposita esse edicta Augustorum, et Cæsarum, ut omnes scirent professionem religionis Christianorum vetitam esse, et simul innotesceret quomodo erga Christianos quisque se gerere debebat, et tum demum eversas esse ecclesias ; at interim, procul dubio, haud pauci, tum ethnicorum, tum Christianorum, ad delubra sacrificaturi confluxere, quos Romanus redarguit, qui Antiochiam venerat, propositis jam edictis, cum in urbibus quibusdam, per quas transierat, ecclesiæ dirui cœperant. Quare ex hoc capite nulla suppetit ratio qua cogamur duos Romanos martyres admittere. Neque hoc prætermittendum, Chrysostomum (*Hom.* 2 *de S. Rom.*) aperte docere præfectum ad ecclesiam contendisse, eo animo, ut in ara incruenta victimas diis profanas mactaret, atque ideo, post sacrificium solemne, cum sacrificulis et omni pompa sacrificii *ad ecclesiam pergebat stillantem sanguine* mox facti sacrificii, *præ se ferens securim, incruentum alia e,*

rale supplicium : ita quoque nos ea in nobis permanente : et mundi inlecebras respuamus : et devicto hoste eterna gaudia prestolemur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Qui est admirabilis in Sanctis : et fidelis in verbis suis. Predixit quippe ille hos posse linguis eloqui [a] nobis : qui signati in eum credidissent stigmate crucis. Quo celestium dono verborum claruisse vidimus etiam Martyrem suum hunc Romanum. Qui recisis meatibus lingue : nobis adorsibus Dominum meruit conlaudare. Furor namque sacrilegi persecutori horrendus : volens in Martyre Christi extinguere fidem : radicitus desecavit loquacis ejus organum lingue. Putans quod illius non posset remanere fides in corde : cujus confessionis prolata non fuisset ex voce. Sed non abegit ab ore Martyris adorsum : qui a corde ejus non potuit dirimere ex parte perditum verbum. Ipse quippe verborum dator loquebatur in Martyre : in quo vivunt omnia rationis conditione. Namque linguis ori nunquam deest organum vocibus : si tamen habitet in eo cognitio veritatis. Ille etenim si precipit mutata nature lege tota membra omnisque humana artus possent repercussos sonos formare verborum : qui fecit ut sola in homine lingua loquatur. Unde Romanus hic Martyr de amissione lingue non doluit : cum in se Dominum loquentem audivit. Sed protinus medico A desecanti linguam : ab intus protulit et in sacrificio eam Domino litandam : offerre curavit. Ut hec que erat prenuncia sensuum . expertrix secretorum : et totius corporis beneficium : prima Deo in laudis hostia offerretur : et sic reliqua subjecta membra corporis sequerentur. Proinde te sancte Pater exposcimus : ut ipse per os nostrum semper loquaris : et corda nostra repleas spiritualibus documentis. Ut quicquid nunc coram te in confessione peccatorum nostrorum deposcimus : tu accipias : et dona future gratie que speramus impertias. Crea quoque in nobis cor rectum : spiritum novum : noveque laudationis preconium : ut tam corde quam voce te cum omnibus Sanctis tuis conlaudemus : atque ita dicamus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

B *Post Sanctus.* Vere sanctus : vere benedictus in Sanctis tuis : vere inestimabiliter gloriosus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Ob cujus fidem fortissimus athleta Romanus animam posuit : et [b] puerulus Theodolus furenti glad o lactantis infantie collum subjecit. Pro quo te Deus Pater soli tibi debetur honor virtutis : et eterne gloria potestatis : quem et elinguis Romanus voce concelebrat : et infantulus Theodolus adorandum piis documentis insinuat. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Christe redemptor nostre mortalitatis : qui celestibus aquis emissis Romanum tuum olim [c] liberasti a flammis : immitte nunc su-

ad nefarium sacrificium perquirebat. At Prudentius silet de intentione quam habuit sacrificandi, et ait præfectum ad ecclesiam venisse ut aram everteret, et foribus sublatis, basilicam ipsam pessumdaret : ista autem conciliari possunt si dicatur Asclepiadem in animo habuisse prius in ara ecclesiæ sacrificare, ut hac etiam injuria Christianos et Deum verum afficeret, ac deinde basilicam evertere.

[a] *Nobis.* Lege *novis adorsibus.* Id est, verbis novis, voce et loquela novis.

[b] *Puerulus Theodolus.* De hoc puerulo fuse Prudentius (*Hymn.* 10 *de Coron.*), sanctus Chrysostomus, sive alter, inter ejus Opera (*Hom.* 2 *de S. Roman.*), Eusebius Gallicanus, sive Eucherius Lugdunensis (*Hom. de S. Rom.*). In Martyrologiis passim *Baralos* appellatur, in Missali et in Breviario Mozarabum *Teudolus*, in Orationali Gothico *Teudola.* Græci in Menologiis de eodem, omisso proprio nomine, meminere ; de eo Eusebius silet in libro de Martyribus Palæstinis, quia Palæstinus non erat, et in lib. II de Res. et Ascens., quia ad materiam quam in eo libro tractat hujus martyrium non pertinet; eadem de causa sanctus Chrysostomus eum (*Hom.* 1 *de S. Romano*) omisit. Nam tota illa homilia agit de miraculo Romani loquentis excisa lingua. Occasionem martyrio hujus pueruli sanctus Romanus præbuit; cum enim assidue urgeretur a judice ad cultum dæmonum, ut ostenderet ejusmodi cultum non esse rationi consentaneum, *infantem e foro duci postulavit, ut eum de rebus quibus a judice interpellabatur* arbitrum constitueret. Annuit præfectus, puerulum e turba astantium fortuito captum in medio statui jubet, cui Romanus : « Fili, inquit, quid tibi videtur, unusne adorandus est Deus, an plures? » Subrisit infans, et : « Unus plane Deus omnipotens colendus est, respondit, *genera deorum multa nec pueri putant.* » Ad hæc, quæ omnino præter ejus exspectationem audiverat, frendens Asclepiades : « Et quis te ista docuit? » et in- C fans intrepide : « *Mater*, inquit, *et matri Deus.* » Erat enim parente Christiana genitus. Nec mora, infans in equuleum tolli et immaniter torqueri coram matre jubetur, ac deinde decollari, ut Prudentius et Chrysostomus distincte tradunt.

[c] *Liberasti.* Sanctus Chrysostomus in utraque homilia de sancto Romano de supplicio ignis quo condemnatus fuit silet. Eusebius Cæsariensis (*De Mart. Palæst.*, c. 3) scribit quidem, sanctum Romanum ad locum ubi comburendus erat hilari vultu processisse, et a rogo de sententia Cæsaris, qui tum forte præsens aderat, esse revocatum, at de aqua cœlitus immissa, ne rogus accendi posset, omnino silet. Sed Missale nostrum et hac oratione *post pridie*, et supra in *alia oratione*, et infra in *benedictione*, aquam e cœlo immissam commemorat, ne accendi posset flamma ad martyrem Romanum urendum. De hoc miraculo Prudentius (*Hymn.* 10. *de Coron.*) et Eusebius (*Lib.* II *de D Resur. et Ascens.*) fuse agunt. Ab utroque traditur, sanctum Romanum et infantem post tormenta carcere clausos fuisse, atque inde eductos iterum in equuleo suspensos et cruciatos fuisse; præfectus autem (qui a Prudentio et Menologio Basilii appellatur Asclepiades), inquit Eusebius, *volens flectere hunc juvenem*, Romanum, scilicet, voce, et manibus, oculisque tortores incitabat; *sed cum fatigarentur torquentes, et jam nulla esset derelicta tormentorum adinventio : Cur jam, tyranne, cessas?* inquit martyr; *confessus sum verum regem esse Christum.* Quo dicto offensus præfectus (ita enim illud interpretatus erat ac si negasset imperatores et Cæsares veros reges esse), Romanum igne damnavit, *quia ita de mortali ausus erat loqui*, puerulum autem decollari jussit. Hunc inter tormenta Prudentius et Menologium Basilii exclamasse tradunt *Sitio*, et aquam postulasse, quem mater astans hortata est ad sitim etiam fortiter tolerandam : « Brevi enim ad fontem vitæ perennis venies, » aiebat; illum autem, matris voce excitatum alacri-

per hoc sacrificium imbres tue benedictionis : ut qui ex eo libaverint : et peccatis careant : et virtutum spiritualium copiam adipiscantur. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam. Memores dilectissimi fratres Romani beatissimi interritam fidem : et inconcusse spei soliditatem : qua se predixit paratum sibi incendium nullis modis esse visurum : cor nostrum armis spiritualibus perarmemus : et ea que a Deo postulaverimus : posse nos promereri credamus. Nam idem qui tunc propicius adfuit sui Martyris voto : et erit procul dubio nostre confessionis acceptor. Ut qui illi tribuit martyrii palmam : non rejiciat nostram in honore tanti Martyris obsequelam. Extendamus ergo cum palmis ad ethera vocem : et ea que nos ipse instituit orare : proclamemus e terris cum summa mentis intentione. Pater noster. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

410 *Benedictio.* Redemptor noster ac Dominus : qui [a] elinguem Romanum fecit insigniter eloqui :

ter et tormenta et sitim superasse. Tradit etiam Prudentius, sanctum Romanum a sententia præfecti ad Christum judicem appellasse, ac deinde prædixisse se comburendum non esse, et Missale nostrum in *oratione altera* innuit Deum id concessisse precibus sancti Romani ut ab ignis supplicio liberaretur : *Deus qui beatissimi martyris tui Romani precibus ita adfuisti, ut paratum ad supplicium suum ignem sic cœlestium exstingueres pluviarum ex gurgite, ne locus flammæ ullo modo videretur accensæ, tu in nos*, etc. Romanus igitur procedit ad supplicium *lætus, et coronatus sanguine..... portans in humeris crucem, et in fronte signum regale*, crucis nimirum, quam, more Christianorum, fronti imposuerat (*Euseb. de Res. et Ascens., l.* II). Prudentius pariter scribit, sanctum Romanum, cum ad ignem raperetur, gessisse furcam, cui alligandus aut clavis figendus erat. Addit Eusebius (*Ibid.*) ex astante populo alios dixisse : « Ubi est istorum Deus, » alios, et hi Judæi erant, in memoriam revocasse Deum olim tres Hebræos ab igne illæsos servasse, quæ cum in contemptum religionis Christianæ jactarentur, en nubes, cum fragore et vento valido, ingentem vim grandinis et aquæ undatim effundit, congestum rogum dissipat, ignem exstinguit. Bustuarii cum turbine frustra luctantur, nec rogum reparare, neque ignem accendere queunt. Ad præfectum refertur, cœlum prohibere ne ad supplicium Romani rogus accendatur; præfectus de tota re Cæsarem certiorem facit, quo inconsulto, sententiam mutare ausus non est. Hæc cum Galerius audivisset, quamvis graviter tulerat quod martyr dixerat *verum regem esse Christum*, tamen præfecto respondit cum Deo jurgandum non esse, *sed istum quem Deus liberavit dimitti debere;* atque ita Romanus, Dei beneficio, rogum, uti prædixerat, evasit (*Eus., l.* II *de Res. et Ascens.*). Imperatorem præsentem fuisse Antiochiæ cum sanctus Romanus igne condemnatus est, Eusebius Cæsariensis (*Lib. de Mart. Palæst., c.* 2) aperte dicit, et rursus (*Lib.* II *de Resur. et Ascens.*) haud obscure innuit : eum quidem τὸν βασιλέα appellat; sed ex ipso Eusebio, aliisque ejus ævi scriptoribus, constat non modo Augustos, sed et Cæsares, promiscue apud Græcos τοὺς βασιλέας dictos esse. Et hunc imperatorem Valesius (*In not. ad lib. de Mart. Palæst.*) Galerium esse opinatus est, quem secutus sum. At Acta martyrum Orientalium et Occidentalium, quæ e Syriaco in Latinum transtulit archiepiscopus Apameensis Evodius Assemanus (*Part.* II, *pag.* 178), habent, judicem sanctum Romanum igni adjudicasse, quo majorem *apud Diocletianum imperatorum principem, qui tunc Antiochiæ aderat*, iniret gratiam, et infra : *At Diocletianus latam a judice sententiam inhibuit*. Hæc clara sunt. Nihilominus a recepta sententia recedendum non est, quam satis efficaciter comprobat auctor libri de mortibus Persecutorum, ex quo habemus, Diocletianum anno 303 Nicomediæ hiemem transegisse, atque inde, forte mense Aprili, aut Maio, Romam versus perrexisse, Romæ a die 20 Novembris vicennalia celebrasse, atque XIII Kal. Januarii Roma decessisse, Ravennæ Kalendis Januarii 304 consul IX processisse. Hæc citatus Scriptor (*Cap.* 10, 13, 14, 15, 17). Galerius autem hiemem anno 303 transegit Nicomediæ cum Diocletiano, quem tandem impulit ad sævissimam persecutionem contra Christianos movendam, cui die 23 Februarii initium factum est, et die sequenti 24 edicta persecutionis proposita fuerunt Nicomediæ. Deinde, nequitia Galerii, ut scribit citatus auctor (*Cap.* 14), incendium in palatio Nicomediensi excitatum est, quo pars ejus conflagravit, ac *quindecim diebus interjectis, aliud rursus incendium molitus est* Galerius, qui tunc Nicomedia decessit, *contestans fugere se ne vivus arderet*. Relicto igitur Nicomediæ Diocletiano, Galerius post medium mensis Martii, et fortasse circa finem ejusdem mensis, Orientem versus profectus est. Diocletianus, post discessum Galerii, Nicomediæ aliquandiu remansit, torquendis Christianis occupatus, quos aiebant palatium incendisse, ut Augustum et Cæsarem domi suæ vivos comburerent. *Hoc igitur patrato scelere, Diocletianus, cum jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret*, inquit citatus auctor (*Cap.* 17), quibus apparet Diocletianum toto anno 303 Antiochiæ non fuisse, atque adeo imperator ille qui Antiochiæ aderat cum sanctus Romanus igni traditus est, non *alius erat* quam Galerius Maximianus Cæsar, qui ut rebus Orientis prospiceret, dum ambo Augusti in Italia versarentur, et pax cum Persis nondum composita erat, Antiochiam venerat.

[a] *Elinguem.* De ingenti hoc miraculo silet Eusebius (*De Mart. Palæst., cap.* 2); at idem fuse lib. II de Resur. et Ascens. describit. Idem miraculum Prudentius (*Hymn.* 10 *de Coron.*), sanctus Chrysostomus (*Utraque Homilia de S. Romano*), Eusebius Gallicanus (*Hom. de S. Romano*), Acta martyrum Orientalium et Occidentalium Syriaca, et illatio Missalis nostri (*In hac missa S. Romani*), fuse prosequuntur; omnium tamen optime totius rei narrationem texuit Eusebius Pamphili in citato libro, sive sermone secundo, de Resurrectione et Ascensione : refert autem, præfectum *tyranno* Galerio Maximiano *blandientem*, Romanum a rogo revocatum non dimisisse, sed ei *linguam qua fuerat locutus in hominem incidi* jussisse, et in carcerem reduci. Aderat forte quidam Christianus chirurgus, qui a fide, non sponte, sed tormentorum metu, defecerat, eumque, quia apud se *parata habebat ad istam necessitatem ferramenta*, coegerunt linguam martyris exscindere; ille invitus quidem, tamen excidit, abscissam vero linguam *non abjecit, sed, ut medicamentum, ad sanitatem illius delicti quod admiserat abnegando domi recondidit* honorifice, ut solent reliquiæ martyrum. Abscissa itaque lingua Romanus illico in carcerem reducitur; quo cum ingrederetur, custos carceris nomen suum proferre jubet, et ille : *Romanus*, inquit, *dicor*. Quam vocem omnium admiratio consequitur, et eorum maxime quibus notum erat Romanum esse blæsum, nec nomen suum expedite pronuntiare, ob difficultatem litteræ caninæ. Illico nuntiatur *judici et tyranno præsenti* Romanum, excisa lingua, expedite loqui. Præfectus suspicatus medicum fraudem fecisse : *Etiam iste*, inquit, *Christianus adhuc est, et parcens fratri præceptum contempsit. Comprehensus* itaque *medicus ad judicem* ducitur. Accusatur non recte functum esse munere suo, et Romanum etiam nunc expedite loqui. *At ille*, sibi conscius quod ma-

ipse ora vestra faciat dignis virtutum predicamentis attolli. ℟. Amen. Quique imbre celesti extinxit incendium Martyris : ipse ardentes in vos extinguat omnis appetitus carnis titillationes. ℟. Amen. Ut eo duce inlesi mereamini exire de mundo : quo beatissimus Romanus promeruit de consummato triumphare martyrio. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate.

Com. Refecti Christi corpore. *Quere in Festo Corporis Christi. fol.* 267.

Post communio. Domine Deus omnipotens qui es vita et salus fidelium : quem venturum judicem credimus verum : esto nobis propicius. Et qui hanc oblationem pro nostra nostrorumque salute : vel pro expiatione nostrorum peccatorum in honorem Sancti tui Romani tibi obtulimus : misericordie tue opem in nos diffundi sentiamus. Ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium : dono tui muneris consequi mereamur premium sempiternum. ℟. Amen. Concedente divinitate tua Deus noster : qui es vita vivorum : et corona Sanctorum in eterna secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

In Sancti [a] *Crispini Confessoris.*

Officium et omnia alia ut in communi unius Confessoris. Quere fol. 432. *Preter Orationem*

Mirabilis in Sanctis tuis Domine virtutum exaudi supplices tuos : et peccatoribus nobis beatissimi Confessoris tui Crispini patrocinia largiri charitatis perpetue ubertatem adtribue. Hic coronam virtutis meruit : nos ejus suffragiis te donante veniam criminum : et pacem perpetue charitatis consequi mereamur. ℟. Amen.

In [b] *Sancte Cecilie Virginis.*

Ad Missam. [c] *Officium.*

Loquebar de testimoniis tuis : alleluja : in conspectu Regum : et non confundebar : alleluja :

jori mensura linguam inciderat ad internecionem potius quam ad præcisionem, cupiens martyrem a tormentis liberare, præfecto indignanti, et mortem comminanti, *respondit : Habeo linguam quam incidi, producatur alius, et secundum mensuram incisæ linguæ incidatur illi lingua; si vixerit*, mihi imputetur quod loquatur Romanus. Producitur quidam damnatus, cui ad eamdem mensuram præciditur lingua, et illico moritur. Quo experimento absolvitur medicus. At Romanus diutissime in carcere maceratus, quo tempore expedite semper locutus est *cum aliis de cruce, deque Christi victoria* conferens, tandem fractis laqueo faucibus, die 17 Novembris palmam consecutus est. Prudentius, in hac parte martyrii narranda, omisit Christianum fuisse qui linguam Romano excidit, etiam periculum in reo damnato factum, et Romanum nomen suum pronuntiasse cum ingrederetur carcerem, omisit. Narrat autem, quod Eusebius omisit, præfectum voluisse experiri an revera Romanus expedite loqueretur ; quare eum suo tribunali sisti jubet, hortatur ut libere loquatur, se patienter aures præbiturum promittit. Romanus vero cum tripodem accensum et thus pro tribunali posita (ut recenti edicto Diocletianus jusserat) vidisset, hæc primum insufflat eo ritu quo dæmones exorcizare solebat, tum altum ducens suspirium, sermonem habuit de potentia Dei, et Christi Domini, quem cum Asclepiades expedite loquentem audiret, admiratione et horrore captus, non habebat quid diceret, quidve de re tam insolita cogitaret.

[a] *Crispini Confessoris*. De sancto Crispino silet Orationale Gothicum. De eo tanquam de confessore agunt die 21 Novembris Missale et Breviarium Mozarabum, eumdem die 19 Novembris Martyrologia Usuardi et Romanum Baronii tanquam episcopum et martyrem, qui capite amputato palmam adeptus est, commemorant. Et in hymno Breviarii Mozarabum *martyr* dicitur. Nam apud antiquos *confessor* et *martyr* promiscue aliquando sumebantur. Cæterum Colonia Julia, Augusta, Firma, Astigi, caput conventus Juridici, ad Singulium fluvium sita, olim urbs erat episcopalis, in Bætica, modo, amissa dignitate episcopali, oppidum est amœnum nomine *Exija*, aut *Ecija* ad fluvium *Xenil* situm, sub archiepiscopatu Hispalensi. Primus episcopus Astigitanus censetur sanctus Crispinus, de quo plura, si vacat, legas apud Tamaium de Salazar (*Martyr. Hisp. t. VI, p.* 221), ubi etiam (*pag.* 227) catalogum episcoporum Astigitanorum invenies, quorum ultimus, Arvidius, concilio xvi Toletano interfuit. Animadvertendum, in provincia Bætica binas olim stetisse urbes Astigitanas : alteram urbem liberam dictam *Astigi vetus*, apud Plinium (*Lib.* III, *cap.* 3, *Ed. Hard.*), modo *Alhama* dictam aiunt; alteram Coloniam, de qua mox, urbem immunem, et caput conventus, modo *Ecija*, olim Astigi quoque dictam.

[b] *Sanctæ Cæciliæ*. Sancta Cæcilia, cujus nomen quotidie in canone missæ recitatur, Græcorum et Latinorum ecclesiasticis tabulis notissima est. Græci in Menologio Basilii sanctam Cæciliam cum Tiburtio, Valeriano et Maximo, die 24 Novembris, enuntiant. At Ephemerides Græcæ (*Apud Bol. t. I Maii*) et Martyrologium Græcum Seberi die 22 Novembris eam commemorant. Latini in Martyrologiis Hieronymianis die 22 Novembris sanctam Cæciliam colunt, eique Valerianum, Tiburtium, et Maximum addunt socios, etsi de Tiburtio et Valeriano, die suo 14 Aprilis agant. Martyrologia Bedæ, Romanum Parvum, Adonis, Usuardi, Flori, Notkeri, Vandelberti, et Romanum Baronii, sanctam Cæciliam die 22 Novembris signant; qua die plerumque in toto Occidente celebratur. Die x Kal. Decembris sancta Cæcilia missam propriam habet in Missali Mozarabum, officium in Breviario, et orationes proprias in Orationali Gothico. Plures ejus missæ exstant in Sacramentario sancti Leonis, una in Sacramentario Gelasiano, una in Missali Gallo-Gothico, et una in singulis Sacramentariis Gregorianis. Evangelia die sanctæ Cæciliæ exstant legenda in Capitularibus vetustis Evangeliorum Thomasii, Georgii, Alatii, et in Kalendario Frontonis; in Martyrologiis Hieronymianis, Lucensi Florentinii, Corbeiensi Dacherii, et in Corbeiensi breviori die 15 Septembris legitur : *Romæ passio sanctæ Cæciliæ Virginis*. In Epternacensi, *Romæ Cæciliæ*; in Richenoviensi, Augustano, et Labbeano *Cæciliæ*, sine ullo loci aut tituli additamento. Suspicatur cl. Florentinius (*Hic in notis*), non unam fuisse Cæciliam Virginem et martyrem Romanam. Quidquid sit de hac conjectura, puto de hac iterata enuntiatione sanctæ Cæciliæ ut de aliis similibus quæ in Martyrologiis occurrunt, judicandum, eamdem sanctam virginem et martyrem diversis diebus enuntiatam esse, quia olim diversis diebus memoria ejus in Ecclesiis quibusdam agebatur. De Actis sanctæ Cæciliæ, consule Baronium in notis ad Martyrologium Romanum (*die* 22 *Nov.*) et Alexium Symmachum Mazochium,

[c] *Officium*. Ps. CXVIII, 26. ℣. *Ibid.*, 1.

alleluja. ℣. Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini. *P.* Et non confundebar. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum amen. *P.* Et non confundebar.

Oratio. Christe Domine qui sacre Virgini tue Cecilie tantam tribuis fortitudinem : ut seculum vincentem : et carnem pro te mori festinet ; intercessu ejus flammam in nos tue charitatis accende. Ut nec titillamenta nos carnis inliciant : nec seculi blandimenta decipiant. ℟. Amen. Per misericordiam tuam etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Longe Dominus.

Psallendo. Specie tua. *Quere in communi unius Virginis. fol.* 436.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Colossenses ([a] *Cap. I*).

Deo gratias.

Fratres. Gratias ago Deo Patri : quia dignos fecit vos in partem sortis Sanctorum : in lumine quia eripuit nos de potestate tenebrarum : et transtulit in regnum filii dilectionis sue : in quo habemus [b] redemptionem peccatorum : qui est imago Dei invisibilis : primogenitus omnis creature. Quia in ipso condita sunt universa in celis et in terra : visibilia et invisibilia. Sive Throni : sive Dominationes : sive Principatus : sive Potestates. Omnia per ipsum : et in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes : et in illo constant omnia. Et ipse est caput corporis Ecclesie : qui est principium : primogenitus ex mortuis : ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem [c] divinitatis habitare corporaliter : et per eum [d] reconciliare omnia in [e] ipsum : et vos cum essetis aliquando alienati et inimici sensu et in operibus malis : nunc autem reconciliavit vos in corpore carnis ejus per mortem : exhibere vos sanctos : et immaculatos et inreprehensibiles coram ipso. [f] Cui est honor et gloria in secula seculorum ℟. Amen.

Evangelium. Simile est regnum celorum thesauro abscondito. *Quere in Sancta Eulalia. fol.* 29.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Lauda filia Syon : letare et exulta filia Hierusalem. *P.* Alleluja.

[h] *Sacrificium.* Sicut turris David edificata es : et reprehensio non est in te. Quam speciosa **411** et decora facta es in ornamento tuo : et odor unguentorum tuorum sicut odor Libani super omnia aromata : alleluja. ℣. Sicut columbe sedentes super abundantia aquarum : et sicut fiale aromatum gignentes unguentoria. Et sicut lilia distillantia mirrham : et sicut ornatilia aurea plena Tharsis : et sicut Libanus electus. Et sicut cedrus. Et sicut columne marmoree posite super bases aureas formose. *P.* Quam speciosa.

Mazochium, in eruditis notis ad Kalendarium Neapolitanum (*die* 14 *Aprilis*). Maxima difficultas in eo sita est, quod Urbano I pontifice, sub Severo Alexandro, ea Acta videantur indicare sævam in Christianos persecutionem ; at hæc difficultas evanescit, si cum Adone et Usuardo dicatur, sanctam Cæciliam passam esse sub Marco Aurelio. Fortasse ille Urbanus papa non fuit urbis Romæ episcopus, sed episcopus suburbanus. Nam ex ruderibus eorum constat plures fuisse circa urbem Romam vicos, vel pagos, magnitudine sua, multitudine populi, ædificiorum magnificentia et elegantia urbibus haud impares : talis fuit utique pagus via Appia paulo ultra quintum lapidem situs, cui nec templa, neque aquæductus, nec amphitheatrum, neque alia, quæ magnas urbes ornant, ædificia deerant, ut rudera produnt. Locus autem, ut modo, ita olim forte *Statuaria*, a statuarum et ornamentorum multitudine, dictus est. In eadem via, sed Urbi propinquiora, haud procul ultra basilicam sancti Sebastiani, a sinistra ab Urbe proficiscentibus, ingentia rudera alterius pagi per apertos campos jacent, et in his circus, ut creditur, Gallieni opus : hic pagus, cui *a Camœnis* nomen imposuit illustrissimus Fabrettus (*De Aq. et Aquæd., dissert.* 2, *n.* 311) suum habuit aquæductum, quo ab arcubus Claudiæ aqua deferebatur. Via Latina circa sextum ab Urbe lapidem, dextrorsum Tusculum tendentibus, ad locum dictum *sette bassi* ingentis pagi rudera jacent, quibus conjuncta sunt rudera villæ imperialis magnificentiæ. Huic etiam suus erat ductus, arcuato opere, per passus quingentos, aquam ab Anienis novæ arcubus deferens in villæ et pagi usum ; et eadem via, propius Urbem, alia cernuntur pagi, fortasse Lemonii, rudera. Via Lavicana pagus erat *sub Augusta* dictus, cujus ruderibus vulgus nomen *Torre Pignatara* imposuit ; aliæ etiam viæ suos habebant vicos, ad quartum, quintum, aut sextum lapidem positos (*Vide plura apud citatum illustrissimum Fabrettum, de aquis et aquæd., diss.* 2, *a n.* 296). Jam vero credibile est celebriores hosce pagos suos habuisse proprios episcopos, quod de pago *sub Augusta* constat, cui proprii fuerunt episcopi, saltem ad initium sæculi VI. Igitur si Urbanus ille papa dicatur episcopus fuisse, non urbis Romæ, sed pagi Camœnarum, aut pagi *Statuariæ*, nihil obstabit quominus dicatur sanctam Cæciliam sub Marco Aurelio martyrium fecisse. Neque obstat vox *papa* ; nam non modo Romanum pontificem, sed alios quoque episcopos *papas*, et *beatissimos papas* dictos aliquando fuisse constat, et exempla passim occurrunt. Ad ultimum, de inventione reliquiarum sanctæ Cæciliæ, earumque translatione sub Pascali I et Urbano VIII, videndus Baronius (*Ad an.* 821, *n.* 1). Neque omittendum, vetustum esse in Urbe titulum sanctæ Cæciliæ, *in quo* reliquiæ ejus et reliquiæ sanctorum Tiburtii et Valeriani coluntur.

[a] *Cap. I.* Vers. 12-23.

[b] *Redemptionem peccatorum.* Vulgata legit : *In quo habemus redemptionem, per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Ambrosiaster et Chrysostomus : *In quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum.* Primasius et Theodoretus : *In quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.* Primasius explicationis gratia inserit *per sanguinem ejus*, tanquam verba quæ ad textum non pertinent.

[c] *Divinitatis habitare corporaliter.* Ita etiam legit Primasius ; at Vulgata, Ambrosiaster, sanctus Chrysostomus et Theodoretus : *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare.* Addit Chrysostomus alios plenitudinem *divinitatis* legere, et ipse juxta hanc lectionem locum hunc explicat (*Vid. hom.* 5 *in cap.* I *ad Coloss.*).

[d] *Reconciliare.* Vulg., Ambrosiaster, Primasius, Chrysostomus et Theodoretus, *reconciliare.*

[e] *Ipsum.* Vulgata addit : *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Eadem addunt Ambrosiaster, Primasius, Chrysostomus et Theodoretus.

[f] *Cui est.* His verbis finis imponebatur lectioni.

[g] *Lauda.* Soph. III, 14.

[h] *Sacrificium.* Ex Cantico, IV, 7, 4, 10. ℣. Ibid., V, 12, 13, 14, 15.

Missa. [a] venerabilem hunc diem passionis triumphatricis Cecilie : cum summa dedicemus dilectissimi fratres devotione. In quo eadem Virgo et castitate fecunda : et effusione sanguinis martyrio est consecrata. Illa denique procul dubio poterit apud Deum veniam nostris impetrare offensis : que suam tegens cilicio carnem : multorum animas convertit ad fidem. Cum et sponsi carnalis connubii copulam repulit : et sibi eundem cum cetera Sanctorum multitudine passionis gloria sociavit. Precemur ergo eos omni cordis devotione : [b] per quos libido devicta : per quos etiam hostis insani est persecutio superata. Ut sint apud Christum : pro quo passi sunt : interventores pro nobis : sint refugium peregrinis. Absolutio vinculatis. Relevatio oppressis. Reditus peregrinis. Suffragium absolutis. Reparatio infirmis. Subsidium viduis. Ac defensio quotidiana populis. Non igitur apud Deum sua in aliquo confundantur in prece : qui pro eo animas suas posuerunt usque ad mortem. ℟. Amen.

Alia Oratio. Omnipotens unigenite Dei fili Patris : qui ad corroborandam fidem Martyrum tuorum Valeriani : Tiburcii : atque Cecilie : splendificos aspectus Angelicos destinasti ad terras : per quos illis concretas liliorum ac rosarum floribus destinasti coronas. Tu nos eisdem apud te intervenientibus : et vinculis piaculorum absolve : et donis spiritalibus reple. Ut sicut illi te tua gratia precedente martyrium ambiendo : secuti sunt : ita nos eodem precedente : atque subsequente : et hic adipiscamur penitentie fructum : et post consortium beatorum. Ut sine intermissione indulgeas miseris : cum nihil excusas beatis. Ut justifices penitentes : cum pro peccatoribus exaudieris Martyres exorantes. Ut illorum consortio adjuvemur in celis : quorum nos hic obsequimur patrociniis. Quo possit nobis tunc cum eisdem socia esse leticia : cum eos viderimus in gloria sempiterna. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus eterne : te quesumus et rogamus : ut famula tua Cecilia apud te exaudiri mereatur pro cetu omnium Christianorum : que suo exaudita est pro sponso. Ut per eam tam vivi quam defuncti levamen obtineant indulgentie : per quam sponsus ejus fidei tue meruit cognoscere veritatem. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Christe Dei fili : qui per Angelum tuum destinato munere coronarum Valeriani : Tiburcii : atque Cecilie corda corroboras ad credendum : ut hoc illis esset castimonie signum : et tue dulcedinis incrementum. Rogamus te : ut ad instar illorum : ita pax tua in nobis semper inhabitet : qua et feculente carnis valeamus pellere incentiva : et dulcedinis tue renovari ubertate omnimoda. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi semper gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui in se credentes efficit validos : et in se [c] confitentes facit esse plena felicitate robustos. In quo omnis qui credit : non confunditur : cum uterque sexus in eo valentissime roboratur. In quo est et viris refugium : et feminis victorie triumphale tropheum. Qui tantam in beatissima Cecilia sua Virgine donum Sancti Spiritus contulit : quo dum se in sanctis operibus perfectum exhiberet in virum : virili animo : et sponsum suum Christi subderet ad fidem : et [d] cognati duritiem divinarum legum affectionibus emolliret. Ac ne hoc etiam parum esset in tantum egit verbo cum illis : ut ardentes eos efficeret ad suscipiendam gloriam passionis : quod factum evidentia eorundem Sanctorum [e] gesta declarant. In quibus et eos pro Christo Domino gladio desectos comperimus : et gloriosam Virginem Ceciliam die integro et nocte tota 412 termis inclusam : nec ullo modo lesam fuisse fatemur. Servari quippe meruit in balnei calore : que gestabat Christum in pectore. Due quippe ignium divise faces ardebant : una in Virginis corde : altera sub Virginis pede. Una combustioni parata : altera refrigerio debita. Una minabatur supplicium : pollicebatur altera regnum. Una morituris corporibus necem : altera victuro spiritui futuram preparans libertatem. Una qua extinguitur vita : altera qua pervenitur ad vitam. In una refrigerabatur Christus : in altera exardescebat persecutor horrendus. Sed cum vicit ignis concrematus divinitus : cessit qui fuerat exaggeratus humanitus. Sic quippe divine potentie cessere persecutiones humane. Sed quia erutam eam flammis : [f] cruore sui sanguinis consecratam ad te in pace accessiri jussisti : precamur sancte Deus : ut per eam tribuas Sacerdotibus concordiam : ministris perseverantiam : omnique clero

[a] *Venerabilem.* In Missali Gallo-Gothico *venerabilem ac sublimem.*

[b] *Per quos.* Vide Acta sanctorum Tiburtii et Valeriani apud Bollandianos (*Tom. II oper., pag.* 203).

[c] *Confitentes.* Lege *confidentes.*

[d] *Cognati* Scilicet *Tiburtii,* fratris Valeriani. Tiburtius erat Cæciliæ *levir,* illa vero Tiburtii *glos,* sed, ut pluribus probat cl. Mazochius (*In not. ad Kalend. Neapol., die 14 Apr.*), et ait apud antiquos *levir* dicebatur *cognatus,* et similiter *glos* dicebatur *cognata.*

[e] *Gesta.* Acta scilicet sanctæ Cæciliæ quibus etiam gesta sanctorum Tiburtii et Valeriani continentur : ea vero in Hispania et Gallia lecta fuisse ex hoc loco Missalis nostri et ex missa sanctæ Cæciliæ in Missali Gallo-Gothico habemus.

[f] *Cruore.* Græci in Menologio Basilii tenent, sanctam Cæciliam capite truncatam fuisse. Beda, in Martyrologio Ge uino, *ferro occisam* tradit : *X Kal.* Dec., *Natale sanctæ Cæciliæ virginis, quæ et sponsum suum Valerianum, et fratrem ejus Tiburtium, ad credendum Christo ac ad martyrium perduxit, et ipsa deinde martyrizavit, ignem quidem superans, sed ferro occisa sub Almachio Urbis præfecto.* Acta sanctæ Cæciliæ apud Baronium (*Annal. tom. II, ad an.* 232) de morte ejus habent, Almachium, cum cognovisset eam calore balnei exstinctam non esse, jussisse ut ei caput amputaretur, spiculatorem *autem tribus eam percussam ictibus, necdum truncato capite, consternatam, mortuam credens, reliquisse,* ipsam tamen triduo adhuc vixisse, unde, in hac illatione, in pace a Deo accersita dicitur. Martyr autem constanter appellatur.

parcimonie disciplinam : [a] Regibus Christianis vi- A tam : principibus modestiam : virginibus castimoniam : viduis continentiam : pudicitiam nuptis : atque omnibus in commune delictorum veniam largiaris : per ipsum quem coulaudant omnes Angeli : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Pro quo predicti Martyres viriliter certando animas posuerunt : et nunc celestis glorie participatione letantur. Qui tanto se dulcedinis amore effudit in Cecilie Virginis corde : ut funditus ab illa extirparet omnem carnee titillationis ardorem. Quo carnalem sponsi concubitum respuendo : illi soli se exhiberet intactam : qui per illam emollivit carnalis sponsi ejus duritiem. Sit gloria et gratiarum actio Deo et Sal- B vatori nostro : qui hanc Virginem suam illo implevit amore : quo nec divortium seminatur : et spiritualis plenitudo charitatis augetur. Quia ipse est Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Excelse celorum Deus ac Domine qui Martyris tui Valeriani voluntatem per Angelum sciscitare dignatus es : ut per eundem quam voluisset insinuaret petitionem : effectumque capere mereretur ex fide : quod et obtinere promeruit emittendo pro fratris salvatione : per eandem tui Angeli precem quesumus : ut nostris petitionibus placabilem accommodes aurem. Et per quem visitasti illorum jam credula pectora : [b] per eum corda nostra jubeas mederi infirma. Et per quem illorum suscepisti precamina : per eum jubeas nostra sanctificare oblata. C Ut qui e celis directus illorum presentatus est oculis : nunc a te dirigatur benedicturus hic sacrificiis nostris. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Attendite dilectissimi fratres quid Sanctorum oratio valeat. Quidve pro impiis opposite justorum intercessiones obtineant : cum orante Urbano : et Virginis Cecilie vota impleantur : et Valeriani atque Tiburcii fides aucta : martyrii gloria decoratur. Proinde extensis ad celum palmis : petamus nobis auxilium de superno invocantes eum ex pietate Patrem : quem terribilem venturum expavescimus judicem. Profecto etenim erit per illum nobis vita eterna : per quem Virgo Cecilia non fuit in ardoribus con- D cremata. Qui enim illos in martyrii certamine positos exaudivit : exaudiet nos : cum ad eum fuderimus clamorem gemitus nostri : proclamantes atque dicentes. Pater noster qui.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus qui inter Valerianum atque Ceciliam spirituale sanxit esse connubium : ipse in vos celestis concordie tribuat incrementum. ℟. Amen. Quique Tiburcium fratris prece perduxit ad fidem : ipse per vos accendat plurimos ad diligendam eterne glorie mansionem. ℟. Amen. [c] Ut horum semper foveamini presidiis : quorum nunc patula exultatione letamini de triumphis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui est benedictus : et vivit et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

413 *Post communio. Oratio.* Domine Deus omnipotens : qui es vita et salus fidelium : quem venturum judicem credimus verum : esto nobis propicius. Et qui hanc oblationem pro nostra nostrorumque salute : vel pro expiatione nostrorum peccatorum : in honorem Sancte Cecilie Virginis et Martyris tue tibi obtulimus : misericordie tue opem in nos diffundi sentiamus : ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium : dono tui muneris consequi mereamur premium sempiternum. ℟. Amen. Concedente divinitate tua Deus noster : qui es vita vivorum : et corona Sanctorum in eterna secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟ Deo gratias.

In Sancti Chrisogoni Martyris :
Omnia dicantur de uno justo. fol. 450.

Catharine Virginis et Martyris :
Omnia dicantur unius Virginis precipue. folio 436.

In festo Sanctorum Vitalis : et Agricole : Facundi : et Primitivi :
Omnia dicantur plurimorum Martyrum. fol. 450.

Eligii Episcopi et Confessoris :
Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 452.

Barbare Virginis et Martyris :
Omnia dicantur unius Virginis precipue. folio 436.

Nicolai Episcopi et confessoris :
Omnia dicantur unius Confessoris. fol. 452.

Octava Sancti Andree :
Omnia dicantur sicut in die. fol. 26.

[d] IN CONCEPTIONE BEATE VIRGINIS MARIE.

Ad Missam. [e] *Officium.*

Speciosa facta es : alleluja : et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata : alleluja. alleluja. ℣. Conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annun-

[a] *Regibus Christianis.* Gotho-Hispanis, scilicet, puta Chindasuinto et Recessuinto.

[b] *Per eum.* In Missali Romano sancti Pii V (*Fer 4 Ciner.*) exstat oratio : *Omnipotens sempiterne Deus... mittere digneris sanctum angelum tuum de cœlis qui benedicat et sanctificet hos cineres*, et in Missali Gallo-Gothico in benedictione fontis baptismalis : *Descendat super has aquas angelus benedictionis tuæ.* Quibus loquendi modis rogant ut a Deo benedicantur cineres, aqua baptismalis, et hic elementa consecrata.

[c] *Ut horum.* Ex tota hac missa apparet, Gotho-Hispanos uno eodemque officio, eodem die, Cæciliam, Valerianum et Tiburtium celebrassé.

[d] *In Conceptione.* Festum Conceptionis beatæ Mariæ virginis a sancto Anselmo primum in Anglia, sæculo XII ineunte, institutum fuisse, Patres concilii Lundinensis, an. 1328 celebrati, tradunt. Confer Spelman. (*Concil. Angl. tom. II, pag. 494*). In Græcia, et

[e] *Officium.* Est cento consutus ex vocibus Scripturæ ℣. Desumptus est ex responsione ad lectionem sextam officii Conceptionis beatæ Virginis.

ciavit universo mundo. *P.* Super omnia aromata. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Super omnia aromata.

Dicat Presb. Per omnia secula seculorum. ℟. *Chorus.* Amen.

Dicat Presb. Gloria in excelsis.

Oratio. Tibi semper Domine gloria omnipotens Jesu Christe : cujus in celo et in terra laudis confessio permanet : dum tibi gloria in excelsis decantatur : et in terra pax hominibus nunciatur. Bonam quesumus voluntatem nobis famulis tuis et populis supplicantibus tribue : ut ab omnibus nos mundes peccatis : et pacem tuam perpetuam nobis propicius : et omni populo largiaris. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum.

Prophetia. Lectio libri Sapientie Proverbiorum Salomonis ([a] *Cap. VIII*).

℟. Deo gratias.

Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quicquam faceret a principio : [b] uncta sum a seculo antequam terram faceret. Nec dum erant abyssi : et ego jam concepta eram. Nec dum fontes aquarum eruperant : nec dum montes gravi mole constiterant : ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat : et flumina : et cardines orbis terre. Quando preparabat celos : aderam : quando certa lege et giro vallabat abyssos. Quando ethera firmabat sursum : et librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum suum : et legem ponebat aquis : ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terre : cum eo eram cuncta componens : et delectabar per singulos dies : [c] ludens coram eo in orbe terrarum : et delicie mee esse cum filiis hominum. Nunc ergo filii audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam : et estote sapientes : et nolite abjicere eam. ℟. Amen.

[d] *Psallendo.* Specie tua et pulchritudine tua intende : prospere procede et regna. ℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justiciam : deducet te mirabiliter dextera Dei. *P.* Et regna.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis ([e] *Cap. XXIV*).

℟. Deo gratias.

In omnibus requiem quesivi : et in hereditate Do- D mini morabor. Tunc precepit : et dixit mihi creator omnium : et **414** qui creavit me : requievit in tabernaculo meo. Et dixit mihi. In Jacob inhabita : et in Israel hereditare : et in electis meis mitte radices. Et sic in Syon firmata sum : et in civitate sanctificata similiter requievi : et in Hierusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato : et in parte Dei mei hereditas illius : et in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano : et quasi cypressus in monte Syon. Quasi palma exaltata sum in Cades : et quasi plantatio rose in Hierico. Quasi oliva speciosa in campis : et quasi platanus exaltata sum juxta aquas. In plateis sicut cinamomum et balsamum aromatizans odorem dedi. Quasi mirrha electa dedi suavitatem odoris. ℟. Amen.

B *Lectio sancti Evangelii secundum Lucam* ([f] *Cap. XI*).

Illo in tempore. Loquente Domino Jesu ad turbas : extollens vocem quedam mulier de turba : dixit illi. Beatus venter qui te portavit : et ubera que suxisti. At ille dixit. Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei · et custodiunt illud. ℟. Amen.

[g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciabit in universo mundo. *P.* Alleluja.

[h] *Sacrificium.* Alleluja. ℣. Magna facta est et preclara filia Syon in universa terra : alleluja. ℣. Alleluja. Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob. Tu gloria Hierusalem : honorificentia populi tui. *P.* In universa.

C [i] *Missa.* Exurge gloria nostra Deus : et eripe ab hoste captivos : atque pro quibus magnificatus es usque ad celos : hos in te confidentes intuere placatus. Et ipse da in tribulatione auxilium : qui nostre salutis es complementum. Conceptionis gloriose Virginis Marie sic nos tuere subsidio : ne nostro exigente merito tradamur inferno. Sicque remuneremur premio : ut confitentes producas in seculo. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster qui etc.

Alia Oratio. Deus qui [j] navem Ecclesie tue per mundi istius pericula fluctuantem : optimus nauta gubernas : et ne infidelitatis procella obruatur : vigilantissimus custos solicitas : omnibus ejus lavacro renatis tribue per intercessum Conceptionis gloriose Virginis Marie : persecutionum tempestates in tui

cia, ex decreto Manuelis Comneni imperatoris Constantinopolitani, ab anno 1166, inter eas festivitates quibus forum vacat celebrata est. Morem Græcorum Armeni, Orientales et Coptitæ imitati sunt. In Occidente die 8 Decembris, apud Græcos die 9 ejusdem mensis celebratur, apud quos *Conceptio sanctæ Annæ* inscribitur ; sic enim Menologio Basilii : Ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης τῆς μητρὸς τῆς Θεοτόκου. *Conceptio sanctæ Annæ Matris Deiparæ.* Festivitas ista ignota erat Gotho-Hispanis : eam a Gallis suscepisse videntur Mozarabes, quorum more die 8 Decembris in Missali missa propria et in Breviario Mozarabum officio proprio colitur ; at tam missa quam officium ex orationibus hinc inde a missis et officiis Gotho-Hispanis desumptis composita sunt. Neapolitani tam in titulo festivitatis quam in die solemni consuetudinem Græcorum olim secuti sunt, ut ex Kalendario Neapolitano marmoreo discimus, in quo 8 Decembris : CCEPTIO S. ANE MARIE VIR. sculptum legitur : *Conceptio sanctæ Annæ Mariæ virginis.*

[a] *Cap. VIII.* Vers. 22-34.

[b] *Uncta sum.* Vulgata, *ordinata sum.*

[c] *Ludens in orbem terrarum.* Vulgata legit : *Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.*

[d] *Psallendo.* Ps. XLIV. 3. ℣. Ibid., 5.

[e] *Cap. XXIV.* Vers. 11-21.

[f] *Cap. XI.* Vers. 27-29.

[g] *Lauda.* Ex responsione ad lectionem sextam officii Conceptionis beatæ Mariæ virginis.

[h] *Sacrificium.* Cento ex verbis Scripturæ.

[i] *Exurgo.* Oratio desumpta ex Orationali Gothico (*pag.* 68, *or.* 3).

[j] *Navem.* Antiqua, sed obvia metaphora, juxta quam Ecclesia navis dicitur. Porro hæc oratio in Orationali Gothico (*Pag.* 17, *or.* 7) legitur.

nominis confessione devincere : et tibi placitum sacrificium nosmetipsos offerre. Quique mirabiliter projiciuntur in profundum : remigio dextere tue perducantur in celum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Domine Jesu Christe laudabilis nimis et magne : te implorantes exquirimus : et querentes exposcimus interventu Conceptionis gloriose Virginis Marie fac nobiscum misericordiam propter nomen tuum : et in quibus a te peccando recessimus : per confessionem humilem redeamus. Et pietate qua redemisti captivos : et misericordia adjuvasti oppressos : ipsa nunc que gessimus dilue : atque in partem dextere tue : quos redemisti : statue. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Domine qui es magnus et gloriosus : da nobis famulis tuis indignis illam pacem : quam tu dedisti discipulis tuis : ut dum operum tuorum magnitudinem admiramur : magnificentiam tuam debita confessione laudemus. Atque per intercessionem Conceptionis gloriose Virginis Marie tue matris : tribue nobis perfectum intelligentie decus : timoris obedientiam agere : et mandata tua fidelia omni custodia cordis diligenter explere. ℟. Amen. Quia tu es vera pax nostra et charitas indisrupta : vivens tecum et regnans cum Spiritu Sancto unus Deus in secula seculorum. ℟. *Chorus.* Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : omnipotens Pater : tibi in honorem Conceptionis gloriose Virginis Marie gratias agere : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum : [a] merito quidem et gloriosior Virgo Maria celi petivit intimum : dum celi et terre sola visceribus sacris portavit Deum et Dominum. O ineffabilis castitas : o immaculata virginitas : que novo ineffabili modo : adsummi in superna meruit sede : visura cum Angelis ibidem perpetim Deum : cujus Verbi in terra sacrum effecta **415** est [b] templum. Cui nullo modo ibidem incomprehensibilis [c] frustratur sedes : sicuti incomprehensibilis partus non denegatur in terris. Talium est enim divinitas ascendisse : qualium in novo Virginis partu hic similem non invenisse. Quid vero verius datur intelligi : hanc Christus elegit a qua natus est : hic sic illam voluit mansisse. Merito dinque merito ibidem gloriosior fore pre cunctis : dum merito longeque digno dignior invisceratur ex ea Salvator. Hoc te Domine cooperante : qui omnia que velis : facis : et de nullo musquam ventilaris. Quem quoque tremunt Potestates : celicoleque ammirantur cives. Cui multiplex celica illa Angelorum legio catervaque Sanctorum : omnium

A Virginum : Martyrumque concio : sive terrestris beatorum multitudo : in hoc Conceptionis gloriose Virginis festo : non cessant clamare : Ita dicentes ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus eterne omnipotens Deus : misericors et pie : qui decore virtutis glorificas justos : et sine opere justificas peccatores. Qui confitentes in mundo beatificas et confessores in celo glorificas : tribue nobis interventu Conceptionis tue : cujus solennia celebrantur : tibi Domino confiteri pio cordis affectu. Ut propria pandentes piacula : inherere mereamur Christo Domino ac redemptori eterno.

Post pridie. [d] Virgo Dei Genitrix Maria : cujus ho-
B die veram Conceptionem celebramus : quesumus indigni et peccatores : ubi est novi miraculi gloria : beatiores quandoque mereamur attolli : preceque tua ditati. Roget quesumus ibidem pro nobis dignitas tui pudoris : que te de terris ineffabiliter sumpsit in celos : [e] et post somnum quietis et cursum consumatum vite temporalis : adsit rogamus ibidem pro nobis indignis [f] plebs tua semper suffragatrix. Quatenus hic per eam abluti ab omnibus facinorum contagiis : mereamur Angelorum [g] compotes esse in celestibus regnis. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

[h] Domine Jesu Christe : qui sic Virginem matrem honorificasti : quousque Conceptionis ejus gratia eam coram te suffragatricem incomparabilem invenimus
C indigni : quesumus divinitatis tue clementiam : quatenus per obtentum illius beatissime Genitricis : emundati ab universis contagiis : audeamus exclamare et dicere e terris. Pater noster qui es in celis. ℟. Amen.

Benedictio. Exoratu Virginis sacre Marie : vestra sint merita [i] radicitus coram Christo : et abolita piacula. ℟. Amen. Et sicut illa conletatur in sede superna cum Angelis sanctis : sic vos gaudeatis adquisisse paradisum eterne felicitatis. ℟. Amen. Quo anima simul et corpore sani et integri : hinc exeuntes ad illam feliciter et digne perveniatis sedem : qua ipso miserante ab eo divelli nullatenus possitis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* Gustate et videte.

D *Post communio. Oratio.* [j] Beata Dei Genitrix Virgo Maria : cujus Conceptionem hodie celebramus : que in Syon gloriosa consistit : [k] quam ipse se dilexisse testatur : et ex quo tibi non [l] recessuram ultra mi-

[a] *Merito quidem.* Hæc desumpta sunt ex illatione missæ Assumptionis beatæ Virginis.

[b] *Templum.* Præclare ad rem præsentem sanctus Maximus Taurinensis, homil. de natali Salvatoris (quæ octava est inter eas quas cl. Mabillonius Musæi Italici tom. II, edidit), Mariæ uterum templum dixit, cujus rei rationem reddit, quod in ejus utero Deus, Sacerdos et Hostia, continebatur : *Hoc autem totum*, inquit, *in Christo agnoscimus, Deus enim est quod ad Patrem redit ; pontifex quod se obtulit ; victima, quod pro nobis occisus est. Mariæ ergo uterum non uterum dixerim, sed templum ; templum plane est in quo habitat sanctum quidquid in cœlo est.*

[c] *Frustratur.* Forte, *frustra datur sedes.*

[d] *Virgo.* Eadem in missa Assumptionis.

[e] *Et post somnum.* Tolle illud *et*, quod abundat.

[f] *Plebs.* Lege *prex* : vox est antiquata, idem atque *precatio* significans.

[g] *Compotes.* Forte, *angelorum consortio.*

[h] *Domine.* Eadem in missa Assumptionis.

[i] *Radicitus.* Forte, *vestra sint merita accepta coram Christo, et radicitus abolita piacula.*

[j] *Beata.* Ex orationali Gothico (*Pag.* 15, *or.* 2).

[k] *Quam ipse.* Lege *quem Deus ipse.*

[l] *Recessuram.* Lege : *Ex quo tibi non recessurum ultro misericordiam pollicetur*, etc.

sericordiam pollicetur : da nobis meritis tuis : ut amore divino flagrantes in futuro judicio inveniamur indemnes. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias

IN SANCTE [a] LEOCADIE VIRGINIS ET MARTYRIS.

Ad Missam. [b] *Officium.*

In omni opere suo dedit confessionem sanctam : alleluja. *P.* Verbum glorie : et in corde suo : hymnum dixit : alleluja. ℣. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua. [c] *P.* Verbum. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum. Amen. *P.* Verbum

Oratio. Deus qui scelera nostra figmentis operta denudas : qui incerta dubiis : et occulta cognitis : consulta pietate traducis : ut nox'etate prodita : adspergas nos rore misericordie : et velut nivem dealbes : [d] da vie correptionem : averte quesumus faciem tuam a peccatis nostris : et omnes iniquitates nostras deleas : innova viscera nostra Spiritus tui Sancti infusione. Quo tali habitatore gaudentes aperiamus jugiter labia nostra ad annunciandam laudem tuam. ℟. Amen. Per misericordiam. **416** Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Hieremie Prophete ([e] *Cap. XXXI*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Invenit gratiam in deserto : populus qui remanserat gladio : vadet ad requiem suam Israel. Longe Dominus apparuit mihi : et in charitate perpetua dilexi te. Ideo attraxi te miserans : rursumque edificabo te : et edificaberis Virgo Israel. Adhuc ornaberis tympanis tuis : et egredieris in choro psallentium. Adhuc plantabis vineas in monte Samarie. Plantabunt plantantes : et donec tempus veniat : non vindemiabunt : quia erit dies in qua clamabunt custodes in monte Effraym. Surgite ; ascendamus in Syon ad Dominum Deum nostrum. Quia hec dicit Dominus. Exultate in leticia Jacob ; et hinnite contra caput gentium. Personate : canite : et dicite : salva Domine populum tuum : reliquias Israel. ℟. Amen.

[f] *Psallendo.* Confitebor tibi Domine in vasis psalmorum : veritatem tuam psallam tibi in cithara Deus sancte Israel. ℣. Sed et lingua mea annunciabit justiciam tuam : tota die laudem tuam. *P.* Psallam tibi.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos ([g] *Cap. X*).

℟. Deo gratias.

Charissimi. Hoc est verbum fidei : quod predicamus : quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum : et in corde tuo credideris : quod Deus illum suscitavit a mortuis ; salvus eris. Corde enim creditur ad justiciam : ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura : omnis qui crediderit in eo : non confundetur. Non enim est distinctio Judei et Greci. Nam idem Dominus omnium : dives in omnibus :

[a] *Leocadiæ.* Sancta Leocadia, nobilis virgo Toletana, in persecutione Diocletiani, Christi fidem coram sæviente præside fortiter confessa, pœnis affecta, et ferro onusta in carcere, et in vinculis obiit. Ejus memoria v Idus Decembris missa et officio proprio in Missali, Breviario et Orationali Gotho Hispano colitur, quo die memoriam ejus retinent Martyrologia Romanum Parvum, Adonis, Usuardi, Fuldense, Antissiodorense Ecclesiæ metropolitanæ, Romanum Baronii, et alia quædam. Acta sincera sanctæ Leocadiæ hactenus nulla prodiere ; quare iis standum est, quæ de ea in hymno Breviarii et in orationibus Missalis et Orationalis Gothici leguntur. Circa diem et annum obitus sanctæ Leocadiæ, scrupulum movet quod animam ad Deum misisse legatur postquam de passione et morte sanctæ Eulaliæ audivit. Binæ autem sunt Eulaliæ ; si sermo sit de Eulalia Emeritensi, ea colitur die 10 Decembris ; sin de Eulalia Barcinonensi, ea 12 Februari, utraque die sua qua passa est. At martyria harum virginum nimis distant a die nona Decembris, ut credatur Leocadiam tam diu latere potuisse. Haud incredibile puto, sanctam Leocadiam obiisse in vinculis, anno æræ Christianæ 304, mense Martio exeunte, aut saltem ineunte Aprili, postquam de martyrio et tormentis Eulaliæ Barcinonensis certior facta est. Sed quia ejus solemnitas celebrari non potuit suo die, ob jejunium quadragesimale, in mensem Decembrem deferri placuit. Consuetudo celebrandi festum sanctæ Leocadiæ die nona Decembris vetusta est, ut ex Orationali Gothico (*Pag.* 14) discimus, ibi enim titulus legitur, prima manu exaratus : *Quinto Id. Decembres, quando et sanctæ Leocadiæ festum incurrit.* Sancta Leocadia a Patribus concilii Toletani vi simpliciter *virgo* appellatur, a Patribus concilii Toletani v *confessor*, et a Patribus concilii iv Toletani *beatissima et sancta confessor ;* hæc enim concilia in basilica sanctæ Leocadiæ celebrata fuerunt. *Martyr* etiam dicitur sancta Leocadia, nec immerito. Nam ii etiam qui post fidei confessionem in carcere diem suum obibant, *martyres* passim nominantur. Sic in passione sanctarum Perpetuæ et Felicitatis (*N.* 11) apud D. Th. Ruinart (*Act. martyr. sincer., pag.* 92) Saturnino et Artaxio martyribus, qui vivi arserunt, additur Quintus, *qui et ipse* MARTYR *in carcere exierat ;* et in passione sanctorum Montani, Lucii, etc. (*N.* 2, *ibid., pag.* 233), cum aliis recensetur *et Donatianus catechumenus, qui baptizatus in carcere, statim spiritum reddidit, ab aquæ baptismo ad* MARTYRII *coronam festinans.* Confer etiam sanctorum Cyprianum (*Epist.* 9, *Ed. Pamel.*). De sancta Leocadia plura apud Tamaium de Salazar (*Martyr. Hisp. t. VI, p.* 589), si vacat, legas. Ejus reliquias Ovietum primum, post irruptionem Maurorum, inde Suessionas in Galliam, ac tandem ad cellam sancti Geslini in Hanoniam delatas esse dicit, et Molanus, de sanctis Belgii, an. 1616, Duaci, recognitus et editus, ad diem 9 Decembris corpus sanctæ Leocadiæ apud Geslinianos servari asserit, quos a Carolo V, a Philippo II et a Ferdinando de Toledo, Albæ duce, frustra sollicitatos fuisse subdit, ut corpus sacrum Toletanis redderent.

[b] *Officium.* Cap. XLVII, 9. Vulgata legit : *Dedit confessionem sancto et excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudavit Dominum.*

[c] ℣. Ps. IX, 2.

[d] *Da viæ.* Lege *da vitæ.*

[e] *Cap. XXXI.* Vers. 2-8.

[f] *Psallendo.* Ps. LXX. 22. ℣. Ps. XXXIV, 28.

[g] *Cap. X.* Vers. 8-14.

qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini : salvus erit. ℟. Amen.

Evangelium. Cum esset in Bethania in domo Symonis leprosi. *Quere in communi unius Virginis. fo.* 456.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluja. ℣. Deus meus es tu et confitebor tibi. Deus meus es tu et exaltabo te. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Munera accepta erunt super altare tuum : et domus orationis mee honorabitur : alleluja. ℣. Letetur anima mea in domino : induit enim me veste salutari : et tunica jocunditatis tanquam sponso imposuit mihi mitram : et ut sponsam decoravit me ornamento : sicut terra que producit flores suos : et sicut paradisus germina sua. *P.* Et domus.

Missa. Deus : qui se invicem diligentibus : neque malum pro malo reddentibus : sed pro suis inimicis orantibus : et amandus [c] adproprias et videndus : precamur ut hodierni sacrificii clementer intendas libamina : quibus rite mundati : secularium tentationum valeamus vitare discrimina. Talem glorie coronam misericorditer accepturi : qualem in professione famule tue Leocadie fideliter prestitisti : postulamus igitur omnipotens Deus : ut orationem ejus pro nobis exaudias : et leticiam generalem tuis famulis in hac quesumus celebritate concedas. ℟. Amen.

Alia Oratio. Predicetur Domine credentibus populis : beate Confessoris tue Leocadie fidelis patientia : cujus prius est persequentibus inimicis predicata justicia. Gloriemur omnes fideliter triumphare ejus natalicium celebrantes ; ut similiter efficiamur inter tribulationum temporalium tentamenta gaudentes. Auge singulis plenissimam fidem : dona constantiam : tribue charitatem. Atque ita quod corde credimus : ore confiteamur : ut cum tua confessor Leocadia coronam justicie fiducialiter expectemus. ℟. Amen. [d] Concedente divinitate tua Deus noster : qui es vita vivorum : et corona Sanctorum in eterna secula seculorum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Hilares Domine celebramus festa solennia confessoris tue Leocadie : cujus fiducialis oratio superbum conterruit inimicum. Ob hoc namque in sede letatur eterna : et gaudet felix in patria gloriosa. Ipsius meritis concede fiducialiter quesumus Domine nobis eternam celestis patrie sedem : et hanc de nostris manibus suscipe placatus oblationem. Ut facta patrum : fratrum : charorumque nostrum commemoratione : eos in eterna digneris beatitudine conlocare. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Omnipotens et immense Deus : qui Leocadie Virginis tue placatus confessione : ad te animam ejus accerssiri jussisti : [e] in pace tu nos et pia peccatorum **417** confessione salva : et fraterne dilectionis unanimitate justifica. Quo per hanc Virginem et confessionis dono : a vitiis emundemur : et pacis unitate tue visionis solacio potiamur. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : omnipotens Pater tibi in honorem confessoris tue Leocadie gratias agere : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum : cujus nec fides necessitate sexus variatur : nec virtus teneritudine muliebrium artuum enervata dissolvitur. Invictum enim Ecclesie Catholice caput : ita suis membris subrogavit virtutis augmentum : ut non solum viros sui nominis testes : in certamine victores per patientiam redderet : verum etiam feminis triumphalem coronam per tolerantiam condonaret. Implacabilis quippe carnificis furor exquisita supplicia membris muliebribus admovebat : sed virilis in feminis virtus inlata cruciamenta temnebat. Nec enim debuit fremitum viri formidare tortoris : que intimo palacio mentis presenti fruebatur presidio Salvatoris : et quoniam invicti Regis auxilio utebatur in corde : cruciatus fortiter vincebat in corpore. Sed in his omnibus Christus Dominus unigenitus tuus continuis laudibus est glorificandus : qui est ubique laudabilis : ubique mirabilis : qui et Mariam matrem inlibatam ab omni corruptione servavit : et Leocadiam famulam sui nominis fidelissimam testem in oratione suscepit. Et sicut Mariam fecit Virginem permanere post partum : ita Leocadiam victricem fecit esse post transitum. Quem conlaudant omnes Angeli et Archangeli : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post sanctus. Vere sanctus : et vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : quem conlaudat omnis conventus Martyrum : et adtollunt humilium preconia confessorum. Qui Virginem suam Leocadiam carcerali vinculo trusam : atque in oratione constitutam : in confessione sui nominis spiritum emittentem suscepit ad se : in gloriam sempiternam : Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Precibus confessoris tue Leocadie : omnipotens Deus : hoc tibi oblatum a nobis sacrificium suscipe : et tue benedictionis perlustra sanctificatione. Ut dum ex his sumpserimus : quicquid in confessione poposcerit lingua : prelargiri digneris tua miseratio consueta. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Accipe Deus nostrorum confessionem labiorum : omniumque ligamenta solve facinorum. Quo hujus Virginis tue Leocadie prece : et vitiis careamus : et muneribus ampliemur : cum ad te proclamaverimus e terris. Pater noster.

[a] *Lauda.* Ps. CXIX, 28.
[b] *Sacrificium.* Ex Isaiæ LVI, 7. ℣. Isaiæ LXI, 10.
[c] *Ad proprias.* Forte, *appropinquas.*
[d] *Concedente.* Formula quæ præmittitur recitationi diptychorum.
[e] *In pace.* Hoc est non tantum *in pace*, et communione Ecclesiæ, sed etiam sine ulteriori tormentorum vexatione, aut morte sanguinolenta.

Dic t Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus A sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dei filius : qui in confessione sui nominis spiritum suscepit Leocadie : vestram accipiat fidelem remuneraturus devotionem. ℟. Amen. Quique confessoris hujus festum in canticis confessionum attollitis : donis a Deo remuneremini sempiternis. ℟. Amen. Ut illic remuneratura perveniat devotio vestra : quo beatissime Leocadie confessio perducta est muneranda. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri qui est benedictus : et vivit : et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Gustate.

Post communio. Oratio. Domine Deus omnipotens : B qui es vita et salus fidelium : quem venturum judicem credimus verum : esto nobis propicius. Et qui hanc oblationem pro nostra nostrorumque salute vel pro expiatione nostrorum peccatorum : in honorem Sancte Virginis Leocadie tibi obtulimus : misericordie tue opem in nos diffundi sentiamus. Ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium : dono tui muneris consequi mereamur premium sempiternum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus : et vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟ Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

418 IN SANCTE [a] EUGENIE VIRGINIS ET MARTYRIS.

Ad Missam. Officium.

Loquebar de testimonis. *Quere in Sancta Cecilia. fo.* 410.

Omnia alia unius Virginis preter Missam cum subsequentibus. fol. 436.

Missa. [b] Sicque desiderio compuncta psallentium festinavit mutare viam : ut sequeretur viam qua perveniret ad vitam. Viam utique seculi relinquendo : perducta est ad viam : que virginis processit ex utero. Vnde quia eadem virgo sic deinceps assecuta est Christum : ut nusquam repedaret ad seculum : sed magis fuso sanguinis sui cruore dignum pro Christo Domino dignoscitur suscepisse martyrium. Oportet nos in tanti diei veneranda festivitate : singulari placationis hostia Christum Dominum exorare. Ut qui eam fecit triumphare de mundo : ejus precibus nos efficiat heredes in celo.

℟. Amen.

Alia. Domine Jesu Christe pro cujus amore beatissima Eugenia : et affectum parentum : et copias oblita est facultatum. Cum relictis domo parentibus fratribus atque familiis : aufugiens : crinibus detonsis te sequendo adjungitur Christianis : tuis suscipiens sua colla subjugare preceptis : tu Ecclesie tuo precibus adesto mitis atque placabilis : ut ad instar hujus martyris tue relinquamus seculum : contemnamus vanarum inlecebras voluptatum : affectus parentum : atque curas rerum periturarum. Ut ad te diligendum : te sequendum : teque fruendum nullis obicibus impediti : ita libentissime presentis seculi evincamus mala : sicut hec virgo fallentis Melancie valuit separare commenta. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Domine offerentium vota : C et peccaminum sana discrimina. Ac presta nobis : ut sicut nomen sexusque Eugenie Virginis cognitionem tui perspicui Eleni non latuit Sacerdotis : ita nomina nostra ex occultis judiciis tuis : eternis jam adnotentur in paginis. Quo in hujus Virginis ac

[a] *Eugenie.* Sanctam Eugeniam Gotho-Hispani missa et officio proprio die 12 Decembris colunt. De eadem in Orationali Gothico (*Pag.* 42) habentur Oratio et benedictio : *VI Kal. Jan., incipit oratio vel benedictio de festivitate sanctæ Eugeniæ dicenda tam ad vesperum quam ad matutinum*; ubi illud vi *Kal. Jan.* secundis curis appositum quidem est, recte tamen juxta dispositionem festivitatum quæ in eo Orationali exstat. Apud Gallos nomen sanctæ Eugeniæ celebre fuisse tum ex Alcimo Avito (*Poem. lib.* vi *de consol., laud. castitatis*), tum ex canone missæ Sacramentarii Bobiani, in quo Sanctæ *Eugeniæ* nomen recitatur, aperte constat, etsi in libris D eorum liturgicis nulla ejus missa habeatur. Prope urbem Romam, via Latina, stabat olim celebris basilica sanctæ Eugeniæ, in qua reliquiæ ejus depositæ erant; de hac basilica meminit Willielmus Malmesbariensis (*Lib.* iv *de gest. reg. Angl.*) agens de locis sanctis via Latina sitis. Haud procul a cœmeterio sancti Tertulliui est, inquit, *ecclesia beatæ Eugeniæ, in qua jacet, et Claudia mater ejus.* De eadem ecclesia mentionem facit anonymus apud Joannem Georgium ab Echart (*De reb. Franciæ Orient. tom. I, part.* ii). Juxta viam Latinam, inquit, est *ecclesia sanctæ Eugeniæ ubi ipsa cum matre sua in uno tumulo jacet*; et ante hos anonymus Mabillonianus (*Analect. tom. IV, pag.* 513); at hic juxta viam Appiam eam collocat. Nam intra decimum lapidem viæ Appia et Latina tam prope invicem ducuntur, ut ædificia quæ ab aggeribus viarum paulo remotiora erant alterutri viæ tribui poterant. Græci Menologio Basilii die 24 Decembris sanctam Eugeniam inscripsere, Latini die sequenti 25 de ea agunt in Martyrologiis Hieronymianis, Romano Parvo, Bedæ, Adonis, Usuardi, aliisque recentioribus. Sub Gallieno passam tradunt. Acta sanctæ Eugeniæ leguntur apud Lippomannum (*Tom. V*), Surium (*Tom. VI*), e Græco opere Gentiani Herveti translata, et apud Rosweydum (*De Vitis Patrum, pag.* 340), incerto auctore, exarata. Eædem tamen, tam in Græcis quam in Latinis exemplaribus, res gestæ leguntur, et eodem ordine dispositæ, ut ab eodem auctore olim compositæ manifesto appareant. Sunt quidem antiqua, et in Occidente ante finem sæculi iv recepta, ut ex Alcimo Avito Viennensi episcopo colligere licet; is enim (*Lib.* vi *Poem. de consol., laud. castitatis, ad Fuscinam sororem*) pleraque ex hisce Actis sanctæ Eugeniæ refert. Eadem Acta Missale et Breviarium Mozarabum, et orationale Gothicum, in orationibus et missa sequuntur. Fatendum tamen est, ea prorsus fictitia esse, et, quod sane dolendum, de martyrio sanctæ Eugeniæ nihil certi, præter ejus nomen et cultum, minime dubium, superesse. Vide Papebrochium (*In respons. ad exhib. error., part.* ii, §... *art.* 16, *n.* 91), Tillemontium (*Tom. IV, pag.* 585), Bollandianos (*Tom. III Septemb., pag.* 762).

[b] *Sicque.* Hæc oratio principio caret. Alludit ad id quod in Actis sanctæ Eugeniæ scribitur, eam, cum forte ad prædia paterna pergeret, audivisse Christianos canentes illud Davidicum : *Dii gentium dæmonia*, etc.

Martyris tui solennitate : et vivis solacia : et quiescentibus presteiur requies sempiterna.

℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Vox testimoniorum tuorum Domine : que Eugeniam Virginem ad tuum provexit amorem : cum Christianorum cantu dignosceret : omnes Deos gentium demonia esse : te autem solum Dominum celos fecisse : inflectat corda nostra ad penitentiam : et corpora in divina servitute constringat. Pellat quoque a nobis simultatum scandala : et alterne societatis enutriat incrementa. Quo ammonitionem legis tue celesti ab invicem potiamur dulcedine : per quam hec virgo compuncta Sancte Trinitatis promeruit cognoscere unitatem.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus. Qui ita Martyrem tuam Eugeniam amore castitatis armasti : ut sericas vestes et paternas infulas crederet esse timendas. O sanctus Christi amor accensus : per quem et secularis pompe ornatus et parentum extitit exclusus affectus. Elegit quoque gloriosa virgo abjectam in seculo gerere vitam : illo Davidico carmine docta : Elegi abjectus esse in domo Domini : magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quam cum ille antiquissimus serpens viriliter pro corone premio cerneret : agonizantem solitam : suam per Melanciam ad instar Eve : voluit erga eam exercere maliciam. Perfecta quidem deceptrix invenitur ad suadendam Evam : sed novissimus noster Adam victor in Virginis mente perfectior invenitur. Ducitur quoque ad supplicium cum suis venerabilis Virgo comitibus : cujus certamen Christus letus expectaret sponsus. Introducuntur falsi accusatores : sicut in Stephani Martyris necem. Claruit concinnata falsitas : quia immaculata inventa est sancta virginitas. Ingens facta est parentum leticia : quia de triumpho Virginis exultat celestis militia. Glorioso enim Virgini ad hoc concessa sunt temporum spacia : ut ipsa multos secum provocaret ad celestia regna : quorum pariter castissimas tibi Domine animas in sacrificia consecrarentur munda. Quem in unitate Trinitatis adorant Angeli : benedicunt Archangeli : et universe metuunt potestates : consona voce incessabiliter clamantes atque dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

419 *Post Sanctus.* Vere sanctus : vere gloriosus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui est custos virginitatis : et virginalis decus immensi pudoris. Qui et in matre Maria virginitatem servavit : et in Martyre Eugenia integritatem virgineam contulit. Cum et illam Virginem : ipsa sui nativitate adsignat : et istam per deceptricis accusantis Melancie verba : Virginem manifestat. Ipse Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Domine Jesu Christe fili Dei vivi : qui tantam gratiam in Virgine tua Eugenia contulisti : ut sicut evidentia ejus gesta declarant : quemcumque in dolore positum visitasset : et langueris ab eo pestis recederet : et optatam ad eum sanitatem revocaret. Tuum hoc sacrificium tibi appositum : ita tue visitationis benedictione sanctifica : ut ex eo sumentibus : et criminum prestetur indulgentia : et perpetue salutis prelargiatur medela. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Videte : videte dilectissimi fratres mirabilia operum Dei : qualiter Eugenia Virgo pro nomine Jesu martyrium sustinendo : nec undis subjicitur : neque ardoribus concrematur. Hec sana fides augebat : pro qua Dominus noster predixit : quod in ea se rogantibus nihil difficile sit. Unde hac fide : que per dilectionem operatur : rogemus pii Patris clementiam : ut nostras recipiat lachrimas : diluat culpas : impertiat gratiam : et arceat queque nobis videntur esse adversa. Si enim rogaverimus eum fiducialiter : spes nobis est : quod exaudiat vocem nostri clamoris : cum ad eum ea que Domino Jesu Christo edocente didicimus : proclamaverimus e terris. Pater noster.

Benedictio. Deus summus atque eternus : in cujus servitium Eugenia virili habitu detonsis crinibus se obtulit servituram : faciat vos defectis atque recisis curis seculi : apprehendere vitam immaculatam. ℟. Amen. Quique ejus virginitatem Melanciam fallentem manifestam efficit cuneis populorum : ostendat in vobis divitias misericordiarum suarum. ℟. Amen. Atque cum illa post transitum mereamini partem habere : que pro Christo Domino suo meruit laureari cruore. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui est benedictus : et vivit : et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Gustate

Post Communio. Oratio. Gustantes Domine suavitatis dulcedinis plenitudinem quesumus : ut sit nobis hoc in remissionem peccatorum : et sanitatem mentium. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

In Sancte [a] *Columbe Virginis et Martyris.*

Omnia dicantur unius Virginis. Excepta Missa. fol. 456.

[a] *Columbæ.* Columba virgo, Senonis sub Aureliano imperatore martyrii palmam adepta, in Missali et Breviario Mozarabum missa et officio proprio, et in Orationali Gothico pluribus orationibus, colitur pridie Kalendas Januarii ; quo die eam enuntiant Martyrologia Hieronymiana, Bedæ, Romanum Parvum, Adonis, Rabani, Usuardi, Wandelberti, et Romanum Baronii. Orationali Gothico (*Pag.* 43) titulus inscribitur : *II Kal. Jan.*, incipiunt *orationes in diem sanctæ Columbæ.* Notat cl. P. Joseph Blanchinius illud *II Kal. Jan.* secundis curis additum esse; tamen constat Gotho-Hispanos olim sanctam Columbam coluisse die secunda Januarii, nam hac die enuntiatur in fragmento Piniano Calendarii Gotho-Hispani *III Non.* Januarii, *sanct. Columbæ virg., Senonas.* Hujus sanctæ virginis cultus vetustus est, et late diffusus : exstant quædam ejus Acta, sed in *quibus sinceritatis notæ desiderantur*, inquit Sollerius. Credibile est, martyrium fecisse anno æræ Christianæ 273, aut ineunte anno 274, cum Aurelianus

Omnis unitas Ecclesie sancte que significata est in columba de qua dictum est. Una est columba mea: perfecta mea. Una est matris sue: manibus plaude: jubilo cane: exulta in omni corde. Quoniam pulsantis dilecti vocem mox ut hec Columba Virgo et Martyr: dicentem sibi audire promeruit. Aperi mihi soror mea: amica mea: columba mea: illico surrexit aperire dilecto. Inquiens: pulcher es dilecte mi et decorus: lectus noster floridus ac jocundus. Cujus in accubitu dum dilectus consisteret: nardus virginis dedit odorem. Cum interrogata imperiali ex voce: quem coleret: Christum se testata est credidisse: cum jam vulnerata fuerat charitate. In hujus ergo Virginis festum dilectissimi fratres: et vota pandamus cum gaudiis: et crimina cum lamentis. Ut hec Virgo suis sanctam semper precibus tueatur Ecclesiam: que Jesu Christo Domino effecta est ex virginitate sponsa. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus Pater omnipotens: [a] super baptizatum unigenitum tuum in aquis Jordanis Spiritum Sanctum in columbe specie ostendisti: atque per ipsius Sancti Spiritus donum cor Martyris ac Virginis tue Columbe tanto ardore tue dulcedinis inflammasti: ut usque ad consummationem meruerit pervenire martyrii. Effice nos quesumus columbarum simplicitate puros: malicia parvulos: et prudentia serpentium circumspectos. Quo sicut hec Virgo: et simplicitate candida: et virginitate munda: **420** ac prudentia circumspecta: columba sine macula merito fuit: sic nos ejus intercessione purificati: ac ejusdem Martyris palma accincti mereamur ad te pervenire: qui es redemptor eternus. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Auditis nominibus offerentium: pietatis Dominum deprecemur: ut per interventum beatissime Martyris et Virginis sue Columbe: nobis dignetur [b] ornatus assistere: adesse quesitus: aperire [c] pulsatus. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Impetret quesumus Domine fidelibus tuis auxilium: oratio juste Martyris et Virginis tue Columbe: ut in cujus hodie celebritate devoti sunt: in ejus fiant pace participes. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est: equum et justum est: nos tibi gratias agere: Domine sancte Pater omnipotens Deus: per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui beatissimam Martyrem et Virginem suam Columbam diversis certaminibus dimicantem: celestibus muneribus cumulavit. Arguitur quidem multis tormentis: et corona ipsius diversis margaritis ornatur in celum. Prestat enim divinus amor audaciam: qua ipsa victrix existit in pugna. In confessorem Dei sententia mutatur: [d] et devicto seculo cum Patre: et Filio: et Spiritui Sancto in perpetuum gloriatur. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie: ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus: vere in altissimis gloriosus: Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui certatricem pro nomine suo Columbam: inter suprema supplicia: [e] emissa de celis voce ad se vocat: veni quippe ait columba: aperti sunt tibi celi. Ecce vox fit ad Virginem similis: que super baptizatum Dominum extiterat singularis. Singularis plane vox illa: que illum dilectum Dei filium nunciabat: communis vel similis: que ex ipso celi climate processerat: que preciosam mortem Virginis populis commendabat. Hinc igitur quia nostris non debentur meritis talia: te Deus quesumus ut vox: quam audivimus ab initio: in nobis permaneat. Ut dum apparueris: habeamus fiduciam: et non confundamur in ea: cum manifestata cunctis fuerit gloria tua Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Excellentissimam tue majestatis imploramus potentiam sancte Deus: qui Virginem tuam Columbam et [f] in amphiteatro bestia obsequente glorificas: et post in consummatione passionis emissa de celis voce confirmas. Ut has tibi jubeas propicius oblatas hostias intueri: atque celestis benedictionis sanctifices largitate. Ac prestes: ut omnes pro quibus hec offertur oblatio: et lucrum tui sanguinis simus; et pretium nostre redemptionis: plenissima devotione sumamus. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus pater omnipotens: qui in expiatione parturientium: duos tibi offerri pullos precipis columbarum: tu precibus Columbe Martyris tue: ab omni nos lava sorde pollutionum. Ut hujus Virginis suffragio: ad te culparum possimus veniam promereri: cum nunc orationem coram te deprompserimus filii tui: proclamantes atque ita dicentes. Pater noster.

Benedictio. Unigenitus Dei filius: qui Virginem Columbam inlesam servavit a flammis: ab omnium vitiorum vos immunes reddat inlecebris. ℟. Amen. Precibus quoque hujus Columbe Virginis, et columbarum innocentiam retenetis: et zelo Sancti Spiritus

in Gallia, ob bellum contra Tetricum susceptum, cum exercitu versaretur. Ex hymno Breviarii Mozarabum, et orationibus Missalis, atque Orationalis Gotho-Hispani, habemus, sanctam Columbam, in lupanar datam, intactam evasisse, tormenta deinde et ignem lampadarum superasse, ac demum, in amphitheatro gladio cæsam, ad coronam gloriæ, ad quam clara voce e cœlo delapsa fuerat vocata, evolasse.

[a] *Super.* Lege *qui super*, etc.
[b] *Ornatus.* Lege *oratus.*
[c] *Pulsatus.* Forte, *pulsantibus.*
[d] *Et... gloriatur.* Lege *ut... glorietur.*
[e] *Emissa.* De hac voce cœlitus emissa mentionem faciunt hymnus Breviarii et benedictio in Orationali Gothico (*Pag.* 44).
[f] *In amphitheatro.* In hymno Breviarii legitur:

Sic liberata ab ignibus
Locis retracta scenicis
Mucrone stricto plectitur.

quæ videntur potius theatrum quam Amphitheatrum indicare; at cum hic distincte Amphitheatrum dicatur, et addatur quod in hymno omiserunt, illud miraculum bestiæ mansuefactæ, dicendum est, sanctam Columbam in Amphitheatri spoliario jugulatam fuisse; adde, ludos scenicos aliquando etiam in Amphitheatris exhibitos esse.

ardeatis. ℟. Amen. Quo intra sinum unius Columbæ : A et sine offensione permaneatis in seculum : et cum fructu bonorum operum perveniatis ad Christum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri : qui est benedictus : et vivit : et omnia regit in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Hic dicat Chorus. Gustate et videte.

Oratio. Refecti Christi corpore et sanguine : pariterque sanctificati : Deo Patri omnipotenti gratias referamus : ut vos in eadem refectione et sanctificatione habeatis hic : et in futuro seculo gloriam percipiatis. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

[a] INCIPIT COMMUNE.

421 IN PRIMIS OFFICIUM [b] UNIUS MARTYRIS.

Ad Missam. [c] *Officium.*

Gloriam et magnum decorem impones super eum : alleluja : et dabis eum in benedictione : in seculum seculi : alleluja : alleluja. ℣. Vitam petiit [d] ad te : tribuisti ei longitudinem dierum [e] in eternum. *P.* In seculum seculi : alleluja. ℣. Gloria et honor Patri :

[a] *Incipit.* Solemnitates sacras, in honorem martyrum, prisca consuetudine, a fidelibus celebratas fuisse monumenta ecclesiastica passim ostendunt. Sanctus Gregorius, ob patrata miracula, Thaumaturgus appellatus, reddita pace Ecclesiæ, quam persecutio Decii turbaverat, *ad incrementum pietatis erga Deum, apud omnes ubique populos dies festos instituebat, nomine eorum qui pro fide fortiter dimicaverant; cumque alii in hunc, alii in alium locum, corpora martyrum transtulissent, quotannis, in eorum martyrum honorem congregati, cum lætitia festa agebant*, ut in Vita Thaumaturgi (*Oper. Gr.-Lat. tom.* II, *pag.* 1006) scribit sanctus Gregorius Nyssenus. Attamen sanctus Gregorius Thaumaturgus festa Martyrum primus instituisse credendus non est; nam Acta sancti Pionii (*Ruinart., Act. Mart., pag.* 125), qui Decio et Grato coss. passus est, tradunt, eum a persecutoribus captum esse, cum aliis quibusdam fidelibus, qui ad natalem sancti Polycarpi genuinum celebrandum convenerant; sed, ante hæc tempora, C ex epistola Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio sancti Polycarpi (*Ruinart., Act. mart., pag.* 34) festa sanctorum jam usu recepta fuisse patet : *Nos*, inquiunt, *collegimus ut aurum gemmamque pretiosam, et sepulturæ ossa commendavimus; conventus itaque alacriter factus, ut præcepit Dominus, ad diem natalem martyrii.* Paulo aliter apud Eusebium (*Hist. eccl. lib.* IV, *cap.* 15) ex eadem epistola legitur : *Nos demum ossa illius*, Polycarpi, *gemmis pretiosissimis chariora, et quovis auro puriora, colligentes, ubi decebat condidimus; quo etiam in loco, nobis, si fieri poterit convenientibus, concedet Deus, natalem ejus martyrii cum hilaritate et gaudio celebrare.* Hac etiam antiquior est epistola quam de passione sancti Ignatii scribunt oculati testes, et in itinere, Romam usque, martyris comites (*Ruinart., Act. mart., p.* 14), ubi de festo, in ejus memoriam agendo, hæc leguntur : *Facta autem sunt hæc die ante* XIII *Kalendas Januarias..... horum ipsimet conspectores effecti..... manifestavimus vobis* D *diem et tempus, ut, secundum tempus martyrii congregati, communicemus athletæ et virili Christi martyri.* Quare audiendi non sunt heterodoxi quidam critici, qui festa in sanctorum honorem, aut ignotæ incertæque originis esse, aut circa annum 170 incœpisse contendunt (*Bingham., orig. eccles. tom. IX, lib.* XX, *cap.* 7, *sect.* 1, *Edit. Lat.*) : nam sanctus Ignatius anno 107 bestiis traditus est, et epistola Smyrnensis, et passio sancti Ignatii, de festorum martyrum celebratione tanquam de disciplina jam usu in Ecclesia recepta loquuntur; quæ proinde ad apostolos referri debet. Sane Polycarpus et Ignatius ii non erant qui in Ecclesias sibi commissas alios mores inducerent quam quos ab apostolis traditos accepissent. Jam vero diebus martyrum festivis fideles convenire solebant, sacra mysteria celebrabantur, et Eucharistia inter præsentes distribuebatur. Tumuli B martyrum altaria erant in quibus sacrificium Deo offerebatur. *Pro natalitiis annua die facimus*, inquit Tertullianus (*De Coron., cap.* 3). Et sanctus Cyprianus (*Epist.* 34) de Celerina et Laurentio martyribus ait : *Sacrificia pro eis, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversarias commemoratione celebramus.* Et scribens ad clerum Carthaginensem (*Epist.* 38) mandat : *Dies eorum quibus excedunt notate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus;* et infra, laudat Tertullum, quod *scribat et significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem transeunt;* additque : *Celebrantur hic a nobis oblationes, et sacrificia ob commemorationes eorum; quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.* Sacrificia autem illa, quæ ob solemnem sanctorum commemorationem offerebantur, *missæ sanctorum* dictæ sunt. Circa quas alia in Occidente, alia in Græcia et Oriente disciplina observabatur. Ecclesiarum enim C Occidentis mos erat orationibus, præfationibus, illationibusque missarum, quæ festivis sanctorum diebus recitabantur, peculiaria gesta ejus martyris inserere, cujus dies solemnis agebatur, quemadmodum ex Missalibus libris aperte patet, maxime ex iis quibus in Hispania et Gallia utebantur. Hinc omnes MISSÆ sanctorum ab initio PROPRIÆ erant. Erant autem paucæ, cum ab Ecclesiis singulis suorum tantummodo martyrum festa annua colerentur, et in quibusdam Ecclesiis non omnium suorum, cum nimis multi essent, sed præcipuorum tantum solemnitates celebrarentur. Deinde celebratæ sunt festivitates martyrum quorumdam eximiorum primum vicinarum, postea etiam longe remotarum Ecclesiarum; quorum cum in dies augeretur numerus, nec satis nota forent eorum Acta, necesse fuit MISSAS COMMUNES componere, quæ, præter nomen martyris, aut martyrum, quorum colebatur memoria, nihil continebant quod Christi athletæ non conveniret. Instar marty- D rum, festa confessorum adjecta sunt; atque, ut martyrum ita et confessorum missæ ab initio PROPRIÆ omnes fuerunt, deinde COMMUNES accessere; et hæc quidem Occidentalium Ecclesiarum Latine loquentium disciplina. Orientalium vero et Græcorum alia est ratio; illi enim, quovis sanctorum festo recurrente, liturgiam eodem tenore constanter recitant, additis tantummodo

[b] *Unius Martyris.* In Sacramentario sancti Leonis exstat una missa de uno martyre; in Sacramentario Bobiano, in Lectionario Luxoviensi, in Missalibus Gallo-Gothico et Francorum exstat missa de uno martyre.

[c] *Officium.* Ps. XX, 7. ℣. Ibid., 5.

[d] *Ad te.* Lege *a te.*

[e] *In æternum.* Vulg., *in sæculum sæculi.* Psalt. Mozarab., *in æternum et in sæculum sæculi.*

et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* In seculum seculi : alleluja : alleluja.

Dicat Presbiter. Per omnia semper secula sceculorum. ℟. Amen.

Gloria in excelsis.

In tempore Quadragesime. [a] *Officium.*

Famulo tuo prestitisti honorem magnum dicit Dominus : et omnes inimicos ejus humiliavit : et coronam dedit ei. ℣. Prevenisti eum Domine in benedictione dulcedinis. Posuisti in capite ejus coronam de lapide precioso. *P.* Et omnes inimicos. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Et omnes inimicos.

Oratio. Deus qui sanctam nobis hujus diei solennitatem beatissimi Martyris tui N. passione fecisti : adesto familie tue precibus : ut cujus hodie festa celebramus : ejus meritis intercessione : ad ea que imitare cupimus : applicemur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus et vivis : et omnia regis in secula seculorum : amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis ([b] *Cap. XIV, XV*).

℟. Deo gratias.

Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo : et non est stimulatus in tristicia delicti. Felix qui non habuit animo suo tristiciam : et non excidit ab spe sua. Beatus vir qui in sapientia morabitur : et qui in justicia meditabitur : et in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei. Qui timet Dominum : faciet bona : et qui continens est justicie : apprehendet illam. Et [c] obviavit illi quasi mater honorificata : et quasi mulier a virginitate suscipiet illam. Cibavit illum pane vite : et intellectus : et aqua sapientie salutaris potavit illum. Et firmabitur in illo : et non flectetur. Et continebit illum apud proximos : et in medio Ecclesie aperuit os ejus. Ac implevit illum spiritu sapientie et intellectus : et stola glorie vestiet illum. Jocunditatem et exultationem thesaurizavit super eum : et nomine eterno hereditavit illum. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Posuisti super caput ejus coronam de lapide precioso. ℣. Super salutare tuum Domine exultabit vehementer : desiderium anime ejus dedisti ei : et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *P.* Coronam de lapide.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Galathas ([e] *Cap. VI*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Bonum facientes : non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus : operemur bonum : ad omnes homines : maxime autem ad domesticos fidei. Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu. Quicumque volunt placere in carne : hi cogunt vos circumcidi : tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur : legem custodiunt : sed volunt vos circumcidi : ut in vestra carne glorientur. Mihi autem absit gloriari : nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est : et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet : neque preputium : sed nova creatura. Et quicumque hanc regulam prosecuti fuerint : pax super illos : et misericordia super Israel Dei. De cetero nemo mihi molestus sit. Ego autem stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. ℟. Amen.

[f] *Evangelium.* Si quis vult post me venire abneget. *Quere in natali sancti Andree. fol.* 27.

---

tantummodo epistola, Evangelio, aliisve sacris lectionibus de sancto : sic, sive apostoli, sive martyris, sive confessoris festivitas agitur, liturgia puta sancti Chrysostomi, sancti Jacobi, aut sancti Basilii, aliave, pro Ecclesiarum diversa consuetudine, integra recitatur, quin in orationibus ulla fiat mentio sancti cujus celebratur solemnitas, quem tantummodo inter sanctos, cum diptycha recitantur, commemorant, unde apud eos nullæ exstant MISSÆ PROPRIÆ, quales in Ecclesia Occidentali celebrantur. Habent tamen et ipsi suas MISSAS PROPRIAS et COMMUNES ; sed hæc distinctio tota ferme sita est in diversitate lectionum sacrarum, non in varietate orationum quæ in liturgiis recitantur. De antiquitate autem missarum communium in Ecclesia Occidentali non idem omnes sentiunt : alii eas sæculo VII ineunte, alii post divi Gregorii Magni ætatem inventas putant ; ego, cum eas in vetustissimis Sacramentariis, Leoniano, Gelasiano, Gregorianis Menardi, Roccæ et Muratorii, in Kalendariis a Martenio et Durando (*Thes. nov. Anecdot., tom. V, pag.* 66), et ab Allatio, ad calcem tractatus de hebdomadis et festis Græcorum editis, in Missali et Breviario Mozarabum, in Lectionario Luxoviensi, Sacramentario Bobiano, et Missali Gallo-Gothico inveniam, facile inducor ut credam officia et missas *de communi* ante annum sexcentesimum æræ Christianæ usu receptas fuisse ; nec me movet quod in Kalendario Frontonis, in Capitularibus Georgii, et in Sacramentario Gregoriano Pamelii non inveniantur missæ communes : credibile enim est, eas ab initio separatim habitas fuisse, unde nil mirandum quod in istiusmodi libris non reperiantur.

[a] *Officium.* Ps. XX, 6. ℣. Ibid. 4. Cæterum hoc *officium ad missam* adjectum est postquam festivitates sanctorum tempore Quadragesimæ celebratæ sunt : quæ disciplina Gotho-Hispanis ignota erat (*Eod. canon., lib.* IV, *tit.* 19, *ex concil.* III *Bracar.*).

[b] *Cap. XIV.* Hæc prophetia constat e versiculis 1, 2, 22 capitis XIV, et capitis XV, 1-7. In Lectionario Luxoviensi *in festo unius martyris* prophetia legitur ex Isaia, LX, 4-16. In Bobiano nulla est prophetia : fortasse ejus loco legebant fragmentum homiliæ cujusdam.

[c] *Obviavit.* Lege *obviabit.* Familiare est Hispanis *v* consonantem pro *b* scribere ; hinc infra *cibavit* pro *cibabit* et *potavit* pro *potabit,* aliaque similia occurrunt.

[d] *Psallendo* Ps. XX, 4. ℣. Ibid., 1.

[e] *Cap. VI.* Vers. 9, ad finem capitis. In Luxoviensi legitur ex II Tim. II, 3-III, 1-12. In Bobiano ex II Tim. IV, 17, 18. Animadverte quod in edito legitur *Epistola Pauli ad Corinthios.*

[f] *Evangelium.* Illud idem est quod in festo sancti Andreæ legitur ; de quo vide pag. 34. In Luxoviensi legitur ex Joannis XV, 17-XVI, 1-4. In Bobiano ex Matthæi X, 32, ad finem capitis, aliquot versiculis prætermissis.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Lauda.* Alleluia. ℣. Beatus homo quem tu erudisti Domine : et de lege tua docuisti eum. *P.* Alleluja.

[b] *Sacrificium.* Fulgebit justus sicut splendor firmamenti. Sicut stelle celi dantes claritatem lucis : ita et justus splendebit : in perpetua eternitate : alleluja. ℣. Fulgebunt : et tanquam scintille in arundineto discurrent : judicabunt nationes : et dominabuntur populis : et regnabunt cum Domino. *P.* In perpetua.

422 *Missa.* Largitorem eterni muneris Deum fratres charissimi supplices imploremus : ut sacrificium quod offerimus hodie in honorem Martyris sui N. propicius acceptare dignetur : ac sic preces omnium clementer accipiat : ut omnibus peccata dimittat. [c] Et qui prestare dignatus est eidem [d] martyrio suo Deus Pater omnipotens olim victorie palmam : nunc quesumus universis postulata concedat : et eterne vite premia dignanter attribuat.

℟. Amen.

Alia Oratio. In honorem beatissimi Martyris tui N. cujus hodie natalem glorie celebramus : his majestati tue omnipotens Deus laudibus servientes : solennia festa concinimus : supplices te deprecantes : ut cujus meritis obsequimur : ejus te propicio ac donante : apud clementiam tuam semper precibus adjuvemur. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Pietatem tuam petimus : sempiterna Trinitas Deus : et sancti tui. N. venerantes agonem : supplices imploramus : ut preces omnium clementer accipias : et omnibus peccata dimittas. Atque ita tibi sit offerentium devotio placita : ut defunctis etiam requies prestetur eterna. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Reple nos Domine tue pacis et dulcedinis dono : ut qui in hoc die amabiliter Martyris tui. N. veneramur triumphum : martyriali perficiamus affectu. Et qui eidem Sancto tuo impendimus obsequele honorem : ejus precibus per te fructificemus in charitate.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum et salutare est : te inconfusa Trinitas : et unius essentie indivisa majestas Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum : fontem beatitudinis eterne laudare : quem scimus nullius servitutis obsequiis indigere. Per quem beatissimus Martyr tuus. N. errores seculi sapientia vicit : terrores patientia superavit : et idcirco tam magnum tamque magnificum est quod fecit. Secutus quippe agnum : leonem vicit. Quando persecutor seviebat : leo fremebat. Sed quia agnus sursum adtendebatur : leo deorsum contemnebatur. Ipse enim intuebatur qui mortem morte destruxit : in ligno pependit : sanguinem fudit : mundum redemit. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie : ita dicentes. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : et vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui hodierno die animam sui testis. N. devicto mundo evexit in celum : ut que fuerat afflicta suppliciis : gaudiis frueretur eternis. Et que dominice imitatrix extiterat passionis : celestis esset particeps regni. Hujus proinde meritis Deus summe terminum pone delictis : et finem scandalis. Ut qui Martyris tui. N. veneratores existimus : remotis [e] adversitatibus effici mereamur. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Hec tibi Domine tua servantes precepta : [f] in altare tuum panis ac vini holocausta proponimus : et in commemorationem sancti tui. N. suscepta populi tui per has oblationes : te jubente vota deferimus : non nostris meritis : sed obsequio suscepti officii. Rogantes profusissimam tue misericordie pietatem omnipotens Deus : ut eodem spiritu : quo te in carne virginitas incorrupta concepit. has hostias Trinitas indivisa sanctificet. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Cum in ecclesia tua Domine noverimus in memoria eterna esse justum : [g] non pro illius : sed pro nostri commendatione : hoc tibi offerimus holocaustum. Petentes : ut qui ejus animam fecisti in passione victricem : nostrum votum efficias in confessione victorem. Quo eodem suffragante clamorem nostre accipias vocis : quo jubente dicimus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Christus Dominus : qui Martyri suo N. patiendi contulit votum : patientiam vobis tribuat

[a] *Lauda.* Ps. XCIII, 12.

[b] *Sacrificium.* Ex Daniele XII, 3. ℣. Ex Sapientia, III, 7.

[c] *Et.* Lege *ut.*

[d] *Martyrio.* Lege *Martyri.*

[e] *Adversitatibus.* Adde *ejus gloriæ participes* effici mereamur.

[f] *In altare tuum.* De hac oratione vide quæ notavi pag. 316.

[g] *Non pro illius.* Ad altare nominantur quidem martyres : *Magnus enim honor est nominari Domino præsente, dum mors illa perficitur, metuendum sacrificium, ineffabilia mysteria.* Et infra : *Quandiu prostant mysteria, omnibus honor maximus est in memoria haberi,* inquit sanctus Chrysostomus (*Hom.* 21 *in Act. apost., Oper. Gr.-Lat., Ed. Maur., tom. IX, pag.* 176). Pro martyribus etiam offertur sacrificium, *ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem*, ut quotidie in missa dicimus. Ecclesia tamen pro martyribus non orat quemadmodum orat pro cæteris defunctis : *Habet ecclesiastica disciplina, quod fideles nove unt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur ; injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Hæc sanctus Augustinus (*Serm.* 159, *de verb. Apost., Oper. t. V, Edit. Maur., col.* 765), qui rationem reddit (*Serm.* 286, *de sanct., t. V, col.* 1147), hæc nimirum : *Martyrum perfecta justitia est, quoniam in ipsa passione perfecti sunt ; ideo pro illis in Ecclesia non oratur, pro aliis fidelibus defunctis oratur ; tam enim perfecti exierunt ut non sint suscepti nostri, sed advocati.*

contra omnes inlecebras viciorum. ℟. Amen. Et qui illi donavit peracta passione coronam : vobis conferat peracto luctamine mundi gaudia repromissa. ℟. Amen. Ut qui in hoc die tanti Martyris ovantes solennia celebratis : **423** cum eodem post transitum conlocati in celestibus sedibus gaudeatis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Require in festo Corporis Christi. fo.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine : te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Fac nos Domine beatissimi Martyris tui N. sequipedes : ut ejus muniti suffragio : respuamus fallacias demonum : cujus instructi patrocinio : videamus bona Domini in regione vivorum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. Deo gratias.

INCIPIT MISSA UNIUS MARTYRIS PONTIFICIS : VEL SIMPLICIS.

[a] *Officium.*

Hec dicit Dominus : Ego tuli te : et fui tecum : alleluja : et interfeci omnes inimicos tuos : alleluja. *P.* Fecique tibi nomen : alleluja : alleluja. ℣. Beatus vir qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. *P.* Fecique. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum. Amen. *P.* Fecique.

Dicat Presb. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. Gloria in excelsis.

Iterum dicat Presb. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

Oratio. Domine Deus presta propicius : ut beatissimus Martyr tuus atque Pontifex N. qui pro te viriliter dimicavit et tuo munere vicit : ita nobis jugiter in tuo nomine adsit : [b] ut victores eculeo victo existant peccati : quotidianis abluat culpas : qui tot tantasque supergressus est penas. Ut qui pro Domino mirificus extitit triumphator : pro servis existat magnificus intercessor. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Tetigit justum tentatio. *Require in Translatione Sancti Jacobi fratris Domini. fo.* 50.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Psallendo.* Beatus vir qui non abiit in consilium impiorum : sed in lege Domini fuit voluntas ejus. ℣. Et erit tanquam lignum : quod plantatum est secus decursus aquarum : et omnia quecunque fecerit prosperabuntur. *P.* Sed in lege Domini.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Epistola. Confortare in gratia. *Et* [d] *Evangelium.* Una dierum. *Quere in festo sancti Clementis. fo.* 21.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Lauda.* Alleluja. Exultabit justus in gloria : et gaudebit in leticia sempiterna. *P.* Alleluja.

[f] *Sacrificium.* Ego servus tuus et filius ancille tue : dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo sacrificium laudis : alleluja. ℣. Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus : alleluja.

Missa. Beatissimi Martyris tui atque Pontificis. N. agonem : divina virtute perfectum : votis solennibus dilectissimi fratres celebremus. Ut qui triumphalem palmam per fidei munimenta Christo opitulante promeruit obtinere : patrocinii sui nobis intercessionem apud eum cujus presentia gratulatur : dignetur impendere. Ut ipse nobis peccatorum tribuat veniam : qui eidem contulit immortalitatis coronam. ℟. Amen.

Alia Oratio. Iteratis precibus te Dominum Deum nostrum suppliciter deposcimus ; cujus honor sanctitas est : quem diligere salus est : quem amare perfectio est. Concede in omnem Ecclesiam tuam Sancti Martyris atque Pontificis N. [g] lucerne vestigia : ut te regente omnium gressus : ea nos via perducat ad vitam : que Martyrem tuum extulit ad coronam. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus qui Sancto ac beatissimo Martyri tuo atque Pontifici N. id muneris contulisti : ut qui propter te peregit inlate passionis libenter cursum : hujus multitudinis mereretur occursum. Presta nobis : ut ejus suffragio offerentium vota suscipias : et requiem defunctis impercias. Donans omnibus nobis ita tui Martyris imitari virtutem : ut consimilem a te post transitum mereamur invenire mercedem. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Dona nobis omnipotens Deus Martyris tui atque Pontificis N. celebrantibus festum : sincere pacis et charitatis affectum. Ut qui in honorem ejus tibi sacrificium deferimus laudis : nobis a te impetremus **424** donaria charitatis. ℟. *Chorus.* Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : omnipotens Deus : ut pro virtutibus Martyris tui atque Pontificis. N. tibi laudes dicamus : et honoremus nomen sanctum tuum studiis animorum. Qui tantum fidei robur tuo militi prestitisti : ut corpori flamma cederet ; ferrum stuperet in pectore : et suis vincerentur tela vulneribus. Tantus enim in eo extitit amor nominis tui : ut non avidi morsus ferarum : non rabies ursorum : leonum insatiabilis furor eidem metum mortis incusserit. Non laceratum ferro corpus animos inclinavit : non scissum sulcis latus fidem professe virtutis exclusit : nec ille sanguinis fluxus ungularum stridore revocatus : vocem supplicationis exegit. Hec est corona

[a] *Officium.* Regum II, 7, 9. ℣. Ps. CXI, 1.

[b] *Ut victores.* Fortasse, *ut victores, sæculo victo, existamus peccati.*

[c] *Psallendo.* Ps. I, 1. ℣. Ibid., 3.

[d] *Evangelium.* Prophetia petenda est a festo quod inscribitur translationis sancti Jacobi (*Pag.* 60). Epistola et Evangelium a festo sancti Clementis desumenda sunt (*Pag.* 24).

[e] *Lauda.* Ps. CXLIX, 5.

[f] *Sacrificium.* Ps. CXV, 16. ℣. Ibid., 15.

[g] *Lucerne vestigia.* Adde *sequi.*

Martyris tui atque Pontificis. N. Hec est celestis pompa virtutum. [a] Fortiora sunt vulnera Martyris: quam tela carnificis. Rogamus ergo te Domine: ut sicut ejus virtutibus victorie prestitisti triumphum: ita nobis favorem auxilii tui perpetuum largiaris: et prestes nobis hunc in solacium: quem prebere dignatus es in exemplum. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare: ita dicentes. ℟. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus: vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui Martyri suo atque Pontifici. N. et dimicandi virtutem: et regnandi tribuit potestatem. Quo illi esset consors in regno: pro quo animam tradidisset supplicio. Haberetque eum in munere: quem consortem habuisset in passione. Vere solus ipse est Dominus et Salvator noster Christus Jesus: qui et Sanctis confert premium: et penitentibus fructum. Ipse Dominus ac redemptor sempiternus.

Post pridie. Oratio. Oblatas tibi omnipotens Deus ob honorem Martyris tui atque Pontificis. N. victimas propiciatus attende: ut qui justi tui memoriam facientes: votivum sacrificium exhibemus: nostrorum criminum a te indulgentiam consequi mereamur. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Beatissimi Martyris tui atque Pontificis. N. natalicia honore debito venerantes: dextere tue opem exquirimus: et gravati delictorum nostrorum pondere divinam potentiam tuam exposcere non metuimus. Quantoque fragilitas nostra vitiorum obice verberetur: perpendere non valemus: qui recedendo a te et per abrupta gradiendo: facinorum cecitatem: et peccatum incurrimus: et te qui verum justicie lumen es contemnendo caruimus. Adsiste quesumus: nunc Trinitas incommutabilis Deus familie tue precibus exoratus. Cunctorum in hac solennitate suscipe vota: cunctorumque pius crimina laxa. Ut omnium facinorum labe detersa: celestis patrie cunctis premia tribue repromissa. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Petitiones vestra superna divinitas suppleat: et desideria vestra Martyris sui atque Pontificis. N. intercessione perficiat. ℟. Amen. Omnium preces clemens auditor assistat: et cunctorum piacula bonitate propicia abluat. ℟. Amen. Sensus vestros nunc in bonis sibi adherere faciat: et in futuro suorum vos gaudiis jungat. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 207.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine: alleluja: alleluja: alleluja.

Oratio. Presta nobis omnipotens Deus beatissimi testis tui atque Pontificis. N. assiduum patrocinium: ut ejus quoque preclarum adsequi mereamur exemplum. Ut sentientes impensissime suffragantem: sequamur fortissime preliantem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace ℟. Deo gratias.

In Missa unius Martyris simplicis. [b] *Officium.*

Dabis eum Domine in benedictione in seculum seculi: alleluja. Letificabis eum in gaudio cum vultu tuo: alleluja: alleluja: alleluja. ℣. Quoniam Rex sperat in Domino: et in misericordia Altissimi non commovebitur. *P.* Letificabis. ℣. Gloria et honor Patri: et Filio: et Spiritui Sancto in secula seculorum: amen. *P.* Letificabis.

425 *Oratio.* Deus qui es virtus indefessa: et Sanctorum inexpugnabile robur: tuam in Martyribus tuis constantiam prefer: inter quos et Sanctus Martyr tuus. N. patientia victrici [c] nitescit: tu ergo in ejus agonibus [d] laudantem Ecclesiam amplia felicitate perpetua: ut que fideli devotione honorat Martyrem: paritem cum eo te largiente obtineat sanctitatem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Justus si morte preoccupatus. *Require in festo Sancti Clementis. fol.* 21.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Psallendo.* In memoria eterna erit justus. *P.* Ab auditu malo non timebit. ℣. Paratum est cor ejus sperare in Domino: confirmatum est: donec videat inimicos suos. *P.* Ab auditu.

Epistola. Fratres bonum facientes. *Quere in unius Martyris precipui fol.* 421.

Evangelium. Siquis vult post me venire. *Quere in festo Sancti Andree. fol.* 27

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Lauda.* Alleluja. ℣. Ecce servus meus: suscipiam eum: electus meus: complacuit sibi in illo anima mea: alleluja.

[g] *Sacrificium.* Justiciam tuam Domine non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi. ℣. Non celavi misericordiam tuam: et veritatem tuam a congregatione multa: alleluja.

Dominum Deum nostrum fratres charissimi: con

[a] *Fortiora.* Theodoretus (*De Curat. Græc. affect., lib.* VIII), de Martyribus agens, magnam ait multitudinem exstitisse qui traditam sibi ab apostolis doctrinam *inficiari nolentibus, non eloquentiam ad defensionem opposuerunt, sed flagris humeros, lampadibus ferreisque ungulis latera et cervices supposuerunt: tympanis et fidiculis extenti sunt, palis infixi constiterunt igne fortiores, et immanibus feris laniari sese immobiles conspexerunt.* Singulis quidem Martyribus omnia ista tormenta perpeti non contigit, singuli tamen horum aliqua et mortem saltem passi sunt.

[b] *Officium.* Ps. XX, 7. ℣. Ibid., 8.

[c] *Nitescit.* Splendet, fulget.

[d] *Laudantem.* Adde *te.*

[e] *Psallendo.* Ps. CXI, 7. ℣. Ibid., 8.

[f] *Lauda.* Isaiæ XLII, 1.

[g] *Sacrificium.* Ps. XXXIX, 11. ℣. Ibid., 11.

cordi prece et humiliatione poscamus : ut festivitatem nostram : quam in honorem Sancti ac beatissimi Martyris sui N. devotissime celebramus : inlustret. Ut nos Sancti ejus meritis consortes effectos : propositum nostrum vitamque consumet. Et cujus sumus hic nostra devotione fautores : esse mereamur donante Christo [a] participes.

Alia Oratio. Deus qui in Sancti ac beatissimi Martyris tui N. certamine gaudens : ejus victoriam usque ad martyrii gloriam sustulisti : ut inter supplicia constitutus : persecutores suos : [b] te vocante [c] despiceret. Exaudi Domine preces nostras per hujus merita : ut nos qui persecutionibus hujus seculi ventilamur : ad superandas earum tentationum molestias Sancti Spiritus tui principali virtute confirmes. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Offerentibus nobis ob honorem Sancti Martyris tui N. par illius dedicatur oblatio. Ille suis persecutoribus obtulit corpus : nos Deo judici probata corda [d] vovemus. Ut cum fuerit in nobis humilitatis proba devotio : sicut hostia illius profuit ad coronam : ita nostrum sacrificium prosit ad veniam. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui dissidentes ad concordiam clementer invitas : et pacificorum mentes inhabitas. Pacem tuam nobis supplicantibus presta : ac nos in ejus confessione confirma. Ut eam intercessione Sancti Martyris tui N. et veraciter habeamus : et invicem nobis fideliter demus.

Inlatio. Dignum et justum est : equum et salutare et pulchrum est. *Quere in prima Missa unius Martyris. fol. 422.*

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus. *Require retro in festo unius Martyris. fol. 422.*

Post pridie. Oratio. Inlabere Domine his sacrificiis ob honorem Martyris tui N. oblatis . donans nobis : ut illius apud tuam clementiam commendemur suffragio : cujus hodierno die attollimur de triumpho. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus qui in Sancti tui N. corde flammam accendisti dilectionis tue : da mentibus nostris eadem fide et charitate fervere : ut cujus gaudemus de triumphis : ejus provocemur exemplis : quoniam ad te proclamamus e terris. Pater noster qui es in celis.

A *Dicat Presbiter.* Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Precibus justi. N. vos Dominus ab omni reatu sanctificet. ℟. Amen. Illius quoque vos efficiat imitari virtutem : ad cujus dedicandam solennitatem vestram excitavit devotionem. ℟. Amen. Et participes vos ei in illa eternitate reddat in munere : cujus amabiliter vos hic prespicit celebrare solemnitatem. ℟. Amen. Per **426** misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Require in festo Corporis Christi. fol. 267.*

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

B *Oratio.* Domine Deus omnipotens : qui es vita et salus fidelium : quem venturum judicem credimus verum : esto nobis propicius. Et qui hanc oblationem pro nostra nostrorumque salute : vel pro expiatione nostrorum peccatorum in honorem Sancti Martyris tui N. tibi obtulimus : misericordie tue opem in nos diffundi sentiamus. Ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium : done tui muneris consequi mereamur premium sempiternum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Incipit Officium [e] *plurimorum Martyrum sex capparum vel quatuor.*

C

Ad Missam. [f] *Officium.*

Dabo Sanctis meis primam sessionem : alleluja : in resurrectione eterna : et exquiram illos in gaudio meo. Et lux perpetua lucebit eis : alleluja. Et eternitas temporum preparata est : alleluja : alleluja. ℣. Benedicti vos a Domino : qui fecit celum et terram. *P.* Et lux. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Et lux.

Dicat Presbiter. Per omnia secula seculorum. Gloria in ecelsis Deo.

Oratio. Beatissimorum Martyrum tuorum N. et N. presidiis animati : fida ad Dominum nostrum pergat oratio. Ut quorum in hoc seculo gloriosum celebra-

D mus triumphum : eorum in eternum precibus adju-

[a] *Participes.* Forte addendum *in cœlo.*

[b] *Te vocante.* Forte, *te donante.*

[c] *Despiceret.* Martyres non modò hilari vultu ac libenti animo sævissimos sustinuisse cruciatus ne fidem proderent, sed inter tormenta doloris contemptionem exhibuisse apertam, deosque vanos, et nonnunquam præsides, ad cultum impium hortantes, irrisisse atque despexisse, Acta eorum maxime sincera comprobant. Vide epistolam Ecclesiæ Smyrnensis, de martyrio sancti Polycarpi et sociorum (*Apud D. Th. Ruinart., Act. mart., pag.* 28, *et in notis Valesii, ad lib.* IV, *cap.* 15, *Hist. eccles. Eusebii Cæsariensis*); Acta Claudii, Asterii et Neonis apud citatum D. Th. Ruinart. (*Ibid., pag.* 279); Acta Theodoti Ancyrani, apud eumdem (*Ibid., a pag.* 365); sancti Vincentii Levitæ (*Ibid., a pag.* 289); Acta sanctorum Tarachi, Probi et Andronici (*Ibid., a pag.* 497); Basilii presbyteri Ancyrani (*A pag.* 650), quibus aliisque multis insignis patientiæ et invictæ fortitudinis exemplis, nos martyres docent veram esse religionem, sanctumque esse cultum, pro quibus ista perpessi sunt; nam quod diros cruciatus tam diu sustinere, ac tam fortiter superare potuerint, non virtuti humanæ, sed peculiari Dei auxilio tribuendum esse eorum Acta et orationes Ecclesiæ frequenter testantur.

[d] *Vovemus.* Lege *vovemus.*

[e] *Plurimorum Martyrum.* In Sacramentariis Leoniano et Gelasiano plures exstant missæ *plurimorum martyrum* : tres in Missali Gallo-Gothico, et una in Sacramentario Bobiano.

[f] *Officium.* Esdræ IV, II, 23. ℣. Ps. CXIII. 15.

vemur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus A noster etc. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Lectio libri Sapientie Salomonis ([a] *Cap. XI*).

℟. Deo gratias.

Sancti iter fecerunt per deserta : que non habitabantur : et in locis secretis fixerunt [b] castra. Steterunt contra hostes : et de inimicis se vindicaverunt. Sitierunt et invocaverunt te : et data est illis aqua de petra altissima : et requies sitis de lapide duro. Et reddidit justis mercedem laborum suorum : et deduxit illos in via mirabili. Et fuit illis in velamento diei : et in luce stellarum tota nocte. Transtulit illos per [c] mare rubrum : et transtulit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum dimersit in mare : et ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo B justi tulerunt spolia impiorum : et decantaverunt Domine nomen sanctum tuum : et victricem manum tuam laudaverunt pariter. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Sancti tui Domine sicut palma florebunt : plantati in domo tua Domine. ℣. Bonum est confiteri Domino : et psallere nomini tuo Altissime. *P.* Plantati.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli [e] *ad Corinthios* ([f] *Cap. V*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur : quam edificationem habemus C ex Deo : domum non manufactam sed eternam in celis. Nam et hoc ingemescimus habitationem nostram que de celo est : superindui cupientes : si tamen vestiti : et non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemescimus gravati : eo quod nolumus exspoliari : sed supervestiri ; ut absorbeatur quod mortale est a vita. Qui autem efficit nos in [g] hoc ipsum : igitur et scientes quoniam dum sumus in hoc corpore : peregrinamur a Domino. Per fidem autem ambulemus : et non per speciem. Audemus autem et bonam voluntatem habemus : magis peregrinari a corpore : et presentes esse ad Deum. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([h] *Cap. X*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus D loquebatur discipulis suis : dicens. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes : et simplices sicut columbe. Cavete ergo ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis : et in sinagogis suis flagellabunt vos : et ad presides et reges ducemini propter me in testimonium illis : et gentibus. **427** Cum autem tradent vos : nolite cogitare : quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora : quid loquamini. Non enim vos estis : qui loquimini : sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem : et pater filium : et insurgent filii in parentes : et morte eos afficient : et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem : hic salvus erit. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[i] *Lauda.* Alleluja. ℣. Ambulabunt sancti gaudentes : velut agni pleni pascue : alleluja.

[j] *Sacrificium.* Venite benedicti Patris mei : percipite regnum : quod vobis paratum est ab origine mundi : alleluja. ℣. Cum venerit filius hominis in majestate sua : et omnes Angeli cum eo : tunc fulgebunt justi sicut Sol in regno Dei : alleluja. *P.* Quod vobis paratum.

Missa. Deum : qui immortales gloriosissimorum Martyrum N. N. palmas triumphali cruore perfudit : et beatam diei hujus solennitatem suis pro se vincentibus dedicavit : fratres charissimi suppliciter exoramus. Ut qui dedit nobis diei hujus solennem excursum : [k] det plenum solennitatis effectum. Quique contulit quod cultus festivitatem amplectitur : donet votum : quod patientia Martyrum imitemur. Ut quicquid Sancti sui hodierno die perceperunt in munere : nobis proficiat ad salutem. ℟. Amen.

Alia Oratio. Laudes tuas sancte omnipotens Deus ob gloriosissimas Martyrum passiones : sacris titulis ampliatas : solenni tibi cum devotione persolvimus : quas triumphum glorie tue passionis evexit : resurrectionis eternitas consecravit. Qui premium immortalitatis auxiliante te : suscipientes : et nobis dederunt viam vite : et sibi paraverunt palmam victorie. Horum nobis Domine obauditione det victoriam. Sit nobis eorum apud te patrona oratio : quorum [l] expectante te judice : felicibus Sanctorum choris coronata meruit esse confessio. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus : cui acceptissima ac jo-

[a] *Cap. XI.* Vers. 2-5; x, 17 21. In Lectionario Luxoviensi prophetia *de plures martyres* desumitur ex Isaiæ LXV, 13-LXVI, 1, 2. In Sacramentario Bobiano legitur ex Apocalypsi 14-17.

[b] *Castra.* In Græco legitur *tabernacula*; in Vulg. *casas*.

[c] *Mare Rubrum.* Lege *per mare Rubrum.*

[d] *Psallendo.* Ex Psal. XCI, 13, 14. ℣. Ibid., 1.

[e] *Ad Corinthios.* Adde II.

[f] *Cap. V.* Vers. 1-9. In Luxoviensi pro Epistola legitur ex Apocalypsi VI, 9-VII. 1-17, *omissa enumeratione tribuum.* In Bobiano Epistola legitur ex Apostolo ad Hebræos XI, 33, 34.

[g] *Hoc ipsum.* Vulgata legit : *In hoc ipsum Deus, qui dedit nobis dignus spiritus, audentes igitur semper scientes quoniam*, etc.

[h] *Cap. X.* Vers. 16-23. In Luxoviensi Evangelium legitur ex Lucæ XXI, 9-19. In Bobiano ex Matthæi I, 1-12, quod in festo omnium sanctorum in Missali Romano sancti Pii V legitur; et sane hæc missa Bobiana (quæ formam missæ Gelasianæ induit) potius est omnium sanctorum quam communis martyrum; nam in oratione *secreta* et in contestatione mentio fit *patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, sacerdotum, omniumque sanctorum.*

[i] *Lauda.* Ex Sapient. XIX, 9.

[j] *Sacrificium.* Matth. XXV, 34. ℣. Ibid, 31 · XIII, 43.

[k] *Det.* Fortasse, *da victoriam.*

[l] *Expectante.* Lege *spectante.*

cundissima sanctorum Martyrum tuorum N. et N. fides est : atque devotio : adesto familie tue supplici per Sanctorum tuorum te suffragia postulantium : offerentium vota amplifica : defunctis requiem dona : et da : ut qui te peccatorum suorum errore leserunt : placere tibi tuorum mereantur intercessione Sanctorum. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus : in quo est omnium Sanctorum requies : et pax certa Sanctorum Martyrum tuorum N. et N. da nobis quesumus : in tua firmiter charitate letari. Ut perfectionem pacis : qua tui jam Sancti fruuntur in celis : hanc nos jugiter meditemur in terris. ℟. Amen.

Inlatio. Equum et justum est : nos tibi gratias agere Deus Angelorum : Deus Martyrum : inestimabili gaudio predicare passiones : servorum tuorum triumphum ; felicium leticiam Angelorum. Quis enim hujus altitudinis digne possit enarrare misterium : ubi de supplicio beatitudo nascitur : de dedecore gloria procreatur : et de morte vita perficitur? O mysticum religionis arcanum : ubi interfici laus est : et interfecisse damnatio. O sacratissimum bellum : in quo alii videntur occidi : et alter occiditur. O speciale certamen : in quo se percussor vulneratorum morte prosternit. Diabolus percutientem sevicie furore succendit. Christus autem percutiendis patientie virtute succurrit : cum percussore diabolus punitur : cum percussis Christus [a] exultat. Diabolus ministrum suum secum precipitat in gehennam : Christus autem Martyres suos ad regna perducit celestia. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : et pius Domine Deus noster : qui tam justus es ad retribuendum : quam misericors ad donandum. Dum vis impendere pro meritis premia : merita facis esse pro premiis : et nobis digneris deputare quod tribuis : dum invenire desideras : que coronas. Christe Domine ac redemptor eterne.

428 *Post pridie. Oratio.* Audi Deus Pater omnipotens preces nostras : et sacrificiis a te institutis totus inlabere ac presta : ut interventus Martyrum tuorum N. et N. ad defensionem sit nobis : extemporalis vita pacis bone fecunda. Sit mors confessione potissima : et resurrectio cum Sanctis omnibus gloriosa. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Deus bonorum omnium delectatio : et claritas gloriosa Sanctorum : misericordiam tuam quesumus : ut nobis affectum dilectionis infundas. Atque interventu Martyrum superno munere conquisito : voluntati tue semper acceptos efficias. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Sanctorum meritis tribuat vobis Dominus benedictionem semper : virtutem : et pacem. ℟. Amen. Gratia : que illos deduxit ad gloriam : vobis preveniat ad peccatorum omnium indulgentiam. ℟. Amen. Qui dedit eis de superato hoste victoriam : ipse vobis tribuat carnalia vitia : et mundi superare concupiscentiam. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Require in festo Corporis Christi. folio. 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Domine Deus omnipotens : qui es vita et salus fidelium : quem venturum judicem credimus verum : esto nobis propicius. Et qui hanc oblationem pro nostra nostrorumque salute : vel pro expiatione nostrorum peccatorum in honorem Sanctorum Martyrum tuorum tibi obtulimus : misericordie tue opem in nos diffundi sentiamus : ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium : dono tui muneris consequi mereamur premium sempiternum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus : et vivis etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

INCIPIT MISSA PLURIMORUM MARTYRUM QUATUOR CAPPARUM.

Ad Missam. [b] ***Officium.*** Dabo vos nominatos in gloria : alleluja. *P.* In omnibus diebus vite vestre : alleluja : alleluja. ℣. Benedicti vos a Domino : qui fecit celum et terram. *P.* In omnibus. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* In omnibus diebus.

Oratio. Gaudium nostrum et salus nostra : virtus atque justicia Domine Deus omnipotens : fac nos quesumus placita tibi Sanctorum Martyrum tuorum N. et N. sorte gaudere : et illic laudes tuas rectorum munere perpetim decantare. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri sapientie Solomonis ([c] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

Justorum anime in manu Dei sunt : et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori : et extimata est afflictio exitus illorum. [d] Et ab itinere justo abierunt in exterminium : et quod a nobis est iter exterminii : illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt : spes illorum immortalitate plena est. Et in paucis vexati : et in multis bene disponentur. Quoniam Deus tentavit illos : et invenit illos dignos se Tanquam aurum in fornace probavit illos : et quasi holocausti hostiam accepit illos : et in tempore erit respectus illorum.

[a] *Exultat.* Huc spectat illud sancti Cypriani (*Epist.* 9, *ad Pam.....*) ad martyres qui jam tormenta passi fuerant scribentis : *Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in talibus servis suis et pugnavit et vicit protector fidei*

[b] *Officium.* Ex Sophonia, III, 20, juxta LXX.

[c] *Cap. III.* Vers. 1-9.

[d] *Et ab itinere.* Ita versio sancti Hieronymi, at in Vulgata non legitur.

'ulgebunt justi : et tanquam scintille in arundineto A discurrent : judicabunt nationes : et dominabuntur populis : et regnabit illorum Dominus in perpetuum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[a] *Psallendo.* Transsibimus per ignem et aquam. ℟. induxisti nos in refrigerio. ℟. Probasti nos Deus sicut probatur argentum : posuisti tribulationes in dorso nostro. *P.* Et induxisti.

429 *Dicat Presbiter.* Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos ([b] *Cap. VIII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Debitores sumus non carni : ut secundum carnem vivamus. Si autem secundum carnem vixe- B ritis : moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis : vivetis. Quicunque enim spiritu [c] Dei aguntur : hi filii Dei sunt. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore : sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei. In quo clamamus : abba Pater. Ipse spiritus testimonium reddidit Spiritui Sancto : quod sumus filii Dei. Si autem filii : et heredes. Heredes quidem Dei : coheredes autem Christi. Si autem compatimur : ut et glorificemur. Existimo enim quod non sunt condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam : que revelabitur in nobis. Nam expectatio creature revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati autem creatura subjecta est non volens : sed propter eum qui subjecit C omnia in spem. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem glorie filiorum Dei. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([d] *Cap. X*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Nihil opertum quod non revelabitur : et occultum quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris : dicite in lumine. Et quod in aure auditis : predicate super tectum. Et nolite timere eos : qui occidunt corpus : animam autem occidere non possunt. Sed potius eum timete : qui potest animam et corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt : et [e] unum ex illis non cadet super terram [f] sine voluntate patris vestri. D Vestri autem capilli capitis omnes dinumerati sunt. Nolite timere : multis passeribus meliores estis vos. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo : ibi sum in medio eorum. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Gaudete justi in Domino : rectos decet collaudatio. *P.* Alleluja.

[h] *Sacrificium.* Mirabilis Deus in Sanctis : Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi sue. Benedictus Deus : alleluja : alleluja. ℣. Montem Dei montem uberem : mons coagulatus mons uber : ut quid suspicamini montes coagulatos : montem in quo placuit Deo habitare in eo. *P.* Benedictus Deus.

Missa. Eterne tue virtutis nomen omnipotens Deus rogamus : ut horum Martyrum tuorum N. et N. et omnium Sanctorum meritis socios fide : pares devotione : strenuos passione : similes in resurrectione felicium nos facias coequari. ℟. Amen.

Alia Oratio. [i] Inlares Domine celebramus solennia Martyrum tuorum N. et N. quorum fiducia fidei superbum [j] conterruit hostem. Ideo nunc in sede letantur eterna : et gaudent felices in patria gloriosa. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Post Martyrum preconia : post offerentium ministeria : post quiescentium memoriam : pacem tuam Domine poscimus : pacem [k] impetrari benignius. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Pacem tuam Apostolis tuis dedisti servandam. Presta Domine : ut pacem : quam in tuo nomine labiis propinamus : fixam in cordibus nostris in perpetuum teneamus. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : omnipotens Deus per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Quem omnes Martyres omnesque Confessores serenis vultibus intuentur. Pro cujus nominis confessione offerunt colla manibus impiorum : ut juvent in eternum in congregatione Sanctorum. Vapulant : sed exultant : sciunt pro quo patiuntur : sed pro quo patiuntur Deo adjuvante non sentiunt. Torquentur in terris : sed gaudent in celis. Unde merito cuncti illi Angelice congregationis exercitus in hac Martyrum tuorum. N. et N. confessione : tuam Domine diebus ac noctibus virtutem magnificare non desinunt : 430 ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere Dominus. Quia pleni sunt celi et terra gloria majestatis tue : osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini : Christus Dominus ac redemptor sempiternus.

Post pridie. Oratio. Famuli ergo tui exigui Sacerdotes hanc salutiferam hostiam tuis coram proponent altaribus. Rogamus : ut de tuis celestibus thronis benignus inspicias placabiles : pius suscipias. Sanctus sanctifices : benedictus benedicenda respicias : sanctificataque nobis famulis tuis attribuas.

℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Divino magisterio edocti : et salutaribus moniti institutis audeamus et dicere e terris. Pater noster qui es in celis.

[a] *Psallendo.* Ps. LXV, 12, ℣, Ibid., 10.
[b] *Cap. VIII.* Vers. 12-32.
[c] *Dei.* Ita Primasius; in Vulgata deficit.
[d] *Cap. X.* Vers. 26-32; et in fine additur versiculus 20 ex capite XVIII.
[e] *Unum.* Lege *unus.*
[f] *Sine voluntate.* Vulg., *sine patre vestro.*
[g] *Lauda.* Ps. XXXI. 1.
[h] *Sacrificium.* Ps. LXVII, 36. ℣. Ibid., 16, 17.
[i] *Inlares.* Lege *hilares.*
[j] *Conterruit.* Num potius *contrivit?*
[k] *Impetrari.* Lege *impertire.*

Benedictio. Omnipotens Deus in cordibus vestris studium sue dilectionis operetur. ℟. Amen. Sensusque vestros sibi in veritate jubeat adherere. ℟. Amen. Ut remoti ab omni labe vitiorum : sanctarum nobis tribuat incrementa virtutum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Alia Missa duarum capparum vel novem lectionum.

Ad Missam. [a] *Officium.*

Dignos eos fecit Deus in parte sortis Sanctorum : qui cripuit eos de potestate tenebrarum : et transtulit in regnum filii dilectionis sue. ℣. Benedicti vos a Domino : qui fecit celum et terram. *P.* Et transtulit. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Et transtulit.

Oratio. Deus qui es in Sanctorum Martyrum tuorum N. et N. in firmitate mirabilis : impende misericordiam tuam famulis tuis : et quia humilitas servientium tibi semper est tentationum objecta certamini : eorum meritis premuniti oramus : ut nobis infirmis indulgentiam largiaris. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri sapientie Salomonis ([b] *Cap. V*).

℟. Deo gratias.

Justi in perpetuum vivent : et apud Dominum est merces eorum : et cogitatio illorum apud altissimum. Ideo accipient regnum decoris : et diadema speciei de manu Domini. Quoniam dextera sua teget eos : et brachio suo defendet illos. Tunc stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt : et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur terrore horribili : et mirabuntur in subitatione insperate salutis. Dicent inter se penitentiam agentes : et pre angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum : et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum extimabamus insaniam : et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei : et inter sanctos sors illorum inventa est. ℟. Amen.

Hic dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Psallendo.* Mirabilis Deus in Sanctis suis. ℣. Manda Deus virtutem tuam : confirma Deus quod operatus es. *P.* In Sanctis suis.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Ephesios ([d] *Cap. I*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro : et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus : et Pater Domini nostri Jesu Christi : qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in celestibus in Christo : A sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem : ut essemus sancti : et immaculati in conspectu ejus. [e] In charitate predestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum. In ipso secundum propositum voluntatis sue in laudem glorie gratie sue. In qua gratificavit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus : in remissionem peccatorum secundum divitias gratie ejus : que superabundavit in nobis. In omni sapientia et prudentia : ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis sue : secundum beneplacitum ejus : quod proposuit in eo **431** dispensationem plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo : que in celis et que in terra sunt in ipso. In quo etiam sorte vocati sumus : predestinati secundum propositum B ejus : qui omnia operatur secundum consilium voluntatis sue : ut simus in laudem glorie ejus : qui ante speravimus in Christo. In quo et vos cum audissetis verbum veritatis evangelium salutis vestre : in quo et credentes signati estis spiritu promissionis sancto. Qui est pignus hereditatis nostre : in redemptionem adquisitionis : in laudem glorie ipsius. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam ([f] *Ca. IX*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus convocatis duodecim Apostolis dedit illis virtutem : et potestatem super omnia demonia : et ut languores curarent. Et misit illos predicare regnum Dei : et sanare infirmos. Et ait ad illos : nihil tuleritis in via : C neque virgam : neque peram : neque panem : neque pecuniam : neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis : ibi manete : et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos : exeuntes de civitate illa etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circumibant per castella evangelizantes : et curantes ubique. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Justi confitebuntur nomini tuo Deus : et habitabunt recti cum facie tua. *P.* Alleluja.

[h] *Sacrificium.* Vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei : et martyrium suum : et magno D clamore dicebant : salus Deo nostro : alleluja : alleluja. ℣. Dignus es Domine Deus noster accipere claritatem et honorem et omnem creaturam : que est in celo : et in terra : et in mari : omnes audivi dicentes. *P.* Salus Deo nostro.

Missa. Preces nostras quesumus Domine propiciatus attende : et ut digne famulemur altario : Sanctorum Martyrum tuorum N. et N. quesumus nos intercessione custodire digneris. ℟. Amen.

Alia Oratio. Propiciare Domine supplicationibus

[a] *Officium.* Ad Coloss. I, 12, 13. ℣. Ps. CXIII, 15.

[b] *Cap. V.* Prophetia constat ex versiculis 16, 17, tum ex versiculis 1-5 hujus capitis.

[c] *Psallendo.* Ps. LXVII, 36. ℣. Ibid., 29.

[d] *Cap. I.* Vers. 2-15.

[e] *In charitate.* Ita in Græco. Vulgata legit *qui in charitate.*

[f] *Cap. IX.* Vers. 1-7.

[g] *Lauda.* Ps. CXXXIX, 14.

[h] *Sacrificium.* Apocal. VI, 9. ℣. Ibid., 4, 11.

nostris : et suffragantibus Sanctorum martyrum tuorum N. et N. meritis : [a] ac qui nos evangelicis preceptis instruis : implere concede. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus : apud quem perfecta sunt sacrificia fidelium : pia vota et pure mentis obsequia. Tu ad preces familie tue placatus intende : atque in sensus eorum per inspirationem tui amoris inlabere. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus charitatis origo atque concordie : te per intercessionem Martyrum tuorum. N. et N. petimus atque supplices deprecamur : ut sicut illis triumphum glorie prestitisti : ita [b] in nobis glorie ignem tui amoris et sinceritatem cordis ipsis suffragantibus largiaris. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : vere equum et salutare est : nos tibi semper hic et ubique gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Per quem gratia tua revelante cognoscimus : quantum apud te tuorum vita preclara sit Martyrum : quorum etiam nos mors preciosa letificat et tuetur. Et ideo cum Angelis et Archangelis proclamamus : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : et vere benedictus Dominus Deus noster. Qui es corona Martyrum : et perpetua claritas Angelorum : Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Deus qui Sanctos tuos. N. et N. placita tibi devotione asciscis : dum eis pro te moriendi ardorem adtribuis : in oblatis tibi sacrificiis [c] respice et Sanctorum tuorum solennia excolentibus [d] propiciatus indulge. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Supplices te omnipotens Domine deprecamur : et Sanctorum Martyrum tuorum. N. et N. precibus nos protege : et ab omni malo custodire digneris. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedic Domine hos famulos tuos Sanctorum Martyrum tuorum N. et N. passione letantes. ℟. Amen. Tribue eis **432** Domine benedictionem : quibus donare dignatus es legem. ℟. Amen. Ut tibi offerant sacrificium laudis : et sibi reddant officia charitatis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Domine Deus omnipotens qui. *Quere in I. Missa plurimorum Martyrum sex copparum fo. 426.*

ITEM OFFICIUM [e] UNIUS CONFESSORIS PONTIFICIS : ET NON PONTIFICIS.

Ad Missam. [f] *Officium.*

In omni opere suo dedit confessionem sanctam : alleluja. *P.* Verbum glorie : et in corde suo hymnum dixit : alleluja. ℣. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua. *P.* Verbum glorie. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum. Amen. *P.* Verbum glorie.

Dicat Presbiter. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. Gloria in excelsis.

In tempore Quadragesime. [g] *Officium.* Confessio et magnificentia opus ejus : et justicia ejus manet in seculum seculi. ℣. Confitebor tibi. *ut supra.*

Oratio. Confessoris tui beatissimi N. annua recursione Domine memoriam solenniter recolentes : superne gratie adspersione locupleta. Ut qui nunc festa devoto prosequuntur adnisu : ejus quoque perpetim clementi regantur : et protegantur intuitu. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaye Prophete ([h] *Cap. XLII*)

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Ecce servus meus suscipiam eum : electus meus : complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum : judicium gentibus [i] profert. Non clamabit : neque accipiet personam : neque audietur foris vox ejus. Calamum quassatum non conteret : et [j] lignum fumigans non extinguet. In veritate educet judicium : non erit tristis : neque turbulentus : donec ponat in terra judicium : et legem ejus insule expectabunt. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[k] *Psallendo.* Confitebor tibi Domine in vasis psalmorum veritatem tuam : psallam tibi : in cithara Deus sancte Israel. ℣. Sed et lingua mea annunciabit justiciam tuam ; tota die laudem tuam : *P.* Psallam tibi.

In tempore quadragesime [l] *psallendo.* Factus est in pace locus ejus : et habitatio ejus in Syon. ℣. Notus in Judea Deus : in Israel magnum nomen ejus. *P.* Et habitatio.

[a] *Ac qui.* Fortasse supplendum : *Ac precibus quæsumus ut qui nos evangelicis præceptis instruis, eadem implere concedas.*

[b] *In nobis.* Lege *nobis*, sublato illud *in*.

[c] *Respice.* Hæc oratio clare præsupponit, elementa jam antea consecrata fuisse.

[d] *Propiciatus.* Lege *propitiatus*.

[e] *Unius Confessoris.* In Sacramentariis Leoniano et Gelasiano nulla exstat missa communis unius confessoris ; at in Lectionario Luxoviensi habentur *legenda de uno confessore.* In Sacramentario Bobiano, et in Missali Gallo-Gothico : *Missa de uno confessore;* sed, ut in Missali Mozarabum, sine ulla distinctione inter confessorem pontificem et non pontificem.

[f] *Officium.* Ecclesiastici XLVII, 9. ℣. Ps. IX, 2.

[g] *Officium.* Ps. CX, 3. ℣. Ibid., 1

[h] *Cap. XLII.* Vers. 1-5. In Lectionario Luxoviensi nulla est prophetia pro uno confessore ; in Bobiano legitur ex Jeremia, ut titulus præfert ; sed revera cento est consutus ex Proverbiorum X, 6. Ecclesiast. III, 15, aliisque Scripturæ locis.

[i] *Profert.* Lege *proferet*.

[j] *Lignum.* Lege *linum*.

[k] *Psallendo.* Ps. LXX, 23. ℣. Ibid., 24.

[l] *Psallendo.* Ps. LXXV, 3. ℣. Ibid., 2.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli [a] *ad Timotheum* ([b] *Cap. VI*).

℟. Deo gratias.

Charissime. Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium : quia nec ferre quid possumus. Habentes autem alimenta : et quibus tegamur : his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri : incidunt in tentationem et laqueum diaboli : et desideria multa inutilia et nociva : que mergunt hominem in interitum et perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas. Quam quidam appetentes : erraverunt a fide : et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem homo Dei hec fuge. Sectare vero justitiam : pietatem : fidem : charitatem : patientiam : mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei. Apprehende vitam eternam : in qua vocatus es : et confessus es bonam confessionem coram multis testibus. Precipio tibi coram Deo : qui vivificat omnia in Christo Jesu : qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem : ut serves mandatum sine macula inreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([c] *Cap. X*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Omnis qui confitebitur me coram hominibus : confitebor et ego eum coram Patre meo : qui est in celis : qui autem negaverit me coram hominibus: negabo et ego eum coram Patre meo : qui est in celis. Nolite arbitrari : quia veni mittere pacem in terram. Non veni pacem mittere : sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum : et filiam adversus matrem suam : et nurum adversus socrum suam : et inimici hominis domestici ejus : qui **433** amat patrem aut matrem plusquam me : non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me : non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam : et sequitur me : non est me dignus. Qui invenit animam suam : perdet eam. Et qui perdiderit animam suam propter me : in vitam eternam inveniet eam. Qui recipit vos : me recipit. Et qui me recipit : recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophete : mercedem prophete accipiet. Et qui recipit justum in nomine justi : mercedem justi accipiet. Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis : calicem aque frigide tantum : in nomine discipuli : amen dico vobis : non perdet mercedem suam.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Lauda.* Alleluja. ℣. Deus meus es tu : confitebor tibi. Deus meus es tu : exaltabo te. Alleluja. ℣. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : in consilio justorum : et congregatione : alleluja.

[e] *Sacrificium.* Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus dicit Dominus : confitebor eum coram Patre meo : alleluja. ℣. Et quicunque perdiderit animam suam propter me : in vitam eternam inveniet eam. *P.* Coram Patre.

Missa. Diem hunc charissimi fratres omnibus nobis veneratione dignissimum : in quo beatissimus [f] Confessor. N. quod corde credidit : ore professus : ad eternam gloriam vocatus est : debitis laudibus honoremus. Omnipotentis Dei clementiam postulantes : ut qui eum se confitentem hodie intulit in celis : nos credentes ac confitentes se justificet a delictis. Ut qui hodierna die Confessoris veneramur solennia : ad confessionis mereamur pervenire coronam. ℟. Amen.

Alia oratio. Deus qui Confessorum remuneras fidem : et confitendi tibi preparas voluntatem : oblatas tibi in hoc festo Confessoris tui. N. hostias intuere. Ut qui ejus memoriam facientes : nostra tibi confitemur delicta : Confessoris tui obtentu perducamur ad veniam. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Christe Dei fili : qui non victima pasceris : sed pure mentis confessione placaris : offerentium fac tibi acceptabile votum : et defunctis dona consortium beatorum. Quo in hujus Confessoris tui. N commemoratione : et confessiones a te acceptentur viventium : et requies concedatur spiritibus sepultorum. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui confitentium es corona : dissidentium perime jurgia. Dans omnibus nobis ita pacis tue repleri ex munere : sicut Confessor tuus. N. confessionis claruit dignitate. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui est corona justicie : arbor vite : palma victorie. A quo Confessorum directa fides non discreta martyrio : sed una martyriali promeretur decore victoria. Cum etsi non sint adepti fuso sanguine martyrii necem : non tamen discreti sunt a Marty-

[a] *Ad Timotheum* cap. I, Corr. *I Cor.* VI.

[b] *Cap. VI.* Vers. 7-14. Epistola in Lectionario Luxoviensi legitur ex II Tim., III, 16-IV, 1-8. In Bobiano, ut titulus præfert, ex Epistola ad Titum, sed reipsa, quod notavit Mabillonius, cento est e variis Scripturæ fragmentis consutus, quæ, neque ad verbum, neque ad sensum relata sunt. Ex Epistola ad Titum nihil habet.

[c] *Cap. X.* Vers. 32 ad finem capitis. Luxoviense legit ex Matthæi XXV, 24-32. Bobianum ex Matthæi XXIV, 45-48.

[d] *Lauda.* Ps. CXVII, 28.

[e] *Sacrificium.* Matth., X, 32. ℣. Ibid., 33.

[f] *Confessor.* Hoc loco confessoris appellatione is intelligendus est qui, vitæ sanctitate et miraculorum gloria illustris, in pace Ecclesiæ catholicæ diem egit extremum. A Græcis ὁμολογήτης dicitur. Sic in concilio Chalcedonensi (*Act.* 2) segmenta citantur ex operibus *sancti Hilarii episcopi et confessoris*, καὶ ὁμολογήτου; item *sancti Ambrosii episcopi et confessoris*, καὶ ὁμολογήτου; at *confessoris* titulus non tribuitur sanctis Gregorio Nazianzeno, Joanni Chrysostomo et Augustino. Num forte quod ii publice nondum colerentur? At obstare videtur solemnis pompa qua Constantinopoli exceptæ fuerant reliquiæ sancti Joannis.

ribus in virtute. [a] Dum hostem : quem illi patula dimicatione exuperant : isti interius calcant. Et quem illi exterius per vulnera aperta devincunt : hunc isti introrsus specialiter periment. Resistentes et conluctantes adversus principem tenebrarum : et inlecebras aerearum potestatum. Ut temporali tribulatione purgati : quod Martyres sanguine : hoc isti muneris ex confessione mereantur accipere. Quod etiam hunc virum vere beatum plenissima egisse devotione credimus et fatemur : te dilexit in vita : tenuit in conscientia : predicavit doctrina. Confessorum retinens gradum : confessionis pervenit ad triumphum : labiorum suorum confessione : laudando potentiam tui unigeniti filii tui : quem non erubuit in corpore coram hominibus confiteri : ipsum Dominum et Salvatorem nostrum : quem conlaudant Angeli et Archangeli ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : pius : et admirabilis es Domine Deus noster. Qui hodierna die et Confessoris tui N. Episcopi innovas **434** gloriam : et confitentium excitas vota. Ut cum eidem qui tibi confessione placuit confitentes obsequimur : nostrum potius excitemus affectum. Dum quicquid illi impendimus laudis : nostre sit causa salutis. Has ergo hostias in tanti viri commemorationem offerentes : precamur : ut qui ejus hodie animam in confessione tui nominis suscepisti : nobis tribuas voluntatem te veraciter confitendi. Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Confessoris tui Domine memoriam facientes : qui te inter adversa confiteri non destitit : actu placuit : oratione quesivit : perfectione invenit. Te quesumus : et rogamus : ut in his victimis tibi in honorem ejus oblatis : clementer inlabi jubeas : et ex his sumentibus peccata dimittas ; atque confessionis gratia glorificandos attollas. ℟. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

Christe Deus : qui per Apostolum tuum oris confessionem prodesse dixisti : Confessoris tui N. Episcopi precibus : consule nostre saluti : ut cum ea que corde credimus : ore professi fuerimus : ad te exaudiri ocius mereamur : quo jubente dicimus. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Dominus Jesus Christus : qui est Confessorum remuneratio : Confessoris sui N. Episcopi suffragio vos sancte confessionis munificet dono. ℟. Amen. Detque vobis se confitendi votum : qui eidem confessionis contulit premium. ℟. Amen. Ut tanti Confessoris sui N. veraciter imitando exemplum : ad celeste mereamini pervenire promissum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Quere fol. 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine : te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Tuam clementissime Pater supplices exoramus clementiam : ut hodierna solennia : que pro beatissimi Confessoris tui N. veneratione suscepimus : ipse tibi commendes. Et sicut illi coronam sancte perfectionis tribuisti : ita nobis ejus intercessione omnium delictorum veniam : et indulgentiam : largiaris. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Incipit Missa [b] plurimorum Confessorum.

Officium. Dabo Sanctis meis. *Quere in plurimorum Martyrum folio.* 426.

Dicat Presbyter. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. Gloria in excelsis.

Oratio. [c] Deus qui nos Sanctorum Confessorum tuorum N. et N. confessionibus gloriosis circumdas et protegis : da nobis et eorum imitatione proficere : et intercessione gaudere. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Justorum anime. *Quere in plurimorum Martyrum quatuor capparum. fol.* 427.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[d] *Psallendo.* Sacerdotes ejus induam salutari : et Sancti ejus exultatione exultabunt. ℣. Illuc producam cornu David : paravi lucernam Christo meo. *P.* Et Sancti ejus.

Dicat Presb. Silentium facite.

---

[a] *Dum hostem.* Huc spectat illud Missalis Gallo-Gothici *in immolatione missæ de plures confessores :* VERE DIGNUM, etc., *qui non solum martyrum sed etiam confessorum tuorum es virtute mirabilis, licet enim illi passione sint clari qui manifestis acerba supplicia sustinuere tormentis, etiam isti tamen occultæ proposito castigationis spiritualis observantiæ disciplinis illorum sunt vestigia subsecuti;* quæ verbatim in Sacramentario sancti Leonis (*Missæ* 9 *de pluribus Confessoribus, pag.* 13) leguntur. Eadem docent sanctus Augustinus (*Serm.* 296, *Ed. Maur.. de SS. Petro et Paulo*), sanctus Chrysostomus (*Hom. de S. Eustatio, Oper. tom. II, pag.* 608, *Ed. Maur.*), sanctus Isidorus (*Orig. lib.* VII, *c.* 11).

[b] *Plurimorum Confessorum.* In Sacramentario sancti Leonis (*Pag.* 13) exstant binæ missæ *de confessoribus*, 9 scilicet, et 10. In Sacramentario Gelasiano em. Thomasii (*Lib.* II) missa 84 est de pluribus confessoribus ; in Missali Gallo-Gothico est *missa de plures confessores*; et in Lectionario Luxoviensi habentur *legenda de plures confessores*; in Sacramentario Bobiano nulla est missa de pluribus confessoribus.

[c] *Deus.* Huic similis, non tamen eadem, exstat oratio in Sacramentario Gelasiano (*N.* 74). Est secunda in missa confessorum : *Deus, qui nos et sanctorum martyrum solemnitatibus, et confessorum gloria circumdas et protegis, præsta nobis eorum semper et imitatione proficere et emundatione fulgere,* per, etc.

[d] *Psallendo.* Ps. CXXXI, 16. ℣. Ibid., 17.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Hebreos ([a] *C. VII*). ℟. Deo gratias.

Fratres. Plures facti sunt Sacerdotes secundum legem : idcirco quod morte prohiberentur permanere. Jesus autem : eo quod maneat in eternum : sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest. Accedens per semetipsum ad Deum : semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex : sanctus : innocens : impollutus : segregatus a peccatoribus : et excelsior celis factus : qui non habet quotidie necessitatem quemadmodum Sacerdotes : prius pro suis delictis hostias offerre : deinde pro populo. Hec enim fecit semel se offerendo. Dominus noster Jesus Christus. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam ([b] *Cap. XII*). B ℟. Deo gratias.

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Sint lumbi vestri precincti : et lucerne ardentes **435** in manibus vestris. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum : quando revertatur a nuptiis : ut cum venerit et pulsaverit : confestim aperiant ei. Beati servi illi : quos cum venerit Dominus : invenerit vigilantes. Amen dico vobis : quod precinget se : et faciet illos discumbere : et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia : et si in tertia vigilia venerit : et ita invenerit : beati sunt servi illi. Hoc autem scitote : quoniam si sciret paterfamilias : qua hora fur veniret : vigilaret utique : et non C sineret perfodi domum suam. Ideoque et vos estote parati : quia qua hora non putatis : filius hominis veniet. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Lauda.* Alleluja. ℣. Sacerdotes tui induantur justitia : et Sancti tui exultent. *P.* Alleluja.

[d] *Sacrificium.* Exultabunt Sancti in gloria : letabuntur in cubilibus suis : exaltationes Dei in faucibus eorum.

Missa. Sacra [e] Confessorum Deoque placentia fratres dilectissimi solennia celebrantes : omnipotenti Deo vota solvamus. Precantes ut hos : quos sui nominis esse voluit Confessores : propicius apud se interventores placatus accipiat. Quo eorum preces nos peccatorum solvant a nexibus : quorum lingue D sunt in veritate confesse. ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui laus es Confessorum : et corona certantium : prebe nobis quicquid te nostrorum postulaverit confessio labiorum. Ut lingua nostra : et Confessorum prepolleat laude : et confessionis sancte fructificet opere. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Confessorum offerentium : vel quiescientium recitatis vocabulis : te Deum immense exposcimus pietatis : ut Confessorum exoratus suffragiis : et gratiam vivis : et refrigerium jubeas largiri defunctis. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Ineffabilis bonitas auctor et Domine : qui Confessorum tuorum linguam imples confessione : et cor tua remuneras charitate. Dona nobis eorum meritis : ut tuum confitentes nomen in terris : pacem habeamus in diebus nostris. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui verbum caro factum est : ut habitaret in nobis. Ille quippe cum verbum sit Dei Patris : linguam nostre admovens carnis : ad confessionem sui nominis verba format in nobis. Nam sicut ex illo datur Martyribus dimicandi fiducia : ita per illum Confessoribus confessionis conceditur gratia. Ut qui non subeunt ex sanguinis effusione victoriam : habeant statim ex confessione coronam. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui es Martyrum vita : et Confessorum corona. Confessionis collator : et Confessorum remunerator. Quique eorum animas in sui nominis confessione suscepit : quos ante constitutionem mundi ad eternam gloriam predestinavit : Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Singularis victime oblatione te Deus : ut placeris : exposcimus : quem Confessorum remuneratorem ore fatemur. Ut eorum obtentu hec oblata sanctifices : quorum lingua te in veritate confessa est. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Omnipotens Deus : qui diversitates gratiarum in Ecclesia tua distribuens : alios martyriali excellentia consecras : alios gratia confessionis exornas. Dona nobis : ut qui Confessorum tuorum hodie solennia celebramus : tibi placere ex confessione nostrorum actuum mereamur. Ut rogaturi ea que filio tuo docente didicimus : exaudiamur : cum clamaverimus. Pater noster qui es in celis.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus qui justificatorum decore : et penitentium confessione induitur : Confessorum suorum concedat vobis : **436** ita per confessionem male gesta deflere : ut justificationis fulgeatis decore. ℟. Amen. Quique se confitentem justificat : vos per penitentiam provehat ad coronam. ℟. Amen. Ut qui nunc in Confessorum recordatione : et vota promittitis : et lamenta in tribulatione : cum eis gaudia obtineatis perpetua. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Cap. VII.* Vers. 22-28. In Luxoviensi prophetia legitur ex Jeremia (*Thren.* IV, 13-42). Epistola I, *Tim.* VI, 7 16.

[b] *Cap. XII.* Vers. 35-41. In Luxoviensi, Joan. XV, 1 16.

[c] *Lauda.* Ps. CXXXI, 9.

[d] *Sacrificium.* Ps. CXLIX, 5, 6.

[e] *Confessorum.* Fortasse : *Confessorum* tuorum festa celebrantes, *offerentium, vel quiescentium, recitatis nominibus,* etc.

Dicat Presb. Gustate. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Domine Deus omnipotens : qui es vita et salus fidelium : quem venturum judicem credimus verum : esto nobis propicius. Et qui hanc oblationem : pro nostra nostrorumque salute : vel pro expiatione nostrorum peccatorum : in honorem Sanctorum Confessorum tuorum N. et N. tibi obtulimus : misericordie tue opem in nos diffundi sentiamus. Ut qui jam refecti sumus ad mense tue convivium : dono tui muneris consequi mereamur premium sempiternum. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi : perficiamus cum pace. ℟. Deo gratias.

Incipit Missa [a] *Unius Virginis.*

Ad Missam. [b] *Officium.* Inter medios cleros penne columbe deargentate : alleluja. *P.* Et supra [c] scapulas suas in viriditate auri : alleluja : alleluja : alleluja. [d] ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende : prospere procede : et regna. *P.* Et supra. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Et supra.

Dicat Presbiter. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

Gloria in excelsis.

Oratio. Domine Jesu Christe : qui castimoniam diligis et virginitatem amplecteris : Sancta Virgine tua N. intercedente pro nobis nostris ignosce piaculis. Et nobis ita in presenti bonum tribue castitatis : ut letemur in futuro cum Angelis sanctis. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Hieremie Prophete ([e] *Cap. XXXI*).

℟. Deo gratias.

Longe Dominus apparuit mihi : et dixit. In charitate perpetua dilexi te : ideo adtraxi te miserans : rursumque edificabo te : et edificaberis virgo Israel. Adhuc ornaberis timpanis tuis : et egredieris in choro psallentium. Adhuc plantabis vineam in montibus Samarie : plantabunt plantantes : et donec tempus veniat non vindemiabunt. Quia erit dies : in qua clamabunt custodes in monte Effraim : surgite ascendamus in Syon ad Dominum Deum nostrum. Quia hec dicit Dominus. Exultate in leticia Jacob : et inite contra caput gentium. Personate : canite : et dicite. Salva Domine populum tuum reliquias Israel. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Psallendo.* Specie tua et pulchritudine tua. Intende : prospere procede : et regna. ℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justiciam : et deducet te mirabiliter dextera tua. *P.* Intende.

Dicat Presbyter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios ([g] *Cap. VII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Qui statuit in corde suo firmus : non habens necessitatem : potestatem autem habens sue voluntatis : et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam : benefacit. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam : benefacit. Et qui non jungit. melius facit. Mulier alligata est quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus : liberata est a lege viri. Cui vult nubat : tantum in Domino. Beatior enim erit : si sic permanserit secundum meum consilium. Cogito autem quod ego spiritum Dei habeam : [h] qui est in Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum ([i] *Cap. XIV*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus cum esset Bethanie in domo Symonis leprosi : et recumberet : venit mulier habens alabastrum unguenti nardi [j] pistici pretiosi. **437** Et fracto alabastro effudit super caput ejus. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos : et dicentes. Ut quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim unguentum istud vendi plusquam trecentis denariis : et dari pauperibus? Et fremebant in eam. Jesus autem dixit. Sinite eam. Quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habebitis vobiscum : et cum volueritis potestis illis benefacere : me autem non semper habebitis. Quod habuit : hec fecit : prevenit ungere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis. Ubicumque predicatum fuerit hoc evangelium in universum mundum : et quod fecit hec: narrabitur in memoriam ejus. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

[k] *Lauda.* Alleluja. ℣. Lauda filia Hierusalem. *P.* Alleluja.

[l] *Sacrificium.* Sicut turris David edificata es : et reprehensio non est in te : quam speciosa et decora facta es in ornamento tuo : et odor unguentorum tuorum

[a] *Unius Virginis.* In Lectionario Luxoviensi et in Missali Gallo-Gothico deficit missa communis unius virginis. In Sacramentario Bobiano exstat *missa unius virginis*, scilicet et martyris, ut ex orationibus apparet, qualis est hæc missa Gotho Hispana.

[b] *Officium.* Ps. LXVII, 14.

[c] *Scapulas.* Vulg., *et posteriora dorsi ejus in pallore auri.* LXX, *et posteriora ejus in virore auri.* Hebr., *et alæ ejus in flavo auri.*

[d] ℣. Ps. XLIV, 5.

[e] *Cap. XXXI.* Vers. 3-8. In Bobiano deficit prophetia.

[f] *Psallendo.* Ps. XLIV, 5. ℣. Ibid., vers. 6.

[g] *Cap. VII.* Vers. 37, ad finem capitis. In Bobiano legitur ex *I Cor.*, VIII, 25 34.

[h] *Qui est.* Sunt verba quibus finis lectioni imponebatur.

[i] *Cap. XIV.* Vers. 3-10. In Bobiano Evangelium legitur Matth. XXIX, 1-14.

[j] *Pistici.* Ita in Græco. Vulg., *spicati.*

[k] *Lauda.* Sophon. III, 14.

[l] *Sacrificium.* Compactum est ex verbis Scripturæ, Cantic. IV, 4, 7, 10.

sicut odor Libani : super omnia aromata : alleluja.

Incipit Missa. Deus qui Sanctam Virginem tuam. N. [a] igne succensam lumen prebere omnibus nationibus oblatione proprii corporis voluisti : concede quesumus nobis : ut devictis viciorum criminibus : perfecta cordium puritate tibi semper placere mereamur : ℟. Amen.

Alia Oratio. Deus qui salutem tuis tribuis Sanctis : presta : ut qui Martyris et Virginis tue N. celebramus solennia festa : ejus quesumus interventu liberemur ab omnibus malis. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Auditis nominibus offerentium : pietatis Dominum deprecemur : ut per interventum beatissime Martyris et Virginis sue N. nobis dignetur oratus assistere : adesse quesitus : aperire pulsantibus. ℟. *Chorus.* Amen.

Ad pacem. Oratio. Impetret quesumus Domine fidelibus tuis auxilium oratio juste Martyris et Virginis tue N. ut in cujus hodie celebritate devoti sunt : in ejus fiant pace participes. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum et justum est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui beatissimam Martyrem : et Virginem suam N. diversis certaminibus dimicantem celestibus muneribus cumulavit. Arguitur quidem multis tormentis : et corona ipsius diversis margaritis ornatur in celum. Prestat enim divinus amor audaciam : qua ipsa victrix existit in pugna : in Confessorem Dei sententia mutatur : et devicto seculo cum Patre : et Filio : et Spiritu Sancto in perpetuum gloriatur. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus in excelsis : tu Domine Deus noster. Qui Sancte tue N. archana possidens ei : et Virginitatis pudorem : et passionis tribuisti roborem. Dum et pudica in secreto : et invicta in foro : et illic manet ut te promereatur : et hic vicit : ut a te coronetur : annue precibus ejus : atque conscientiam nostram pudor possideat : nec deserat fortitudo : Christe Domine ac Redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Rogamus te omnipotens Deus per intercessum beatissime Martyris et Virginis tue N. ut his sacrificiis oblatis : tue benedictionis infundas gratiam : plebi quoque tue benignus tribuas opulentiam. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Non agnoscentes Domine meritum : sed preceptum : audemus dicere : te jubente e terris. Pater noster.

Dicat Presbyter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

A *Benedictio.* Dominus Jesus Christus : qui Martyrem suam N. coronavit post flammam : ipse in vobis male cupiditatis extinguat incendia. ℟. Amen. Et qui ejus corpusculum [b] nivei candoris velavit amictu : ipse vos purificet a delictis. ℟. Amen. Quique spiritum celesti locuta in regno : premium 438
vobis tribuat sempiternum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Require in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Repleti Christi corpore et sanguine : te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Deus largitor divitiarum celestium : et mirabilis parator munerum eternorum : qui beatis-
B simam. N. in seculo pauperem elegisti : sed pro te certando eternis operibus sublimasti : paupertatem spiritus nos sequi semper attribue : qua possimus tue majestati per omnia complacere. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Incipit officium [c] plurimarum Virginum.

Ad Missam. [d] Officium. Afferentur Regi virgines post eam : proxime ejus afferentur in leticia : et exultatione. *P.* Adducentur in templum Regi Domino. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea Regi. *P.* Adducentur. ℣. Gloria et honor
C Patri : et Filio : et Spiritui Sancto in secula seculorum : amen. *P.* Adducentur.

Dicat Presbiter. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen. Gloria in excelsis Deo.

Oratio. Deus qui virginalem pudicitiam et titulo sacre passionis et vexillo beatas Virgines et Martyres tuas. N. et N. glorificasti : da nobis sic sacre castitatis floribus exornari : ut cum fructu bonorum : superno beatitudinis consortium attingamus. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Aliud [e] officium. Dabo vos nominatos in gloria : alleluja. In omnibus diebus vite vestre : alleluja. ℣. Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. *P.* In omnibus diebus. ℟. Gloria et honor
D Patri etc. *P.* In omnibus.

Lectio libri Ecclesiastici ([f] Cap. XXXIX).

℟. Deo gratias.

Audite me divini fructus : et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete : florete flores quasi lilium : date odorem et frondete in gratia : et conlaudate canticum : et benedicite Dominum in operibus suis.

[a] *Igne succensam.* Nimirum quæ igni damnata martyrium fecit; unde *in benedictione* dicitur *qui martyrem suam coronavit post flammam.*

[b] *Nivei candoris.* Hæc ad utramque Eulaliam pertinent.

[c] *Plurimarum Virginum.* Est hæc missa communis plurimarum virginum et martyrum, ut ex orationibus constat.

[d] *Officium.* Ps. XLIV, 15, 16. ℣. Ibid., 2.

[e] *Officium.* Ex Sophonia, III, 20, juxta LXX, ubi Vulgata legit : *Dabo enim vos in nomen et laudem omnibus populis terræ.* ℣. Ps. XCVII, 1.

[f] *Cap. XXXIX.* Vers. 17-22.

Date nomini ejus magnificentiam : et confitemini illi in voce labiorum vestrorum. In canticis labiorum et citharis : et sic dicetis in confessione. Opera Domini universa bona valde. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Psallendo.* Laus tua Deus in fines terre. Justicia plena est dextera tua. ℣. Letetur mons Syon : et exultent filie Jude propter judicia tua Domine. *P.* Justicia.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios ([b] *I, cap. VII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. De virginibus preceptum Domini non habeo : consilium autem do. Tanquam misericordiam consecutus a Domino : ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem. Quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori : noli querere solutionem. Solutus es ab uxore : noli querere uxorem. Si autem acceperis uxorem : non peccasti. Et si nupserit virgo : non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico fratres : tempus breve est : reliquum est : ut qui habent uxores : tanquam non habentes sint. Et qui flent : tanquam non flentes. Et qui gaudent : tanquam non gaudentes. Et qui emunt : tanquam non possidentes. Et qui utuntur hoc mundo : tanquam non utantur. Preterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est : solicitus est : que Domini sunt : quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est : solicitus est que sunt mundi : quomodo placeat uxori : et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat : que Domini sunt : ut sit sancta corpore et spiritu. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([c] *Cap. XXV*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis in parabolis dicens. Simile erit regnum celorum **439** decem virginibus : que accipientes lampades suas : exierunt obviam sponso et sponse. Quinque autem ex eis erant fatue : et quinque prudentes. Sed quinque fatue acceptis lampadibus : non sumpserunt oleum secum. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso : dormitaverunt omnes et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est : ecce sponsus venit : exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines ille : et ornaverunt lampades suas. Fatue autem sapientibus dixerunt. Date nobis de oleo vestro : quia lampades nostre extinguuntur. Responderunt prudentes dicentes. Ne forte non sufficiat nobis et vobis : ite potius ad vendentes : et emite vobis. Dum irent emere venit sponsus : et que parate erant : intraverunt cum eo ad nuptias : et clausa est janua. Novissime veniunt relique virgines dicentes. Domine : Domine : aperi nobis. At ille respondens ait. Amen dico vobis : nescio vos. [d] Vigilate itaque et orate : nescitis diem neque horam. [e] Quia filius hominis veniet in majestate sua.

℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Lauda.* Alleluja. ℣. Letentur filie Syon : et exultent filie Hierusalem : *P.* Alleluja.

[g] *Sacrificium.* Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Secundum nomen tuum Deus : ita et laus tua in finibus terre : alleluja : alleluja. ℣. Justitia plena est dextera tua : letetur mons Syon et exultent filie Jude : alleluja ; alleluja.

Missa. Inter beatissimorum Martyrum gloriosas et ammirabiles passiones : maximum tenere locum sacras Virgines Dei. N. et N. fratres dilectissimi gaudeamus : ob honorem nominis Christi veneremur : excolamus : atque laudemus : que fragili sexu inimici potentiam superantes : confessionis et virginitatis : geminam rapuere coronam. Dum non minus hostem pudicitie : quam etiam perfidie superantes : summum apud Deum : et virginitatis donum obtinuerunt : et certaminis premium. Unde nunc hodierna die in earum festivitate exultantes supplices deprecamur : ut his pro nobis suffragantibus petitioni nostre : et fidei adhibeant meritum. Quo et fidem exemplis erigant : et petitionem beneficiis suppleant. Ut non immemores in Ecclesia Dei quid fuerint : specialem obtineant virginibus sanctimoniam : conjugatis castimoniam : viduis perseverantiam : atque omni fideli populo generalem favorem impertiant : dum pro omnibus Christo Domino acceptabiles preces offerre non cessant. ℟. Amen.

Alia Oratio. Omnipotens unigenite Christe fili Dei Patris : qui tam viris quam feminis tropheo das triumphari certaminis. Cum et in illis virile robur in certamine adjuvas : et in his minus valentem corporis fragilitatem exaltas. Ut hoc per te validus sexus valeat : quod infirmus. Presta nobis humillimis servis tuis : ut he virgines que sibi apud te obtinuerunt victorie palmam : delictorum nobis impetrent veniam. Ut que jam suo sunt canditate martyrio : delinquentes muniant niveo castitatis umbraculo. Et que tuo sunt indissolubiliter copulate amori : indisrupta soliditate nos tibi copulent fidei. Ut qui earum passionis diem integra devotione suscepimus : ipsarum obtentu : inter mundi hujus procellosas turbines gubernemur. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Jesu redemptor noster et Domine : qui virgo ex virgine natus ; virginitatem in virginibus remuneras incorruptis : in hoc festo tua-

[a] *Psallendo.* Ps. XLVII, 11. ℣. Ibid. 12.
[b] *Cap. VII.* Vers. 25-34. Hæc epistola in Sacramentario Bobiano legitur in missa communi unius virginis.
[c] *Cap. XXV.* Vers. 1-17.
[d] *Vigilate.* His imponebatur finis lectioni.
[e] *Quia.* Fortasse, *qua.*
[f] *Lauda.* Ps. XLVII, 12. Vulg. et LXX legunt *filiæ Judæ*, et ita, infra, in sacrificio legitur.
[g] *Sacrificium.* Psal. XLVII, 10. ℣. Ibid., 12.

rum Virginum : acceptabile tibi facito quod offertur. A Acceptansque viventium vota : defunctos in pace refrigera. Ut qui tuarum Virginum obsequimur patrociniis : earum nos sentiamus adjuvari suffragiis. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus : qui virginitatem diligis : ut tamen virginitatem [a] oderis : in qua non fuerit integritas charitatis. Da nobis sic obtinere mundiciam carnis : ut repleri possimus abundantia pacis. Quo tuarum virginum obtentu : et pax in nobis vera permaneat : et castitatis mundicia convalescat. ℟. Amen.

440 *Inlatio.* Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi semper laudes et gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : B per Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum filium tuum. Cujus munere postquam Virgo de virgine prodiit : sexus fragilis fit virilis : fragilis : efficitur fortis. Ut in quo fuit peccandi facilitas : in eo sit vincendi felicitas. Et sumat coronam : que meruit penam : sumat nempe in progenie : quod perdidit in radice : ut captiva serpentis conterat nunc serpentem. Et nunc victrix triumphet : que dudum vita succubuit : dum sexum imbecillem inimicus non superat bellicosus : dum fragile corpusculum quod non tormentis cederet : sed magis vinceret gemit : seseque toties victum : victor antiquissimus obstupescit. Ob hoc Domine dum elatum adversarium ita prosternis : redemptum populum consolaris. Cum inter numero as sacratissimas Virgines has : etiam C Virgines et Martyres tuas N. et N. de quarum triumpho gaudet Ecclesia : apud te habeamus in omnibus assertrices : quas de diabolo pariter et seculo voluisti esse victrices. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus et Rex Regum est Dominus Jesus Christus filius tuus : cui oblate Virgines placent de pudoris integritate : de operis consummatione : de passionis certamine : de dilectionis integritate. Ille quippe et virginitatis conlator : et Virginum remunerator est. Qui Virgo de Maria semper Virgine natus : et Virginum integritatem remunerat : et corruptorum vulnera crucis sue D vulnere sanat. Ipse Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Sacrarum Virginum excolentes solennia : hec tibi Domine offerimus holocausta : tuam postulantes clementiam. Ut qui septus Virginum choris : inter lilia pasceris : per hec libamina : spiritum tue dirigas sanctitatis. Ut quod a nobis ob honorem Virginum tuarum N. et N. acceperis : hoc nobis sumendum ad nostrorum criminum indulgentiam largiaris.

℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus qui virginum agmine septus : quocumque ieris ab eisdem solis prosequeris conlaudandus : que te illo virginitatis cantico laudant : quo dilecti ceteri audire queunt : te votis supplicibus imploramus : ut sic per ea que nos te exorare docuisti emundes : ut cantici ipsius canentis numerositati adsocies. Ut per compunctionem hic deflendo quod gessimus : per dilectionem quoque te Patrem invocemus : atque dicamus. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus qui Martyres suas N. et N. casto cibi desponsavit amore : indissolubiliter vos sibi per suam charitatem adsociet. ℟. Amen. Quique in illis virginitatis contulit donum : conferat in vobis sue gratie complementum. *Respond.* Amen. Ut qui virginitatis decore nunc claretis ex meritis : Virginum suarum intercessu potiamini gaudiis. ℟. Amen. Quo etsi sint vobis discrete mansiones per meritum : una tamen vos habeat beatitudo post transitum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Deus : qui omnem Virginum gloriam filiarum utique Regis intrinsecus esse vis : ut testimonium aliene laudis non appetant : quas virtus interna letificat : annue nobis harum Virginum precibus : et humanas laudes fugere : et boni operis intra nos testimonium reportare. Quo et virgines persistamus in fide : et incorruptam ex hoc capiamus hereditatem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nostrum sit acceptum cum pace. ℟. *Chorus.* Deo gratias.

Incipit Missa [b] votiva omnimoda.

441 *In primis faciat confessionem : et facta accedat ad altare et dicat.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Et postea dicat chorus.*

Ad Missam. [c] Officium.

Miserere nobis Domine : alleluja : miserere nobis : alleluja : alleluja. ℣. Ad te levamus oculos nostros : qui habitas in celis. *P.* Miserere nobis. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Miserere.

In Quadragesima dicat Officium ut supra sine alleluja.

Oratio. Miserere nobis Domine : miserere nobis : et quia tu inspiras bonum quod petimus : tribue propicius misericordiam : quam a te semper rogamus.

[a] *Oderis.* Ostendit Deo non placere integritatem corporis, nisi fuerit cum integritate mentis et charitate Dei et proximi conjuncta. Hanc sententiam in quibusdam Codicibus deletam inveni, nescio quam ob causam ; certe virgini schismaticæ nihil ad salutem proderit corporis integritas, si desit catholicæ communionis charitas.

[b] *Missa votiva omnimoda.* Est etiam in Sacramentario Bobiano *missa omnimoda.*

[c] *Officium.* Tobiæ VIII, 10. ℣. Ps. CXXII, 1.

℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. A Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaje Prophete ([a] *Cap. XXXIII*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Oravit Esayas Dominum dicens: Domine miserere nostri: te enim expectavimus. Esto brachium nostrum in mane: et salus nostra in tempore tribulationis. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Psallendo.* Convertere aliquantulum. *P.* Domine. ℟. Et repropiciare super servos tuos. *P.* Domine.

Dicat Presbiter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos ([c] *Cap. XV*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Deus spei repleat vos omni gaudio: et pace in se credendo: ut abundetis in spe: et virtute Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([d] *Cap. VII*).

Illo in tempore. Dominus Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Petite: et dabitur vobis. Querite: et invenietis. Pulsate: et aperietur vobis. Omnis enim qui petit: accipit: et qui querit: invenit: et pulsanti aperietur. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Lauda.* Alleluja. ℣. Domine exaudi orationem C nostram: et clamor meus ad te perveniat.

In Quadragesima. [f] Laudabo nomen Dei mei cum cantico: magnificabo eum in laude.

[g] *Sacrificium.* Elevavit Sacerdos munera super altare dicens: suscipe Deus sacrificium pro populo tuo. Sanctifica hereditatem tuam: alleluja.

In Quadragesima. [h] *Sacrificium.* Offerte Domino: mundum sacrificium. ℣. Offerte Domino gloriam: et honorem. ℣. Gloria: et honor Patri: et Filio: et Spiritui Sancto: in secula seculorum: amen. *P.* Mundum.

Dicat Presbiter. [i] Kyrieleyson.

Et Chorus respondeat. Christeleyson. Kyrieleyson.

Post hec [j] *flectet genua Sacerdos: et dicit.*

Missa. [k] Omnipotens sempiterne Deus: tue glorie D [l] majestati supplici devotione deposco; ut omnium malorum meorum vincula solvas: cunctisque meis criminibus clementer ignoscas. Et quia me indignum et peccatorem ad ministerium tuum vocare dignatus es: sic me idoneum tibi ministrum efficias: ut sacrificium de manibus meis placide ac benigne suscipias. Electorumque Sacerdotum tuorum me participem facias: et de preceptis tuis in nullo me oberrare permittas. ℟. Amen.

Alia Oratio. Attende Domine propicius mee servitutis obsequium: [m] et miserere viventium famulorum tuorum: vel omnium Christianorum: ut cunctis eorum sceleribus amputatis ita sint tue miserationis defensione protecti: ut in observatione mandatorum tuorum mereantur esse perfecti. Quatenus et in hac B vita universo facinore careant: et in conspectum glorie tue quandoque sine confusione perveniant. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus tuorum supplicum vota: et nomina: que tuo coram altario conspicis recensere: in eterne vite libro conscribe. [n] Miserere etiam indigno mihi et peccatori Domine: vel omnibus pro quibus te supplex expostulo: perpetuamque requiem tribue defunctis famulis tuis N. ut in Abrae gremio conlocati: et nunc penas evadant inferorum: et resurrectionis tue tempore cetibus **442** eos sociari jubeas Angelorum. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui charitatis es auctor: et pure pacis et dilectionis amator. Suscipe offerentium oblationes et infirmorum omnium fidelium sana [o] languores. Quo te medicante: et plenitudinem salutis recipiant: et tuis semper sani jussionibus [p] pareant: denique obnixius queso: ut omnes metu territos: inopia afflictos: tribulatione vexatos: morbis obrutos: [q] itineribus constitutos: suppliciis deditos: debitis obligatos: [r] vel quolibet merore contritos: cunctos indulgentia tue pietatis absolvat: morum emendatio relevet: et miseratio quotidiana confoveat. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est: equum vere: et salutare est: nos tibi gratias agere omnipotens Deus: per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Verum Pontificem: et solum sine peccati macula Sacerdotem. Qui lavit nos a peccatis nostris: et fecit nos regnum: et Sacerdotes tibi Deo Patri suo:

[a] *Cap. XXXIII.* Vers. 2. In Bobiano deficit prophetia.

[b] *Psallendo.* Ps. LXXXIX, 13. ℣. Ibid.

[c] *Cap. XV.* Vers. 13. In Bobiano legitur ex epistola sancti Jacobi apostoli; revera I Joan. I, 8-II, 1-5, quibusdam omissis.

[d] *Cap. VII.* Vers. 7, 8. In Bobiano legitur ex Matthæi IX, 9-14.

[e] *Lauda.* Ps. CI, 1.

[f] *Laudabo.* Ps. LXVIII, 31.

[g] *Sacrificium.* Ex Levit. XXIII, 20; Machab. II, I, 26.

[h] *Sacrificium.* Ps. XCV, 7.

[i] *Dicat Kyrie.* De hoc ritu infra dicendum erit, cum de missis mortuorum sermo fiet.

[j] *Flectet.* Hic etiam est ritus peculiaris hujus missæ, de quo silent Roblesius, Pisa, aliique, qui de ritibus Mozarabicis scripsere. Indicat diaconum olim solemne illud *Flectamus genua* proclamasse, atque de more materiam orationis, sive id quod a Deo petendum erat suggessisse, tum illud *Erigite vos* dixisse, ac tandem presbyterum primam orationem, *missam* dictam, recitasse.

[k] *Omnipotens.* Hæc et tres orationes quæ consequuntur, atque illatio *Missæ* hujus *votivæ omnimodæ*, eædem in Sacramentario Bobiano leguntur.

[l] *Majestati.* In Bobiano *pietatem.*

[m] *Et miserere viventium.* In Bobiano: *Et miserere fidelibus famulis tuis* ill., *ut cunctis eorum*, etc.

[n] *Miserere.* Bobianum, *concede etiam mihi indigno*, etc.

[o] *Languores.* In Bobiano additur *ill.*

[p] *Pareant.* Bobianum, *appareant.*

[q] *Itineribus.* Bobianum, *in captivitate et peregrinatione constitutos.*

[r] *Vel quolibet merore contritos.* In Bobiano deficit.

A ut justificati in sanguine ejus salvi simus ab ira per ipsum. Qui peccata nostra portavit in corpore suo super lignum: ut a malis omnibus separati: cum justicia vivamus: cujus sacro vulnere sanati sumus. Quique pacificavit omnia per sanguinem crucis sue: sive que in celis: sive que in terris sunt: ut in nomine ejus omne genu flectatur celestium: terrestrium: et infernorum: et omnis lingua confiteatur: quia ipse est in gloria Dei Patris. [a] Per quem te eterne Pater: et Domine omnimoda intentione deposco: per ipsum qui pependit in ligno propter salutem nostram: qui factus est mediator tuus et noster: ut nos ad te perduceret. Quique nos reconciliavit tibi per sanguinem crucis sue: imo qui nobis hanc fiduciam dedit: ut omne quod petierimus a te Patre in nomine suo: des nobis. In ipsius dilecti B filii tui comparis tibi per omnia: et coetèrni Domini nostri Jesu Christi nomine: te invoco: ut omnibus malis meis [b] innocens: cunctas maculas criminum meorum abstergens: finem delictis meis omnibus hodie ponens: ab omnibus tentationibus sordidissimis: vanis libidinibus: et blasfemiis cor meum eluens: atque spiritualibus donis replens: et hanc oblationem quam tibi offero: ego indignus propter remedia animarum fidelium et pro conversione infidelium: atque pro Ecclesia tua Sancta Catholica: que est in oriente usque in occidentem: Septemtrione et meridie: per universum orbem terrarum in pace diffusa: benigne suscipias. Jam tandem Domine exaudi eam clementer: sustenta eam in periculis: protege in C adversis: et moderare in prosperis. Ut nihil contra eam prevaleat noxium: dum in cunctis te meruit habere propicium. [c] Itinerantium famulorum tuorum N. vel omnium Christianorum adoptata desideria gressus perducere jubeas. Egrotantibus famulis tuis N. vel omnibus fidelibus Christianis infirmis medelam sanitatis impercias. Locum lucis ac refrigerii animabus famulorum tuorum N. vel omnium fidelium Christianorum defunctorum requiem tribuas. Nostrumque omnium humilitatem placatus intendas: et ubique nos te protegente custodias. Ut eruti ab adversitatibus mundi: et hic et in eternum sanctificati: te incessabiliter cum Angelis et Archangelis conlaudemus: ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

D [d] *Post Sanctus.* Vere sanctus: vere benedictus es tu fili Dei vivi: quia multum es incomparabiliter pius: et inestimabiliter gloriosus. Et ideo tue pietatis gloriam imploramus: et hanc tibi placationis hostiam immolamus. Ut nostras nunc orationes exaudias: crimina laxes: et peccata dimittas. Vel quicquid a te secundum tuam voluntatem exposcimus: velociter et clementer impercias. Quantenus nos a malis omnibus eruas: et bonis repleri concedas: Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Credimus te Domine Jesu Christe: nostram esse salutem: nostramque redemptionem. Oramus te piissime Pater: ut hanc oblationem accepies: atque sanctifices: [e] eamque apud tuam clementiam exposcimus digneris concedere: et sumentium corda pietate solida a malis omnibus placatus emunda. Aufer a nobis Domine cuncta que gessimus mala: et concede nobis tempora quieta et pacifica. Bella omnia reprime; et famem averte: clades et omnes egritudines populo tuo suspende. Mentes letifica: captivos revoca: confractos 443 reintegra. Navigantes omnes ne pereant salva. Itinerantes in prosperitatem et salutem dirigere dignare: frugum abundantiam tribue: aerem prosperum concede: et iram tuam: [f] ob id quod nobis in alimoniam tribuisti: ut pius pater procul efficere jube. Ut in unum omnes scientes beneficia tua: et agnoscentes mirabilia tua: impavido animo conlaudare possimus gloriam tuam. Quo mereamur hic tibi Domine incessabiliter sine offensione servire: et vite eterne hereditatem percipere sine fine. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Suscipiatur Domine sacrificium nostrum in conspectu tuo: ut placeat tibi sicut speravimus in te.

Ad Orationem Dominicam.

Ignosce Domine: qui dum pro aliis rogare te compellor: et per immunda labia mea tuam sanctam communionem [g] adsume. Miserere mihi Domine mysterii tui secreta tractanti: nec indignum me misericordia tua judices: dum pro aliis interpellare permittis: ut absolutus a meis delictis: et viventium famulorum tuorum. N. vel omnium fidelium Christianorum in bonis tribuere digneris. Pater noster.

Postea dicat Presb. Erue. Libera. Protege. Muni. Salva. Ac defende nos ab operibus malis: stabilire fac in cunctis bonis. Da finem peccatis nostris: et requiem omnibus fidelibus defunctis: medelam infirmis: sanitatem egrotis: pacem et securitatem omnibus fidelibus Christianis in hac die: vel in omni tempore. Quia tuum est imperium et regnum: qui vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Benedicat vos Dominus noster Jesus Christus: qui cunctorum est auctor mirificus. ℟. Amen. Precibus vestris occurrat placatus: et bona que poscitis: de sede majestatis sue conferat

[a] *Per quem te.* In Bobiano statim post illa verba, *Et solum sine macula Sacerdotum*, additur: *Per quem te, æterne Pater et Domine, omnimoda intentione deposco ut oblationem hanc quam pro famulis tuis* (ill.) *benigne suscipias*, etc.; contestatio enim Bobiana verbatim ex illatione Mozarabica desumpta est, multis tamen prætermissis quæ in Missali Mozarabum leguntur.

[b] *Innocens.* Lege *indulgens.*

[c] *Itinerantium.* Lege *itinerantium famulorum tuorum gressus dirigere, vel omnium Christianorum pia desideria ad optatum finem perducere jubeas.*

[d] *Post Sanctus.* Hæc et quæ sequuntur orationes Bobiano deficiunt.

[e] *Eamque.* Fortasse, *eamque, apud clementiam tuam deposcimus, benigne digneris respicere.*

[f] *Ob id.* Hoc est ob Eucharistiam, ob corpus et sanguinem Christi, nobis in alimoniam concessa.

[g] *Adsume.* Corr. *assumo.*

plus. ℟. Amen. Vobis vel famulis suis : qui vivitis : veniam tribuat : in vestris et in eorum peccatis : et defunctis fidelibus impertire dignetur locum lucis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Require in festo Corporis Christi. fol.* 267.

In Quadrag. ℣. Qui venit ad me.

Com. Repletum est. *fol.* 88.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine : te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Corpus Domini nostri Jesu Christi : quod accepimus : et sanctus sanguis : quem potavimus : adhereat visceribus nostris eterne omnipotens Deus. Ut non nobis veniat ad judicium neque ad condemnationem : sed proficiat ad salutem : et ad remedium animarum nostrarum in vitam eternam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi. Votum nos rum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Item Missam [a] *pro se ipso sacerdote.*

[b] *Officium.* Respice in me Deus : et miserere mei : alleluja : alleluja. ℣. Da potestatem puero tuo : et salvum fac filium ancille tue. *P.* Et miserere. ℣. Gloria et honor Patri. *P.* Et miserere.

Oratio. Veniat super me Domine donum misericordie tue : et ne in me ira tua deseviat : habeam te in remedium salvatorem : quem pro piaculis meis metuo habere judicem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

In Quadragesima. [c] *Officium.* Inclina Domine aurem tuam : et exaudi verba mea : accelera ut eripias me. ℣. Esto mihi in Deum protectorem : et in domum refugii : ut salvum me facias. *P.* Et exaudi. ℣. Gloria et honor. *P.* Et. *Oratio ut supra.*

Lectio libri Thobie ([d] *Cap. III*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. [e] Oravit Thobias Dominum dicens. Justus es Domine : et omnia judicia tua justa sunt et omnes vie tue misericordia et veritas et judicium. Et nunc Domine memor esto mei : ne vindictam sumas de peccatis meis : neque reminiscaris delicta mea : aut parentum meorum. Quoniam non obedivimus preceptis tuis : et traditi sumus [f] in direptionem et mortem : et improperium omnibus nationibus. Magna judicia tua. Quia non egimus secundum precepta tua : et non ambulavimus sinceriter coram te. Et nunc Domine 444 secundum voluntatem tuam fac

A mecum : et precipe in pace recipere spiritum meum. Quia cum iratus fueris : misericordiam facis. Et in tempore tribulationis : his : qui invocant te : peccata dimittis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Psallendo.* Delicta juventutis mee Deus : et ignorantias : ne memineris Domine. ℣. Secundum magnam misericordiam tuam memor esto mei Domine. *P.* Et ignorantias.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos ([h] *Cap. XV*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Obsecro vos per Dominum nostrum Jesum

B Christum. Et per charitatem Spiritus Sancti : ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum : ut liberer ab infidelibus : qui sunt in Judea : et obsequii mei oblatio accepta fiat Hierosolimis sanctis. Et ut veniam ad vos cum gaudio per voluntatem Dei : et refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit vobiscum : et cum omnibus vobis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([i] *Cap. XV*).

Illo in tempore Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis : dicens. Ego sum vitis vera : et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum : tollet eum : et omnem qui

C fert fructum : purgabit eum : ut fructum plus afferat. Jam vos mundi estis propter sermonem : quem locutus sum vobis : manete in me : et ego in vobis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[j] *Lauda.* Alleluja. ℣. Miserere mei Domine : miserere mei : quoniam in te confidit anima mea : alleluja.

In Quadragesima. [k] Laudabo nomen Dei cum cantico : et magnificabo eum in laude.

[l] *Sacrificium.* Quid dignum offeram Domino? curva genua Deo excelso : alleluja.

In Quadragesima. [m] *Sacrificium.* Sacrificium Deo

D spiritus contribulatus : cor contritum : et humiliatum ne despicias Deus.

Missa. Ad tuum altare concurre eterne omnipotens Deus : et prece qua valeo : tuam misericordiam pro me : ac pro populo tuo salutem exposco : offerens hoc sacrificium majestati tue : quod gratanter digneris ipse suscipere : cujus interventu : quia pius es :

[a] *Pro seipso Sacerdote.* In Sacramentario Bobiano exstat *missa quomodo sacerdos pro se orare debet.*

[b] *Officium.* Ps. xxiv, 26. ℣. Ps. lxxxv, 16.

[c] *Officium.* Ps. lxxxv, 1. ℣. Ps. xxx, 3, 4.

[d] *Cap. III.* Vers. 1-6. Et, reliquis omissis, additur pars versiculi 13. In Bobiano nulla legitur prophetia hujus missæ.

[e] *Oravit.* Vulg. : *cœpit orare cum lacrymis.*

[f] *In direptionem.* Vulg. addit *et captivitatem.*

[g] *Psallendo.* Ps. xxiv, 7 ℣. Ibid., 8.

[h] *Cap. XV.* Vers. 30, ad finem capitis. In Bobiano est ex Epistola Jacobi i, 19-28, omissis versiculis 21-26.

[i] *Cap. XV.* Vers. 1-4. In Bobiano Evangelium est Lucæ xv, 4-8.

[j] *Lauda.* Ps. lvi, 2.

[k] *Laudabo.* Ps. lxiii, 31.

[l] *Sacrificium.* Michææ vi, 6.

[m] *Sacrificium.* Psal. lix, 19.

petitioni mee effectum concede. Da mihi Domine peccatori confessionem : que tibi sit placita. Parturiat in corde meo inenarrabiles gemitus : qui aures possint pulsare tuas. Da mentis intentionem : quo suscipiam profundam bonitatem tuam. Da sic petere pro populo : ut tuo se gratuletur muneris presidio. Da mihi lachrymas ex tuo affectu : internasque peccatorum exsolvere vincula : et adquirere gratiam postulatam. ℟. Amen.

Alia Oratio. Audi Deus meus : audi lumen oculorum meorum : audi que peto : et da que petam : ut audias. Audi me precantem pro populo tuo : et hoc munus oblatum suscipere dignare placido vultu. Concede mihi : et pro quibus te peto N. remedium flagitatum. Nam si despicis : pereo : si respexeris : vivo. Si justiciam meam intenderis : mortuos fateor. Si misericordiam respexeris : fetentem me suscitas de sepulchro. Suscipe ergo precem quam tibi defero : et tribue remedium : quod a te expeto. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Precanti mihi aurem adpone tuam omnipotens Deus : et sacrificium accepta muneris hujus. Corripe me in misericordia : et non in ira. Quod odis in me : procul fac a me : et in tua voluntate intende in me. Hostem libidinis repelle a me : et castitatis spiritum insere in me. Omne vicium mortifica in me : et animam meam vivifica in te. Hoc da populo tuo petere : ut petitio [a] implacita nunquam sit apud te. Hoc presta quod semper ipse custodias. Offerentium munera sint oculis tuis placita : eorumque vota ipse gratanter accepta : defunctis famulis tuis. N. requiem tribue : ut judicii tempore alacres ad conspectum glorie tue valeant pervenire. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui es pacis auctor : et charitatis magnificus dispensator : [b] intende cor meum : cunctique populi : igne charitatis et pacis : qua cunctos vepres peccatorum exurat. Non exardescat cor meum in me : sed refrigeretur in te. Totum tolle quod nocet : ipsum presta quod docet. Tolle nocentia **445** cuncta : doce perseverantia bona. Salus esto infirmitati mee : et verus suscitator anime mee. Ut ditatus dono tuo : merear sociari electorum tuorum consortio. ℟. *Chorus.* Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere omnipotens Deus. Qui cum Domino nostro Jesu Christo : Sanctoque Spiritu verus in Trinitate permanes unus. Qui humanas mentes ita igne tui amoris accendis : ut fideliter a cunctis queraris. Doce me Domine patientiam : ad sustinendum cuncta adversa. Doce me Domine scientiam scripturarum : ut sic loquar : ne superbiam : sic taceam : ne torpescam. Sic contine : ut non cadam. Sic constringe : ut nunquam dimittas. Placita tibi sunt hec sacrificia : eaque manu Angeli tui : ipse sanctifica. Populum

A tuum Deus ut bonus pastor guberna : et [c] famulorum tuorum. N. requiem dona : et peccatorum vincula resolve gratia tua. Atque erutum a sordibus peccatorum : [d] collegio fac coheredem : Cui merito omnes Angeli et Archangeli : non cessant clamare ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus es tu Domine Jesu Christe : qui et justos eternitatis premio ditas : et peccatores ne pereant per penitentiam salvas. Gemitus mei precem placatus intende : et postulantibus remedium benignus concede. Precipitem me esse non sinas : sed freno discipline tue prestringe me. Quod anime est [e] obvium repelle a me : et prosperam misericordie bonitatem largire in me. [f] Ipsud vita mea te habeat sufficientem. Ipsud est sanitas mea : te habeat medicinam.
B Vulnera mea patent tibi : medicinam tuam ne deneges mihi. Infusione Sancti Spiritus tui repleantur munera hujus sacrificii. Tu es Deus meus salvator : et redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Hec hostia [g] panis ac vini : que a me indigno tuo sunt imposita altario : [h] regalibus sedibus tuis eterne omnipotens Deus intuere vultu placabili : et benedic per manus Angeli gloriosi. Accipe conversionem fletus in sacrificio acceptabili tuo : et contritum fac cor : ut suspiret in vulnere suo. Medicinam qua sanetur infunde : et non deseratur vulnere. Sicque jugis peticio te medicum flagitat verissimum : in quo nulla ambiguitas de suscepto : quos suscipis : cura quos curas : sic
C contine ne dimittas. Ad exorandum clamor meus invalidus est : sic eum suscita : quod perveniat ad te. Crassam nubem sine de pectore meo : et sereno intuitu : hominis nubilum rumpe : adversum me. Ut sanatus per gratiam tuam merear tibi laudes persolvere placitas. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antifona. Domine ne ponas mala mea coram oculis tuis. Quia gravia sunt onera mea : precor te Domine miserere mei.

Ad Orationem Dominicam.

Agnoscens omnipotens Deus flagitia que gessi : vulnera tibi ostendo cordis contriti. Si mala mea respexeris : tharthharea vix tormenta sufficiunt. Si pietate intenderis solita : poteris me commutare
D in melius. Quid non mali ego corruptibilis creatura : et quid non boni tu creator et creature fortissimus innovator ? Cecidi de manu tua vitio meo : potens es artifex : tibi iterum placitum figurare in melius. Queso omnipotens Deus : dignum me ex indigno tibi efficere a mei peccati crimine : ut merear tibi cum fideli populo tuo e terris clamare libera voce. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Implacita.* Id est, *non placita.* Horatius, *implacitum genus.*
[b] *Intende.* Lege *incende.*
[c] *Famulorum tuorum.* Lege *famulis tuis.*
[d] *Collegio.* Lege : *In collegio sanctorum tuorum fac cohæredem per Filium tuum*, etc., *cui.*

[e] *Obvium.* Forte, *animæ obnoxium.*
[f] *Ipsud est.* Lege *etiam.*
[g] *Panis et vini.* Panem et vinum, in hac oratione, esse corpus et sanguinem Christi, sub speciebus panis et vini Deo oblata, fuse satis alibi ostendi.
[h] *Regalibus.* Lege *e regalibus sedibus.*

Benedictio. Dominus Jesus Christus qui est omnium consolator : ipse nos benedictionis suc repleat dono. ℟. Amen. Et qui peccantes reducit ad viam salutis : ipse nobis concedat gratiam : quam ab eo postulamus. ℟. Amen. Quique nos subformavit opificio : ipse nos purget a crimine post multa annorum curricula : suo nos adornabat in regno superno. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte.

Require in festo Corporis Christi. fol. 267.

Com. Repleti Christi corpore et sanguine : te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

In Quadragesima. Qui venit ad me.

Com. Repletum est gaudio os nostrum. *Quere in primo Dominico Quadragesime. fol.* 83.

Oratio. Corpus Domini nostri Jesu Christi. *Quere in prima Missa votiva omnimoda. fol.* 444.

Item Missa votiva [a] *singularis.*

446 *Ad Missam.* [b] *Officium.* Miserere mihi Domine : alleluja. Miserere mihi : alleluja. ℣. Respice in me Deus : et miserere mei. *P.* Miserere mihi. ℣. Gloria et honor Patri etc. ℟. Miserere.

In Quadragesima [c] *Officium.* Veniat super me Domine misericordia tua : et salutare tuum secundum eloquium tuum. ℣. *Et omnia alia ut supra.*

Oratio. Miserere mihi Domine : miserere mei : et quia tibi soli peccavi : indulgentiam criminum : et remissionem peccatorum a te consequi merear. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum..

Lectio libri Regum III ([d] *Cap. VIII*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : oravit Salomon Dominum dicens. Domine : omnis homo qui cognoverit plagam cordis sui : et expanserit manus suas in domo hac : tu exaudies in celo : loco habitationis tue. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[e] *Psallendo.* Disrumpe Domine vincula peccatorum meorum. ℣. Colloca eum Domine in loco beatorum tuorum.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli [f] *ad Romanos* ([g] *Cap. XIII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Offeramus hostiam laudis semper Deo. id est fructum labiorum nostrorum confitentium nomini ejus. Beneficientie autem et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([h] *Cap. XV*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Si manseritis in me : et verba mea in vobis manserint : quodcumque petieritis Patrem in nomine meo : petite et fiet vobis. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[i] *Lauda.* Alleluja. ℣. Miserere mei Domine : miserere mei : quoniam in te confidit anima mea.

In Quadragesima [j] *Lauda.* Confitebor tibi nimis in ore meo : in medio multorum laudabo eum.

[k] *Sacrificium.* Averte Domine faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas dele.

In Quadragesima [l] *Sacrificium.* Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum : et humiliatum non despicies Deus.

Missa. Aurem misericordie tue pande pulsanti famulo tuo N. eterne omnipotens Deus : et ejus precibus adesto propicius. Auge ei Domine fidem : atque ei omnia peccata dimitte. Accepta sint in oculis tuis Domine vota hujus : et oblationem quam tibi offert inspice : et per intercessum Sanctorum tuorum N. imple peticiones ejus : et omnes ipsius exaudi orationes.

℟. Amen.

Alia Oratio. Pie Domine ad majestatis tue concurrimus thronum : preces fundimus supplicantes : ut deleantur scelera : atque universa peccata famuli tui N. per hanc votivam oblationem sentiat indulgentie tue donum : ut per intercessum Sanctorum tuorum : beneficium consequatur eternum.

℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Offerimus Domine hec munera famuli tui N. ut in tuo glorietur nomine : et ejus vota propicius suscipias : peccata dimittas : salutem corporis et anime concedas ; requiem defunctis tribuas : et celesti regno consortes efficias. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Domine Deus omnipotens : qui dixisti per Jesum Christum Dominum nostrum : pa-

[a] *Singularis.* Scilicet, quæ celebratur pro una aliqua singulari persona, sive vir sit, sive mulier. In Sacramentario Bobiano sunt quatuor *missæ votivæ*, quæ omnes pro *servo tuo ill.*, sive pro singulari persona celebrantur, omnesque formam missæ Romanæ induerunt, scilicet quæ duas tantum lectiones habent, Epistolam et Evangelium, et post primam orationem in illis sequitur oratio *secreta*, et post hanc *contestatio*, sive præfatio, cui subjiciebatur canon Romanus ; at omnes missæ Missalis Mozarabici typum genuinum Gotho-Hispanum retinuerunt.

[b] *Officium.* Ps. LVI, 6. ℣. Ps. XXIV, 16

[c] *Officium.* Ps. CXVIII, 41.

[d] *Cap. VIII.* Vers. 38, 39.

[e] *Psallendo.* Ps. CXV, 16.

[f] *Ad Romanos.* Lege *ad Hebræos.*

[g] *Cap. XIII.* Vers. 16.

[h] *Cap. XV.* Breve hoc Evangelium ex versiculis 7, 16, constat.

[i] *Lauda.* Ps. LXXXVI. Vers. 1.

[j] *Lauda.* Ps. CVIII, 3.

[k] *Sacrificium.* Ps. L, 11.

[l] *Sacrificium.* Ps. L, 19

cem meam do vobis: pacem meam commendo vobis. Petimus Domine Deus noster: ut pacem quam in tuo nomine propinamus: fixam in cordibus nostris in perpetuum teneamus. Et hanc votivam oblationem quam tibi offert famulus tuus N. suscipere digneris. Et propicius peccata dimitte: salutem concedas: ejus languores placatus semper abstergas.

℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est: equum vere et salutare est: nos tibi gratias agere et laudes: sacrificia spiritualia celebrare: Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus per Jesum Christum Dominum nostrum. Qui factus mundi sacrificium: expiavit effusione sanguinis sui peccata hominum. Ob hoc te deprecamur omnipotens Pater per ipsum: qui pependit in ligno propter salutem nostram: ut hanc oblationem **447** que pro famulo tuo N. a nobis offertur sanctificare digneris. Ut sicut Sanctis pervenit ad coronam: ita ei occurrat ad veniam. Ut mereatur per hoc sacrificium a cunctis emundari sordibus peccatorum: et reconciliatum tibi per Jesum: sereno vultu respicias: atque ei omnia peccata dimittas. Severitatem judicii tui ab eo suspendas: et miserationis tue clementiam super eum infundas. Præsta Pater perpetue per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum: quem conlaudant Angeli: atque Archangeli non cessant clamare quotidie: una voce dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus: vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus: unigenitus tuus: primogenitus noster. [a] Primogenitus in gratia: unigenitus in natura. Primogenitus: quia nemo ante ipsum. Unigenitus: quia nemo post ipsum. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Recolentes Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus: preceptis tuis precamur inclitam tue clementie majestatem: et [b] mysterium passionis Jesu Christi filii tui Domini nostri: ut hic panis: quem lignum crucis [c] coxit: et hic calix: quem torcular passionis expressit: benedictionem tue divinitatis accipiant: veramque salutem sumentibus prestent: ut quicumque exinde sumpserimus: specialem gratiam consequi mereamur. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Ant. Patientiam habe in me Domine: quia tu fecisti me: posuisti mihi nomen novum: et dixisti mihi: vade et revertere velociter: quia pulvis es: et in pulverem reverteris.

Ad orationem Dominicam.

Exultent in te Domine anime nostre: et placabili pietate suscipiantur a te vota nostra: quesumus: resurrectio unigeniti tui gaudium mentibus nostris tribuat: et tristiciam de cordibus nostris expellat: ut cum jocunditate et voce exultationis obsequia deferamus in consp ctu majestatis tue. Ut orationem: quam Dominus noster Jesu Christus filius tuus orare precepit: sic dicere mereamur e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Vota vestra atque sacrificia clementis Dei gratiam benigne suscipiant. ℟. Amen. Orationes vestras exaudiat: vestra peccata diminuat. ℟. Amen. Auferat a vobis omnia mala: que gessitis: et tribuat gratiam: quam ab eo deposcitis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri: qui est benedictus etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine: alleluja: allel. allel.

In Quadragesima. Qui venit ad me.

Com. Repletum est gaudio. *Quere in I. hebd. Quadragesime. fol.* 98.

Oratio. Corpus Domini nostri Jesu Christi. *Quere in prima Missa votiva omnimoda et omnia alia. fol.* 444.

Item Missa de [d] *itinerantibus.*

Ad Missam. [e] *Officium.* Angelus Domini bonus comitetur tecum: alleluja: et omnia bona preparet itineri tuo: et iterum cum gaudio revertaris ad nos: alleluja. ℣. Mittat tibi auxilium de sancto: et de Syon tueatur te. *P.* Et om.ia. ℣. Gloria et honor Patri etc. *P.* Et omnia.

Oratio. Viam iniquitatis amove a nobis Domine: et de lege tua miserere nobis; ut et peccandi a nobis consuetudinem tollas: et recte vivendi perseveran-

[a] *Primogenitus in gratia.* Ad hanc orationem alludere videtur quod, in epistola sua, dixerat Elipandus, Christum Dominum *unigenitum in natura, primogenitum adoptione et gratia*, ut apud Patres Francofurdenses legitur in epistola ad præsules Hispaniæ (*Concilior. t. IV, col.* 885, *Ed. Hard.*). Neque modum hunc loquendi improbant Francofurdenses. Est autem hæc doctrina concilii XI Toletani, in expositione fidei, et Mediolanensis anni 679, in expositione fidei ad Constantinum Pogonatum Augustum, quæ inter Acta concilii VI œcumenici refertur (*Tom. III Concil., Ed. Hard., col.* 1054).

[b] *Et mysterium.* Videtur hic subesse verborum transpositio. Lege igitur: *Recolentes, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, mysterium passionis Jesu Christi Filii tui, et præceptum ejus*, precamur, etc.

[c] *Coxit.* Hunc loquendi modum ab orationibus quæ in missa Gotho-Hispana recitabantur, Etherius et Beatus (*Lib.* I *adv. Elipand.*) deprompsisse videntur. *Illum panem*, inquiunt, *quod corpus Christi est, lignum crucis coxit*, etc. Et hinc quoque patet Gotho-Hispanos pro sacris donis, jam antea consecratis, orasse, ut benedictionem et sanctificationem, etc., acciperent. Manifestum enim est quod *panis quem lignum crucis coxit*, et quod *calix quem torcular passionis expressit*, sit corpus et sanguis Christi, pro quibus tamen orant ut *benedictionem Divinitatis accipiant*, communicantibus scilicet impertiendam, ut ex sequentibus clare patet.

[d] *De itinerantibus.* Nimirum pro iis qui iter suscipiunt. In Sacramentario Bobiano exstat *missa pro iter agentibus*, et in Lectionario Luxoviensi sunt legenda tum *in profectione itineris*, tum etiam *de redeundo itinere*.

[e] *Officium.* Cap. v, 27. ℣. Ps. XIX, 2, 3.

tiam tribuas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri [a] *Jone Prophete* ([b] *Cap. VI*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. State super vias : et videte : et interrogate de semitis antiquis que sit via bona : et ambulate in ea : invenietis requiem animabus vestris ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Psallendo.* Jacta in Domino cogitatum tuum : et ipse te enutriet. ℣. Revela Domino viam tuam : spera in eum. *P.* Et ipse te.

Dicat Presbyter. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Ephesios ([d] *Cap. V*).

℟. Deo gratias.

Fratres. [e] Eramus aliquando tenebre : nunc autem lux in Domino : sicut filii lucis ambulate in dilectione : sicut et Christus 448 dilexit nos. Et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum ([f] *Cap. VII*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis : dicens : Petite : et dabitur vobis : querite : et invenietis : pulsate : et aperietur vobis. Omnis enim qui petit : accipit : et qui querit invenit : et pulsanti aperietur. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[g] *Lauda.* Alleluja. ℣. Eduxit Dominus populum suum in exultatione : et electos suos in letitia. *P.* Alleluja.

[h] *Sacrificium.* Deprecatus est populus faciem Dei : et exaudivit illum Dominus : et dedit ei salutem : et immolavit Sacerdos holocaustum matutinum in odorem suavitatis : alleluja.

Missa. Jesum Christum Dominum nostrum : qui directa itinerantium via : et commeantium salus est indefessa : fratres charissimi prece flag'temus continue : ut hunc famulum suum. N. qua egredietur via : et corporali salute pollentem : et spiritualibus consiliis efficiat fortiorem. Quo et divinis nutibus placeat : et adgressum iter cum prosperitate expediat. ℟. Amen.

Alia Oratio. Adesto Domine precibus nostris : et iter famulorum tuorum. N. in pace jube dirigere. Comitetur eis gratia tua : infirmitas illis non accedat propria : adversitas eis non impediat aliena. Sit eis in comitatu visitatio Angelica : qui eos a delictis expiet : et ab adversis custodiat. Quo in omnibus tuo roborati auxilio : gratia a te instruantur : quid agant : per te acta perficiant : desiderata impleant : ad destinata perveniant : ad propria iterum cum prosperitate succedant. *P.* Amen.

Post nomina. Oratio. Propiciare supplicationibus nostris : et iter famulorum tuorum. N. precedat gratia tua : et subsequente tua pietate eis comitare. Ut de actu atque incolumitate sua misericordia tua pariter gaudeamus. Defunctorum spiritus et animas in locum refrigerii constitue : et nobis servis tuis. N. indulgentie fructus concede propicius. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Domine Deus patris nostri Abraam : deduc viam famulorum tuorum. N. in pace : et illo charitatis divine eos igne incende quo pacifici ad destinata perveniant : per pacem cuncta disponant : et ad desiderata pacis tuo fulti animo pergant. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi semper gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : cujus habitatio in charitate : et locus in pace est : per quem nec corporali absentia : catena dilectionis his [i] scinditur : nec sancti amoris quotidianus ardor dum deest : [j] fraterne dilectionis extinguitur : sed potius in desiderio recordationis augetur. Pro quo te petimus et rogamus : ut in nobis maneat vera puraque indefessis dilectio : [k] que fraterne dilectione memorie semper commendet absentes : et de corde non excludat longius abeuntes. Dignare Domine prosperum facere iter famulorum tuorum. N. sicut prospere egit Thobias : cui deputasti Angelum Raphaelem. Custodi eos ac defende ab omnibus insidiis inimici : sicut Joseph a fraternis muscipulis eruens : in conspectu Regis gratiam tuitionis ei misericors condonasti. Per quem conlaudant te Domine Angeli atque Archangeli : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus es Domine Deus noster : qui nec per spacia locorum : nec per intervalla temporum ab his quos tueris discedis. Adesto quesumus famulis tuis. N. in te ubique fidentibus : et per omnem quam ituri sunt viam : dux eis atque protector esse [l] digneris. Nihil adversitatis eis noceat : cuncta eis sint prospera : ut sub opere tue dextere : quod justo petierint desiderio : celeriter consequantur [m] effectum. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Accipe Domine hec famulorum

[a] *Jone.* Lege *Jeremiæ.*

[b] *Cap. VI.* Vers. 16. In Luxoviensi et Bobiano nulla est Missis hisce prophetia.

[c] *Psallendo.* Ps. LIV, 23. ℣. Ps. XXXVI, 5.

[d] *Cap. V.* Vers. 8, 9. In Bobiano Epistola desumitur ex Epistola ad Ephesios v, 15, quæ, deficiente membrana, fine caret. In Luxoviensi, *in profectione itineris* legitur ex *I Tim.* III, 14-16, et in missa *de redeundo itinere* legitur ex Epistola ad Romanos XV, 17-19.

[e] *Eramus.* Vulg., Gr. et Syr., *eratis.*

[f] *Cap. VII.* Vers. 7, 8. In Bobiano Evangelium legitur ex Matthæi X, 11-16. In Luxoviensi, *in profectione itineris*, legitur ex Lucæ IX, 51-56, et *de redeundo itinere* legitur Joan., VI, 45-72.

[g] *Lauda.* Ps. CIV, 43.

[h] *Sacrificium.* Est cento e verbis Scripturæ consutus.

[i] *His scinditur.* Lege *discinditur.*

[j] *Fraterne dilectionis.* Lege *fraterna dilectio.*

[k] *Q. e.* Lege *cui.*

[l] *Digneris.* Lege *dignaris.*

[m] *Effectum.* Lege *effectu.*

tuorum N. votiva sacrificia : eos ubique protege manu tua : et quia tu es via : veritas : et vita : in veritate tua facito eos ambulare : et a via recta nullo modo declinare. Tribue eis mansionem : tribue et defensionem : effectum actionis : et profectum bone deliberationis. Ut nullis scandalis seculi impediantur : nullisque adversitatibus inimicorum frangantur : sed in incolumitate omni **449** manentes : perveniant ad locum quem desiderant : Angelo tuo sancto protegente et precedente. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antiph. Defensor juste defende nos, et libera nos de manu inimicorum nostrorum.

Ad Orationem Dominicam.

Attende Domine nostram propicius precem, et iter famulorum tuorum in prosperitate et salute jube dirigere. Quo et illis et nobis prospera impetremus : cum ad te nunc proclamaverimus dicentes e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Dirigat Dominus viam famulorum suorum. N. nosque pro eis exaudiat supplicantes, ut habeant iter rectum : in Domino cor directum. ℟. Amen. Desiderata bona cum prosperitate expleant : et ubicunque perrexerint : gratiosi existant. ℟. Amen. Ut iter quod nunc adgrediuntur : et in humilitate inchoant : cum prosperitate miserante Domino perficiant. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Dicat Chorus.* Gustate. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Corpus Domini nostri Jesu Christi. *Et omnia alia require in I. Missa omnimoda. fol.* 443.

Item Missa [a] *de tribulationibus.*

[b] *Officium.* A labiis iniquis et a lingua dolosa libera nos Domine : alleluja. ℣. Memento congregationis tue : quam creasti ab initio. *P.* Et a lingua. ℣. Gloria et honor Patri. *P.* Et a lingua.

Oratio. [c] Libera nos Domine a labiis iniquis : et a lingua [d] dolosa : et presta : ut nec peccatori adcusanti [e] auditum prebeat : nec plebs tua ejus [f] disciplinis adquiescat : nec iram tuam suggestio fallax commoveat. [g] Sed tua quesumus ipsum inimicum humani generis callidum insidiatorem framea divina concide : et pro miseriis pauperum [h] succurre inclita bonitate. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Hester ([i] *Cap. XIV*).

℟. Deo gratias.

In diebus illis : oravit Hester Dominum dicens. Memento Domine et ostende nobis in tempore tribulationis nostre. Et da mihi fiduciam Rex Deorum : et universe Domine potestatis. Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis : et transfer cor illius in odium hostis nostri. Nos autem libera a manu sua : et adjuva me : nullum alium habentem auxiliatorem nisi te Domine. ℟. Amen.

Dicat. Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[j] *Psallendo.* Da nobis Deus auxilium in tribulatione. Quia vana est salus hominis. ℣. In Deo faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. *P.* Quia vana est.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Corinthios (*II*, [k] *Cap. I*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi : Pater misericordiarum : et Deus totius consolationis : qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : ut possimus et ipsi consolari eos : qui in omni pressura sunt. Per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis : ita [l] per Jesum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione : que operatur [m] in tolerantia earundem passionum : quas et nos patimur : et spes nostra firma pro vobis. Scientes quoniam sicut socii passionum estis : sic eritis et consolationis. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra : que facta est in Asia. Quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem : ita ut tederet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobis responsum mortis [n] habuimus : sed in Deo qui suscitat mortuos : qui de tantis periculis eripuit nos : et eruet : in quem speramus. Quoniam et adhuc eripiet adjuvantibus vobis [o] per fidem : que est in Christo Jesu Domino nostro. ℟. Amen.

[a] *De tribulationibus.* Scilicet, pro iis qui tribulationibus exercentur.

[b] *Officium.* Psal. CX, 2. ℣. Ps. LXXIII, 2.

[c] *Libera.* Eadem oratio exstat in Orationali Gothico (*Pag.* 86, *or.* 1) et in Breviario Mozarabum (*Fol.* 157).

[d] *Dolosa.* Or. Goth., *magniloqua.*

[e] *Auditum præbeat.* Or. Goth. : *Ut nec peccatori accusandi aditus pateat.*

[f] *Disciplinis.* Or. Goth., *decipulis.*

[g] *Sed tua quesumus.* Or. Goth., *sed tu, Domine;* lege tamen uti supra.

[h] *Succurre.* Or. Goth., *exsurge.*

[i] *Cap. XIV.* Vers. 12-15, omissa parte versiculi decimi tertii.

[j] *Psallendo.* Ps. LIX, 13. ℣. Ps. LIX, 14.

[k] *Cap. I.* Vers. 3-11.

[l] *Per Jesum.* Vulg. et Gr., *per Christum exhortatione.* Vulg. et Gr. addunt *et salute.* Rursus Vulgata addit : *Sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute,* quæ in nostro Missali, et ut et in Græco textu, desiderantur.

[m] *In tolerantia.* Ita in Græco. Vulgata legit, *quæ operatur tolerantiam.*

[n] *Habuimus.* Addunt Vulg. et Gr. *Ut non simus fidentes in nobis.*

[o] *Per fidem.* Vulg. et Gr. : *Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis.* At quæ sequuntur sunt verba quibus lectioni finis olim imponebatur.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem (a *Cap. XVI*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Amen amen dico vobis : tristicia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit tristiciam habet : quia venit hora ejus. Cum autem peperit puerum : jam non meminit pressure propter gaudium : quia natus est homo in mundum : et vos igitur nunc quidem tristiciam habetis : iterum autem videbo vos : et gaudebit cor vestrum : et **450** gaudium vestrum nemo tollet a vobis. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[b] *Lauda.* Alleluja. ℣. Converte Domine luctum nostrum in gaudium : et dolores nostros in leticiam : alleluja.

[c] *Sacrificium.* Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Missa. Deum : qui contritorum non despicit gemitum : et merentium non aspernatur affectum : lachrymosis precibus fratres dilectissimi supplicemus : ut hanc singularis victime hostiam : quam pro tribulatis servis suis N. [d] ad revelationem fidenter offerimus : dignetur acceptare propicius : tribuatque : ut quicquid contra eos diabolica : atque humana molivit adversitas : ad nihilum redigat : et consilio pietatis allidat. Ut in nullo de adversis lesi : eidem mereantur inlesi offerre sacrificium. ℟. Amen.

Alia oratio. Domine Jesu Christe : qui nos per multas tribulationes perducis ad regnum tuum, erudiens nos adversitatum jaculis : adversantium acuens machinamentis : oblatam tibi hanc oblationem : quam tibi Ecclesia tua pro liberatione servorum tuorum N. offert : serenus accepta. Non eos fraus humana dejiciat. Non tua deitas ex judicio puniat. Non iniquitas propria : non adversitas arguat aliena : si quid tibi delinquunt : ignosce : siquid offendunt : omnibus tu dimitte : submove ab eis cruciatus mentis simul : egritudines cordis et corporis. Ut te compuncti corde requirant : et a te acti non doleant per te sustentati : adversa despiciant : et a te correcti diligenter exquirant. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Offerentium tibi de nominibus recitatis : postulamus misericordiam pietatis tue : ut servis tuis N. in pressuris interesse digneris. Non quo eos [e] vivendo damnes, sed quo eos patiendo salvifices : ut tuo roborati auxilio gratie, ab imminenti liberentur oppressione : hisque a nobis hostiis invocatus : et defunctis concedas requiem postulamus. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Charitas illa : que per Spiritum Sanctum nostris est diffusa visceribus : te Deus Pa- A ter gemebunda lachrymatione exurat : ut famulos tuos N. ab omni periculo : cruciatu : vel necessitate exemptos : nobiscum facias in tranquillitate et pace semper manere statutos. ℟. *Chorus.* Amen

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum : qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : ut possimus et ipsi consolari eos : qui in omni pressura sunt. De illo fidentes : et per illum in tentatione non deficientes. Ille nos armis justicie : ille galea salutis munit : atque circumdat. Ne adtollamur in prosperis : ne dejiciamur in adversis. Ne immundorum spirituum jaculis : ne adversantium nobis penetremur sagittis. Ut pressure seculi nos ad B eternam pertrahant gloriam : ut tribulationes mundi dona nobis exaptent celestia. Per quem te summe Deus rogamus : ut precem Ecclesie tue adtendere : et propitiabili dignatione ad hec munera respicere jubeas : que tibi pro visitatione et relevatione pressure servi tui N. offerimus. Jam jam Domine respice super eos vultu placabili : et misericordia singulari. Remove ab eis : quod sevicia [f] majoris promittit : quod iniquorum pravitas intulit : quod pravorum in consiliis adversitas alligavit. Quod ex judicio imminet : quod ex sententia pendet. Quod conspiratione machinatum : quod accusatione convicium : quod propriis iniquitatibus gestum : quod alienis est fictionibus alligatum. Quod pressuris dejicitur : quod cruciatibus premitur : quod angustiis angustiatur. C Non justiciam tuam in injusticia ejus exerceas : sed potius pietatem tuam in ejus injusticia manifesta : non eos in persecutione dejicias. Non in flagello prosternas : non per murmurationem abjicias : non per tolerantiam perdas. Sed per tribulationem exerce : per pietatem adtolle : per misericordiam rege. Quod per te ab inimicorum jaculis [g] tacti : hac presenti tribulatione exempti : Deum in trinitate consona voce proclamantes atque ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus : qui sic nos hic : tribulationum censura contundit : adversantium stimulis erudit : lacerantium adversitatibus frangit : ut D post dolores veniamus **451** ad requiem : post labores : inveniamus mercedem : hic tibi Pater omnipotens hec sacrificia : reddat [h] : hic nostris precibus faveat : hic servos tuos N. pro quibus hec tibi offerimus dona : ab omnibus pressuris absolvat : ac redimat : et gratie tue eisdem quantotius multiplex solamen imperciat. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Deus qui tribulatos corde sanas : et mestificatos actu justificas : hanc propicius

[a] *Cap. XVI.* Vers. 20-23.
[b] *Lauda.* Esther XIII, 49.
[c] *Sacrificium.* Ps. L, 19.
[d] *Ad revelationem.* Lege *ad relevationem.*
[e] *Vivendo.* Forte, *indicando.*
[f] *Majoris.* Hoc loco *major* judex sive magistratus intelligendus est. Sic *major monasterii* abbas dicitur. Eo vocabulo Sidonius Apollinaris (*Lib.* I, *epist.* 1) urbanitatis causa utitur : *Diu præcipis, domine major*, inquit Constantio suo scribens.
[g] *Tacti.* Forte, *tracti*, id est, erepti.
[h] *Reddat.* Adde *accepta.*

hostiam dignanter [a] accende : quam tibi pro servorum tuorum N. offerimus liberatione. Tu et hec benignus accepta : et illorum pro quibus offertur : sana discrimina. Tribulationum eorum attende miseriam : et angustiarum illorum submove pressuram : ut exuti ab omnibus quibus quatiuntur malis : in tuis semper delectentur exultare judiciis. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antiphona. Domine non ponas mala mea coram oculis tuis : quia gravia sunt onera mea : precor te Domine : miserere mei.

Ad Orationem Dominicam.

Dimitte Deus peccata nostra : et tribue nobis misericordiam tuam. Quo oris nostri alloquio deprecantium servorum tuorum N. humilitatem adtendas : vincula solvas : delicta deleas : tribulationem inspicias : adversitatum pellas affectum : peticionis nostre largiaris effectum e celis : cum ad te nunc proclamaverimus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et c.

Benedictio. Christus Dominus : qui vos precepto suo obedientes : pro servis suis liberationem coram se inspicit : gemere faciat : et vos inlatis tribulationibus non preire [*Forte* perire]. ℟. Amen. Frangat inimicorum vestrorum audaciam : et tribulatione atque adversitate : vobiscum eos perducat ad celestia regna. ℟. Amen. Ut pressuris seculi cum illo carentes : et hic et in futuro mereamini esse felices. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Quere in festo Corporis Christi. fo.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

In Quadragesima. Qui venit ad me.

Com Repletum est gaudium. *Quere in prima hebdomada Quadrag. fo.* 88.

Oratio. Corpus Domini nostri Jesu Christi. *Quere in prima Missa votiva omnimoda : et similiter omnia alia. fo.* 343.

Item Missa quam Sacerdos immolat pro alio Sacerdote fratre suo vivo.

Ad Missam officium : et omnia alia dicantur de Missa quam Sacerdos pro se dicit folio 444. excepta Missa.

Missa. Divina [b] ad te Domine fratres mei preceptione commoniti : ut invicem nos diligamus [c] sicut proximos nostros : ut nos ipsos diligamus alternatim : [d] famulum tuum N. Sacerdotem fratrem nostrum te Dominum prece postulare debemus : ut qui votivis A oblationibus eum tibi propiciari confidunt : nostris precibus in omnibus adjuvemur. ℟. Amen.

Alia Oratio. Suscipe Deus supplicantem famulum tuum N. fratrem nostrum Sacerdotem : [e] votivum tibi munus oblatum est : multiplici ob hoc eum locupleta fenore gratiarum. Ut qui te his honorat : in spontaneis votis te largiente ditetur premiis infinitis. ℟. *Chorus.* Amen

Post nomina. Oratio. Fave Deus famuli tui N. [f] pro fratre meo fidelissimo [g] votis : et eum ab omnibus absterge peccatis. Quo hujus sacrificii oblatione placatus : et illius pro quo te poscimus vota acceptes : et defunctos fideles in pace refrigeres. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus qui votivis semper precibus delectaris : devotum famulum tuum Presbyterum B fratrem meum N. locupleta fenore pacis : ut per hoc id quod offert tibi sit acceptum : quod perpetue pacis fuerit vinculo premunitum. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum : et justum est : nos tibi omnipotenti Deo vota reddere : quo placeris inspiras : votiva nos inspiratione remuneras. Te ob hoc rogamus supplici prece : [h] ob hanc servi tui N. pro fratre meo oblationem Domine dignanter intendas : et peccata deleas : orationes accipias. Ut liberatus ab omni adversitate : et hic et in eternum sit sanctificatus cum Angelis : qui te sine fine conlaudant : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

452 *Post Sanctus.* Vere sanctus : vere benedictus es Domine Deus omnipotens : qui salubres inspiras C res voti : [i] acceptores sacrificii : Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. [j] Sanctifica Deus oblationem servi tui fratris mei. N. tibi hec sacrificia delibantis. Donans ei : ut remissionem suorum accipiens criminum : indesinenter tibi votis jugibus famuletur. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Antiphona. Domine non ponas mala mea coram oculis tuis : quia gravia sunt onera mea : precor te Domine : miserere mei.

Ad Orationem Dominicam.

Orationem fratres charissimi dicturi dominicam : propter hec votiva primum nos postulare convenit sacrifia : ut divina bonitas oblatorem famulum suum : N. Presbyterum fratrem meum [k] famulum suum oblatis D preveniat in benedictione dulcedinis : nos quoque sequenter exaudiat ad se proclamantes e terris. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Fideli sermone servi sui N. pro fratre

[a] *Accende.* Lege *attende.* Hæc una est ex illis orationibus *post pridie* quibus pro oblatis donis nulla postulatur benedictio.

[b] *Ad te Domine.* Tolle ista.

[c] *Sicut.* Lege *et proximos nostros sicut nos ipsos.*

[d] *Famulum.* Lege : *Dominum prece postulare debemus ut famulum suum sacerdotem N., qui votivis oblationibus et nostris precibus Deum sibi propitiari confidit, in omnibus adjuvet.*

[e] *Votivum.* Lege *pro quo votivum,* etc.

[f] *Pro fratre.* Tolle illud *pro,* et lege *fratris mei fidelissimi.*

[g] *Votis.* Lege *vota.*

[h] *Ob hanc.* Lege *ut hanc.*

[i] *Acceptores.* Lege : *Acceptor es et sacrificii.*

[j] *Sanctifica.* Forte : *Sanctifica, Deus, oblationem servi tui* pro fratre meo N., *et his sacrificiis delibatis,* dona ei ut *remissionem,* etc.

[k] *Famulum suum oblatis.* Tollantur ista.

suo votum Dominus clementer acceptet : et ab omnibus A suis peccatis justificet. ℟. Amen. Vota ejus sacrificando multiplicet : et orationes ejus jubeat exaudire. ℟. Amen. Quo cum universitate electorum : et pie sacrificium suum Domino reddat : et se in omnibus eidem placiturum exhibeat. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Quere in festo Corporis Christi. fo.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine : te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja.

Oratio. Corpus Domini nostri. *Quere in I. missa omnimoda et similiter omnia alia. fo.* 443.

Missa [a] *de uno infirmo.*

[b] *Officium.*

Miserere mihi Domine : alleluja. ℣. Quoniam infirmus sum. Sana me Domine : alleluja : alleluja. ℣. Et anima mea turbata est valde : sed tu Domine usquequo. *P.* Quoniam infirmus.

In Quadragesima. [c] *Officium.* Miserere mihi Domine : miserere mihi. ℣. Ecce tempus est : ut miserearis mihi.

Omnia alia ut supra.

Oratio. Miserere mihi Domine ; miserere mihi : et ne me infirmitas afferat in mortem. Sana me Domine : ut anima turbata per culpam sit tranquilla per gratiam : effunde medicinam egroto : et veniam presta delictis. ℟. *Chorus.* Amen.

Dicat Presbiter. Per misericordiam tuam Deus noster : qui es benedictus ; et vivis : et omnia regis in C secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lectio libri [d] *Esaye Prophete (Cap. XXXVIII).*

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Egrotavit Ezechias Rex usque ad mortem : et introivit ad eum Esayas filius Amos [e] prophete et dixit. Hec dicit Dominus Deus. Precipe domui tue : quia morieris enim : et non vives. Qui convertit faciem ad parietem : et oravit Dominum dicens. Obsecro Domine : memento mei : quomodo ambulaverim coram te in veritate : et corde perfecto : et quod placitum est coram te fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno. Et antequam egrederetur Esayas mediam partem atrii : factus est sermo Domini ad eum dicens. Revertere : et dic Ezechie D duci populi mei : Hec dicit Dominus Deus David patris tui. Audivi orationem tuam : et vidi lachrymas tuas : et ecce [f] sanavi te : et adjiciam super dies tuos quindecim annos [g] et sanabo te : et de manu Assiriorum protegam te : [h] dicit Dominus exercituum. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

[i] *Psallendo.* Exaltabo te Domine : quoniam suscepisti me. Nec delectasti inimicos meos super me. ℣. Domine Deus meus clamavi ad te : et sanasti me : et eduxisti ab inferis animam meam : salvasti me a descendentibus in lacum.

Dicat Presbit. Silentium facite.

Sequentia Epistole Jacobi Apostoli ad duodecim tribus ([j] *Cap. V*).

℟. Deo gratias.

Charissimi. Tristatur aliquis vestrum : oret eq o animo : et psallat. Infirmatur quis in vobis : inducat Presbyteros Ecclesie : et orent super eum : ungentes eum oleo [k] sancto in nomine Domini : et oratio fidei B salvabit infirmum : et allevabit eum Dominus. Et si in peccatis sit : remittentur ei. ℟. Amen.

453 *Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum* ([l] *Cap. VIII*).

Illo in tempore. Cum venisset Jesus in domum Petri : vidit socrum ejus jacentem : et febricitantem. Et tetigit manum ejus : et dimisit eam febris. Et surrexit : et ministrabat ei. Vespere autem facto obtulerunt ei multos demonia habentes : et ejiciebat spiritus verbo : et omnes male habentes curavit. ℟. *Chorus.* Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

[m] *Lauda.* Alleluja. ℣. Veniat super me misericordia tua Domine : salutare tuum secundum eloquium tuum. ℟. Alleluja.

In Quadragesima. [n] *Lauda.* Laudabo nomen Dei mei cum cantico : et magnificabo eum in laude.

[o] *Sacrificium.* Deprecatus est populus faciem Dei : et exaudivit illum Dominus : et dedit ei salutem : et immolavit Sacerdos holocaustum matutinum in odorem suavitatis : alleluja.

In Quadragesima. Sacrificium. Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.

Missa. Valde quidem pavescimus Domine : ne inlata nobis temporalis ad purgationem non expiet ultio : dum murmurare non pertimescimus in flagello. Sed quia peccatis ingruentibus obcecamur : tu corda nostra inradia afflatu intime visionis : quo et juste nobis a te credamus penas infligi : et cruciatione inlati supplicii : ab omnibus mereamur criminibus expiari. Specialiter quoque te quesumus omnipotens Deus pro famulo tuo N. ut quia culpas atque errata sua ante altare tuum aperit : criminis beneficium sentiat corrigendi. ℟. Amen.

[a] *De uno infirmo.* In Missali Toletano est missa *pro infirmo propinquo morti.*

[b] *Officium.* Ps. VI, 3. ℣. Ibid., 4.

[c] *Officium.* Ps. LVI, 2. ℣. Ps. CI, 14.

[d] *Esaye Prophete cap. XXXVIII.* Lege *IV Regum* XX, 1 6.

[e] *Prophete.* Vulg., *propheta.*

[f] *Sanavi te.* Addit Vulgata : *Die tertio ascendes templum Domini.*

[g] *Et sanabo te.* In Vulgata non exstant, et quæ sequuntur paulo aliter ibidem leguntur.

[h] *Dicit Dominus.* Hic finis imponebatur lectioni.

[i] *Psallendo.* Ps. XXIX, 2. ℣. Ibid., 3, 4

[j] *Cap. V.* Vers. 13-16.

[k] *Sancto.* Hæc vox Vulg. et Gr. deficit.

[l] *Cap. VIII.* Vers. 14, 17.

[m] *Lauda.* Ps. CXVIII, 41.

[n] *Lauda.* Ps. LXVIII, 31.

[o] *Sacrificium.* Ps. L, 19.

Alia Oratio. Jesu Salvator humani generis : qui corpus in te suscipiens nostre mortalitatis : alios ad purgationem feriendo castigas : alios ad damnationem flagellando reservas. Te suppliciter quesumus : et humili devotione precamur : ut famulum tuum N. quem egritudinis molestia quassat : pietatis tue miseratio resecatum absolvat. Da ei Domine : quicquid pietati tue deliquit in seculo : totum in eo puniat inlata correptio. Dolorum ejus ac febrium : ita sana discrimina : ut cum his etiam ejus aboleantur piacula. Non indurando pena coerceat reum : sed absolvat miseratio jam prostratum. Mitiga in eo Pater et Domine estus febrium : putredines ulcerum : contractiones nervorum : atque cunctarum cruciationes infirmitatum. Sit in eo quesumus ita respectus pie parcentis : ut nec infirmitatum ulterius saucietur stimulis : nec penam post transitum sentiat de commissis. ℟. Amen

Post nomina. Oratio. Deus in cujus libro sunt vocabula renotata mortalium : concede nobis omnibus veniam delictorum. Et presta nobis famulis tuis : ut famulum tuum N. quem immensus languor excruciat : miseratio tua reparet ad medelam. Et cui ambitio piaculi adduxit dolorem : adducat etiam confessio salutis optabilem sanitatem. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Pacem tuam quesumus Domine infunde visceribus nostris : qui eam discipulis tuis commendasti ascensurus in celos. Quo ita cor nostrum satietate tue abundet dulcedinis : ut charitate Sancti Spiritus affluentes : tolerabiliter sustineamus in hoc corpore pro nostris criminibus inlata flagella : cum te recogitaverimus sustinuisse pro impiis crucis dura exitia. ℟. Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere : Domine sancte Pater omnipotens Deus : qui sic humanum genus et in hoc corpore tribulationis censura conteris : [a] in edificio illo patrie celestis : nec securis habeat quod remordeat : nec ascia quod contundat. Non tribulatio quod exurat : non infirmitas quod excoquat. Non adtritio quod deprimat : non molestia quod consumat. Non periculum quod perimat. Non adversitas quod distendat. Non casus quod dirmat : non coangustiatio quod obstrudat. Quod hic diversus est adversitatibus extra contusus : atque expiatus homo [b] erroribus : merito jam ibi purus purum videat Deum. Quo ornamentis civitatis ipsius mereatur affigi post transitum : **454** habens locum sibi a Deo solius glorie preparatum. Pro quo te poscimus sancte Pater omnipotens Deus : ut famuli tui N. culparum nodositates expurges : et cunctas egrimoniorum molestias expies. Removeantur ab eo febres corporum ad salutem : et moriantur in eo voluntates proprie : ad libidinis evacuandam perniciem. Expelle ab eo ferocissimos corporum morbos : egrimoniorum virulenta pericula : contractiones febrium : atque universarum molestiarum pernici sa discrimina. Sicque cum eo [c] misericordia consilii age : ut et hic illum infirmitas a lapsibus viciorum expurget : et reparatio visitationis tue quantotius corroboret ad salutem. Expolietur criminibus in atritione flagelli : et vestiatur virtutibus in expiatione delicti. Da ei Domine : ut quicquid temporaliter flagellatur in corpore : perpetuam ei proficiat ad salutem. Da ei tolerandi tuis in persecutionibus votum : ut tolerantie sue perficiat fructum. Sitque ei amabilius pro admissis criminibus : in carne sustinere penuriam : dum hoc sibi opitulari crediderit ad coronam. Ut feliciter peragens hujus vite excursum : ad te perveniat in ablutione peccaminum : sortemque capiat in terra viventium. Preconia tibi depromat laudum : cum omni milicia Angelorum ita proclamans : atque dicens. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus : Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui ideo delinquentibus occasionem tribuit corrigendi : ut non sit in eis quod puniat censura judicii. Ob hoc te per ipsum pie Pater exposcimus : ut hoc accipias pro sacrificio laudis : quod famulus tuus N. adteritur virga correctionis. Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Sana quesumus Domine vulnera famuli tui N. egritudinem perime : peccata dimitte. Oblationem suscipe : et sic eum flagella in seculo : ut post transitum Sanctorum mereatur adjuvari consortio. ℟. Amen.

Ad confractionem panis Ant. Domine si vis : potes me salvare.

Ad Orationem Dominicam.

Deus in cujus manu est correctionis [d] judicium : et salvationis ac misericordie votum : quique flagellas peccatores . ut redeant : et occasionem admonendi tribuis ne recedant. Presta nobis quesumus supplicibus tuis : ut eo momento famulo tuo N. integritas salutis a te dirigatur e celis : qua fide : quo fomento nos proclamaverimus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Omnipotens Deus : qui fidelissimum famulum suum N. corporali corripit vulnere : ipse vos et illum a corporis mentisque egritudinibus expiet. ℟. Amen. Quique nostram in se suscepit infirmitatem : ipse vobis et illi tribuat tolerantie sine fine mercedem. ℟. Amen. Sicque omnes in commune ejus pietas foveat : ut nec correptione nostra salus doseviat : nec desperatione infirmitas inlata succumbat. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Require in festo corporis Christi. fo.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine : te lau-

[a] *In edificio.* Forte, *ut in ædificio.* Vide librum Pastoris.

[b] *Erroribus.* Lege *ab erroribus.*

[c] *Misericordia.* Lege *misericordiæ.*

[d] *Judicium.* Forte, *indicium.*

damus Domine alleluja : alleluja : alleluja. *In Quadragesima.* Qui venit ad me.

Com. Repletum est gaudio. *Quere in I. hebd. Quadragesime. fo.* 98.

Oratio. Corpus Domini nostri. *Quere in I. Missa omnimoda. Et similiter omnia alia. fo.* 443.

Missa [a] *pro Infirmis.*
[b] *Officium.*

Salvos nos faciat dextera tua : alleluja : et exaudi nos Domine Deus noster : alleluja : alleluja. ℣. Ad te levamus oculos nostros : qui habitas in celis. *P.* Et exaudi nos. ℣. Gloria et honor Patri. *P.* Et exaudi.

Oratio. Miserere nobis Domine : miserere nobis : et quia tibi soli peccavimus : indulgentiam criminum et remissionem omnium peccatorum a te consequi B mereamur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Hieremie Prophete ([c] *Ca. XXIX*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Ecce ego visitabo vos : et suscitabo super vos verbum meum bonum : et reducam vos ad locum istum. **455** Ego enim scio cogitationes : quas cogito super vos : ait Dominus. Cogitationes pacis : et non afflictionis : ut dem vobis fidem et patientiam : et invocabitis me : [d] et timebitis me : et exaudiam vos. Querite me : et invenietis : cum quesieritis me in toto corde vestro : inveniar a vobis : ait Dominus omnipotens. ℟. *Chorus.* Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. C ℟. *Chorus.* Et cum.

[e] *Psallendo.* Salva plebem tuam : et benedicito hereditatem tuam Domine. ℣. Et rege eam : et extolle usque in eternum.

Dicat Presb. Silentium facite.

Lectio libri Actuum Apostolorum ([f] *Ca. V*).

℟. Deo gratias.

In diebus illis : augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum : ita ut in plateis ejicerent infirmos : et imponerent in lectulis et grabatis : ut veniente Petro saltim umbra illius obumbraret quempiam eorum. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum in Hierusalem afferentes egros et vexatos ab spiritibus immundis : qui D curabantur omnes. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mattheum ([g] *Ca. IV*).

Illo in tempore : Dominus noster Jesus Christus circumibat civitates et omnia castella : docens in sinagogis eorum : et predicans Evangelium regni : A et curans omnem languorem : et omnem infirmitatem in populo. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[h] *Lauda.* Alleluja. ℣. O Domine salvos nos fac : o Domine bene prosperare.

[i] *Sacrificium.* Deprecatus est. *Quere in Missa de uno infirmo. fo.* 452.

Missa. Domine Jesu Christe : qui es verus medicus : et medicina celestis propiciare nobis : et fer opem nobis. Sana Domine omnem languorem : et omnem infirmitatem in populo. Aufer a nobis : et animarum et corporum morbos : pestes et valetudines universas absterge : causisque etiam vulnerum propiciatus occurre. Ut dum iniquitates avertis : egritudines cures.

℟. Amen.

Alia Oratio. Corripe nos Domine in misericordia : et non in furore : qui et corripiendo parcis : et parcendo remittis : et miserando convertis. Ut et correctione tua corrigamur : et indulgentia consolemur : ut et disciplina erudiamur : et medicina sanemur. Ut et fervore castigemur : et pietate salvemur. Placeat ergo tibi Domine : liberare nos famulos tuos N. et parcendo corrigere : ac corripere : non perdere nos.

℟. *Chorus.* Amen.

Post nomina. Oratio. Recursis nominibus offerentium fratres dilectissimi : preces fundamus ad Dominum : ut oblatio : que offertur in sanctis : proficiat ad salutem infirmis : baptismate recreatis. Tuam vero Domine clementiam exoramus : ut omnes metu territos : inopia afflictos : tribulatione vexatos : morbis obrutos : suppliciis deditos : debitis obligatos indulgentia tue pietatis absolvat.

℟. *Chorus.* Amen.

Ad pacem Oratio. Miserere nobis Domine : miserere nobis : dum non miseria miseros consumere : sed misericordia liberare festinas. Nec dum delicta absorbere : sed expiare peccatores intendas. Sentiamus Domine manum tuam medentem : potius quam percutientem. Foventem magis : quam ferientem : ut sic presentia adhibeas flagella : ut supplicia arceas sempiterna. Atque famulos tuos N. pietate paterna corripias : non abjicias : erudias : non confundas. Tribuasque propicius cunctis : peccatorum ac temporum pacem : et egris integerrimam ac plenissimam sanitatem. ℟. *Chorus.* Amen.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum.

[a] *Pro infirmis.* In Sacramentario Bobiano exstat missa pro ægrotis, et in Gelasiano missa pro infirmis.

[b] *Officium.* Ps. LIX, 7; CVII, 7. ℣. Ps. CXXII, 1.

[c] *Cap. XXIX.* Vers. 10-14.

[d] *Et timebitis* Vulg., *et ibitis et orabitis me. LXX : Et orate ad me et ego exaudiam vos.*

[e] *Psallendo.* Ps. XXVI, 9. ℣. Ibid. Vulgata legit : *Salvum fac populum tuum Domine, et benedic hæreditati tuæ.*

[f] *Cap. V.* Vers. 22. In Bobiano deficit prophetia, Epistola legitur ex Jacobi apostoli ad gentes, V, 14-19, paucis omissis.

[g] *Cap. IV.* Vers. 22. In Bobiano legitur ex Luca IV, 38-41.

[h] *Lauda.* Ps. CXVII, 25.

[i] *Sacrificium.* Ps. L, 19.

tum tuum Dominum nostrum. Qui peccata nostra portavit in corpore suo super lignum : cujus vulnere sanati sumus. Cujus adtactu vis febrium mox recessit : cujus sermone confestim surdus audivit : cujus jussu mutus fari non distulit : claudus cucurrit : cecus vidit : egrotus relevatur : debilis stetit : surdus sincere audit : laxavit nervos aridus : aquosum alvum desiccavit hidropicus : lectulum in quo jacebat detulit paraliticus : luridam cutem amisit leprosus : surrexit de sepulchro quatriduanus. Per ipsum te, ergo Domine cum lachrymis postulamus : ut sacrificii hujus oblatione placatus acceptes : **456** et peccantibus veniam : et languentibus conferas medicinam. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus. Vere sanctus : vere benedictus : Dominus noster Jesus Christus filius tuus. Qui languores nostros ipse portavit : et medicamentum nobis ex crucis sue confixione adhibuit. Quique solus valet fovere languida : exhilarare tristia : et sanare infirma. Christus Dominus ac redemptor noster eternus.

Post pridie. Oratio. [a] Credimus Jesu Christe : te esse omnium salvatorem. Ob hoc petimus : ut sacrificia nostra placatus accipias. Et egritudinum morbos propiciabili medicina repellas. ℟. Amen.

Ad confractionem panis. Ant. Virtus nostra Do- A mine esto firmamentum infirmis : esto refugium et liberator oppressis.

Ad Orationem Dominicam.

Christe Domine : qui es medicus salutaris : tribue languidis famulis tuis subsidium medicine celestis. Ut dum corde vel corpore valemus : incolumes cum fiducia tibi proclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Salutiferam vobis Dominus de regnis celestibus dirigat medicinam. ℟. Amen. Precibus vestris optimus suffragator occurrat : vestraque desideria pius in bono suscipiat. ℟. Amen. Omnia mala a vobis aufferat : et quecunque sunt bona : vobis vestrisque concedat. ℟. Amen. Per miseri- B cordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate. *Quere in festo corporis Christi. fol.* 267.

Com. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine : alleluja : alleluja : alleluja. *In Quadragesima.* Qui venit ad me.

Com. Repletum est gaudio. *Quere in I. hebd. Quadragesime. fol.* 98.

Com. Corpus Domini nostri. *Quere in I. Missa votiva omnimoda. fol.* 443.

[b] ***Missa defunctorum et pro*** [c] ***Episcopo.***

Antequam dicat Chorus officium [*] *faciat Presbiter*

[a] *Credimus.* Hæc una est ex illis orationibus *post pridie* in quibus expresse pro elementis consecratis nec oratur, nec benedictio, aut sanctificatio communicantibus impertienda postulatur.

[b] *Missa Defunctorum.* Fideles peculiarem curam circa defunctos semper impenderunt. Abeuntem animam piis precibus Deo commendabant (*Sacramentar. Gelas., lib.* III, *n.* 91 ; *Sacrament. Bobianum, p.* 385), cadaver lavabant (*Act. apost.* IX, 37), sed prius oculos claudebant (*Eusebius Cæs., Hist. eccl. l.* VII, *c.* 22), corpus frequenter aromatibus condiebant. Hinc illud Tertulliani (*Apol. c.* 42) : *Sciant Sabæi pluris et carioris suas merces christianis sepeliendis profligari quam diis fumigandis.* Lotum cadaver linteo mundo involutum arca nonnunquam claudebant, quam pallio tegebant (*Euseb., vita Constantini, lib.* IV, *cap.* 66, 67 ; *Greg. Turon., de Glor. confess., cap.* 106 ; *Prudentius Cathemer. hym.* 10). Frequenter suis vestibus indutum in feretro decenter componebant (*Greg. Turon., Glor. confes., cap.* 35). Pauperibus vestem qua decenter induerentur opulentiores fidelium dabant (*Hier., epitap. Paulæ*). Circa feretrum lumina accendebantur (*Act. S. Cyprian.* : *Euseb., Vita Const., lib.* IV, *cap.* 66), et psalmi hymnique decantabantur (*S. August., Confess. l.* IX, *c.* 12). Gregorius Turonensis (*Hist. Franc. lib.* VII, *c.* 1), de Salvio abbate agens : *Corpus defuncti aqua diluunt, vestimentis induunt, feretro superponunt, atque psallentio et fletu labentem exigunt noctem.* Antequam cadaver ad sepulcrum deferrent, pro animæ requie preces fundebant (*Sacram. Gelas. lib.* III, *n.* 91), nonnunquam missam celebrabant (*Theodor. Cantuar., capit. select., cap.* 90). Ad sepulcrum amici, viri honesti, et dignitate conspicui, corpus defuncti (*S. Gregor. Nyssen., orat. de sancta Macrina*) gerentes, cum psalmis et hymnis ad tumulum deferebant (*Vict. Vit., de Pers. Vand., lib.* I, *cap* 5 ; *concil. Tolet.* III, *can.* 22 ; *Theod. Cantuar., ibid.*), cum lampadibus etiam et accensis cereis concomitabantur (*S. Gregor. Nazianz., or.* 2 *in Julian.* ; *S.* C *Chrysost., hom.* 4 *in Epist. ad Hebr.* ; *Baudonivia, in Vita S. Radegundis, apud Mabillonium, sæc.* I *Benedict.*). Suorum cadavera Christiani nunquam rogo tradebant, sed integra terræ mandabant : rati scilicet ea *non mortua, sed data somno*, ab Apostolo edocti defunctos non appellare *mortuos*, sed *dormientes*. Neque in paganorum, hæreticorum aut judæorum sepulcris (*S. Cyprian., epist.* 69) defunctos suos sepeliebant (quibus enim vivis non communicamus, nec mortuis communicare fas est), sed in cœmeteriis et monumentis propriis, sacerdotis prece antea consecratis, sepeliebantur (*Gregorius Turonensis, de Glor. confess., cap.* 106). Primis sæculis, neque in ecclesiis, neque intra urbes, mortuos sepelire fas erat, paucis exceptis (*Conc. Bracar.* XI, *can.* 18 ; *Theod. Cantuar., cap.* 68). Deinde mos invaluit non modo in urbibus, sed in ipsis ecclesiis tumulandi mortuos, imo sub ipso altari episcopi aliquando sepulti sunt (*S. Ambros., epist.* 22, *Marcellinæ sorori* ; *Pulcheria Augusta, epist. ad S. Leonem* 58, *inter epistolas S. Leonis, Ed. nov.*). Ad sepulcrum cum D pervenissent, antequam humo traderetur corpus, iterum pro anima orabant (*Sacram. Gelas., lib.* III, *n.* 91). Deinde in sepulcro corpus collocabant, et rursus orabant (*Sacram. Gelas., ibid.* ; *Theodorus Cantuariensis, cap.* 90, *apud Dacherium, Spicil. tom. IX*). Deinde vel tabula marmorea, vel regula, lapide, vel humo corpus tegebant (*Theod. Cantuar., ibid.*). Habebatur etiam, in illustrium virorum funere, oratio funebris. Istiusmodi orationum plures exstant

[c] *Episcopo.* Ad funus episcopi ducendum convenire debebant omnes episcopi ejus provinciæ (*Concil. Tol.* VII, *can.* 3 ; *conc. Valent., can.* 4 ; *Aurelianen.* II, *can.* 5). In Lectionario Luxoviensi *exstant legenda in depositione episcopi.* In Sacramentario Bobiano est *missa sacerdotis defuncti*, episcopi nimirum, et in Gelasiano sunt binæ missæ *pro defuncto sacerdote*, quæ sunt ambæ de episcopo.

confessionem : et facta confessione ascendat ad Altare : et dicat alta voce in medium altaris. [a] Erigite vos. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Et tunc incipit Chorus officium modo ut supra.

[b] *Officium.*

Tu es portio mea : Domine : [c] alleluja. In terra viventium : alleluja. alleluja. ℣. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. *P.* In terra. ℣. Gloria et honor Patri. *P.* In terra.

In Quadragesima. [d] *Officium.* Clamavi ad te Domine : et dixi : tu spes mea es : portio mea in terra viventium. ℣. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. *P.* Portio mea. ℣. Gloria et honor Patri

Dicat Presbiter. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

Oratio. Consolare Domine animam famuli tui Episcopi N. patris nostri : pro cujus memoria obtulimus munera hujus sacrificii. Ut sicut Christo filio tuo Domino nostro militavit in carne : cum Sanctis omnibus resurgat in gloriam sempiternam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

exstant; et die depositionis missa pro requie defuncti celebrabatur, consuetudine ab apostolorum ævo deducta (*S. Isidorus, de Off. eccl. l.* I, *c.* 18). Tertullianus (*de Coron.*, *c.* 3) inter ea quæ a traditione non scripta profecta erant recenset *oblationes pro defunctis.* Missas defunctorum sanctus Cyprianus (*Epist.* 66, *ad Fornitanos*) appellat *sacrificium pro dormitione.* Illud autem sacrificium pro anima Magni Constantini oblatum fuisse, die depositionis ejusdem, aperte scribit Eusebius (*De Vit.*, *l.* IV, *cap.* 71). Primus omnium qui commemorationes defunctorum ad altare fieri solitas, aliaque pia opera quæ pro iis a fidelibus frequentantur, tanquam inutilia damnare ausus est, Aerius dicitur (*Epiph.*, *hær.* 75), quamvis eamdem pravam doctrinam referat sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Cat. myst.* 5), eamque serio confutet, cum de memoria mortuorum quæ in missa fit agit. Præter orationem pro defunctis, quæ, in omnibus tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesiæ liturgiis, toties funditur quoties liturgia sacra peragitur, in libris liturgicis Græcorum et Orientalium, in Missalibus et Sacramentariis vetustissimis Romanæ aliarumque Latine loquentium Ecclesiarum, exstant missæ peculiares defunctorum. Hujusmodi missæ in Missali Mozarabum, in Sacramentario Bobiano, in Lectionario Luxoviensi, in Sacramentariis sancti Leonis, Gelasii et Gregorii inveniuntur. Illud tamen discriminis inter missas mortuales Latinorum et Orientalium observatur, quod missæ defunctorum in Missalibus Latinis, præter ritus quosdam proprios, lectiones Scripturarum, orationes, antiphonas, illationes, præfationesque (nam et peculiares defunctorum præfationes in libris liturgicis antiquis Romanæ Ecclesiæ reperiuntur), proprias habent; at Græcorum et Orientalium missæ mortuales, præter lectiones Scripturarum quas proprias habent, a communi liturgia non secernuntur. Sic Græci, v. g., pro mortuis eamdem liturgiam sancti Chrysostomi peragunt, quam diebus Dominicis et festis recitant, nisi quod lectiones sint propriæ mortuorum, et quod in prima oblatione, quæ in prothesi fit, particula pro defuncto, de quo agunt, post particulas sanctorum (μερίδας appellant) abscindatur et offeratur (*Leo Allatius, De recentior. Græc. templis, pag.* 154). Jam vero antiquitus in Occidente missa pro defuncto celebrabatur die depositionis, tum die exinde tertia, septima et trigesima, et anniversario. Sacramentarium Gelasianum (*Lib.* III, *n.* 105) : *Item missa in depositione defuncti, tertii, septimi,* XXX *dierum, vel annualem.* Theodorus Cantuariensis (*Capit. select.*, *cap.* 37, 60) de missa die depositionis, tertio, nona et trigesima die pro mortuis agenda meminit. De missa quæ, recurrente anno, offerri solebat pro defunctis, Tertullianus (*De Monogam.*, *cap.* 10) loquitur : *Enimvero pro anima ejus* (mariti) *orat* (uxor superstes), *et refrigerium interim adpostulat ei, et offert annuis diebus dormitionis ejus.* Rursum (*Lib. Exhort. ad castit.*) dixit : *Pro qua annuas oblationes reddas.* At Orientales præter diem depositionis, et anniversarium, tertium, nonum, et quadragesimum celebrant, quibus diebus auctor Constitutionum apostolicarum (*Lib.* VIII, *c.* 42) pro defunctis liturgiam celebrandam docet. Non deerant tamen qui quotidie pro defunctis missas celebrari curabant : horum e numero erat mulier illa de qua Gregorius Turonensis (*Lib.* I *de Glor. confess.*, *cap.* 65) : Quæ *per annum integrum celebrans quotidie Missarum solemnia, offerebat oblationem pro memoria viri sui.*

[a] *Erigite.* Olim utique diaconus dicebat *erigite vos*; et continuo populus, qui prostratus pro defuncto orabat, erigebat sese ; tum sacerdos : *Dominus sit semper*, etc., quod ex vetusta consuetudine profectum est; olim enim sacerdos ubi ad altare ascenderat primum omnium populum salutabat, eidem solemni more beneprecando, et populus sacerdoti pariter beneprecabatur respondendo. Hujus ritus meminit sanctus Augustinus (*De Civit. lib.* XXII, *cap.* 8, *n.* 22); et hinc in fine introitus, Romanus sacerdos antequam ad altare ascendat, dicit *Dominus vobiscum*, etc. *Oremus. Aufer a nobis*, etc.

[b] *Officium.* Ps. CXLI, 6. ℣. Ibid., 8.

[c] *Alleluia.* Galli quoque antiquitus in missis defunctorum *Alleluia* canebant (*Baudonivia, in Vita sanctæ Radegundis, apud Bolland., tom. III. August., pag.* 82). Idem apparet ex officio pro defunctis, quod ex Codice Rhemensi edidit Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorianum (*Pag.* 60), ubi, ut præscribit rubrica, *in primis canitur psalmus* IN EXITU ISRAEL *cum antiphona, vel alleluia, deinde has orationes canit presbyter.* Orationes autem illæ eædem integræ exstant in Sacramentario Gelasiano em. Thomasii (*L.* III, *n.* 91), et earum prima exstat in Sacramentario Bobiano *inter orationes ad defunctos.* Græci pariter in Officiis Defunctorum *alleluia* frequenter ingeminant (*Euchol. Græc. Goarii, pag.* 326), apud quos *alleluia* in Quadragesima quoque canitur. Hinc Goarius (*Pag.* 305, *in notis ad Euchol.*) opinatus est *alleluia* Græcis non lætitiæ cantum esse, ut apud Latinos, *sed mæroris et compunctionis.* Verum quidquid sentiendum sit de Græcis, certe apud Gotho-Hispanos Gallosque *alleluia* cantus lætitiæ erat, quamvis in exsequiis mortuorum canebatur; ii enim, admonitionis Apostoli memores (*Thess.* IV, 12), de morte charorum suorum non tristabantur, utpote qui spem certam de Resurrectione conceperant; quin potius lætabantur eos cursum suum pie ac laudabiliter in pace Ecclesiæ catholicæ terminasse; hinc in officiis defunctorum *alleluia* canebant. Nec in Hispania tantum, Gallia et Græcia, sed etiam Romæ hic mos olim obtinuit, teste sancto Hieronymo (*Epist.* 78, *Ed. Veron.*), in epitaphio Fabiolæ : *Quantum haberet viventis Fabiolæ Roma miraculum in mortua demonstravit : necdum spiritum exhalaverat, necdum debitam Christo reddiderat animam, et jam :*

.....fama volans tanti prænuntia luctus,

totius Urbis populum ad exsequias congregabat, sonabant psalmi, et aurata templorum tecta reboans sublime quatiebat ALLELUIA.

[d] *Officium.* Ps. CXLI, 6. ℣. Ibid., 8.

Lectio Libri Job ([a] *Cap. VII*).

℟. Deo gratias.

In diebus illis. Locutus est Job dicens. Induta est caro mea putredine : et sordibus pulveris cutis mea aruit : et contracta est. Dies mei velocius transierunt : quam a texente tela succiditur : et consumpti sunt absque ulla spe. Memento quia ventus est vita mea : nec revertetur oculus meus ut videat bona : nec aspiciet me visus hominis. Breves dies hominis sunt : numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus : qui preteriri non poterunt. Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me : et abscondas me : donec pertranseat furor tuus : et constituas mihi tempus in quo recorderis mei : [b] et erit requies mihi. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[c] *Psallendo.* Domine exaudi me in tua justicia. *P.* Et ne intres in judicio cum servo tuo. ℣. Expandi manus meas ad te Domine : anima mea velut terra sine aqua : cito exaudi me Domine. *P.* Et ne intres.

Dicat Presb. Silentium facite.

Lectio Epistole Pauli Apostoli ad Thessalonicenses. ([d] *Cap. IV*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Nolumus vos ignorare de dormientibus : ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent. Si enim **457** credimus quod Jesus mortuus est : et resurrexit : ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum : adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini : quia nos qui residui sumus in adventum Domini : non preveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de celo : et mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus qui relinquimur : simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera : et sic semper cum Domino erimus. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem. ([e] *Ca. XI*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Amen amen dico vobis. Ego sum resurrectio et vita : qui vivit et credit in me : etsi mortuus fuerit : vivet. Et omnis qui vivit et credit in me : non morietur in eternum. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[f] *Lauda.* Alleluja. ℣. Animam quiescentem de inferno erue Deus : paradiso restitue : alleluja.

[g] *Sacrificium.* Averte Domine faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas dele : alleluja.

In Quadragesima. [h] *Lauda.* Laudabo nomen Dei mei cum cantico : magnificabo eum in laude.

[i] *Sacrificium.* Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum : et humiliatum Deus non despicies.

Missa. [j] Kyrieleison. *Chorus respondeat.* Christeleison. Kyrieleison. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus : tuam clementiam flagitamus propter animam famuli tui Episcopi N. qui catholicam tenuit fidem : et tibi ministravit : quem de hoc seculo ad eterna secula vocasti : ejus dimitte peccata : vicia solita : ut [k] pietate tua ad immarcescibilem coronam inter Sanctos tuos jubeas eum [l] collocare. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc.

[m] *Alia Oratio.* Deus : in cujus potestate animas omnium esse credimus : deprecamur sanctam clementiam tuam : ut animam famuli tui Episcopi N. in locum Patriarcharum ac Sanctorum virorum adsocies : [n] et nos pro eo tuam majestatem humiliter exoramus : propitius exaudias : ut adjutus pietatis tue suffragio : tribuas ei requiem. Nobisque famulis tuis remissionem peccatorum cum eo concedas. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Ineffabilem clementissime Pater tuam deprecamur clementiam : et pietatem : ut animam famuli tui Episcopi N. pro quo hodierna die ante tuum venerabile altare exoramus : ut digneris eum in libris celestibus adscribere : et siqua sunt ab eo contracta vicia : ab oculis absterge : simulque nostrorum defunctorum animabus requiem tribue : et cum Sanctis omnibus dona capere permitte. Ut cum die illo clementissimus unigenitus filius tuus Dominus

[a] *Cap. VII.* Vers. 5-8; XIV, 5-13. In Luxoviensi prophetia legitur ex Isaia XVI, 2-23. In Bobiano nulla est prophetia.

[b] *Et erit requies mihi.* Sunt verba quibus finis imponitur lectioni.

[c] *Psallendo. Ps.* CXLII, 1, 2. ℣. Ibid., 6.

[d] *Cap. IV.* Vers. 12-17. Eadem lectio legitur in Bobiano *in depositione sacerdotis*; sed per errorem inscribitur *Epistola Pauli ad Titum.* Eadem tempore sancti Augustini in missis defunctorum in Africa legebatur, ut serm. 175 innuit. In Luxoviensi legitur *I Cor.* XV, 1-22.

[e] *Cap. XI.* Vers. 25, 26. In Luxoviensi legitur Joan. VI, 49-69. In Bobiano Joan. V, 24-30.

[f] *Lauda.* Hæc Lauda e Scriptura Sacra desumpta non est.

[g] *Sacrificium.* Ps. L, 11.

[h] *Lauda.* Ps. LXVIII, 5.

[i] *Sacrificium.* Ps. L, 19.

[j] *Kyrie.* Olim, quando diaconus preces fidelium recitabat, populus ad singulas petitiones aut *Kyrie eleison*, aut *Christe eleison*, respondebat; hujus vetusti ritus reliquiæ sunt *Kyrie* et *Christe eleison* quæ hoc loco dicuntur.

[k] *Pietate.* Lege : Vitia *solita pietate tua ablue, et ad immarcescibilem*, etc.

[l] *Collocare.* Lege *collocari*.

[m] *Alia oratio.* Postquam oratio *missa* recitata est, dicit sacerdos *Per misericordiam Dei nostri*, etc., ut subsequuntur preces quæ incipiunt *Agios*, etc. Vide, supra, in libro omnium offerentium. Jam vero docet Roblesius in missis defunctorum non recitari illud *agios, agios, agios*, etc., sed, his omissis, sacerdotem dicere *Ecclesiam sanctam, catholicam*, etc., sed de hac rubrica silet Missale.

[n] *Et nos pro eo.* Lege : *Et nos, qui pro eo.*

noster Jesus Christus venerit : eum ab omni scelere criminum purificatum inveniat. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Te supplices deprecamur omnipotens Deus pro anima famuli tui Episcopi N. qui in dominica pace predecessit : ut anime de seculo cedenti lucida pax tribuatur. Beatis quoque cetibus Sacerdotum et gaudiis interesse mereatur [a] continue : et cum illis videre Domini nostri Jesu Christi majestatem. ℟. Amen.

Dicat. Presb. Quia tu es vera pax nostra : et charitas indisrupta : qui vivis tecum et regnas cum Spiritu Sancto unus Deus in secula seculorum. ℟. Amen.

Hic [b] *Sacerdos ponat manus super calicem et dicat.* Aures ad Dominum. *Chorus respondeat.* Habemus ad Dominum. *Elevet manus de super calice et dicat.* Sursum corda. ℟. *Chorus.* Levemus ad Dominum. *Statim dicat.* Deo ac Domino nostro Jesu Christo. *modo ut scriptum est in omnium Offerentium. fol.* 22[v].

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens Deus : nos tibi gratias agere : spiritualiaque sacrificia celebrare in omni tempore : vel in hoc die : quod tibi offerimus pro anima famuli tui Episcopi N. [c] qui es Sacerdos verus et Pontifex sempiternus. Qui auxilium fidei tribuis : et spei premium donas. Qui firmas dubios : et patefacis obscura. Qui per unigenitum tuum Dominum nostrum Jesum Christum hec omnia operaris : et ab inferno inferiori animas omnium ad lucem eternam adtrahis : **458** per ipsum te obsecramus omnipotens Deus : ut Episcopus tuus N. habeat veniam delictorum : et dimitte crimina et ejus peccata : ut justicie induatur coronam. Ut mundatus ab omni crimine : diem judicii cum gaudio [d] suscipere mereatur intrepidus. Presta Domine : quia te conlaudant Angeli : atque Archangeli non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

A *Post Sanctus dicat Presbiter alta voce.*

Osanna in excelsis. Vere sanctus : vere benedictus : et gloriosus Dominus noster Jesus Christus. Qui promissionum suarum bonis : eternorum nobis gaudia patefacit : et vivere post obitum animas fidelium protestavit Christus Dominus ac redemptor eternus.

Dicat Presb. post pridie alta voce.

Oratio. Suscipe et sanctifica omnipotens hanc hostiam : quam pro anima Sacerdotis tui Episcopi N. tibi offerimus : ut sacrificii oblatio ad refrigerium anime ejus et gaudium : te miserante proveniat. ℟. Amen.

[e] *Hic Presb. discooperiat calicem : et accipiat corpus Domini : et ponat super calicem : et dicat.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Et statim* [f] *ostendat populo corpus Domini. Et chorus respondeat.* ℟. *Scilicet.* Requiem eternam.

Ad confractionem panis. ℟. Requiem eternam det tibi Dominus : lux perpetua luceat tibi : et repleatur splendoribus anima tua : et ossa tua reviviscant de loco suo.

Ad Orationem Dominicam.

Precamur Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus pro famulo tuo Episcopo N. Sacerdote tuo defuncto : ut eum ab omnibus piaculis liberatum : in illa tibi placentium Sacerdotum numerositate adscribas : et eorum illic coram te societate letetur : quem hic paris cura regiminis habuit. *Pater noster.*

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Adsit misericordia tua precibus nostris : ut ex more solito Sacerdotis tui Episcopi N. [g] exempti animam : pietate tua refrigerii rore perfundas. ℟. Amen. Fruatur paradisi amenitate quietis opaca : atque amenis [h] vegetatus in loca nemori-

[a] *Continue.* Lege *continuis.*

[b] *Sacerdos hic ponat.* In missis omnibus Mozarabicis, præter defunctorum, postquam absolutæ sunt oratio *ad pacem*, et, quod proxime subjungitur, ecphonema *Quia tu es vera pax*, sacerdos dicit *Gratia Dei Patris*, etc., et imperat ut pacem faciant, et dum pax datur, chorus canit *Pacem meam*, etc. His peractis, sacerdos, ad altare rediens, dicit *Introibo*, etc.; ac deinde imponens manus calici, dicit *Aures ad Dominum*, etc. Consule librum offerentium. At in missa D defunctorum, dicto *Quia tu es vera pax*, etc., cæteris omnibus omissis, sacerdos imponit manus calici, et dicit *Aures*, etc., et illationem inchoat. Ita Roblesius, et hæ rubricæ Missalis clare docent, et Mozarabes, saltem recentiores, hunc modum tenent. Tamen haud puto Gotho-Hispanum esse hunc ritum, aut Mozarabum antiquiorum; eos enim, etiam in missis mortuorum, sibi mutuo pacis osculum dedisse suadet titulus orationis qui *ad pacem* integer in Missali remansit; at quorsum diceretur *ad pacem* dandam, si pax omnino non detur? Suadet etiam ratio, Gotho-Hispanos in missis defunctorum *pacem fecisse*; nam in illis missis communicabant, et communioni præmittenda erat pax. Est autem animadvertendum, in orationibus *ad pacem*, quæ in missis defunctorum dicuntur, sublatas esse petitiones illas quæ ad pacem populi pertinebant postquam populus in missis illis pacem facere desiit.

[c] *Qui es Sacerdos.* Est verborum transpositio. Lege itaque : *Vel in hoc die, quo tibi pro anima famuli tui episcopi N. offerimus per unigenitum tuum Dominum nostrum Jesum Christum, qui est Sacerdos verus et Pontifex sempiternus, qui auxilium fidei tribuit, et spei præmium donat, qui firmat dubios et patefacit obscura, per quem hæc omnia operaris, et ab inferno inferiori animas*, etc.

[d] *Suscipere.* Forte *suspicere.*

[e] *Hic Presbiter.* Omisso, scilicet, *Te præstante*, de qua omissione silet Roblesius.

[f] *Et ostendat.* Scilicet, prisco more. Nam olim corpus Domini ostendebatur populo, et ab eo adorabatur, non statim post prolata consecrationis verba, ut modo fieri solet, sed paulo ante communionem, ut supra satis fuse explicavi. In missis autem defunctorum non dicitur Symbolum fidei, quandoquidem eæ antiphonam propriam *ad confractionem* habent.

[g] *Exempti.* Lege *ex hoc vita exempti.*

[h] *Vegetatus.* Lege *vegetata perducatur in loca nemoribus laureata*, scilicet in paradisum. Sic sanctus Paulinus (*Epist.* 32) dixit :

Inter floriferi cœleste nemus paradisi
Stat Christus.

Et (*Ibid.*) de Claro presbytero sancti Martini discipulo dixit *sacro* eum pasci *in nemore*, et de Celso puero (*Poem.* 15) dixit eum *cum Bethleis infantibus*,

lucis laureata. ℟. Amen. Ut in illam te auxiliante veniat regionem : ubi exultans appareat cum exercitu Angelorum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

[a] *Hic dicat Chorus.* Qui venit ad me : non esuriet : qui credit in me : non sitiet unquam. ℣. Ego sum lux mundi : et qui sequitur me : non ambulat in tenebris : sed habebit lucem vite. *P.* Qui venit ad me. ℣. Qui manducat meam carnem : et bibit meum sanguinem : in me manet : et ego in illo. *P.* Qui venit ad me. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Qui vivit et credit in me non morietur in eternum.

Com. Repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra in exultatione.

Oratio. Pietatis immense Pater : et Domine : presta supplicantibus nobis : ut famulus tuus Episcopus N. pater noster : cujus hodie in hoc sacrificio memoriam agimus : ab omni culpe nexu expiatus : indemnis accipiat gratiam premii : pro gratia sacramenti. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anima ejus per misericordiam Dei sine fine requiescat in pace. ℟. Deo gratias.

Missa pro uno* [b] *Sacerdote defuncto.

Officium.

Tu es portio mea. *Require retro in Missa de episcopo fo.* 456. *Hic faciat Presb. ut dictum est retro in Missa pro Episcopo scilicet antequam dicat Chorus Officium.*

Oratio. Deus eterne : quem in veritate fidei sunt anime nostre sitientes : velut terra : animam famuli tui Sacerdotis N. celestis roris perfusione refrigera : quo tristis loci habitatione mutata : superne regionis mereatur jocundari et letari in patria. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Job ([c] *Cap. XIX*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus : locutus est Job dicens. Scio enim quod redemptor meus vivit : et in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursus circundabor pelle mea : et in carne mea videbo Dominum. Quem visurus sum ego ipse : et oculi mei conspecturi sunt : et non alius : reposita est hec spes mea in sinu meo : et hereditas mea in Deo meo. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum ℟. Et cum.

459 [d] *Psallendo.* Domine exaudi me in tua justicia. *P.* Et ne intres in judicio cum servo tuo. ℣. Expandi manus meas ad te Domine : anima mea velut terra sine aqua : cito exaudi me Domine. *P.* Et ne intres.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos ([e] *Cap. XIV*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Nemo [f] vestrum sibi vivit : et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus . Domino vivimus. Sive enim morimur : Domino morimur. Sive enim vivimus : sive morimur : Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est : et resurrexit : ut vivorum et mortuorum dominetur.

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem ([g] *Cap. V*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Amen amen dico vobis. Quia qui verbum meum audit : et credit ei qui me misit : habet vitam eternam : et in judicium non veniet : sed transiet de morte ad vitam. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluja. ℣. Animam quiescentem.

Sacrificium. Averte Domine.

In Quadragesima. Lauda. Laudabo nomen Dei.

Quere retro in Missa de Episcopo. folio 456.

Hic Presbiter dicat. Kyrieleison.

Et Chorus respondeat. Christeleison. Kyrieleison. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Missa. Omnipotens sempiterne Deus : cui nunquam sine spe sempiterne misericordie supplicatur : propiciare anime famuli tui Sacerdotis N. pro qua tibi supplicamus : ut eum qui de hac vita in tui nominis confessione decessit : Sanctorum tuorum numero facias adgregari. ℟. Amen

Alia Oratio. Propiciare quesumus Domine anime famuli tui Sacerdotis N. pro qua tibi supplicamus : et hos ias placationis offerimus. Et quia in hac luce fidei mansit catholice : ejus retributio condonetur in vita futura. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Deus vite dator et humanorum [h] corporum : qui te a peccatoribus exorari voluisti : exaudi preces nostras : quas speciali devotione propter animam famuli tui Sacerdotis N. tibi lachrymabiliter fundimus. Ut liberare eam ab inferorum cruciatibus : et collocare inter agmina sanctorum tuorum digneris. Veste quoque celesti et stola immortalitatis indui : ac Paradisi tui amenitate : eum jubeas confoveri. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Obsecramus misericordiam tuam eterne omnipotens Deus : qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es : ut spiritum et animam famuli tui Sacerdotis N. quem rebus humanis exemptum : ad te accersiri jussisti : blande et misericorditer su-

ab Herode occisis, *in paradiso inter odoratum* ludere *memento*.

[a] *Hic dicat.* Hæc antiphona *ad accedentes* dicitur.

[b] *Sacerdote.* Nimirum pro episcopo.

[c] *Cap. XIX. Vers.* 25 28.

[d] *Psallendo.* Ps. CXLII, 1. ℣. Ibid., 6.

[e] *Cap. XIV.* Vers. 7-10. Eadem lectio in Bobiano legitur in missa *pro defunctis*.

[f] *Vestrum.* Ita etiam in Bobiano. Vulg., *nostrum*.

[g] *Cap. V. Vers.* 24.

[h] *Corporum.* Adde *reparator*.

sceptum in pacis regione jubeas conlocari. Quo omni A labe purgatus peccaminum : beatorum perfruatur sine fine consortio. ℟. Amen.

Hic faciat Presb. secundum quod dictum est in I. Missa de Episcopo. fol. 456.

Inlatio. Dignum et justum est omnipotens eterne Deus : in omnibus judiciis tuis exultare : teque in universis operibus conlaudare. Quamvis etenim humano generi mortis [a] sit inlata conditio : pectora nostra animosque conturbet : clementie tue dono spe future immortalitatis erigimur : ac memores eterne salutis non timemus lucis hujus sustinere jacturam. Quoniam beneficio gratie tue : fidelibus vita non tollitur : sed mutatur. Et anime corporeo ergastulo liberate : horrent mortalia : dum immortalia consequuntur. Unde quesumus : ut famulus tuus sacerdos B N. in beatorum tabernaculis constitutus : evasisse carnales angustias glorietur : diemque judicii fiducia : voto glorificationis expectet : proclamans et dicens. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post sanctus : faciat Presbiter modo ut dictum est in prima missa de Episcopo. folio 458.

Sancte Deus cui omnia vivunt : et cui non pereunt moriendo corpora nostra : sed mutantur in melius. Te supplices deprecamur : ut in adventu unigeniti tui : cum geminam jusseris sistere plebem : jubeas famulum tuum sacerdotem N. a numero disgregare malorum : et evadere eterna cruciamina inferorum. Ut juste indeptus premia vite : semper inextinctam mereatur auram luminis possidere. Ac de **460** C ultione securus : placidis letetur in oris semper victurus : semperque in luce futurus. Per Christum Dominum ac redemptorem eternum.

Post pridie. Oratio. Tibi Domine commendamus animam famuli tui Sacerdotis N. ut defunctus seculo tibi vivat : et siqua per fragilitatem mundane conversationis peccata admisit : tu misericordiosissime Deus venia pietatis absterge. ℟. Amen. ℟. Ne recorderis peccatum ejus Domine : quando veneris judicare seculum per ignem.

Ad Orationem Dominicam.

Hanc igitur oblationem : quam tibi pro requie famuli tui Sacerdotis N. offerimus Domine : quesumus : ut placatus accipias : et tua pietate concedas : ut mortalitatis nexibus absolutus in cathalogo electorum resuscitari mereatur ad vitam. Pater noster. D

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Benedictio. Christus Dominus oblatam a vobis ob remedium famuli sui Sacerdotis N. suscipiat precem : et vobis post transitum eternam preparet mansionem. ℟. Amen. Quique morte sua mortis destruxit imperium : secunde mortis ab eo aufferat dominatum. ℟. Amen. Ut in die judicii ab audito malo salvatus : cum electis omnibus regnum adipiscere mereatur securus. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Qui venit ad me.

Com. Repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra in exultatione.

Oratio. Precamur te Deus omnipotens ut defuncti animam [b] intercedentem : ac de tua pietate misericordiam sperantem : sic a delictis omnibus absolvas : ut nullam in eterna confusione ob noxam teneatur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu. In nomine Domini nostri Jesu Christi : anima ejus per misericordiam Dei sine fine requiescat in pace.

Dicat Chorus. Deo gratias.

Missa pro Diachono vel Subdiachono.

Officium.

Hic dicat Sacerdos confessionem et omnia alia : antequam chorus incipiat officium : ut dictum est in Missa de Episcopo defuncto. folio 458.

Officium.

Tu es portio mea Domine : alleluja : in terra viventium : alleluja : alleluja. ℣. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. *P.* In terra. ℣. Gloria et honor Patri. *P.* In terra.

In Quadragesima. Officium. Clamavi ad te Domine : et dixi tu spes mea es : portio mea in terra viventium. ℣. Educ de carcere. *P.* In terra.

Oratio. Deus eterne.

Quere in Missa de uno Sacerdote defuncto. fol. 458.

Lectio [c] libri Job.

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Audi me Job : tu confortare in me semper : et non derelinquam te. Et dicit Job. Tu es Dominus Deus meus : et nomen tuum invocatum est super me. Expecto Domine : ne derelinquas me. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Psallendo. Domine exaudi.

Quere retro in Missa de Episcopo. folio 456.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli [d] ad Romanos.

℟. Deo gratias.

Fratres. Omnia autem in charitate fiant : et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Johannem (*[e] Cap. V*).

Illo in tempore. Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens. Amen : amen dico vobis. Quoniam qui audit verbum meum : et credit

[a] *Sit inlata.* Tolle illud *sit.*

[b] *Intercedentem.* Aliquid hic deest ; fortasse legendum : *Ut defuncti* N. sacerdotis *animam, intercedente* sancto N., *de tua pietate ac misericordia sperantem, sic a delictis,* etc.

[c] *Libri Job.* Prophetia cento est consutus ex sermonibus Scripturæ hinc inde collectis.

[d] *Ad Romanos.* Illud, *omnia autem in charitate fiant,* est ex I Cor. XVI, 15. Illud, *et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum,* ex II Cor. XIII, 1. Ex Epistola ad Romanos nihil.

[e] *Cap.* V Vers. 24.

ei : habet vitam eternam : et in judicium non veniet : sed transiet de morte ad vitam. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluja. ℣. Animam quiescentem de inferno erue : Deus paradiso restitue : alleluja.

Sacrificium. Quid dignum offeram Domino. Curva genua Deo excelso : alleluja.

In Quadragesima. Lauda. Laudabo nomen Dei mei cum cantico : et magnificabo eum in laude.

[a] *Sacrificium.* Offerte Domino mundum sacrificium : offerte Domino gloriam et honorem. *P.* Mundum sacrificium. ℣. Gloria **461** et honor Patri. *P.* Mundum sacrificium.

Dicat Presb. Kyrieleison.

Chorus respondeat. Christeleison. Kyrieleison. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Missa. Deus vera pietas : et pia veritas : invicta clementia : et bonitas. Qui nos a morte volens eripere : Dominum nostrum Jesum Christum mortem fecisti subire : ut illius usque ad infernum descensus noster esset ad celum ascensus : te suppliciter postulamus : ut spiritum famuli tui N. quem de hujus seculi erumnis ac peregrinatione precepisti vocari : universa delictorum concessa remissione : in Abrahe gremio jubeas conlocare. ℟. Amen.

Alia Oratio. Obsecramus piissime Pater : ut famulum tuum N. quem superni fontis genitalis abluit unda : edax non audeat contingere flamma. Et quem unigeniti tui cruor redemit effusus : non sinatur vermis vorare perpetuus. Sed celici agminis deductione protectus : feralia ultricium penarum ergastula transgrediatur inlesus : et paradisi tui potiatur suavitate securus. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Offerentium [b] muneribus recitatis : te Dominum summe poscimus pietatis : ut hec oblata nostra benigne suscipiens : et sincere pacis dulcedinem tribuere vivis : et requiem jubeas prestare defunctis. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Deus : qui es omnium spirituum requies : et pax preciosa Sanctorum : quesumus ineffabilem potentiam tuam : ut remissa famuli tui N. omni offensa noxarum : plenam pacis tue gratiam consequatur. ℟. Amen.

Hic faciat Sacerdos ut in I. Missa de Episcopo. fo. 456.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vere et salutare est : omnipotens Deus receptor animarum et indultor omnium criminum : tibi in commemorationem famuli tui N. tibi gratias agere : hostiam laudis offerre. Unde tremendam majestatis tue : indeficientemque quesumus pietatem : ut famuli tui N. quorum hodie facimus commemorationem : non tartareas tenebras : aut triste chaos habitationem incurrat. Sed his tabernaculis conlocatus : quibus gratiarum ubertas jocundo splendore inluminatur : eternam beatitudinem possideat : ac Sanctorum cetibus sociatus : futuri judicii diem cum voto gratulationis expectet : et cum omnibus Sanctis hymnum celesti modulatione personet : et dicat. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus alta voce. Osanna in excelsis. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus filius tuus : qui mortem moriens superavit : et resurgendi nobis januam patefecit. Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Te Jesu bone venisse jam credimus : te venturum quoque fideliter predicamus : unde petimus et rogamus : ut famulus tuus N. ob cujus memoriam hec sacrificia veneranda litamus : quando superni examinis tempore angelicus clangor concusserit mundum : corpus quod corruptibile deposuit : perspiciat incorruptum : [c] et quod mortalitate vestitum : glorificate carnis tropheum revehens : Domino venienti letus occurrat : et inter victricima turmarum triumphales catervas coronatus incedat : a dextris quoque famulus tuus misericordia inventurus adsistat : et Sanctorum tuorum N. consortio deputatus regnum celeste sine fine possideat. ℟. Amen.

Hic Presb. faciat ut scriptum est in I. Missa de Episcopo. fo. 456. *Et Chorus respondeat ad confractionem panis.* ℟. Ne recordaveris peccatum ejus Domine : quando veneris judicare seculum per ignem.

Ad Orationem Dominicam.

Hostiam tibi Domine placationis pro famulo tuo N. offerimus : obsecrantes sacri hujus libaminis interventu : propicius locum ei lucis : et refrigerium beate quietis indulgeas : nos quoque ad te proclamantes exaudias. Pater noster.

Dicat. Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Dominus Jesus Christus : qui a peccatoribus exorari precepit : ipse quod rogetur inspiret : et in hac specialius oblatione famulum suum N. ab inferorum cruciatibus liberet. ℟. Amen. Illum paradisi amenitate confoveat : et vos morum probitate componat. ℟. Amen. Illi post onera carnis locum beatitudinis conferat : et vobis in longevitate peregrinationis indulgentiam tribuat criminis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

462 *Com.* Repletum est gaudio. *Require retro in prima Missa de Episcopo. folio* 458.

Oratio. Suscipe Domine animam famuli tui N. vestem celestem indue eam : et lava eam in fonte vite eterne. Ut inter gaudentes gaudeat : et inter sapientes sapiat : et inter Martyres sedeat : et inter Prophetas et Apostolos. Christus eum custodiat : et in-

[a] *Sacrificium.* Ps. XXVIII, 2.

[b] *Muneribus.* Forte, *et nominibus*; nam aliquando nomina offerentium, et quæ, et quantum quisque obtulerat, recitabantur, cum præter panem et vinum, in usum sacrificii, res alias, pecuniam puta, offerrent, aut vestem.

[c] *Et quod.* Forte, *et immortalitate vestitus.*

ter Angelos et Archangelos claritatem Dei prevideat : A et noticiam justorum agnoscat. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini no tri Jesu Christi anima ejus per misericordiam Dei sine fine requiescat in pace. ℟. Deo gratias.

Incipit Missa de uno Defuncto.

Faciat Presbiter confessionem antequam Chorus incipiat officium : et postea ascendat in medium altaris : et dicat. Erigite vos. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum

Et statim Chorus incipiat [a] *officium.*

Tu es portio mea. *Require retro in Missa de Episcopo. fo.* 456.

In Quadragesima. Officium. Veniat super nos Domine misericordia tua : et salutare tuum : et elo- B quium tuum. ℣. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. *P.* Secundum eloquium tuum. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Secundum.

Dicat Presb. Per omnia semper secula etc.

Oratio. Suscipe propicius orationem nostram : qui sedes ad dexteram Dei Patris omnipotentis : quia tu solus es [b] evocatus e celis : piissimum Patrem interpella pro nobis. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Prophetia. Locutus est Job dicens. *Quære retro in Missa de uno Sacerdote defuncto. fo.* 459. *Dicat Presb.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. C

Psallendo. Domine exaudi me. *Require retro in Missa de uno Sacerdote defuncto. fo.* 45?.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli [c] *ad Corinthios (II, cap. XV).*

℟. Deo gratias.

Fratres[d]. Ecce misterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus : sed non omnes immutabimur. In momento : in ictu oculi : in novissima tuba. Canet enim tuba [e] et mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur : oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem : et mortale hoc induere immortalitatem. Cum au em mortale hoc induerit immortalitatem : tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria : ubi est mors victoria tua ? ubi est mors D aculeus tuus ? Aculeus enim mortis peccatum est. Virtus vero peccati lex. Gratias autem Deo : qui dedit nobis victoriam. Per Dominum nostrum Jesum Christum. ℟. Amen.

Evangelium. Quoniam qui audit verbum meum. *Quere in Missa de Diachono vel Subdiachono. fo.* 460.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda et Sacrificium. Quere in Missa de Episcopo. fo. 456. *Hic dicat Presbiter.* Kyrieleison. *Chorus respondeat.* Christeleison. Kyrieleison. *Et Presbiter dicat.* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Missa. Eternam Dei Patris omnipotentis misericordiam fratres charissimi mentis intentione deprecemur : [e] pro spiritu et anima famuli *vel* e sui *vel* e : ut [f] sicut in hujus carnis fragilitate insidiante diabolo peccavit : pietas Domini nostri resolvere et conlocare [*Forte* condonare] dignetur : ut in locum lucis ac refrigerii eum *vel eam* transire et conlocare precipiat. ℟. Amen

Alia Oratio. Domine Deus omnipotens tuam beatitudinem lamentabili : et humili prece poscimus : ut animam : et spiritum famuli *vel* e tui *vel* e : cujus hodie commemorationem facimus : in lege justicie tue pia majestate corrobores. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Offerentium nominibus recensitis : te Deum summe poscimus pietatis : ut hanc oblationem nostram benignus suscipias : et sincere pacis dulcedinem tribuere vivis : et requiem jubeas prestare defunctis. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Invocantes nomen sanctum tuum Domine deprecamur : ut animam famuli *vel* e tui *vel* e in pace conlocare digneris : cui soli licet augere merita : pacificare jurgia : 463 et donare peccata. ℟. Amen. Quia tu es vera pax nostra etc.

Hic faciat Presb. sicut scriptum est in I. Missa de Episcopo defuncto. fol. 456.

Inlatio. Equum et justum est : nos tibi semper gratias agere : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Per quem te petimus infinita trinitas Deus : ut animam famuli *vel* e tui *vel* e in pagina libri viventium adscribas. Non eum *vel* eam torqueat gehenne calamitas : non includat carcer horrificus inferorum. Sed [g] ad vicem Abrae et Eleazari patriarcharum seniorum : receptus : cum ad judicandum veneris recepto corpore : obviam venienti Domino cum Sanctis omnibus gratuletur. Cui merito omnes Angeli et Archangeli non cessant clamare quotidie : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus, dicat Presb. alta voce.

Osanna in excelsis. Vere sanctus : vere benedictus Dominus noster Jesus Christus : qui es rector animarum : et indultor omnium peccatorum : tibi enim in commemoratione famuli *vel* e tui *vel* e N. [h] has offerimus hostias : ut adscribas in libro San-

[a] *Officium.* Ps. CXVIII, 41. ℣ : Ps. CXLI, 8.

[b] *Evocatus e celis.* Lege *advocatus in cœlis.* Et huc revoca illud sancti Augustini (*Tom. V, ser.* 285, *in natal. Mart. Casti et Emilii*), ubi, cum dixisset : *Martyres sunt advocati nostri*, subdit : *Neque hoc in se, sed in illo, cui capiti perfecta membra cohæserunt ; ille enim ve e Advocatus unus, sicut et Pastor unus.*

[c] *Ad Corinthios II.* Corr. *ad Corinthios I.*

[d] *Cap. XV.* Vers. 51-53. Eadem Epistola in Lectionario Luxoviensi assignatur : *Legenda in depositione cui volueris.*

[e] *Pro spiritu et anima.* Est modus loquendi Gothis-Hispanis valde familiaris. Vide Conc. Tolet. XV (*N.* 21, 22, *tom. II, Conc. Hisp.*).

[f] *Sicut.* Lege *si quid.*

[g] *Ad vicem.* Forte, *ad sinum.*

[h] *Has hostias.* Adde : *Offerimus, ut harum interventu ascribas eum,* vel *eam.*

ciorum : et sortem prime resurrectionis obtineat. [a] Christus Dominus ac redemptor eternus.

Post pridie. Oratio. Obtemperantes talibus institutis : te poscimus omnipotens Pater : ut ad sanctificationem hujus hostie spiritualis Spiritum Sanctum : quem filius tuus repromisit: immittas : ut per eum sanctificati : unius divinitatis mereamur percipere [b] trinitatem : ut cum justus advenerit judex : eos in nobis fructus : quibus gloria preparatur : inveniat. ℟. Amen.

Hic faciat Presb. ut scriptum est in prima Missa de Episcopo. fol. 456. Et chorus cantet. ℟. Deus plasmator animarum libera eum.

Ad Orationem Dominicam.

Te deprecamur omnipotens Deus : ut propicius respicias vota oblationum nostrarum : et famulo *vel* e tuo *vel* e N. refrigerium miserationis infundas : per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum : qui nos docuit orare : et dicere e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Benedictio. Summus excelsus Dominus : qui vitam et mortis potestatem dispensat : ipse et vivis conversationem corrigat : et defuncto *vel* e pro quo *vel* a eum supplicamus requiem tribuat. ℟. Amen. [c] Illis in carne contracta omnia peccata dimittat : illi autem inspiramine suo viam salutis aperiat. ℟. Amen. Illis in resurrectione concedat gloriam : isti etiam suam sine confusione presentiam. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat chorus. Qui venit ad me : non esuriet : *et omnia alia. Require in Missa de Episcopo. fol. 458.*

Com. Repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra in exultatione.

Oratio. Oramus te Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : pro spiritu et anima famuli *vel* e tui *vel* e N. ut ei tribuas requiem sempiternam. Ut cum dies ille resurrectionis ac remunerationis advenerit : per hanc sacrosanctam communionem : non cum impiis et peccatoribus : sed cum sanctis et electis tuis eum *vel* am adstare precipias. ℟. Amen. Quia tuum est imperium : qui vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. In nomine Domini nostri Jesu Christi : anima ejus per misericordiam Dei sine fine requiescat in pace. ℟. Deo gratias.

Item Missa [d] parvulorum defunctorum.

Hic facit Presb. ut in prima Missa de Episcopo. fol. 356. Oratio prophetia et psallendo : et omnia alia dicantur de Omnium fidelium defunctorum. fol. 466. excepta Missa.

Missa. Omnipotens eterne Deus : et conditor omnium elementorum : et perpetua claritas Angelorum : adtende propicius : et respice miseratus : et nostras orationes exaudi placatus. Et hanc oblationem : quam tibi offerimus in commemorationem famulorum tuorum : quos post sacri **464** baptismatis undam a te innocentia sua mundos [e] accersire jussisti : pius ac benignus accepta : nostraque delens facinora : a malis actibus placatus munda. ℟. Amen.

Alia Oratio. Tua sunt Domine omnia : qui animas amas : qui innocentia parvulos ad te vocas : et peccatores justificas. tuam ergo clementiam imploramus : ut [f] eis qui tibi placuerunt : eorum nos consortes efficias. Ut animarum [g] ad te viventium impetremus quietem : et nobis precantibus a te venia concedatur et gratia. ℟. *Chorus.* Amen.

Post nomina. Oratio. Inlabere Domine his hostiis tibi oblatis : et susceptis fidelium votis : et [h] requiem jube prerogare defunctis. ℟. *Chorus.* Amen.

Ad pacem. Oratio. Pacem tuam Domine : quam tenendam tuis commendasti Apostolis : nobis concede servandam miseris servis tuis. Ut eorum nos jungas consortiis : quos ad te accersiri jussisti : cum omnibus Sanctis illi glorientur in paradisi amenitate : et nos quandoque ad te mereamur pervenire in pace. ℟. Amen.

Hic faciat Presb. ut dictum est retro in prima Missa de Episcopo.

Inlatio. Dignum et justum est : equum vere et salutare est : nos tibi semper gratias agere : Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus : per Jesum filium tuum Dominum nostrum. Qui nos sui sanguinis precio redemit : et ab antiqui hostis imperio liberavit. Qui volens salvum facere quod perierat : humanam non est dedignatus adsumere formam. Qui per sacri baptismatis undam [i] generari : et dimitti omnia dixit peccata [j] per penitentiam : ergo mundari promisit ex proprio. Per ipsum ergo te

[a] *Christus.* Lege *per Christum Dominum et Redemptorem æternum.*

[b] *Trinitatem.* Qui Eucharistiam accipit, non modo corpus et sanguinem Christi accipit, sed animam quoque et divinitatem ejus *per concomitantiam*, ut in scholis loquuntur, accipit, atque adeo qui Eucharistiam accipit *unius divinitatis* meretur *percipere Trinitatem.*

[c] *Illis.* Videtur verborum transpositio. Lege : *Illis*, vivis scilicet, *inspiramine suo viam salutis aperiat, illi autem*, defuncto, *in carne contracta omnia peccata dimittat.*

[d] *Parvulorum.* Hæc missa in funere eorum dicitur qui, post susceptum baptisma, lethalis peccati expertes moriuntur. In Sacramentario Gelasiano (*Lib.* III) exstat *missa pro* defuncto *nuper baptizato.*

[e] *Accersire.* Lege *accersiri.*

[f] *Eis.* Tolle illud *eis*, et lege : Ut *eorum qui tibi placuerunt*, etc.

[g] *Ad te.* Forte, *apud te.*

[h] *Et requiem.* Tolle illud *et.*

[i] *Generari*, Forte, *regenerari homines.*

[j] *Per penitentiam.* De ea pœnitentia hic sermo est, quæ, prisco more, præmittebatur sacramento baptismatis, de qua sanctus Hildephonsus (*In libro Annot. de cognit. baptismi, cap.* 14) scribit, majores ætate per se pœnitentiam de præteritis erroribus ante baptismum exhibere, parvulos autem *per stramenta ciliciorum sacerdotibus* deduci, *ut pœnitentiæ signum habeant, qui pœnitentiæ opera demonstrare non possunt propter ætatis tempus.*

Pater invocamus omnipotens : ut nobis semper invocatus adsistas : et hoc sacrificium propiciatus acceptes. Sit in conspectu [a] oratum quod a nobis indignis tibi conspicis esse oblatum. Animas quoque parvulorum tuorum : quas e seculo a te mundari et vocari jussisti : illorum [b] Bethlemiticorum consortio junge : qui pro Jesu Christo filio tuo Domino nostro occisi : eum quocumque ierit sequuntur in albis. Ut cum nos illi eorum spiritus commendamus : nostrorum criminum apud te veniam impetremus. Per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum : quem conlaudant Angeli atque Archangeli : et non cessant clamare ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus dicat Presbiter.

B Osanna in excelsis. Vere sanctus : et vere benedictus tu Deus : Pater omnipotens : et Jesus Christus filius tuus Dominus noster : qui nobis salutaris [c] fons gratiam tribuit : et gloriam iterate nativitatis indulsit : atque a diaboli laqueis exemptos : innocentes suis conspectibus reddit. Christus Dominus ac redempor eternus.

Post pridie. Oratio. Facientes commemorationem passionis mortis et resurrectionis tue Christe o Domine redemptor omnipotens precamur : ut has hostias in commemorationem parvulorum defunctorum tuorum N. sanct : altario tuo impositas : intendas propicius sanctifices : et benedicas. Que et pro quibus offeruntur : [d] impetremus quietem : et nobis proficiant ad salutem. ℟. Amen.

C *Hic faciat Presbiter ut scriptum est in prima Missa de Episcopo. fol. 456. Et Chorus respondeat.* ℟. Hierusalem civitas sancta suscipe : quia non nobis seculum obfuit : nec perpetravimus malum : de ventre matris nostre continuit nos obitus : ne videremus laborem et dolorem.

Ad Orationem Dominicam.

Oremus. Deus probator [e] conversationis : et conditor : qui innocentes coronas : et peccatores justificas : presta ut ab occultis nostris mundemur : et cum fiducia tibi proclamemus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et.

Benedictio. Ob recordationem diei fidelium parvulorum suorum N. benedicat vos omnipotens Dominus : et propicietur in omnibus. ℟. Amen. Illos paradisi amenitate confoveat : et vos sua protectione custodiat. ℟. Amen. Illis tribuat consortium beatorum : et vobis omnibus indulgentiam peccatorum. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Dicat Chorus. Qui venit ad me. *folio.* 98.

Com. Repletum est gaudio.

Oratio. Oramus te Domine. *Quere in Missa de Omnibus fidelibus defunctis. folio.* 456.

465 [f] *Missa de omnibus Fidelibus Defunctis.*

Hic faciat Sacerdos Confessionem : et postea ascendat medium altaris : et dicat alta voce. Erigite vos. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. *Et statim Chorus incipiat officium.*

[g] *Officium.*

Fac cum servis tuis Domine misericordiam : alleluja : alleluja. ℣. Ad te levamus oculos nostros : qui habitas in celis. *P.* Misericordiam. ℣. Gloria et honor etc. *P.* Misericordiam.

In Quadragesima. [h] *Officium.* Veniat super nos Domine misericordia tua : salutare tuum et eloquium tuum. ℣. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis. *P.* Salutare tuum. ℣. Gloria et honor. *P.* Salutare.

Oratio. Fac quesumus Domine hanc cum servis tuis omnibus fidelibus defunctis misericordiam : ut factorum suorum in penis non recipiant vicem : qui tuam in votis tenuerunt fidei veritatem. Ut sicut hic vera fides eos adjunxit fidelium turmis : ita eos [i] illuc tua miseratio adsociet Angelicis choris. ℟.

[a] *Oratum.* Lege *ratum.*

[b] *Bethlemiticorum.* Confer sanctum Paulinum (*Poem.* 34, *Edit. Veronen.*, *de obitu Celsi pueri*, *a versu* 583).

[c] *Fons.* Forte, *fontis.*

[d] *Impetremus.* Lege *impetrent.*

[e] *Conversationis.* Forte addendum *sanctæ.*

[f] *Missa de omnibus fidelibus defunctis.* Græci commemorationem omnium fidelium defunctorum feria sexta, quæ Dominicam Pentecostes præcedit, solemniter recolunt (*Leo Allat.*, *de Domin. et Fest. Græc.*, *n.* 29). In Occidente a sæculo XI cœpit commemoratio omnium fidelium defunctorum solemniter fieri die secunda Novembris, quam sanctus Odilo ab. Cluniacensis, a. 998, in suis monasteriis instituit. Amalarius, qui sub Ludovico Pio floruit, in libro de ordinatione Antiphonarii (*Cap.* 65) scribit, se, *post officium omnium sanctorum, officium pro mortuis* collocasse; at inde non probatur quod post festum omnium sanctorum, ævo Amalarii, commemoratio omnium defunctorum ageretur, neque sancti Augustini ævo agebatur, quamvis sanctus Doctor (*Lib. de Cura pro mortuis*, *c.* 6) scripserit, supplicationes pro spiritibus mortuorum prætermittendas non esse : *quas faciendas pro omnibus in Christiana et Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus, sub generali societate suscepit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati, aut amici, ab una eis exhibeatur pia matre Ecclesia;* nam hoc loco de illa commemoratione defunctorum sermo est quæ ad altare fit, quoties missa celebratur, de qua sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Cath. myst.* 5), et Patres, et liturgiæ passim, loquuntur, quamque in illa oratione quæ *post nomina* inscribitur Gotho-Hispani facere solebant; apud quos usu recepta non fuit commemoratio omnium defunctorum die secunda Novembris, aliave rata die, facere, quare nec de ea ulla fit mentio in Missali nostro. Apud Mozarabes hanc solemnitatem mortuorum receptam tandem fuisse puto : ea enim in Kalendario Missali præfixo die 4 Non. Nov. signatur, qua die hanc missam canebant, ut titulus suadet, quæ revera non est missa omnium fidelium defunctorum, sed plurium tantum defunctorum, quos in orationibus nominatim compellabant. In Sacramentario Bobiano exstat *missa pro defunctis*, et in Gelasiano plures sunt ejusmodi missæ.

[g] *Officium.* Ps. CXVIII, 124. ℟. Ps. CXXII, 1.

[h] *Officium.* Ps. CXVIII, 41. ℣. Ibid. 42.

[i] *Illuc.* Lege *illic.*

Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio libri Esaye Prophete. ([a] *Ca. LVIII*).

℟. Deo gratias.

Hec dicit Dominus. Orietur in tenebris lumen vobis : et tenebre vestre erunt sicut meridies : et requiem dabit vobis Dominus semper. Et replebit splendoribus animas vestras : et ossa vestra liberabit. Et eritis quasi hortus irriguus : et sicut fons aquarum : cui non deficiunt aque. Ait Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℣. Et cum spiritu tuo.

Psallendo. Dona Domine requiem famulis tuis. ℣. Conloca eos Domine in loca beatorum tuorum.

Dicat Presb. Silentium facite.

Sequentia Epistole Pauli Apostoli ad Romanos ([b] *XIII*).

℟. Deo gratias.

Fratres. Nemo vestrum sibi vivit : et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus : Domino vivimus. Sive enim morimur : Domino morimur. Sive enim vivimus : sive morimur : Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit : ut vivorum et mortuorum dominetur. Tu autem qui judicas fratrem tuum? aut quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim. Vivo ego dicit Dominus : quoniam mihi flectetur omne genu : et omnis lingua confitebitur Deo. ℟. Amen.

[c] *Evangelium.* Dominus noster Iesus Christus loquebatur discipulis suis. *Quere in Missa de uno sacerdote defuncto. fo.* 459.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Alleluja. ℣. animas quiescentes de inferno erue Deus : paradiso restitue : alleluja.

[d] *Sacrificium.* Offerimus tibi Domine sacrificium pro peccatis eorum : qui cum pietate dormitionem acceperunt : ut optimam habeant repositam apud te gratiam : alleluja.

In tempore Quadr. [e] *Lauda.* Laudate Dominum qui timetis eum : in medio Ecclesie laudabunt Dominum qui requirunt eum. *P.* In medio Ecclesie.

[f] *Sacrificium.* Offerte Domino mundum sacrificium : offerte Domino gloriam et honorem. *P.* Mundum sacrificium. ℣. Gloria et honor Patri. *P.* Mundum.

Dicat Presbiter. Kyrieleison. *Chorus* ℟. Christe eleison. Kyrieleison. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Missa. Domine Jesu Christe : qui pro reparatione humani generis in hunc mundum a Deo Patre venire dignatus es : deprecamur sanctam clementiam tuam : per hoc sanctum sacrificium quod tibi a nobis offerri docuisti : [g] ut animas et spiritus famulorum tuorum N. et N. ut eos ab eterne pene interitu eruas commendamus. Et siqui in hoc corpore delictorum sunt lapsibus maculati : pietate solita eis indulgeas : et in requie electorum tuorum manere eos precipias : et omni populo tuo placatus veniam peccatorum concedas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus etc.

Dicat Presb. Oremus. *elevando manus. Et Chorus non respondeat.* Agios : *in ista Missa : nec in aliis Missis de Defunctis : sed statim dicat Presb.* Ecclesiam sanctam catholicam etc.

Alia Oratio. Omnipotentiam tuam Domine Jesu Christe : apud quem multe sunt mansiones : imploramus : ut animas et spiritus famulorum tuorum N. et N. ab estuantis ignis ardoribus eruas : atque in locum lucis et refrigerii post dimissa crimina heredes constituas. ℟. Amen.

466 *Post nomina. Oratio.* Miserator et misericors Domine Jesu Christe : qui cum Deo Patre in sempiterna gloria permanes : gloriam tuam per hujus sacrificii interventum deposcimus : ut animas et spiritus famulorum tuorum N. et N. Sancti Spiritus consolatione reficias : et omnibus defunctis in pace tua quiescentibus requiem largiaris eternam. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Pax eterna Domine Deus noster : pacis nobis copiam placatus concede : atque fructum leticie sempiterne inradia : ut famulis tuis N. N. et omnibus fidelibus defunctis : pro quibus hodie hanc tibi hostiam immolantes offerimus : consolationis tue beneficio conferas : nostrorumque omnium peccata deleas : et pacis concordiam nobis attribuas. ℟. Amen.

Dicat Presb. Quia tu es vera pax nostra. *Non detur pax : sed statim Presbiter elevet manus super calicem et dicat.* Aures ad Dominum. *Et omnia alia ut in I. Missa. folio.* 411.

Inlatio. Dignum et justum est : nos tibi gratias agere : et spiritualia sacrificia celebrare Domine Sancte Pater omnipotens Deus : per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. Qui pietate summa humanitatem prestitit mundo : et morti extitit morsus : et multorum animas eruit de inferno. Per ipsum te Pater omnipotens deprecamur : ut hoc sacrificium quod pro remedio famulorum tuorum N. et N. tibi offerimus : suscipere digneris propicius. [h] Ut per intercessionem

[a] *Cap. LVIII.* Vers. 10-12. In Bobiano nulla legitur prophetia *in missa pro defunctis.*

[b] *Cap. XIII.* Vers. 7-12. Eadem Epistola in Bobiano legitur, sed minus prolixa est.

[c] *Evangelium.* In Bobiano Evangelium legitur ex Job. VI, 39, 40.

[d] *Sacrificium.* Ex lib. II Machab., XII, 45.

[e] *Lauda.* Est cento consutus ex verbis psalmi XXI, 24, 27.

[f] *Sacrificium.* Ps. XXVIII, 1, 2. Pars prima sensum tantum Scripturæ exhibet, secunda etiam verba.

[g] *Ut animas.* Lege *ut animas, et spiritus famulorum tuorum N. N., quos tibi commendamus, ab æternæ pœnæ interitu eruas.*

[h] *Ut per intercessionem.* In Sacramentario sancti Leonis (*Pag.* 50) in defunctorum missa, per intercessionem sancti Laurentii venia pro illis postulatur, et in Sacramentario Gelasiano (*Lib.* III, 95) exstat *missa in natale sanctorum, sive in agenda mortuorum.* In iis autem missis ad veniam defunctis obtinendam preces sanctorum triumphantis Ecclesiæ cum militantis Ecclesiæ precibus conjungere solent. Vide citatum Sacramentarium.

Sancte Marie Virginis : et omnium Sanctorum tuorum : N. et N. constituere jubeas in dextere tue partem : et nos omnes qui te Deum unum confitemur in Trinitate : miserationis tue sentiamus opem : quia tibi omnes Angeli non cessant clamare : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Post Sanctus dicat Presb. Osanna in excelsis.

Vere sanctus : vere benedictus es Domine Jesu Christe. Qui vivis prestas salutem : et defunctos perducis ad requiem. Te ergo poscimus mentis intentione : ut hoc sacrificium acceptans digneris sanctificare : et famulorum tuorum N. et N. pro quibus tibi hoc holocaustum offerimus : locum lucis eterne tribuas possidere : nobis quoque te orantibus presentis temporis concedas salutem : et defunctis fidelibus eterna fac perfrui luce. Christe Domine ac redemptor eterne.

Post pridie. Oratio. Credimus te Domine Jesu Christe omnium esse virtutum : rogamus te Deus piissime : ut precem nostram jubeas exaudiri propicius : et omnibus in te credentibus peccata jubeas dimitti : et hujus sacrificii munera per manus Angeli tui jubeas sanctificari. Defunctorum quoque famulorum tuorum N. et N. qui in te credentes ab hac necesserunt luce : locum tribue electorum in regione vivorum.

℟. Amen.

Hic dicat Presbiter ut dictum est in prima Missa de Episcopo. fo. 4° 6. Et Chorus ℟. Memento congregationis tue Domine : quam creasti ab inicio.

Ad Orationem Dominicam.

Oremus. Deus : te scimus vitam esse viventium : et requiem fidelium defunctorum : preces nostras placatus suscipe : et cuncta nobis peccata dimitte : defunctis famulis tuis N. et N. requiem tribue : et nos ad te conlaudandum idoneos effice. Pater noster.

Dicat Presbiter. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu.

Benedictio. Benedicat nos Dominus noster Jesus Christus : qui cunctorum est auctor mirificus. ℣. Amen. Precibus vestris occurrat placatus : et bona que poscitis de sede majestatis sue conferat pius. ℟. Amen. Vobis vivis veniam tribuat pro vestris peccatis : et defunctis fidelibus impertiri dignetur locum perpetue lucis. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri etc.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Dicat Chorus. Qui venit ad me.

Com. Repletum est gaudio os nostrum : et lingue nostra in exultatione.

Oratio. Oramus te Domine Sancte Pater eterne omnipotens Deus : pro spiritibus et animabus famulorum tuorum N. et N. ut eis tribuas requiem sempiternam. Ut cum dies ille resurrectionis ac remunerationis advenerit per hanc sacrosanctam communionem
467 non cum impiis : et peccatoribus : sed cum Sanctis et electis tuis eos adstare precipias. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster etc. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum. In nomine Domini nostri Jesu Christi : anime eorum et omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei sine fine requiescant in pace. ℟. Deo gratias.

[a] *Missa Beate Marie Virginis*

[b] *Ad introitum.*

[c] *Orate pro Alfonso Ortiz Doctore : et Canonico Toletano.*

Ave Virginum speciosa virgo. *P.* Inleso pudore Deum enixa. ℣. Te Angelorum hominumque caterve Dei venerantur parentem et conlaudant. *P.* Inleso pudore Deum enixa. ℣. Gloria et honor Patri : et Filio : et Spiritui Sancto : in secula seculorum : amen. *P.* Inleso pudore Deum enixa.

Oratio. Magnificent te Deus cuncte creature : quarum conditor tam insignem hominis fabricam : ejusdem carnis assumptione in alvo virgineo Beate Marie recumbens inlustrare dignatus es : [d] ejus quesumus interventu nobis mentis et corporis tribue pudicitiam : qui ejus nivei pudoris claustra inlibata servasti post partum. Qui cum Patre : et Spiritu Sancto vivis perenniter in secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lectio Esaye Prophete ([e] *Cap. VII*).

℟. Deo gratias.

In illis diebus. Locutus est Dominus ad Achas dicens : pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni : sive in excelsum supra. Et dixit Achas : non petam : et non tentabo Dominum. Et dixit : audite ergo domus David : numquid parum vobis est : molestos esse hominibus : quia molesti estis Deo meo. Propter hoc dabit vobis Dominus ipse signum. Ecce virgo concipiet : et pariet filium ; et vocabitur nomen ejus Emanuel. Butirum et mel comedet : ut sciat reprobare malum : et eligere bonum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum

[f] *Psallendo.* Intemerata viscera Marie digna ce-

[a] *Missa Beate Marie.* Est hæc missa communis beatæ Virginis, quam Mozarabes diebus Sabbati recitare solent. In Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ inter alios mss. Codices liturgicos unus est *missas quinque beatæ Mariæ virginis* continens *a sancto Ildefonso compositus*, teste D. Petro Caminio Velasco (*apud Pinium, tract. hist. chron. de liturg. antiq. Hisp., cap. 11, sect. 1, n.* 543). An hæc missa una sit ex illis, me penitus latet.

[b] *Introitum.* Mozarabes et Gotho-Hispani *officium ad missam* dixissent, cæterum *officium* hoc è Scriptura non est.

[c] *Orate.* Hæc rubrica Mozarabum precibus se commendat Alfonsus Ortiz juris utriusque doctor et canonicus Toletanus, cui cardinalis Ximenius curam dederat emendandi et edendi Missale et Breviarium Mozarabum, quod ille magna diligentia et religione perfecit.

[d] *Ejus quesumus.* Scilicet, beatæ Mariæ.

[e] *Cap. VII.* Vers. 11-16.

[f] *Psallendo.* Neque hoc psallendum est e Scriptura sacra, quemadmodum nec *lauda* neque *sacrificium*.

lesti consortio. P. Ex qua in terris Deus carnem induit. ℣. Et in celis regiam aulam sibi Mariam fabricatus est. P. Ex qua in terris Deus carnem induit.

Dicat Presb. Silentium facite

Lectio libri Actuum Apostolorum ([a] *Cap. I*).

Illis in diebus. Discipuli Domini nostri Jesu Christi reversi sunt Hierosolymam a monte qui vocatur Oliveti : qui est juxta Hierusalem sabbati habens iter. Et cum introissent in cenaculum : ascenderunt ubi manebat Petrus : et Johannes : et Jacobus : et Andreas : Philippus : et Thomas : Bartholomeus : et Mattheus : Jacobus Alphei : et Simon Zelotes : et Judas Jacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus : et Maria matre Jesu : et fratribus ejus. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam (*Cap.* [b] *II*).

Illo in tempore. Dixit Maria mater Domini ad Jesum : fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus : et ego dolentes querebamus te. Et ait ad illos. Quid est quod me querebatis? Nesciebatis : quia in his que Patris mei sunt : oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. [c] Et ascendit cum illis : et venit Nazareth. Et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hec in corde suo. ℟. Amen.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum.

Lauda. Concinat Dei genitricis laudes lingua pudica. Que inviolabilis pudoris virgo peperit. ℣. Virgo post partum Dei gratissima conjux : gaude cunctorum mater fidelium.

Sacrificium. Tibi sancte Pater omnipotens eterne Deus : hostias immolatus filii tui Domini nostri Jesu Christi : matris munera recolentes. Cujus intercessione placatus nostrorum ablue sordes delictorum : ut que immaculata concepit : virgoque peperit : fidelium reatus intemerata precibus emundet.

Missa. Tendamus ad omnipotentis Dei misericordiam supplices palmas. Qui Virginis Marie pudici decoris thalamum preelegit : qui unigenitum Filium suum mundi salutem pareret. Prestet beatissima Virgo et parens nobis protectionis auxilium. Ad cujus labia melliflua facile pius inclinat aures filius : immense clementie auctor. O sponsa Dei Maria auditum pulsa clementem : Patris 468 ac gnati : ut nostras miseratus ruinas : pia lumina misericorditer flectat : quo piacula mundet : et crimina laxet : et culparum pondera relevet jacentium : penarumque sarcinas tollat. Eya pudoris almi Virgo fecunda funde preces ad filium : ut nobis prestet auxilium. Labimur sine te suffragante Maria : mergimur profunda scelerum abisso absque filii tui remigio salutari : porrige ergo pias lapsis manus. Confirma labantes : languidos refove : ac tibi laudum vota reddentes propicius exaudire digneris. ℟. Amen.

Alia Oratio. Omnipotens adorande tremendeque Deus : qui providentia ineffabili rerum dirigis cursum cunctarum : et pondere libras aquarum gurgites : elementaque locis aptas : quorum mixtione corpora subsistere jubes : ut mirabilium tuorum non modo in magnis : sed in parvis insignia ostendas. At majestati tue parum erat condidisse omnia : quibus leges imponeres : nisi [d] hominis lapsum : cui servirent : reparando reformares. [e] Quippe cecidisse Evam luctus nostri parentem : quid posteris miserius nobis? Verum gratie plenitudine te Domine obumbrasse Mariam quid felicius? Genuit illa flebiles et perituros : concepit ista Deum hominem pristine ruine reparatorem. Cecidit homo infelicis culpe reus : suscepit ex Maria hominem qui nos redimeret Deus. Speciosa Dei Patris sponsa : atque filium Dei paritura a seculis preelecta : oret pro nobis pia interventrix : ut piaculis expiati Patrem cum Filio et Spiritu Sancto vocibus sinceris cum Maria laudemus : atque sine fine cernui unum in Trinitate Deum adoremus in secula seculorum. ℟. Amen.

Post nomina. Oratio. Te Deum filium Dei summis gratiarum muneribus excolimus : licet incarnationis tue sacratissime mysteria recensere dignis clamoribus non sufficimus : cum Virginis matris tue in alvo ad salutem humani generis federa sunt inita : ejus ergo interventu : nos celo dignos efficere digneris : qui ejus claustrum pudicitia decorum subire non dedignatus hominem : commercium celestium spirituum consortium mirabili providentia inire fecisti : per cujus sanctissima merita te supplices postulamus : ut a contagiis terrene feditatis corda tuorum emacules : et gratia tua mentes nostras visitando refundas : quo pausantium animabus requiem : et vivis pacem largiaris. ℟. Amen.

Ad pacem. Oratio. Miserere plebis tue Domine : miserere : qui eximie charitatis tue clementia nostre carnis mortalitatem sumere : atque crucis eculeum subire voluisti : quique Virginem matrem pro nostris reatibus pendens in ligno : Virgini discipulo commendasti : placare quesumus ob nostra facinora infensus : ut tue propiciationis abundantia pacis tue commendatione : mereamur in hac peregrinatione : et adversa pati patienter : et secundis sobria pace gaudere : quia tu es vera pax Domine redemptor eterne. ℟. Amen.

Inlatio. Vere dignum et equum est : summo immortalique Deo gratias immortales omni conatu agere : et Jesu Christo eterno filio suo ex Virgine gloriosa beata Maria Spiritus Sancti obumbratione concepto : atque denuo pro nostra salute nato : qui ex semine David secundum carnem : Virginem

[a] *Cap. I.* Vers. 48-50.
[b] *Cap. II.* Vers. 48-52.
[c] *Et ascendit.* Vulg. et Gr., *et descendit.*
[d] *Hominis lapsum.* Lege : *Nisi hominem lapsum, devicto inimico cui serviebat, reparando reformares.*
[e] *Quippe cecidisse.* Forte, *Quam cecidisse in Evam... quid posteris miserius nobis accidere potuit?*

mundissimam : de qua nasceretur : propheticis oraculis se prefatum nasciturum elegerat. Virgo nempe regia non alta sapiens : sed humilia respiciens : ab Angelo nunciante salutata : sed non corde exaltata : que ad laudes proprias turbata est : non gaudio effusa : que prior fide in mente genuit : quam in ventre Deum : quem natum adorat creatorem : quem Angelorum obsequia plusquam hominem testantur : qui palam fit pastoribus : quem sapientium obtusa corda non noverant : astrum jubaris insoliti Reges docet : et antecedit ducatum prebens ad Salvatorem : qui vagiens in presepe Regum sceptra curvavit : et qui matri non intulit fastidia ventris : ejus suffudit mirabili jubilo mentem. In partu Virginem se leta miratur : in Filio se matrem Altissimi letatur : lactabat prolem Virgo : per quam pascitur homo. Te igitur 469 omnipotentem mirabilia opera exaltant : quia majora feceris redimendo : quam creando. Condidisti nos in sapientia : redemisti in misericordia : quem decet hymnus : quem merito Angelorum laudat exercitus : et unanimiter spiritus justorum laudantes adorant : ita dicentes. ℟. Sanctus. Sanctus. Sanctus

Post Sanctus. Vere sanctus : vere beatus Dominus noster Jesus Christus : qui matris sanctissime misertus : virginali ejus pudicitie virginem custodem destinavit : que in terris celebris hominibus : ab Angelis celebrior in celis colitur illa mysteriorum divinorum conscia parens : Apostolorum non ignara mali consolabatur erumnas : et filii archana fidelis : et mystica discipulis revelabat. Cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio : cooperante [a] Domini matre filii ejus affluentia : qui vivit et omnia regit cum Patre et Spiritu [b] Sancto.

Post pridie. Oratio. Inlustratione tua Christe Jesu mentium nostrarum tolle caliginem : nam Virginis matris tue meritis poscimus adjuvari : oramusque : ut ejus patrocinio : hec oblata sanctifices : et sanctificata nostrorum tergant scelerum maculas : et ad tua promissa nos dirigere digneris. ℟. Amen.

Ad orationem Dominicam.

Deus virtutum sponse tue Ecclesie indeficiens conservator : quam per gloriosissimam Virginem matrem tuam gratiarum donis vivificas : ejus quesumus pia intercessione : ad mandatorum tuorum observantiam nos dirigere digneris : et presta ut puro corde quod precipis oremus e terris. Pater noster.

Dicat Presb. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedictio. Misericors Deus : per illam charitatem : quam habuit erga Virginem matrem suam : vobis conferat auxilium ad vitam eternam. ℟. Amen. Fons ille gratiarum inspiret vobis dona : que vos gratiores sibi reddat. ℟. Amen. Donet et pacis dulcedinem : que vos concorditer foveat in gremio matris Ecclesie. ℟. Amen. Per misericordiam Dei etc. Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum.

Dicat Chorus. Gustate et videte. *Quere in festo Corporis Christi. fol.* 267.

Oratio. Sumpsimus Domine tui corporis et sanguinis salutarem refectionem : quesumus : ut interveniu gloriose Virginis Marie : adsit nobis mentis et corporis robur per hoc sacramentum : ut ad vitam eternam sit viaticum sempiternum : qui vivis et omnia regis in secula seculorum. ℟. Amen. Perennitatis nostre sumpsimus Verbi incarnati mysterium : quod in utero Virginis Marie nostre carnis commercium assumere dignatus est : ea igitur interveniente patrona : eterne in nobis vite gratiam operare bone Jesu. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus etc. In nomine Domini nostri Jesu Christi mysteria cum pace peracta sint : et votum vestrum ab eo acceptum sit. ℟. Deo gratias.

[a] *Domini Matre?* Forte : *Dominicæ matri filii ejus affluente gratia*, etc.

[b] *Sancto.* Adde : *Christus Dominus ac Redemptor æternus qui pridie*, etc.

BENEDICTIO PANIS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit celum et terram. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in seculum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

Benedic Domine creaturam istam panis : sicut benedixisti quinque panes in deserto : ut omnes qui ex eo gustaverint : tam corporis quam anime recipiant sanitatem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia semper secula seculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter. Dominus sit semper vobiscum. *Respondeat Chorus.* Et cum spiritu tuo.

Benedictio.

Benedictio Dei Patris omnipotentis † et Filii † et Spiritus Sancti † descendat et maneat super hanc creaturam panis. ℟. Amen.

Et statim aspergat aquam benedictam.

TABULA

AD INVENIENDUM QUE CONTINENTUR IN ISTO MISSALI :

ET PRIMO TABELLA DOMINICARUM CUM SINGULIS FERIIS SEQUENTIBUS.

Numeri respicient hos qui crassiori typo repræsentati in textu inseruntur.

FESTA MENSIS JANUARII.

FESTA MENSIS FEBRUARII.

FESTA MENSIS MARTII.

Ad laudem omnipotentis Dei, necnon virginis Mariæ matris ejus, omnium sanctorum sanctarumque, expletum est Missale Mistum secundum regulam beati Isidori dictum Mozarabes, maxima cum diligentia perlectum et emendatum per reverendissimum in utroque jure doctorem dominum Alphonsum Ortiz canonicum Toletanum; impressum in regali civitate Toleti, jussu reverendissimi in Christo Patris domini D. Francisci Ximenes, ejusdem civitatis archiepiscopi, impensis nobilis Melchioris Gorricii Novariensis, per magistrum Petrum Bagembach Alemanum, anno salutis nostræ millesimo quingentesimo, die vero nona mensis Januarii.

APPENDIX PRIMA.

MISSA S. PELAGII MARTYRIS

A MOZARABIBUS CIRCA ANNUM DCCCCXXX COMPOSITA.

Prudentius de Sandoval, episcopus Tudensis, in libro quem de Antiquitatibus civitatis et Ecclesiæ Tudensis Hispanice scripsit, [a] partem præcipuam officii et missam sancti Pelagii martyris e vetusto suæ Ecclesiæ Codice edidit. Eamdem missam socii Bollandiani [b] Actis sancti Pelagii adjecerunt ; sed cum opus Sandovalii minime obvium sit, et Bollandiani missam sancti Pelagii, in partes sectam, et missis sancti Jacobi apostoli et sanctæ Eulaliæ interpolatam, ediderint, et pleraque ad laudes matutinas pertinentia missæ sancti Pelagii attribuerint, aliaque nonnulla extra locum suum collocaverint, operæ pretium duxi missam sancti Pelagii, a Sandovalio editam, Missali Mozarabum, pro appendice, adjicere ; ea enim, ut alia omittam, plane demonstrat Mozarabes, defluente sæculo x, in missarum celebratione formam liturgiæ Gotho-Hispanæ constanter retinuisse.

[c] *Officium ad missam.*

[d] Beatus vir Alleluja, qui implevit Alleluja, desiderium suum Alleluja.

[e] *Oratio.*

Deus qui sanctam nobis diei hujus solemnitatem Beatissimi Martyris tui illustrem passione fecisti, adesto familiæ tuæ precibus ut cujus hodie festa celebramus, ejus meritis, et intercessione, ad ea quæ imitari cupimus applicemur.

[f] *Lectio libri Sapientiæ Salomonis.*

Fili in omni tempore crede ex fide Animæ tuæ hoc enim est conservatio mandatorum qui credit Deo attendit mandatis, et qui confidit in illum non minorabitur, timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis.

[g] *Psallendo.*

Salvum me fac Deus quoniam ingressæ sunt aquæ usque ad animam meam infixus sum in limo profundi, et non est substantia, deveni in altitudinem maris, et tempestas demersit me, exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua super me. [h] Deo gratias, intende mihi et libera me quia tribulor usque ad animam.

[i] *Epistola Pauli Apostoli ad Corinthios.*

Charissime Dominus mihi astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleretur, et ut audiant omnes gentes, et liberatus sum de ore leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet in regnum suum cœleste, cui gloria in sæcula sæculorum.

[j] *Lectio sancti Evangelii secundum Johannem.*

In illo tempore Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens, quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus servus ille, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem, Amen dico vobis, quoniam supra omnia bona sua constituet eum.

[a] Edidit enim ineuntes vesperas, horas nocturnas, et laudes matutinas, et missam, reliqua e communi unius martyris petenda omisit. In laudibus matutinis passio sancti Pelagii a Raguele scripta legitur.

[b] Tom. V Junii, pag. 218.

[c] Hunc titulum, aliosque qui in Codice Sandovalii desiderabantur, distinctionis gratia, characteribus Italicis, apposui.

[d] Bollandiani initium hujus missæ non agnoverunt. Nam partem haud exiguam matutinarum laudum pro *officio ad missam* assignarunt.

[e] Hæc oratio verbatim desumpta est e missa communi *unius martyris*, pag. 421. Bollandiani pro ea perperam substituerunt orationem matutinarum laudum *Te invocamus*, etc.

[f] Scilicet Ecclesiastici xxxii, 27-xxxiii, 1, 2.

[g] Psal. LXVIII. Vers. 1-20. Hoc psallendo e missa sancti Clementis papæ et martyris, pag. 20, magna ex parte, desumptum est.

[h] Illud *Deo gratias* locum non suum occupat, debetque reponi post ea verba *Epistola Pauli apostoli*, etc., est enim id quod populus respondebat postquam titulum lectionis audierat.

[i] Corrige *ad Timotheum II*, iv, 17-19.

[j] Corrige, *Secundum Matthæum*, xiv, 45-13.

Lauda.

Alleluja. [a] Ecce servus meus suscipiam illum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea.

[b] SFICM *Sacrificium.*

Ego Dominus creavi te, et dixi tibi, puer meus es tu, noli timere, egeni, et pauperes querunt te, et tu exaltabis eos, in Domino Deo tuo. [c] Vocavit te Dominus ad Justitiam, et tenens manum tuam [d] exaltavit te, et constituit te in lucem gentium, [e] ut aperias oculos cæcorum, ut populus [f] direti, et bassatus invocans me, [g] et tu exaltabis eos in Domino Deo tuo, Alleluja.

[i] *Missa in die S. Pelagii.*

Præclarum, præcelsumque diem, quem sancti A Martyris Pelagii nobis cruor consecravit, passio invexit, meritum sublimavit, fratres Charissimi, intente votis evehamus, ac virtutum plausibus extollamus, in quo quidem iste beatissimus Martyr carnis deposuit tunicam, et cæli adeptus est gloriam, sicque de numero accitus fidelium, propsapia genitus Christianorum, pro Christo moriens, supernum ascendit Thronum. Hic namque carceris angustias perpessus, ferri compeditus oneribus, non adhæsit sæculi blanditiis, sed pro hoc mercavit Regnum, nullis unquam finiendum sæculis. Perierat autem ab eo appetitus sæculi, cesserat amor mundi, quia nullis pœnis succumbere adquievit fragilitatibus sæculi humani, nam ergastulis conclusus, cum ejus sodales voluptuose

[a] Hæc verba desumpta ex Isaia XLIII, 1. Pro lauda canuntur in missa communi unius martyris simplicis, pag. 425.

[b] Bollandiani, has siglas minime attendentes, quæ procul dubio *sacrificium* significant, verba illa sub- B jecta *laudæ* attribuunt, nec ullam de *sacrificio* mentionem faciunt. Porro sacrificium hoc e missa propria sancti Laurentii martyris desumptum est, pag. 358. Verba autem ex Isaia XLI, 13, 14, 17; XLII, 6, 7, desumpta sunt.

[c] Hic opponi debet sigla ℣.

[d] *Exaltavit te.* In Missali est *confortavit te.*

[e] *Ut aperias.* In Missali *aperire.*

[f] *Direti.* In Missali : *Ut populus direptus et vastatus invocans me.*

[g] Hic opponi debet sigla ℟.

[h] Illud *alleluja* abundare videtur, et aliunde luxatum.

[i] Pelagius, natione Hispanus, in Gallæcia nobilibus et Christianis parentibus natus, avunculum habuit Hermoygium Tudensem episcopum, qui, Ordonium II regem in acie ad Vallem Juncariam secutus, a Mauris captus, et Cordubam ductus, carcere clausus est ; pacto autem libertatis pretio, dum pecunia colligitur, Pelagium, e sorore nepotem, obsi- C dem dedit, puerum decennem. Is domi caste pieque institutus, nec, pro ætate, litterarum expers, Cordubæ in custodia, annis tribus cum dimidio, ita vixit, ut cunctis qui eum noverant admirationi esset. Illi enim, præter eximiam corporis formam, vultusque venustatem, aderat pietas in Deum singularis, prudentia supra ætatem, modestia rara. Apud Habdarrahmanum IV, Cordubensium tyrannum, ob præstantem pulchritudinem, sæpius multumque laudatus, ejus jussu e custodia in aulam vocatur, splendide induitur, tyranno sistitur, cui cum placuisset (et erat jam pubertati proximus) inter ephebos aulicos mox ascribendus, jubetur Christum ejurare, et Mahometem Dei prophetam agnoscere. Exhorruit Pelagius, se Christianum esse dixit, eoque nomine unice gloriari. Ipsum quoque tyrannum qui, quasi blandiendo, eum procaciter attrectare aggressus fuerat, verbis graviter increpuit, rejecitque, eademque animi constantia iis obstitit qui blandimentis allicere ad obsequendum regi barbaro, aut minis, et terroribus, D ad impietatem impellere nitebantur. His respondebat sibi pro Christo ludibria, tormenta, et mortem pati, optatum esse atque decorum ; illis vero regis gratiam opesque oblatas, pietatis castimoniæque dispendio, obtinendas, contemnere se atque respuere. Vestemque aulicam exuens, ut carceri suo restitueretur flagitabat. Hæc cum Habdarrahmano fuissent relata, immanis tyrannus, quem debuerat incolumem repræsentare, ut pote obsidem, satellitibus suis Pelagium necandum tradidit ; a quibus diu cruciatus, membratimque cæsus, capite amputato, interfectus est. Corpus exanime martyris, ejusque caput, in Bætim fluvium projecta, Christiani sustulerunt ; caput in cœmeterio sancti Cypriani, corpus in cœmeterio sancti Genesii honorifice tumularunt. Passus est sanctus Pelagius anno ætatis suæ tertio decimo, mense ferme sexto, die Dominica, VI Kalendas Julias, anno æræ Christianæ 925. Historiam passionis ejus Raguel presbyter Cordubensis brevi postea scripsit, eamdem Roswita, monialis Glandesheimensis, in Brunsvicensi, poetria celeberrima, litteris commendavit. Hæc carmine Latino, Raguel prosa, ambo B auctores synchroni, sed Ragueli potior fides habenda, qui Cordubæ scripsit, et cum iis collocutus fuerat qui Pelagium in carcere noverant, et cum iis qui ejusdem passioni interfuerant ; at Roswita, ab Hispaniæ finibus longius remota, quædam ornandi carminis causa, alia ex vulgi opinione, et ex itinerantium narratiunculis collecta, suo inseruit carmini, quæ rerum gestarum veritati non satis congruunt. Contra Raguelem opponunt eum sanctum Pelagium de facie non novisse, nam quæ de moribus ejus et martyrio narrat, fama publica, et testimonio eorum qui cum martyre carcere clausi erant, didicisse se indicat ; unde concludunt Raguelem Cordubæ non scripsisse. At male ; paucis enim fas erat carceres regios frequentare in quibus obsides et bello capti clausi detinebantur, nec presbytero Christiano facilis erat aditus ad ædes tyranni in quibus Pelagius martyrium fecit. Unde consequitur quidem Raguelem nec carceres regios, nec regias ædes frequentasse, C at minime consequitur eum Cordubæ tunc temporis versatum non esse quando sanctus Pelagius in ea urbe obses detinebatur, et martyrium fecit. Aliud Ragueli opponunt eum scilicet diu post martyrium sancti Pelagii scripsisse. Narrationem enim ita orditur : *Igitur temporibus illis*, etc., quæ verba, ut Bollandiani (*T. V Jun., pag.* 205, *n.* 6) animadvertunt, *notabile temporis intervallum* significant. Unde concludunt Raguelem diu post martyrium sancti Pelagii scripsisse. Sed hoc etiam male concludunt. Nam etsi hæc formula *in illo tempore*, aut *temporibus illis*, quæ lectionibus sacris præmitti solet, elapsum tempus significet, haud tamen spatium certum atque determinatum elapsi temporis, sed modo brevius, modo prolixius, indicat. Quare si ponamus, quod puto credibile, Raguelem circa annum 930 scripsisse historiam passionis sancti Pelagii, ut in ecclesia legeretur, illud *temporibus illis* si referatur ad annum 921, quo, teste Mariana (*Lib.* VII, *cap.* 20), ad Vallem Juncarium pugnatum est, spatium novem circiter anno- D rum significat ; at si referatur ad initium illius belli quod Habdarrahman IV, fretus auxiliis Tingitanis, adversus Ordonium II Legionensem regem gessit, cum id, teste citato Mariana (*Ibid.*), anno 918 contigerit, spatium annorum duodecim significat. Cæterum Acta passionis sancti Pelagii a Raguele composita Prudentius de Sandoval, in officio Mozarabico sancti Pelagii, e veteri manuscripto Codice Ecclesiæ Tudensis, et Ambrosius Morales, in fine Operum sancti Eulogii, e vetusto Codice Gothicis litteris manuscripto, bibliothecæ regiæ Scorialensis, ediderunt. Codex Scorialensis, qui ex insigni monasterio sancti Petri de Cardenna, ordinis sancti Benedicti, ad bibliothecam regiam Scorialensem delatus fuerat, in margine nomen auctoris scriptum exhibuit. *Raguel presbyter doctor fuit hujus passionis Cordubensis*, quæ verba Morales ita disposuit ut sint : *Raguel presbyter Cordubensis, doctor* (id est, auctor) *fuit hujus passionis.*

voluptuose viverent, iste uno eodemque modo, corpus servabat intactum, solique Deo, suum indefessæ mentis dirigebat obtutum. Hunc igitur apud Deum, dilectissimi, advocemus in auxilium, ut suis mereamur precibus, quæ nostra nobis subtrahunt merita, ac scelera abdicant consueta. Deponamus namque quod ipsi male ingessimus vivendo diaboli suadelis, ac divinis decidendo a præceptis, et quia nostris non confidimus meritis, hujus precemur suffragium Martyris qui, gladio descetus (*sic*), sempiternæ gloriam obtinet beatitudinis, opitulante ipsius misericordia Domini nostri, qui vivit ac regnat in sæcula sæculorum.

Alia Oratio.

Æterne omnipotens Deus, qui nullis absque præcedentibus meritis, vocas ad te peccatores, ac tuos misericorditer ditas famulos, tu nobis hunc testem tuum Beatissimum Pelagium proroga Patronum, [a] qui pro te Sanguine fuso, incomparabile meruit pervenire ad præmium: habeat te concedente, fidelis curam gregis, qui supplicum non renuit subire passionis, atque perfido, qui veritatem non tacuit Regi, nomine solummodo glorians unigeniti tui, indefesse pro nobis intercessor accedat tibi, ut inter ærumnas sæculi careamus vitiis, nullisque inhæreamus deceptionum illecebris, sicque, per hunc Martyrem tuum, te Dominum habeamus propitium, quo offerentium fructus multiplices, et uberes frugum redditus efficere solita pietate digneris, nullis igitur a te præcipitemur lapsibus, nullis evocemur scandalis, qui propriis emergere a pedoribus nequeamus omnino viribus: quapropter te rogamus esse nobis placidum, qui nos ad tuum fecisti imaginem, et per baptismatis reformasti tinctionem. Amen, te auxiliante.

Post nomina.

Largire propitius immense Deus votis Ecclesiæ A tuæ, tui Martyris Pelagii suffragium supplicantis, quam alacriter ad tuum altare munus deferre inspicis proprium. Etenim alter tacite fundit suspiria, alter in lachrimas prorumpit mente compuncta: iste quoque simpliciter orat, ille genis pavimentum [b] barride non desinit. Sed tu Deus noster inspicis mentes ac probas singulorum conscientias, ideo quæsumus tuis oculis effice placidum quod humana miseria utcumque offert compuncta, revera nuda conscientia, te coram quis nostrum stare poterit? quem sancti tremunt, ac multiplices Beatorum conventus expavescunt, quapropter, vel adclines rogamus, ut nos tua præveniat misericordia, et nobis ad te reditum conferendo, et defunctis fidelibus requiem largiendo, ut [c] utrumque habeat gratia indefessa, quos tremulos ante te propria esse cernis conscientia. Amen.

Ad Pacem.

Accedentes ad te Domine Sacerdotes, quos ex officio debitum cunctos cogit commendare fideles, non B incurramus merita ullo modo propria, sed, te præstante crimina mereamur evadere patrata, exaudi quæsumus precem [d] Ecclesiæ Tudæ, quam, tuis nutibus, in honore Martyris sui Pelagii delibat, ac singulorum occurre precatibus, qui hunc Martyrem tuum vitiis repugnantem dignum tuis fecisti esse conspectibus, deferat nostram coram te quæsumus obsequelam, qui tibi placuit pro passione, succurrat miseris prece, erigat prostratos assidue, qui te infideli confessus est coram Principe. quis nostrum sane ad te facile audebit oculos erigere quos tabes conscientiæ premit, lapsus inclinat, fœda indecenter consuetudo curbat, lenta quoque animi remissio erigere non sinit, sed, quod pejus est, inlicitum impudenter agere propellit, adclines ergo te rogamus ut omnibus in commune adsit Patronus, qualiter, te propitio, dissidentes ad pacem, et pacifici indefessam charitatis retenteat unitatem. Amen, per te qui es.

[a] Cordubenses, more vetusto, martyres in persecutione Arabica passos statim a morte coluisse, sanctus Eulogius haud obscure indicat, nam de martyrio Floræ et Mariæ virginum ad Alvarum Cordubensem scribens: *Ipso*, inquit, *die quo gloriosarum nobis relatus est, sub confessione nominis Christi, interitus futurus, omnes ad orationum arma currentes, horam nonam in Dei laude persolvimus*, ac deinceps *auctis tripudiis, vespertinum, et missale sacrificium, ad honorem et gloriam nostrarum virginum celebravimus, cunctique nos illarum patrocinio tutandos commisimus*. Unde apparet Eulogium, aliosque, qui cum Flora et Maria carcere clausi fuerant, pro virginibus orasse, cum eas ad locum martyrii duci cognovissent; at postquam cognoverunt easdem, pro Christi nomine, gladio cæsas esse, non pro illis ulterius orasse, sed eas statim inter martyres colere cœpisse, preces ecclesiasticas et missam in honorem earum celebrasse, et se illarum *patrocinio tutandos* commisisse. Juxta hanc, in Hispania receptam disciplinam, ambigendum non videtur quin Cordubenses sanctum martyrem Pelagium, statim a morte, venerati sint. Id certe ex Sandovalio constat (*Hist. Eccl. et civit. Tuden.*, f. 62), nomen Pelagii apud Hispanos adeo celebre fuisse, ut tertio a passione ejus anno ecclesias illi in Castella et in Gallæcia jam dedicatas fuerint. At inquiunt Cordubenses ausos non fuisse eum inter martyres colere, in quem Saraceni, tanquam in reum, gladio animadverterant. Eadem ratione probare possunt priscos fideles nullos martyres coluisse, saltem in illis urbibus in quibus passi sunt, quod plane falsum est. Et ex sancto Eulogio, uti mox dicebam, satis constat Cordubenses martyres suos statim a morte coluisse, neque id ignotum Saracenis, neque ab iis vetitum fuit. Videbant Saraceni, Cordubenses, corpora martyrum, in flumen projecta cum honore, ac solemni Ecclesiæ cantu, populique fidelis concursu, ad ecclesias et cœmeteria sepelienda deferri, nec tantum splendente sole, sed noctu etiam, et quandoque magno luminum copia, et insigni frequen- C tia martyrum, funera ducere, ut sanctus Eulogius (*In Apologetico martyrum, in Memoriali sanctorum, l. II, c. 1, et alibi passim*) docet, nec ignorabant Saraceni hos honores, non quibuslibet fidelium cadaveribus, sed eorum duntaxat persolvi qui fidei causa mortem obierant, nam eam maxime ob causam Saraceni cadavera eorum quos fidei causa interfecerant, in flumen, saxis alligata, demergebant, aut igne comburebant, et cineres in flumen mittebant, ne Christiani reliquiis potirentur. Imo, ut sanctus Eulogius in Apologetico Martyrum scribit: *Nonnulli e turba gentilium* (ita Saracenos appellat) *sumebant lapillos fluminis, qui cruore martyrum erant conspersi, et lymphis abluentes, projiciebant in pelago, ne Christianis existerent in emolumento lypsanorum*. Cum igitur Saracenis notum fuerit cultum martyrum iis deferri, quos ipsi, religionis causa, interfecerant, neque hanc Christianorum praxim lege ulla prohibuerint, non videtur dubitandum quin sancto Pelagio, statim a morte, tanquam martyri, commune officium celebratum D fuerit, ac deinde officium proprium, in quo, de more, Acta passionis ejus legebantur, a Raguele, presbytero Cordubensi, composita.

[b] Forte legendum *barrere* non desinit, *barrer* Hispanice idem sonat quod Latine *verrere*, genis terram *barrere*, seu *verrere*, dici possunt, qui vehementius orantes, vultu ac genis ecclesiæ pavimentum prostrati compriment.

[c] *Utrumque*. Forte: *Ut utrinque habeant gratiam indefessam, quos*, etc.

[d] Sanctum Pelagium in Gallæcia natum esse Raguel aperte scribit, idem tenet auctor hujus missæ, et in hymno officii canitur *ortus Gallætia*. Sandovalius (*In Hist. Eccl. et civit. Tud.*) contendit Pelagium Tudæ natum esse, cui favet hæc oratio in qua Tudenses Pelagium *martyrem suum* prædicant, quod plane significat Pelagium apud Tudenses aut natum, aut saltem educatum fuisse.

INLATIO.

Gratias tibi omnipotens Deus agere dignum est, pulchrumque satis ac sanctum est, valde congruum, ac nobis semper commodum esse convenit, per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum, per quem utique hic Martyr Pelagius nec vitiorum inhæsit gurgitibus, nec dèlitiarum cessit flagitiis, sed tibi semper extitit intrepidus, cui ante passionem fortiter famulabatur illuminatus. Hic in occidentali plaga oriùndus Gallæciam [a] patruum habuit fundum, sed Cordubæ, dante Deo, perspicuum suscepit Martyrium : et quia variis, occulto, arcanoque Dei consilio, electi occasionibus ac cœlum rapiuntur, patula extitit procul dubio causa actionis, qua, hunc nostrum patronum Martyrem tuum, corpore passum Cordubæ, Tuda suscepit lætabundum, erat quidem hujus Pelagii [b] Patruus Hermoygius Episcopus Cordubæ carcere tentus, qui ut evaderet ergastuli periculum, [c] pro se hunc dedit puerum, testem Alumnum : unde, illo evadente, Pelagius iste susceptus est in carcere : ubi vero ferri onere præpeditus, futurum quodammodo præmeditabatur Martyrium, cujus sæpe animus intente penetrabat cælum, et licet ad Patriam adhuc humanitus redire disponeret, a proposita sibi rigore haud quaquam mollescebat, quia carcerem ardua pro pœnitentia esse cogitabat : nam psallendi quotidie modum adhibuerat, [d] cui tanta Christi gratia intus illuminatrix aderat : verum cujus præcordiis abdite mature sonneras (*sic*), audi fili, et vide quia concupiscit Rex speciem tuam : hùnc impudice Tyrannus audebat redamare, putans eum suis A aptum vitiis fore. Sed stetit intrepidus, cui tu non deeras omnino intus, qui namque advocatus veniens, ac [e] persuasus ut Christum negare mallet, audiens illico cuncta sibi sprevit [f] Regna illata, eundem Christum Dominum nostrum, voce prædicans libera. Habeto, inquit, o Rex, tuisque cum perditis, solus munera, nam me tibi aquiescere [g] non posse intus manet qui dicit : nam ego Deum habeo, quem tu miser ignoras, cui omnia genuflectunt, qui sanctis Regnum, ac perditis promisit supplicium : verum quia per multas nos tribulationes pervenire opportet ad Regnum, ideo paratus sum, qualem vis pande interitum. Cui Rex, o inquit, Puer aut Christum nega, aut membra gladium suscipent, ac duriter inter pœnas animam [h] exhalabis. Unde Pelagius sanctus, Christianus sum, ac fui, et ero, idcirco mori non timeo. Quem fortiter stantem, post multas pœnas . . . . membratim gladius discrevit, atque inde cælum spiritus petiit. Qui inter supplicia Christum confiteri non destitit....
B . . . . o vere Martyr in cælis, quia testis fuisti in terris, clementissime fautor occurre votis nostris, per te lapsus veniat ad pœnitentiam, ignarus ad Doctrinam, æger ad salutem, defunctus ad requiem. Quare adclines petimus æterne Deus, per hunc Martyrem tuum, nobis fave propitius, clemens occurre interpellatus, nostris tibi oblatis muneribus semper adesto pius, cui merto.

PS. SCS. *Post Sanctus*.

Ille Hymnus, Domine, in excelsis ab Angelis, iste Hymnus a sanctis [i] præcinier . . . . omnibus vere est sanctus, vere est benedictus Dominus noster

[a] *Patruum*. L. *Patrum*. Scilicet in Gallæcia patres, id est, parentes, pater et mater, Pelagii latifundia possidebant.

[b] Hermoygius dicitur sancti Pelagii *patruus*, quæ vox hoc loco fortasse pro *avunculo* adhibetur. Mariana (*De Reb. Hisp.*, *l.* VII, *c.* 20) scribit Pelagium fuisse Hermoygii episcopi *sororis filium*. Raguel, in C passione sancti Pelagii, et Sampirius Asturicensis episcopus, scriptores synchroni, aiunt sanctum Pelagium *sobrinum* fuisse Hermoygii episcopi, at *sobrino* Hispanis nepos est sive e fratre, sive e sorore natus.

[c] Sampirius Asturicensis episcopus, scriptor coævus : Christiani, inquit, et Agareni *obviaverunt sibi in valle quæ dicitur Juncaria; et multi corruerunt ex nostris; etiam duo episcopi, Dulcidius Salmaticensis, et Hermoygius Tudensis, ibidem sunt comprehensi, et Cordubam adducti; et pro isto Hermoygio episcopo ingressus fuit obses sobrinus ejus sanctus Pelagius Cordubam; deinde posuerunt eum in carcerem, qui postea pervenit ad martyrium.* Cæterum Hermoygius, post martyrium sancti Pelagii, abdicato episcopatu, ad monasterium sancti Christophori Labrigiense se contulit; ibique defunctus, inter sanctos confessores ab accolis colitur, ut, præter alios, referunt Sandovalius (*Hist. antiq. civ. et Eccl. Tuden.*) et Joannes Tamaius (*Martyrol. Hisp., die 26 Junii*).

[d] *Pelagius*, inquit Raguel, *caute in carcere vivebat*, D *ubi ferme annorum decem ætate inclusus fuerat . . . . . Erat enim castus, sobrius, quietus, cautus, orationibus vigil, lectionibus assiduus, dominicorum præceptorum non immemor, bonorum colloquiorum ascitor, malorum expers, risui non facilis..... Sic præterea mente vel corpore servabat integritatem, ut putares non nisi futurum martyrium* præmeditare.

[e] Auctor hujus missæ *redamare* adhibet pro *amare*, *persuasus* pro *suasus*, et *mallet* pro *vellet*.

[f] *Regna*. Forte legendum : *Cuncta sibi sprevit regni munera illata*, ut infra, in oratione *post sanctus* legitur.

[g] Raguel distincte scribit sanctum Pelagium non modo fidei, sed etiam castitatis conservandæ causa mortem subiisse : *Intus*, inquit, Pelagio erat, *instructor Christus, qui foris erat formæ illuminator*, cumque *digne regebat ut bina, tam virginitatis quam passionis, uberius corona ditatus, duplicem ferret de hoste triumphum, cum et divitias abhorreret, et vitiis non cederet; ergo merito duplum* pervenit *ad bravium*. Roswita quoque scribit Pelagium martyrem, pudicitiæ consecutum esse *laureolam cœlesti luce coruscam, qua bene servata fulget pro virginitate*. Raguel etiam refert, *cum rex eum jlocalariter tangere vellet*, sanctum Pelagium dixisse : *Tolle, canis*, manum ; *nunquid me effeminatum tuis similem existimas?* et Roswita addit eum pugno tyrannum percussisse.

[h] Raguel refert Habdarraghmanum, cum Pelagium in fide Christi retinenda constanter perseverare, *atque in suis se desideriis spretum esse*, intelligeret, *ira stimulatum*, satellitibus suis dixisse : *Appendite illum in forcipes ferreas, atque strictim tandiu sursum deorsum vicissim levantes deponite, quousque aut animam exhalet, aut Christum esse Dominum deneget*. Apparet *forcipes* istas *ferreas*, quas Sandovalius Hispanice dixit *In garrucha de hierro*, supplicium fuisse illi haud absimile quod Itali *chordam*, sive *funem*, nominant, quo noxii passim puniri solent. Pergit Raguel, *quod supplicium beatus Pelagius forti animo pertransiens, stabat intrepidus*, plura *pro Christo pati non recusabat, cujus immobilem constantiam cum rex videret, jussit eum membratim gladio scindi et in flumen projici; qua ministri potestate accepta..... alius brachium radicitus amputavit, alius tibias desecavit, alius etiam cervicem ferire non destitit*; et dum martyr Christum invocaret, *manus quas ille ad Deum levabat, illi gladio amputabant*, quibus apparet Pelagium in partes dissectum, tandem, capite amputato, martyrium complevisse. At Roswita nec forcipibus ferreis tortum, nec membratim cæsum fuisse Pelagium cecinit. Sed immane quoddam et vix antea auditum mortis genus excogitavit, ait enim tyrannum ira furentem quod, impacto pugno, Pelagius illi sanguinem elicuerit, jussisse martyrem :

Trans muros projici jactum funda machinali,
Crebro bellantes saxis quæ perfodit hostes.

Subditque Pelagium transflumen balista projectum, in cautes illæsum decidisse, at postea a satellitibus tyranni inventum, capite fuisse diminutum. Unde ista Roswita hauserit, non satis constat, at certe potior est Ragueli fides habenda, cui auctor hujus missæ subscribit.

[i] *Præcinier*. Forte : *Iste hymnus a sanctis præciniet convenit in cœlis*.

Jesus Christus filius tuus, a quo est roboratus Pelagius, ut nec mori timeret, neque veritatem interrogatus taceret, persuasus namque a Præside, ut copiosa Regni munera acciperet, et Christum negaret, et ita [a] Regis corpus servet horandum... unde petimus, per hujus interventum, ut hæc sanctificentur munera data, ac multiplicis [b] ditentur tuo altari sacrificia imposita, qualiter omnes qui ex his libaverit muneribus [c] per te ......, atur ab adversis, qui.

Post pridie.

Veni sancte Spiritus, et in laud........ Sacrificiis que omnis [d] .... Ecclesia in honorem Martyris tui Pelagii sacratissimæ passionis, quique a te adjutus, pœnas superavit, terrores vicit, gladium non timuit perferre, quo tecum sine fine regnare meruit: iste tuus est, Domine famulus, in agone præcipuus, in vita cautus, in doctrina strenuus, in morte laudabilis, in Regno sublimis: per quem te petimus habere propitium, quo nos et de manu eruas diaboli, et consortes efficias Regni tui: nosti igitur Domine quantum nos hostis insidiatur antiquus, et ideo nullum de nobis habeat quem lucretur, quos una Mater Eccl. per regenerationis undam abluios esse gloriatur: floreat in nobis gratia doni æterni a quo hæc munera sanctificentur, et per quem sanctificata sumantur: redundet quidem in visceribus nostris oblatio tua, sicut multiplicius sancti Martyris tui profuit ad coronam.

Ante Orationem Dominicam.

Suscipe omnipotens Deus hujus preces fidelissimi conventus, qui se tuis cotidie adclinis commendat conspectibus, quo hunc Beatissimum Martyrem tuum Pelagium, quem prompta celebrat obsequela apud te habeat interventorem, cujus tu largire dignatus es martyrii palmam........... rescinde quæsumus dura nostræ mentis præcordia, et ariditatem inriga benedictionis ubertate gratuita, quatenus, te favente libera nostra tibi serviat vita, quæque malæ consuetudinis more, in........ er labitur ad inlicita..... de manu insidiantis, ac tuis semper serva in castris, cui nos abjicias a facie..... quos consueta bonitate, e terris docuisti orare .... ere..........

Benedictio.

.... qui vos de supplicio eruit mortis, communicare faciat Pelagii meritis beatissimi Martyris. Amen........ ut per quem ille passus cælorum..... Regnum........ atque..... per pat.......... suf .... ex .... cia testis..... magna est..... ris tui, co..... sionis, o Beate qui sui..... nos quos carni in me....... tate aspicies fragiles........ et opere justifices, et gratia votorum exornes............ et qui non habemus bonorum operum fiduciam susceptione ejus festivitatis remissionem criminum capiamus obtutam........

Post Communionem.

Deus omnium sanctorum splendor mirabilis qui præsentem honorabilemque Martyrem tuum prædicare jussisti: da populo tuo eruditionem gaudi. rum, ut qui hunc colimus diem, [e] et vocespsallimus verbis, munera capiamus Regni cœlestis. Amen. Dominator Domine mitissime. [f] Kyrie eleison.... fons, origo lucis perpetuæ.......

[a] Custodes corporis regum Saracenorum in Hispania nobiles erant ephebi, *pueri militares regis, et tirones regis* dicebantur, *annonis regalibus* in palatio, tanquam in schola militari, alebantur.

[b] *Ditentur.* Forte, *ac multiplici spiritus* benedictione *ditentur tuo altari sacrificia imposita.*

[c] Forte, *per te tueatur.*

[d] Hic locus suppleri potest: *et inlabere sacrificiis, quæ omnis offert Tudensis Ecclesia.*

[e] Forte legendum: *et voce psallimus vera.*

[f] Sunt hæ preces diaconicæ, positæ extra locum suum.

APPENDIX SECUNDA.

Quamvis fragmentum vetusti Kalendarii Hispani, quod Franciscus de Pisa, anno 1595, Toleti ediderat, a Joanne Pinio (Tract. historico-chronol. de liturgia Hispanica, cap. 9, sect. 4), *iterum editum sit, tamen, quia ad notitiam festivitatum et jejuniorum Ecclesiarum Hispaniæ multum confert, illud hoc loco adjicere placuit, eique subjicere Kalendarium integrum, e Missali et Breviario Mozarabum, ex laudato fragmento, atque ex Orationali Gothico collectum, quod, donec Kalendarium Gotho-Hispanum e Bibliothecarum latebris prodeat, ejus vices utcunque supplere possit.*

FRAGMENTUM VETUSTI KALENDARII A FRANCISCO DE PISA EDITI.

MENSIS JANUARIUS.

Dies xxxi. i. dies habet horas x.
Nox xiiii.
Kal. Circumcisio Domini nostri Jesu Christi.
IIII Non. Sanctæ Columbæ virg. Senonas.
III. Jejunium observatur tribus diebus.
II.
Nonis.
VIII. Idus. Appatio. quod est Epiph.
VII. Sancti Juliani, vel comitum mar. Antiocia.
VI. [a] Sancti Luciani presb. mar. Eliopoli.
V. Sanctorum XL. mar. Constantina.
IIII. Sanctæ Serene virg. mar.
III.
II.
Idus.
XVIIII. Kal. Febr. Sancti Felicis Nola.
XVIII.
XVII.
XVI. Policarpi, et Antonii.
XV.
XIIII. Sancti Sebastiani, et Comitum. Roma.
XIII. Sanctarum Agnetis, et Emerentianæ. Roma.
XII. Sanctorum Fructuosi epi. et Eulogii diaconorum. Tarracona. Mar.
XI. Vincentii levitæ mar. Valentia.
X. Obitum dni Ildefonsi. epi. Toleto.
VIIII. Sancti Babilæ epi. et trium Puerorum. Antiocia.
VIII.
VII. Caput Februarii apud Ægiptios.
VI.
V. Sancti Tyrsi, vel comitum. mar. Grecia.
IIII.
III.
II.

MENSIS FEBRUARII.

Dies xxviii. iii. dies habet horas xi.
Nox xiii.
Kal.
IIII Non.
III.
II.
Nonis Sanctæ Agate virg. mar. Catania.

[a] *Sancti Luciani, Eliopoli.* Lege *Helenopoli.* Nam sanctus Lucianus Drepani sepultus est, quem locum Constantinus, a matris suæ nomine, Helenopolim appellavit. Vide notas pag. 556.

VIII. Idus.
VII. Sanctæ Doroteæ, vel comitum. mar. Cappadocia.
VI. Sancti Marci : : : : evange. mar.
V.
IIII.
III.
II.
Idus.
XVI. Kalend.
XV.
XIIII.

A

XIII. Sancti Pantaleonis.
XII.
XI.
X.
IX.
VIII. Cathedra sancti Petri apostoli.
VII.
VI. Sanctæ Julianæ virg. et mar.
V.
IIII.
III.
II.

KALENDARIUM GOTHO-HISPANUM

Collectum e fragmento Kalendarii Francisci de Pisa, ex Orationali Gothico, et e Missali et Breviario Mozarabum.

MENSIS JANUARII.

I. Kalend. Circumcisio Domini.
II. IV. Non.
III. III. Jejunium.
IIII. Pr. Non. Jejunium.
V. Nonis. Jejunium.
VI. VIII. Id. Apparitio Domini.
VII. VII. Juliani et Basilissæ mar.
VIII. VI.
IX. V. [a] Sanctorum quadraginta martyrum.
X. IV. Sanctæ [b] Serenæ virg. mart.
XI. III.
XII. Pr. Id.
XIII. Idibus.
XIV. XIX. Kal. Feb. sancti Felicis Nolani.
XV. XVIII.
XVI. XVII.
XVII. XVI. Policarpi et Antonii.
XVIII. XV.
XIX. XIV. Sebastiani et comitum. mar.
XX. XIII. [c] Luciani presbiteri. mar.
XXI. XII [d] Agnetis virg. et mar.
XXII. XI. Vincentii levitæ. mar.
XXIII. X.
XXIV. IX. Babilæ episc. et trium Puerorum, mart.
XXV. VIII.
XXVI. VII.
XXVII. VI.
XXVIII. V. Tyrsi mart.
XXIX. IV.
XXX. III.
XXXI. Pr. Kal. Feb.

MENSIS FEBRUARII.

I. Kalend.
II. IIII. Nonis.
III. III.
IIII. Prid.
V. Non. Agatheæ virg. mar.
VI. VIII. Id.
VII. VII. Dorothæ virg. mar.
VIII. VI. Marci evangelistæ. mar.
IX. V.

B

X. IIII.
XI. III.
XII. Pr. Id. Eulaliæ Barcinonensis. v. m.
XIII. Idib. [e] Fructuosi ep. Augurii et Eulogii diaconorum. mart.
XIV. XVI. Kal.
XV. XV.
XVI. XIV.
XVII. XIII.
XVIII. XII. [f] Pantaleonis.
XIX. XI.
XX. X.
XXI. IX.
XXII. VIII. [g] Cathedra sancti Petri apostoli.
XXIII. VII.
XXIV. VI. Matthiæ apostoli et Julianæ virg. et mart.
XXV. V.
XXVI. IIII.
C
XXVII. III.
XXVIII. Prid.

MENSIS MARTII.

I. Kalend.
II. VI. Non.
III. V. [h] Emiterii et Celedonii mar.
IIII. IIII.
V. III. etc.

MENSIS APRILIS.

MENSIS MAII.

I. Kalend. Torquati et comitum confess.
II. VI. Non.
III. V. Inventio sanctæ Crucis.
IIII. IIII.
V. III.
VI. Prid.
VII. Nonis.
VIII. VIII. Idibus, etc.

D

Dominicæ Pentecostes præmittitur Jejunium quatuor dierum.

MENSIS JUNII.

I. Kalend.

[a] *Sanctorum quadraginta martyrum.* Horum meminere Breviarium Mozarabum, et fragmentum Kalendarii a Francisco de Pisa editum, in quo *Constantinæ*, id est, Cirtæ in Numidia, aut passi, aut sepulti perhibentur.

[b] *Serenæ.* Hanc e citato fragmento Pisano habemus.

[c] *Luciani.* Hunc hac die signavi, Missale nostrum secutus.

[d] *Agnetis.* Orationale Gothicum et fragmentum Pisanum hanc XIII Kalend. Februarii signant, ut locum sancto Fructuoso facerent. Vide notas pag. 559.

[e] *Fructuosi*, etc. Cur hac die signentur dixi in notis pag. 568.

[f] *Pantaleonis.* Hunc e fragmento Pisano desumpsi. Ejus caput ex Africa in Gallium delatum fuit. Vide pag. 602.

[g] *Cathedra.* De hac festivitate fragmentum Pisanum et Orationalem Gothicum agunt.

[h] Tempore quadragesimali, et tempore paschali nullæ a Gotho-Hispanis festivitates sanctorum celebrabantur. Quare festivitas sanctorum Emiterii et Celidonii quæ ineunte Martio, et festivitates sanctorum Torquati et Comitum, et inventionis sanctæ Crucis quæ ineunte Maio signantur, aliis diebus celebrabantur, quotiescunque in tempus paschale, aut quadragesimale incidebant.

II. IIII. Non.
III. III.
IIII. Prid.
V. Nonis.
VI. VIII. Id.
VII. VII.
VIII. VI.
IX. V.
X. IIII.
XI. III.
XII. Prid.
XIII. Idib.
XIV. XXVIII. Kal. Jul.
XV. XVII.
XVI. XVI. Adriani, et Nataliæ mart.
XVII. XV.
XVIII. XIIII.
XIX. XIII.
XX. XII.
XXI. XI.
XXII. X.
XXIII. IX.
XXIV. VIII. Nativitas sancti Joannis Baptistæ.
XXV. VII.
XXVI. VI. [a] Pelagii mart.
XXVII. V. [b] Zoyli mart.
XXVIII. IIII.
XXIX. III. Petri et Pauli Apostolorum.
XXX. Prid.

MENSIS JULII.

I. Kalend.
II. VI. Non.
III. V.
IIII. IIII.
V. III.
VI. Prid.
VII. Nonis.
VIII. VIII. Id.
IX. VII.
X. VI.
XI. V.
XII. IIII. Marcianæ virg. mar.
XIII. III.
XIV. Prid.
XV. Idibus.
XVI. XVII. Kal. Aug.
XVII. XVI. Justæ et Ruffinæ virg. mart.
XVIII. XV.
XIX. XIV.
XX. XIII.
XXI. XII.
XXII. XI. Mariæ Magdalene.
XXIII. X.
XXIV. IX. Cristinæ virg. mart.
XXV. VIII. [c] Jacobi apost.
XXVI. VII. [d] Christophori et comitum mart.
XXVII. VI. [e] Cucufatis mart.
XXVIII. V.
XXIX. IIII. [f] Felicis Gerundensis mart.
XXX. III.
XXXI. Prid.

MENSIS AUGUSTI.

I. Kalend. Maccabeorum mart.

A II. IV. Non.
III. III.
IIII. Prid.
V. Nonis.
VI. Id.
VIII. Id. Justi et Pastoris mart.
VII. VII.
VIII. VI.
IX. V.
X. IIII. [g] Sixti papæ, et Laurentii mart.
XI. III. Hippoliti mart.
XII. Prid.
XIII. Idib.
XIV. XIX. Kal. Sept.
XV. XVIII. [h] Assumptio beatæ Mariæ virginis.
XVI. XVII.
XVII. XVI.
XVIII. XV.
XIX. XIV.
B XX. XIII.
XXI. XII.
XXII. XI.
XXIII. X.
XXIV. IX. Bartholomæi apostoli.
XXV. VIII. Genesii mart.
XXVI. VII. Gerontii conf.
XXVII. VI.
XXVIII. V.
XXIX. IV.
XXX. III.
XXXI. Prid.

MENSIS SEPTEMBRIS.

I. Kalend.
II. IV. Non.
III. III.
IIII. Prid.
V. Nonis.
C VI. VIII. Id.
VII. VII.
VIII. VI.
IX. V.
X. IIII.
XI. III. Jejun.
XII. Prid. Jejunium.
XIII. Idib. Jejunium.
XIV. XVIII. Kal. Oct. Cypriani ep. mart.
XV. XVII.
XVI. XVI. [i] Euphemiæ virg. mart.
XVII. XV.
XVIII. XIIII.
XIX. XIII.
XX. XII.
XXI. XI. Matthæi apost. et evangel.
XXII. X.
XXIII. IX.
XXIV. VIII. [j] Decolatio sancti Joannis Baptistæ.
D XXV. VII.
XXVI. VI.
XXVII. V. Cosmi et Damiani mart.
XXVIII. IIII. Fausti Januarii et Martialis.
XXIX. III. [k] Michelis archangeli.
XXX. Prid.

[a] *Pelagii.* Is in persecutione Arabia passus proprie ad Mozarabes pertinet.

[b] *Zoyli.* Hunc Breviarium Mozarabum et Prudentius (*Hym. 4 de Coron.*) inter martyres Cordubenses commemorarunt. Prudentius *Zoellum* nominat.

[c] *Jacobi* non satis constat quo die Gotho-Hispani hunc Apostolum coluerint.

[d] *Christophori* dies ejus certus Missali nostro non constat, nisi quod ejus Missa inter Missam sanctæ Christinæ, et Missam Sancti Felicis ponatur.

[e] *Cucufatis.* De eo Breviarium Mozarabum, et Prudentius (*Hymn. 4, de Coron.*), agunt.

[f] *Felicis.* Hunc Missale nostrum exeunte Julio, Orationale Gothicum Kalendis Augusti, una cum Maccabæis martyribus, colit.

[g] *Sixti.* Missale nostrum una eademque missa sanctum Sixtum Papam et sanctum Laurentium commemorat.

[h] *Assumptio.* De hac festivitate vide notas pag. 587.

[i] *Euphemiæ.* De ea meminit Breviarium Mozarabum.

[j] *Decolatio.* Hac die Decollationem sancti Joannis signat Orationale Gothicum. Cui subscribit pseudo-Augustinus ille in epistola ad Bibianum. Vide notas p. 589. In Missali nostro missa Decollationis sancti Joannis Baptistæ exeunte Augusto locum obtinuit.

[k] *Michelis.* De hac festivitate vide notas p. 595.

MENSIS OCTOBRIS.

I. KALEND.
II. VI. Non.
III. V.
IIII. IIII.
V. III.
VI. Prid.
VII. Nonis.
VIII. VIII. Id.
IX. VII.
X. VI.
XI. V.
XII. IIII.
XIII. III.
XIV. Prid.
XV. Idibus.
XVI. XVII. Kal. Novemb.
XVII. XVI.
XVIII. XV. [a] Lucæ evangelistæ.
XIX. XIV.
XX. XIII.
XXI. XII.
XXII. XI.
XXIII. X. Servandi, et Germani mart.
XXIV. IX.
XXV. VIII.
XXVI. VII.
XXVII. VI.
XXVIII. V. Simonis et Judæ apostolorum.
XXIX. IIII.
XXX. III. [b] Marcelli mart.
XXXI. Prid.

MENSIS NOVEMBRIS.

I. KALEND. [c] Omnium sanctorum.
II. IV. Non.
III. III.
IIII. Prid.
V. Nonis.
VI. VIII. id.
VII. VII.
VIII. VI. Jejunium.
IX. V. Jejunium.
X. IIII. Jejunium.
XI. III. Martini episcopi confess.
XII. Prid. [d] Emiliani abbat.
XIII. Idib.
XIV. XVIII. Kal. Dec.

A XV. XVII.
XVI. XVI. [e] Sperati, et comitum mart.
XVII. XV. Acisclæ, et Victoriæ Mart.
XVIII. XIIII. Romani, et Tieuduli Mart.
XIX. XIII.
XX. XII.
XXI. XI. Crispini ep. conf.
XXII. X. Cæciliæ virg. mart.
XXIII. IX. Clementis papæ mart.
XXIV. VIII.
XXV. VII.
XXVI. VI.
XXVII. V.
XXVIII. IIII.
XXIX. III. Saturnini episc. mart.
XXX. Prid. Andreæ apost. mart.

MENSIS DECEMBRIS.

I. KALEND.
II. IV. Non.
B III. III.
IIII. Prid.
V. Nonis.
VI. VIII. id.
VII. VII.
VIII. VI.
IX. V. Leocadiæ virg.
X. IIII. Eulaliæ Emeritens. virg. Mart.
XI. III.
XII. Prid. [f] Eugeniæ virg. mart.
XIII. Idibus.
XIV. XIX. Kal. Jan.
XV. XVIII.
XVI. XVII.
XVII. XVI.
XVIII. XV. Festivitas gloriosæ sanctæ M. virg.
XIX. XIV.
XX. XIII.
XXI. XII. Thomæ apostoli.
C XXII. XI.
XXIII. X.
XXIV. IX.
XXV. VIII. Nativitas Domini nostri J. Christi.
XXVI. VII. Sancti Stephani protomart.
XXVII. VI. [g] Johannis apost. evangel.
XXVIII. V. Innocentum mart.
XXIX. IIII.
XXX. III. [h] Jacobi fratris Domini.
XXXI. Prid. [i] Columbæ Virg. Mart.

[a] *Lucæ*. De eo Breviarium Mozarabum meminit.

[b] *Marcelli*. Prudentius (*Hymn. 4 de Coron.*) de sancto Cassiano cecinit :

> Ingerit Tingis sua Cassianum
> Festa.....

Nam olim Mauritaniæ Tingitana ad Hispaniam pertinebat. De eodem martyre agit Missale Mozarabum.

[c] *Omnium Sanctorum*. De his vide notas pag. 598.

[d] *Emiliani*. Cognomine *Cucufutis*. Ejus Vitam scripsit sanctus Braulio, cujus tempore coli cœptus est. De eo agit Breviarium Mozarabum.

[e] *Sperati*. Hi martyres in Breviario Mozarabum coluntur XII Kal. Jul. Vide notas pag. 600 *et seq.*

[f] *Eugeniæ*. Hanc Orationale Gothicum VI Kal. Jan. signat.

[g] *Johannis*. Aliter Orationale Gothicum : VI Kal. Jan. sanctam Eugeniam, IV Kal. Jan. sanctum Joannem apostolum, et Innocentes martyres mense Januarii, incerto die, signat.

[h] *Jacobi*. Vide notas pag. 491.

D [i] *Columbæ*. Fragmentum Pisanum hanc IV Non. Januarii signat, quæ in Orationali Gothico et in Missali nostro prid. Kal. Januarii colitur.

INDEX RERUM ANALYTICUS.

Numeri Arabici columnis præsentis editionis correspondent. De ciffris crassioribus vide Monitum Editoris volumini præfixum.

A

Martyris. Joseph Confessoris. Cuchberti Episcopi et Confessoris. Benedicti Abbatis. Pauli Episcopi et Confessoris. Annunciatio Beate Marie. Marcelli Pape et Confessoris, 319.

FESTA MENSIS APRILIS.

Theodosie Virginis. Ambrosii Episcopi et Confessoris. Isidori Episcopi et Confessoris. Fructuosi Episcopi Bracharensis, 319.

Toribii Confessoris. Eleutherii Episcopi et Martyris. Victoris Bracharensis Martyris. Eufemie Virginis et Martyris. Tiburcii et Valeriani Martyrum. Vitalis Martyris. Georgii Martyris. Felicis et Fortunati Martyrum. Proflcii Martyris. Marci Evangeliste. Eleti Martyris. Marcellini et Petri Martyrum. Georgii Martyris. Vitalis Martyris. Petri Martyris de Ordine Predicatorum, 320.

FESTA MENSIS MADII.

Philippi et Jacobi Apostolorum. Torcati et comitum ejus Episcoporum, 320.

Athanasii Episcopi et Confessoris. Inventio Sancte Crucis, 322.

Alexandri Eventii Martyrum. Quiriaci Episcopi et Martyris. Johannis ante Portam Latinam. Tripete Virginis. Domitille Virginis. Revelatio Sancti Michaelis. Isidori Militis. Gregorii Nazianzeni. Translatio Sancti Nicolai. Gordiani et Epimachi Martyrum. Poncii Martyris. Nerei et Achilei atque Pancratii Martyrum. Victoris et Corone Martyrum. Bonifacii Confessoris. Potentiane Virginis et Martyris, 324.

Translatio Sancti Dominici. Urbani Pape et Martyris. Translatio Sancti Francisci. Augustini Episcopi Anglorum. Germani Episcopi et Confessoris. Petronille Virginis, 325.

FESTA MENSIS JUNII.

Marcellini et Petri Martyrum. Medardi : et Geraldi Episcoporum. Primi et Feliciani Martyrum. Barnabe Apostoli. Enofri Confessoris. Basilidis : Cirini : Naboris Martyrum. Antonii de Padua Confessoris. Basilii Episcopi et Confessoris. Viti et Modesti Martyrum. Cirici et Julite Martyrum. Adriani atque Natalie Martyrum, 325.

Marci et Marcelliani Martyrum. Gervasii et Prothasii Martyrum. Florentie Virginis. Silvestri Pape et Martyris. Consortie Virginis : cum undecim millium Martyrum. Dominica pro adventu Sancti Johannis, 327.

Nativitas Johannis Baptiste, 330.

Translatio Sancti Eligii Episcopi et Confessoris. Johannis et Pauli. Leonis Pape et confessoris. Petri et Pauli Apostolorum, 334.

Commemoratio Sancti Pauli, 337.

FESTA MENSIS JULII.

Octava Sancti Johannis Baptiste. Visitatio Sancte Elisabeth. Processi et Martiniani Martyrum. Octava Apostolorum Petri et Pauli. Marcialis Episcopi, 337.

Octava Visitationis. Septem fratrum Martyrum. Translatio Sancti Benedicti. Martiniane Virginis et Martyris, 338.

Margarite Virginis. Quirici Martyris. Triumphum Sancte Crucis. Alexii Confessoris. Juste et Rufine Martyrum et Virginum, 341.

Rufine Virginis, 344.

Marine Virginis. Margarite Virginis et Martyris. Praxedis Virginis. Marie Magdalene, 346.

Apolinaris Episcopi et Martyris. Cristine Virginis et Martyris, 348.

Jacobi Apostoli. Anne Matris Sancte Marie. Christofori et Comitum, 349.

Septem Dormientium. Nazarii : Celsi : et Pantaleonis. Felicis Martyris, 352.

Simplicii Faustine et Beatricis. Marthe hospite Christi. Abdon et Sennen Martyrum. Germani Episcopi et Confessoris, 354.

FESTA MENSIS AUGUSTI.

Vincula Sancti Petri, Machabeorum Martyrum. Stephani Pape et Martyris. Inventio Sancti Stephani Martyris, 354.

Petri Exomensis. Dominici de Ordine Predicatorum. Marie de Nivibus. Transfiguratio Domini. Justi et Pastoris, 355.

Sixti Pape. Felicissimi et Agapiti Martyrum, 356.

Donati Episcopi et Martyris. Mammetis Martyris. Ciriei et Largi cum sociis. Laurentii Martyris, 357.

Tiburcii Martyris. Clare Virginis. Hipoliti Sociorumque ejus. Eusebii Presbyteri. Assumptionis Beate Marie, 361.

Octava Sancti Laurentii. Agapiti Martyris Bernardi Abbatis. Octava Assumptionis Timothei, et Simpheriani. Bartholomei Apostoli, 365.

Genesii Martyris, 367.

Gerontii Episcopi et Confessoris, 369.

Rufi Martyris. Victoris Episcopi. Augustini Episcopi. Decollationis Johannis Baptiste, 370.

Sabine Martyris. Felicis et Audacti Martyrum, 373.

FESTA MENSIS SEPTEMBRIS.

Egidii Abbatis. Vincentii et Leti. Antonii Martyris. Marcelli Martyris. Obdulie Virginis. In Nativitate Gloriose Virginis Marie, 373.

In Exaltatione Sancte Crucis, 375.

Octava Beate Marie Virginis, 376.

In jejunio Sancti Cipriani, 376.

Cipriani Episcopi, 379.

Nicomedis Martyris. Vincentii. Eufemie Virginis. Lamberti Episcopi. Matthei Apostoli, 382.

Mauricii et Sociorum. Clare Virginis, 384.

Fortunati Episcopi et Confessoris. Cosme et Damiani Martyrum, 385.

Fausti Januarii et Marcialis, 387.

Michaelis Archangeli, 389.

Hieronymi Presbyteri et Confessoris, 394.

FESTA MENSIS OCTOBRIS.

Verissimi Maximi et Sociorum ipsorum. Leodegarii Episcopi et Martyris. Francisci Confessoris. Marci Episcopi et Confessoris. Sergii et Bachi et Marcellini Martyrum. Dionisii Sociorumque ejus Martyrum. Geraldi Confessoris. Calixti Pape et Martyris. Unfrani Episcopi. Victoris Martyris. Lupi Episcopi et Confessoris. Luce Evangeliste. Herene Virginis et Martyris. Caprasii Martyris. Ursule et undecim millium Virginum. Servandi et Germani, 394.

Fructi Confessoris. Crispini et Crispiniani Martyrum. Vedasti et Amandi Episcoporum. Vincentii Sabine et Cristete. Simonis et Jude Apostolorum, 395.

Eustachii Sociorumque ejus Martyrum. Bellum de Benamarin. Claudii Sociorumque ejus Martyrum. Quintini Martyris, 399.

FESTA MENSIS NOVEMBRIS.

Festum Omnium Sanctorum, 399.

Octava Omnium Sanctorum. Quatuor Coronatorum Martyrum. Theodori Martyris. Menne Martyris. Martini Episcopi, 402.

Emiliani Abbatis. Bricii Episcopi et Confessoris. Clementis et Theodori Martyrum. Eugenii Archiepiscopi Toletani. Sperati et ejus comitum, 404.

Acisclі et Victorie Martyrum, 406.

Octava Sancti Martini. Romani Martyris, 408.

Crispini Confessoris. Cecilie Virginis, 410.

Chrisogoni Martyris. Catharine Virginis et Martyris. Vitalis et Agricole : et Facundi et Primitive Martyrum, 413.

FESTA MENSIS DECEMBRIS.

Eligii Episcopi et Confessoris. Barbare Virginis et Martyris. Nicolai Episcopi et Confessoris, Octava Sancti Andree. In Conceptione Beate Marie Virginis, 413.

Leocadie Virginis, 415.

Eugenie Virginis et Martyris, 418.

Columbe Virginis et Martyris, 419.

Ad laudem omnipotentis Dei, necnon virginis Mariæ matris ejus, omnium sanctorum sanctarumque, expletum est Missale Mistum secundum regulam beati Isidori dictum Mozarabes, maxima cum diligentia perlectum et emendatum per reverendissimum in utroque jure doctorem dominum Alphonsum Ortiz canonicum Toletanum; impressum in regali civitate Toleti, jussu reverendissimi in Christo Patris domini D. Francisci Ximenes, ejusdem civitatis archiepiscopi, impensis nobilis Melchioris Gorricii Novariensis, per magistrum Petrum Bagembach Alemanum, anno salutis nostræ millesimo quingentesimo, die vero nona mensis Januarii.

APPENDIX PRIMA.

MISSA S. PELAGII MARTYRIS

A MOZARABIBUS CIRCA ANNUM DCCCCXXX COMPOSITA.

Prudentius de Sandoval, episcopus Tudensis, in libro quem de Antiquitatibus civitatis et Ecclesiæ Tudensis Hispanice scripsit, [a] partem præcipuam officii et missam sancti Pelagii martyris e vetusto suæ Ecclesiæ Codice edidit. Eamdem missam socii Bollandiani [b] Actis sancti Pelagii adjecerunt ; sed cum opus Sandovalii minime obvium sit, et Bollandiani missam sancti Pelagii, in partes sectam, et missis sancti Jacobi apostoli et sanctæ Eulaliæ interpolatam, ediderint, et pleraque ad laudes matutinas pertinentia missæ sancti Pelagii attribuerint, aliaque nonnulla extra locum suum collocaverint, opere pretium duxi missam sancti Pelagii, a Sandovalio editam, Missali Mozarabum, pro appendice, adjicere ; ea enim, ut alia omittam, plane demonstrat Mozarabes, defluente sæculo x, in missarum celebratione formam liturgiæ Gotho-Hispanæ constanter retinuisse.

[c] *Officium ad missam.*

[d] Beatus vir Alleluja, qui implevit Alleluja, desiderium suum Alleluja.

[e] *Oratio.*

Deus qui sanctam nobis diei hujus solemnitatem Beatissimi Martyris tui illustrem passione fecisti, adesto familiæ tuæ precibus ut cujus hodie festa celebramus, ejus meritis, et intercessione, ad ea quæ imitari cupimus applicemur.

[f] *Lectio libri Sapientiæ Salomonis.*

Fili in omni tempore crede ex fide Animæ tuæ hoc enim est conservatio mandatorum qui credit Deo attendit mandatis, et qui confidit in illum non minorabitur, timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis.

[g] *Psallendo.*

Salvum me fac Deus quoniam ingressæ sunt aquæ usque ad animam meam infixus sum in limo profundi, et non est substantia, deveni in altitudinem maris, et tempestas demersit me, exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua super me. [h] Deo gratias, intende mihi et libera me quia tribulor usque ad animam.

[i] *Epistola Pauli Apostoli ad Corinthios.*

Charissime Dominus mihi astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleretur, et ut audiant omnes gentes, et liberatus sum de ore leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet in regnum suum cœleste, cui gloria in sæcula sæculorum.

[j] *Lectio sancti Evangelii secundum Johannem.*

In illo tempore Dominus noster Jesus Christus loquebatur discipulis suis dicens, quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus servus ille, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem, Amen dico vobis, quoniam supra omnia bona sua constituet eum.

[a] Edidit enim ineuntes vesperas, horas nocturnas, et laudes matutinas, et missam, reliqua e communi unius martyris petenda omisit. In laudibus matutinis passio sancti Pelagii a Raguele scripta legitur.

[b] Tom. V Junii, pag. 218.

[c] Hunc titulum, aliosque qui in Codice Sandovalii desiderabantur, distinctionis gratia, characteribus Italicis, apposui.

[d] Bollandiani initium hujus missæ non agnoverunt. Nam partem haud exiguam matutinarum laudum pro *officio ad missam* assignarunt.

[e] Hæc oratio verbatim desumpta est e missa communi *unius martyris*, pag. 421. Bollandiani pro ea perperam substituerunt orationem matutinarum laudum *Te invocamus*, etc.

[f] Scilicet Ecclesiastici XXXII, 27-XXXIII, 1, 2.

[g] Psal. LXVIII. Vers. 1-20. Hoc psallendo e missa sancti Clementis papæ et martyris, pag. 20, magna ex parte, desumptum est.

[h] Illud *Deo gratias* locum non suum occupat, debetque reponi post ea verba *Epistola Pauli apostoli*, etc., est enim id quod populus respondebat postquam titulum lectionis audierat.

[i] Corrige *ad Timotheum II*, IV, 17-19.

[j] Corrige, *Secundum Matthæum*, XIV, 45-43.

Lauda.

Alleluja. [a] Ecce servus meus suscipiam illum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea.

[b] SFICM *Sacrificium.*

Ego Dominus creavi te, et dixi tibi, puer meus es tu, noli timere, egeni, et pauperes querunt te, et tu exaltabis eos, in Domino Deo tuo. [c] Vocavit te Dominus ad Justitiam, et tenens manum tuam [d] exaltavit te, et constituit te in lucem gentium, [e] ut aperias oculos cæcorum, ut populus [f] direti, et bassatus invocans me, [g] et tu exaltabis eos in Domino Deo tuo, Alleluja.

[i] *Missa in die S. Pelagii.*

Præclarum, præcelsumque diem, quem sancti Martyris Pelagii nobis cruor consecravit, passio invexit, meritum sublimavit, fratres Charissimi, intente votis evehamus, ac virtutum plausibus extollamus, in quo quidem iste beatissimus Martyr carnis deposuit tunicam, et cæli adeptus est gloriam, sicque de numero accitus fidelium, propsapia genitus Christianorum, pro Christo moriens, superuum ascendit Thronum. Hic namque carceris angustias perpessus, ferri compeditus oneribus, non adhæsit sæculi blanditiis, sed pro hoc mercavit Regnum, nullis unquam finiendum sæculis. Perierat autem ab eo appetitus sæculi, cesserat amor mundi, quia nullis pœnis succumbere adquievit fragilitatibus sæculi humani, nam ergastulis conclusus, cum ejus sodales voluptuose

[a] Hæc verba desumpta ex Isaia XLII, 1. Pro lauda canuntur in missa communi unius martyris simplicis, pag. 425.

[b] Bollandiani, has siglas minime attendentes, quæ procul dubio *sacrificium* significant, verba illa subjecta *laudæ* attribuunt, nec ullam de *sacrificio* mentionem faciunt. Porro sacrificium hoc e missa propria sancti Laurentii martyris desumptum est, pag. 358. Verba autem ex Isaia XLI, 13, 14, 17; XLII, 6, 7, desumpta sunt.

[c] Hic opponi debet sigla ℣.

[d] *Exaltavit te.* In Missali est *confortavit te.*

[e] *Ut aperias.* In Missali *aperire.*

[f] *Direti.* In Missali : *Ut populus direptus et vastatus invocans me.*

[g] Hic opponi debet sigla ℟.

[h] Illud *alleluja* abundare videtur, et aliunde luxatum.

[i] Pelagius, natione Hispanus, in Gallæcia nobilibus et Christianis parentibus natus, avunculum habuit Hermoygium Tudensem episcopum, qui, Ordonium II regem in acie ad Vallem Juncariam secutus, a Mauris captus, et Cordubam ductus, carcere clausus est ; pacto autem libertatis pretio, dum pecunia colligitur, Pelagium, e sorore nepotem, obsidem dedit, puerum decennem. Is domi caste pieque institutus, nec, pro ætate, litterarum expers, Cordubæ in custodia, annis tribus cum dimidio, ita vixit, ut cunctis qui eum noverant admirationi esset. Illi enim, præter eximiam corporis formam, vultusque venustatem, aderat pietas in Deum singularis, prudentia supra ætatem, modestia rara. Apud Habdarrahmanum IV, Cordubensium tyrannum, ob præstantem pulchritudinem, sæpius multumque laudatus, ejus jussu e custodia in aulam vocatur, splendide induitur, tyranno sistitur, cui cum placuisset (et erat jam pubertati proximus) inter ephebos aulicos mox ascribendus, jubetur Christum ejurare, et Mahometem Dei prophetam agnoscere. Exhorruit Pelagius, se Christianum esse dixit, eoque nomine unice gloriari. Ipsum quoque tyrannum qui, quasi blandiendo, eum procaciter attrectare aggressus fuerat, verbis graviter increpuit, rejecitque, eademque animi constantia iis obstitit qui blandimentis allicere ad obsequendum regi barbaro, aut minis, et terroribus, ad impietatem impellere nitebantur. His respondebat sibi pro Christo ludibria, tormenta, et mortem pati, optatum esse atque decorum ; illis vero regis gratiam opesque oblatas, pietatis castimoniæque dispendio, obtinendas, contemnere se atque respuere. Vestemque aulicam exuens, ut carceri suo restitueretur flagitabat. Hæc cum Habdarrahmano fuissent relata, immanis tyrannus, quem debuerat incolumem repræsentare, ut pote obsidem, satellitibus suis Pelagium necandum tradidit ; a quibus diu cruciatus, membratimque cæsus, capite amputato, interfectus est. Corpus exanime martyris, ejusque caput, in Bætim fluvium projecta, Christiani sustulerunt ; caput in cœmeterio sancti Cypriani, corpus in cœmeterio sancti Genesii honorifice tumularunt. Passus est sanctus Pelagius anno ætatis suæ tertio decimo, mense ferme sexto, die Dominica, VI Kalendas Julias, anno æræ Christianæ 925. Historiam passionis ejus Raguel presbyter Cordubensis brevi postea scripsit, eamdem Roswita, monialis Glandesheimensis, in Brunsvicensi, poetria celeberrima, litteris commendavit. Hæc carmine Latino, Raguel prosa, ambo auctores synchroni, sed Ragueli potior fides habenda, qui Cordubæ scripsit, et cum iis collocutus fuerat qui Pelagium in carcere noverant, et cum iis qui ejusdem passioni interfuerant ; at Roswita, ab Hispaniæ finibus longius remota, quædam ornandi carminis causa, alia ex vulgi opinione, et ex itinerantium narratiunculis collecta, suo inseruit carmini, quæ rerum gestarum veritati non satis congruunt. Contra Raguelem opponunt eum sanctum Pelagium de facie non novisse, nam quæ de moribus ejus et martyrio narrat, fama publica, et testimonio eorum qui cum martyre carcere clausi erant, didicisse se indicat ; unde concludunt Raguelem Cordubæ non scripsisse. At male ; paucis enim fas erat carceres regios frequentare in quibus obsides et bello capti clausi detinebantur, nec presbytero Christiano facilis erat aditus ad ædes tyranni in quibus Pelagius martyrium fecit. Unde consequitur quidem Raguelem nec carceres regios, nec regias ædes frequentasse, at minime consequitur eum Cordubæ tunc temporis versatum non esse quando sanctus Pelagius in ea urbe obses detinebatur, et martyrium fecit. Aliud Ragueli opponunt eum scilicet diu post martyrium sancti Pelagii scripsisse. Narrationem enim ita orditur : *Igitur temporibus illis*, etc., quæ verba, ut Bollandiani (*T. V Jun., pag.* 205, *n.* 6) animadvertunt, *notabile temporis intervallum* significant. Unde concludunt Raguelem diu post martyrium sancti Pelagii scripsisse. Sed hoc etiam male concludunt. Nam etsi hæc formula *in illo tempore*, aut *temporibus illis*, quæ lectionibus sacris præmitti solet, elapsum tempus significet, haud tamen spatium certum atque determinatum elapsi temporis, sed modo brevius, modo prolixius, indicat. Quare si ponamus, quod puto credibile, Raguelem circa annum 930 scripsisse historiam passionis sancti Pelagii, ut in ecclesia legeretur, illud *temporibus illis* si referatur ad annum 921, quo, teste Mariana (*Lib.* VII, *cap.* 20), ad Vallem Juncarium pugnatum est, spatium novem circiter annorum significat ; at si referatur ad initium illius belli quod Habdarrahman IV, fretus auxiliis Tingitanis, adversus Ordonium II Legionensem regem gessit, cum id, teste citato Mariana (*Ibid.*), anno 918 contigerit, spatium annorum duodecim significat. Cæterum Acta passionis sancti Pelagii a Raguele composita Prudentius de Sandoval, in officio Mozarabico sancti Pelagii, e veteri manuscripto Codice Ecclesiæ Tudensis, et Ambrosius Morales, in fine Operum sancti Eulogii, e vetusto Codice Gothicis litteris manuscripto, bibliothecæ regiæ Scorialensis, ediderunt. Codex Scorialensis, qui ex insigni monasterio sancti Petri de Cardenna, ordinis sancti Benedicti, ad bibliothecam regiam Scorialensem delatus fuerat, in margine nomen auctoris scriptum exhibuit. *Raguel presbyter doctor fuit hujus passionis Cordubensis*, quæ verba Morales ita disposuit ut sint : *Raguel presbyter Cordubensis, doctor* (id est, auctor) *fuit hujus passionis.*

voluptuose viverent, iste uno eodemque modo, corpus servabat intactum, solique Deo, suum indefessæ mentis dirigebat obtutum. Hunc igitur apud Deum, dilectissimi, advocemus in auxilium, ut suis mereamur precibus, quæ nostra nobis subtrahunt merita, ac scelera abdicant consueta. Deponamus namque quod ipsi male ingessimus vivendo diaboli suadelis, ac divinis decidendo a præceptis, et quia nostris non confidimus meritis, hujus precemur suffragium Martyris qui, gladio descetus (*sic*), sempiternæ gloriam obtinet beatitudinis, opitulante ipsius misericordia Domini nostri, qui vivit ac regnat in sæcula sæculorum.

Alia Oratio.

Æterne omnipotens Deus, qui ullis absque præcedentibus meritis, vocas ad te peccatores, ac tuos misericorditer ditas famulos, tu nobis hunc testem tuum Beatissimum Pelagium proroga Patronum, [a] qui pro te Sanguine fuso, incomparabile meruit pervenire ad præmium : habeat te concedente, fidelis curam gregis, qui supplicium non renuit subire passionis, atque perfido, qui veritatem non tacuit Regi, nomine solummodo glorians unigeniti tui, indefesse pro nobis intercessor accedat tibi, ut inter ærumnas sæculi careamus vitiis, nullisque inhæreamus deceptionum illecebris, sicque, per hunc Martyrem tuum, te Dominum habeamus propitium, quo offerentium fructus multiplices, et uberes frugum redditus efficere solita pietate digneris, nullis igitur a te præcipitemur lapsibus, nullis evocemur scandalis, qui propriis emergere a pedoribus nequeamus omnino viribus : quapropter te rogamus esse nobis placidum, qui nos ad tuum fecisti imaginem, et per baptismatis reformasti tinctionem. Amen, te auxiliante.

Post nomina.

Largire propitius immense Deus votis Ecclesiæ A tuæ, tui Martyris Pelagii suffragium supplicantis, quam alacriter ad tuum altare munus deferre inspicis proprium. Etenim alter tacite fundit suspiria, alter in lachrimas prorumpit mente compuncta : iste quoque simpliciter orat, ille genis pavimentum [b] barride non desinit. Sed tu Deus noster inspicis mentes ac probas singulorum conscientias, ideo quæsumus tuis oculis effice placidum quod humana miseria utcumque offert compuncta, revera nuda conscientia, te coram quis nostrum stare poterit? quem sancti tremunt, ac multiplices Beatorum conventus expavescunt, quapropter, vel adclines rogamus, ut nos tua præveniat misericordia, et nobis ad te reditum conferendo, et defunctis fidelibus requiem largiendo, ut [c] utrumque habeat gratia indefessa, quos tremulos ante te propria esse cernis conscientia. Amen.

Ad Pacem.

Accedentes ad te Domine Sacerdotes, quos ex officio debitum cunctos cogit commendare fideles, non B incurramus merita ullo modo propria, sed, te præstante crimina mereamur evadere patrata, exaudi quæsumus precem [d] Ecclesiæ Tudæ, quam, tuis nutibus, in honore Martyris sui Pelagii delibat, ac singulorum occurre precatibus, qui hunc Martyrem tuum vitiis repugnantem dignum tuis fecisti esse conspectibus, deferat nostram coram te quæsumus obsequelam, qui tibi placuit pro passione, succurrat miseris prece, erigat prostratos assidue, qui te infideli confessus est coram Principe. quis nostrum sane ad te facile audebit oculos erigere quos tabes conscientiæ premit, lapsus inclinat, fœda indecenter consuetudo curbat, lenta quoque animi remissio erigere non sinit, sed, quod pejus est, inlicitum impudenter agere propellit, adclines ergo te rogamus ut omnibus in commune adsit Patronus, qualiter, te propitio, dissidentes ad pacem, et pacifici indefessam charitatis retenlent unitatem. Amen, per te qui es.

[a] Cordubenses, more vetusto, martyres in persecutione Arabica passos statim a morte coluisse, sanctus Eulogius haud obscure indicat, nam de martyrio Floræ et Mariæ virginum ad Alvarum Cordubensem scribens : *Ipso*, inquit, *die quo gloriosarum nobis relatus est, sub confessione nominis Christi, interitus* futurus, *omnes ad orationum arma currentes, horam nonam in Dei laude persolvimus*, ac deinceps *auctis tripudiis, vespertinum, et missale sacrificium, ad honorem et gloriam nostrarum virginum celebravimus, cunctique nos illarum patrocinio tutandos commisimus.* Unde apparet Eulogium, aliosque, qui cum Flora et Maria carcere clausi fuerant, pro virginibus orasse, cum eas ad locum martyrii duci cognovissent; at postquam cognoverunt easdem, pro Christi nomine, gladio cæsas esse, non pro illis ulterius orasse, sed eas statim inter martyres colere cœpisse, preces ecclesiasticas et missam in honorem earum celebrasse, et se illarum *patrocinio tutandos* commisisse. Juxta hanc, in Hispania receptam disciplinam, ambigendum non videtur quin Cordubenses sanctum martyrem Pelagium, statim a morte, venerati sint. Id certe ex Sandovalio constat (*Hist. Eccl. et civit. Tuden.*, *f.* 62), nomen Pelagii apud Hispanos adeo celebre fuisse, ut tertio a passione ejus anno ecclesias illi in Castella et in Gallæcia jam dedicatas fuerint. At inquiunt Cordubenses ausos non fuisse eum inter martyres colere, in quem Saraceni, tanquam in reum, gladio animadverterant. Eadem ratione probare possunt priscos fideles nullos martyres coluisse, saltem in illis urbibus in quibus passi sunt, quod plane falsum est. Et ex sancto Eulogio, uti mox dicebam, satis constat Cordubenses martyres suos statim a morte coluisse, neque id ignotum Saracenis, neque ab iis vetitum fuit. Videbant Saraceni, Cordubenses, corpora martyrum, in flumen projecta cum honore, ac solemni Ecclesiæ cantu, populique fidelis concursu, ad ecclesias et cœmeteria sepelienda deferri, nec tantum splendente sole, sed noctu etiam, et quandoque magno luminum copia, et insigni frequen- C tia martyrum, funera ducere, ut sanctus Eulogius (*In Apologetico martyrum, in Memoriali sanctorum, l.* II, *c.* 1, *et alibi passim*) docet, nec ignorabant Saraceni hos honores, non quibuslibet fidelium cadaveribus, sed eorum duntaxat persolvi qui fidei causa mortem obierant, nam eam maxime ob causam Saraceni cadavera eorum quos fidei causa interfecerant, in flumen, saxis alligata, demergebant, aut igne comburebant, et cineres in flumen mittebant, ne Christiani reliquiis potirentur. Imo, ut sanctus Eulogius in Apologetico Martyrum scribit : *Nonnulli e turba gentilium* (ita Saracenos appellat) *sumebant lapillos fluminis, qui cruore martyrum erant conspersi, et lymphis abluentes, projiciebant in pelago, ne Christianis existerent in emolumento lypsanorum.* Cum igitur Saracenis notum fuerit cultum martyrum iis deferri, quos ipsi, religionis causa, interfecerant, neque hanc Christianorum praxim lege ulla prohibuerint, non videtur dubitandum quin sancto Pelagio, statim a morte, tanquam martyri, commune officium celebratum D fuerit, ac deinde officium proprium, in quo, de more, Acta passionis ejus legebantur, a Raguele, presbytero Cordubensi, composita.

[b] Forte legendum *barrere* non desinit, *barrer* Hispanice idem sonat quod Latine *verrere*, genis terram *barrere*, seu *verrere*, dici possunt, qui vehementius orantes, vultu ac genis ecclesiæ pavimentum prostrati comprimunt.

[c] *Utrumque*. Forte : *Ut utrinque habeant gratiam indefessam, quos*, etc.

[d] Sanctum Pelagium in Gallæcia natum esse Raguel aperte scribit, idem tenet auctor hujus missæ, et in hymno officii canitur *ortus Galletia*. Sandovalius (*In Hist. Eccl. et civit. Tud.*) contendit Pelagium Tudæ natum esse, cui favet hæc oratio in qua Tudenses Pelagium *martyrem suum* prædicant, quod plane significat Pelagium apud Tudenses aut natum, aut saltem educatum fuisse.

INLATIO.

Gratias tibi omnipotens Deus agere dignum est, pulchrumque satis ac sanctum est, valde congruum, ac nobis semper commodum esse convenit, per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum, per quem utique hic Martyr Pelagius nec vitiorum inhæsit gurgitibus, nec delitiarum cessit flagitiis, sed tibi semper extitit intrepidus, cui ante passionem fortiter famulabatur illuminatus. Hic in occidentali plaga oriundus Gallæciam [a] patruum habuit fundum, sed Cordubæ, dante Deo, perspicuum suscepit Martyrium : et quia variis, occulto, arcanoque Dei consilio, electi occasionibus ac cœlum rapiuntur, patula extitit procul dubio causa actionis, qua, hunc nostrum patronum Martyrem tuum, corpore passum Cordubæ, Tuda suscepit lætabundum, erat quidem hujus Pelagii [b] Patruus Hermoygius Episcopus Cordubæ carcere tentus, qui ut evaderet ergastuli periculum, [c] pro se hunc dedit puerum, testem Alumnum : unde, illo evadente, Pelagius iste susceptus est in carcere : ubi vero ferri onere præpeditus, futurum quodammodo præmeditabatur Martyrium, cujus sæpe animus intente penetrabat cælum, et licet ad Patriam adhuc humanitus redire disponeret, a proposita sibi rigore haud quaquam mollescebat, quia carcerem ardua pro pœnitentia esse cogitabat : nam psallendi quotidie modum adhibuerat, [d] cui tanta Christi gratia intus illuminatrix aderat : verum cujus præcordiis abdite mature sonneras (*sic*), audi fili, et vide quia concupiscit Rex speciem tuam : hunc impudice Tyrannus audebat redamare, putans eum suis

A aptum vitiis fore. Sed stetit intrepidus, cui tu non deeras omnino intus, qui namque advocatus veniens, ac [e] persuasus ut Christum negare mallet, audiens illico cuncta sibi sprevit [f] Regna illata, eundem Christum Dominum nostrum, voce prædicans libera. Habeto, inquit, o Rex, tuisque cum perditis, solus munerea, nam me tibi aquiescere [g] non posse intus manet qui dicit : nam ego Deum habeo, quem tu miser ignoras, cui omnia genuflectunt, qui sanctis Regnum, ac perditis promisit supplicium : verum quia per multas nos tribulationes pervenire opportet ad Regnum, ideo paratus sum, qualem vis pande interitum. Cui Rex, o inquit, Puer aut Christum nega, aut membra gladium suscipent, ac duriter inter pœnas animam [h] exhalabis. Unde Pelagius sanctus, Christianus sum, ac fui, et ero, idcirco mori non timeo. Quem fortiter stantem, post multas pœnas . . . . membratim gladius discrevit, atque inde cælum spiritus petiit. Qui inter supplicia Christum confiteri non destitit....

B . . . . o vere Martyr in cælis, quia testis fuisti in terris, clementissime fautor occurre votis nostris, per te lapsus veniat ad pœnitentiam, ignarus ad Doctrinam, æger ad salutem, defunctus ad requiem. Quare adclines petimus æterne Deus, per hunc Martyrem tuum, nobis fave propitius, clemens occurre interpellatus, nostris tibi oblatis muneribus semper adesto pius, cui merto.

PS. SCS. *Post Sanctus.*

Ille Hymnus, Domine, in excelsis ab Angelis, iste Hymnus a sanctis [i] præcinier . . . . omnibus vere est sanctus, vere est benedictus Dominus noster

[a] *Patruum*. L. *Patrum*. Scilicet in Gallæcia patres, id est, parentes, pater et mater, Pelagii latifundia possidebant.

[b] Hermoygius dicitur sancti Pelagii *patruus*, quæ vox hoc loco fortasse pro *avunculo* adhibetur. Mariana (*De Reb. Hisp.*, *l.* VII, *c.* 20) scribit Pelagium fuisse Hermoygii episcopi *sororis filium*. Raguel, in passione sancti Pelagii, et Sampirius Asturicensis episcopus, scriptores synchroni, aiunt sanctum Pelagium *sobrinum* fuisse Hermoygii episcopi, at *sobrino* Hispanis nepos est sive e fratre, sive e sorore natus.

[c] Sampirius Asturicensis episcopus, scriptor coævus : Christiani, inquit, et Agareni *obviaverunt sibi in valle quæ dicitur Juncaria; et multi corruerunt ex nostris; etiam duo episcopi, Dulcidius Salmaticensis, et Hermoygius Tudensis, ibidem sunt comprehensi, et Cordubam adducti; et pro isto Hermoygio episcopo ingressus fuit obses sobrinus ejus sanctus Pelagius Cordubam; deinde posuerunt eum in carcerem, qui postea pervenit ad martyrium.* Cæterum Hermoygius, post martyrium sancti Pelagii, abdicato episcopatu, ad monasterium sancti Christophori Labrigiense se contulit; ibique defunctus, inter sanctos confessores ab accolis colitur, ut, præter alios, referunt Sandovalius (*Hist. antiq. civ. et Eccl. Tuden.*) et Joannes Tamaius (*Martyrol. Hisp.*, *die 26 Junii*).

[d] *Pelagius*, inquit Raguel, *caute in carcere vivebat, ubi ferme annorum decem ætate inclusus fuerat . . . . . Erat enim castus, sobrius, quietus, cautus, orationibus vigil, lectionibus assiduus, dominicorum præceptorum non immemor, bonorum colloquiorum ascitor, malorum expers, risui non facilis..... Sic præterea mente vel corpore servabat integritatem, ut putares non nisi futurum martyrium* præmeditare.

[e] Auctor hujus missæ *redamare* adhibet pro *amare*, *persuasus* pro *suasus*, et *mallet* pro *vellet*.

[f] *Regna*. Forte legendum : *Cuncta sibi sprevit regni munera illata*, ut infra, in oratione *post sanctus* legitur.

[g] Raguel distincte scribit sanctum Pelagium non modo fidei, sed etiam castitatis conservandæ causa mortem subiisse : *Intus*, inquit, Pelagio erat, *instructor Christus, qui foris erat formæ illuminator*, cumque *digne regebat ut bina, tam virginitatis quam passionis, uberius corona ditatus, duplicem ferret de hoste triumphum, cum et divitias abhorreret, et vitiis non cederet; ergo merito duplum* pervenit *ad bravium.* Roswita quoque scribit Pelagium martyrem, pudicitiæ consecutum esse *laureolam cœlesti luce coruscam, qua bene servata fulget pro virginitate.* Raguel etiam refert, *cum rex eum jVoculariter tangere vellet*, sanctum Pelagium dixisse : *Tolle, canis*, manum ; *nunquid me effeminatum tuis similem existimas?* et Roswita addit eum pu-

C gno tyrannum percussisse.

[h] Raguel refert Habdarraghmanum, cum Pelagium in fide Christi retinenda constanter perseverare, *atque in suis se desideriis spretum esse*, intelligeret, *ira stimulatum*, satellitibus suis dixisse : *Appendite illum in forcipes ferreas, atque strictim tandiu sursum deorsum vicissim levantes deponite, quousque aut animam exhalet, aut Christum esse Dominum deneget.* Apparet *forcipes* istas *ferreas*, quas Sandovalius Hispanice dixit *In garrucha de hierro*, supplicium fuisse illi haud absimile quod Itali *chordam*, sive *funem*, nominant, quo noxii passim puniri solent. Pergit Raguel, *quod supplicium beatus Pelagius forti animo pertransiens, stabat intrepidus*, plura *pro Christo pati non recusabat, cujus immobilem constantiam cum rex videret, jussit eum membratim gladio scindi et in flumen projici; qua ministri potestate accepta..... alius brachium radicitus amputavit, alius tibias desecavit, alius etiam cervicem ferire non destitit*; et dum martyr Christum invoca-

D ret, *manus quas ille ad Deum levabat, illi gladio amputabant*, quibus apparet Pelagium in partes dissectum, tandem, capite amputato, martyrium complevisse. At Roswita nec forcipibus ferreis tortum, nec membratim cæsum fuisse Pelagium cecinit. Sed immane quoddam et vix antea auditum mortis genus excogitavit, ait enim tyrannum ira furentem quod, impacto pugno, Pelagius illi sanguinem elicuerit, jussisse martyrem ;

Trans muros projici jactum funda machinali,
Crebro bellantes saxis quæ perfodit hostes.

Subditque Pelagium transflumen balista projectum, in cautes illæsum decidisse, at postea a satellitibus tyranni inventum, capite fuisse diminutum. Unde ista Roswita hauserit, non satis constat, at certe potior est Ragueli fides habenda, cui auctor hujus missæ subscribit.

[i] *Præcinier*. Forte : *Iste hymnus a sanctis præcinier convenit in cœlis.*

Jesus Christus filius tuus, a quo est roboratus Pelagius, ut nec mori timeret, neque veritatem interrogatus taceret, persuasus namque a Præside, ut copiosa Regni munera acciperet, et Christum negaret, et ita [a] Regis corpus servet horandum... unde petimus, per hujus interventum, ut hæc sanctificentur munera data, ac multiplicis [b] ditentur tuo altari sacrificia imposita, qualiter omnes qui ex his libaverit muneribus [c] per te . . . . . . , atur ab adversis, qui.

Post pridie.

Veni sancte Spiritus, et in laud. . . . . . . Sacrificiis que omnis [d] . . . . Ecclesia in honorem Martyris tui Pelagii sacratissimæ passionis, quique a te adjutus, pœnas superavit, terrores vicit, gladium non timuit perferre, quo tecum sine fine regnare meruit : iste tuus est, Domine famulus, in agone præcipuus, in vita cautus, in doctrina strenuus, in morte laudabilis, in Regno sublimis : per quem te petimus habere propitium, quo nos et de manu eruas diaboli, et consortes efficias Regni tui : nosti igitur Domine quantum nos hostis insidiatur antiquus, et ideo nullum de nobis habeat quem lucretur, quos una Mater Eccl. per regenerationis undam ablutos esse gloriatur : floreat in nobis gratia doni æterni a quo hæc munera sanctificentur, et per quem sanctificata sumantur : redundet quidem in visceribus nostris oblatio tua, sicut multiplicius sancti Martyris tui profuit ad coronam.

Ante Orationem Dominicam.

Suscipe omnipotens Deus hujus preces fidelissimi conventus, qui se tuis cotidie adclinis commendat A conspectibus, quo hunc Beatissimum Martyrem tuum Pelagium, quem prompta celebrat obsequela apud te habeat interventorem, cujus tu largire dignatus es martyrii palmam. . . . . rescinde quæsumus dura nostræ mentis præcordia, et ariditatem inriga benedictionis ubertate gratuita, quatenus, te favente libera nostra tibi serviat vita, quæque malæ consuetudinis more, in. . . . . er labitur ad inlicita. . . . . de manu insidiantis, ac tuis semper serva in castris, cui nos abjicias a facie. . . . . quos consueta bonitate, e terris docuisti orare . . . . ere. . . . .

Benedictio.

. . . . qui vos de supplicio eruit mortis, communicare faciat Pelagii meritis beatissimi Martyris. Amen. . . . . ut per quem ille passus cælorum. . . . . Regnum. . . . . . . atque. . . . . per pat. . . . . suf . . . . ex . . . . cia testis. . . . . magna est. . . . . ris tui, co. . . . . sionis, o Beate qui sui. . . . . nos quos carni in me. . . . . . tate aspicies fragiles. . . . . et opere justifices, et B gratia votorum exornes. . . . . et qui non habemus bonorum operum fiduciam susceptione ejus festivitatis remissionem criminum capiamus obtutam. . . . .

Post Communionem.

Deus omnium sanctorum splendor mirabilis qui præsentem honorabilemque Martyrem tuum prædicare jussisti : da populo tuo eruditionem gaudi. rum, ut qui hunc colimus diem, [e] et vocespsallimus verbis, munera capiamus Regni cœlestis. Amen. Dominator Domine mitissime. [f] Kyrie eleison.... fons, origo lucis perpetuæ. . . . . .

[a] Custodes corporis regum Saracenorum in Hispania nobiles erant ephebi, *pueri militares regis, et tirones regis* dicebantur, *annonis regalibus* in palatio, tanquam in schola militari, alebantur.

[b] *Ditentur*. Forte, *ac multiplici spiritus* benedictione *ditentur tuo altari sacrificia imposita.*

[c] Forte, *per te tueatur.*

[d] Hic locus suppleri potest : *et inlabere sacrificiis, quæ omnis offert Tudensis Ecclesia.*

[e] Forte legendum : *et voce psallimus vera.*

[f] Sunt hæ preces diaconicæ, positæ extra locum C suum.

APPENDIX SECUNDA.

Quamvis fragmentum vetusti Kalendarii Hispani, quod Franciscus de Pisa, anno 1595, *Toleti ediderat, a Joanne Pinio* (Tract. historico-chronol. de liturgia Hispanica, cap. 9, sect. 4), *iterum editum sit, tamen, quia ad notitiam festivitatum et jejuniorum Ecclesiarum Hispaniæ multum confert, illud hoc loco adjicere placuit, eique subjicere Kalendarium integrum, e Missali et Breviario Mozarabum, ex laudato fragmento, atque ex Orationali Gothico collectum, quod, donec Kalendarium Gotho-Hispanum e Bibliothecarum latebris prodeat, ejus vices utcunque supplere possit.*

FRAGMENTUM VETUSTI KALENDARII A FRANCISCO DE PISA EDITI.

MENSIS JANUARIUS.

Dies xxxi. i. dies habet horas x.
Nox xiiii.
Kal. Circumcisio Domini nostri Jesu Christi.
IIII Non. Sanctæ Columbæ virg. Senonas.
III. Jejunium observatur tribus diebus.
II.
Nonis.
VIII. Idus. Appatio. quod est Epiph.
VII. Sancti Juliani, vel comitum mar. Antiocia.
VI. [a] Sancti Luciani presb. mar. Eliopoli.
V. Sanctorum XL. mar. Constantino.
IIII. Sanctæ Serene virg. mar.
III.
II.
Idus.
XVIIII. Kal. Febr. Sancti Felicis Nola.
XVIII.
XVII.
XVI. Policarpi, et Antonii.
XV.
XIIII. Sancti Sebastiani, et Comitum. Roma.
XIII. Sanctarum Agnetis, et Emerentianæ. Roma.
XII. Sanctorum Fructuosi epi. et Eulogii diaconorum. Tarracona. Mar.
XI. Vincentii levitæ mar. Valentia.
X. Obitum dni Ildefonsi. epi. Toleto.
VIIII. Sancti Babilæ epi. et trium Puerorum. Antiocia.
VIII.
VII. Caput Februarii apud Ægiptios.
VI.
V. Sancti Tyrsi, vel comitum. mar. Grecia.
D IIII.
III.
II.

MENSIS FEBRUARII.

Dies xxviii. iiii. dies habet horas xi.
Nox xiii.
Kal.
IIII Non.
III.
II.
Nonis Sanctæ Agate virg. mar. Catania.

[a] *Sancti Luciani, Eliopoli.* Lege *Helenopoli.* Nam sanctus Lucianus Drepani sepultus est, quem locum Constantinus, a matris suæ nomine, Helenopolim appellavit. Vide notas pag. 556.

VIII. Idus.
VII. Sanctæ Doroteæ, vel comitum. mar. Cappadocia.
VI. Sancti Marci : : : : evange. mar.
V.
IIII.
III.
II.
Idus.
XVI. Kalend.
XV.
XIIII.

A XIII. Sancti Pantaleonis.
XII.
XI.
X.
IX.
VIII. Cathedra sancti Petri apostoli.
VII.
VI. Sanctæ Julianæ virg. et mar.
V.
IIII.
III.
II.

KALENDARIUM GOTHO-HISPANUM

Collectum e fragmento Kalendarii Francisci de Pisa, ex Orationali Gothico, et e Missali et Breviario Mozarabum.

MENSIS JANUARII.

I. Kalend. Circumcisio Domini.
II. IV. Non.
III. III. Jejunium.
IIII. Pr. Non. Jejunium.
V. Nonis. Jejunium.
VI. VIII. Id. Apparitio Domini.
VII. VII. Juliani et Basilissæ mar.
VIII. VI.
IX. V. [a] Sanctorum quadraginta martyrum.
X. IV. Sanctæ [b] Serenæ virg. mart.
XI. III.
XII. Pr. Id.
XIII. Idibus.
XIV. XIX. Kal. Feb. sancti Felicis Nolani.
XV. XVIII.
XVI. XVII.
XVII. XVI. Policarpi et Antonii.
XVIII. XV.
XIX. XIV. Sebastiani et comitum. mar.
XX. XIII. [c] Luciani presbiteri. mar.
XXI. XII [d] Agnetis virg. et mar.
XXII. XI. Vincentii levitæ. mar.
XXIII. X.
XXIV. IX. Babilæ episc. et trium Puerorum, mart.
XXV. VIII.
XXVI. VII.
XXVII. VI.
XXVIII. V. Tyrsi mart.
XXIX. IV.
XXX. III.
XXXI. Pr. Kal. Feb.

MENSIS FEBRUARII.

I. Kalend.
II. IIII. Nonis.
III. III.
IIII. Prid.
V. Non. Agatheæ virg. mar.
VI. VIII. Id.
VII. VII. Dorothæ virg. mar.
VIII. VI. Marci evangelistæ. mar.
IX. V.

B X. IIII.
XI. III.
XII. Pr. Id. Eulaliæ Barcinonensis. v. m.
XIII. Idib. [e] Fructuosi ep. Augurii et Eulogii diaconorum. mart.
XIV. XVI. Kal.
XV. XV.
XVI. XIV.
XVII. XIII.
XVIII. XII. [f] Pantaleonis.
XIX. XI.
XX. X.
XXI. IX.
XXII. VIII. [g] Cathedra sancti Petri apostoli.
XXIII. VII.
XXIV. VI. Matthiæ apostoli et Julianæ virg. et mart.
XXV. V.
XXVI. IIII.
C XXVII. III.
XXVIII. Prid.

MENSIS MARTII.

I. Kalend.
II. VI. Non.
III. V. [h] Emiterii et Celedonii mar.
IIII. IIII.
V. III. etc.

MENSIS APRILIS.

MENSIS MAII.

I. Kalend. Torquati et comitum confess.
II. VI. Non.
III. V. Inventio sanctæ Crucis.
IIII. IIII.
V. III.
VI. Prid.
VII. Nonis.
VIII. VIII. Idibus, etc.

D Dominicæ Pentecostes præmittitur Jejunium quatuor dierum.

MENSIS JUNII.

I. Kalend.

[a] *Sanctorum quadraginta martyrum.* Horum meminere Breviarium Mozarabum, et fragmentum Kalendarii a Francisco de Pisa editum, in quo *Constantinæ*, id est, Cirtæ in Numidia, aut passi, aut sepulti perhibentur.

[b] *Serenæ.* Hanc e citato fragmento Pisano habemus.

[c] *Luciani.* Hunc hac die signavi, Missale nostrum secutus.

[d] *Agnetis.* Orationale Gothicum et fragmentum Pisanum hanc XIII Kalend. Februarii signant, ut locum sancto Fructuoso facerent. Vide notas pag. 559.

[e] *Fructuosi*, etc. Cur hac die signentur dixi in notis pag. 568.

[f] *Pantaleonis.* Hunc e fragmento Pisano desumpsi. Ejus caput ex Africa in Gallium delatum fuit. Vide pag. 602.

[g] *Cathedra.* De hac festivitate fragmentum Pisanum et Orationalem Gothicum agunt.

[h] Tempore quadragesimali, et tempore paschali nullæ a Gotho-Hispanis festivitates sanctorum celebrabantur. Quare festivitas sanctorum Emiterii et Celidonii quæ ineunte Martio, et festivitates sanctorum Torquati et Comitum, et inventionis sanctæ Crucis quæ ineunte Maio signantur, aliis diebus celebrabantur, quotiescunque in tempus paschale, aut quadragesimale incidebant.

II. IIII. Non.
III. III.
IIII. Prid.
V. Nonis.
VI. VIII. Id.
VII. VII.
VIII. VI.
IX. V.
X. IIII.
XI. III.
XII. Prid.
XIII. Idib.
XIV. XVIII. Kal. Jul.
XV. XVII.
XVI. XVI. Adriani, et Nataliæ mart.
XVII. XV.
XVIII. XIIII.
XIX. XIII.
XX. XII.
XXI. XI.
XXII. X.
XXIII. IX.
XXIV. VIII. Nativitas sancti Joannis Baptistæ.
XXV. VII.
XXVI. VI. [a] Pelagii mart.
XXVII. V. [b] Zoyli mart.
XXVIII. IIII.
XXIX. III. Petri et Pauli Apostolorum.
XXX. Prid.

MENSIS JULII.

I. Kalend.
II. VI. Non.
III. V.
IIII. IIII.
V. III.
VI. Prid.
VII. Nonis.
VIII. VIII. Id.
IX. VII.
X. VI.
XI. V.
XII. IIII. Marcianæ virg. mar.
XIII. III.
XIV. Prid.
XV. Idibus.
XVI. XVII. Kal. Aug.
XVII. XVI. Justæ et Ruffinæ virg. mart.
XVIII. XV.
XIX. XIV.
XX. XIII.
XXI. XII.
XXII. XI. Mariæ Magdalene.
XXIII. X.
XXIV. IX. Cristinæ virg. mart.
XXV. VIII. [c] Jacobi apost.
XXVI. VII. [d] Christophori et comitum mart.
XXVII. VI. [e] Cucufatis mart.
XXVIII. V.
XXIX. IIII. [f] Felicis Gerundensis mart.
XXX. III.
XXXI. Prid.

MENSIS AUGUSTI.

I. Kalend. Maccabeorum mart.
A II. IV. Non.
III. III.
IIII. Prid.
V. Nonis.
VI. Id.
VIII. Id. Justi et Pastoris mart.
VII. VII.
VIII. VI.
IX. V.
X. IIII. [g] Sixti papæ, et Laurentii mart.
XI. III. Hippoliti mart.
XII. Prid.
XIII. Idib.
XIV. XIX. Kal. Sept.
XV. XVIII. [h] Assumptio beatæ Mariæ virginis.
XVI. XVII.
XVII. XVI.
XVIII. XV.
XIX. XIV.
XX. XIII.
B XXI. XII.
XXII. XI.
XXIII. X.
XXIV. IX. Bartholomæi apostoli.
XXV. VIII. Genesii mart.
XXVI. VII. Gerontii conf.
XXVII. VI.
XXVIII. V.
XXIX. IV.
XXX. III.
XXXI. Prid.

MENSIS SEPTEMBRIS.

I. Kalend.
II. IV. Non.
III. III.
IIII. Prid.
V. Nonis.
C VI. VIII. Id.
VII. VII.
VIII. VI.
IX. V.
X. IIII.
XI. III. Jejun.
XII. Prid. Jejunium.
XIII. Idib. Jejunium.
XIV. XVIII. Kal. Oct. Cypriani ep. mart.
XV. XVII.
XVI. XVI. [i] Euphemiæ virg. mart.
XVII. XV.
XVIII. XIIII.
XIX. XIII.
XX. XII.
XXI. XI. Matthæi apost. et evangel.
XXII. X.
XXIII. IX.
XXIV. VIII. [j] Decolatio sancti Joannis Baptistæ.
D XXV. VII.
XXVI. VI.
XXVII. V. Cosmi et Damiani mart.
XXVIII. IIII. Fausti Januarii et Martialis.
XXIX. III. [k] Michelis archangeli.
XXX. Prid.

[a] *Pelagii*. Is in persecutione Arabia passus proprie ad Mozarabes pertinet.

[b] *Zoyli*. Hunc Breviarium Mozarabum et Prudentius (*Hym. 4 de Coron.*) inter martyres Cordubenses commemorarunt. Prudentius *Zoellum* nominat.

[c] *Jacobi* non satis constat quo die Gotho-Hispani hunc Apostolum coluerint.

[d] *Christophori* dies ejus certus Missali nostro non constat, nisi quod ejus Missa inter Missam sanctæ Christinæ, et Missam Sancti Felicis ponatur.

[e] *Cucufatis*. De eo Breviarium Mozarabum, et Prudentius (*Hymn. 4, de Coron.*), agunt.

[f] *Felicis*, Hunc Missale nostrum exeunte Julio, Orationale Gothicum Kalendis Augusti, una cum Maccabæis martyribus, colit.

[g] *Sixti*. Missale nostrum una eademque missa sanctum Sixtum Papam et sanctum Laurentium commemorat.

[h] *Assumptio*. De hac festivitate vide notas pag. 587.

[i] *Euphemiæ*. De ea meminit Breviarium Mozarabum.

[j] *Decolatio*. Hac die Decollationem sancti Joannis signat Orationale Gothicum. Cui subscribit pseudo-Augustinus ille in epistola ad Bibianum. Vide notas p. 589. In Missali nostro missa Decollationis sancti Joannis Baptistæ exeunte Augusto locum obtinuit.

[k] *Michelis*. De hac festivitate vide notas p. 595.

FINIS TOMI OCTOGESIMI QUINTI.

Parisiis. — Ex typis J.-P. MIGNE.

HYMNORUM ECCLESIASTICORUM
COLLECTIO ANTIQUA

(Edidit D. Ozanam in libro cui titulus: *Documents inédits pour servir à l'histoire littéraire de l'Italie.* — Paris, 1850.)

HYMNUS I SANCTI NICOLAI.

Debitas laudes Domino canentes,
Mente devota celebremus omnes
Hunc diem sacrum, Nicolaus in quo
Ethera scandit;
Qui Dei legem meditando digne,
Pervigil, celi capiendo regna,
Hoste devicto, nitidus refulsit
Sanctus in orbe.
Namque, cum pastor bonitate dignus
Myrensis clare peteretur urbis,
Celitus tandem meruit vocari
Rector opimus.
Presul effectus, populis benignus,
Extitit dulcis, placidusque clemens:
Omnibus prestat pietatis usu
Commoda digna.
Gratia Christi salubri repletus,
Demonum cultum penitus repellit:
Per viam lucis, tenebris repulsis,
Currere monstrat.
Predicat cunctis famulare Christo
Allevat tristes famis ex pavore,
Commoda prestans, triticum ministrans,
Nil minuendo.
Fluctibus mersis precibus vocatus,
Affuit presens, mitigansque fluctus,
A Providus, monstrans olei liquore
Temnere flammas.
Terret Augustum pater almus, inquam,
Solvat ut frustra miseros revinctos:
Mortis atrocis monitis beatis
Vincula tergit (*sic*).
Sicque devotis pietatis acta
Sepius gestans famulando Christo,
Etheris regnum meruitque sacrum
Scandere clarus.
Plaudet insignis tua plebs, Beate:
Grecia gaudet redimita festis,
Quod tuis sanctis meritis maligni
Crimina quassat.
B Protege plebem tibi precinentem,
Hostis aversi quatiendo fraudes,
Quatenus mundi mereamur atri
Temnere fluctus.
Quesumus, Sancte nimium beate,
Posce pro nobis Dominum rogando,
Quo suam veram mereamur omnes
Cernere lucem.
Gloria Patri resonemus omnes,
Et tibi, Christe, genite superne
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

HYMNUS II EJUSDEM SANCTI NICOLAI.

Solemne tempus vertitur
Quo pontifex Nicolaus,
Carnis deponens sarcinam,
Liber transcendit ethera.
Claro satus hic germine,
Ornavit stemma moribus.
Sanctis mandatis obsequens,
Presul sacratur celitus.
Auro patris infamiam
Stuprum redemit virginum:
Verbis, doctrina profluens,
Ritum destruxit demonum.
Sumpti mensuram tritici
Ministris supplet regiis:
Plebi frumentum dividens,
Dempsit famis penuriam.
Oppressi naute fluctibus
Ejus virtutem postulant:
Procelle mox sevissime
Turbo sedatur imminens.
Presens objurgat consulem,
Augustum terret somnio,
Statim resolvi precipit
Ligatos frustra vinculis.
Omnis devota Grecia
Magnis plaudet tripudiis,
Alumni quod et presulis
Decore splendet nobili.
Almaque nitens laurea
Donis pollet charismatum,
Suis prestans supplicibus
Pura quod mente flagitant.
Oramus ergo cernui
Omnes, pater sanctissime,
Quo semper patrociniis
Tuis fruamur affatim.
Nostris curva sub gressibus
Tyranni colla perfidi,
Ne mundi nos illecebris
Cogat servire subdolis.
Occursus nullus ultima
Perturbet nostra, quesumus;
Nec pars adversa spiritum
Eternis tradat ignibus.
Sed Christo laudis gloriam,
Patri, sanctoque Flamini
Jugem canamus liberi
Per infinita secula.

HYMNUS I SANCTI SYLVESTRI PAPÆ.

Sylvestri almi presulis
Urbis Rome egregie
Triumphum ore consono
Decantet Christi populus.
Quem immanis indolibus,
Truculentus pro Domino
Prefectus tunc Tarquinius
Lacessivit carceribus.
Sed persistens immobilis,
Vicit athleta nobilis,
Per cujus nequam exitum
Hic pontifex eligitur.
Hujus castis affatibus

Constantinus tunc Augustus.
Hortatus Christo credere,
Renatus est baptismate.
Quem ut linivit chrismate,
A morbo elephantie
Est emundatus illico,
Virtute sancti Spiritus.
Dehinc contra incommodes
Judeorum philosophos
De celesti mysterio
Bellans vicit intrepidus.
Nam draconis pestiferi
Sevitiam compescuit,
Et populos innumeros
Advexit celi Domino.
Nosque a culpis nexibus
Eruit suis precibus,
Qui pro Tonantis gloria
Ejus canamus annua.
Deo patri. . . .

HYMNUS II EJUSDEM SANCTI SYLVESTRI.

Voce jocunda resonemus omnes,
Laudibus sanctis studium ferentes,
Urbis romane modulando patrem
Laude Sylvestrum.
Hic pius pastor gregis atque tutor,
Lux fuit cecis, baculusque claudis,
Ac signa fecit paradisiaca
Plurima terris.
Qui viam cunctis rectissimam (*sic*) monstravit,
Percusso regi reddit sanitatem,
Unde cernentes meruere cordis
Cernere lumen.
Summa virtutum viguit per ipsum
Claritas, cunctum radiando mundum:
Ac sicca corda rigavit fidele (*sic*)
Christi lavaero.
Animas multas conjunxit angelorum
Ecclesie, cetumque Dominique templum
Ac decemcordo reboare nablo,
Noctem (*sic*) diemque.
Gloria Patri resonemus omnes,
Et tibi, sancte Genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnet.

HYMNUS III EJUSDEM SANCTI SYLVESTRI.

Christe, rex regum, gubernator magne,
Patris immensi soboles perennis,
Supplicum vota pariterque odas
Suscipe clemens.
Tu probra mundi noxiaque tergens,
Insuper miro radians splendore,
Tribue clemens bonitatis dona
Preclara celi.
E quibus summis veneramur almum,
Urbs magna nobis decus hoc concessit,
Gens Romanorum patris mundi tota
Cuncta per orbem.
Qui postquam sanctis est profusus undis,
Sanctis imbutus litterisque doctus,
Spiritu fervens Domino jubante (*sic*)
Cumula semper (1).
Te recte parchus pater sanctus, inquam,
« Stulte hac nocte animam efflabis :
Quare non cessas pœna cruciare
Christi cultores ? »
Statimque pastor sanctitate dignus
Romani tandem populi electus,
Tyranni seva latitans secessit
Suo cum clero.

A Exhorrens Augustus jam immane scelus,
Letas remisit cum matresque natis,
Omnibus donis sua pietate
Commoda vite.
Gratia Christi vere inspiratus,
Petrus cum Paulo monuit piscina
Aquarum unda medendique sibi
Salus requirat.
Presul vocatur populi benignus,
Placidus, clemens extititque regis,
Illico sanctis monstravit loquoris (*sic*)
Virtute Christi.
Predicat Christo famulare plebem,
Allevans merens dudum exortando,
B Commoda prestans jugiter fideles,
Semper orando.
Sicque devotus veritatis facta
Crebrius donans, famulando poli
Vite et regnum meruit beatum
Scandere clarus.
Gaudet insignis sua plebs sacrata
Romana plaudet renovata undis,
Quos tuis sanctis meritis antiquis
Fraudem devastat.
Faveto omnes tibi servientes,
Hostis maligni quatiendo fraudes,
Quatenus cuncti mereamur veram
Cernere lucem.
Poscimus, alme nimium beate,
Pro nobis ora Dominum rogando
C Ut mundi mala valeamus omnes
Pellere procul.
Sit tibi laus, Trinitas immensa,
In quo exultat nunc celi caterva,
Nobis ut dones gratiamque veram
Semper in evum.

HYMNUS SANCTI SEVERINI ABBATIS (2).

Canticum laudis Domino canentes,
Hunc diem festum celebremus omnes,
Quo Severinus penetravit almus
Celsa polorum.
Quis stylo dives modulansque plectro,
Cuncta signorum replicare possit,
D Que potens Christus studiis opimis
Contulit ejus ?
nclitus vates nimiumque felix,
Sepius cui Deus intimabat
Tunc ad oppressi populi salutem
Multa futura.
Voce presaga laqueos latronum

(1) Locus corruptus, ut alii bene multi.

(2) Vide Bolland. ad diem VIII Jan.

Atque predonum machinas retexens,
Valde tutabat monitis superuis
Oppida fessa.
Dulce solamen miseris ministrans,
Horridam pestem famis amputavit;
Barbara plures feritate victor
Solvit ab hoste.
Magne confessor, humilis magister,
Tu quidem normam monachis dedisti,
Calle demonstrans sobrio sequaces
Scandere celum.
In tuis sanctis manibus refulsit
Celitus lumen, refluensque crevit
Ad tuos haustus olei liquamen,
Fontis ad instar.
Condolens cunctos inopes fovebat,
Languidos sanans, relevabat egros:
Omnis accedens salubrem medelam
Sumpsit ab illo.
Tuque Sylvinum loculo jacentem,
A Fratribus coram precibus peractis,
Morte devicta, redire fecisti ad
Gaudia vit
Cereos flamma fidei cremante
Arguit sanctus pater infideles:
Nosque (*sic*) flammescunt Deitatis igne
Algida corda.
Cujus ad funus veniens sacratum,
Mutus accepit modulos loquele,
Cecus exultat procul ambulantes
Cernere notos.
Neapolis, gaude redimita festis,
Plaude celestem retinens patronum,
Quem tibi summum decus et juvamen
Prestitit auctor.
B Hujus o clemens meriti Creator,
Gloriam nobis veniamque confer,
Quo tui cultus super astra semper
Luce fruamur.

HYMNUS SANCTI MARCI MARTYRIS (3).

Festum beati martyris
Odis colamus consonis,
Quem misit orbi provida
Regis superna gratia.
Hunc in quaternis vultibus
Propheta quondam prescius
Vidit leonis inclita
Mysteriarchis (*sic*) formula.
Missus superno munere
Terra in Alexandrie,
Doctis refulsit incolis
Evangelista nobilis.
Spargendo plebi lucida
Verbo salutis spermata,
Pro Regis alti nomine
Fit laureatus sanguine:
Cujus sacratis artubus
Salutis auctor omnium,
Christus moderno tempore
Compsit solum Germanie.
Letare felix Augia,
Honore tanto predita;
Tuum fovens carum solo
Habes patronumque polo.
Te, Marce, voto supplici
Culpis rogamus perditi,
Tuis benigne servulis
Laxa malum peccaminis.
Sit Trinitati gloria,
Et laus honoris maxima,
Que dat coronam martyri
Nunc et per omne seculum.
Amen.

HYMNUS II EJUSDEM SANCTI MARCI.

Jam nunc per omne lux refulget seculum,
Lux illa, Patris lucet que de solio,
Que fons, origo, splendor lucis auree,
Habensque semper lumen indeficiens,
Celum serenat, arcens mundi tenebras.
Hujus sacrato lucis de vibramine
Suscepit almum radium sub pectore
Marcus, beatus doctor evangelicus,
Factus lucerna, amore tanti luminis,
Ardens fugavit seculi caliginem.
Septem columnis una de candidulis,
Aureis septem unum de candelabris,
Cingitque totum mundum claro sidere;
Ecclesiarum nititur sub culmine,
Sustentat alte fundamenta fabrice.
Quantum quod olim viderat Ezechiel,
Propheta sanctus, animal lectissimum,
Vidit Johannes, ceu Christi recubitor
Leonis hoc et typici sub specie,
Clamore multo per deserta frendere.
Sic, a beato Petro missus, adiit
Aquileiensem dudum famosissimam
Urbem; sacrati verbi pullulantia
Disseminavit sata; quo centuplicis
Fructus ad alta vexit felix horrea
Christi dicavit mox ibi ecclesiam,
C Nam fundamentum fidei fortissimum
Fixerat unum petram super lympidam,
Qua flumen undans nec ventorum fulmina
Quassare possunt, torrentes nec pluvie.
Deinde rursus cum corona remeans
Athleta Christi, compta pulchris liliis,
Mixtumque palmis, lauro atque rosulis.
Portabat gaudens diadema vertice,
Ingressus urbem Romam Christo comite.
His ita gestis, pergit Alexandriam:
Sancto repletus spiritu letissimo,
Fines per omnes jugiter Memphiticos
Patris tremendi predicabat unicum
Venisse mundi pro salute Filium.
Turba crudelis Christi circa militem
D Tumens parabat tormentorum spicula.
Vinxit catenis, transfixit aculeis,
Dilaniando flagris sancta viscera,
Carceris umbras misit ad phantasticas.
Primus superni nominis notitiam
Dedit in urbem Marcus Alexandriam:
Christi dicavit mox ibi Basilicam,
Quam expiavit pretioso sanguine

(3) Vide Bolland. ad diem xxv Aprilis.

Vallavit alme fidei munimine.
Gloria Patri, decus et imperium !
Sit, Nate, semper tibi super sidera
Honor, potestas, Sanctoque Spiritui
Sit Trinitatis virtus individue
Per infinita seculorum secula!

HYMNUS SANCTI FLAVIANI CONFESSORIS.

Alme confessor, summi Regis presul,
Audique vocis famuli tuorum,
Te flagitantes.
Fides preclarus, candidus in vita
Predicator verus quam spirans illi dedit
Spiritus sacer.
O bone pastor, Flaviane sacer,
Protege plebe tibique commissa,
Athletas Dei.
Hostesque tuos undique confligunt :
Nos sine viri vernuloque tuos
Adjuva, Pater.
Ereticorum tu sprevisti dogmas
Et confutasti uticeque probat (4),
O Pater sancte.
Gaudium intrat Dominique tuis
Commissa tibi oves representa,
Fidelis serve.
Pro Christo passus filium fuisti :
Ibi in carne vitamque fluisti,
Celos receptos.
Aprutiense decoravi tellus :
Noluit Dominus propria frustrare
Nobis patrono.
Qui quondam erat, manet urbis presul :
Nobis coruscat miracula sepulchris
Deo juvante.
Sit laus illi, decus atque virtus,
Qui supra celi residensque throno
Trinus et unus. Amen.

HYMNUS SANCTI JUVENALIS, NARNIENSIS EPISCOPI (5).

I.

Clarescat terris Juvenalis gloria ;
Celorum sanctis qui exultat cetibus,
Sacratis cujus meritis Narni civitas
Tuta refulget.
Protulit istum Africa divinitus,
Virum prudentem moribus mitissimum,
Scripture sacre cultorem egregium,
Mente decorum.
Divina tamen noluit Providentia
Fertilem esse illum sine fructibus :
Romam coegit properare celitus
Remige Christo.
Ecce matrona pulchra Philadelphia
Tunc Juvenalis (*sic*) suscepit hospitio,
Anxia semper fratrum, Christi gloria,
Nomen adimplens.
Hec ut cognovit hospitis clementiam,
Summissa prece romano Pontifici

A Eum sacrari postulat episcopum
Narni ferendum.
Ibidem nephandorum idola.
Colebant cives Jovis ac Mercurii,
Martis, Saturni, et Minerve, Veneri,
Lumine capti.
Ingressus cumque Christi patet famulus,
Urbis errore jam decepte devio,
Clarum ostendit veritatis pervium
Iter Olympi.
Stravit culturam idolorum sordidam :
Fractis lapillis, Christi jussu solido,
Abrahe multos excitavit filios,
Ore venusto.
Te, Juvenalis, te summissis precibus

B Omnes oramus, ut pro nobis Dominum
Christum exores, quo nos omnes liberet
Morte secunda.
Gloria Patri resonemus omnes, etc.

II

Verba cum vite civibus diffunderet,
Sacerdos quondam demonum sacrilegus
Victime gustu (*sic*) hortatus ut sumeret
Ore vel ipse :
Quod Juvenalis, presul Christi maximus,
Constanti vultu et mente purissima
Renuit nephas, ut Christi discipulus
Valde beatus.
Iratus inde judex ipse concite
Cultrum, quod carnes dabat sacrificiis,

C Dentibus sanctis audet intus serere
Arte nephanda.
Divino plenus Juvenalis spiritu,
Impiam nollens degustare victimam,
Corpori Christi pura servans labia,
Sorde malorum.
Furore judex accensus multiplici,
Presulis ore evulsit cum gladium,
Impetu ipso sibi necat gutture (*sic*).
Vulnere mortis.
Civium magno (*sic*) pars viso miraculo
Unda poposcit Christi tunc baptismatis.
Lavari, sancti ac sequi episcopi
Jussa beati.

D Istis receptis ovilis (*sic*) dominicis,
Martyris aram Valentini adiens,
Sacras ut ibi immolaret hostias
Omnipotentis,
Calicem ejus christallinum, sanguinem (*sic*),
Plenum, dum cunctis porrigebat populis,
Sacra creverunt decenter libamina
Celitus aucta.
Te Juvenalis, etc.
Gloria Patri, etc.

III.

Christi athlete ut ederet certamina,
Obsidione tenebatur civitas

(4) Textus corruptus....

(5) Vide Bolland. ad diem IV Maii.

Tempore multo nec valebat erip
Peste recepta.
Precibus Christo tunc magnis cum lacrymis
Presulis miris Juvenalis maximi,
Glutivit terra inimicos civium
Ore patenti.
Victor ut auxit [*exit*] superborum hostium,
Civium turba a parvo ac maximo,
Christi secuta presulem mirabilem
Signa ferentem.
Sic unus hostis interemptus gladio
Proprio ruit, ut multi baptismate
Surgere possent : sic consumptis omnibus
Omnia surgunt.
Nec suis tantum subvenire studuit
Ovili (*sic*) pastor, sed nautis in pelago
Naufragis, vento et procellis maximis
Morte propinquis.

A Signis excelsis Juvenalis claruit,
Cunctipotentis fuisse discipulus.
Gladio suo qui Saulem superat
Dedit amorem.
Sanguinem (*sic*) Christi exaucto in calicem,
Ipsum auctorem famulatur omnium,
Turbas qui pavit plurimas in heremo
Pane pusillo.
Faucibus amplis terra hostes sorbuit,
Dathan ut olim Abiron ut legimus
Domino semper fuisse obnoxios
More superbos
Turbine venti, procellosis nubibus
Nauta, quod prece Juvenalis liberat (*sic*),
Magistrum sequens, qui clientes eruit
B Peste marina.
Te Juvenalis, etc.
Gloria Patri, etc.

HYMNUS SANCTI APOLLINARIS.

Festa sacrata presulis
Apollinaris martyris,
Anni recursa orbita,
Celebrare jocundum est.
A Petro missus principe,
Ravennam urbem adiit :
Virtus quidem prenuntia
Ante ingressum patuit.
Jam Hirenei filio,
Dudum orbato lumine,
Nubem squamosam detegens,
Clara refulsit visio.
Tecla, matrona nobilis,
Conjux tribuni militis,
Per annos curva plurimos,
Gressus resumpsit pristinos.
Nec Tecle diu gratia
Signorum fama latuit.
Fertur ad aures tyranni
Saturnini tunc judicis;
Seva cujus rapacitas
Grassata circa martyrem,
Telis profusum gravibus
Seminecem expositum (*sic*).
Extemplo Boniphatius,
Civis Classis obmutuit.
Indita verba labiis
Loquendi usum meruit.
Inter eadem famina
Perrexit ad Emiliam;
Signis ditatus optimis,
Salutem egris reddidit.
Rufi domum (*sic*) patricii
Filia morbo languida,
Morte preventa subita
Pestem excludit luridam.
Deo Patri sit gloria.

HYMNUS SANCTI JUSTI MARTYRIS (6)

Adest sacra festivitas,
In qua tulit discrimina
Justus namque celicola,
Propter superna premia.
Fervebat ultrix sanctio
Nequissimorum principum,
Mutis sacellis sordidas
Cogens cremare victimas.
Pregestinis 2 in finibus
Martyr refulsit inclytus
A flore pueritie
Justus nomine et opere.
Magnatius tunc impius
Famam salutis audiens,
Tetro retrusit carcere
Nervis attritum martyrem.
Sistens athleta fortiter,
Minas tyranni respuens,
Almis canebat vocibus
Grates perenni judici.
Mutans dedit sententiam
Demens dehinc Magnatius,
Ridens jussit sub pondere
Colla sacrata premere.
Nam lineo subtemine
Massa revinctum plumbea
Restrinxit almos humeros,
Mersit profundo fluminis.
Cujus sacrum corpusculum
Equor reddidit littori :
Sebastianus presbyter
Istud sepulchro tradidit.
Gloria Patri, etc.

HYMNUS SANCTI CLEMENTIS.

Clementis festum celebratur hodie,
Venite plebes et mirate principem,
Adseclam Petri domini apostoli
C Romane sedis totius antistitem,
Quem sibi Christus consecravit martyrem.
Hic habitando in urbe Romulea
Annuntiando Jesum Christum Dominum
Illuminavit Theodora et Sisinnium,
Dum visum Petrum in sopore prospicit.
Sicque Clemente baptizatus credidit.
Hic predicando Christi evangelium,
Trajani jussu ductus ad exilium
Trans Pontum mare in preruptam heremum,
Ibi peregit insigne miraculum.
Aquarum venas ex abysso eduxit,
Et satiavit sitientes incolas,
Qui per metalla excidebant marmora,
Pro Christi nomine portantes supplicia.
Ob hoc crescente emula invidia,
Profundo maris mergitur cum anchora,
Ibi limatur sepulcrali camera.
Hunc ad receptum astat nunc ecclesia.
Ibi fideles congruunt per secula
Qui cursus (*sic*) anni tectus aqua validis.
Alto in mari mergi nudos flagitas
Cujus recurrens annua festivitas,
Recedens mare ad tria millia.

(6) Vide Martyrologium Romanum Baronii ad d. II Nov.

Per VII dies, vias prebet fulgidas.
Tuis sequaces approbatis, seculum
Discamus omnes moribus contemnere,
Iram domare, fluxa carnis spernere.
Nulla tenacis blandimenta corporis,
Usu polorum perfruamur gaudiis.
Ipsum rogemus Verbum Patris unicum,
Et obsecremus almum Sanctum Spiritum,
Ut mundi procul auferat jactantiam,
Virtutum nobis donet habundantiam,
Propter quod eterne evadamus tartara.
Gloria Domino per immensa secula
Sit tibi, Nate, decus et imperium,
Amor, potestas Sanctoque Spiritui,
Sit Trinitati salus individua
Per infinita secula.

IN SEQUENS SACRAMENTARIUM VETUS

MONITUM

(D. Joan. Bened. MITTARELLI et D. Anselm. COSTADONI, *Annal. Camaldul.*, Venet. 1756, t. II, Append. p. 397.)

Publici juris facimus vetustum sacramentarium, quod olim ad usum fuit monachorum seu eremitarum ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis in monte Suavicinio, imo, si audimus constantem popularem traditionem, quæ fere semper pedisequa aliquo saltem modo est veritatis, usus eo fuit sanctus Dominicus Loricatus, cui dono datum est a sancto ejus magistro Petro Damiano. Ab immemoriali propterea sacram venerationem obtinuit apud populum Frontalis Castri siti in diœcesi San-Severinate, et haud longe a monasterio Suaviniensi, in cujus castri parochiali ecclesia religiosissime etiamnum custoditur.

Character hujus ms. Sacramentarii Sæculum XI refert, quo vixere uterque tam Dominicus, quam Petrus Damianus; nihilque in contrarium offerri potest, quod ad posteriora tempora revocare cogat. Clarissimus vir Octavius Turcius canonicus Pyranus, qui Vitam sancti Dominici Loricati septem ab hinc annis typis vulgavit, quique Sacramentarium hocce ad superstitionem usque observavit, doctasque suas adnotationes, quæ inferius habentur, nobis edendas tradidit anno 1752, quo amicissimum virum visitavimus codicisque antiquitatem una simul examinavimus, constantissime idem sentit. Idipsum domnus Gabriel Guastuccius pereruditus Classensis monachus, qui nobiscum tunc aderat, et ante nos præsul doctissimus noster domnus Maurus Sartius qui pluries in conspectu positum diligenter perpendit.

Idem Turcius in suis præviis observationibus, quas statim habes, putat codicem hunc pertinuisse prius ad celebre monasterium Classense Sancti Apollinaris extra urbem Ravennam, vel ad aliquem locum Classensi subjectum, eo quod in litaniis *in ordine ad dandam pœnitentiam* invocetur *sanctus Apollinaris*, cujus titulo et sacro corpore gaudet Classensis basilica; nominentur insuper in iis sanctus Severus, sanctus Vitalis, sanctus Guido, Ravennates omnes. Verum æquissimam illius animadversionem non improbantes, superaddimus, ipsum exscribi potuisse ex simili codice, qui ad usum foret cœnobii et eremi Sanctæ Crucis Fontis-Avellanæ, cui præsidebat sanctus Petrus Damianus, cum in vetustis ritualibus et libris liturgicis hujus monasterii litaniæ legantur fere similes, et ibi quoque reperiantur nomina sanctorum Apollinaris, Severi, et Vitalis, Guidone tamen excepto; quinimo in aliquo ex ipsis codicibus officium cum hymnis propriis habeatur sancti Apollinaris. Petrus Damianus patria Ravennas, Classensis etiam monasterii ad tempus accola, inter cujus cœnobii monachos et Avellanenses maxima intercessit necessitudo et communicatio, sanctorum suorum Ravennatum cultum introduxerat penes suos Avellanenses, ea speciali etiam observatione prosequentes sanctum Apollinarem, qui jamdudum, eo nimirum tempore, quo Avellanensis monasterii crepundia emergebant, non longe a Catria, ubi fundata Avellanensis eremus, conspiciendum se præbuerat sancto Romualdo parenti nostro, ut in ejus Vita narrat idem Damianus. Guidoni Pomposiano abbati locum dederit in litaniis Sacramentarii nostri Damianus, quia ipse ante Avellanensem præfecturam, per biennium, tempore regiminis ejusdem præsulis Pomposianos monachos instruxerat; hunc proinde nuperrime inter cœlites relatum inseri curaverit liturgico missali.

Sacramentarius Codex Suavicinius obseratur tegumentis duplicis laminæ anaglypho opere cælatæ ex argento inaurato, intra quam locatur tabula eburnea, gyro parvo ebeneo circumdata. Supervacaneum foret huic loco observare evangeliaria, sacramentaria, missalia aliosque codices pro usu altaris consuevisse ornari nobilissimis et pretiosis cooperimentis. Id alii præstitere, et erudite præstat etiam canonicus noster Turcius. Egimus ea de re insuper in observationibus ad antiquam nostram tabulam eburneam, et in brevi recordationis Boni abbatis Pisani, quod prostat in Appendice hujus II voluminis, legitur: *Textum Evangeliorum unum valde optime scriptum cum tabule de argento valde bone.* In ms. Rerum catologo anni 1317 die 28 Aprilis confecto juxta constitutionem congregationis nostræ et præceptum Bonaventuræ præsidis generalis, domnus Bartholus abbas monasterii Sanctorum Justi et Clementis, prope Volaterras, inter cætera monasterii sui cimelia, adnotavit *unum tetraevangelium cum tabulis argenteis ponderis librarum decem et novem, et unciarum octo.* Ea pariter vigebat consuetudo recludendi inter laminas argenteas tabellas ebore sculptas. In museolo hujus nostri monasterii tabulam eburneam sæculi XIII asservamus, in qua cælata est imago sanctissimi Salvatoris, et ad oram duorum laterum prostant imagines sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, cujus ectypon transmisimus ad Cl. V. Antonium-Franciscum Gorium inserendum pretioso suo thesauro veterum operum eburneorum.

Sed ipsas laminas et tabellas Sacramentarii nostri describamus. Plures parvi orbes in utraque lamina sunt descripti; et quidem in primo laminæ unius reperitur imago angeli, ut denotant alæ litteræque appositæ Μιχαήλ, *Michael.* In altero e regione primi visitur similis imago cum litteris Ο ΑΡχάγγελος ΓΑΒριήλ, *archangelus Gabriel.* Uterque

angelus manus elevant versus aram, quæ locatur in orbe medio inter orbes laterales. Super ipsam aram collocatur codex gemmis dives, qui refert sacrum Evangeliorum librum, sub quo procidit stratum, et sub strato pulvinar deponitur, visum a parte tantum lateris lævi. Pone pulvinar extolluntur arundo cum pugna ex una, ex altera vero parte, lancea: notissima passionis Dominicæ instrumenta. Post codicem subrigitur crux duplex nuncupata Hierosolymitana, Patriarchalis, Apostolica, et communiter Græca. Morem hujus symbolicæ aræ habemus penes Græcos sequioris ætatis, similemque aram conspeximus in musivo cathedralis Tiocellanæ, et etiam in tabula lignea inaurata sæculi XIV, quæ asservatur in sacrario canonicorum basilicæ majoris Tarvisii. Aliqua tamen in his diversitas notatur ab antiquioribus symbolicis aris remotioris ætatis, ut videre licet apud Ciaconium et Ciampinium in musivis Sanctæ Mariæ majoris de Urbe, et Sanctæ Mariæ in Cosmedin Ravennæ, quæ spectant ad V et VI sæculum. De cultu evangelicorum librorum super aras ad instar libri a Joanne apostolo visi egimus alio loco.

In quarto et quinto orbibus ad medietatem laminæ exstant imagines sancti Petri apostoli et sancti coapostoli Pauli cum litteris A. ΠΕΤΡΟΣ A. ΠΑΥΛΟC. Demum ad oram laminæ inferiorem tres aliæ cælantur orbes, ex uno latere sanctus Marcus A. ΜΑΡΚΟC, ex alio sanctus Lucas A. ΛΟΥΚΑC; in medio angelus, stans et nudum globum sinistra tenens, dextera autem premens aliquid, quod clare non apparet ob laminæ corrosionem, appositis litteris O ΑΡχάγγελος ΓΑΒριήλ, *archangelus Gabriel*. Repetitionem protome et litterarum archangeli Gabrielis, et omissionem imaginis ac litterarum archangeli Raphaelis deputamus errori artificis, remque credimus carere mysterio.

In tabula eburnea a præfata lamina argentea comprehensa cælatur imago sancti Georgii O ΑΓΙΟC ΓΕΟΡΓΙΟC, qui crucem dextera tenet, sinistram autem extollit pallio coopertam, ut consuevere artifices exprimere in aliis imaginibus antiquis et inferioris ævi, tum Græcis, tum Latinis, et manus pallio obvoluta indicabat vel preces ad Deum fusas, vel quid humili veneratione receptum.

Tegumentum alterum, quo Sacramentarius codex ex parte subjecta clauditur, similem eburneam tabulam retinet in qua conspicitur sanctus Theodorus cum litteris O ΑΓΙΟC ΘΕΟΔωΡΟΣ, cujus manus eriguntur, sed nullo mysterio, nisi artificis arbitrio. Qui artifex cum Græcus esset, duos sibi proposuit ex Græcis sanctos, qui majorem apud eam ecclesiam cultum obtinerent, ideoque frequentiores sunt eorum imagines in picturis et cælaturis græcanicis.

In orbe superiori a dextra parte hujus secundæ laminæ visitur sanctus Matthæus cum litteris, O ΜΑΘΘΕΟC, a sinistra autem sanctus Joannes apostolus et evangelista, appellatus hic Theologus O Ιωάννης ΘΕΟλογος. Illustrari hinc potest dissertatio Christophori Augusti Heumanni edita Isinaci anno 1715, *De titulo Theologi Joanni prophetæ tributo.*

Comprehenditur inter hos duos orbes in quadrangulo imago sancti Michaelis globum nudum læva, hastam dextera tenentis. Orbes medii sanctum Jacobum, O ΙΑΚΩΒΟC, et sanctum Andream, A. ΑΝΔΡΕΑC, et duo postremi ad infimam oram; sanctum Bartholomæum, O ΒΑΡΘΟλομαιος, exhibent et sanctum Simonem, O CΙΜων, recipientes in medio alterum orbem cum imagine sancti Nicolai magni, O ΝΙΚΟΛΑΟC, qui æque apud Græcos summa veneratione colitur. Nil præterea in his imaginibus peculiari animadversione dignum, si excipiatur quod apostolis, evangelistis, confessoribus et martyribus præponitur consueta signa (A) A. ΑΓΙΟC, nimirum Sanctus, quæ tamen in his tegumentis denegatur archangelis.

Artificium operis totum Græcanicum est, quod constat ex ipsis litteris Græcis; temporibus enim mediis et sequioribus musiva, picturæ, cælaturæ, cæteraque id genus Græcorum erant opera, cum artes in Italia miserandum in modum vel periissent, vel rudes admodum forent. Musiva ducalis basilicæ Marcianæ Venetiarum, alia cathedralis ecclesiæ Torcellanæ, et plurima Romana ære impressa græcitatem olent, imo græcissima sunt. Refloruere postea artes in Italia sæculo XV. Quare ante hoc sæculum fabrefactæ fuere laminæ hactenus a nobis explicatæ; imo si examini subjiciatur forma characterum græcorum in duabus eburneis tabellis, qui oblongi potius sunt quam rotundi, ad sæculum antecedens XIV, vel ad finem XIII possunt hæc tegumenta referri, cum characteres græci anteriorum sæculorum ad majorem rotunditatem et extensionem forent expressi. Sed jam ad alteram Cl. V. Turcii præfationem accedamus.

VETUS SACRAMENTARIUM

Nunc primum editum ex codice membranaceo sæculi XI et observationibus ac notis illustratum a Cl. V. Octavio Turcio, canonico perinsignis collegiatæ ecclesiæ Pyrensis.

OCTAVII TURCII OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Jam tum, humanissime lector, cum animum ad illustrandum contuli Acta beati Dominici Loricati, quæ, ut in votis erat, jam sunt absoluta ac typis etiam vulgata, unum illud spectavi quam maxime, ut ea omnia, quæ illorum decori, beati viri gloriæ, atque eruditionis amatoribus usui esse possent simul congererem. Ut primum igitur perlatum mihi est in Sanctæ Annæ castri Frontalis San-Severinatis diœcesis parocchiali ecclesia missalem librum servari, ipsumque sub episcopalibus signis clausum concurrentium populorum cultui quotannis exhiberi, qui ad usum fuerat olim sanctissimi viri Petri Damiani, ac ab eodem postmodum beato Dominico Loricato ad usum Suaviciniensis monasterii seu qui dono datus, juxta veterem continuatamque incolarum traditionem, episcoporum etiam San-Severinatum litteris firmatam, me operæ pretium facturum censui, si tam venerabile vetustatis monumentum e tenebris eruerem, illiusque exemplar ad sacræ liturgiæ incrementum vulgandum curarem. Consilia hæc mea probavit Dionysius Pieraugustinus, felicis memoriæ episcopus, præclarissimus, meque insuper ad opus exsequendum incitavit. Litteris exinde datis parocho Frontalis mandavit præsul apprime humanissimus, ut fractis signis codicem mihimet traderet exscribendum; prout incunctanter fecit, qui hic idem est quem tuis oculis subjicio, additis quibusdam meis animadversionibus, quas opportune inserendas judicavi.

Vix autem sacrum codicem e custodia protuli

enim primo intuitu ex ipsismet tegumentis unum esse deprehendi ex iis sacris diptychis, quæ docti viri veterumque rerum studiosi, si forte reperiant, uti pretiosissimos thesauros deosculantur, ac magnum quid se reperiisse putant: Diptychon siquidem generatim loquendo nihil aliud est quam *duæ plicatiles tabellæ aptæ ad recipiendas sculpturas seu scripturas*, ut belle definit cl. Negelein in sua dissertatione *De diptycho consulari et ecclesiastico* (§ 3, p. 3), suamque etymologiam ab eadem Græca voce, quæ *duplex* sonat, ducere tradit in altera sua dissertatione super diptychis eruditissimus Joannes Andreas Schmidt (p. 3). Kusterus (*De diptych.*) itidem censet quemlibet librum gemma comperimenta diptychon posse vocari, quamvis interior ejus pars pluribus constet foliis seu tabellis, et hujusmodi nomenclaturam pendere magis dicit ab hoc duplici tegumento quam a numero paginarum seu tabellarum, quæ ibi continentur. Pretiosiora diptycha erant aurea, argentea, eburnea, et cedrina, et hæc quidem varia. Omissis illis quæ ad rem non faciunt, quæque a laudatis viris Negelein et Schmidt recensentur, illa tantum memorare juvat, quæ sacra et ecclesiastica appellabantur. Hæc sacras præferebant imagines, variaque sanctissimæ religionis nostræ symbola, concludebantque libros sacros et divinos. Erat enim priscis illis temporibus erga sacros codices, et missales libros præsertim ac evangeliaria maximus cultus et reverentia. In capitulari Caroli Magni, ex consilio Aquisgranensi decretum fuit *ut missales libros scriberent cum omni diligentia perfectæ ætatis viri*. Quod observat cardinalis Bona (*Rerum liturg.* lib. I, c. 25, n. 10). Hoc præsertim studio detinebantur monachi, exscribendo sacros libros, et operam præterea dabant, ut extrinsecus etiam libros illos, quanto poterant ornatu ditarent. Idem honor Evangeliorum libris præstabatur, ideoque in antiquo Fontanellensi Chronico statutum legimus: *Quatuor evangelia in membrano purpureo ex auro scribere jussit Romana littera* (c. 16).

Hujusmodi membranis purpureis argenteis litteris exaratum lectionarium cum tegumento eburneo refert Cangius in suo Glossario (t. II, p. 513). In bibliotheca itidem Vaticana codex asservatur, qui Evangelia continet sanctorum Lucæ et Joannis, coopertus diptycho eburneo, cujus una tantum medietas superest, ubi insculpti apparent Christus Dominus, cum geminis sibi assistentibus angelis, et sancti tres Magi cum Herode loquentes, natoque Domino munera offerentes, ut per epistolam monuit cardinalis Quirinus dominum de Boze (epist. 24); diptycho pariter eburneo opertas fuisse epistolas sancti Pauli ad divi Maximini cœnobium apud Treviros servatas refert Wiltemius in Appendice ad Diptychon Leodiense. Hinc credimus morem in Ecclesia viguisse ubique receptum sacros libros vel codices, ad divinum cultum designatos, uti sunt missalia, evangelia et alia hujusmodi, variis ornamentis auro vel argento convestiendi, ipsasque librorum paginas extrinsecus inaurandi. Sacramentarius codex noster Suavicinensis duobus tegumentis argenteis affabre elaboratis cooperitur, in quibus depictæ conspiciuntur plures imagines angelorum, apostolorum, evangelistarum et sanctorum Græcæ Ecclesiæ, cum lemmatibus pariter Græcis.

Liber est membranaceus et omnino integer, characterem clarum et prægrandem exhibens. Paginas habet, una et altera tantum aliquantulum corrosis, perpolitas, nec usu ullove vitio consumptas aut fœdatas. Quæ omnia antiquissimi erga illum cultus habitæque non vulgaris diligentiæ sunt indicia. Numerantur in eo paginæ 126 in quibus continentur præfationes, missarum orationes, canon ad consecrationem aliquæque preces; dignus propterea, ut inter nobiliora diptycha recenseatur.

Nunc ad tempora, queis forte sacer hic codex scriptus fuit, transeo. Antiquitati undecimi sæculi.

A quo vixit sanctus Petrus Damianus, omnia conveniunt. Propinquiora vero tempora habeo ab invocatione facta in litaniis, quæ leguntur in ordine *ad dandam pœnitentiam*, sancti Widonis, quem non alium puto, nisi celeberrimum Pompostanum abbatem, cujus precibus sanctus Petrus Damianus, cum adhuc in Avellanensi cœnobio degeret alumnus, ad illius monasterii se contulit cœnobitas instruendos. De Widonis glorificatione fidem facit ipsemet sanctus Petrus in epistola ad Henricum archiepiscopum Ravennatem, ubi memorat *Romaldum, sive Romualdum Camerinensem, amicum Rombibonensem*, seu ut melius legit Philippus Bonarota (*Diat. sacro*, p. 28), *Rambonensem*, *Widonem Pomposianum*, Firmanum Firmensem aliosque plures sanctorum fastis ascriptos, more illorum temporum. Cum autem certum sit sanctum Widonem ad Deum evolasse in suburbanis Parmæ, anno Domini 1046, ut ex ejus Vita ab anonymo coævo conscripta et relata a Mabillonio in Actis sanctorum ordinis sancti Benedicti (Sæc. VI, p. 509),
B ecce tempus propitium, quando liber noster scriptus est, post annum scilicet 1046, quo diem supremum obiit sanctus Guido, et ante annum 1060, quo juxta meam hypothesim, quam sequuntur Annalium Camaldulensium scriptores, vita cessit sanctus Dominicus Loricatus, cui a Damiano liber datus dono est. Quod si, uti rationi consonum, non sit credendum sanctum Widonem ipso suo emortuali anno sanctorum fastis fuisse ascriptum, imo vero nonnihil temporis intercessisse, eadem ratione qua ab obitu sancti Romualdi quinque anni ad ipsius glorificationem intercesserunt, teste ipso Damiano; quod si insuper conjicere liceat monasterium eremi Suavicinii montis circa annum 1049 fuisse constructum, ibique sanctum Dominicum Loricatum priorem ab eodem Damiano eremi fundatæ designatum, post hujus eremi constructionem, et non antea beatus Dominicus libri nostri
C missalis possessionem assecutus est putandus, circa annum 1050.

Certum insuper est hunc sacramentorum librum totum esse monasticum, et ad monachos Benedictini ordinis spectare, tum ab ipsa missa sancti Benedicti et a peculiari ejus transitu præfatione, tum a geminis orationibus *in ordine ad induendum monachum*, ubi secunda oratione legitur: *Precamur te, Domine, ut intercedente beato Benedicto confessore tuo, huic famulo tuo cui habitum sanctæ religionis imponimus*, etc. Idipsum constat ex litaniis *in ordine ad dandam pœnitentiam*, in quibus invocantur plures sancti monachi Benedictini; atque ab illorum et ab invocatione præsertim sancti Apollinaris, cujus sacrum corpus in Classensi basilica requiescit, qui cæteris martyribus, post sanctum Clementem papam præfertur, vel ipsimet Classensi Ravennati monasterio, vel alteri ejusdem ordinis et Classensi subjecto, hujus libri usum non dubitaverim ascribere. Tale fuit olim judicium Petri Pollidorii viri eruditissimi cui
D accedit opinio præclarissimi præsulis Auximani, et Cingulani Pompeii Compagnonii. Argumenti fidem adauget missa quam habemus *in dedicatione ecclesiæ* post festum diem sancto Marco sacrum, et ante natalitia sancti Joannis Baptistæ. Porro dedicatio basilicæ Classensis Sancti Apollinaris celebratur quotannis septima die mensis Maii, ideoque prope dixerim librum hunc missalem ad Classense cœnobium spectasse, et a monachis Classensibus primum sancto Petro Damiano, ab hoc vero sancto Dominico Loricato dono datum.

Sacramentarii hujus initium sumitur a præfatione communi, et procedit ad totam missam, *in honorem omnium sanctorum pro vivis et defunctis*. Quæ præcedunt, quæque subsequuntur missæ, præfationes et preces diverso charactere scriptæ nihil aliud sunt quam geminæ appendices; eruditorum tamen judicio et Sartii præsertim Camaldulensis doctissimi præsulis harum rerum peritissimi, quorum oculis

autographum ipsum subjecimus, eodem undecimo sæculo scriptæ.

Habet quælibet missa tres tantum orationes; prima quæ dicitur *Collecta*, altera quæ vocatur *secreta*, postrema quæ *postcommunionem* appellatur. Collectarum, quibus in missa utimur, primum auctorem fuisse Gelasium norunt omnes rerum ecclesiasticarum scriptores, et antiqua monumenta evincunt, ut scribit Franciscus Pagius in Breviario Romanorum pontificum sub Gelasio (num. 13). Non habemus hic neque introitum, neque gradualia, sed nec epistolas, nec evangelia, non denique offertoria et versiculos post communionem. Quamobrem suspicari non immerito possum hunc sacramentarium librum missis duntaxat inservìisse sollemnioribus, in quibus celebrans olim recitabat tres illas hic prostantes orationes, præfationem et canonem, et reliqua ministri cantabant. Duos siquidem sacramentarios libros ecclesias in missæ sacrificio olim usurpasse dicendum; alterum plenarium dictum, quem Leo IV tenendum esse præcepit in qualibet ecclesia (hom. 13, *De cura pastorali*): *Missale plenarium*, inquit, *et lectionarium, et antiphonarium unaquæque ecclesia habeat;* et forte illud est missale plenarium, quo nunc sacerdotes utuntur ad privatas missas celebrandas, plenarium ideo appellatum, quia quidquid in lectionariis et antiphonariis libris seorsim continetur, collectum ibi est, et plene reperitur; et alterum ejusdem generis cum nostro, pro solemnibus tantum missis assignatum, ultra quem etiam lectionarium, in quo epistolæ et evangelia, et antiphonarium, ubi introitus, gradualia, offertoria et versiculi post communionem continerentur, essent comparanda.

Ut autem hujus vetusti moris veritas magis clarescat, memoria repetendum est, sanctum Gregorium Magnum ex his psalmis, quos Cœlestinus papa alternatim ante missam cantandos decreverat, aliquos selegisse versiculos pro introitu et responsoriis, alios pro offertorio et communione, aliosque in unum congessisse librum, quem antiphonarium nuncupavit, Gregorianum propterea dictum, et a piæ memoriæ cardinali Thomasio typis vulgatum. Quia vero nonnullæ ex illis antiphonis, quæ post epistolam dicuntur, in eminentiori loco cantari solebant, ad quem per gradus cantores ascendebant, vocatæ sunt graduales, ut sentit cardinalis Bona (lib. II, cap. 5, n. 4) contra quosdam, qui censent sic appellatos a gradibus altaris.

Olim pariter tam epistolæ, quam evangelia cantabantur semper in ambone seu pulpito, et evangelia quidem altiori loco, epistola inferiori ex præscripto Romani ordinis. Libri vero, ubi epistolæ et evangelia continebantur, lectionaria sunt appellati, quorum unum titulo *comitis* jussu Damasi compaginavit Hieronymus.

Lectionaria alio nomine passionaria vocabantur, in quibus acta etiam sanctorum et eorum martyria erant scripta. Libri in quibus exaratæ erant epistolæ canonicæ, epistolaria dicebantur; ex iis unum Desiderius abbas Casinensis, inde summus pontifex Victor III, ornatum voluit *gemmis tabellis, argentea una, aurea altera*, ut in Chronico Casinensi legitur (lib. III, cap. 3). Erat et liber evangeliorum evangeliarium vocatum, erga quem is fuit apud fideles cultus et honor, ut testibus Baronio et Bona, quoties generalia concilia habebantur, sub regali solio in medio Patrum assessorum poneretur.

Reliquæ preces, quæ in missæ sacrificio dicuntur, et hic desiderantur, velut *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Symbolum apostolicum*, aliæque orationes ante canonem et ante communionem, scriptæ forte erant in illis tabellis, quæ juxta morem hodiernum in altari sunt positæ ante oculos celebrantis, quasque episcopi, aliique episcopalia jura habentes legunt modo ex libro, quem vulgo canonem vocant.

Tandem animadverto missalem hunc librum in pluribus convenire cum sacramentario sancti Gregorii quamvis frequentes varietates observentur juxta undecimi sæculi usum. Quidquid vero nota dignum in missali reperi, suis infra locis breviter appono.

VETUS SACRAMENTARIUM

Nunc primum editum.

In Dei nomine. Amen. Hæc est copia publica cujusdam perantiqui Missalis charta membranacea manuscripti paginarum centum viginti sex, longitudinis unciarum tredecim, latitudinis novem cum dimidio, cooperti in fronte et in suis fibulis ex serico gausapine viridis coloris cum tegumentis ex laminis argenteis auro linitis et concinne relevatis cum quibusdam parvulis imaginibus figuræ orbiculatæ hinc inde dispositis, circum quas quidam Græci characteres apparent, in quorum medio conspiciuntur quædam aliæ imagines ex ebore pariter relevatæ et sculptæ, ebeno circumductæ prout apparent delineatæ in sequenti et altero folio apposito, in principio et in fine præsentis copiæ, in interiori vero tegumentorum parte ex tela serica omnino integra coopertis coloris pariter viridis, tenoris sequentis videlicet.

(1) IN FESTIVITATE SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS. ✠ Æterne Deus. Beati Stephani Levitæ simul et martyris natalitia recolentes, quod fidei, quod sacræ militiæ, quod dispensationis et castitatis egre-

(1) Harum trium præfationum in hac priori Appendice scriptarum mentio fit in ms. Consuetudinibus Sancti Germani a Pratis, sub quarum fine hæc leguntur apud Marteñe (*De antiq. monach. rit.* lib. II, cap. 4, n. 29): « Sequitur videre, quando dicatur præfatio in vigilia Natalis Domini, in die ad tres missas, in Natali sancti Stephani, sancti Joannis evangelistæ, nec non sanctorum Innocentium. »

Nostra pro sancto Stephano est omnino singularis, non enim repetitur in aliis sacramentorum libris a Thomasio editis, nec in Gregoriano Pamelii, non denique in libris de antiqua Ecclesiæ disciplina a Martene editis.

Altera sancti Joannis reperitur in libris sacramentorum studio Menardi et Pamelii vulgatis (t. III, col. 10, p. 551), quorum auxilio nostræ præfationis defectus supplentur.

Præfatio in die sanctorum Innocentium habetur sola sine missa vel sine oratione in corpore nostri missalis libri. Notandum est hujus festivæ diei institutionem excedere tertium sæculum. Origenes enim, qui hoc sæculo floruit, sermonem habet de

gl.æ, et prædicationis mirabilisque cons..... ejus confessionis ac patientiæ..... exempla veneranda proposuit, et ideo Nativitatem Filii tui merito præ cæteris, passionis suæ festivitate prosequitur, cujus gloriæ sempiternæ primus martyr occurrit per quem.

IN FESTIVITATE SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ.

✠ Æterne Deus. Beati apostoli tui et evangelistæ Joannis veneranda natalitia recensentes, quod Domini nostri Jesu Christi vocatione suscepta terrenum respuit patrem, ut posset invenire cœlestem, adeptus est in regno cœlorum sedem apostolici culminis, qui tantum retia carnalia contempserat genitoris, quique ab Unigenito sic familiariter ut dilectus et immensæ gratiæ muneribus approbatus ut eum idem Dominus in cruce jam positus..... suæ matri Virgini filium..... garet. Qu.... beatæ Genitricis integritati probati dilectione discipuli virginitas deserviret; nam et in Cœnæ mysticæ sacrosancto convivio super ipsum vitæ fontem æternum scilicet pectus recubuerat Salvatoris, de quo perenniter manantia cœlestis hauriens fluenta doctrinæ tam profundis ac mysticis revelationibus est imbutus ut omnem transgrediens creaturam excelsa mente conspiceret, et evangelica voce proferret, quod *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et ideo cum angelis.*

IN NATIVITATE INNOCENTIUM.

✠ Æterne Deus. Et in pretiosis mortibus parvulorum, quos propter nostri Salvatoris infantiam bestiali sævitia Herodes funeste occidit. In...... sola magis gratia quam voluntas, et clara est prius confessio quam loquela, ante passio quam membra idonea passione. Existunt testes Christi, qui ejus nondum fuerant agnitores; quæ pro suo nomine trucidatis meritum gloriæ perire non patitur, sed proprio cruore perfusis, et salus regenerationis adhibetur, et imputatur corona martyrii. Et ideo cum angelis et archangelis.

(2) Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est. Dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum, per quem majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cœli cœlorumque virtutes ac beata Seraphim socia exsultatione concelebrant, cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur supplici confessione dicentes.

sanctis Innocentibus (hom. 3 *in Matth.*), sicut et sanctus Augustinus, ut scribit Baronius in suis notis ad Martyrologium. Refert Martene hunc solemnem diem festum in concilio Basileensi fuisse vetitum ob multos, qui tunc irrepserant abusus, et præsertim, quia variis in locis a pueris puerilibus lusibus celebrabatur. Cum autem in hac prævia Appendice sola sanctorum Innocentium præfatio habeatur sine missa, inferri quodammodo potest circa medium sæculum XI inter Benedictinos monachos festi hujus excrevisse propagationem. Missalis liber Mozarabicus habet missam de sanctis Innocentibus. Videantur inter opera ven. viri cardinalis Thomasii ordo divini officii Gothici Mozarabum (t. I, cap. 35) et tractatus Liturgiæ Hispanicæ antiquæ a Pinio exaratus (cap. 20, § 4).

Ab hac præfatione conjici nequit dies, quo festivus a monachis celebrabatur, an ante, an forte post Epiphaniam. Ante colebatur a Græcis ex eorum menologio apud Canisium (t. III, fol. 941), nempe die 29 Decembris. In libello Orationum Gothico-Hispanicarum apud Thomasium (t. I, p. 165) hic festivus dies apponitur post Epiphaniam: *In die allisionis infantium;* qui postremus mos congruentior videtur, cum Innocentium stragem præcesserit Magorum adoratio, quæ recolitur in Epiphania. Videantur, quæ eruditissime congessit in suis notis ad dictum libellum Cl. V. Joseph Blanchinius.

(2) Incipit missalis liber a præfatione communi. Peculiares enim et solemnioribus assignatæ festivis diebus habentur suis locis in propriis missis. Præfationum institutio tribuitur a quibusdam sancto Gelasio I. Sed cardinalis Bona (lib. II, cap. 10) concedit quidem plures præfationes fuisse additas, attamen contendit et pluribus probat earumdem usum ab ipsis Ecclesiæ primordiis, et ab apostolis vel ab apostolicis viris esse repetendum. Olim præfationes pro temporum, festorumque dierum varietate erant multæ et diversæ; tot quippe habebantur præfationes, quod festi dies, ut notat idem cardinalis (*ibid.*, cap. 10, n. 11). Habemus Pelagii II epistolam ad episcopos Germaniæ et Galliarum (*apud Baronium*), qui pontificem rogaverant, ut ordinem præfationum eis mitteret, quem sancta Romana Ecclesia tunc servabat, quibus respondens numerat novem duntaxat præfationes tenendas, et sunt: *Unam in Albis paschalibus, alteram de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione, sextam de Apostolis, septimam de Trinitate, octavam de Cruce, nonam de Jejunio et Quadragesima.* Attamen cardinalis Bona (ut supra n. 35) existimat epistolam illam Pelagio per errorem fuisse tributam, multaque argumenta refert dignissima in sententiam suam. Demum concludit: « Quod si mea suspicio æquo lectori non placet, hoc saltem negare non poterit usum Romanæ Ecclesiæ, de quo Pelagius testatur, post ejus decessum antiquatum fuisse: ejusque decretum de novem præfationibus nullibi receptum, nec exsecutioni demandatum, nisi sæculis X et XI. Evidens enim est in libris antiquis sacramentorum, qui Romanæ Ecclesiæ titulum præseferunt, plures reperiri præfationes; vixque ulla missa est, cui propria et peculiaris non assignetur. Quo vero tempore tot præfationes desierint, non liquet; nisi quod in missalibus scriptis post annum 1200, illæ novem duntaxat reperiuntur a Pelagio numeratæ, duabus tantum additis; una communis antiquissima, quæ Gelasii vel Gregorii esse creditur, altera de beata Virgine, ab Urbano II instituta, et hæ undecim sunt, quibus omnes Ecclesiæ ritui Romano adhærentes hodie utuntur. » Quod vero sæculo X vel XI Pelagii II decretum fuerit exsecutioni mandatum, ex nostro missali libro contrarium potius deducitur. Leguntur enim hic in variis missis 27 præfationes, et inter has non reperitur præfatio de Cruce, nec illa de Jejunio in Quadragesima. Præfatio de Apostolis legitur peculiaris in festo die sanctorum apostolorum Petri et Pauli. Refert tandem Martene (*De antiq. monach. ritibus* lib. II, cap. 4, n. 34) numerum præfationum contractum fuisse in concilio Westmonasteriensi.

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

(3) Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus et petimus uti accepta habeas et bene†dicas hæc do†na, hæc mu†nera, hæc sancta † sacrificia illibata, imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa nostro et antistite nostro, et omnibus orthodoxis catholicæ atque apostolicæ fidei cultoribus.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, illorum et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio. Pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus. Pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ tibi reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero.

Communicantes et memoriam venerantes imprimis gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, et Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Grisogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani, et omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari, per Christum Dominum nostrum.

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, bene†dictam, ascri†ptam, ra†tam, ratio†nabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis cor†pus et san†guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem omnipotentem, tibi gratias agens, bene†dixit, fregit et dedit discipulis suis dicens : *Accipite et manducate ex hoc omnes : Hoc est enim corpus meum.*

Simili modo postea quam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, bene†dixit, deditque discipulis suis dicens : *Accipite et bibite ex eo omnes : Hic est enim calix sanguinis mei novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

Unde et memores, Domine, nos tui servi, sed et plebs tua sancta ejusdem Christi Filii tui Domini nostri, tam beatæ passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlis gloriosæ ascensionis offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis, ho†stiam puram, ho†stiam sanctam, ho†stiam immaculatam, panem † sanctum vitæ æternæ, et calicem † salutis perpetuæ.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur. Per.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, illorum qui nos præcesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eumdem.

(4) Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de

(3) De auctore canonis a multis multa dicuntur quos recenset Pagius (num. 15) sub Gelasio I. Adelmus episcopus (*De laud. virg.* cap. 23) illum tribuit sancto Gregorio Magno. At Gregorius ipse (epist. 64, lib. VII) scribit a scholastico fuisse compositum. Quisquis sit scholasticus iste, illud pro certo tenendum est antiquiorem fuisse Gelasio, qui canonis auctor non fuit. Polydorus Virgilius (lib. V, cap. 10, *De invent. rer.*) scribit a multis pontificibus compactum fuisse, sed perperam; quamvis enim aliqui nonnulla verba canoni addiderint, ut papa sanctus Leo, *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam* : sanctus Gregorius Magnus, *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione eripi et in electorum tuorum jubeas grege numerari*, ex Libro Pontificali et ex Beda (*Histor. Eccles.* lib. II, cap. 10), idque asserit etiam Joannes diaconus in Gregorii Vita, illum tamen, ut ait Vigilius papa, in epistola ad Euducium, « ex apostolica traditione suscepimus, » et idipsum repetit sacrum concilium Tridentinum (sess. 2, cap. 4), docendo ex ipsis Domini verbis, ex apostolorum traditionibus et ex summorum pontificum constitutionibus esse compositum. Post sanctum Gregorium Magnum nil in canone vel additum, vel immutatum fuisse a Romanis pontificibus animadvertit laudatus Bona (cap. 11).

Perpauca notis digna habemus in canone nostri missalis, cum simillimus pene sit illi quomodo utimur. Proprium nomen summi pontificis et antistitis non præscribitur, sed duntaxat dicitur, *una cum famulo tuo papa nostro et antistite nostro.* Forte monachi, quorum usui serviebat hic liber, aliqua peculiari rubrica instructi papæ et episcopi nomen pronuntiaverint; est enim antiquissimi ritus apostolici memoria pontificis et episcopi in canone, et habetur in omnibus ms. sacramentorum libris, Græcorumque liturgiis. Ita Bona (cap. 11).

(4) Post orationem pro defunctis alia habetur oratio, quæ incipit : *Nobis quoque peccatoribus.* In

multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cœcilia, Anastasia, et cum omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sancti†ficas, vivi†ficas, bene†dicis et præstas nobis, per ipsum et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria.

Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Oremus. Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati audemus dicere :

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum; Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.

(5) *Sequitur oratio.* Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris, et intercedente pro nobis beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria, et electis archangelis tuis, Michael, Gabriel, Raphael, beatoque Joanne Baptista præcursore tuo et sanctis apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea cum omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Pax Domini sit semper vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Agnus Dei, qui tol., etc.

(6) MISSA IN NOCTE SANCTA.

Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere, da, quæsumus, ut cujus lucis mysteria in terra cognovimus ejus quoque gaudiis perfruamur in cœlo. Qui tecum vivit.

Secreta. Accepta tibi sit, Domine, quæsumus hodiernæ festivitatis oblatio, ut tua gratia largiente per hæc sacrosancta commercia in illius inveniamur forma in quo tecum est nostra substantia. Qui tecum.

Postcommunio. Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, ut qui nativitatem Domini nostri Jesu Christi nos frequentare gaudemus, dignis conversationibus ad ejus mereamur pervenire consortium. Qui tecum.

IN DIE SANCTO NATALIS DOMINI.

(7) Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eumdem.

Secreta. Oblata, Domine, munera, nova Unigeniti tui nativitate sanctifica, nosque a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per eumden..

Præfatio. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisi-

hac aliquot sancti recensentur, quorum in principio canonis mentio facta non fuit. Ii sunt ex diversis ordinibus electi; ex diaconis, Stephanus; ex apostolis, Matthias; ex discipulis, Barnabas; ex episcopis, Ignatius; ex summis pontificibus, Alexander; ex presbyteris, Marcellinus; ex clericis minoribus, Petrus; ex conjugatis Felicitas et Perpetua. Cumque nullæ nominarentur ex virginibus, Gregorius Magnus, Agatham, Luciam, Agnetem, Cœciliam et Anastasiam huic parti canonis adjunxit, ut scribit Adhelmus, cap. 26. Adderem ego ex patriarchis selectum fuisse Joannem Baptistam.

(5) Post orationem Dominicam sequitur oratio : « Libera nos, » etc., in qua post invocationem beatæ Virginis Mariæ habentur nomina archangelorum Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, et insuper Joannis Baptistæ, quæ in canone, quomodo Ecclesia Romana utitur, desiderantur. Priscis tamen temporibus, ut refert cardinalis Bona (lib. II, cap. 15, § 2) addebantur nomina plurium sanctorum ad libitum sacerdotum, testibus Micrologo (cap. 13), et Honorio Augustodunense (lib. I, cap. 109). Exstat etiam missalis liber ms. in Bibliotheca Vaticano-Palatina (n. 483), ubi post illa verba « Petro et Paulo atque Andrea, » subjungitur (hic nominat quotquot sanctos voluerit). In aliis mss. sacramentorum libris addita leguntur nomina patronorum illius Ecclesiæ ad quam codex spectat.

(6) Sancto Telesphoro hujus *in nocte sancta* missæ ubique celebrandæ constitutio tribuitur, et decretum refertur a Gratiano (*De consecr.* dist. 1) Verum ea Telesphori decretalis supposititia est, idque clare evincitur, quia pervigilium et pernoctatio, imo et ipse festus dies Natalis Domini multis post hujus Romani pontificis annis sub Julio I diei 25 Decembris affixus fuit celebrandus, ut probat Florentinius (exercit. 2) in notis ad Martyrologium Hieronymianum, et Pagius in suo Breviario (num. 1, 11) sub Telesphoro et sub Julio I, qui Nicephori sententiam refellit scribentis Justinum imp. festum Natalis diem per totum orbem statuisse recolendum, cum sciamus longe ante Justinum in Occidente et in Oriente institutum fuisse vel die 25 Decembris, vel 6 Januarii, et Justinianum anno 537, non Justinum diei 25 Decembris consignasse ubique celebrandum.

(7) Duas tantum missas habemus festivo die Natalis Domini, altera *in nocte sancta*, altera *ipso die*. Desideratur *missa in aurora*. Non est sane credendum a monachis Benedictinis eo die hanc omissam. Docet nos Cl. V. Joseph Blanchinius (t. I, p. 168), in suis notis adorationes antiquas Gothico-Hispanicas, unam tantum missam esse assignatam in Missali Gothico, et in Sacramentario, et in Lectionario Gallicano edito a Mabillonio, itemque in Missali Mozarabico et in Ambrosiano apud Pamelium. In Gelasiano tamen et in Novo Ambrosiano tres missæ assignantur. Idcirco cum noster sacramentorum liber Gregorianum sequatur, et in Gregoriano tres missæ reperiantur, non alia sane ratione credendum hic missam in aurora deficere, nisi quia noster missalis liber solemnes tantum contineat missas; adeoque prætermittatur missa in aurora, ut, minus solemnis, et quæ non cantabatur.

bilium amore rapiamur. Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus hymnum gloriæ tuæ canimus sine fine dicentes:

Infra actionem. Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quæ beatæ Mariæ intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem, sed et memoriam venerantes ejusdem gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum.

Postcommunio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut natus hodie Salvator mundi, sicut divinæ nobis generationis est auctor, ita et immortalitatis sit ipse largitor. Qui tecum vivit.

IN FEST. SANCTI STEPHANI LEVITÆ.

Da nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare. Per Dominum.

Secreta. Suscipe, Domine, munera pro tuorum commemoratione sanctorum, ut quod illos passio gloriosos, nos devotio reddat innocuos. Per.

Communio. Auxilientur nobis, Domine, sumpta mysteria, et intercedente beato Stephano martyre tuo sempiterna protectione confirment. Per.

IN FEST. SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ.

Ecclesiam tuam, Domine, benignus illustra, ut beati Joannis evangelistæ illuminata doctrinis ad dona perveniat sempiterna. Per.

Secreta. Suscipe munera, Domine, quæ in ejus solemnitate tibi deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per.

Communio. Refecti cibo potuque cœlesti, Deus noster, te supplices deprecamur, ut in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur, et precibus. Per.

IN OCTAVA DOMINI.

Deus, qui nobis nati Salvatoris diem celebrare concedis octavum, fac nos, quæsumus, ejus perpetua divinitate muniri, cujus sumus carnali commercio reparati. Per.

Secreta. Præsta, quæsumus, Domine, ut per hæc munera, quæ Domini nostri Jesu Christi arcanæ nativitatis mysterio gerimus, purificatæ mentis intelligentiam consequamur. Per.

Communio. Præsta, quæsumus, Domine, ut quod Salvatoris nostri iterata solemnitate percepimus perpetuæ nobis redemptionis conferat medicinam. Per.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per.

Secreta. Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine dona propitius intuere, quibus jam non aurum, thus et myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur et sumitur. Per.

Præfatio. † Æterne Deus, quia cum unigenitus Filius tuus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, nova nos immortalitatis suæ luce reparavit. Et ideo.

Infra actionem. Communicantes et diem sacratissimum celebrantes, quo Unigenitus tuus in tua tecum gloria coæternus, in veritate carnis nostræ visibiliter corporalis apparuit, sed et memoriam, etc.

Communio. Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, ut quæ solemni celebramus officio purificatæ mentis intelligentia consequamur. Per.

(8) BENEDICTIO SUPER CEREOS IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Exaudi, quæsumus, Domine, plebem tuam, et quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari, interius assequi gratiæ tuæ luce concede. Per.

Dominus vobiscum. Et cum. Sursum corda. Gratias agamus Domino Deo nostro. ✠ Æterne Deus, creator cœli et terræ, Rex regum, et Dominus dominantium, nos supplices tuos ad te clamantes clementer exaudire digneris, quia omnia ex nihilo creasti, et jussu tuo opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei evenire fecisti, et hodierna die petitionem justi Simeonis implesti. Te humiliter deprecamur, ut has candelas ad usum hominum, et sanitatem corporum et animarum quicumque tuus fidelis pro benedictione suis gestaverit in manibus sive in terra, sive in aquis per invocationem tui sanctissimi nominis, et intercessionem sanctæ Mariæ Filii tui genitricis, cujus purgationem hodie celebramus mentibus devotis, atque omnium sanctorum tuorum prece, et meritis bene†dicere, et sancti†ficare tua pietate digneris, ut hæc plebs tua, qui hos cereos honorifice in manibus portat, teque psallendo laudes decantat, tu exaudias eorum voces de cœlo sancto tuo, et de sede majestatis tuæ; propitiusque sis omnibus clamantibus ad te, quos pretioso Christi Filii tui sanguine dignatus es redimere, qui tecum vivit.

Oremus. Præceptis salutaribus moniti, etc. Pater noster qui es in cœlis, etc.

Alia oratio. Bene†dic, Domine, Jesu Christe, hanc creaturam cerei supplicationibus nostris, et infunde

(8) Cerei benedictio in die Purificationis Mariæ posterior valde est temporibus sancti Gregorii Magni. Non enim ejus meminit neque Amalarius, neque Walfridus, neque supposititius Alcuinus, qui tamen meminit cereorum benedictorum, quos pontifex maximus distribuebat! Multo minus in Gelasiano, in Gregoriano, in Gellonensi aliisque sacramentorum libris de hac benedictione agitur. In quodam antiquo Turonensis Ecclesiæ missali libro circa x sæculum scripto, unica tantum oratio repetitur, *ad luminaria benedicenda*, et in alio peranti[illegible] monasterii sancti Theodorici unica pariter oratio *ad benedicendos cereos*; quas orationes refert Martene (t. III *Antiq. ecc. discip.* lib. IV, n. 5), cum aliquibus ritibus sane antiquis ad cereos benedicendos. Nihil de ipsa insuper in antiquo libello orationum Gothico-Hispanicarum alias memorato.

ei per virtutem sanctæ Cru†cis benedictionem cœlestem, ut qui eam ad expellendas tenebras humano generi tribuisti talem signaculo cru†cis tuæ fortitudinem et benedictionem accipiat, ut in quibuscunque locis accensa sive posita fuerit, discedat et contremiscat diabolus et fugiat pallidus cum omnibus ministris suis de habitationibus, nec præsumat amplius illudere servientibus Deo. Proinde te quæsumus, Domine, ut mittas sanctum angelum tuum Raphaelem, qui evulsit a Sara et Tobia dæmonem mortiferum eos infestantem, conterat illum, et perdat de cunctis habitationibus colentium Deum, de domibus, de angulis, de lectulis, de refectoribus, de universis locis in quibuscunque Deo famulantes habitant, quiescunt, dormiunt, vigilant, ambulant et consistunt, nec valeat ille malignus amplius inquietare illos, quos sancti chrismatis tui unctione fecisti esse munitos. Benedico hos cereos in nomine Dei † Patris omnipotentis, et Filii † ejus unigeniti, et Spiritus † sancti paracleti, ut sit ubique diaboli effugatio, atque omnium contubernalium suorum exterminatio, auxiliante eadem sancta et individua Trinitate, quæ in Unitatis essentia semper permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos primitus accendat cereum et cæteris tribuat, et post accensionem dicat hanc orationem: Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigenitum tuum hodierna die ulnis sancti Simeonis in templo tuo sancto suscipiendum præsentasti, te supplices deprecamur, ut hos cereos tuos quos famuli tui omni magnificentia suscipientes gestare cupimus luce accensos, bene † dicere et sancti † ficare digneris, atque lumine supernæ bene † dictionis accendere, quatenus eos tibi Domino Deo nostro offerendo digni, et sancto igne tuæ dulcedinis charitatis accensi, in templo sancto gloriæ tuæ repræsentari mereamur. Per

MISSA IN DIE SANCTO.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eumdem.

Secreta. Exaudi, Domine, preces nostras, et ut digna sint munera, quæ oculis tuæ majestatis offerimus, subsidium nobis tuæ pietatis impende. Per.

Communio. Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, intercedente beata Virgine Maria, et præsens nobis remedium esse facias et futurum. Per.

(9) IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

Deus qui beato apostolo tuo Petro collatis clavibus regni cœlestis, animas ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Per.

Secreta. Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces et hostias beati Petri apostoli commendet oratio, ut quod pro illius gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per.

Communio. Sancta tua nos, Domine, quæsumus, sumptæ vivificent, et intercedente beato Petro apostolo tuo, misericordiæ sempiternæ præparent expiatos. Per.

(10) IN FEST. SANCTI BENEDICTI

Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosa beati Benedicti abbatis exempla humilitatis triumphale nobis iter ostendisti, da, quæsumus, ut viam tibi placitæ obedientiæ, per quam venerabilis Pater Benedictus illæsus antecedebat, nos præclaris ejus meritis adjuti sine errore subsequamur. Per

Secreta. Paternis intercessionibus magnifici pastoris Benedicti, quæsumus familiæ tuæ, omnipotens Deus, commendetur oblatio, cujus vitalibus decoratur exemplis. Per.

Communio. Perceptis, Domine Deus noster, sacramentis salutaribus humilitate deprecamur, intercedente beato Benedicto abbate, quæ pro illius venerando agimus obitu, nobis proficiant ad salutem. Per.

(11) IN ANNUNTIATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Deus, qui hodierna die Verbum tuum beatæ Vir-

(9) Cathedræ Sancti Petri festus dies recolitur in nostro missali post festivum Purificationis beatæ Mariæ virginis, ideoque mense februario; quod apertissime ostendit neque temporibus sancti Petri Damiani in Ordinario Romano cathedræ Romanæ festum diem, qui Januario mense recolitur, fuisse descriptum. Imo penes me est antiquum breviarium membranaceum sæculo XIV scriptum ubi Sancti Petri Cathedra non habetur XV Kalendas Februarii. Putandum tamen non est haberi hic festum diem de sola Cathedra Antiochena, qui mense Februario celebratur, eo vel maxime quia de Romana nulla fit memoria in libris sacramentorum Gelasii et Gregorii. Menardus enim, et quidem sano consilio, putat hac die de utraque Cathedra memoriam recoli ab Ecclesia, quod revera auctoritate nostri missalis libri probatur, ubi missa habetur in cathedra Sancti Petri sine expressione, an illa Romana sit vel Antiochena. Ad hanc sententiam confirmandam multum conferunt doctissimæ notæ Patris Blanchini ad libellum orationum Gothico-Hispanarum, in quo habetur mense Februario, VIII Kal. Martii, Cathedra Sancti Petri, ut in nostro, et tamen hymnus, qui ibi legitur, aperte demonstrat festum illum diem esse statutum ad utramque cathedram recolendam, cum dicatur:

Adest dies, quo Romulea
In urbe consecratus es:

Opportune subdit vir ille doctissimus (tom. I, p. 172): « En Romanæ cathedræ cum Antiochena commemoratio VII Kal. Martii. » Etiam Pinius (num. 441) de Cathedra Sancti Petri agit, et quidam luculenter in suo tractatu chronologico *De liturgia antiqua Hispanica*.

(10) Ab hac sancti Benedicti abbatis missa liquet, ut jam dixi, hunc missalem librum ad usum fuisse monachorum ordinis sancti Benedicti, et præcipue a prima et a secunda oratione, quibus Deus exoratur, ut paternis *intercessionibus magnifici pastoris* Benedicti *oblatio monasticæ familiæ commendetur*. In ejus transitu habetur propria præfatio exarata in postrema Appendice.

(11) Festus dies Annuntiationis beatæ Mariæ

gini suo coadunare voluisti, fac nos ita peragere, A ut tibi placere valeamus. Per eumdem.

Secreta. In mentibus nostris, Domine, veræ fidei sacramentum confirma, ut quod conceptum de Virgine Deum verum et hominem confitemur, per ejus salutiferæ resurrectionis potentiam ad æternam mereamus pervenire lætitiam. Per eumdem.

Communio. Gratiam tuam, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem.

PRIMA DOMINICA IN QUADRAGESIMA.

Deus, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimæ observatione purificas, præsta familiæ tuæ, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus B exsequatur. Per.

Secreta. Sacrificium quadragesimalis initii solemniter immolamus, te, Domine, deprecantes, ut cum epularum restrictione carnalium a noxiis quoque voluptatibus temperemus. Per.

Communio. Tui nos sacramenti libatio sancta restauret, et a vetustate purgatos in ministerii salutaris faciat transire consortium. Per.

(12) INCIPIT BENEDICTIO PALMÆ ET OLIVÆ.

Auge fidem in te sperantium, Deus, et supplicum preces clementer exaudi, et veniat super nos multiplex misericordia tua. Benedicantur et hi palmites olivarum, et sicut in figura Ecclesiæ multiplicasti Noe egrediente de arca, et Moysen exeunte de C Ægypto cum filiis Israel, ita nos portantes palmas aut ramos olivarum bonis actibus occurramus obviam Christo, et per ipsum in gaudium introeamus æternum. Per.

Alia oratio. Deus, qui dispersa congregas et congregata conservas, qui populis in obviam Jesu ramis portantibus benedixisti, bene†dic etiam et hos ramos palmæ et olivæ, quos tui famuli ad nominis tui benedictionem fideliter suscipiunt, ut quocunque loco introducti fuerint, tuam benedictionem consequantur, ut omni adversa valetudine effugata, dextera tua protegat, quos redemit. Per eumdem.

Lectio. Dicite, filiæ Sion.

Secundum Matthæum. In illo tempore cum appropinquasset.

Item oratio. Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui jussisti in creatura tua arboreis virgultis olivas producere ad concinnandas altaris luminaria, ita supplici prece deposcimus ut hos ramos palmæ et olivæ bene†dicere et sancti†ficare digneris, ut famuli tui, in manibus gestantes, sint sanctificati anima et corpore, et tua benedictione repleantur dicentes : Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Tunc dicitur. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum, etc. (†) Æterne Deus. Te inter cætera mirabilium tuorum laudare et benedicere, qui Lamech semen justum dedisti; Noe revelasti per ipsum aquas diluvii futura cognoscens, cujus arca ad nostram salvationem columba spiritualis olivæ fructuosum surculum detulit, quam ad se revertentem Noe gaudens cum spiritali fructu libenter suscepit. De cujus rami unctione Jacob electus titulum erigit, votum vovit, et oleum desuper fudit. Hæc est inditio rami illius manantia de cœlis gratia, seu et populi vasa replentes. Hæc est gratia, quæ et viduam benedixit in oleo. Hæc est inditio rami illius plantati secus decursus aquarum, cujus folium non defluit. Per quod quotidie lavacrum baptismatis ab Ecclesia procreatur, et nostra delentur peccata. Hæc est tua plantatio bona valde, et tu es vita et resurrectio mortuorum. Qui quatriduanum Lazarum suscitasti, et nisi eum proprio nomine vocasses,

habetur hic mense Martio. De ejus antiquitate testem habemus divum Augustinum (*De Trin.* l. IV, c. 5). In concilio Toletano habito anno 656 de illo pariter agitur tanquam jam diu instituto, et ab omnibus Ecclesiis universe recepto. Eadem Toletana Ecclesia, quæ hunc festum diem celebrat octo dies ante Natalitia Domini nostri Jesu Christi, renovat iterum ejus memoriam ad diem 25 Martii, ut monet Bollandus (t. III). Quem morem aliæ postmodum Ecclesiæ sunt imitatæ. Rodulphus Glaber, undecimi D sæculi scriptor, narrat habita fuisse plura concilia ad definiendum tempus festi Annuntiationis beatæ Virginis extra Quadragesimam; et inter P. P. multæ coortæ sunt difficultates, multaque dissidia. In vetustissimo Kalendario Romano a Martene edito (*Anecd.* t. V) ordo habetur ad festum diem hunc celebrandum hebdomada una ante Natalitia Domini, et hic mos, ait, servatur etiam nunc in Ecclesia Mediolanensi. Idipsum affirmat Blanchinius, dicens a prædicta Mediolanensi Ecclesia recoli quarta Dominica Adventus sub titulo *de Incarnatione verbi*, seu de Annuntiatione Mariæ. Novissimus ordo Romanus utrumque festum agit, alterum 25 Martii sub titulo : *Annuntiatio Mariæ;* alterum 18 Decembris sub titulo : *Exspectatio partus.* In hoc nostro Sacramentario Codice habemus utramque missam, primam mense Martio, alteram in Appendice postrema, sed sine titulo; attamen quod sit de partus Virginis exspectatione ab ipsa oratione ostenditur.

(12) Benedictio palmæ et olivæ non est institutionis Gregorianæ. De ejus origine non conveniunt Martene et Meratus. Primus affirmat (*Antiq. Eccl. disciplin.* c. 20) nullam apud auctores ante octavum et nonum sæculum memoriam haberi de benedictione palmarum. Alter in suis notis ad Thesaurum sac. rituum Gavanti (t. I, p. 1003) eam sententiam refellere nititur. At Cl. V. Joseph Blanchinius (t. I, p. 202) utramque sententiam conciliat dicens : Sextam Dominicam Quadragesimæ dictam fuisse in ramis Palmarum, diu antequam is benedicendi ritus haberetur. Sed ante sæculum VIII nulla suppetunt documenta, quæ comprobent benedictionem palmarum fuisse divo Gregorio coævam vel etiam vetustiorem; quare sic concludit : « Ut complectar brevi, quidquid Cl. Meratus prolixa confutatione reponit Edmundo Martenio, fixum ratumque esse volo. » Auctoritates omnes, quæ ante VIII sæculum adversus scriptorem aliquem proferuntur, id unum astruere nomen Dominicæ in ramis palmarum esse antiquissimum, at ipse ritum benedictionis, de quo est controversia, jam tum institutum minime persuadet.

Orationes quæ in sequenti missa habentur, sunt eædem ac illæ, quas Meratus affert ex libro Sacramentorum Ottoboniano præter orationem super populum, quæ hic desideratur.

cuncti resurrexissent a mortuis. Propterea et turba A cum ramis palmarum obviantes clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel. Quapropter, quæsumus clementiam tuam, ut nos famulos tuos, qui hujus rei gratiam et fidem veritatis percipimus, eruas et exuas de ore inferni, et adjutorium gratiæ tuæ nobis tribuere digneris, ut juste et pie sancteque viventes cum electis facias habere consortium. Per quem hæc, Domine, semper bona creas, sancti†ficas, vivi†ficas, bene†dicis et nobis servis tuis largiter præstas. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia oratio. Deus, qui Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum pro nostra salute in hunc mundum misisti, ut se humiliaret ad nos, et revocaret B ad te, qui etiam dum Hierusalem veniret, et adimpleret Scripturas, credentium populorum turba fidelissima devotionis suæ vestimenta cum ramis palmarum in via sternebant, præsta quæsumus, ut illi fidei viam præparemus, de qua remoto lapide offensionis et petra scandali, frondeat opere justitiæ ramos, ut ejus vestigia consequi mereamur. Per.

Hæc est alia oratio. Petimus te, sancte Pater omnipotens, æterne Deus, ut respicere digneris super hanc creaturam olivæ et palmæ, quæ ex ligni materia prodire jussisti, quam columba rediens ad arcam proprio protulit ore bene†dicere et sancti†ficare digneris, ut quicunque ex ea sumpserint, accipiat sibi ad perfectionem animæ et corporis, fiatque, Domine, nostræ salutis remedium, tuæ gratiæ sacra- C mentum. Per.

INCIPIT MISSA IN DIE.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire voluisti, concede propitius, ut et patientiæ ipsius habere documenta et resurrectionis consortia mereamur. Per.

Secreta. Concede quæsumus, Domine, ut oculis tuæ majestatis munus oblatum et gratiam nobis tuæ devotionis obtineat et effectum beatæ perennitatis acquirat. Per.

Præfatio. (†) Æterne Deus, per quem nobis indulgentia largitur, et pax per omne sæculum prædicatur. D Traditur cunctis credentibus disciplina, ut sanctificatos nos possit dies venturus excipere. Et ideo cum angelis.

Communio. Per hujus, Domine, operationem mysterii, et vitia nostra purgentur et justa desideria compleantur. Per.

FERIA V, IN CŒNA DOMINI.

Deus a quo et Judas reatus sui pœnam, et confessione tua latro præmium sumpsit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut sicut in passione sua Jesus Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritorum, ita nobis ablato vetustatis errore resurrectionis suæ gratiam largiatur. Qui tecum vivit.

Secreta. Ipse tibi, quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, sacrificium nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui commemorationem hoc fieri hodierna traditione monstravit. Qui tecum.

Infra actionem. Communicantes et diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster Jesus Christus pro nobis est traditus, sed et memoriam venerantes.

Communio. Refecti salutaribus alimentis, quæsumus, Domine, Deus noster, ut quod tempore nostræ mortalitatis exsequimur, immortalitatis tuæ munere consequamur. Per.

IN PARASCEVEN.

Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei, ut eam Deus et Dominus noster pacificare et custodire dignetur toto orbe terrarum, subjiciens ei principatus et potestates, detque nobis quietam et tranquillam vitam degentibus glorificare Deum Patrem omnipotentem.

Oremus. Flectamus genua. Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia, toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret. Per eumdem.

Oremus et pro beatissimo papa nostro N. ut Deus et Dominus noster qui elegit eum in ordine episcopatus salvum atque incolumem custodiat Ecclesiæ sanctæ suæ ad regendum populum sanctum Dei.

Oremus. Flectamus. Omnipotens sempiterne Deus, cujus judicio universa fundantur, respice propitius ad preces nostras et electum nobis antistitem tua pietate conserva, ut Christiana plebs, quæ tali gubernatur auctore, sub tanto pontifice credulitatis suæ meritis augeatur. Per.

Oremus et pro omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, acolythis, exorcistis, lectoribus, ostiariis, confessoribus, virginibus, viduis, orphanis, et pro omni populo sancto Dei.

Oremus. Flectamus. Omnipotens sempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur et regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per.

Oremus et pro Christianissimo imperatore nostro N. ut Deus et Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes ad nostram perpetuam pacem.

Oremus. Flectamus. Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manus sunt omnes potestates, et omnia jura regnorum, respice ad Romanum benignus imperium, ut gentes, quæ in sua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera comprimantur. Per.

Oremus et pro catechumenis nostris, ut Deus et Dominus noster aperiat aures præcordiorum ipsorum, januamque misericordiæ, ut per lavacrum regenerationis accepta remissione omnium peccatorum, et ipsi inveniantur in Christo Jesu Domino nostro.

Oremus. Flectamus. Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam nova semper prole fecundas, auge fidem et intellectum catechumenis nostris, ut renati fonte baptismatis adoptionis tuæ filiis aggregentur. Per.

Oremus, dilectissimi nobis, Deum patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat.

Oremus. Flectamus. Omnipotens sempiterne Deus mœstorum consolatio, laborantium fortitudo perveniant ad te preces nostræ, de quacunque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per.

Oremus et pro hæreticis et schismaticis, ut Deus et Dominus noster eruat eos ob erroribus universis, et ad sanctam matrem Ecclesiam catholicam et apostolicam revocare dignetur.

Oremus. Flectamus. Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per.

Oremus et pro perfidis Judæis, ut Deus et Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut et ipsi cognoscant te Jesum Christum Dominum nostrum.

Hic non dicatur Flectamus. Omnipotens sempiterne Deus qui etiam perfidiam Judaicam a tua misericordia non repellis, exaudi preces nostras quas pro illius populi obcæcatione deferimus, ut agnita veritatis tuæ luce, quæ Christus est, a suis tenebris eruantur. Per.

Oremus et pro paganis, ut Deus auferat iniquitatem de cordibus eorum, et relictis idolis suis convertantur ad Dominum vivum et verum, et unicum Filium ejus Jesum Christum, Deum et Dominum nostrum, cum quo vivit et regnat cum Spiritu sancto Deus per omnia sæcula sæculorum.

Oremus. Flectamus. Omnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum sed vitam semper inquiris, suscipe orationem nostram, et libera eos ab idolorum cultura, et aggrega Ecclesiæ tuæ sanctæ ad laudem et gloriam nominis tui. Per.

(13) Benedictio thymiamatis in sabbato sancto.

Æternam et justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut bene†dicere digneris hanc speciem thymiamatis, vel cujuslibet speciei, ut sit incensum majestatis tuæ in odorem suavitatis acceptum, et a te, Domine, benedicatur, ita ubicunque odor pervenerit, extricetur et effugetur omne genus dæmoniorum, sicut fumus jecoris piscis, quem Raphael archangelus tuus Tobiæ famulo tuo docuit accendi ad sanctam liberationem. Descendat super hanc speciem incensi plena bene†dictio, ut sit tibi acceptum; sicut ille, de quo David propheta tuus cecinit dicens: Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu suo. Sit nobis odor consolationis ac suavitatis et gratiæ, ut fumus ejus effuget omnes phantasias mentis et corporis, ut simus, Apostoli tui voce, boni odoris Deo, effugiat a facie hujus incensi omnis dæmonum incursus, sicut pulvis a facie venti, et sicut fumus a facie ignis. Præsta hoc, piissime Pater, per Unigenitum tuum, cum quo vivis et regnas cum Spiritu sancto Deus in sæcula sæculorum. Amen.

BENEDICTIO IGNIS NOVI.

Omnipotens sempiterne, æterne Deus Creator omnium rerum, te humiliter deprecamur, ut hunc ignem novum, cœlo terræ largitum, sancti†ficare et bene†dicere digneris, et sicut in adventu tuo elementa contagione peccatorum polluta purgare polliceris; ita et hic ignis novus tabernaculis fidelium tuorum habendus purgationem perfectam obtineat, et obstaculis invictus contra omnem nequitiam maligni spiritus perficiatur. Per.

Lect. I. In principio creavit.

Oratio. Deus, qui mirabiliter creasti hominem et mirabilia redemisti, da nobis, quæsumus, contra oblectamenta peccati mentis ratione persistere, ut mereamur ad gaudia æterna pervenire. Per.

Lect. II. Factum est in vigilia. *Resp.* Cantemus Domino.

Oratio. Deus cujus antiqua miracula in præsenti quoque sæculo coruscare sentimus, præsta, quæsumus, ut sicut priorem populum ab Ægyptiis liberasti, hoc ad salutem gentium, per aquas baptismatis opereris. Per.

Lect. Apprehendent septem mulieres. *Resp.* Vinea facta est.

Oratio. Deus, qui nos ad celebrandum paschale sacramentum utriusque Testamenti paginis instruis, da nobis intelligere misericordiam tuam, et ea perceptione præsentium munerum firma sit exspectatio futurorum. Per.

Lect. Hæc est hæreditas. *Resp.* Attende cœlum.

Oratio. Deus, qui Ecclesiam tuam semper gentium vocatione multiplicas, concede propitius, ut quos aqua baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per.

Resp. Sicut cervus.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa paschalia agimus cœlestibus desideriis accensi, fonte vitæ satiemur. Per.

(13) Benedictio thymiamatis apud Martene habetur, sed est posterior sancti Gregorii temporibus, nec reperitur in ullo alio antiquo sacramentario libro XI sæculi. In Missali Mozarabum adest hæc rubrica : *Deinde benedicat quinque grana thuris infigenda cereo.* Quem ritum notat in margine Blanchinius initium sumpsisse sæculo X. At in ea missa nulla fit mentio de benedictione thymiamatis, neque thuris comburendi.

(14) *Ad missam dicitur Gloria in excelsis Deo.*

Deus, qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ resurrectionis illustras, conserva in nova familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum, quem dedisti, ut corpore et mente renovati, purum tibi exhibeant servitutem. Per eumdem.

Secreta. Suscipe, Domine, quæsumus, preces populi tui cum oblationibus hostiarum, ut paschalibus initiata mysteriis ad æternitatis nobis medelam te operante proficiant. Per.

Præfatio. (✠) Æquum et salutare, te quidem, Domine, omni tempore, sed in hac potissimum nocte gloriosius prædicare, cum pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Et ideo.

Infra actionem. Communicantes et noctem sacratissimam celebrantes resurrectionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, sed et memoriam venerantes imprimis gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum apostolorum.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, quam tibi offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, Domine, ut placatus accipias. Per.

Postcommunio. Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per... in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus.

IN DIE DOMINICÆ SANCTÆ PASCHÆ.

Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eumdem.

Secreta. Suscipe, Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum, ut paschalibus initiata my- A steriis, ad æternitatis nobis medelam te operante proficiant. Per.

(✠) Æquum et salutare. Te quidem; *require retro.*

Communicantes; *require in nocte sancta.*

Hanc igitur; *similiter.*

Postcommunio. Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per.

FERIA II, IN PASCHA.

Deus, qui solemnitate paschali mundo remedia contulisti, populum tuum cœlesti dono prosequere, ut et perfectam libertatem consequi mereatur, et ad vitam proficiat sempiternam. Per.

Secreta. Paschales hostias recensentes, quæsumus, B Domine, ut quod frequentamus actu, comprehendamus affectu. Per.

Postcommunio. Impleatur in nobis, quæsumus, Domine, sacramenti paschalis sancta libatio, nosque de terrenis affectibus ad cœlestem transferat institutum. Per.

FERIA III, IN PASCHA.

Deus, qui Ecclesiam tuam novo semper fetu multiplicas, concede famulis tuis ut sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt. Per.

Secreta. Suscipe, Domine, fidelium preces cum oblationibus hostiarum, ut per hæc piæ devotionis officia, ad cœlestem gloriam transeamus. Per.

Postcommunio. Concede, quæsumus, omnipotens C Deus, ut paschalis perceptio sacramenti, continua in nostris mentibus perseveret. Per.

IN OCTAVA PASCHÆ.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui paschalia festa peregimus hæc te largiente moribus et vita teneamus. Per.

Secreta. Suscipe munera, quæsumus, Domine, exsultantis Ecclesiæ, et cui causam tanti gaudii præstitisti, perpetuum fructum concede lætitiæ. Per.

Postcommunio. Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria quæ pro reparationis nostræ

(14) Duo in hac missa sunt potissimum advertenda. Primum, post benedictionem thuris et novi ignis præcipitur cantus hymni angelici *Gloria in excelsis Deo.* Ea fuit olim erga hymnum hunc reverentia, ut solis episcopis infra annum concederetur ipsius recitatio in missa; cæteris vero sacerdotibus D die tantum solemni Pascha, qui mos usque ad XI sæculum, et præcise ad annum 1040 creditur continuatus. Secundum, missa, quam hic habemus in privilegio Paschæ Resurrectionis Domini, celebrabatur nocte, ut liquet ex precibus. Non immerito igitur solemnis hic dies inter polyliturgicos est rejiciendus, sicut Natalitius Christi Domini; dies polyliturgici ii sunt in quibus ab unico sacerdote plures celebrantur missæ, quorum duos habemus in nostro missali libro; diem nempe Natalem Domini et diem Resurrectionis. Varia sunt in ecclesiasticis historiis exempla de hoc antiquissimo ritu. Cantum est ab Emeritense concilio (can. 19) sub Vitaliano pontifice post medium VII sæculum, *ut presbyter qui plures sub suo regimine habet ecclesias, in singulis die dominico sacrum faciat.* Salegunstadiense celebratum anno 1022 (cap. 5) præfixit numerum missarum, et decrevit ne quis præsumat celebrare nisi tres duntaxat missas. Et apud cardinalem Bonam (lib. I, c. 18; II, 5) exempla colliguntur sanctorum qui plures unoquoque die sacrum faciebant, ibique inducitur sanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudo bis terque uno die sacrificium offerendi certis quibusdam festivis diebus Concilium Oxoniense tempore Honorii III mandavit unam tantum missam eodem die dicendam, exceptis diebus Natalis et Resurrectionis Domini, et in exsequiis ac sepultura mortuorum. In regno Valentiæ et aliis Hispaniæ regionibus sacerdotes bis et ter celebrabant die Commemorationis omnium Defunctorum, sive ex privilegio, sive ex consuetudine. SS. D. N. Benedictus XIV. P. M. sua decretali novissime edita hujusmodi consuetudinem confirmat et ampliat. His ergo fixus rationibus inter polyliturgicos dies, sicut Natalem Domini, ita festum Resurrectionis Domini recensere non ambigo. At si quis dicat, ut quidam asserere non dubitant, non ab uno sacerdote, sed a pluribus sacrificium offerri illis festivis diebus, quibus duæ missæ adnotatæ leguntur, legat, quæso, cardinalem Bonam in suis liturgicis libris (n. 8) qui summa eruditione hanc opinionem refellit.

munimine contulisti, et præsens nobis remedium esse facias et futurum. Per.

(15) IN NATALI SANCTI MARCI EVANGELISTÆ.

Deus, qui hanc diem, gloriosi beati Marci evangelistæ tui martyrio consecrasti, præsta, quæsumus ut ipse apud te pro nobis existat præcipuus suffragator, qui Unigeniti tui fieri meruit evangelicus prædicator. Qui tecum.

Secreta. Suscipe, quæsumus, Domine, dignanter oblata, et beati Marci evangelistæ suffragantibus meritis ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per.

Postcommunio. Cœlestibus, Domine, refecti muneribus supplices deprecamur, ut beati Marci evangelistæ et martyris tui protegamur auxiliis, cujus devotis mentibus celebramus triumphum. Per.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Per eumdem Dominum nostrum.

Secreta. Suscipe, Domine, munera, quæ pro Filii tui gloriosa ascensione deferimus, et concede propitius, ut a præsentibus periculis liberemur, et ad vitam perveniamus æternam. Per eumdem.

Præfatio. (†) Æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui post resurrectionem omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes. Et ideo.

Communicantes et diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster unigenitus Filius tuus unitam sibi fragilitatis nostræ substantiam in gloriæ tuæ dextera collocavit. Se det memoriam.

Communio. Præsta nobis, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut quæ visibilibus mysteriis sumenda percepimus, invisibili consequamur effectu. Per.

SABBATO SANCTO IN PENTECOSTE.

Lect. Tentavit Deus. *Resp.* Cantemus Deo.

Oratio. Deus qui in Abrahæ famuli tui opere humano generi obedientiæ exempla præbuisti, concede nobis ex nostræ voluntatis pravitatem frangere, et tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. Per.

Lect. Scripsit Moyses. *Resp.* Attende cœlum.

Oratio. Deus, qui nobis per prophetarum ora præcepisti temporalia relinquere, atque ad æterna festinare, da famulis tuis, ut quæ a te jussa cognovimus, implere cœlesti inspiratione valeamus. Per.

Lect. Apprehendent septem mulieres. *Resp.* Sicut cervus.

Oratio. Deus incommutabilis virtus, lumen æternum, respice propitius ad totius Ecclesiæ tuæ mirabile sacramentum, et opus salutis humanæ perpetuæ dispositionis effectu tranquillius operare, totusque mundus experiatur et videat dejecta erigi, inveterata novari, et per ipsum redire omnia in integrum, a quo sumpsere principium. Per.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut claritatis tuæ splendor effulgeat, et lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam tuam renati sunt, sancti Spiritus illustratione confirmet. Per.

Secreta. Munera, Domine, quæsumus, oblata sanctifica, et corda nostra sancti Spiritus illustratione emunda. Per.

Communicantes et diem sacratissimum Pentecosten celebrantes, quo Spiritus sanctus apostolis in variis linguis apparuit. Sed et memoriam.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros.

Communio. Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio, et sui roris aspersione fecundet. In unitate.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per.

Secreta. Munera, quæsumus, Domine, oblata sanctifica et corda nostra sancti Spiritus illustratione emunda. Per.

Præfatio. (†) Æterne Deus per Christum Dominum nostrum, qui ascendens super omnes cœlos, sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit, quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exsultat, sed et supernæ virtutes, atque angelicæ potestates hymnum gloriæ concinunt sine fine dicentes.

Communicantes, *ut supra.*

Hanc igitur. *Ut supra.*

Communio. Sancti Spiritus, Domine, tuorum. *Reliqua in vigilia.*

IN DEDICATIONE TEMPLI.

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti

(15) In prima hujus missæ oratione sanctus Marcus martyrii gloria decoratur contra quosdam, qui ipsum e numero martyrum expungunt, quamvis Gelasius papa clare illum martyrem vocet. Eorum opinio his rationibus præcipue nititur, quia videlicet neque Eusebius, qui illius acta scripsit (lib. II, c. 14, 15; lib. III, cap. ult.), neque Isidorus vocent illum martyrem, neque martyrium dicant fuisse passum; ideoque Marcus (idem dic de Luca), in canone missæ non est ascriptus, cum dubium sit an occubuerit martyr. In canone enim locum habent sancti martyres, confessoribus semper exclusis, teste Bona (lib. II, c. 12, n. 11). Attamen tanta est in Ecclesia Gelasii auctoritas ut omnem suspicionem tollat, cum dicat: *In Ægyptum directus verbum puritatis prædicavit, et gloriose consummavit martyrium.* Auctoritati Gelasii altera accedit nostri Sacramentarii, in quo sæculo XI appellatur martyr. Testimonio Pinii sæculo V vel VI legitur in fragmento Kalendarii Mozarabum VI *Id. Febr. sancti Marci evangelistæ et martyris.*

templi tui consecrationis reparas diem, et sacris A mysteriis repræsentas incolumes, exaudi preces populi tui et præsta ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per.

Secreta. Annue, quæsumus, Domine, precibus nostris ut quicunque infra templi hujus, cujus anniversarium dedicationis diem celebramus, ambitum continemur, plena tibi atque perfecta corporis et animæ devotionis placeamus, ut dum hæc præsentia vota reddimus, ad æterna præmia te adjuvante venire mereamur. Per.

Postcommunio. Deus, qui Ecclesiam tuam sponsam vocare dignatus es, ut quæ haberet gratiam per Dei devotionem, haberet etiam ex nomine pietatem, da ut omnis hæc plebs, nomini tuo serviens, hujus B vocabuli consortio digna esse mereatur, et Ecclesia tua in templo, cujus anniversarius dies celebratur, tibi collecta te timeat, te diligat, te sequatur, ut dum jugiter per vestigia tua graditur, ad cœlestia promissa te ducente pervenire mereatur. Per.

(16) IN NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Joannis nativitate fecisti, da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per.

Secreta. Tua, Domine, muneribus altaria cumulamus, illius nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem mundi et cecinit adfuturum, et adesse monstravit Dominum nostrum Jesum Christum. C

Præfatio. (†) Æterne Deus, in die festivitatis hodiernæ, qua beatus Joannes Baptista exortus est. Qui vocem Matris Domini nondum editus sensit, et adhuc clausus utero adventus salutis humanæ prophetica exsultatione gestavit; qui et genitricis sterilitatem conceptus abstulit, et patris linguam natus absolvit, solusque omnium prophetarum, Redemptorem mundi, quem prænuntiavit, ostendit, et ut sacræ purificationis effectum, aquarum naturam conceperit, sanctificandis Jordanis fluentis ipso baptismo baptismatis lavit Auctorem. Et ideo cum.

Postcommunio. Sumat Ecclesia tua, Deus, beati Joannis Baptistæ generatione lætitiam, per quem suæ regenerationis cognovit auctorem Jesum Christum Filium tuum.

IN NATIVITATE APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Deus qui hodiernam diem apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per.

Secreta. Hostias Domine, quas nomini tuo consecrandas offerimus, apostolica persequatur oratio, per quam nos expiari tribuis et defendi. Per.

Præfatio. (†) Æquum et salutare, te, Domine, suppliciter exorare, ut gregem tuum, pastor æterne non deseras, sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores. Et ideo cum.

Communio. Quos cœlesti, Domine, alimento satiasti, apostolicis intercessionibus ab omni adversitate custodi. Per.

IN NATIVITATE SANCTI LAURENTII.

Da nobis, quæsumus omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per.

Secreta. Accipe, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, et beati Laurentii suffragantibus meritis ad nostræ salutis auxilium pervenire concede. Per.

Postcommunio. Sacro munere satiati supplices te, Domine, deprecamur, ut quod debitæ servitutis celebramus officio, salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per.

(17) IN DIE ASSUMPTIONIS SANCTÆ MARIÆ.

Veneranda nobis, Domine, hujus est diei festivitatis, in qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui tecum.

(16) Missa hæc cum sua præfatione est ritus Ambrosiani, sed aliquantulum immutata. Affert P. Blanchinius præfationem Ambrosianam his verbis: « Æterne Deus, et in die festivitatis hodiernæ, quo beatus Baptista Joannes exortus est, exsultare, qui vocem Matris Domini nondum editus sensit, et adhuc clausus utero adventum salutis humanæ prophetica exsultatione gestivit, qui et genitricis sterilitatem conceptus abstersit, et patris linguam natus absolvit, solusque omnium prophetarum Redemptorem mundi, quem nuntiavit, ostendit, » etc. Quæ in Ambrosiana sequuntur, in nostra prætermittuntur; quæ vero continuantur in nostro Sacramentario, ex Gregoriano desumuntur, nimirum, *et ut sacræ purificationis effectum aquarum natura conciperet, sanctificandis Jordanis fluentis, ipsum baptismo baptismatis lavit Auctorem. Et ideo*, etc.

(17) Variæ sunt opiniones circa tempus, quo ante sæculum XI festus dies beatæ Virginis in cœlum assumptæ celebraretur, quas refert Martene. Mabillonius in Liturgia Gallicana (l. II) scribit celebratum fuisse die 18 Januarii, idque auctoritate vetustissimorum martyrologiorum probat, inter quæ affert Hieronymianum Florentinii, ubi habetur: XV *Kal. Februarii, depositio sanctæ et gloriosæ beatæ Mariæ matris D. N. J. C.*, ibique disertissime de hoc festo die loquitur ad 15 Augusti translato lege Mauritii D imp. quod auctoritate Nicephori probat. Dictum Nicephori ita accipiendum est (lib. XVII, cap. 28) ut festus ab Ecclesiæ jam institutus per Orientem a Mauritio sanctione edita propagatus fuerit, quare Martene iis non assentitur, qui ad sæculum VIII retrahunt institutionem hujus festivi diei. Legatur et Pagius in suo Breviario (num 26) sub Sergio.

In hac missa notis dignæ sunt prima et ultima orationes, in quibus beatæ Virginis obitus, ejusque in cœlum assumptio memorantur, ad reprimendam hæreticorum Collyridianorum temeritatem asserentem beatam Virginem divina natura præditam mortis corruptionem effugisse. Sancta Romana Ecclesia constanter agnovit in ipsa humanam duntaxat naturam, eamque corpus habuisse mortale, et revera esse mortuam. Quapropter plurima martyrologia sub die 18 Januarii illius dormitionem annuntiant. Vide Baronium in notis ad martyrologium ad diem 15 Augusti.

Secreta. Oblatis, Domine, placare muneribus, et intercedente beata semper virgine Maria cum omnibus sanctis tuis a cunctis nos defende periculis. Per.

Secreta. Subveniat, Domine, plebi tuæ Dei Genitricis oratio, quam et si pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cœlesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus. Per.

Præfatio. (†) Æterne Deus, et te in veneratione sacrarum virginum exultantibus animis laudare, benedicere et prædicare, inter quas intemerata Dei genitrix virgo Maria, cujus assumptionis diem celebramus, gloriosa effulsit. Quæ et Unigenitum tuum sancti Spiritus ob umbratione concepit, et virginitatis gloria permanente, huic mundo lumen æternum effudit Jesum Christum Dominum nostrum. Quem laudant angeli.

Postcommunio. Mensæ cœlestis participes effecti imploramus clementiam tuam, Domine Deus noster, ut qui festa Dei Genitricis colimus, a malis imminentibus ejus intercessionibus liberamus. Per eumdem

(18) IN NATIVITATE SANCTÆ MARIÆ.

Supplicationem servorum tuorum, Deus, miserator exaudi, ut qui in nativitate Dei Genitricis et Virginis congregamur, ejus intercessionibus complacatus, a te de instantibus periculis eruamur. Per.

Secreta. Unigeniti tui, Domine, nobis succurrat humanitas, ut qui, natus de Virgine, Matris integritatem non minuit, sed sacravit, in nativitatis ejus solemniis a nostris nos piaculis exuens oblatam nostram sibi faciat acceptam. Per.

Postcommunio. Sumptis, Domine, sacramentis, intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria ad redemptionis æternæ proficiamus augmentum. Per.

(19) IN FEST. SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

Deus, qui miro ordine angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius ut a quibus tibi ministrantibus in cœlis semper assistitur, ab his in terra nostra vita muniatur. Per.

Secreta. Hostias tibi, Domine, laudis offerimus suppliciter deprecantes, ut eosdem angelico pro nobis interveniente suffragio, et placatus accipias et ad salutem nostram pervenire concedas. Per.

Præfatio. (†) Æterne Deus, sancti Michaelis archangeli merita prædicantes, quamvis enim nobis sit omnis angelica veneranda sublimitas, quæ in majestatis tuæ assistit conspectu, illa tamen est propensius honoranda, quæ in ejus dignitate ordinis cœlestis militiæ meruit principatum. Per Christum.

Communio. Repleti, Domine, benedictione cœlesti, suppliciter imploramus, ut quod fragili celebramus officio, sanctorum archangelorum nobis prodesse sentiamus auxilio. Per.

(20) IN FESTIVITATE OMNIUM SANCTORUM.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessionibus largiaris. Per.

Secreta. Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ et pro cunctorum tibi grata sint honore justorum, et nobis salutaria te miserante reddantur. Per.

Communio. Da, quæsumus, Domine, fidelibus populis omnium semper sanctorum veneratione lætari, et eorum perpetua supplicatione muniri. Per.

(21) EODEM DIE SANCTI CÆSARII.

Deus, qui nos beati martyris tui Cæsarii annua

(18) Validum argumentum ab hac missa habemus contra illos qui hunc festivum diem institutum autumant sæculo XIII ab Innocentio IV. De ejus antiquitate luculenter disserit card. Baronius in suis notis ad martyrologium ad diem 8 septemb. Quo vero certo tempore fuerit institutum, non liquet. Ex ecclesiasticis historiis compertum habemus Gallicanam Ecclesiam temporibus Caroli Magni et Ludovici Pii hunc festum diem nescisse ex concilio Moguntino habito anno 813, ideoque post sæculum IX ejus institutio vel propagatio est referenda; et ex nostro missali libro, in quo missa, et in postrema Appendice etiam præfatio exarata sunt, suspicari possumus circa XI sæculum fuisse festivum hunc diem propagatum.

(19) Festus dies sancti Michaelis archangeli refertur ad III Kal. Octobris, qua die de dedicatione ecclesiæ ipsius in monte Gargano universaliter agitur. In meo membranaceo breviario sæculo XIV scripto legitur: III *Kal. Octobris dedicatio basilicæ Sancti Michaelis duplex.* Cardinalis Baronius in suis notis ad martyrologium animadvertit VIII Idus Maii agi de apparitione sancti Michaelis, hic de dedicatione ecclesiæ, quæ facta videtur hoc die quo omnium angelorum solemnis memoria consuevit antiquitus in Ecclesia celebrari. Et revera in nostro Sacramentario libro duæ hujus missæ orationes diriguntur ad omnes angelos, oratio postrema ad omnes archangelos, præfatio sanctum duntaxat Michaelem angelorum principem respicit; ideoque ritus ille antiquus a Baronio enuntiatus hic servatur, et in hoc festo die singulorum angelorum solemnis memoria recolitur.

(20) Omnium Sanctorum festivus dies posterior est sancti Gregorii temporibus, qui Romæ jussu Bonifacii IV initium sumpsit, deinde communis cæteris etiam Ecclesiis evasit præcepto Gregorii IV. Ita Baronius (*not. ad Martyrol.*) ex Chronico Sigeberti sub anno 835, ubi habetur Ludovicum Pium, monente Gregorio IV, aliisque episcopis assentientibus, statuisse ut in Galliis et in Germania festivus omnium Sanctorum dies Kalendis Novembris haberetur; non enim ante Ludovicum Pium illorum memoria recolebatur, ut patet ex concilio Moguntino sub Carolo Magno in quo nulla de hoc festo die mentio. Propriam præfationem habemus hic in postrema Appendice.

(21) Hac ipsa die alteram habemus missam de sancto Cæsario martyre; etiam in Martyrologio Romano ejus passionis memoria recolitur Kalendis Novembris, ut et in meo Breviario alias memorato Kalendis Novembris legitur: *Festivitas Omnium Sanctorum et sancti Cæsarii martyris.* Multa de sancto Cæsario in suis notis ad Martyrologium refert Baronius, quibus peculiaris erga illum Benedictini ordinis cultus elucet. Habet siquidem sanctus

solemnitate lætificas, concede propitius ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per.

Secreta. Hostias tibi, Domine, beati Cæsarii martyris tui dicatas, meritis benignus assume, et ad perpetuum nobis tribue pervenire subsidium. Per.

Communio. Omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente beato Cæsario martyre tuo per hæc contra omnia adversa muniamur. Per.

(22) IN FEST. SANCTI MARTINI EPISCOPI.

Deus, qui conspicis quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius ut intercessione beati Martini confessoris tui contra omnia adversa muniamur. Per.

Secreta. Da, misericors Deus, ut hæc nos salutaris oblatio et a propriis reatibus indesinenter expediat, et ab omnibus tueantur adversis. Per.

Communio. Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, ut quorum festivitate votiva sunt sacramenta, eorum salutaria nobis intercessione reddantur. Per.

IN FEST. SANCTI ANDREÆ.

Majestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut sicut Ecclesiæ tuæ beatus Andreas apostolus exstitit prædicator et rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor. Per.

Secreta. Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus beati Andreæ precatio sancta conciliet, ut cujus honore solemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per.

Communio. Sumpsimus, Domine, divina mysteria beati Andreæ festivitate lætantes, quæ sicut tuis

A sanctis ad gloriam, ita nobis, quæsumus, ad veniam prodesse perficias. Per.

(23) IN FEST. SANCTI NICOLAI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die beatissimum confessorum tuum atque pontificem Nicolaum, ætherea regna penetrare fecisti; da, quæsumus, supplicibus tuis digne illius solemnia celebrare, ut per ejus venerandam festivitatem salutem consequamur et pacem. Per.

Secreta. Munera tibi, Domine, dicata sanctifica, et, intercedente beato Nicolao confessore tuo atque pontifice, per eadem nos placatus intende. Per.

Communio. Protege, quæsumus, Domine, plebem B tuam, beati Nicolai præsulis patrocinio confidentem, et quam divinis recreas sacramentis, fac eam jugiter tuis inhærere mandatis. Per.

(24) MISSA DE SANCTA TRINITATE.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem, quæsumus ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per.

Secreta. Sanctifica, quæsumus, Domine Deus, per tui nominis invocationem hujus oblationis hostiam, et per eam nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per.

Præfatio. Æterne Deus, qui cum unigenito Filio tuo et Spiritu sancto unus es Deus, unus es Domi- C nus; non in unius singularitate personæ, sed in unius Trinitatis substantia. Quod enim de tua gloria revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de

Cæsarius scriptorem suorum actorum Albericum diaconum Casinensis cœnobii, teste Petro diacono, libro De viris illustribus (cap. 11). Gelasius II pont. max., antea monachus Casinensis, ipsius acta versibus exornavit. Romæ antiqua Sancti Cæsarii ecclesia celeberrima erat, una ex viginti duabus abbatiis quas notatas vidit idem Baronius, in antiquo rituali libro, qui exstat in Vaticana Bibliotheca, in codice ms. *Liber censuum* nuncupato, cujus ecclesiæ titulo modo exornantur sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales. Sancti Cæsarii corpus ad sanctæ Crucis in Jerusalem in agro Sessoriano monachorum Benedictino-Cistercensium hodie quiescit. His ergo fisus argumentis, conjicio monachos Benedictinos ad præcipuam erga sanctum Cæsarium allectos fuisse venerationem; ideoque in hoc nostro Sacramentario tam insignis ipsius memoria recolitur, ut duæ forte missæ hac ipsa die solemniter cantarentur.

(22) En alium, quem Benedictinus ordo præcipuo cultu fuit prosecutus, sanctum scilicet Martinum episcopum Turonensem, cujus missa habetur in sacramentorum libris, etiam Gelasiano et Gregoriano. Ipsemet sanctus Benedictus oratorium in monte Casino erexit in illius honorem. Sancti Martini festivus dies post ejus obitum statim celebrari cœpit, ideoque solus e confessoribus proprium in vetustissimis breviariis officium habet, quia ipsi primo publicus ab Ecclesia cultus est tributus, ut observat Bona (lib. II, cap. 12, n. 19). In postrema Appendice propria præfatione distinguitur.

(23) Sancti Nicolai solemnis memoria haberi cœpit post illius sacri corporis translationem Barium, quæ contigit anno 807, ut scribit Sigebertus. Ante hæc tempora vix Nicolai exstat memoria in ms. sacramentorum libris, vel in Gregoriano ordine, sed neque in meo Breviario membranaceo legitur. Ejus autem festivus Dies institutus fuit sæculo XI; ut scribit Gavantus in Actis sancti Alexii auctoritate Zonaræ (*Com. in rub. Brev.* § 7, cap. 2).

(24) Ante primam Dominicam Adventus habemus hic missam de SS. Trinitate, quod est valde notandum. Opportune legi debet decretum Alexandri II, quo sic cautum est: *Festivitas sanctissimæ Trinitatis secundum consuetudinem diversarum Ecclesiarum, a quibusdam consuevit in octavis Pentecostes, ab aliis Dominica prima Adventus Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo* D *tempore hujusmodi celebret specialiter festivitatem, cum singulis diebus Gloria Patri, etc., similiter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.* Micrologus scribit (cap. 6) ab aliquibus Ecclesiis hunc festivum diem propria auctoritate fuisse celebratum. Quod redarguit; asserit etiam fuisse missam ab Alcuino compositam, præfationem a Pelagio approbatam. Rupertus de hoc festo die loquitur tanquam jamdiu instituto et ubique recepto. Ipsius memoria non reperitur nec in missis Mozarabum, neque in libello Orationum Gothicarum. Ecclesia Antissiodorensis anno 1217 celebrabat hoc ipso die, nempe ultima Dominica post Pentecosten, festum de SS. Trinitate, ut legitur in statutis ejus Ecclesiæ cap. LIX apud Labbeum (*Bibl. nov.*, tom. II, p. 498). Monachos Cistercienses singulis Dominicis diebus post nonam olim cantasse missam de Trinitate asserit cardinalis Bona (lib. I, cap. 8, n. 10).

Spiritu sancto, sine differentia discretionis sentimus, ut in confessione veræ sempiternæque deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas. Quem laudant angeli, venerantur archangeli, throni, dominationes, principatus et potestates, virtutes cœlorum adorant; quem cherubim et seraphim non cessant clamare dicentes

Postcommunio. Domine Deus, Pater omnipotens, nos famulos tuos, tuæ majestati subjectos, per unicum Filium tuum in virtute Spiritus sancti benedic semper, et protege, ut ab omni hoste securi in tua jugiter laude lætemur. Per eumdem, etc., in unitate

DOMINICA PRIMA DE ADVENTU.

Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis.

Secreta. Hæc sacra nos potenti virtute mundatos, ad suum faciant puriores venire principium. Per.

Communio. Suscipiamus, Domine, misericordiam tuam in medio templi tui, ut reparationis nostræ ventura solemnia congruis honoribus præcedamus. Per.

(25) MISSA IN HONORE OMNIUM SANCTORUM.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercessio nos sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ, sanctorum omnium apostolorum, martyrum, confessorum atque virginum, et omnium electorum tuorum ubique lætificet, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per.

Secreta. Oblatis, quæsumus, Domine, placare muneribus, et intercedente beata semper virgine Maria cum omnibus sanctis tuis a cunctis nos defende periculis. Per.

Communio. Sumpsimus, Domine, beatæ Mariæ semper virginis et omnium sanctorum tuorum commemorationem facientes sacramenta cœlestia, præsta, quæsumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

MISSA PRO CONGREGATIONE.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, protende, super famulos tuos et super cunctas congregationes illis commissas, spiritum gratiæ salutaris, et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per.

Secreta. Hostias, Domine, amulorum tuorum placatus intende, et quas in honore nominis tui devota mente celebrant, perficere sibi sentiant ad medelam. Per.

A *Communio.* Quod cœlesti recreas munere, perpetuo, Domine, comitare præsidio, et quos fovere non desinis, dignos fieri sempiterna redemptione concede. Per.

MISSA PRO PACE.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per.

Secreta. Deus, qui credentes in te populos nullis sinis concuti terroribus, dignare preces et hostias dicatæ tibi plebis suscipere, ut pax tua pietate concessa, Christianorum fines ab omni hoste faciat esse securos. Per.

B *Communio.* Deus auctor pacis et amator, quem nosse vivere, cui servire regnare est, protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos, ut qui in defensione tua confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per.

MISSA PRO ITER AGENTIBUS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ hujus varietates tuo semper protegantur auxilio. Per.

Secreta. Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has oblationes, quas tibi offerimus pro famulis tuis ill., benignus assume, et viam illorum præcedente gratia tua dirigas, et subsequente comitari digneris, ut de actu atque incolumitate eorum
C secundum misericordiæ tuæ præsidia gaudeamus. Per.

Postcommunio. Tua nos, Domine, sperantes in te, quæ sumpsimus sacramenta custodiant, et famulos tuos contra omnes ubique tueantur incursus. Per.

MISSA PRO FAMILIARIBUS.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulis tuis illi, et dirige eos secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, et tota virtute perficiant. Per.

Secreta. Proficiant, quæsumus, Domine, hæc, quæ tuæ supplices offerimus majestati, ad salutem famulorum tuorum ill., ut tua providentia eorum
D vita inter adversa et prospera ubique dirigatur. Per.

Communio. Sumentes, Domine, perpetuæ sacramenta salutis, tuam deprecamur clementiam, ut per ea famulos tuos ab omni adversitate protegas. Per.

MISSA VOTIVA.

Deus, qui justificas impium et non vis mortem peccatoris, majestatem tuam suppliciter deprecamur,

(25) Quæ sequuntur missæ votivæ appellatæ omnes reperiuntur in libris sacramentorum editis a Menardo et a Pamelio in Gregoriano, et a cl. præsule Angelo Rota. — Hæc est prima votiva missa in hoc Sacramentario. Ne quis tamen putet hanc esse duplicatam, cum alia habeatur Kalendis Novembris; hæc enim respicit solemnitatem Omnium Sanctorum sub una celebritate; votiva vero est in honorem omnium Sanctorum ad implorandum ipsorum patrocinium. Infra pariter altera habetur missa inter votivas, cujus titulus est : *In honorem omnium Sanctorum pro vivis et defunctis*, cum unica oratione, et reliquæ duæ forte desumendæ sunt ex præsenti missa, quæ prima habetur inter votivas.

ut famulum (*os*) tuum (*os*) de tua misericordia confidentem (*es*) cœlesti protegas benignus auxilio, et assidua eum (*os*) protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur (*entur*), et nullis tentationibus a te separetur (*entur*). Per.

Præfatio. Deus, cui proprium est, etc.; suscipe, clementissime Pater, hostiam placationis et laudis, quam ego indignus famulus tuus sacerdos tibi offerre præsumo ad honorem et gloriam nominis tui pro incolumitate famuli (*orum*) tui (*tuorum*) ill., ut omnium delictorum suorum veniam consequatur (*antur*). Per.

Postcommunio. Purificent nos, quæsumus, Domine, sacramenta sancta quæ sumpsimus, et famulum (*os*) ill. ab omni culpa liberum (*os*) esse concede, ut qui conscientiæ suæ reatu constringitur (*guntur*), de cœlestis remedii plenitudine glorietur (*entur*). Per.

MISSA PRO INFIRMO.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo (*is*) tuo (*is*), pro quo (*quibus*) misericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate gratiarum tibi in Ecclesia tua referat (*ant*) actionem (*es*). Per.

Secreta. Deus, sub cujus moderamine vitæ nostræ momenta decurrunt, suscipe preces et hostias famuli tui, pro quo misericordiam tuam ægrotante imploramus, ut de cujus periculo metuimus, de ejus salute lætemur. Per.

Communio. Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium auxilii tui super infirmum (*os*) famulum (*os*) tuum (*os*) ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjutus (*ti*) Ecclesiæ tuæ sanctæ præsentari mereatur (*antur*). Per.

MISSA PRO SEIPSO.

Suppliciter te, Deus, Pater omnipotens, qui es creator omnium rerum, deprecor, ut dum me famulum tuum coram omnipotentia majestatis tuæ graviter deliquisse confiteor, manum misericordiæ tuæ mihi porrigas, quatenus, dum hanc oblationem tuæ pietatis offero, quod nequiter commisi, clementissime digneris absolvere. Per.

Secreta. Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, indulge, quæso, et miserere mei, et hoc sacrificium, quod pietati tuæ humiliter offero, benigne digneris suscipere, et peccata, quæ labentibus vitiis contraxi, pius et propitius ac miseratus indulgeas, ut locum pœnitentiæ ac plurima lacrymarum concessa venia a te merear accipere. Per.

Postcommunio. Deus charitatis et pacis, qui pro salute generis humani crucis patibulum suscepisti, et sanguinem tuum pro redemptione nostra fudisti, preces meas placatus et benignus suscipe et misericordiam tuam mihi concede, ut cum animam meam A de corpore exire jusseris, pars iniqua in me non habeat potestatem, sed angelus tuus pacis inter sanctos et electos tuos me collocet, ubi lux permanet indeficiens et vita perpetua. Qui vivis et regnas.

MISSA PRO OMNIBUS.

Pietate tua, quæsumus, Domine, nostrorum omnium solve vincula delictorum, et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, domnum papam, pontifices et abbatem nostrum, reges et principes nostros, et omnem populum Christianum, nosque famulos tuos, atque locum istum cum omnibus habitantibus in eo in omni sanctitate custodi, omnesque affinitate ac familiaritate, sive orationis commendatione nobis B conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra, pacem et salutem nobis tribue, hostes visibiles et invisibiles remove, carnalia desideria repelle, aerem salubrem indulge, inimicis nostris charitatem largire, nec non qui suas eleemosynas nobis largiti sunt, delicta clementer ignosce, et omnibus fidelibus vivis et defunctis in terra viventium vitam pariter et requiem æternam concede. Per eumdem.

Secreta. Deus, qui singulari corporis tui hostia totius mundi solvisti delicta, hac oblatione placatus maculas scelerum nostrorum absterge, et omnium fidelium Christianorum vivorum ac mortuorum peccata dimitte, eisque præmia æterna concede. Qui vivis.

Communio. Sumpta, quæsumus, Domine, cœlestia C sacramenta omnia crimina nostra detergant, omnemque pravitatem et infirmitatem, seu hosticam rabiem, nec non et subitaneam mortem, meritis et intercessione sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ, atque omnium sanctorum a nobis procul repellant, et omnibus fidelibus vivis et defunctis prosint ad veniam, pro quorum tibi sunt oblata salute. Per.

IN SANCTI URBANI.

Da, quæsumus omnipotens Deus, ut qui beati Urbani martyris tui atque pontificis solemnia colimus, ejus aperte intercessionibus adjuvemur. Per.

Secreta. Hæc hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, et ad sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per.

D *Communio.* Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus noster, ut cujus exsequimur cultum, sentiamus effectum. Per.

IN NAT. UNIUS APOSTOLI.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut beatus ill. apostolus tuum pro nobis imploret auxilium, ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis eruamur. Per.

Secreta. (26) Sacrandum tibi, Domine, munus offerimus, quo beati ill. apostoli tui solemnia recolentes

(26) Expletis missis votivis, sequitur missa sancti Urbani papæ et martyris in nostro Sacramentario, quod non est mirandum; peculiari siquidem cultu monasticus ordo sanctum pontificem prosequebatur. Videantur quæ hac super re dicat Martene (*De antiq. eccl. ritib.* lib. IV, cap. 32, n. 12 et cap. 27). In nostro agro Pyrano adest nobile templum ad Æsinantis fluvii ripas, sancto Urbano sacrum, cui a sæculo XI adnexum erat insigne monasterium ordinis sancti Benedicti, nunc tandem vetustate collapsum.

purificationem quoque nostris mentibus imploramus. Per.

Communio. Perceptis, Domine, sacramentis suppliciter exoramus ut intercedente Ill. apostolo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus solemnitate, nobis proficiant ad medelam. Per.

IN NAT. PLURIMORUM APOSTOLORUM.

Deus, qui nos annua apostolorum tuorum ill. solemnitate lætificas, præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per.

Secreta. Munera, Domine, quæ pro apostolorum tuorum ill. solemnitate deferimus, propitius suscipe, et mala omnia, quæ meremur averte. Per.

Communio. Quæsumus, Domine, repleti mysteriis, ut quorum solemnia celebramus, eorum orationibus adjuvemur. Per.

IN NATALI UNIUS MARTYRIS.

Votivos nos, Domine, quæsumus ill. martyris tui Natalis semper excipiat, qui et jucunditatem nobis suæ glorificationis infundat, et tibi nos reddat acceptos. Per.

Secreta. Præsentia munera, quæsumus, Domine, ita serena pietate intuere, ut sancti Spiritus perfundantur benedictione et nostris cordibus eam dilectionem validam infundant, per quam sanctus martyr ill. omnia corporis tormenta devicit. Per.

Communio. Sumentes, Domine, cœlestis dona mysterii, quæsumus, ut beati ill. martyris tui adjuvemur meritis, cujus solemnitatem debita veneratione celebramus. Per.

IN NAT. PLURIMORUM MARTYRUM.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosa bella certaminis ad immortales triumphos beatos martyres tuos ill. transtulisti, da cordibus nostris dignam pro eorum commemoratione lætitiam, ut quorum gaudemus meritis, proficiamus exemplis. Per.

Secreta. Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ et pro tuorum tibi grata sint honore justorum et nobis salutaria te miserante reddantur. Per.

Communio. Præsta nobis, Domine, quæsumus, intercedentibus sanctis tuis ill. ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per.

IN NAT. PONTIFICUM.

Da quæsumus, omnipotens Deus, ut beati ill. confessoris tui atque pontificis veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per.

Secreta. Sacris altaribus, Domine, hostias superpositas, quæsumus ut sanctus ill. pontifex atque confessor in salutem nobis provenire deposcat. Per.

Communio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato ill. confessore tuo atque pontifice beneficia potiora sumamus. Per.

IN NAT. CONFESSORUM QUI NON FUERUNT PONTIFICES.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, quas in sancti ill. confessoris tui commemoratione deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per.

Secreta. Hostias tibi, Domine, pro commemoratione sancti ill. confessoris tui offerimus, quem a tui corporis unitate nulla tentatio separavit. Per.

Communio. Ut nobis, Domine, tua sacrifici dent salutem, beatus ill. confessor tuus quæsumus precator accedat. Per.

IN NATALI VIRGINUM.

Deus, qui nos beatæ ill. virginis martyrisque tuæ annua solemnitate lætificas, concede propitius ut ejus adjuvemur meritis, cujus castitatis irradiamur exemplis. Per.

Secreta. Offerimus, Domine, preces et munera in honore sanctæ ill. virginis martyrisque tuæ gaudentes, præsta quæsumus ut et convenienter hæc agere et remedium sempiternum valeamus acquirere. Per.

Communio. Adjuvent nos, quæsumus, Domine, hæc mysteria sancta quæ sumpsimus, et beatæ ill. virginis martyrisque tuæ intercessio veneranda. Per.

INCIPIT ORDO AD MONACHUM FACIENDUM.

Projiciat se novitius ante altare.

Pater noster. Miserere mei. *Capitulum.* Ostende nobis, Domine. Esto ei, Domine. Mitte ei, Domine. Domine, exaudi.

Oratio. Deus, indulgentiæ Pater, qui te veritatem tuæ discretionis temperans indulsisti, ne filius portaret iniquitatem patris, et qui mira dispensatione etiam malis bene utens tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris, quæsumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo, ill. non obsistat quod per habitum religionis per nos tanta ac tali re indignos accepit, sed ministerium, quod exterius per nos exhibetur, tu interius per donum sancti Spiritus exsequaris. Per.

Alia oratio. Deus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creasti, quique mundum in peccatis inveteratum per mysterium sanctæ Incarnationis ejus renovare dignatus es, te supplices exoramus, ut ejusdem Domini nostri gratia super hunc famulum tuum, abrenuntiationem sæculi profitentem, clementer respicere digneris, per quam in spiritu suæ mentis renovatus veterem hominem cum suis actibus exuat, et novum hominem, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per.

Benedictio cucullæ. Domine Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam,

De ipso et de templo longiori calamo in Antiquitatibus Vallis Sancti Clementis et in Dissertatione de episcopis Camerinensibus sub episcopo Hugone scribo. Agunt de eo etiam Camaldulensium Annalium scriptores (t. I et in hoc II).

ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ vel humilitatis indicium abrenuntiantes ferre sanxerunt, ita bene✝dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc usus fuerit, te induere mereatur. Per.

Item alia oratio. Deus, æternorum bonorum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, te subnixis precibus deprecamur, ut hanc vestem bene✝dicere et sancti✝ficare digneris, qua famulus tuus ill. pro indicatione castimoniæ induere vult, ut inter reliquos homines tibi cognoscatur esse devotus. Per Christum.

Tunc exuat eum veste laica ita dicendo : Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis.

Induens vestem monachicam dicat : Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Benedictio vestimenti. Deus, qui vestimentum salutare et indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis et contemptum mundi significantia, quibus famulo tuo ill. visibiliter est in formando proposito, propitius bene✝dicas, et beatæ castitatis habitum, quem te inspirante suscepit, te protegente custodiat. Per.

AD INDUENDUM VESTEM MONACHICAM.

Accipe vestem hanc sanctam atque monachicam, quam ante tribunal Domini nostri Jesu Christi sine macula perferas, per virtutem et misericordiam ejusdem, qui cum æterno Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Dominator Domine, Deus salutaris noster, custodi hunc famulum tuum, ill. sub hoc jugo usque in finem, et dignum eum fac cum his qui tibi bene placuerunt, indue eum sanctificationis stola, accinge lumbos ejus sobrietate, ostende illum creatorem in omni abstinentia, perfice illum in donis gratiæ spiritualis, ad gloriam potentiæ tuæ laudabilis, quia tu es Deus noster, qui vis omnes homines salvos fieri. Qui vivit.

Oratio. Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, super hunc famulum ill. qui tibi vovit servire pura mente mundoque corde, ut eum sociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia infantium, qui virgines permanserunt, et se cum mulieribus non coinquinaverunt, in quorum ore dolus inventus non est, ita et hunc famulum tuum ill. facias permanere per immaculatum Filium tuum Dominum nostrum, cum quo vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD CLERICUM FACIENDUM.

Oratio. Oremus, dilectissimi fratres, Dominum nostrum Jesum Christum super hunc famulum tuum N., qui ad deponendam comam capitis sui pro amore Christi festinat, ut donet ei Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eum perpetuo custodiat, et a mundi impedimento vel sæculari desiderio ejus corda custodiat, et sicut mutatus erit in vultu, ita manus dexteræ tuæ in eum virtute perfectionis boni operis tribuat in actum, et ab omni cæcitate spiritali oculos aperiat, ac lumen æternitatis gratiæ concedat. Per.

Dum tondis eum dicis antiphonam. Tu es, Domine, qui restitues hæreditatem meam mihi. Dominus pars hæreditatem meam (*sic*). Gloria Patri.

Item alia antiphona. Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob. Hic accipiet benedictionem a Domino.

Postquam tonsuratus est. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, propitiare peccatis nostris et ab omni servitute sæculari habitum super hunc famulum tuum N., dum ignominiam deponit, tua semper in eum perfruetur gratia, et sicut similitudinem coronæ tuæ ornatum gestare fecimus in capite, sic tua virtute et hæreditatem subsequi mereatur in corde. Per.

Alia oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut famulum tuum N., quem hodie capiti comam suam pro divino amore deposuimus, ut in tua dilectione perpetua maneat, et eum sine macula in sempiterno custodias. Per.

(27) AD BARBAM TONDENDAM.

Deus, cujus Spiritu creatura omnis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum

(27) In ordine ad initiandum monachum ritum habemus *ad barbam tondendam.* Priscis temporibus viri sæculares barbam prælongam portabant et nutriebant, eratque proinde signum vanitatis barba prolixa et oblonga. Monachi ad respuendam omnem sæculi vanitatem tironibus suis barbam tondebant. Vide quæ de hoc more dicant Annalium Camaldulensium scriptores (t. I, p. 380). Sic tamen monachi imberbes apparebant ut nulla in eorum vultibus notaretur mollities, quæ sane nimia fuisset, si novaculam adhibuissent. Forcipibus propterea barbam tondebant. Addimus sanctum Albertinum priorem Fontis-Avellanæ, in antiquissima icone in ejus monasterii templo depictum, barba carere. Antiqua pariter imago sancti Petri Damiani, labente sæculo XIII, coleribus expressa in tabula principis aræ Sancti Exsuperantii Cinguli, ubi monachi Avellanenses diu vixerunt, hirsutam et brevem barbam exhibet, similem illis, quæ sæpe forcipibus detruncantur. Morem istum barbæ radendæ sæculo XI apud nonnullas Ecclesias locum obtinuisse; sed non æque ab omnibus fuisse receptum probat quoddam monumentum genuinum apud Papebrochium in Actis sanctorum, qui in Exegesi episcoporum Mediolanensium exhibet imaginem Heriberti præsulis Mediolanensis, circa annum 1046, barbatum præferentem episcopum pallio ornatum. Probat etiam vir ille doctissimus Romanos pontifices hujus disciplinæ radendæ barbæ non usque adeo tenaces fuisse quin pro arbitrio recedendum sibi ab illa ducerent. In altero hujus libri tegumento eboreo sculptus conspicitur sanctus Theodorus, et quidem barbatus; sanctus Theodorus ex Græcis erat, qui contra Latinorum morem barbam non tondebant. Thomassinius (lib. II, c. 41, n. 1) animadvertit hoc ipso sæculo XI concilium Bituricense habitum anno 1031 statuisse, canone 7, ut *tonsuram ecclesiasticam habeant* (*clerici*), *hoc est barbam ra-*

tuum, N., juvenili ætate decorem, lætantem, et primis auspiciis attundentem, exaudi, ut, omnibus protectionis tuæ munitus, auxilio cœlestem benedictionem accipiat et præsentis vitæ præsidiis gaudeat et æternis. Per.

(28) INCIPIT AD POENITENTIAM DANDAM.

Apprehende manum ejus dexteram et dic : Suscepimus, Deus, misericordiam tuam *usque* dextera tua. Gloria Patri,

Capit. Salvum fac servum tuum. Deus meus. Mitte ei, Domine, auxilium. Et de Sion. Domine, exaudi orationem. Et clamor. Exsurge, Domine, adjuva. Et libera nos. Dominus vobiscum. Et cum Spiritu.

Oratio. Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi famulorum tuorum parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem. Per.

Alia oratio. Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus, Domine, tua misericordia, et omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Item alia oratio. Precamur clementiam tuam, Domine, quæsumus, et magnam misericordiam tuæ majestatis, ut famulo tuo N., peccata et facinora confitenti veniam relaxare et præteritorum criminum culpas donare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, qui publicani precibus et confessione placatus es, tu etiam huic famulo tuo placare, Domine, tu hujus preces benignus suscipe, remitte ei, Domine, omnia crimina et peccata, et da ei pro suppliciis veniam, pro morte vitam, ut qui ad tantam spem cœlestis apicis est devolutus, de tua misericordia confidens, ad æterna gaudia te protegente perveniat. Per.

TUNC INCIPIUNT LITANIÆ CUM VII PSALMIS.

Kyrie, eleison. Christe, eleison.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, mis. nob.
Spiritus sancte Deus, mis. nob.
Sancta Trinitas unus Deus, mis. nob.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancte Michael, or.
Sancte Gabriel, or.
Sancte Raphael, or.
Sancte Joannes Baptista, or.
A Sancte Petre, or.
Sancte Paule, or.
Sancte Andrea, or.
Sancte Joannes evangelista, or.
Sancte Thoma, or.
Sancte Jacobe, or.
Sancte Philippe, or.
Sancte Bartholomæe, or.
Sancte Matthæe evangelista, or.
Sancte Matthia, or.
Sancte Barnaba, or.
Sancte Marce evangelista, or.
Sancte Luca evangelista, or.
Sancte Stephane, or.
Sancte Clemens, or.
B Sancte Apollinaris, or.
Sancte Vitalis, or.
Sancte Laurenti, or
Sancte Vincenti, or.
Sancte Felix, or.
Sancte Fortunate, or.
Sancte Corneli, or.
Sancte Cypriane, or.
Sancte Sebastiane, or.
Sancte Cosmas, or.
Sancte Damiane, or.
Sancte Blasi, or.
Sancte Silvester, or.
Sancte Martine, or.
Sancte Ambrosi, or.
C Sancte Augustine, or.
Sancte Hieronyme, or.
Sancte Severe, or.
Sancte Nicolae, or.
Sancte Leo, or.
Sancte Benedicte, or.
Sancte Maure, or.
Sancte Placide, or.
Sancte Philiberte, or.
Sancte Columbane, or.
Sancte Majole, or.
Sancte Galle, or.
Sancte Wido, or.
Sancta Felicitas, or.
D Sancta Perpetua, or.

sam, et coronam in capite. Item Coyacense anno 1050 canone 3, *semper coronas apertas habeant et barbas radant.* Gregorius VII, qui hoc ipso XI sæculo floruit, cum præfecto Sardiniæ insulæ causam assignat cur episcopo Caralitano jusserit barbam radere, rescribit : *Ut scilicet ecclesiæ Occidentalis moribus antiquissimis se accommodet.*

Et hortatur præfectum, ut clerum universum compellat rasitare barbas, contumaces bonis spoliet, Ecclesiæque fisco adjudicet. Sanctus Carolus Borromeus (*Act. Eccl. Mediol.*, p. 1061) præcipit clericis observandum barbæ radendæ institutum, a Patribus in concilio Carthaginensi IV firmatum. Quid igitur mirum, si hoc sæculo XI quando barbæ prolixæ vanitas excreverat, monachi sæculi pompis contradicentes barbam deponerent ?

(28) Ritus iste *ad dandam pœnitentiam* vulgatissimus est apud antiquos monachos. Sciendum est morem apud illos fuisse ut quisquis, ad Deum conversus e sæculo, monasterium ingrederetur, deberet prius suæ conscientiæ maculas monasterii priori vel abbati detegere, et singillatim confiteri omnia peccata sua, recepturus pœnitentiam ad præscriptum sacrorum canonum. Apud Carthusianos, juxta antiquas eorum leges, monachi conscientiæ manifestationem faciebant, non solum quando monasticum habitum suscipiebant, verum etiam quoties prior novus eligebatur. Ea tamen sacramentalis confessio videtur non fuisse. De hac re consule quæ eruditissime animadvertit præsul Sartius, mei amantissimus, in observatione VIII ad caput 4, p. 43, Vitæ sancti Joannis Laudensis. Hujus dandæ pœnitentiæ ritus non erat privatus, sed publicus.

Sancta Agatha, or.
Sancta Agnes, or.
Sancta Cæcilia, or.
Sancta Lucia, or.
Sancta Justina, or.
Sancta Anastasia, or.
Sancta Savina, or.
Sancta Columba, or.
Sancta Barbara, or.
Omnes sancti, or.
Propitius esto, parce.
Ab omni malo, libera.
Ad insidiis diaboli, lib.
A periculo mortis, lib.
A persecutione inimici, lib.
A peccatis multis, lib.
Ab omni tentatione, lib.
Ab omni cogitatione iniqua, lib.
Ab omni iniquitate, lib.
Ab omni immunditia, lib.
A subitanea morte, lib.
A gehenna ignis, lib.
Misericors Deus, te rogamus.
Redemptor mundi, te rog.
Peccatores, te rog.
Ut pacem nobis dones, te rog.
Ut veniam delictorum nostrorum nobis dones, te rog.
Ut veniam pœnitentiæ nobis dones, te rog.
Ut compunctionem cordis nobis dones, te rog.
Ut fontem lacrymarum nobis dones, te rog.
Ut mentis constantiam nobis dones, te rog.
Ut remissionem peccatorum nobis dones, te rog.
Ut ad vitam æternam nos perducere digneris, te rog.
Ut nos exaudire digneris, te rog.
Fili Dei, te rogamus audi nos (*bis*).
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere.
Christe audi nos (*bis*).
Kyrie eleison (*ter*). Pater noster.

Capit. Ego dixi, Domine, sana. Fiat, Domine, misericordia tua. Quemadmodum. Domine, averte faciem tuam. Et omnis iniquitas. Converte nos, Deus salutaris. Et averte iram. Domine, exaudi orationem. Et clamor meus. Exsurge, Domine, adjuva. Et libera nos. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Exaudi, Domine, preces nostras, et convertenti tibi famulo tuo parce peccatis, ut quem conscientiæ suæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Alia oratio. Deus qui omnium confitentium tibi corda purificas, et accusantem suam conscientiam ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da indulgen-
A tiam famulo tuo, et medicinam tribue vulnerato, ut exclusa dominatione peccati, liberis tibi mentibus famuletur. Per

Alia oratio. Præsta, Domine, quæsumus, huic famulo tuo ill. dignæ pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate peccando discessit, ad ejus mysterium veniam consequendo reddatur innocens. Per.

INCIPIT POENITENTIUM VERA CREDULITAS.

Credis in Deum Patrem omnipotentem et Filium et Spiritum sanctum? ℟. Credo.

Credis quod istæ tres personæ, quomodo diximus, Pater et Filius et Spiritus sanctus tres sint, et unus Deus? ℟. Credo.

Credis quod ista carne in qua nunc es, in ipsa B habebis resurgere, et recipere sive bona, sive mala, quæ egisti? ℟. Credo.

Vis dimittere illis qui in te peccaverunt, dicente Domino: Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra? ℟. Dimitto.

Si de criminalibus peccatis peccasti, hoc est superbia, sacrilegium, homicidium, adulterium, furtum, rapina, vel alia quæ dinumerare longum est, sanctus ergo Paulus et Augustinus et alii sancti Patres computaverunt fieri pro his largas eleemosynas, et longo tempore jejunium. Clerici v ann.; diaconi VII; presbyteri X; monachi VII; episcopi XII. Si in consuetudine fuerit, addatur pœnitentia.

C *Tunc cantetur oremus.* Omnipotens sempiterne Deus, qui secundum magnam misericordiam tuam peccata pœnitentium deles, et in te sperantibus celeri pietate succurris, famulo tuo ill., quæsumus, remissionem omnium peccatorum tribue, et vota placatus assume, renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum est, quidquid diabolica immissione violatum, miserere, Domine, gemituum ejus, miserere lacrymarum, ut de mœrore in gaudium per tuam misericordiam transferatur. Per.

Secreta. Deus omnipotens, Deus misericors, Deus clemens, qui indulgentiam tuam nulla temporum lege concludis, suscipe preces et hostias, quas tibi pro indulgentia famuli tui ill. deferimus, ut et pecD catorum ei veniam misericors largiaris, et cordis ejus recta desideria implere digneris. Per.

Postcommunio. Deus, qui misericordiæ tuæ potenti auxilio et prospera tribuis, et adversa depellis, universa obstacula, quæ famulo tuo ill. adversantur, expurga, et remotis tentationibus universis indefessa tibi gratiarum actione laudare mereatur. Per.

(29) MISSA IN DIE DEPOSITIONIS.

Deus, cui proprium est misereri semper et par-

(29) Apostolicæ traditionis est sacrificium pro defunctis offerre (BONA, lib. II, c. 15, n. 4) et Aetii error fuit negare sacrificium offerendum esse pro ipsis, ut scribit Epiphanius (Hæres. 75). Ritus deinde invaluit sacrum faciendi pro defunctis non tantum eorum die emortuali et sepul- turæ, verum etiam die tricesima, septima, tertia, et anniversaria obitus eorumdem. Hic non habemus nisi missas *in die depositionis*, *in tricesima* et *in anniversaria* cum propriis præfationibus, tam die depositionis, quam anniversaria. Muratorius (*Antiq. medii ævi* t. IV, disser. 55) multis

cere, te supplices deprecamur pro anima famuli tui ill. quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti, ut non tradas eam in manus inimici, et ne obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis angelis suscipi et ad patriam paradisi perduci, ut qui in te speravit et credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia æterna possideat. Per.

Secreta. Propitiare, quæsumus, Domine, animæ famuli tui ill. pro qua tibi hostiam immolamus, majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut per hæc piæ placationis officia pervenire mereatur ad requiem sempiternam. Per.

Præfatio. Æterne Deus, qui benignitate gratuita peccatoribus largiens veniam, præparasti mortuis vitam, ne diutius teneret in pœna quos misericordia liberasset ex culpa. Tibi ergo, Domine, supplices preces effundimus, tibi famuli tui ill. animam et spiritum commendamus, ut receptus inter agmina sanctorum, loca nesciat inferorum. Nihil illi noceat, Domine, quidquid attrahente carnis fragilitate commisit, aut quod humanæ cupiditatis consuetudine pergravatus actu, verbo vel cogitatione peccavit, sed securus vestigia Salvatoris patiatur infinita dulcedine et præsentia veritatis. Redemptionem quoque corporis sui commonitus fiducialiter exspectare, quidquid habuit prius in fide, consequatur in munere. Per Christum.

Postcommunio. Præsta, quæsumus, Domine, ut anima famuli tui ill., quæ hodie de hoc sæculo migravit, his sacrificiis purificata, et a peccatis omnibus expedita, indulgentiam pariter et vitam capiat sempiternam. Per.

Deinde sequatur. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie, etc. Dominus vobiscum.

Oratio. Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui ill. ut defunctus a sæculo tibi vivat, et si qua fragilitatem mundanæ conversationis peccata admisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per.

Alia oratio. Fac, quæsumus, Domine, hanc cum servo tuo ill. misericordiam ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, ut sicut eum vera fides junxit fidelium turmis, ita eum illic tua miseratio societ angelicis choris. Per.

Alia oratio. Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quoniam nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur remissio. Non ergo eum tua, quæsumus, judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat, sed gratia tua illi succurrente mereatur evadere judicium ultionis, qui, dum adviveret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Per.

Item alia oratio. Deus, vitæ dator et humanorum A corporum reparator, qui te a peccatoribus exorari voluisti, exaudi preces, quas speciali devotione pro anima famuli tui ill. tibi lacrymabiliter fundimus, ut liberare eam ab infernorum cruciatibus, et collocare inter agmina sanctorum tuorum digneris, veste quoque cœlesti, et stolam immortalitatis indui, et paradisi amœnitate confoveri. Per.

Alia oratio. Deus, qui humanarum animarum æternus amator es, animam famuli tui ill. quam vera, dum in corpore maneret, tenuit fides; ab omni cruciatu inferorum redde extorrem, ut segregatam ab infernalibus claustris, sanctorum mereatur adunare consortiis. Per.

Item alia oratio. Delicta juventutis et ignorantias famuli tui ill. ne memineris, Domine, sed secundum B magnam misericordiam tuam memor esto illius in vita claritatis tuæ, aperiantur ei cœli, lætentur angeli, in regnum tuum, Domine, servum tuum suscipe.

ABSOLUTIO SUPER SEPULCRUM.

In ea potestate vel auctoritate fidentes, quam Dominus noster Jesus Christus beato Petro apostolo tribuit dicens : Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis : Et cæteris dixit discipulis : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Quantum nobis permissum est, ab omni vinculo peccatorum absolvimus te, ut quidquid suadente diabolo voluntate aut operatione commisisti, quantum Deo adjuvante possumus, tantum tibi in- C dulgemus, ut fracta de collo tuo omnium delictorum catena liber et absolutus venias ante tribunal Domini nostri Jesu Christi in vita æterna, recepturus ab ipso hæreditatem cœlestis regni et sine fine gaudendi in sæcula sæculorum. Amen.

Dehinc pro omnibus in Christo quiescentibus in eodem cœmeterio, Psal. cum antiph. Dele, Domine, iniquitates eorum. *Psal.* Miserere mei, Deus, secundum. Pater noster. Et ne nos. A porta inferi. Erue, Domine, animas eorum. Dominus vobiscum.

Oratio. Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis, vel omnibus hic in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti sine fine D lætentur. Per.

Requiescant in pace. Amen.

MISSA IN TRICESIMO.

Quæsumus, Domine, famulo tuo ill. cujus tricesimum (*vel* septimum, *vel* tertium) obitus sui diem commemoramus, sanctorum atque electorum tuorum largiaris consortium, et rorem misericordiæ tuæ perennis infundas. Per.

Secreta. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc oblationem, quam tibi offerimus ob diem depositionis tricesimi (*vel* septimi, *vel* tertii),

probat exemplis antiquitatem ritus anniversariorum emortualium dierum pro defunctis. Desideratur hic missa pro commemoratione fidelium defunctorum die secunda Novembris, quæ fuit instituta a sancto Odilone abbate Cluniacensi anno duntaxat 1040. Qui ritus in universam Ecclesiam pontificum auctoritate fuit postea propagatus, ut adnotat Baronius (*Not. ad Martyrol.* die 2 Nov.).

pro anima famuli tui ill. placatus ac benignus assume. Per.

Postcommunio. Omnipotens sempiterne Deus, collocare dignare animam famuli tui ill., cujus depositionis diem tricesimum (*vel* septimum *vel* tertium) celebramus, in sinibus Abrahæ, Isaac et Jacob, ut cum dies agnitionis tuæ advenerit, inter sanctos electos tuos eum resuscitari præcipias. Per.

MISSA IN ANNIVERSARIO.

Præsta, quæsumus, Domine, ut anima famuli tui ill., cujus anniversarium depositionis diem commemoramus, indulgentiam pariter et requiem capiat sempiternam. Per.

Secreta. Propitiare, Domine supplicationibus nostris pro anima famuli tui ill., cujus hodie annua dies agitur, pro qua tibi offerimus sacrificium laudis, ut eam sanctorum tuorum sociare consortio digneris. Per.

Præfatio. (†) Per Christum Dominum nostrum, per quem salus mundi, per quem vita hominum, per quem resurrectio mortuorum, per ipsum te, Domine, suppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui ill., cujus diem anniversarium celebramus, indulgentiam largiri digneris perpetuam, atque a contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restituas cum angelis. Et ideo.

Communio. Suscipe, Domine, preces nostras pro anima famuli tui ill., cujus diem anniversarium hodie celebramus, ut si quæ ei maculæ de terrenis contagiis adhæserunt, remissionis tuæ misericordia deleantur. Per.

MISSA PRO EPISCOPO.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum ill., pontificali fecisti dignitate vigere, præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per.

Secreta. Suscipe, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui episcopi, quas offerimus hostias, ut cui in hoc sæculo sacerdotale donasti meritum, dones et præmium. Per.

Communio. Propitiare, Domine, supplicationibus nostris et animam famuli tui episcopi ill., in vivorum regione æternis gaudiis jubeas sociari. Per.

MISSA PRO ABBATE.

Deus qui famulum tuum sacerdotalem atque abbatem sanctificasti vocatione misericordiæ, et assumpsisti consummatione felici, suscipe propitius preces nostras et præsta ut et ille tecum sit meritis, et a nobis non recedat exemplis. Per.

Secreta. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut anima servi tui abbatis atque sacerdotis, cui regiminis et sacerdotii donasti meritum, hæc sancta mysteria, quæ tibi fideliter ministravit, etc. Per.

Communio. Prosit, quæsumus, Domine, animæ famuli tui abbatis atque sacerdotis misericordiæ tuæ implorata clementia, ut ejus in quo superavit et credidit, æternum capiat te miserante consortium. Per

MISSA PRO SACERDOTE.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe pro anima famuli ill., sacerdotis preces nostras, et lucem ei lætitiæ in regione sanctorum tuorum societatem concede. Per.

Secreta. Hostias tibi, Domine, laudis offerimus pro anima famuli tui sacerdotis, ut eam in numero fidelium tuorum lux æterna possideat. Per.

Communio. His sacrificiis, quæsumus, Domine Deus, purgata anima famuli tui sacerdotis ad indulgentiam et refrigerium sempiternum pervenire mereatur. Per.

MISSA PRO OMNIBUS DEFUNCTIS.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam suppliciter deprecamur, ut animam (*as*) famuli (*lorum*) tui (*tuorum*) ill., quam (*as*) de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuorum jubeas esse consortem (*es*). Per.

Secreta. Annue nobis, Domine, ut animæ (*abus*) famuli (*lorum*) tui (*tuorum*) ill., hæc prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per.

Communio. Prosit, quæsumus, Domine, animæ (*abus*) famuli (*lorum*) tui (*tuorum*) ill., divina celebratio sacramenti, ut ejus, in quo speravit (*verunt*) et credidit (*derunt*) æternitatis capiat (*ant*) te miserante consortium. Per.

ALIA MISSA PRO DEFUNCTIS.

Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animabus famulorum tuorum, ut qui de hac vita tui nominis confessione decesserunt, sanctorum numero facias aggregari. Per.

Secreta. Propitiare, Domine quæsumus, animabus famulorum tuorum, pro quibus tibi hostias placationis offerimus, et quia in hac luce cum fide manserunt catholica, in futura vita eis retributio condonetur. Per.

Communio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut animas famulorum tuorum ab angelis lucis susceptas in præparatis habitaculis deduci facias beatorum. Per.

MISSA PRO DEFUNCTIS FRATRIBUS.

Deus, veniæ largitor et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus sanctis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. Per.

Secreta. Deus, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostræ, et animus quibus tui nominis dedisti confessionem per hæc sacramenta salutis cunctorum remissionem tribue peccatorum. Per.

Communio. Deus, vita viventium, spes morientium, salus omnium in te sperantium, præsta pro-

pitius ut hujus animæ congregationis a nostræ mortalitatis tenebris absolutæ, beata Maria semper virgine intercedente, in perpetua cum omnibus sanctis tuis luce lætentur. Per.

MISSA PRO DEFUNCTA FEMINA.

Quæsumus, Domine Deus omnipotens, pro tua pietate miserere animabus famularum tuarum, et a contagiis mortalitatis exutas in æternæ salvationis partem restitue. Per.

Secreta. His sacrificiis, Domine, quæsumus, animæ famularum tuarum ill., a peccatis omnibus exuantur, sine quibus a culpa nemo liber exstitit, ut per hæc piæ placationis officia perpetuam misericordiam consequantur. Per.

Postcommunio. Inveniant, quæsumus, Domine, animæ famularum tuarum ill., lucis æternæ consortium, cujus perpetuam gratiam consecutæ sunt sacramentum. Per.

MISSA PLURIMORUM DEFUNCTORUM.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Per.

Secreta. Hostias, quæsumus, Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum ill., offerimus, propitiatus intende, ut quibus fidei Christianæ meritum contulisti, dones et præmium. Per.

Postcommunio. Animabus, quæsumus, Domine, famulorum famularumque tuarum ill., oratio proficiat supplicantium, ut eas et a peccatis exuas, et tuæ redemptionis facias esse participes. Per.

MISSA IN HONOREM OMNIUM SANCTORUM PRO VIVIS ET DEFUNCTIS.

Sanctorum tuorum intercessionibus, quæsumus, Domine, gratia tua nos protege, et famulis vel famulabus tuis, quorum commemorationem agimus, et quorum eleemosynas recepimus, seu etiam his qui nobis familiaritate et consanguinitate juncti sunt, misericordiam tuam ubique protende, ut ab omni impugnatione defensi tua opitulatione salventur. Et animas famulorum famularumque tuarum omnium videlicet fidelium catholicorum orthodoxorum, quorum commemorationem agimus, et quorum corpora in hoc monasterio et in cunctis cœmeteriis fidelium requiescunt, remissionem cunctorum tribue peccatorum. Per.

(30) IN TRANSLATIONE SANCTI MARCI.

Deus, qui nobis per ministerium beati Marci evangelistæ et martyris tui veritatem Evangelii patefieri voluisti, concede, quæsumus, ut quod ab illius ore didicimus, gratia tua adjuti operari valeamus. Per.

Secreta. Hæc nos oblatio, Deus, intercedente beato Marco evangelista tuo, mundet et renovet, gubernet et protegat, et ad cœlestis patriæ regna perducat. Per.

Communio. Sumptis, Domine, donis cœlestis mysterii humiliter deprecamur, ut intercedente beato Marco evangelista et martyre tuo, et temporalis vitæ nos facias pace gaudere, et æternæ reperire subsidium. Per.

APPENDIX.

Custodi, frater, vestem hanc sanctam quam ante tribunal Domini nostri Jesu Christi sine macula proferas per virtutem et misericordiam ejusdem, qui cum coæterno Patre et Spiritu sancto vivit et regnat.

Precamur te, Domine, ut intercedente beato Benedicto confessore tuo, huic famulo tuo, cui habitum sanctæ religionis imponimus, indulgentiam tribuas suorum omnium peccatorum, opus ejus in bonum perficias, misericordiam tuam et gratiam ei concedas, fide, spe et charitate eum repleas, mentem ei ad cœlestia desideria erigas, ab omni adversitate eum defendas, et ad bonam perseverantiam eum perducas. Per.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

(†) Per Christum Dominum nostrum. Cujus hodie circumcisionis diem et nativitatis octavum celebrantes, tua, Domine, mirabilia veneramur, quia quæ peperit, et Virgo, et Mater est, qui natus est et Deus est, merito cœli locuti sunt, angeli gratulati, pastores lætati, magi mutati, reges turbati, parvuli gloriosa passione coronati. Et ideo cum angelis.

IN TRANSITU SANCTI BENEDICTI.

(†) Æterne Deus. Et gloriam tuam profusis precibus exorare, ut qui beati Benedicti confessoris tui

(30) Ab missa, quæ est in translatione sancti Marci, initium habet postrema hujus sacramentarii Appendix. Sancti evangelistæ Marci corporis translatio recolitur die 31 Januarii, et habetur in Martyrologio Romano et in aliis ecclesiasticis tabulis. Augustinus Calmet (*Histor. univers.* t. IV, cap. 51) opinionem affert illorum, qui contendunt divi Marci corpus Venetias translatum sub Leone Armeno circa annum 815. Illud pro certo habendum anno 870 hanc translationem jam contigisse, et Venetis custoditum fuisse ejus sacrum corpus. Ita Bernardus monachus apud Mabillonium (*Act. SS.* t. IV, cap. 54). Baronius meminit hujus festivæ translationis sub anno 820 (n. 22) et circa hæc tempora factam contendit. Bollandiani huic adhærent opinioni in titulo De cultu sancti Marci, qui pariter referunt historiam hujus translationis ex codice ms. bibliothecæ Vaticanæ, relato etiam a Baronio in suis notis ad Martyrologium, ex quo codice translatio illa refertur ad annum 820. Sabellicus stat pro anno 831, regnante Venetiis Justiniano duce. Platina hujus translationis meminit sub pontificatu Gregorii III qui sedere cœpit anno 823, et in pontificatu vixit annis sexdecim. Sed cum Justinianus fuerit dux Venetus annis tantum duobus, necessario hæc translatio figenda est vel ad IV, vel ad V annum Gregorii, et consequenter ad annum 831 vel 832. Antonius Pagius in criticis notis (ad an. 820, n. 9), Antonius Sandinus in sua Historia Apostolica (*de S. Marco*), et novissime eruditissimus senator Venetus Flaminius Cornelius in elaboratissimo opere (*Dec.* XIII, p. 1) De Venetis Ecclesiis, agunt de hac translatione.

Hujus festi propagatio in monachos Benedictinos rejicienda est ad tempora sancti Petri Damiani, quando Appendix huic missali libro facta est, quique etiam sermones habuit (t. II, p. 31, etc.) in festivo ejus die (t. II, n. 31, etc.), ubi de eadem translatione verba facit.

veneramur festi, te opitulante ejus sanctitatis imitari valeamus exempla, et cujus meritis nequaquam possumus coæquari, ejus precibus mereamur adjuvari per Christum.

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA.

(†) Æterne Deus. Qui per beatæ Mariæ Virginis partum Ecclesiæ tuæ tribuisti mirabile mysterium, et inenarrabile sacramentum, in qua manet intacta castitas, pudor integer, firma constantia, quæ lætatur, quod Virgo concepit, quod cœli Dominum castis portavit visceribus, quod Virgo edidit partum. O admiranda divinæ dispensationis operatio, quæ virum non cognovit et mater est, et post filium Virgo est! Duobus enim gavisa est muneribus, miratur quod Virgo peperit, lætatur quod Redemptorem mundi edidit Jesum Christum Dominum nostrum. Quem laudant angeli atque archangeli, cherubim quoque ac seraphim, qui non cessant clamare quotidie una voce dicentes: Sanctus, sanctus.

IN NATIVITATE SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

(†) Æquum et salutare, nos tibi in omnium sanctorum tuorum provectu gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et præcipue pro meritis beatæ Dei genitricis Mariæ gratia plenæ, tuam omnipotentiam laudare, benedicere et prædicare. Quem laudant angeli *ut supra*.

IN SOLEMNITATE OMNIUM SANCTORUM.

(†) Æterne Deus. Clementiam tuam suppliciter obsecrantes, ut cum exsultantibus sanctis in cœlestis regni cubilibus gaudia nostra conjungas. Et quos virtutis imitatione non possumus sequi, debitæ venerationis contingamus affectu, per Christum Dominum nostrum. Per quem.

IN FESTIVITATE SANCTI MARTINI EPISCOPI.

(†) Æterne Deus. Cujus munere beatus Martinus confessor pariter et sacerdos, et bonorum operum incrementis excrevit, et variis virtutum donis exuberavit et miraculis coruscavit. Quodque verbis edocuit, operum exhibitione complevit, et documento simul et exemplo subditis ad cœlestia regna ducatum præbuit. Unde tuam clementiam petimus, ut ejus qui tibi placuit, exemplis ad bene agendum conformemur, meritis muniamur, intercessionibus adjuvemur, qualiter ad cœleste regnum, illo interveniente, et te opitulante pervenire mereamur. Per Christum Dominum nostrum.

Deus, qui nos redemptionis nostræ annua exspectatione lætificas, præsta ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem læti suscepimus, venientem quoque Judicem securi videamus Dominum nostrum.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut adoranda Filii tui Natalitia prævenimus, sic ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Qui tecum.

(†) Æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Cujus hodie faciem in confessionem prævenimus, et voce supplici exoramus, ut superventuræ noctis officiis nos ita pervigiles reddat, ut sinceris mentibus ejus percipere mereamur Natale venturum. In quo invisibilis ex substantia tua visibili per carnem apparuit in nostra, tecumque uno non tempore genitus, non natura inferior ad nos venit ex tempore, natus Jesus Christus Dominus noster. Per quem majestatem.

(31) Domine labia mea aperies. Salvum fac servum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. Domine, custodiat te ab omni malo. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum. Et auferat a te spiritum elationis. Amen.

« Quam quidem copiam ego Nicolaus Giomi Sancto-Severinas publicus Dei gratia apostolica, imperialique auctoritatibus notarius in archivo Romanæ curiæ descriptus fideliter per alium mihi fidum extrahere et copiare feci ex suprascripto perantiquo missali ad usum olim beati Petri cardinalis Damiani inservienti, et ab eodem dono tradito devoto illius discipulo beato Dominico Loricato, mihi ad hujusmodi effectum tradito et postea restituto. Quod quidem Missale custoditur in priorali parochiali ecclesia Sanctæ Annæ Castri Frontalis Sancti Severini diœcesis, ac publicæ venerationi exponitur et asservatur in reliquiario figuræ orbicularis cærulei ac diversi coloris ornamento interius depicto, similique forma exterius in parte posteriori decorato; in anteriori vero vitreis repagulis simul annexis ac plumbo colligatis clauso, incisisque ex ligno pluribus frondibus ac floribus inauratis circumdato, prout id totum clare constat ex authenticis R. P. D. Alexandri Calvi, olim de Organis, episcopi Sancto Severini, et successive ex aliis R. P. D. Dionysii Pieragostini episcopi pariter Sancto-Severini, sub quorum sigillis asservatum manebat. Cum qui quidem Missali facta per me collatione, in omnibus et per omnia concordare inveni etiam quoad formam aliquarum litterarum Græcarum. Salvo semper, etc. Ideo ad fidem hic me scripsi, subscripsi et publicavi, meoque solito signo, quo utor, munivi requisitus.

« Apyri hac die decima quinta mensis Maii anni 1746.

« Loco † signi notariatus. »

(31) Hebdomadarius Lector in mensa ad præscriptum Regulæ divi Benedicti (cap. 38) debebat post missas et communionem die Dominico petere suprascriptis versiculis ab omnibus ut pro se orarent, et ter repetito: *Domine, labia mea aperies*, accipere benedictionem. Qui mos apud monachos servatur adhuc, ut scribit sæpe laudatus cardinalis Bona (lib. I, c. 3, n. 3), usque ipso patet.

EXCERPTA

EX VETERIBUS LITURGICIS CODICIBUS FONTAVELLANENSIBUS

DUPLICI SACRAMENTARIO

ET

BREVIARIO QUINGENTORUM ET HIS AMPLIUS ANNORUM

(*Annal. Camaldul.* ubi supra pag. 375.)

ADMONITIO

Illustrabunt vetus Sacramentarium Suaviciniense, quod mox protulimus, hæc excerpta, quæ paucis abhinc annis collegerunt ex tribus codicibus abbatiæ Avellanensis, atque ad nos perhumaniter transmiserunt monachi ejusdem loci. Primus codex, qui est missalis, seu sacramentarius antiquus liber, scriptus et ad usum fuit ascetarum Fontavellanensis eremi vel ante sæculum XIV, cum in eo memoretur prior loci, qui prioratus titulus perduravit ad tempora Joannis XXII Romani pontificis. Is enim circa annum 1325 Ubaldum primum abbatem dedit Avellanensibus, et eremum abbatiæ honore decoravit. Incipit hic sacramentarius liber ab ordine servando feria IV in capite Jejunii, et in hebdomada majori Quadragesimæ. Sequitur ordo missæ ab episcopo vel a presbytero celebrandæ. Inde habentur orationes propriæ in natalitiis sanctorum, demum missæ quædam, quarum olim recitatio vigebat. Ejus sententiæ sumus ipsum pro Avellanensibus potissimum exaratum fuisse; non ignobile documentum petimus ab octava sancti Andreæ apostoli, quæ præscribitur, scimus etenim eorum ecclesiam dicatam fuisse tam in honorem sanctæ crucis, quam etiam sancti Andreæ apostoli. Verum cum Avellanenses in pluribus locis et urbibus monasteria et ecclesias obtinerent, quorum monachi ritus et disciplinam sequebantur præcipuæ eremi, orationes Sacramentario etiam inspersæ leguntur, quæ usu veniebant in cæteris diœcesibus, et non in Eugubina, in cujus territorio exsurgebat Avellanensis. Orationes seu collectæ omnes, quæ habentur in missali sine assignatione tamen diei, sunt hæ, hoc pariter ordine distributæ: In Natali sancti Ambrosii episcopi, sanctæ Luciæ virginis et martyris; sancti Thomæ apostoli, sancti Anastasii martyris, sancti Projecti martyris, sanctæ Brigidæ virginis. Orationes in die Purificationis beatæ Mariæ virginis, et benedictio cereorum. In Natali sancti Blasii martyris, sancti Benedicti abbatis, et in festo Annuntiationis beatæ Virginis Mariæ. In natalitio die sanctæ Euphemiæ martyris; in alio, sanctorum Laurenti et Pergentini fratrum. Horum martyrum orationes, nisi pro Avellanensibus confectæ erant pro iis monasteriis Avellanensi subjectis, quæ erant in Arretino territorio et in illo Civitatis-Castelli constituta, apud quæ cultus vigebat eorumdem martyrum. Exstat sermo Petri Damiani in honorem ipsorum sanctorum martyrum.

Sequuntur orationes in Natali sancti Bonifacii martyris, Moguntini scilicet, cum sociis Heobano et Adhelario; sanctorum Albini, Paulini, et Niceti episcopi cum nongentis octoginta novem sociis, in vigilia et festo die sancti Joannis Baptistæ; in privilegio pariter et natalitiis sanctorum apostolorum Petri et Pauli; sanctæ Mustiolæ; sanctorum VII fratrum, sancti Paterniani. Hic sanctus episcopus A patronus erat urbis Fanensis, in qua ejusque territorio monasteria et ecclesiæ erant Avellanensium ascetarum. In Natali sanctæ Margaritæ virginis; sanctorum Quirini et Jolittæ martyrum, sanctorum martyrum Ermacoræ et Fortunati, sanctæ Praxedis virginis, sanctæ Mariæ Magdalenæ; sancti Apollinaris martyris et pontificis; sanctæ Christinæ martyris, sancti Jacobi apostoli, sancti Christophori martyris; sanctorum Nazarii et Celsi martyrum, sanctarum virginum Floræ et Lucillæ. Cultus earum præcipuus Arretii; et in ipsarum natalitia die sermones habuit Damianus, actaque et translationem scripsit. Orationes in Inventione sancti Stephani; in Festo sancti Donati episcopi et martyris; in Vigilia et in Assumptione beatæ Mariæ virginis, et in Natali sancti Magni martyris. Is Trani, in Apulia alibique colebatur, ubi erant cœnobitæ Avellanenses. Collectæ in dedicatione basilicæ sancti Floridi: patronus erat sanctus Floridus urbis Tiphernatis B seu Civitatis-Castelli, et ex Innocentii II ac Honorii III, Romanorum pontificum privilegiis innotescit Avellanenses monasteria et ecclesias possedisse in urbe et territorio Civitatis-Castelli: *In comitatu Castellano castrum Montis-Majoris*, ait Innocentius, *et monasterium Sanctæ Crucis in eodem castro cum ecclesiis et villis*. Et Honorius: *Ecclesiam Sancti Cassiani, et Sancti Fortunati cum capellis et earum pertinentiis, Ecclesiam Sanctæ Crucis de Monte Majore, et Sancti Ægidii de Castello, Sanctæ Crucis de Citerna, Sancti Petri de Agilone cum capellis et earum pertinentiis, et quidquid habetis in toto comitatu Castellano*. Pariter habentur orationes in Natali sancti Symphoriani martyris, sancti Bartholomæi apostoli, sancti Rufi martyris; in die decollationis sancti Joannis Baptistæ; sanctæ Felicitatis martyris; sanctorum confessorum Floridi et Amantii (festum hoc occurrebat VI Kalendas Octobris) et Omnium Sanctorum. Succedunt aliæ missæ, aliæque C collectæ, ac missæ pro defunctis. In oratione pro defuncto sacerdote imploratur intercessio sancti Floridi confessoris. Subsequuntur aliæ missæ et preces ad Deum pro variis necessitatibus, et demum liturgia pro defunctis.

Alterum Sacramentarium, quod videtur antiquius primo, mentionem facit abbatis. Forte usui fuit monachorum et parochorum ecclesiæ Sancti Blasii de Fabriano, quæ sæculo XIII subjiciebatur monasterio Sancti Victoris de Clusis; nunc vero abbatia est sui juris, cui unitæ fuere aliæ duæ Sancti Romualdi Vallis Castri et Sancti Urbani ad Æsinantem; nam in confessione prævia ad missam nominatur post sanctos apostolos Petrum et Paulum sanctus Blasius. Similiter in canone ante consecrationem post sanctos Cosmam et Damianum. Ad *Nobis quoque peccatoribus* post sanctam Anastasiam nomen apponitur sanctæ Scholasticæ; ad orationem vero *Libera*

nos nomina sancti Apollinaris, sancti Laurentii et sancti Benedicti adjiciuntur nominibus archangelorum et apostolorum. Sacramentarium hocce continet ordinem ad catechumenum faciendum, ordinem baptismatis ad succurrendum, ordinem ad pœnitentiam dandam, ordinem ad visitandum infirmum, et demum ordinem ad sepulturam defunctorum. Ordo quoque in eo habetur ad sacram liturgiam peragendam; adsunt et missæ quædam ac orationes pro variis necessitatibus, aliæ de communibus, aliæ demum pro variis generibus defunctorum.

Tertium denique est breviarium, cujus titulus: *Incipit officium breviarii secundum ordinem eremi Sanctæ Crucis Fontis Avellanæ*. Incipit ab Adventu Domini. Leguntur hymni antiqui in die Nativitatis

A Dominicæ, in Natali sancti Andreæ apostoli, sancti Benedicti abbatis, in festivo die Inventionis sanctæ Crucis, in aliis festis apostolorum Petri et Pauli, sanctæ Mariæ Magdalenæ, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis et sancti Martini. Orationes propriæ habentur de sancto Ambrosio, Zenone, Syro, Blasio, Gregorio ac Æmygdio. Is celebratur potissimum in urbe Asculana. Ecclesia Sancti Hilarii, alia Sanctæ Crucis in ea urbe erant juris Avellanensium monachorum. De sancto Apollinare, quem summa religione coluerunt semper Avellanenses, officium integrum proprium legitur. Postremo in calce breviarii reperitur officium beatæ Mariæ Virginis. Sed excerpta ipsa in medium afferamus, iis nimirum omnibus prætermissis, quæ exstant in editis missalibus et in breviariis.

EXCERPTA EX PRIMO CODICE AVELLANENSI.

FERIA QUARTA. CAPUT JEJUNII.

Collecta ad sanctam Anastasiam.

In primis vero benedictio cineris.

Omnipotens sempiterne Deus, etc. *Hæc prima oratio est eadem quæ habetur in editis.*

Alia oratio. Concede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis, ut contra spirituales nequitias pugnaturi continentiæ muniamur auxiliis. Per.

Alia. Deus indulgentiæ, Deus pietatis et misericordiæ, qui Ninivitis, cinere et cilicio indutis, et misericordiam tuam clamantibus subvenisti, exaudi nos propitius clamantes ad te, et hanc creaturam cineris, quo peccatores, indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ implorantes, utuntur, benedicere, et sanctificationis tuæ gratiam infundere digneris, ut quicunque istius pulveris exustione aspersus fuerit, indulgentiam et remissionem omnium peccatorum a te pius Deus, mereatur accipere. Per.

Alia oratio. Deus qui humiliatione etc. *Hæc pariter oratio est eadem, quæ in editis, alia vero, quæ in iisdem subsequitur, in nostro missali ms. desideratur.*

Sequitur antiphona. Immutemur habitu. *Interim ponendi sunt cineres super capita hominum.* Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. *His finitis dicat cantor* Misereris omnium.

AD MISSAM.

Statio ad sanctam Sabinam.

Oratio. Præsta, Domine, etc, *ut in editis etiam quoad secretam et communionem, cum hoc tamen, quod in ms. una tantum oratio ponitur.*

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

Secunda hora diei mediante conveniunt in ecclesiam. Itaque, fratribus tertiam cantantibus, induunt se ministri in vestiario, unus ad crucem, duo ad candelabra, alter ad aquam benedictam, subdiaconus ad thuribulum in tunica, diaconus in dalmatica, sacerdos in cappa. Finita tertia, ubi cantor imposuerit antiphonam : Collegerunt, *ministri transeunt per chorum sequente conventu, cantando antiphonam*

B *usque ad locum palmarum, ubi antiphona et versus* Unus autem *finito, et repetito* Ne forte, *subdiaconus versus super titulum ad orientem incipit lectionem* Dicite filiæ Sion. *Qua finitâ cantetur* R. Christus factus est. *Deinde diaconus versus ad aquilonem incipiat Evangelium :* Cum appropinquasset. *Quo finito benedicuntur palmæ et olivæ a sacerdote ad orientem verso :*

Dominus vobiscum. — Oremus. Auge fidem, etc. *Hic ponuntur omnes orationes ut in editis, præter illam longiorem quæ incipit :* Deus qui miro dispensationis ordine, etc.

Tunc rami benedicti aspergantur aqua benedicta cum antiphona : Asperges me, Domine. *Postea projicitur aqua super conventum ordinate venientem et* C *super populum.*

Oratio. Deus qui Filium tuum, etc.

Post hæc incipit cantor antiphonam: Pueri Hebreorum, *et alias. Interim ministri accipiunt ramos de manu sacerdotis, postea osculatur conventus manum ejus. Deinde dantur populo repetendo antiphonam, donec omnes accipiant. Quo completo, incipit cantor antiphonam :* Cum appropinquaret. *Et cum omni veneratione quasi ipsum Dominum comitantes, procedunt ad ecclesiam. Ibique ante ostium ordinatis finita antiphona, intrant duo fratres in ecclesiam et cantent :* Gloria, laus et honor tibi. *Et post finem binorum versuum repetunt de foris :* Gloria, laus. *Percantatis versibus intrant in ecclesiam cantando* R. Ingrediente, *sonando omnibus signis.*

D *Demum ministri præparent se ad missam; et officiales duo cappis induuntur in choro. Ad tractus induantur alii duo, et quatuor cantent, duo et duo.*

FERIA QUINTA IN CŒNA DOMINI.

Hora nona excutitur ignis de crystallano vel silice, ita ut ex ipso possit accendi candela; et benedicit sacerdos ignem apud nos, indutus stola tantum et pluviali, et aqua benedicta : Asperges. *Apud quosdam diaconus benedicit.*

Oratio. Deus, qui per Filium tuum, angularem

scilicet lapidem, charitatis fidelibus tuis ignem contulisti, productum e silice nostris profuturum usibus, novum hunc ignem sanctifica, et concede nobis ita per hæc festa paschalia cœlestibus desideriis inflammari ut ad perpetuæ claritatis puris mentibus valeamus festa pertingere. Per.

Alia oratio. Domine Deus, Pater omnipotens, lumen indeficiens, et sancte conditor omnium luminum, bene†dic hoc lumen, quod a te sanctificatum atque benedictum est, qui illuminasti omnem mundum, ut ab eo lumine accendamur, et illuminemur igne claritatis tuæ, et sicut ignem illuminasti Moysi, ita illumines corda et sensus nostros, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per.

Alia oratio. Veniat, quæsumus, omnipotens Deus, super hoc incensum larga tuæ benedictionis infusio, et hunc nocturnum splendorem invisibilis regnator accende, ut non solum sacrificium, quod hac nocte litatum est arcana luminis tui admistione refulgeat, sed in quocunque loco ex hujus sanctificationis mysterio fuerit deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ majestatis assistat. Per.

De quo igne novo lampas una servetur accensa usque in Sabbatum sanctum ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus est ordine quo in Sacramentario continetur. Hoc expleto, omni lumine decorata ecclesia, ingrediantur ad missam, quæ pro præsentis sacrificii recenti institutione devotissime decantetur. In hac enim die sacrificium corporis sacri, et divi muneris sacri sanguinis ab ipso Domino celebrationis sumpsit initium. Hac die in toto orbe sacrum chrisma conficitur. Hac die etiam pœnitentibus per indulgentiam subvenitur.

Dum autem cantatur nona, præparent se ad missam festive sacerdos, diaconus in dalmatica, subdiaconus in tunica, ceroferarii quoque et qui thuribulum deferat. Et cantator in choro, indutus cappa, missam solemniter incipiat, quæ pro præsentis sacrificii recenti institutione devotissime decantetur. In qua iteratur responsum; et cantetur Credo in unum Deum, Gloria in excelsis Deo.

Ubi chrisma conficitur, cantatur.

MISSA AD S. JOANNEM IN LATERANO.

Oratio, etc. *Ut in nostris editis usque ad consecrationem corporis et sanguinis inclusive. Post* Agnus Dei, *sacerdos dividat oblatas, et omnes, qui possunt communicent. Tantæ hac die consecrentur hostiæ ut ex ipsis possint ipso et sequenti die sufficienter habere ad communicandum. Notandum autem quod de corpore Domini integræ oblatæ servandæ sunt usque mane die Parasceve, de quibus communicant. Sanguis vero Domini ipso die penitus absumatur. Interim vero communicant, dicitur :* Agnus Dei; *et Communio :* Dominus Jesus, *absque osculo.*

Postea incipitur antiphona ad vesperum Calicem salutaris, *cum psalmis, qui suaviter cantentur.* ℣ Christus factus est. *Antiphona* Cœnantibus autem accepit. *Post* Magnificat, *finita antiphona sequitur oratio ad complendum :*

Refecti vitalibus alimentis, quæsumus, Domine Deus noster, ut quod tempore mortalitatis nostræ exsequimur, immortalitatis munere consequamur. Per.

Postquam diaconus dicit Benedicamus Domino. *In plurimis Ecclesiis,* Ite, missa est *dicitur, quia et* Gloria in excelsis *dicunt, quod nos non dicimus.*

FERIA SEXTA IN PARASCEVEN.

Dum cantatur nona induunt sacerdos et ministri casulis nigris, si habentur, faciuntque ibidem in vestiario confessionem, et tunc non accenduntur candelæ circa altare, et mittant parvulum linteum, mundissimum tamen, super altare. Postquam vero sacerdos cum ministris venerit coram altari, statim diaconus accedit ad legendum, pronuntians in lectione nomen prophetæ, sic : Lectio Oseæ prophetæ. *Qua finita dicunt tractum in choro, etc., ut in editis usque ad totam ultimam orationem :* Omnipotens sempiterne Deus.

Finitis orationibus prior facit sermonem ad populum de pace, et omnes discordantes Ecclesiæ suæ filios ad concordiam revocare summopere studeat, ut digni sacramento reconciliationis humanæ esse valeant. His transactis accedant ad crucem discooperiendam, sicut in ordine habetur. Qua discooperta et adorata, veniat sacerdos cum ministris ante altare. Diaconus sit indutus casula sua, sicut mos est ei ministranti; subdiaconus autem indutus sua. Factaque confessione ante altare, deferat diaconus corporalem ad altare et extendat. Et in sacrario in loco convenienti præparet diaconus calicem cum vino non consecrato, imposito super patenam diligenter et reverenter corpore Domini, id est integris oblatis, quæ servatæ sunt de corpore Domini pridie; et desuper corporale plicatum componat, quia dignum est, ut corpus Domini, in quo est tota salus nostra et redemptio, summa reverentia tractetur. Procedant vero ad eum duo ceroferarii in albis, et tertius cum thuribulo fumigante, et subdiaconus portans ampullam aquæ. Deferat autem diaconus calicem cum corpore Domini dicens apud se :

Hoc corpus, quod pro vobis tradetur, hic calix Novi Testamenti est in meo sanguine, dicit Dominus. Hoc facite, quotiescunque sumitis, in meam commemorationem.

Tenente autem diacono calicem, sacerdos misceat aquam; quibus oblatis inclinet sacerdos ante altare dicens : In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur, Domine, a te, etc. *Post hæc levans se incipit mediocri voce :* Oremus, præceptis salutaribus moniti; Pater noster. *Et finiat totum, respondente choro :* Sed libera nos a malo. *Postea dicat sub silentio :* Libera nos, quæsumus, Domine; *sicut mos est, et cum dixerit :* Per omnia sæcula sæculorum, Amen, Pax Domini *non dicatur, neque per oscula detur; sed sumat de sancta, et ponat in calicem, nihil dicens. Sanctificatur autem vinum non consecratum per corpus Domini immissum, et communicent omnes cum silentio fratres. Communicatis omnibus*

dicant vesperas plane; psalmos de feria. Postea : Magnificat, *deinde* Pater noster. Miserere mei, Deus. Christus factus est.

Sabbati vero die sancto, dum cantatur nona, induunt se ministri cultioribus vestibus, diaconus dalmatica, subdiaconus tunica ad thuribulum, duo ad candelabra in albis. Et finita nona diaconus benedicat cereum.

Exsultet jam angelica turba cœlorum, etc. *Ut in editis usque ad verba* Et antistite nostro. *Excepto quod in nos non adest accensio lampadarum. Post ergo prædicta verba* antistite nostro *hæc immediate sequuntur, videlicet :*

Et serenissimo imperatore nostro N. ejusque nobilissima prole vel cuncto exercitu ejus, et omnibus circumstantibus, quiete temporum concessa in his Paschalibus gaudiis conservare digneris. Hunc ergo cereum, Domine, quem tibi offert famulus tuus N. acceptum esse digneris, ut hæc per multos annos lætus et gaudens tibi Domino vota persolvat, et usque ad optatam perveniat senectutem. Unde bene†dico te, creatura ceræ, per De†um vivum, per De†um sanctum, per Deum, qui te ex omnibus agri floribus congregari præcepit, et in conspectu suæ claritatis ignem accendere jussit, ut ubicunque ex te positum fuerit, sit locus iste munitus, protectus atque defensus ab omni ira divina et ab omni infestatione inimici, per virtutem et nomen Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti in sæcula sempiterna. Amen.

Cereo benedicto, ascendit lector ad ambonem pronuntians : Lectio libri Genesis. In principio creavit. *Lectio prima. Legens plane et aperte ad intelligendum. Ad singulas lectiones singulæ orationes habentur, quarum primam domnus prior dicit, indutus cappa et stola; sequentes alii sacerdotes. Ad nullam harum orationum dicitur* Dominus vobiscum, *sed tantum* Oremus.

Oratio. Deus qui mirabiliter, etc., *ut in editis usque ad totam duodecimam lectionem, postquam hæc subjiciuntur, tractus :* Sicut cervus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad devotionem populi renascentis, qui sicut cervus aquarum expetit fontem, et concede propitius, ut fidei ipsius sitis baptismatis mysterio animam corpusque sanctificet. Per.

Ad ultimam lectionem sacerdos egrediens ex choro cum ministris optimis vestimentis induitur, si tamen baptismum non est celebraturus; tunc enim vilioribus utitur usque ad missam. His itaque peractis cantores duo cappis induti litaniam ternam faciant, quæ pro tempore protrahatur. Qua finita conventus in choro exspectans, sedeat. Ministri autem reversi in sacrario usque dum campanæ sanctæ fuerint; quibus cessantibus fit processio per claustrum, et cantatur antiphona : Cum descendisset Dominus ad inferna. *Usquequo redeant in chorum. Ubi finita antiphona sacerdos ante basim altaris consistens mediocri voce incipit* Jam Christus Dominus resurrexit, *choro respondente* Deo gratias. *Hoc fit tertio. His dictis, cantor incipit alta voce :* Alleluia, Alleluia, Alleluia. *Deinde.* Kyrie eleison. *Quo finito sacerdos devotissime incipiat :* Gloria in excelsis Deo. *Post orationem epistola, post epistolam* Alleluia. *Deinde tractus :* Laudate Dominum. *Quo finito, diaconus incipit Evangelium, ante quod non portetur lumen, sed tantum incensum. ..... Postea sacerdos dicit* Credo in unum Deum. *Deinde :* Dominus vobiscum, *et* Oremus. *Offertorium, nec* Agnus Dei, *nec communio cantatur; osculum tamen secundum usum nostræ Ecclesiæ datur. Data pace cum sacerdos et ministri communicaverint :* Alleluia *in choro imponitur cum psalmo :* Laudate Dominum, omnes gentes, *ad neophytos. Quo finito cum* Gloria. Alleluia *repetitur, et sine neumate finitur. Postea prior, si missam non celebraverit, incipiat antiphonam* Vespere autem Sabbati; *cum psalmo* Magnificat anima. *Et finita antiphona, et communicatis fratribus, tandem oratione de missa vesperæ finiuntur. Et ideo apud quosdam non incongrue a diacono* Benedicamus Domino *dicitur; sed apud nos quoties* Gloria in excelsis Deo *canitur, etiam* ite Missa est *a diacono dicitur.*

IN SABBATI SANCTI NOCTE AD MISSAM.

Oratio. Deus, qui hanc sacratissimam noctem, etc., *ut in editis quoad hanc orationem, secretam, præfationem, communicantes, hanc igitur, et communionem; quæ omnia tantum habentur in enuntiato missali mss.*

INCIPIT ORDO QUALITER EPISCOPUS VEL PRESBYTER AD MISSAM SE DEBEAT PRÆPARARE.

In primis cantent tres psalmos per se vel a circumstantibus clericis, id est psalmum : Quam Dilecta; *ps.* Benedixisti; *ps.* Inclina, *et preces...... Sequuntur capitulum :* Exsurge, Fiat, Deus convertens, Ostende nobis, Ab occultis, Non intres, Sacerdotes tui.

Deinde cum exuerit tunicam dicit : Exue me, Domine, veterem hominem cum actibus suis, et indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Ad amictum : Scinde, Domine, saccum meum et da lætitiam cordis mei. Amen.

Ad albam : Indue me, Domine, loricam justitiæ et galeam salutis. Amen.

Ad cingulum : Præcinge, Domine, lumbos mentis meæ et circumcide vitia cordis mei. Amen.

Ad stolam : Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam, et ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

Ad casulam : Indue me, Domine, sacerdotali justitia, ut induci merear in tabernacula sempiterna.

Dum intrat ad altare dicat : Introibo ad altare Dei, ad Deum : *psal.* Judica me, Deus.

Cum pervenerit ad altare humiliter inclinato vultu dicat confessionem hanc totam per ordinem : Kyrie. Christe. Pater noster, qui es. Adjutorium nostrum. Qui fecit cœlum et terram. Confitemini Domino,

quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Et ego miser infelix, confiteor Deo omnipotenti Patri, et Filio, et Spiritui sancto, et omnibus angelis et sanctis ejus, et tibi, frater, quia peccavi nimis mea culpa, mea culpa, mea culpa, in cogitatione, locutione, delectatione, consensu et opere : ideo deprecor omnes sanctos Dei et te, frater, orare et intercedere pro me peccatore Dominum nostrum Jesum Christum.

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimittat tibi omnia peccata tua; liberet te ab omni malo, salvet et confirmet te in omni opere bono, et perducat te Christus Filius Dei in vitam æternam. Amen.

Indulgentiam et remissionem omnium peccatorum nostrorum, et spatium veræ, fructuosæ pœnitentiæ tribuat nobis omnipotens Dominus.

℣. Deus tu convertens vivificabis nos.

℟. Et plebs lætabitur in te.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Non intres in judicio.

℟. Quia non justificabitur.

℣. Propitius esto.

℟. Nequando dicant.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Aufer a nobis, Domine, quæsumus, intervenientibus istis et omnibus sanctis tuis, cunctas iniquitates nostras, ut ad Sancta sanctorum puris mentibus mereamur introire. Per Dominum.

Quando osculatur altare dicit: Oramus te, Domine Deus noster omnipotens, ut per merita sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt, indulgere nobis digneris omnia peccata nostra.

Deinde cum Evangelium osculatur : Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet et conservet corda et corpora nostra in vitam æternam. Amen.

Ante Evangelium cum posuerit incensum in thuribulum dicit, vel antequam diaconus se inclinet : Odorem cœlestis inspirationis suæ accendat in nobis Dominus, et impleat corda nostra ad audienda et implenda sui Evangelii præcepta. Qui vivit.

Alia oratio. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Incensum istud, etc. Dirigatur, Domine, etc.

Cum autem diaconus petierit benedictionem : Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut competenter nunties Evangelium pacis.

Perlecto autem Evangelio dicat : Pax tibi.

Quando autem osculatur Evangelium dicit : Per istos sermones sancti Evangelii Filii sui Domini nostri Jesu Christi, indulgeat Dominus universa delicta nostra.

Antequam oblationem accipiat humillime dicat : Ante oculos tuos, Deus, reus conscientiæ testis assisto, rogare non audeo, quod impetrare non mereor; tu enim scis, Domine, quæ aguntur in nobis, erubescimus confiteri quod non timemus admittere; verbis tuis tantum obsequimur, corde mentimur, et quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus; sed parce, Domine, confitentibus, ignosce peccantibus, miserere te rogantibus, et quia omnis sensus in sacramentis tuis infirmus est, et apud te non habent verba sine crimine, præsta, Domine, ut ex nobis indignis et peccatoribus verba non suscipias, per temetipsum veniam largiaris, qui vivis et dominaris.

Dum abluit manus postquam perlectum est evangelium : Largire sensibus nostris, omnipotens Pater, ut sicut hic abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, et crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum.

Antequam ad sacramenta accedat, inclinet se ante altare dicens : Facturus ego peccator memoriam salutaris hostiæ totius mundi, cum illius dignitatem, et meam intueor fœditatem, conscientia torqueor peccatorum, verum quia tu multum misericors es, imploro, ut digneris mihi dare spiritum contribulatum, quod tibi gratum revelasti sacrificium, ut eo purificatus vitali hostiæ pias manus admoveam, quæ omnia peccata mea aboleat, et ea in perpetuum vitandi cautelam infundat, omnibusque, pro quibus tibi offertur salutis commercia largiatur. Per. Amen.

Quando quis offert oblationem presbytero, dicat : In spiritu humilitatis et in animo contrito tibi Domino Creatori meo hostiam offero pro remissione omnium peccatorum meorum, et cunctorum fidelium vivorum atque mortuorum.

Sacerdos oblationem accipiens dicat : Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus, et præsta ut in conspectum tuum tibi placens ascendat.

Alia. Suscipe, sancta Trinitas, quam tibi offero, pro animabus famulorum famularumque tuarum, ut requiem æternam illi dones inter sanctos et electos tuos, ut in illorum consortio, vita perfruamur æterna. Per.

Presbyter, vel diaconus calicem offert, dicat : Domine Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ de latere tuo sanguinem et aquam, unde Ecclesiam consecrares, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium altari tuo superpositum, et concede, clementissime, ut pro redemptione nostra et totius mundi in conspectum divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

Cum superposita oblata [f., *offert*] *dicat :* Acceptum tibi sit omnipotenti Deo sacrificium istud super altare tuum positum.

Tunc calix super altare ponitur : Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, deprecamur clementiam tuam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ sacrificium nostrum cum odore suavitatis ascendat.

Tunc devota manu benedicat oblationem et calicem dicens : Veni, sanctificator omnipotens æterne Deus, bene✝dic et sanctifica hoc sacrificium tibi præparatum.

Alia. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sit hoc sacrificium immaculatum, et a te Deo vivo et vero adunatum, et consecratum et benedictum.

Super oblata : Sanctificata, quæsumus, Domine, hanc obla†tionem, ut nobis Unigeniti tui corpus fiat.

Super calicem dicat : Sanctifica, quæsumus, Domine, hunc cali†cem, ut nobis Filii tui sanguis fiat.

Cum incensum posuerit in thuribulo dicat : Per intercessionem sancti Gabrielis archangeli, etc.; *ut in nostris editis. In mss. tamen deest conclusio.*

Hic incensum super sacrificium faciat vel in circuitu dicat : Incensum istud. *Require retro.*

Cum incensum offertur singulis dicit : Accendat in nobis Dominus ignem amoris, et flammam æternæ charitatis.

Postea vertat se ad circumstantes dicat : Orate, fratres, pro me, ut meum et vestrum impleatur officium.

Dicant respondentes : Orent pro te omnes sancti et electi Dei. Exaudiat te Dominus orantem pro nostra omniumque salute. Memor sit Dominus omnis sacrificii tui et holocaustum tuum pingue fiat.

Postea dicat hos psalmos : Ad te, Domine, levavi. *Psalmum,* Miserere mei, Deus; *psal.* Domine, refugium factus; *psal.* Qui habitat in adjutorio. Salvum fac servum tuum. Fiat, Domine, misericordia tua super nos. Exsurge, Domine.

Oratio. Gaudeant, Domine, quæsumus, famuli tui beneficiis impetratis, et quibus fiduciam sperandæ salutis tribuisti, optatæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per.

Per omnia sæcula sæculorum, etc., *ut in nostris editis, tum quoad omnes præfationes communem et particulares, cum quoad canonem usque ad nomina* Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani, *post quæ sequuntur hæc verba :* nec non et illorum, quorum hodie solemnitatis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus. *Quæ sequuntur in ms. missali communia sunt editis usque ad totam orationem :* Libera nos quæsumus, etc.

Oratio. Fiat commistio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus in vitam æternam. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi miserere nobis. *Tribus vicibus.*

Ad pacem osculando altare : Domine Jesu Christe, etc., *ut in editis usque ad totam tertiam orationem.*

Quando corpus Domini in manibus accipit, dicat : Panem cœlestem accipiam et nomen Domini invocabo. Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

Quando communicat : Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam.

Ad sonitum patenæ hanc fratres orationem dicant : Hujus sacramenti susceptio fiat nobis, Domine, omnium peccatorum nostrorum remissio, per Christum.

Cætera sunt eadem, quæ in editis usque ad totam orationem : Placeat tibi, sancta Trinitas, *in quam terminatur Missa enuntiati missalis ms. ubi non fit mentio, neque de* Ite Missa est, *etc., neque de benedictione, neque de Evangelio, ut apud nos. Similiter nusquam in canone fit mentio de genuflexionibus.*

MISSÆ IN NATALITIIS SANCTORUM.

IN NATALI SANCTI AMBROSII.

Oratio. — Sancti Ambrosii nos, Domine, jugiter prosequatur oratio, ut quod petitio nostra non impetrat, ipso pro nobis interveniente præstetur. Per.

Secreta. Hæc in nobis sacrificia, Deus, intercedente beatissimo confessore tuo Ambrosio et actione permaneant, et operatione firmentur. Per.

Communio. Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, et intercedente beato Ambrosio confessore tuo atque pontifice cœlestibus remediis faciat esse consortes. Per.

IN OCTAVA SANCTI ANDREÆ.

Oratio. Protegat nos, Domine, sæpius beati Andreæ apostoli tui repetita solemnitas, ut cujus patrocinia sine intermissione recolimus, perpetuam defensionem sentiamus. Per.

Secreta. Indulgentiam nobis præbeant hæc munera, quæsumus, Domine, largiorem, quæ tibi pro venerandis sancti Andreæ suffragiis offeruntur. Per.

Communio. Adjuvet familiam tuam, Domine, supplicando venerandus Andreas apostolus, et pius interventor efficiatur, qui tui nominis exstitit prædicator et rector. Per.

IN NATALI SANCTÆ LUCIÆ VIRGINIS.

Oratio et secreta eædem quæ in editis.

Communio. Læti, Domine, sumpsimus sacramenta cœlestia, intercedente pro nobis beata Lucia martyre, ad vitam nobis proficiant sempiternam. Per.

IN NATALI SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

Oratio et secreta ut in editis.

Communio. Beati apostoli tui Thomæ, Domine, quæsumus, intercessione nos adjuva, pro cujus solemnitate percepimus tua sancta lætantes. Per.

IN NATALI SANCTI ANASTASII MARTYRIS.

Oratio. Votivos nos, Domine, quæsumus beati Anastasii martyris tui natalis semper excipiat, qui et jucunditatem nobis suæ glorificationis infundat, et tibi nos reddat acceptos. Per.

Secreta. Præsentia munera, quæsumus, Domine, ita serena pietate intuere ut sancti Spiritus perfundantur benedictione, et in nostris cordibus eam dilectionem validam infundant, per quam sanctus martyr omnia corporis tormenta devicit. Per.

Communio. Sumpsimus, Domine, sancti Anastasii martyris tui solemnitate cœlestia sacramenta, cujus suffragiis, quæsumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

IN NATALI SANCTI PROJECTI.

Oratio. Beati martyris tui Projecti nos, quæsumus, Domine, interventio gloriosa commendet, ut quod nostris actibus non meremur, ejus precibus consequamur. Per.

Secreta. Suscipe, Domine, propitius orationem nostram cum oblationibus hostiarum superimpositis, et martyris Projecti deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptas, et illam, quæ in eo flagravit fortis dilectio, in nobis aspira benignus. Per.

Communio. Votiva, Domine, pro beati martyris tui Projecti passione dona percepimus, quæsumus, ut ejus precibus, et præsentis vitæ nobis pariter et æternæ tribuas conferre subsidium. Per.

IN NATALI SANCTÆ BRIGIDÆ VIRGINIS.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui prudentium lampadibus oleo bonæ conscientiæ ornatis lumen tuæ claritatis infundis, concede propitius, ut beatæ Brigidæ virginis tuæ, cujus natalitia colimus, a fatuarum consortio ejus intercessionibus liberemur. Per.

Secreta. Hostias, quæsumus, Domine, pacificas, quas tuæ majestati solemniter offerimus, sanctæ Brigidæ virginis tuæ meritis sanctifica, ut et vincula peccatorum nostrorum absolvant, et tuæ nobis famulis tuis misericordiæ dona multiplicent. Per.

Communio. Divinis, quæsumus, Domine, redempti mysteriis, ut beatæ Brigidæ virginis tuæ suffragiis sublevemur, et a præsentis vitæ adversitatibus liberemur, et æternæ beatudinis præmia consequamur. Per.

PURIFICATIO SANCTÆ MARIÆ.

Collecta ad sanctum Adrianum. In primis cantetur tertia; postea benedicantur candelæ, deinde dicit sacerdos.

Oremus. Exaudi, quæsumus Domine, plebem tuam, quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari, interius assequi gratiæ tuæ luce concede.

Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est.

Præfatio. Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Creator cœli et terræ, Rex regum, et Dominus dominantium, nos supplices tuos, ad te clamantes et exorantes, clementer exaudire digneris. Qui omnia ex nihilo creasti, et jussu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei venire fecisti, et qui hodierna die petitionem justi Simeonis implesti, te humiliter deprecamur, ut has candelas ad usum hominum et ad sanitatem corporum et animarum, sive in terra, sive in aquis accensæ fuerint per invocationem tui sanctissimi nominis et per intercessionem sanctæ Mariæ genitricis Filii tui, cujus hodie festa devote celebrantur, ac per preces omnium sanctorum tuorum bene✝dicere et sancti✝ficare digneris, ut hujus plebis tuæ, quæ illa honorifice in manibus portat, teque cantando laudat, exaudias voces de cœlo sancto tuo et de sede majestatis tuæ, propitiusque sis omnibus clamantibus ad te, quos redemisti pretioso sanguine Filii tui, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Oremus. Præceptis salutaribus moniti et divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster, qui es in cœlis, *usque* Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.

Hic mutat vocem quasi legens: Oremus: Benedic, Domine Jesu Christe, hanc creaturam cerei supplicationibus nostris, et infunde ei per virtutum sanctæ crucis bene✝dictionem cœlestem, ut qui eam ad repellenda tenebras humano generi tribuisti, talem signaculo crucis tuæ fortitudinem et bene✝dictionem accipiat, ut in quibuscunque locis accensa sive posita fuerit, discedat diabolus et contremiscat, et fugiat pallidus cum omnibus ministris suis de habitationibus illis, nec præsumat amplius inquietare vel illudere servientibus Deo. Proinde supplices, quæsumus te, Domine, ut emittas sanctum angelum tuum Raphaelem, qui evulsit et repulit a Sara et Tobia dæmonium mortiferum eos infestantem, et conterat illum et perdat de cunctis habitationibus colentium Deum, de basilicis, de domibus, de angulis, de lectibus, de refectoriis, de universis locis, in quibuscunque Deo famulantes habitant et requiescunt, dormiunt, vigilant, ambulant, et consistunt; nec valeat ille malignus amplius inquietare vel pavores mittere super illos, quos sancti chrismatis tui unctione fecisti esse munitos. Bene✝dico te, cera, in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii ejus unigeniti, et Spiritus sancti paracleti, ut sis ubique diaboli effugatio, atque omnium contubernalium suorum exterminatio, adjuvante eadem sancta et individua Trinitate, quæ in Unitatis essentia vivit et conregnat in sæcula sæculorum. Amen.

Finita benedictione sacerdos accipiat aquam benedictam, et aspergat super candelas, et sumat de cereis et accendat. Cum cœperint accendi, cantor inchoet hanc antiphonam. Lumen ad revelationem gentium. *Psalmus*: Nunc. *Repetita antiphona per omnes versus ejusdem psalmi.* Gloria Patri. Sicut erat; *usque dum accendantur omnes candelæ. Accensis vero dicant hanc orationem.*

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum ulnis sancti Simeonis in templo sancto tuo suscipiendum præsentasti, te supplices deprecamur, ut hos cereos tuos, quos nos fideles tui omni magnificentia suscipientes gestare cupimus luce accensos, bene✝dicere et sancti✝ficare, atque lumine supernæ benedictionis accendere digneris, quatenus eos tibi Domino Deo nostro offerentes, digni et sancto igne tuæ dulcissimæ charitatis succensi in templo sancto gloriæ tuæ repræsentari mereamur. Per eumdem.

Finita oratione pergant ad sanctam Mariam canendo antiphonam : Ave, Maria, gratia plena, Dei genitrix virgo. Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe.

Oratio. Perfice in nobis, Domine, quæsumus, gratiam tuam, qui justi Simeonis exspectationem implesti, ut, sicut ille mortem non vidit, priusquam Christum Dominum videre mereretur, ita et nos vitam obtineamus æternam. Per eumdem.

IN FESTO SANCTI BLASII.

Oratio. Deus qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Blasii martyris tui solemnitate fecisti, da populis tuis spiritualium munus gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per.

Secreta. Hostias, Domine, quas nomini tuo consecrandas offerimus, sancti Blasii martyris tui prosequatur oratio, per quam nos expiari tribuas quæsumus et defendi. Per.

Communio. Beati Blasii martyris tui, quæsumus, Domine, intercessione nos adjuva, pro cujus solemnitate percepimus tua sancta lætantes commercia. Per.

IN FESTO SANCTI BENEDICTI.

Oratio. Deus, qui beatum Benedictum confessorem tuum in terris vita laudabili decorasti, et in cœlis æterna gloria sublimasti, ejus quæsumus suffragantibus meritis vita nostra apud te commendetur. Per.

Secreta. Benedictio tua, Domine, beati Benedicti confessoris intercessione super has hostias descendat, quæ et benedictionem nobis clementer operetur, et beatæ immortalitatis dona conciliet. Per.

Communio. Beati Benedicti confessoris tui, Domine, precibus confidentes, quæsumus, clementiam tuam, ut per ea, quæ sumpsimus, æterna remedia capiamus. Per.

IN ANNUNTIATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Deus, qui hodierna die Verbum tuum beatæ Virginis alvo coadunari voluisti, fac nos ita peragere, ut tibi placere valeamus. Per eumdem.

Secreta ut in editis.

Communio. Adesto, Domine, populo tuo, ut quæ sumpsit fideliter, et mente sibi et corpore beatæ Mariæ semper virginis intercessione custodiat. Per.

IN FESTO SANCTÆ EUPHEMIÆ.

Oratio. Concede nobis, omnipotens Deus, sanctæ martyris tuæ Euphemiæ et exsultare meritis, et beneficia referre suffragiis. Per.

Secreta. Muneribus nostris, Domine, te magnificantes, quæsumus, ut in sanctæ nobis solemnitatibus Euphemiæ gaudia superna concilies et patrocinia sempiterna largiaris. Per.

Communio. Sanctæ martyris tuæ Euphemiæ nos, Domine, grata comitetur oratio, et tuam nobis indulgentiam poscere non desistat. Per.

IN FESTO SS. LAURENTINI ET PERGENTINI.

Oratio. Tuorum nos, Domine, precibus tuere sanctorum, ut festa martyrum tuorum Laurentini et Pergentini sine cessatione venerantes, et fidei muniamur auxilio et magnifico proficiamus exemplo. Per.

Secreta. Martyrum tuorum Laurentini et Pergentini, Domine, festa venerantes munera nomini tuo dicata offerimus, præsta, quæsumus, ut illis reverentiam deferentes nobis veniam impetremus. Per.

Communio. Protege, Domine, plebem tuam, et festivitatem martyrum tuorum Laurentini et Pergentini, quam nobis tradidisti, assidue debitam tibi solvi precibus concede sanctorum. Per.

IN FESTO SANCTI BONIFACII CUM SOCIIS SUIS.

Deus, qui beatum Bonifacium pontificem constantiæ in passione roborasti, quique illi ad prædicandum gentibus gloriam tuam Heobanem et Adhelarium sociare dignatus es, etc.

IN FESTO SANCTORUM ALBINI, PAULINI ET NICETÆ, CUM NONGENTIS OCTOGINTA NOVEM.

Oratio. Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et sanctorum martyrum tuorum Albini, Paulini et Nicetæ episcopi cum nongentis octoginta novem, qui passi sunt propter nomen tuum, eorum suffragantibus meritis, preces nostras dignanter exaudi, ut dimittantur nobis peccata nostra, et tecum vivere in æternum mereamur. Per.

Secreta. Suscipe, Domine, propitius, orationes nostras cum oblationibus hostiarum, et martyrum tuorum, quorum notabilia gloriosa celebramus, deprecationem pietatis tuæ perfice benigno affectu; et illam, quæ in eis flagravit fortis dilectio, in nobis respirare benignus concede. Per.

Communio. Sanctorum tuorum, Domine, quorum festa celebramus, intercessione opem misericordiæ nobis tribue, ut qui coronam martyrii tui non meremur, saltem a venia non repellamur. Per.

IN VIGILIA SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Oratio, ut in editis.

Secreta. Munera populi tui, quæsumus, Domine, propitiatus intende, et beati Joannis Baptistæ, cujus nos tribuis præire solemnia, fac gaudere suffragiis. Per.

Missa mane primo.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Joannis Baptistæ solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus muniamur. Per.

Secreta. Munera, quæsumus, Domine, etc., *ut in editis.*

Communio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente beato Joanne Baptista, per hæc contra adversa omnia muniamur. Per.

Alia ad Vesperas. Deus, qui nos annua beati Joannis Baptistæ solemnia frequentare concedis, præsta, quæsumus, ut et devotis eadem mentibus celebremus, et ejus patrocinio promerente plenæ capiamus securitatis augmentum. Per.

IN VIGILIA APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Oratio. Deus, qui nobis beatorum apostolorum

tuorum Petri et Pauli natalitia gloriosa prævire concedis, tribue, quæsumus, eorum nos semper et beneficiis præveniri et orationibus adjuvari. Per.

Secreta, ut in editis.

Communio. Deus, qui ecclesiam tuam apostoli tui Petri fide et nomine consecrasti, quique beatum illi Paulum ad prædicandum gentibus gloriam tuam sociare dignatus es, concede ut omnes, qui ad apostolorum tuorum solemnia convenerunt, spirituali remuneratione ditentur. Per.

IN FESTO APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam in apostolica soliditate fundatam ab infernarum eruis terrore portarum, præsta in tua veritate persistens, nulla recipiat consortia perfidorum. Per.

Secreta. Familiam tuam, Domine, propitius intuere, et apostolicis defende præsidiis, ut eorum precibus gubernetur, quibus nititur te constituente principibus. Per.

Communio. Exaudi nos, Deus salutaris noster, et apostolorum tuorum nos tuere præsidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Per.

Ad Vesperum.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui jugiter apostolica defensione munimur, nec succumbamus vitiis, nec opprimamur adversis. Per.

IN OCTAVA SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Ecclesia tua, quæ iterato nativitatem præcursoris Filii tui Domini nostri Jesu Christi Joannis Baptistæ in octavo veneratur, eo ipso pro ea apud misericordiam tuam præveniente, a peccatis omnibus te miserante liberari mereamur. Per.

Secreta. Sancti Joannis Baptistæ honorabilem nativitatem muneribus, o piissime Domine, geminatis in octavo Ecclesia tua die devotissime consequitur, præsta solita clementia tua ut ipso pro ea interveniente id munus salutare sibi penes te fieri mereatur. Per.

Communio. Munera tua, quæ in honorem nominis tui in solemnitate iterata Joannis Baptistæ præcursoris Filii tui Domini nostri Jesu Christi sumpta sunt, quæsumus, omnipotens Deus, præstent auxilium Ecclesiæ tuæ, ut expiata ab omni immissione insidiatoris te benedicat, tibi serviat, et, te protegente, ab omnibus malis semper sit libera. Per.

IN FESTO SANCTÆ MUSTIOLÆ.

Oratio. Crescat in nobis, Domine, semper sanctæ jucunditatis effectus, ut beatæ Mustiolæ martyris tuæ veneranda festivitas augeatur. Per.

Secreta. Sanctæ Mustiolæ martyris tuæ, Domine, festa celebrantes, preces offerimus, hostiam immolamus, præsta, quæsumus, ut cum præsidio temporali et vitam nobis præbeant, et incrementa perpetua. Per.

Communio. Deus virtutum cœlestium, quæsumus ut sacrificia, pro sanctæ Mustiolæ martyris tuæ passione delata, desideriorum nos temporalium doceant habere contemptum, et amare dona cœlestium gaudiorum. Per.

IN OCTAVA APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Oratio et secreta ut in editis.

Communio. Beatorum apostolorum tuorum, Domine, Petri et Pauli desiderata solemnia recensentes, præsta, quæsumus, ut eorum supplicationibus muniamur, quorum regimur principatu. Per.

IN FESTO SANCTORUM SEPTEM FRATRUM.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos martyres Januarium, Felicem, Philippum, Silvanum, Alexandrum, Vitalem atque Martialem, fortes in sua confessione cognovimus, etc., *ut in editis, etiam quoad secretam et postcommunionem.*

IN FESTO SANCTI PATERNIANI.

Oratio. Deus, qui per angelum tuum Raphaelem iter ostendisti beato Paterniano, et obitum demonstrasti, exaudi preces quas in ejus tibi solemnitate deferimus, etc., *ut in editis, in secunda missa confessoris pontificis.*

IN FESTO SANCTÆ MARGARITÆ.

Oratio. Deus, qui beatam Margaritam virginem hodierna die ad cœlos per martyrii palmam venire fecisti, concede propitius ut, ejus exempla sequentes, ad te pervenire mereamur. Per.

Secreta. Hæc victima, Domine, quæsumus, pro beatæ virginis Margaritæ martyrio oblata, et mentium nobis puritatem, et corporum obtineat sanctitatem. Per.

Communio. Hujus, Domine, sacramenti perceptione et beatæ Margaritæ virginis intercessione, et tu in nobis manere dignare, et nos in te vicissim manere concede. Per

IN FESTO SANCTORUM QUIRICI ET JULITTÆ.

Oratio. Deus, qui sanctorum tuorum Quirici et Julittæ cordibus flammam tuæ dilectionis accendis, da cordibus nostris eamdem fidei charitatisque virtutem, ut quorum gaudemus triumphis, provocemur exemplis. Per.

Secreta. Illa nos veritas, Domine, semper illuminet, quæ sanctorum tuorum cordibus flammam tuæ dilectionis accendit. Per

Communio. Deus, qui sanctis tuis martyribus Quirico et Julittæ vincendi solatium, et immensam vincentibus gloriam æternam concedis, et laceratas carnes eorum, tanquam odorem bonum suavitatis assumis, tribue, quæsumus, ut sicut eis coronam martyrii præstitisti, ita nobis peccatorum nostrorum veniam largiaris. Per.

IN FESTO SANCTORUM ERMAGORÆ ET FORTUNATI.

Oratio. Intervenientibus, Domine, sanctis martyribus tuis Ermagora et Fortunato, Ecclesiæ tuæ voces placatus admitte, ut, destructis adversitatibus universis, secura tibi serviat libertate. Per.

Secreta. Munera humilitatis nostræ, Domine, pro sanctorum martyrum tuorum Ermagoræ et Fortunati gloriosa passione et solemnitate offerentes, quæsumus, propitius respicere dignare, et ipsorum intercessione tam ad profectum vitæ quam animæ salutaris

nobis consueta miseratione pervenire concede. Per.

Communio. Sumentes, Domine, cœlestia dona mysterii, quæsumus ut sanctorum martyrum tuorum Ermagoræ et Fortunati adjuvemur meritis, quorum solemnitatem debita veneratione celebramus. Per.

IN FESTO SANCTÆ PRAXEDIS VIRGINIS ET MARTYRIS.

Oratio. Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam castitatis et martyrii contulisti, da, quæsumus, ut beatæ et sanctæ martyris tuæ Praxedis adjuvemur meritis, cujus beatitudinis irradiamur exemplis. Per.

Secreta. Accipe, Domine, munera quæ in beatæ martyris tuæ Praxedis solemnitate deferimus, quia ad tua præconia recurrit et laudem, quod talis est orta mortalis assumpta. Per.

Communio. Hæc in nobis, Domine, gratia tua, quæsumus, semper exerceat, ut et divinis instauret nostra corda mysteriis, et sanctæ martyris tuæ Praxedis commemoratione lætificet. Per.

IN FESTO SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

Oratio et secreta ut in editis.

Communio. Vivifica, Domine, animam et spiritum nostrum peccati vulnere sauciatum, intercedente beata Maria Magdalena, qui ejus precibus tua invicta virtute quatriduanum Lazarum resuscitasti de monumento. Qui vivis.

IN FESTO SANCTI APOLLINARIS.

Oratio ut in editis.

Secreta. Respice, Domine, super has hostias nostras quas nomini tuo sacrandas offerimus, et beati Apollinaris martyris tui atque pontificis prosequatur oratio, per quam nos expiari facias et defendi. Per.

Communio. Præsta nobis, quæsumus, Domine, ut tua sancta quæ sumpsimus, præsidia mentis et corporis....., et, intervenientibus beati Apollinaris meritis, ab omnibus absolve peccatis. Per.

IN FESTO SANCTÆ CHRISTINÆ.

Oratio. Crescat in nobis, Domine, semper sanctæ jucunditatis effectus, ut beatæ Christinæ martyris tuæ veneranda festivitas augeatur. Per.

Secreta. Sanctæ Christinæ martyris tuæ, Domine, preces offerimus, hostiam immolamus, præsta, quæsumus, ut cum præsidio temporali, et vitam nobis præbeant, et incrementa perpetua. Per.

Communio. Deus virtutum cœlestium, quæsumus ut sacrificia pro sanctæ Christinæ martyris tuæ passione delata, desideriorum nos temporalium doceant habere contemptum, et dona habere faciant cœlestium gaudiorum. Per.

IN VIGILIA SANCTI JACOBI APOSTOLI.

Oratio. Concede nobis, omnipotens Deus, venturam beati apostoli tui Jacobi solemnitatem congruo prævenire honore, et venientem digna celebrare devotione. Per.

Secreta. Accepta tibi sit, Domine, nostræ devotionis oblatio, et ad sancti Jacobi apostoli tui venturam puriores faciat nos venire festivitatem. Per.

Communio. Præsta nobis, æterne Salvator, beati Jacobi apostoli tui nos ubique pia protegi oratione, cujus natalitia per hæc sancta quæ sumpsimus, votivo prævenimus obsequio. Per.

IN FESTO SANCTI CHRISTOPHORI.

Oratio, ut in editis.

Secreta. Hujus tibi precibus, Domine, quæsumus, grata hæc reddatur oblatio, pro cujus est festivitate immolanda. Per.

Communio. Repleti sumus, Domine, munere solemnitatis optatæ, qua beati Christophori martyris tui et celebritate vivamus et precibus. Per.

IN FESTO NAZARII ET CELSI.

Oratio, ut in editis.

Secreta. Sanctorum martyrum tuorum, Domine, Nazarii et Celsi intercessione placatus, præsta, quæsumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua salvatione capiamus. Per.

Communio. Exaudi, Domine, preces nostras, et populus tuus, qui sub tantis sanctorum martyrum tuorum Nazarii et Celsi patrociniis est constitutus, et a suis offensionibus liberetur, et ab omnibus tueatur adversis. Per.

IN NATALI SANCTARUM VIRGINUM FLORÆ ET LUCILLÆ.

Oratio. Da nobis, Domine Deus noster, in sanctarum martyrum tuarum Floræ et Lucillæ incessabili veneratione lætari, ut quod digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per.

Secreta. Offerimus, Domine, preces et munera in honorem sanctarum virginum tuarum Floræ et Lucillæ gaudentes, præsta, quæsumus, ut et convenienter hæc agere mereamur, et remedium sempiternum valeamus acquirere. Per.

Communio. Sacramentis, Domine, muniamur acceptis, et sanctorum tuarum virginum Floræ et Lucillæ intercessione contra omnes nequitias irruentes armis cœlestibus protegamur. Per.

IN INVENTIONE SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Oratio. Deus, qui es sanctorum tuorum splendor mirabilis, qui hodierna die corpora sanctorum tuorum Stephani, Nicodemi, Gamalielis atque Abibon inventione gloriosa revelasti, da nobis in æterna lætitia de eorum societate gaudere. Per.

Secreta ut in editis plurimorum martyrum tempore Paschali.

Communio. Sumpsimus, Domine, sanctorum tuorum Stephani, Nicodemi, Gamalielis atque Abibon solemnia celebrantes sacramenta cœlestia; præsta, quæsumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

BENEDICTIO UVÆ.

Bene✝dic, Domine, et hos fructus novos uvæ, quos tu Domine rore cœli et inundantia pluviarum et temporum serenitate atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es, et dedisti eam ad usus nostros, cum gratiarum actione percipere in nomine Domini Jesu Christi, per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas. Per.

IN FESTO SANCTI DONATI EPISCOPI ET MARTYRIS

Oratio. Deus, qui in beati Donati martyris tui

atque pontificis manibus poculi fragmenta restaurare dignatus es, supplicantium preces benignus exaudi, ut quod fiducia non habet meritorum, ejus nobis intercessione donetur. Per.

Secreta Deus, qui in beati Donati episcopi et martyris tui manibus poculi fragmenta restaurare dignatus es, munera plebis tuæ propitiatus intende, ut ejus nobis fiat supplicatio salutaris pro cujus solemnitate hodiernam diem celebramus. Per.

Communio. Omnipotens et misericors Deus, etc.; *ut in editis.*

IN VIGILIA ASSUMPTIONIS SANCTÆ MARIÆ.

Oratio, ut in editis.

Secreta. Magna, quæsumus, Domine, apud clementiam tuam pro nobis interveniat Dei Genitricis oratio, quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris fiducialiter intercedat. Per eumdem.

Communio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ad beatæ Mariæ semper virginis gaudia æterna pertingere, de cujus nos veneranda assumptione tribuis annua solemnitate gaudere. Per eumdem.

IN ASSUMPTIONE SANCTÆ MARIÆ.

Oratio. Veneranda nobis, Domine, hujus diei festivitas opem conferat salutem, in qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui tecum.

Secreta. Subveniat, Domine, quæsumus, etc., *ut in editis, etiam quoad postcommunionem.*

IN OCTAVA SANCTI LAURENTII.

Oratio. Beati Laurentii nos faciat, Domine, passio veneranda lætantes, et ut eum sufficienter recolamus, dignus efficiat. Per.

Secreta. Beati Laurentii martyris nos, Domine, precibus protege, cujus honorabilem passionem muneribus geminatis exsequamur, quæ licet propriis sit memoranda principiis, indesinenter tamen permanet gloriosa. Per.

Communio. Solemne nobis intercessio beati Laurentii martyris, quæsumus, Domine, præstet auxilium ut cœlestis mensæ participatio, quam sumpsimus, tribuat Ecclesiæ tuæ recensitam lætitiam. Per.

IN FESTO SANCTI MAGNI.

Oratio. Adesto Domine, supplicationibus nostris, et intercedente beato martyre tuo Magno, ab hostium nos defende propitiatus incursu. Per.

Secreta. Præsta nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut nostræ humilitatis oblatio, et pro tuorum tibi grata sit honore sanctorum, et nos corpore pariter et mente purificet. Per.

Communio. Tua sancta sumentes, quæsumus, Domine, ut beati Magni nos faveant beata præsidia. Per.

IN DEDICATIONE BASILICÆ SANCTI FLORIDI.

Oratio et secreta, ut in editis in dedicatione ecclesiæ.

A *Communio*. Deus, qui Ecclesiam tuam sponsam vocare dignatus es, ut quæ haberet gratiam, per Dei devotionem haberet etiam ex nomine pietatem; da, ut omnis hæc plebs nomini tuo serviens, hujus vocabuli consortio digna esse mereatur, et ecclesia tua in templo, cujus anniversarius dies celebratur, tibi collecta, te timeat, te diligat, te sequatur, ut dum jugiter per vestigia tua graditur, ad cœlestia promissa, te ducente, pervenire mereatur. Per.

IN FESTO SANCTI SYMPHORIANI

Oratio. Beati martyris tui Symphoriani, Domine, nos tuere præsidiis, ut cujus solemnitatem annua devotione recolimus, ejus intercessionibus ab omnibus adversitatibus eruamur. Per.

B *Secreta*. Suscipe, Domine quæsumus, propitius orationem nostram cum oblationibus hostiarum super impositis, et martyris tui Symphoriani deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptus, et illum, qui in eum flagravit, fervorem, in nobis aspira benignus, ut in tua dilectione permanentes, et in tua fide inveniamur stabiles, et in moribus concordes et in opere efficaces. Per.

Communio. Sacro munere satiati, quæsumus, omnipotens Deus, ut interveniente beato Symphoriano martyre tuo omnes nos sanctorum tuorum jubeas nos asciscì collegio. Per.

IN FESTO SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Oratio et secreta ut in editis.

Communio. Protege, Domine, populum tuum, et C apostoli tui Bartholomæi patrocinio confidentem perpetua defensione conserva. Per.

IN FESTO SANCTI RUFI MARTYRIS.

Oratio. Adesto supplicationibus nostris, ut beati Rufi intercessionibus confidentes, nec minis terreamur adversantium nec ullo conturbemur incursu. Per.

Secreta. Oblatis, quæsumus, Domine, placare muneribus, et intercedente beato Rufo martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per.

Communio. Cœlestibus refecti sacramentis et gaudiis, supplices te rogamus, Domine, ut quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis. Per.

IN FESTO SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Oratio ut in editis.

D *Secreta*. Munera tibi, Domine, pro sancti martyris tui Joannis Baptistæ passione deferimus, quia dum finitur in terris, factus est cœlesti sede perpetuus, et quæsumus ut ejus obtentu nobis proficiat ad salutem. Per.

Communio. Conferat nobis, Domine, sancti Joannis Baptistæ utraque solemnitas, ut et magnifica sacramenta, quæ sumpsimus, sanctificata veneremur, et in nobis potius edita gaudeamus. Per.

IN FESTO SANCTÆ FELICITATIS.

Oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatæ Felicitatis martyris tuæ solemnia recensentes meritis ipsius protegamur et precibus. Per.

Secreta. Vota populi tui, Domine, propitiatus in-

tende, et quorum nos tribuis solemnia celebrare, fac gaudere suffragiis. Per.

Communio. Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut intervenientibus sanctis tuis, et tua in nobis dona multiplices, et tempora nostra disponas. Per.

IN NATALI SANCTI BARTHOLOMÆI.

Oratio. Exaudi, Domine, populum tuum cum sancti Bartholomæi apostoli tui patrocinio supplicantem, ut tuo semper auxilio secura tibi possit devotione servire. Per.

Secreta. Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus, beati apostoli tui Bartholomæi precatio sancta conciliet, ut, cujus honore solemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per.

Communio. Sumpsimus, Domine, divina mysteria beati Bartholomæi apostoli commemoratione lætantes, quæ sicut tuis sanctis ad gloriam, ita nobis, quæsumus, ad veniam prodesse perficias. Per.

IN FESTO SANCTORUM CONFESSORUM FLORIDI ET AMANTII.

Oratio. Propitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per horum sanctorum confessorum tuorum Floridi et Amantii, qui in præsenti venerantur Ecclesia, merita gloriosa, ut per eorum piam intercessionem ab omnibus semper protegamur adversis. Per.

Secreta. Suscipiat clementia tua, Domine, quæsumus, de manibus nostris munus oblatum, et per horum sanctorum confessorum tuorum Floridi et Amantii orationes ab omnibus nos emundet peccatis. Per.

Communio. Divina libantes mysteria, quæ pro horum sanctorum confessorum tuorum Floridi et Amantii veneratione tuæ obtulimus majestati, præsta, quæsumus, Domine, ut per ea veniam mereamur peccatorum, et cœlestis gratiæ donis reficiamur. Per.

IN HONOREM OMNIUM SANCTORUM.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercessio nos sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, et omnium cœlestium virtutum, sanctorumque omnium apostolorum, martyrum, confessorumque, atque virginum, et omnium electorum ubique lætificet, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per.

Secreta. Oblatis, Domine, placare muneribus, et intercedente beata Maria cum omnibus sanctis tuis a cunctis nos defende periculis. Per.

Communio. Sumpsimus, Domine, beatæ Mariæ semper virginis, et omnium sanctorum tuorum commemorationem recolentes sacramenta cœlestia, præsta, quæsumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

IN HONOREM OMNIUM SANCTORUM QUORUM RELIQUIÆ IN ECCLESIA SUNT.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sancta Dei genitrix Maria, sanctique tui apostoli, martyres, confessores, virgines, atque omnes sancti, quorum in ista continentur ecclesia patrocinia, nos ubique adjuvent, quatenus hic in illorum præsenti suffragio, tranquilla pace in tua laude lætemur. Per.

Secreta. Munera tuæ, misericors Deus, majestati oblata benigno, quæsumus, suscipe intuitu, ut eorum nobis precibus fiant salutaria, quorum sacratissimæ in hac basilica reliquiæ reconduntur. Per.

Communio. Divina libantes mysteria, quæsumus, Domine, ut beatæ Mariæ semper virginis, et eorum nos ubique intercessio protegat, quorum hic sacra gaudemus præsentia. Per.

IN FESTO SANCTORUM OMNIUM.

Oratio. Deus, qui nos beatæ Mariæ semper virginis et beatorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, atque omnium simul sanctorum continua lætificas commemoratione, præsta, quæsumus, ut quos quotidiano veneramur officio, etiam pia conversatione sequamur exemplo. Per.

Secreta ut in editis.

Communio. Præsta nobis, Domine, quæsumus, intercedentibus beatæ Mariæ semper virginis et omnium sanctorum tuorum meritis, ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per.

PRO SALUTE VIVORUM ET MORTUORUM.

Oratio. Pietate tua, quæsumus, Domine, omnium nostrorum solve vincula delictorum, et intercedente beata Maria semper virgine cum omnibus sanctis pontificem nostrum et omnem congregationem illi commissam, et nos famulos tuos ac famulas, atque locum istum omni sanctitate custodi, omnesque affinitate et familiaritate nobis junctos, et omnes Christianos a vitiis purga, virtutibus illustra, pacem et salutem nobis tribue, hostes visibiles et invisibiles remove, inimicis nostris charitatem largire, et omnibus fidelibus vivis et defunctis in terra viventium vitam et requiem æternam concede. Per.

Secreta. Deus, qui per singularis corporis tui hostiam totius mundi solvisti delicta, hac oblatione placatus, maculas peccatorum nostrorum absterge, et omnium Christianorum fidelium vivorum atque mortuorum peccata dimitte, eisque præmia æterna concede. Per.

Communio. Sumpta, quæsumus, Domine, sacramenta omnia vita famuli tui pontificis nostri et nostra detergant, omnemque pravitatem et infirmitatem, seu etiam hostium rabiem atque subitam mortem meritis beatæ Mariæ virginis et omnium sanctorum a nobis procul repellant, et omnibus fidelibus vivis et defunctis prosint ad veniam pro quorum tibi sunt oblata salute. Per.

MISSA AD POSTULANDAM GRATIAM SPIRITUS SANCTI.

Deus, cui omne cor patet, etc., *ut in editis quoad tres orationes.*

Lectio libri sapientiæ. Spiritus disciplinæ effugiet fictum, etc., *usque* habet vocis.

MISSA PRO EPISCOPO VIVO.

Oratio eadem, quæ in editis pro papa.

Secreta. In famulo tuo pontifice nostro, quæsu-

tuus, Domine, bonos mores placatus institue; tu in eo, quod tibi placitum sit, dignanter infunde, ut et dignus sit, et tua valeat beneficia promereri. Per.

Communio. Hæc, quæsumus, Domine, etc., *ut in editis.*

ALIA MISSA PRO SEMETIPSO SACERDOTE.

Oratio. Suppliciter te, piissime Deus, Pater omnipotens, qui es creator omnium rerum, deprecor, ut, dum me famulum tuum coram omnipotentia majestatis tuæ graviter deliquisse confiteor, per intercessionem beatæ Mariæ semper virginis et omnium sanctorum tuorum manum misericordiæ tuæ mihi porrigas, quatenus dum hanc oblationem tuæ pietatis offero, quod nequiter admisi, clementissime digneris me absolvere. Per.

Secreta. Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, indulge, quæso, et miserere mei servi tui, et sacrificium quod pietatis tuæ gratiæ humiliter offero, benigne digneris suscipere, et peccata, quæ labentibus vitiis contraxi, beatæ Mariæ semper virginis, et omnium sanctorum tuorum pius ac propitius et misericors indulgeas, et locum pœnitentiæ ac lacrymarum flumina concede, ut veniam merear accipere delictorum. Per.

Communio. Deus, qui vivorum es Salvator omnium, qui non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium, te suppliciter deprecor, ut concedas mihi veniam peccatorum meorum, ut admissa defleam, et postmodum flenda, non admittam: ut cum mihi extrema dies finisque vitæ advenerit, emundatum delictis omnibus me angelus sanctitatis suscipiat. Per.

MISSA PRO AMICO VIVENTE.

Oratio. Deus qui justificas impium, et non vis mortem peccatorum, majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulum tuum, N. de tua misericordia confidentem, cœlesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur et nullis tentationibus a te separetur. Per.

Secreta. Hujus, Domine, quæsumus, virtute mysterii et a propriis nos munda delictis, et famulum tuum N. ab omnibus absolve peccatis. Per.

Communio. Purificent nos, Domine, quæsumus, sacramenta quæ sumpsimus, et famulum tuum N. ab omni culpa liberum esse concede, et qui conscientiæ reatu constringitur, cœlestis remedii plenitudine glorietur. Per.

PRO AMICIS VIVENTIBUS.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulis tuis, et dirige eos secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, et tota virtute perficiant. Per.

Secreta. Proficiat, quæsumus, Domine, hæc oblatio, quam tuæ supplices offerimus majestati, ad salutem famulorum tuorum, ut providentia tua eorum vita inter adversa et prospera ubique dirigatur. Per

A *Communio.* Sumentes, Domine, perpetuæ sacramenta salutis tuam deprecamur clementiam, ut per ea famulum tuum N. ab omni adversitate protegas. Per.

ALIA PRO AMICIS.

Oratio. Deus, qui charitatis dona per gratiam sancti Spiritus tuorum cordibus infudisti, da famulis tuis N. pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis, ut te tota virtute diligant, et quæ tibi placita sunt tota devotione perficiant. Per.

Secreta. Miserere, quæsumus, Domine, famulis tuis, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ offerimus majestati, ut per hæc sacramenta supernæ benedictionis gratiam obtineant, et gloriam æternæ
B beatitudinis acquirant. Per.

Communio. Divina libantes mysteria, quæsumus, Domine, ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem et pacem, pro quorum dilectione, hæc tuæ obtulimus majestati. Per.

Alia. Deus, qui supplicum tuorum vota per charitatis officia suscipere dignaris, da famulis tuis in tua proficere dilectione, ut et tibi secura mente deserviant, et in tua pace semper assistere mereantur. Per.

MISSA PRO PECCATIS.

Oratio. Exsultatio divina, pietas paterna, majestas immensa, te supplex tremensque deprecor pro famula tua N. ut des ei mentem puram, charitatem-
C que perfectam, in actibus sinceritatem, in corde puritatem, in opere virtutem, in moribus disciplinam, ut quod nos, licet indigni, ante conspectum majestatis tuæ fideliter devoteque pro ipsa clementiæ tuæ offerimus, pietatis tuæ gratia obtinendo cognoscat. Per.

Secreta. Indulge, Domine, supplicanti mihi famulo tuo, da indulgentiam poscendi, ut secure tibi Domino Deo nostro victimam pro famula tua N offerre valeam, ut pro delictis suis veniam obtineat, et per te pariter sancta munera consecuta ad salutem æternæ gratiæ cum tuo adjutorio possit pervenire. Per.

Communio. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, et custodi gratiam, quam nobis con-
D ferre dignatus es, tuorum intercessione sanctorum, et donum tuæ misericordiæ famulæ tuæ conferre dignare. Per.

MISSA ALIA PRO PECCATIS.

Oratio. Deus misericordiæ, Deus indulgentiæ, indulge quæso, et miserere famulo tuo N. ut delictorum, quæ tibi ex ore aperuit, nulla in eo macula reservetur interius, sed per pœnitentiæ luctum ad tua mereatur pervenire promissa. Per.

Lectio Ezechielis prophetæ. Convertimini ad me, etc., *usque* dicit Dominus.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. In illo tempore: Discumbente Jesu, etc., *usque* peccatores in pœnitentiam.

Secreta. Respice, quæsumus, Domine, ad preces

famuli tui in qui tibi mente et corde se peccasse graviter confitetur; et præsta, ut per oblationem tui corporis et sanguinis, quam tibi pro ipso offerimus veniam impetrare valeamus. Per.

Communio. Refecti, quæsumus, Domine, datis tuis, te supplices exoramus, ut converso fratre nostro ad viam justitiæ, fontem lacrymarum in eum concutias, et ne ultra lugenda committat, eum paterna pietate custodi. Per.

PRO CONFITENTIBUS PECCATA SUA.

Oratio. Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, etc., *ut in litaniis editis.*

Secreta. Hostias tibi, Domine, placationis offerimus, ut delicta nostra miseratus absolvas et pacem nobis concedas. Per.

Communio. Præsta nobis, æterne Salvator, ut percipientes hoc munere veniam peccatorum de tuis semper beneficiis gloriemur

MISSA PRO PECCATIS.

ratio. Deus, qui peccantium non vis animas perire, sed culpas, contine pœnam quam meremur, et quam precamur super nos effunde clementiam tuam, ut de mœrore gaudium tuæ misericordiæ consequi mereamur. Per.

Secreta. Subveniat nobis, Domine, quæsumus, sacrificii præsentis oblatio, quæ nos et ab universis erroribus potenter absolvat, et a totius eripiat perditionis incursu. Per.

Communio. Exaudi, Domine, gemitum populi tui ne plus apud te valeat offensio delinquentium, quam misericordia tua indulta fletibus supplicantium. Per.

PRO REMISSIONE PECCATORUM.

Oratio et secreta, ut in editis.

Communio. Quos munere cœlesti reficis, Domine, divino tuere præsidio, ut tuis mysteriis perfruentes nullis subdamur adversis, et a cunctis iniquitatibus nostris exue nos omnipotens Deus, et in tua fac pace gaudere. Per.

MISSA PRO MALIS COGITATIONIBUS.

Oratio et secreta, ut in editis.

Communio. Per hoc sacrificium, quæsumus, Domine, quod tuæ obtulimus majestati, ab omnibus cor famuli tui emunda tentationibus. Per.

MISSA PRO PETITIONE LACRYMARUM.

Oratio et Postcommunio, ut in editis.

Secreta. Hæc sacrificia, quæsumus, Domine, quæ tuæ pietati obtulimus, nobis proficiant ad nostrorum veniam peccatorum, et miserationis tuæ semper tribuant solatium. Per.

MISSA PRO TRIBULATIONE

Oratio. Ineffabilem misericordiam tuam, quæsumus, Domine, nobis clementer ostende, ut simul nos a peccatis exuas et a pœnis quas pro his meremur eripias. Per.

Secreta. Purificet nos, Domine, quæsumus, muneris præsentis oblatio, et dignos sacra participatione perficiat. Per.

Communio. Præsta, Domine, quæsumus, ut a terrenis affectibus expiati ad superni plenitudinem sacramenti, cujus libavimus sancta tendamus. Per.

ALIA MISSA

Oratio. Deus, qui contritorum non despicis gemitum, et mœrentium non spernis affectum, adesto precibus nostris, quas pietati tuæ pro tribulatione nostra offerimus, implorantes ut nos clementer suscipias, et solo bonitatis tuæ intuitu tribuas, ut quidquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, et consilio misericordiæ tuæ allidas, quatenus nullis adversitatibus læsi, sed ab omni tribulatione et angustia liberati, gratias tibi in Ecclesia tua referamus. Per.

Secreta. Deus, qui tribulatos corde sanas, ad hanc propitius hostiam dignanter attende, et qua totius mundi voluisti laxari delicta, pro tribulatione nostra clementer assume, nostraque cuncta discrimina solve, tribulationem attende, miserias pelle, angustias et pressuras amove, ut exuti ab omnibus, quæ patimur, malis, in tuis semper delectemur exsultare beneficiis. Per.

Communio. Dimitte, quæsumus, Domine, peccata nostra, et tribue nobis misericordiam tuam, orisque nostri alloquio deprecatus nostram humilitatem attende, vincula solve, delicta dele, tribulationem inspice, adversitatem repelle, effectumque petitionis nostræ jugiter clementer exaudi. Per.

MISSA IN TEMPORE BELLI.

Oratio. Omnipotens et misericors Deus a bellorum nos, quæsumus, turbine fac quietos, quia bona nobis præstabis, si pacem dederis et mentis et corporis. Per.

Secreta. Sacrificium, etc., *ut in editis.*

Communio. Sacrosancti corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi refectione confortati, supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut hoc remedio singulari ab omnium peccatorum nos cogitatione purifices, et a periculorum munias incursione cunctorum. Per eumdem.

MISSA PRO PERSEQUENTIBUS

Oratio. Hostium nostrorum, quæsumus, Domine Deus, elide superbiam, et per intercessionem beatæ Mariæ Virginis, et omnium sanctorum dexteræ tuæ virtute prosterne. Per.

Secreta. Hujus, Domine, quæsumus, virtute mysterii per intercessionem beatæ Mariæ Virginis et omnium sanctorum a nostris mundemur occultis, et ab inimicorum liberamur insidiis. Per.

Communio. Vivificet, quæsumus, Domine, propitiatio tui sancta mysterii, et per merita beatæ Mariæ Virginis, et sanctorum omnium pariter nobis expiationem tribuat et munimen. Per.

MISSA IN TEMPORE MORTALITATIS.

Oratio et secreta ut in editis.

Communio. Sacramenta nos, quæsumus, Domine, tua sancta sumentes, et ab omni propitius iniquitate et periculo defende. Per.

MISSA PRO ITER AGENTIBUS.

Oratio et secreta ut in editis.

Communio. Deus infinitæ misericordiæ et majestatis immensæ, quem nec spatia locorum, nec intervalla temporum, ab his, quos tueris, abjungunt, adesto famulis tuis in te ubique fidentibus, et per omnem, quam ituri sunt viam, dux eis et comes esse dignare; nihil eis adversitatis noceat, nil difficultatis obsistat, cuncta eis salubria, cuncta sint prospera, ut sub ope dexteræ tuæ quidquid justo expetierint desiderio celeri consequantur effectu. Per.

MISSA IN DIE DEPOSITIONIS DEFUNCTI, III, vel VII, vel XXX.

Oratio ut in editis die tertio.

Secreta. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli tui N. in die depositionis ejus tertio (*vel* septimo *vel* tricesimo), placidus ac benignus assume. Per

Communio. Omnipotens sempiterne Deus, collocare dignare animas famulorum famularumque tuarum, illorum quorum diem celebramus depositionis, in sinibus Abraham, Isaac et Jacob, ut cum dies agnitionis tuæ advenerit, inter sanctos tuos et electos resuscitari præcipias. Per.

MISSA PRO UNO SACERDOTE DEFUNCTO.

Oratio. Beati Floridi confessoris tui, quæsumus, Domine, intercessione nos protege, et animam famuli tui sacerdotis sanctorum tuorum junge consortiis. Per.

Secreta. Suscipe, quæsumus, Domine, hostias placationis et laudis quas tibi in honorem beati Floridi confessoris tui consecrandas deferimus, et pro requie famuli tui sacerdotis N. tibi suppliciter immolamus. Per.

Communio. Ascendant ad te, Domine, preces nostræ, et animam famuli tui sacerdotis N. gaudia æterna suscipiant, et quem fecisti adoptionis participem, jubeas hæreditatis tuæ esse consortem. Per.

MISSA PRO DIACONIBUS DEFUNCTIS.

Oratio. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et animæ famulorum tuorum diaconorum, et omnium clericorum tuæ propitiationis abundantiam et indulgentiam consequantur, et lucis perpetuæ tribuas eis mansionem. Per.

Secreta. Exaudi nos, sancte Pater omnipotens, æterne Deus, ut his sacris muneribus placatus animas omnium famulorum tuorum diaconorum redemptio sempiterna possideat. Per.

Communio. Omnipotens æterne Deus, suscipe propitius preces nostras pro animabus famulorum tuorum diaconorum, ut in lucis regione eas in sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per

MISSA PRO SUBDIACONIBUS.

Oratio. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, etc., *ut in editis.*

Secreta. Offerimus tibi, Domine, hostias placationis et laudis, ut perpetuæ misericordiæ largitate animas famulorum tuorum subdiaconorum in lucis æternæ perficias regione gaudere. Per.

Communio. His sacrificiis, quæsumus, omnipotens Deus, purgentur animæ et spiritus famulorum tuorum subdiaconorum, ut ad indulgentiam et refrigerium sempiternum pervenire mereantur. Per.

MISSA PRO UNO DEFUNCTO.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animæ famuli tui, ut qui de hac vita in tui nominis confessione discessit, sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per.

Secreta. Propitiare, quæsumus, Domine, animæ famuli tui N., pro quo tibi hostias placationis offerimus, et, quia in hac luce in fide mansit catholica, in futura vita ei retributio cœlestis gaudii condonetur. Per.

Communio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut anima famuli tui N. ab angelis lucis suscepta in præparata habitacula deduci facias beatorum. Per.

MISSA PRO PLURIBUS DEFUNCTIS.

Oratio. Deus, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe propitius pro animabus famulorum tuorum preces nostras, et lucis eis lætitiam atque in regione sanctorum tuorum societatem concede. Per.

Secreta. Pro requie, Domine, animarum famulorum tuorum N. suscipe hostiam, quam tu Deo Patri pro nobis obtulisti benignam, ut qui causa hominum descendisti de cœlis, te redeunte mereantur numerari in consortio sanctorum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum.

Communio. Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, et animabus famulorum tuorum cœlestis gaudii tribuat consortium, ut ante thronum gloriæ tuæ segregatæ cum dextris, nihil commune habeant cum sinistris. Per.

MISSA PLURIMORUM DEFUNCTORUM.

Oratio. Deus, cui proprium est semper misereri, et preces exaudire supplicantium, propitiare animabus famulorum tuorum N., ut te miserante a peccatorum vinculis absoluti, ad æternæ beatitudinis requiem pervenire mereantur. Per.

Secreta. Suscipe, clementissime Pater, pro commemoratione famulorum tuorum N. hostiam placationis et laudis, ut sacrificii præsentis oblatio ad refrigerium animarum eorum te miserante perveniat. Per.

Communio. Absolve, quæsumus, Domine, animas famulorum tuorum N. ab omnium vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sanctos tuos resuscitati respirent. Per.

MISSA PRO FEMINA DEFUNCTA.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, conditor et redemptor animarum, qui animabus sanctorum tuorum æternæ beatitudinis præmium contulisti, præsta, quæsumus, ut anima famulæ tuæ N. quam de hoc sæculo migrare jussisti, cujus commemorationem agimus, sanctorum consortio perfrui mereatur. Per.

Secreta. Pro anima famulæ tuæ N. hostiam, Domine, quæsumus, suscipe benignus oblatam, ut per hoc singulare officium vinculis horrendæ mortis exuta vitam mereatur æternam. Per.

Communio. Inclina, quæsumus, aurem tuam supplicationibus nostris, et animæ famulæ tuæ perpetuæ lucis tribue mansionem. Per.

MISSA PRO DEFUNCTIS FEMINIS.

Oratio et secreta ut in editis pro una defuncta.

Communio. Inveniant, quæsumus, Domine, animæ famularum tuarum lucis æternæ consortium, cujus perpetuæ gratiæ consecutæ sunt sacramentum, per resurgentem e mortuis Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat Deus, in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum.

MISSA IN HONOREM SANCTÆ TRINITATIS.

Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa unitas; confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Psal. Benedicamus Patrem et Filium. ℟. Benedictus es, Deus, qui intueris abyssos, et sedes super cherubim. ℣. Benedicite Deum, cœli cœlorum, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Alleluia. ℣. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis in sæcula.

Offertorium et communio, ut in editis.

IN HONOREM SANCTÆ CRUCIS.

Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus.

Psal. Deus misereatur. ℟. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Alleluia. ℣. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi.

Offertorium et communio, ut in editis.

IN HONOREM SANCTÆ MARIÆ.

Vultum tuum deprecabuntur, etc. *Psal.* Eructavit. ℟. Diffusa est gratia, etc. ℣. Propter veritatem, etc. Alleluia. ℣. Specie tua et pulchritudine tua, etc.

Offertorium. Adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi.

Communio. Regina mundi dignissima, Virgo Maria perpetua, intercede pro nostra pace et salute, quæ genuisti Christum Dominum sine virili semine.

IN SANCTI MICHAELIS.

Benedicite Dominum, omnes angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Psal. Benedic, anima mea. ℟. Benedicite Dominum omnes angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus.

℣. Benedic, anima mea, Dominum, et omnia interiora mea nomen sanctum ejus. Alleluia.

℣. Concussum est mare, et contremuit terra, ubi archangelus Michael descendebat de cœlo.

Offertorium. Stetit angelus super aram templi habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa, et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Alleluia.

Communio. Benedicite, omnes angeli Domini, Dominum, hymnum dicite, et superexaltate eum in sæcula.

IN HONOREM SANCTI SPIRITUS.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Alleluia, per inhabitantem Spiritum ejus in nobis. Alleluia, Alleluia.

Psal. Domine Deus. ℟. Beata gens cujus est Dominus Deus eorum, populus quem elegit Dominus Deus in hæreditatem sibi.

℣. Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus virtus eorum. Alleluia.

℣. Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende

Offertorium. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ; sit gloria Domini in sæcula. Alleluia.

Communio. Spiritus sanctus docebit vos, Alleluia, quæcunque dixero vobis. Alleluia.

Sequentia.

Sancti Spiritus adsit nobis gratia,
Quæ corda nostra sibi faciat habitacula?
Expulsis inde cunctis vitiis spiritualibus.
Spiritus alme illustrator omnium,
Horridas nostræ mentis purga tenebras.
Amator sancte sensatorum semper cogitatuum,
Infunde unctionem tuam, clemens, nostris sensibus.
Tu purificator omnium flagitiorum Spiritus,
Purifica nostros oculos interioris hominis,
Ut videri supremus Genitor possit a nobis
Mundi cordis quem soli cernere possunt oculi.
Prophetas tu inspirasti, ut præconia Christi præcinuissent inclyta.
Apostolos confortasti, ut tropæum Christi per totum mundum veherent.
Quando machinam per Verbum suum fecit Deus cœli, terræ, maria,
Tu super aquas facturus eos nomen tuum expandisti, Spiritus.
Tu animabus vivificandis aquas fecundas.
Tu aspirando das spiritales esse homines.
Tu divisum per linguas mundum et ritus adunasti,
Idololatras ad cultum Dei revocans, magistrorum optime.
Ergo nos supplicantes tibi exaudi propitius, sancte Spiritus,
Sine quo preces omnes cassæ creduntur et indignæ Dei auribus,
Tu qui omnium sæculorum sancte.
Qui nominis docuisti instincte complectendo, Spiritus,
Ipse hodie apostolos Christi
Donans munere insolito et cunctis inauditis sæculis, Hunc diem gloriosum fecisti.

MISSA PRO PECCATIS.

Misereris omnium, etc, *ut in editis usque ad* Alleluia.

Graduale. Alleluia. ℣. Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Offertorium. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Dele, Deus, iniquitatem meam.

Communio. Inclina aurem tuam, accelera ut eruas nos.

IN FESTO PLURIMORUM MARTYRUM.

Sapientiam sanctorum narrent populi, et laudes eorum enuntiet Ecclesia, nomina autem eorum vivent in sæculum sæculi.

Psal. Magnus. ℟. Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ. Visi B sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, Alleluia. Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, sicut odor balsami erunt ante te.

Offertorium. Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exsultationes Dei in faucibus eorum.

Communio. Ego vos elegi de mundo ut eatis et fructum afferatis.

IN FESTO CONFESSORUM.

Sacerdotes tui, Domine, induantur, etc., *ut in editis.*

Psal. Memento. ℟. Sacerdotes ejus induant salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo C meo. Alleluia. Sancti tui, Domine.

Offertorium. Exsultabunt sancti in gloria.

Communio. Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

OFFICIUM DE VIRGINIBUS.

Vultum tuum. *Psal.* Eructavit. ℟. Propter veritatem et mansuetudinem, etc. Audi, filia, et vide, etc. Specie tua, etc.

Offertorium. Diffusa est gratia in labiis tuiis; propterea benedixit te Deus in æternnm et in sæculum sæculi.

Communio. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus.

A Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Videte, vigilate et orate, etc., *usque ad* omnibus dico: Vigilate *inclusive.*

OFFICIUM SANCTÆ MARIÆ.

Salve, sancta parens, enixa puerpera regem, qui cœlum terramque regit in sæcula sæculorum

Psal. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. ℟. Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris. Virgo, Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Alleluia. ℣. Post partum Virgo inviolata permansisti: Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Sequentia.

Hac clara die turma festiva dat præconia,

Mariam concrepando symphonia nectarea.

Mundi Domina, quæ est sola castissima virginum Regina.

Salutis causa, vitæ porta, atque cœli referta gratia.

Nam ad illam sic nuntia olim sunt facta angelica:

Ave, Maria, gratia Dei plena per sæcula.

Mulierum pia agmina intra semper benedicta

Virgo et gravida Mater intacta, prole gloriosa:

Cui contra Maria hæc reddit famina:

In me quomodo tua fient nuntia?

Viri novi nullam certe copulam,

Ex quo atque nata sum incorrupta.

Diva missus ita reddit affata:

Flatu sacro plena fies, Maria.

Nova offerens gaudia sancto plena nati per exordia.

Intra tui uteri claustra regnat, qui gubernat æthera

Omnia, qui dat tempora pacifica.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore repleta est Elisabeth, etc., *usque ad* salutari meo *inclusive.*

Offertorium. Ave, Maria.

Communio. Beata viscera Mariæ, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

EXCERPTA EX SECUNDO CODICE AVELLANENSI

MISSA PRO TRIBULATIONE.

Salus populi ego sum, dixit Dominus; de quacunque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos et ero illorum Dominus in perpetuum. *Psal.* Attendite, popule. Gloria.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per.

D Lectio libri Sapientiæ. Miserere nostri, Deus, etc., *usque ad verba* ut enarrent mirabilia tua, Domine, Deus noster.

Graduale. Propitius esto, Domine, peccatis nostris, nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. Alleluia. *Psal.* Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. In

illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Quoniam oportet semper orare, etc., *usque ad* vindictam illorum *inclusive*.

Offertorium. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, Domine, et super iram inimicorum meorum extendes manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Secreta. Has tibi, Domine, offerimus hostias pro salute nostra et pro omnibus angustiis nobis ingruentibus, quatenus corpora et animas nostras Spiritus sancti gratia liberare atque illuminare digneris. Per.

Communio. Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis.

Ad communionem. Da nobis, Domine, quæsumus, de tribulatione lætitiam, ut qui diu pro peccatis nostris affligimur, intercedentibus omnibus sanctis tuis, in tua misericordia respiremus. Per.

ALIA MISSA PRO TRIBULATIONE.

Salus populi ego sum, dicit Dominus.

Oratio. Deus, Pater orphanorum, judexque viduarum, lacrymas Ecclesiæ tuæ miseratus intende, illamque tua misericorditer eripiat majestas, quam nulla terrena defendit potestas. Per.

Lectio Jeremiæ prophetæ. Si iniquitates nostras contenderunt, etc., *usque ad* nos, Domine, Deus noster.

Graduale. Propitius esto, Domine, adjuva nos, Deus. Alleluia. Domine, exaudi.

Evangelium. Quoniam oportet.

Offertorium. Si ambulavero.

Secreta. Hæc hostia, Domine, quam pro infidelium bellis offerimus, tibi sit accepta, ut per hanc, quod devote poscimus, te adjuvante consequamur. Per.

Communio. Amen, dico vobis.

Ad communionem. Deprime, quæsumus, Domine Deus, jura tyrannorum tibi adversantium, ut discant te fore protectorem Ecclesiæ tuæ tuo pretioso sanguine redemptæ. Per.

INCIPIT ORDO AD CATHECUMENUM FACIENDUM.

Interroga primo de nomine ejus, hoc est, quo nomine vult vocari, et dicto sancti nomine.

Quare venisti ad Ecclesiam? ℟. Christianus fieri.

Quid petis? ℟. Fidem.

Fides quid tibi præparat? ℟. Vitam æternam.

Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio et omnibus pompis ejus; abrenuntio et omnibus operibus ejus.

Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ? ℟. Credo.

Credis et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, natum et passum? ℟. Credo.

Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam? ℟. Credo.

Deinde insufflet in faciem ejus tribus vicibus sacerdos, dicendo : Exi ab eo, immunde spiritus, da hono-
A rem Jesu Christo Filio ejus et Spiritui sancto paraclito.

Deinde signat eum in fronte, dicens : Signum sanctæ † crucis Domini nostri Jesu Christi in fronte tua pono.

Deinde et in pectore signet, dicens : Signum salutis † Domini nostri Jesu Christi in pectus tuum pono. Accipe signum † crucis Christi tam in corde, quam in fronte. Sume fidem cœlestium præceptorum; talis esto moribus, ut templum Dei esse possis. Gaudeas ingressus in Ecclesiam Dei evasisse te laqueos mortis, lætus agnosce idola, respue simulacra, cole Deum Patrem omnipotentem et Jesum Christum Filium ejus, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æterna sæcula sæculorum.
B Amen.

Alia oratio. Omnipotens sempiterne Deus, etc.

Alia : Preces nostras, etc. *Alia :* Deus, qui humani generis, etc.

Alia oratio : Exorcismus salis, etc., *ut in Rituali Romano.*

Bene†dic, omnipotens Deus, hanc creaturam salis benedictione cœlesti in nomine Domini † Jesu Christi et in virtute Spiritus sancti, ad effugandum inimicum, quam tu, Domine, sanctificando † sanctifices, benedicendo bene†dicas, fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus sumentium in nomine Domini † Jesu Christi qui venturus est in Spiritu sancto judicare.

C *Tunc accipiat de ipso sale, et ponatur in ore infantis :* Accipe sal sapientiæ, propitiatus sit in vitam æternam. Amen.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum.

Oratio. Deus patrum nostrorum, etc. *ut in Rituali edito.*

Deinde apprehendat dexteram, et introducat eum in ecclesiam, sic dicendo : Ingredere in templum Domini, ut habeas partem cum Christo.

INCIPIT ORDO AD SYMBOLUM FACIENDUM.

Deus Abraham, etc., *ut in edito Rituali.*

Adjuratio contra dæmonem : Ergo, maledicte diabole, etc., *ut supra in Ritualibus, cum hoc tantum discrimine, quod in ms. non ponitur conclusio.*

D *Adjuratio super feminam*. Deus cœli, etc. *ut in editis, absque tamen conclusione.*

Adjuratio super masculum. Deus, immortale præsidium, etc., *ut in editis.*

Alia adjuratio communis. Ergo, audi, maledicte, etc., *ut in editis.*

Exorcismus. Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut exeas et recedas ab hoc famulo Dei; ipse tibi imperet, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit. Ergo exorcizo te, immunde spiritus, per † Patrem, et Fi†lium, et Spiritum † sanctum, ut exeas et recedas ab hoc famulo Dei : ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, et quatri-

duanum Lazarum de monumento suscitavit. Ergo sit, etc.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Æterna, etc., *ut in editis.*

Lectio. Hæc dicit dominus. Omnes sitientes, etc., *usque ad* in crassitudine animæ vestræ.

Graduale. Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. ℣. Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. In illo tempore oblati sunt Jesu parvuli, etc., *usque ad* abiit inde.

Et tunc dicatur : Pater noster, *et* Credo in Deum. *Et alius homo levet eum, non ille qui tenet, dicendo similiter :* Pater noster, *et* Credo in Deum.

INCIPIT ORDO BAPTISMI AD SUCCURRENDUM.

Medelam tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui tribuisti humanis infirmitatibus erigere famulum tuum ægritudinis langore depressum, et omnem sensum ejus dignare tuis visitationibus refovere, quatenus gratia baptismi tui possit cum gaudio sanitatem accipere. Expelle itaque ab eo cunctam contrariæ valetudinis tutelam, ut ad gratiam tuam gratanter occurrat ; releva quem redimere dignatus es, ut baptismi sit in illo palma, non mortis, et gloriosum semper bajulet quod accepit signaculum sanctæ † crucis.

Conjuratio. Nec te lateat, etc., *ut in editis, præter conclusionem* in nomine Domini Jesu Christi.

Initium sancti Evangelii secundum Matthæum. Liber generationis Jesu Christi Filii Abraham. Abraham autem genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. Ex ea generatione nata est Virgo Maria Mater Domini nostri Jesu Christi.

Initium sancti Evangelii secundum Lucam. Fuit in diebus Herodis, etc., *usque ad* sine querela.

Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum. Initium Evangelii Jesu Christi, etc., *usque ad* omnis caro salutare Dei.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem. In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, etc. *Et sic totum dicatur.*

BENEDICTIO AQUÆ AD BAPTIZANDUM INFIRMUM.

In primis dicantur litaniæ. Deinde sequitur hæc oratio.

Exaudi nos, omnipotens Deus, et hujus aquæ substantiæ immisce virtutem, ut abluendi per eam sanitatem simul et vitam mereamur æternam. Per.

Exorcismus aquæ.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine † Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Filii ejus †, et in virtute Spiritus sancti †, ut omnis virtus adversarii, et omnis incursio Satanæ, omneque phantasma eradicare, et explantare et effugare ab hac creatura aquæ, ut sit fons aquæ salientis in vitam æternam, ut qui ex ea baptizatus fuerit, fiat A templum Dei vivi, et Spiritus sanctus habitet in eo in remissionem omnium peccatorum. In nomine Domini Jesu Christi, qui venturus est, exorcizo te, creatura aquæ, per Deum † vivum, per Deum † sanctum, per Deum totius creaturæ, qui te in principio separavit ab arida, et in quatuor fluminibus exire jussit, totam terram irrigare præcepit, qui pedibus supra mare ambulavit. et a Joanne in Jordane baptizatus est ; qui te una cum sanguine suo produxit, et discipulis suis in te baptizare jussit dicens : Ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Unde adjuro te, aqua, per Deum † vivum, ut efficiaris aqua sancta †, aqua benedicta †, aqua quæ abluas sordes, et mundes peccata, ut, cum descenderis in te infans Christi, fias fons aquæ sa- B lientis in vitam æternam. In nomine Domini Jesu Christi, in vitam æternam. Amen.

(*Ad marginem codicis adest hæc rubrica : deinde sacerdos mittat cereum accensum in fontem, dicens :* Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti. *Post hoc aspergat fontem chrismate, dicens :* Infusio Chrismatis, salutis et aquæ, sit in nomine Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam. Amen.

Deinde sufflet in aqua tribus vicibus et mittat chrisma in modum crucis †; *deinde tangat et nares et aures de sputo, dicens ad aurem illius sinistram :* Ephphetha, quod est adaperire ; tu autem, diabole, effugare ; appropinquabit enim judicium Dei.

C *Postea vero tangat ei pectus, et inter scapulas de oleo exorcizato cum pollice crucem faciendo ; et vocato nomine ejus dicat :*

Abrenuntias Satanæ ? ℟. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus ? ℟. Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus ? ℟. Abrenuntio. (*In margine adnotatur :* Fuge, immunde spiritus, da honorem Deo vivo et vero. Exi, immunde spiritus, da locum Spiritui sancto.)

Interroget : Credis in Deum Patrem ? etc, *ut supra, usque ad ultimum responsum* Credo.

Et interroget eum tribus vicibus ita dicendo : Vis baptizari ? ℟. Volo (*ter*).

Et ego te baptizo in nomine Patris, *et merge*, et Filii, *et merge*, et Spiritus sancti, *et merge.*

Baptizato autem infante, faciat presbyter signum D *crucis de chrismate cum pollice in vertice ejus cum invocatione sanctæ Trinitatis, dicens :* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ; *et dicat hanc orationem :*

Deus omnipotens et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro. Pax tibi in vitam æternam. Amen.

INCIPIT ORDO AD POENITENTIAM DANDAM.

In primis dicit sacerdos : Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere, qui me indignum et peccatorem ad ministerium tuum vocare dignatus es, et me exiguum et humilem constituisti intercedere ad-

Dominum nostrum Jesum Christum pro peccantibus. A
Ideoque, dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, suscipe orationem meam, quam facio ante conspectum tuum pro me peccatore et pro aliis, qui ad pœnitentiam ad me veniunt, Salvator.

Interrogat: Credis in Deum Patrem omnipotentem, et Filium, et Spiritum sanctum? ℟. Credo.

Credis quod in ista carne, in qua nunc es, resurgere habes in die judicii, et recipere quod gessisti sive bonum, sive malum? ℟. Credo.

Vis dimittere illis, qui in te peccaverunt, dicente Domino: Si non remiseritis peccata hominibus; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra? ℟. B
Volo.

Dicat: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. *Tribus vicibus capitulum* suscepimus, Deus, misericordiam tuam *usque* dextera tua. *Psal:* Magnus Dominus. Gloria. Kyrie, Christe, Kyrie, Pater noster. Et ne. *Capitulum* convertere, Deus, aliquantulum. Et deprecare. Salvos fac servos et ancillas tuas, Deus meus. Nihil proficiat inimicus. Et filius iniquitatis. Mitte ei, Deus, auxilium de sancto. Et de Sion. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio. Suscipere digneris, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, hunc famulum tuum, qui viam erroris dimittere cupit, et ad viam veritatis C
currere desiderat: præsta, quæso, Domine, ut sicut eum ex aqua et Spiritu sancto dono tuæ gratiæ regenerare dignatus es, ita concede propitius, ut per veram sanctamque confessionem sanctæ Ecclesiæ tuæ aggregari mereatur. Per.

Alia. Exaudi, Domine, preces nostras, et confitenti tibi parce peccatis, ut quem conscientiæ suæ reatus accusat, indulgentiæ tuæ miseratio absolvat. Per.

Alia. Præveniat huic famulo tuo, quæsumus, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Deinde septem psalmos cum lectione. Capitulum. Converte nos, Deus, salutaris noster. Et averte. D
Fiat, Deus, misericordia tua. Sicut speravimus. Domine, exaudi orationem: Et clamor meus. Dominus vobiscum.

Oratio. Precor, Domine, clementiam tuam, et misericordiam majestatis tuæ, ut huic famulo tuo peccata et facinora confitenti veniam relaxes, et præteritorum criminum culpas dimittere digneris; qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, et qui publicani precibus et confessione placatus es, tu etiam huic famulo tuo placare, Domine, tu hujus preces benignus suscipe, remitte ei omnia crimina et peccata, et da ei pro suppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam; et qui ad tantam spem cœlestis apicis devolutus est, de tua misericordia confidens ad æterna gaudia te protegente perveniat. Per.

Alia oratio. Majestatem tuam, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus qui non mortem vis peccatorum, sed vitam semper inquiris, te suppliciter exoramus, respice flentem famulum tuum ad te prostratum, ejusque planctum in gaudium tuæ miserationis converte; scinde delictorum saccum, et indue eum lætitiam salutarem, ut post longam peregrinationis famem de sanctis altaribus satietur, ingressus cubiculum Regis in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ. Per Dominum nostrum.

Benedictio. Benedicat tibi Dominus omnipotens, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem tuam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum, et det tibi pacem.

Alia benedictio. Benedicat tibi Dominus Deus omnipotens, et custodiat te, et per abundantiam sancti Spiritus cor tuum corroboret, mentem tuam sanctificet, vitam amplificet, castimoniam decoret, atque sensus tuos in bonis operibus informet, prospera tribuat, pacem concedat, salutem conferat, quietem nutriat, charitatem foveat, et ab omnibus diabolicis et humanis insidiis sua te semper protectione defendat, ut quidquid ab eo postulaveris, clementer concedat, auferat omnia mala, quæ gessisti, et tribuat tibi gratiam, quam semper rogasti. Qui vivis.

Deinde admoneat eum, et dicat: Pater noster, *et* Credo in Deum. *Deinde faciat eum sacerdos confiteri et accusare de peccatis suis.*

Confiteor Deo omnipotenti, et beatæ Mariæ perpetuæ Virgini, et beato Michaeli archangelo, et sanctis apostolis Petro et Paulo, et beato Blasio martyri tuo et omnibus sanctis, et vobis Patribus, mea culpa, mea culpa, mea culpa; quia peccavi in cogitatione, locutione, delectatione, consensu, verbis et opere, in adulterio, in perjurio, in homicidio, in falso testimonio, in sacrilegio, in furto, in rapina, in concupiscentia, in avaritia, mea culpa, mea culpa, mea culpa. Peccavi in quinque sensibus corporis mei, visu, auditu, gustu, odoratu et tactu, mea culpa. Peccavi in octo principalibus vitiis, et in septem criminalibus peccatis, et in omnibus vitiis meis malis, quibuscunque miser homo peccare potest. Unde precor beatam Virginem Mariam, et beatum Michaelem archangelum, et sanctos apostolos Petrum et Paulum, et beatum Blasium martyrem tuum, et omnes sanctos et sanctas Dei, et vos, Patres, orare pro me peccatore Dominum nostrum Jesum Christum. Et unde volo recipere pœnitentiam pro vita et morte.

Absolutio. Nos ex parte Dei omnipotentis et beatæ Mariæ perpetuæ Virginis et beati Michaelis archangeli, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et beati Blasii martyris, et omnium sanctorum ac sanctarum, ex officio nostro damus, et confirmamus vobis verum judicium, et veram pœnitentiam

de omnibus peccatis vestris, sicut sancti Patres A præcipiunt, et justa justitia est, et ab hac hora in antea state sub jugo pœnitentiæ, et sub fructu pœnitentiæ, et si morte præoccupati fueritis, et non potestis accedere ad sacerdotem, et ad aliam pœnitentiam, per istam pœnitentiam faciat Dominus pervenire animas vestras ad vitam æternam. Amen.

Quando sacerdos imponit pœnitentiam.

Nos vobis imponimus pœnitentiam de omnibus peccatis vestris, quæ volentes aut nolentes commisistis, unde confessi estis, vel quæ in vos nescienter sunt abscondita, ut redimatis ea per orationem, et sacrificium, et jejunium atque eleemosynam, et usque ad terminum vitæ vestræ in ipsa pœ- B nitentia permaneatis, et si morte præoccupati fueritis, per istam pœnitentiam faciat Dominus pervenire animas vestras ad vitam æternam. Amen.

Absolutio. Intercedente beata Maria semper Virgine cum omnibus sanctis, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimittat vobis omnia peccata vestra, præterita, præsentia. Liberet vos ab omni opere malo, salvet et confirmet vos in omni opere bono, et perducat vos cum angelis et archangelis ad vitam sempiternam. Amen. Indulgentiam et remissionem et absolutionem omnium peccatorum vestrorum, gratiam sancti Spiritus tribuat vobis omnipotens, pius et misericors Dominus. Amen.

Capitulum. Salvos fac servos tuos et ancillas tuas, Deus meus, sperantes in te. Mitte eis, Domine, C auxilium de sancto. Et de Sion. Exsurge, Domine, adjuva nos. Et libera. Domine, exaudi orationem. Et clamor meus. Dominus vobiscum. Et cum spiritu.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis et famulabus tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, etc.

Absolutio. Omnipotens sempiterne Deus qui habet potestatem dimittendi peccata hominum, et sanctus Petrus apostolus cui dedit Christus potestatem ligandi atque solvendi, et aliis discipulis suis, dicens: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis in æternum: ipse quoque Deus absolvat vos ab omnibus peccatis vestris, et pro istis peccatis non reddatis D rationem in judicii. Et si transieritis de isto sæculo, absolvat vos omnipotens Deus, Jesus Christus Dominus noster. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit. Respiciat ad vos Deus, et det vobis angelum, qui vos ubique custodiat, mentes regat, opera confirmet, votum perficiat, vitam dirigat, præterita indulgeat, præsentia emendet, futura meditetur in vos. Ipse vos benedicat de cœlis, qui proprio sanguine suo vos redemit in terris. Qui cum Patre et Spiritu sancto, etc.

Benedictio. Benedicat te Deus Pater, qui in principio Verbo cuncta creavit. Amen. Benedicat te Dei Filius, qui de sede paterna descendit pro nostra salute in terris. Amen. Benedicat te Spiritus sanctus, qui in specie columbæ in fluenta Jordanis super Christum requievit. Amen. Ipse vos in Trinitate et unitate sanctificet, quem omnes homines venturum exspectant Judicem. Per. Bene † dictio Dei omnipotentis, Patris † et Filii † et Spiritus sancti † custodiat corpus tuum, animam tuam et spiritum tuum, hic et in perpetua sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIT ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

Primum dicatur: Pax huic domui. Amen. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Respice, Domine, propitius super hunc famulum tuum, et opem ferre digneris super lectum doloris ejus. Impone manum tuam super manus ejus et impera ægritudini ejus, ne meam peccatoris manum spernat infirmitas, sed ad vocationem nominis tui vereatur et fugiat, et hic famulus tuus languore indulto ad sanitatem refectus, resurgat, et præsentetur Ecclesiæ tuæ, ut referat gratias nomini sancto tuo.

Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea, et anima mea turbata est valde. Et tu, Domine, usquequo? Convertere, et eripe animam meam. Domine, ne in ira.

Antiphona. Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic, cum audisset quia Jesus veniret in Galilæam, rogabat eum, ut sanaret filium ejus *Psal.* Beati quorum. *Antiphona.* Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur: Amen dico tibi, ego veniam, et curabo eum. *Psal.* Domine, ne in ira tua.

Alia antiphona. Cor contritum et humiliatum Deus non spernit, sed propter magnam misericordiam tuam miserere mei, Deus. *Psal.* Miserere mei.

Alia antiphona. Domine, descende, ut sanes filium meum, priusquam moriatur. Ait ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. *Psal.* Domine, exaudi orationem meam.

Alia antiphona. Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. *Psal.* De profundis.

Alia antiphona. Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum et sanabantur. *Psal.* Domine, exaudi orationem. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.

Capitulum. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. ℟. Et salutare. Salvum fac servum tuum, ℟. Deus meus, sperantem in te. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. ℟. Et de Sion. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis. Domine, exaudi orationem. ℟. Et clamor. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita et hunc famulum tuum a lecto ægritudinis tua potentia erigas ad salutem. Per.

Oratio. Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, et animam ejus re-

fove, quam creasti, ut castigationibus emendatus, A continuo se sentiat medicina salvum.

Alia Oratio. Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, et famulum tuum ex adversa corporis valetudine laborantem placatus respice, et visita eum in salutari tuo, ac cœlestis gratiæ præsta medicinam.

Oratio. Deus qui humano generi et salutis remedium, et vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo tuarum dona virtutum, et concede ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Alia oratio. Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem et omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis, adesto propi- B tius huic famulo, ut, infirmitatibus fugatis et viribus receptis, nomen tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per.

Alia oratio. Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem nostræ conditionis infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ et corpora nostra et membra vegetentur, super hunc famulum tuum propitius intende, ut omni necessitate corporea infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur.

Oratio. Exaudi, Domine, preces nostras, et confitentium tibi parce peccatis, ut quem conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ propitiationis absolvat. Per. C

Alia oratio. Deus, humani generis benignissime conditor, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici Filii tui sanguine redemisti, vivifica hunc famulum tuum, quem tibi nullatenus mori desideras, et qui non derelinquis devium, assume correctum; moveant pietatem tuam, quæsumus, Domine, hujus famuli tui lacrymosa suspiria, tu ejus medere vulneribus, tu jacenti manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimenta sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exsultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo preces supplices effundimus, tu parce confitenti, ut sic in hac mortalitate sua peccata D defleat, qualiter in tremendi judicii die sententiam damnationis æternæ evadat, et nesciat quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ nequaquam ultra vulneribus saucietur, sed integrum sit ei et perpetuum, et quod gratia tua contulit, et quod misericordia reformavit. Per eumdem.

Hic sacerdos interroget infirmum, si vult accipere unctionem. Cum responderit : Volo, *tunc faciat ei confessionem. Sacerdos ungat eum, visum et cæteros sensus, dicendo :* Deus, in nomine tuo, Deus in adjutorium. *Psal.* Beati immaculati. Per istam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum. Per istam unctionem, etc., peccasti per auditum. Per istam unctionem, etc., peccasti per gustum. Per istam unctionem, etc., peccasti per odoratum. Per istam unctionem, etc., peccasti per tactum. Per istam unctionem, etc., peccasti per ardorem libidinis. Per istam unctionem, etc., peccasti per incessum pedum.

Deinde lavet sacerdos manus suas et dicat :

Salvum fac servum tuum, Deus meus. Esto ei, Domine, turris. A facie inimici. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. Et de Sion. Nihil proficiat inimicus. Et filius iniquitatis. Domine, exaudi orationem. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum spiritu.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatum Jacobum apostolum tuum nos docuisti : Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio ejus fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei, te supplices exoramus, ut hic famulus tuus per mysterium nostræ unctionis donum tuæ sanctæ pietatis, peccatorum suorum veniam consequi, et ad vitam æternam venire mereatur. Per.

Alia oratio. Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice super hunc famulum tuum, et remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi; renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum est, vel quidquid diabolica fraude violatum est, et in unitate corporis Ecclesiæ tuæ, percepta remissione, restitue; miserere, Domine, gemitum ejus lacrymarum, et non habentem fiduciam nisi in tua misericordia ad sacramentum reconciliationis admitte. Per.

His expletis orationibus, sacerdos communicet infirmum, dicens : Corpus Domini nostri Jesu Christi mundet te ab omni peccato, et conservet animam tuam in vitam æternam. Amen.

Post datum corpus dicit capitulum : Salvum fac servum tuum, Deus meus. Mitte ei, Domine. Et de Sion. Domine, exaudi orationem. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum spiritu.

Oratio. Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur pro famulo tuo fratre nostro, percipiente Eucharistiam sacrosanctam Filii tui Domini nostri Jesu Christi corporis et sanguinis; tam corpori quam animæ sit salus. Per eumdem Dominum.

Igitur, ut mox viderit eum ad exitum appropinquare, communicet eum, etiam si comederit, quia communio erit ei adjutorium.

LITANIÆ.

Christe, audi nos. (*ter.*)
Sancte Abel, ora pro eo.
Sancte Isaac, or.
Sancte Henoch, or.

Sancte Abraham, or.
Sancte Jacobe, or.
Sancte Elia, or.
Sancte Isaia, or.
Sancte Jeremia, or.
Sancte Ezechiel, or.
Sancte Daniel, or.
Sancte Osee, or.
Sancte Joel, or.
Sancte Abdia, or.
Sancte Habacuc, or.
Sancte Jona, or.
Sancte Nahum, or.
Sancte David, or.
Sancte Sophonia, or.
Sancte Joannes Baptista, or.
Omnes sancti patriarchæ et propnetæ, orate pro eo.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Pater noster. Et ne nos.

Capitulum. Ego dixi: Domine, miserere mei. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

Requiem æternam dona ei, Domine. Et lux perpetua luceat ei.

Ne intres in judicium cum servo tuo. Quia non justificabitur.

Domine, libera animam ejus. Misericors et miserator.

Delicta juventutis et ignorantias, Ne memineris, Domine.

Ne perdas cum impiis, Deus, Et cum viris sanguinum.

Complaceat tibi, Deus, ut eripias. Domine, in auxilium ejus respice.

Domine exaudi orationem. Et clamor meus ad te.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Oratio. Deus, cui soli competit medicinam præparare post mortem, tribue, quæsumus, ut anima famuli tui terrenis exuta contagiis, in tuæ redemptionis sorte numeretur. Per.

Finita oratione inchoet : Passio Domini secundum Matthæum. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Scitis quia post biduum Pascha fiet, etc.

Aliæ litaniæ.

Christe, audi nos. (*ter.*)
Sancta Maria, ora pro eo.
Sancte Stephane, or.
Sancte Laurenti, or.
Sancte Clemens, or.
Sancte Xiste, or.
Sancte Corneli, or.
Sancte Cypriane, or.
Sancte Sylvester, or.
Sancte Georgi, or.
Sancte Benedicte, or.
Sancte Chrysogone, or.
Sancte Cosma, or.
Sancte Damiane, or.
Sancte Vitalis, or.
A Sancte Gervasi, or
Sancte Nazari, or.
Sancte Celse, or.
Sancte Vite, or.
Sancte Modeste, or.
Sancte Cassiane, or.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Aliæ litaniæ.

Christe, audi nos. (*ter.*)
Sancte Hyppolite, or.
Sancte Sebastiane, or.
Sancte Pancrati, or.
Sancte Domnine, or.
Sancte Anthime, or.
Sancte Alexander, or.
B Sancte Faustine, or
Sancte Jovite, or.
Sancte Donate, or.
Sancte Victor, or.
Sancte Nabor, or.
Sancte Felix, or.
Sancte Fortunate, or
Sancte Urbane, or.
Sancte Eleutheri, or.
Sancte Anastasi, or.
Sancte Gregori, or.
Sancte Maure, or.
Sancte Isidore, or.
Sancte Saturnine, or.
Sancte Floriane, or.
C Omnes sancti martyres, orate pro eo.
Kyrie eleison, Christe, Kyrie. Pater noster. Et ne nos. *Capitulum ut supra.*

Oratio. Deus, qui vitam justis tribuis post mortem, et cui non pereunt moriendo fidelium corpora, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut suscipi jubeas animam famuli tui in requiem æternam, et in congregatione justorum. Per.

Aliæ litaniæ.

Christe, audi nos. (*ter.*)
Sancta Maria, ora pro eo.
Sancte Ambrosi, or.
Sancte Hilari, or.
Sancte Severe, or
D Sancte Barbatiane, or.
Sancte Leo, or.
Sancte Valeriane, or.
Sancte Marcelline, or.
Sancte Antonine, or.
Sancte Joannes Chrysostome, or.
Sancte Eusebi, or.
Sancte Benedicte, or.
Sancte Syre, or.
Sancte Martine, or.
Sancte Augustine, or.
Sancte Columbane, or.
Sancte Geminiane, or.
Sancte Marine, or.
Sancte Justine, or.

Sancte Tiburti, or.
Sancte Gaudenti, or.
Sancte Paule, or.
Sancte Machari, or.
Sancte Savine, or.
Omnes sancti confessores, orate pro eo.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.

Oratio. Deus, fidelium conditor et redemptor, animæ famuli tui remissionem omnium tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optavit, consequatur et requiem. Per.

Incipiunt aliæ litaniæ.

Christe audi nos. (*ter.*)
Pater de cœli Deus, miserere ei.
Fili redemptor mundi Deus, mis.
Spiritus sancte Deus, mis.
Sancta Trinitas et unus Deus, mis.
Sancta Maria, ora pro eo.
Sancte Michael, or.
Sancte Gabriel, or.
Sancte Raphael, or.
Omnes sancti angeli et archangeli, orate pro eo.
Sancte Petre, or.
Sancte Paule, or.
Sancte Andrea, or.
Sancte Joannes, or.
Sancte Jacobe, or.
Sancte Philippe, or.
Sancte Bartholomæe, or.
Sancte Matthæe, or.
Sancte Thoma, or.
Sancte Simon, or.
Sancte Thaddæe, or.
Sancte Mathia, or.
Sancte Barnaba, or.
Sancte Cleopha, or.
Sancte Timothee, or.
Sancte Marce, or.
Omnes sancti apostoli et evangelistæ, orate pro eo.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.

Oratio. Oramus, omnipotens Deus, ut animam famuli tui clementer suscipias, qui ad tuum sanctum imperium sui reliquit corporis domicilium, dumque te jubente ad terram revertitur, animam quam regenerare dignatus es baptismo, aggregari præcipias justorum consortiis. Per.

Aliæ litaniæ.

Christe audi nos. (*ter.*)
Sancta Susanna, ora pro eo.
Sancta Felicitas, or.
Sancta Euphemia, or.
Sancta Cæcilia, or.
Sancta Perpetua, or.
Sancta Scholastica, or.
Sancta Columba, or.
Sancta Anna, or.
Sancta Elisabeth, or.
A Sancta Agatha, or
Sancta Agnes, or.
Sancta Lucia, or.
Sancta Christina, or.
Sancta Anastasia, or.
Sancta Eugenia, or.
Sancta Innocentia, or.
Omnes sanctæ virgines, orate pro eo.
Omnes sancti et sanctæ Dei, orate pro eo.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.

Oratio. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram pro famulo tuo, et quem delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per.

B *Aliæ litaniæ.*

Christe audi nos. (*ter.*)
Sancta Maria, intercede pro eo.
Sancta Dei Genitrix, int.
Sancta Mater Domini, int.
Sancta chorus cherubim, int.
Sancte chorus seraphim, int.
Sancte chorus angelorum, int.
Sancte chorus patriarcharum, int.
Sancte chorus apostolorum, int.
Sancte chorus martyrum, int.
Sancte chorus doctorum, int.
Sancte chorus sacerdotum, int.
Sancte chorus levitarum, int.
Sancte chorus monachorum, int.
C Sancte chorus innocentum, int.
Sancte chorus virginum, int.
Omnis chorus omnium sanctorum, int.
Fili Dei, miserere ei. (*bis.*)
Redemptor mundi, mis.
Ut veniam ei dones, te rogamus.
Ut vitam ei dones, te rog.
Ut sanctum paradisum ei dones, te rog.
Ut locum refrigerii ei dones, te rog
Ut ei parcas, te rog.
Ut ei indulgeas, te rog.
Ut misericordiæ et indulgentiæ locum ei dones, te rog.
Ut peccatorum ejus non recorderis, te rog.

D *Aliæ litaniæ.*

Christe, audi nos. (*ter.*)
Propitius esto, parce ei, Domine.
Propitius esto, libera eum, Domine.
Ab ira tua, lib.
A pœna inferni, lib.
A damnatione æterna, lib.
A potestate diaboli, lib.
A pœnarum locis, lib.
A morte secunda, lib.
A gehenna ignis, lib.
A locis obscuris, lib.
Ab omni angustia, lib.
A peccatorum ultione, lib.
A supplicio tormentorum, lib.

Ab omni malo, lib.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum, qui quos diligis, corripis, et quos recipis, pie ad emendationem coerces, te invocamus, Domine, ut medelam tuam conferre digneris animæ famuli tui, qui in corpore membrarum debilitationem, vim laboris, stimulas sustinet infirmitatis : da ei, quæsumus, gratiam tuam piam esse, ut in hora exitus illius de corpore absque peccati macula tibi datori proprio per manus sanctorum repræsentari mereatur anima ejus. Per.

Incipit commendatio animæ, antequam egrediatur de corpore.

Subvenite, sancti Dei. Suscipiat te Christus.

Proficiscere, anima Christiana, de hoc mundo, in nomine Dei Patris † omnipotentis, qui te creavit, in nomine Jesu Christi † Filii Dei vivi, qui pro te passus est, in nomine Spiritus sancti †, qui in te effusus est. Adjuvet sancta Trinitas per intercessionem sanctorum angelorum, et archangelorum, thronorum et dominationum, principatuum et potestatum, et omnium virtutum, cherubim, seraphim, et omnis humani generis, quidquid a Deo susceptum est, patriarcharum et prophetarum, apostolorum et martyrum, confessorum et virginum, sacerdotum et levitarum, et omnium Ecclesiæ catholicæ graduum, monachorum et anachoretarum. Hodie factus sit in pace locus tuus, et habitatio tua in Jerusalem cœlestem. Per Dominum.

Suscipiat te sanctus Michael archangelus, qui militiæ cœlestis meruit principatum. Obvient tibi sancti angeli Dei, et perducant te in civitatem sanctam Jerusalem. Suscipiat te beatus Petrus apostolus, cui a Deo claves regni cœlorum traditæ sunt. Adjuvet te sanctus Paulus, qui dignus fuit esse vas electionis Dei. Intercedat pro te sanctus Joannes electus Dei apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia. Orent pro te omnes sancti et electi Dei apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Egredere in nomine † Patris, et † Filii, et † Spiritus sancti, qui te illuminet in vitam æternam, et resuscitet te in prima resurrectione, in novissimo die. Domine, sancte Pater, suscipe animam servi tui in pace, et ejus omnia peccata dimitte, Salvator mundi. Qui vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus. Per.

Suscipe, Domine, animam famuli tui in bono.

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis infernorum, et de laqueis pœnarum, et de omnibus tribulationibus malis.

Libera, Domine, animam famuli tui, sicut liberasti Noe in diluvio.

Libera, Domine, animam famuli tui, sicut liberasti Eliam et Henoch de communi morte mundi.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham per fidem et credulitatem.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis et de flamma ignis.

A Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu Saul regis et Goliath, et de omnibus vinculis ejus.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis et de manibus iniqui regis.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Suzannam de falso crimine.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti humanum genus per passionem Domini nostri Jesu Christi.

Libera, Domine, animam famuli tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus.

Libera, Domine animam servi tui, sicut liberasti Theclam de medio spectaculo.

B Sic liberare digneris, Domine, animam hominis istius, et tecum habitare in bonis cœlestibus concede. Per.

Oratio. Pio recordationis affectu, fratres charissimi, commemorationem facimus chari nostri, quem Dominus de laqueo tentationis hujus sæculi assumpsit, obsecrantes misericordiam Dei nostri, ut ipse ei tribuere dignetur placitam et quietam mansionem et remittat omnes lubricæ temeritatis offensas, ut, concessa venia plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc sæculo proprio reatu deliquit, totum ineffabili pietate ac benignitate sua deleat et abstergat. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat.

C *Oratio.* Deus, cui omnia vivunt, et cui non pereunt corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut famulum tuum suscipi jubeas per manus sanctorum angelorum tuorum deducendum in sinu amici tui Abrahæ patriarchæ, resuscitandumque in novissimo magni judicii die; et quidquid vitiorum fallente diabolo contraxit, tu, pius et misericors, ablue indulgendo.

Oratio. Suscipe, Domine, animam servi tui, quam de ergastulo hujus sæculi vocare dignatus es et libera eam de principibus tenebrarum, et de locis pœnarum, ut absoluta omnium vinculo peccatorum, quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, et inter sanctos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per.

D *Oratio.* Commendamus tibi, Domine, animam famuli tui fratris nostri, precamurque, ut propter quam ad terram tua pietate descendere dignatus es, patriarcharum tuorum in sinibus insinuari non renuas miseratus. Qui vivis et regnas.

Oratio. Migrantem in tuo nomine de hac instabili et tam incerta in sempiternam vitam illam ac lætitiam suscitare eum, Domine, in bonis cœlestibus digneris. Per.

Ad corpus lavandum.

Oratio. Suscipe, Domine, animam servi tui revertentem ad te, vestem cœlestem indue eam, et lava eam sancto fonte vitæ æternæ, ut inter gaudentes gaudeat, et inter sapientes sapiat, et inter martyres consedeat, et inter patriarchas proficiat, et inter

prophetas et apostolos sequi Christum studeat, et inter angelos et archangelos claritatem Dei videat, et inter paradisi rutilos lapides gaudium possideat, et ministeriorum Dei notitiam agnoscat, et inter cherubim et seraphim claritatem Dei inveniat, et inter viginti quatuor seniores cantica canticorum cantantes audiat, et inter lavantes stolas suas in fonte luminis vestem suam lavet, et inter pulsantes pulset, et portas Jerusalem apertas inveniat, et inter videntes Dominum facie ad faciem videat, et inter cantantes canticum novum cantet, et inter audientes cœlestem sonitum audiat. Per omnia.

Alia oratio. Suscipe, Domine, animam famuli tui ad te revertentem, de Ægypti partibus proficiscentem, et mitte angelos tuos sanctos obviam ei, et viam justitiæ, et repelle ab ea omnes principes tenebrarum; agnosce, Domine, creaturam tuam non ex diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero, quia non est alius Deus præter te, Domine, et non est secundum opera tua. Lætifica, Domine, animam famuli tui, et ne memineris iniquitatum ejus quas suscitavit furor mali desiderii; licet enim peccavit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non negavit, sed credidit, et zelum Dei habuit, et Deum, qui fecit omnia, adoravit. Qui vivit et regnat.

Oratio. Deus, ante cujus conspectum defertur omne quod geritur; qui cum sis institutor, et de suppliciis es moderator, quæsumus pro famulo tuo, ut des ei partem cum sanctis tuis, et hæreditatem cum electis tuis. Per omnia sæcula.

Oratio. Suscipe, Domine, animam servi tui in bonum habitaculum, cujus corpusculum lavandi peragimus officium, et da ei requiem in regno æterno, id est in Jerusalem cœlestem, et in sinibus patriarcharum tuorum, id est Abrahæ, Isaac et Jacob, collocare digneris, ut habeat partem in beata et prima resurrectione; corpus ejus suscipe, et cum benedictis ad dexteram Dei Patris venientibus veniat, et inter possidentes vitam æternam possideat. Per.

Incipiunt capitula, sive orationes, post corpus lavatum.

Pater noster. Et ne nos.

Capitulum. In memoria æterna erit justus. Ab auditu.

Ne intres in judicium cum servo tuo, Domine, Quia non justificabitur.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, Et animas pauperum.

Requiem æternam dona ei Domine, Et lux perpetua.

Domine exaudi. Et clamor.

Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio. Deus, vitæ dator, et humanorum corporum reparator, qui te a peccatoribus exorari voluisti, exaudi preces, quas speciali devotione pro anima famuli tui tibi lacrymabiliter fundimus, et liberare eum ab inferorum cruciatibus, et collocare inter agmina sanctorum tuorum digneris; veste quoque cœlesti et stola immortalitatis indui, et paradisi amœnitate confoveri jubeas. Per.

Alia oratio. Deus, qui humanarum animarum æternus amator es, animam famuli tui, quam vera, dum in corpore vixit, tenuit fides, ab omni cruciatu infernorum redde extorrem, ut segregata ab infernalibus claustris sanctorum mereatur adunari consortiis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Alia oratio. Deus, apud quem mortuorum spiritus vivunt, et in quo electorum animæ, deposito carnis onere, plena felicitate lætantur, præsta, supplicantibus nobis, ut animam famuli tui, quæ temporali hujus sæculi caruit visu, æterno illius lucis solatio potiatur, non eam tormentum mortis attingat, non dolor horrendæ visionis afficiat, non pœnalis timor excruciet, non reorum pessima catena constringat, sed, concessa sibi delictorum omnium venia, optatæ quietis consequatur gaudia repromissa.

Finitis omnibus orationibus, ponatur corpus in feretro, et aspergatur aqua sancta, et incensetur et cantent. Subvenite, sancti Dei. Suscipiat te. Deus, in nomine tuo. Beati immaculati. *Et sic vadant ad ecclesiam. Cum venerint ad introitum ecclesiæ, dicitur:* Subvenite, sancti Dei. *Et sic detur incensum et aqua sancta, et sonentur omnia signa, et ponatur feretrum in pavimento, et cantent invitatorium:* Regem, etc., *ut in editis, exclusive, usque ad responsorium secundæ lectionis primi nocturni, cujus verba hæc sunt:* Qui resuscitasti puellam infra domum, et juvenem extra portam, tu ei, Domine. *Lectio* Manus tuæ, etc., *exclusive, usque ad responsorium sequentis lectionis.* Responde. *Quod sic effertur:* Subvenite, sancti Dei, etc., *ut in editis, quando deducitur cadaver de domo.* Homo natus de muliere, etc., *ut in editis, usque ad responsorium sequentis lectionis.* Quis mihi, *ubi legitur:* Ne intres in judicium cum servo tuo, Domine. *In tertio nocturno:* Complaceat, etc., *usque ad totam lectionem.* Pelli meæ, *cujus responsorium est:* Libera me, Domine, de vi inferni, qui portas æreas confregisti, et visitasti infernum, et dedisti eis lumen, ut viderent te qui erant in pœnis tenebrarum, clamantes et dicentes: Advenisti, Redemptor noster. Qui erant. *Lectio:* Vir fortissimus Judas. ℟. Redemptor meus vivit, et in novissimo die resurgam, et renovabuntur denuo ossa mea, et in carne videbo Dominum meum. Lauda, anima mea, Dominum; laudabo Dominum in vita mea. Et in carne. Requiem æternam. Et in carne.

In Laudibus: Exsultabunt, etc., *ut in editis, usque ad quartam antiphonam exclusive. Antiphona:* Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ. *Psal. ut in editis et usque ad antiphonam* Benedictus, *post quam legitur:* Omne quod dat, etc. Benedictus. *Ad Vesperas antiphona:* Placebo Domino, etc., *usque ad psalmum:* Confitebor, *inclusive ut in editis.*

Deinde sequitur: Requiem æternam. Et lux. *Antiphona:* Audivi vocem de cœlo dicentem mihi:

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Magnificat. *Psal.* De profundis. *Psal.* Lauda. *Psal.* Voce. *Psal.* Ad Dominum. Pater noster. Et ne nos.

Oratio. Deus, cui proprium est. *Alia oratio.* Inclina, Domine.

Deinde sacerdos stet juxta feretrum. Interim sonentur omnia signa, quousque omnes conveniant, et accipiant candelas, et cantor stet apud feretrum et dicat. Deinde dicat sacerdos orationem. Ne intres, etc. *ut in editis.* ℟. Qui Lazarum suscitasti. *Interim, dum cantatur, incenset altare, deinde corpus, et cantor dicat :* Kyrie, Christe, Kyrie ; *et sacerdos dicat orationem :* Fac, quæsumus, *ut in editis.* Subvenite. *Et sacerdos incenset altare, et corpus, et cantor dicat, et sacerdos dicat orationem :* Inclina, Domine, etc. ℟. Libera me, Domine, etc. Dies illa, dies iræ, etc. *Deinde :* Plangent super se omnes tribus terræ. Tremens factus sum ego, etc. Vix justus salvabitur, et ego, miser, ubi apparebo? Quid ego, miserrimus, quid dicam vel quid faciam, dum nil boni perferam ante tantum Judicem? Nunc, Christe, te deprecor, miserere, peto. Qui venisti redimere, perpetim veni salvare. Requiem æternam, etc. Et lux, etc. Libera me, Domine. Memento mei, Deus, quia ventus est vita mea, nec aspiciat me visus hominis. Et non avertetur oculus meus ut videat bona. Quapropter non parcam ori meo, loquar in amaritudine animæ meæ. Nec aspiciat, etc. *Deinde incensetur altare et corpus.*

Hoc facto elevetur corpus defuncti de ecclesia, et vadant primitus minores cum cruce et incenso, et aqua sancta, deinde fratres canendo : In paradisum deducant, etc. In exitu Israel, etc. *Et sonent omnia signa, quousque claudatur monumentum.* Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. *Psal.* Confitemini. *Antiphona :* Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. *Psal.* Sicut cervus. *Antiphona.* Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. *Psal.* Memento. *Antiphona.* De terra plasmasti me, carne induisti me. Redemptor meus Domine, resuscita me in novissimo die. *Psal.* Domine, exaudi orationem meam. *Antiphona.* Non intres in judicium cum servo tuo, Domine. *Psal.* Domine exaudi orationem meam. (*bis.*) *Antiphona.* Omnis spiritus laudet Dominum. *Psal.* Laudate Dominum. *Antiphona.* Requiem æternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei.

Ad Benedictus. Omne quod dat mihi Pater, etc.

Oratio. Absolve, Domine, animam ejus ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sanctos et electos tuos resuscitatus respiret.

Et sacerdos incenset monumentum, et aspergat aqua sancta, et dicat has orationes, dum alii canunt psalmum.

Oratio. Oremus, fratres charissimi, pro spiritu chari nostri, quem Dominus de tentationibus hujus sæculi liberare dignatus est, cujus corpusculum hodie sepulturæ traditur, ut eum pietas Domini in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob collocare dignetur, ut cum dies judicii advenerit, inter sanctos et electos A suos eum in parte dextera collocandum resuscitari faciat. Præstante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum Patre et Spiritu sancto, etc.

Alia oratio Obsecramus misericordiam tuam, omnipotens Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, ut spiritum et animam famuli tui, quem hodierna die rebus humanis exutum ad te accersiri jussisti, blande misericorditerque suscipias. Non ei dominentur umbræ mortis, nec tegat eum chaos et caligo tenebrarum, sed exutus omnium criminum labe, in sinu Abrahæ collocatus, locum lucis, et refrigerii se adeptum gaudeat, ut cum dies judicii advenerit, cum sanctis et electis tuis eum resuscitari jubeas. Per.

Oratio. Deus, cui omnia vivunt, et cui non pereunt B corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut quidquid anima famuli tui vitiorum, tuæque voluntati contrarium, fallente diabolo, et propria voluntate atque fragilitate contraxit, tu pius et misericors abluens indulgendo, eam suscipi jubeas per manus sanctorum tuorum, deducendamque in sinu patriarcharum tuorum Abrahæ scilicet amici tui, et Isaac electi tui, et Jacob dilecti tui, quo abfuit dolor et tristitia et suspirium, fidelium quoque animæ felici jucunditate lætantur, et in novissimo magni judicii die, inter sanctos et electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparasti diligentibus te.

C *Oratio.* Temeritatis est, ut homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi, Domino Deo nostro, audeat commendare. Sed quia terra suscipit terram, et pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in suam redigatur originem, inde, Deus, tuam, piissime Pater, lacrymabiliter quæsumus pietatem, ut hujus famuli tui animam, quam de hujus mundi voragine cœnulenta ducis ad patriam, Abrahæ amici tui sinu recipias, et refrigerii rore perfundas, sitque ab æstuanti gehennæ truci incendio segregatus, et beatæ requiei te donante conjunctus; et si quæ illi sunt, Domine, dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratia mitissimæ lenitatis indulge, nec pro peccatis recipiat vicem, sed indul- D gentiæ tuæ piam sentiat bonitatem. Cumque finito mundi termino supernum cunctis illuxerit regnum, novus homo sanctorum omnium cœtibus aggregatus, cum electis tuis resurgat in parte dextera collocandus. Per.

Alia oratio. Te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, suppliciter deprecamur pro spiritu famuli tui, quem a caligine hujus sæculi ad te accersiri præcepisti, ut digneris, Domine, dare ei locum lucidum, locum refrigerii et quietis; liceat ei transire portas infernorum et pœnas tenebrarum, maneatque in mansionibus sanctorum, et in luce sancta, quam olim Abrahæ promisisti et semini ejus. Nullam læsionem sustineat spiritus ejus, sed, cum magnus dies ille resurrectionis ac remunera-

tionis advenerit, resuscitare eum digneris, Domine, una cum sanctis et electis tuis, dones ei delicta atque peccata usque ad novissimum quadrantem, tecumque immortalitatis vitam et regnum consequatur. Per.

Oratio. Viri vulneris novitate percussi et quodammodo sauciati misericordiam tuam, mundi Redemptor, flebiliter imploramus, ut chari nostri animam ad te datorem proprium revertentem blande leniterque suscipias, ut si quas illo ex carnali commoratione maculas contraxit, pietate indulgeas, oblivioni in perpetuum tradas, atque hanc eamdem laudem tibi cum cæteris redditura, ad corpus quandoque reversura, sanctorum tuorum cœtibus aggregari præcipias.

Oratio. Deus, qui et justis supplicationibus semper præsto es, qui pia vota dignaris intueri, da famulo tuo, cujus depositionis officia præstamus, cum sanctis et electis tuis beati muneris portionem. Per.

Oratio. Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia vivunt, fideliter deprecamur ut hoc corpus chari nostri a nobis in infirmitate sepultum in ordine sanctorum resuscitet et ejus spiritum sanctis ac fidelibus aggregari jubeat, cum quibus inenarrabiliter gloria et perenni felicitate perfrui mereatur. Per.

Hic finis, et corpore tumulato dicat sacerdos: Dicite Pater noster. Et ne nos ind. *Capitulum.* A porta inferi, Erue, Domine, animam ejus. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio. Tibi, Domine, etc. *ut in editis. Deinde dicat :* Dele, Domine. Miserere. Pater noster. Et ne nos. A porta. Erue, Domine, animam ejus. Dominus vobiscum, Et cum.

Oratio. Deus in cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus sine fine lætentur. Per.

Benedictio. Benedictio Dei Patris † omnipotentis et Filii † et Spiritus sancti † descendat super hoc corpus. Amen. *Tunc incipiat hos psalmos septem pœnitentiales:* Domine, ne in furore, *et cæteros.* Pater noster. Et ne nos. *Capitulum.* A porta inferi. Erue, Domine. Dominus vobiscum. Et cum Spiritu.

Oratio. Absolve, Domine, animas famulorum famularumque tuorum, fratrum nostrorum et omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sanctos tuos resuscitati respirent. Per.

INCIPIT ORDO QUALITER SACERDOS PRÆPARET SE AD MISSAM.

Ad manus lavandas. Psal. Quam amabilia. *Psal.* Benedixi. *Psal.* Inclina, Domine. *Psal.* Fundamenta. *Psal.* Judica me, Domine. *Psal.* Credidi. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. *Capitulum.* Exsurge, Domine. Et libera. Deus, tu conversus vivificabis nos. Et plebs tua. Ostende nobis, Domine, misericordiam. Et salutare. Propitius esto, Domine. Propter. Non intres in judicium. Quia non. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio. Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, et gratia sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna charitate diligere merear. Per.

Alia oratio. Largire sensibus nostris, quæsumus, omnipotens Deus Pater, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur pollutiones mentium, et crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum. Per.

Ad amictum. Pone, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas et superandas omnes diabolicas potestates. Per.

Ad album. Indue me, Domine, vestimento salutis, et indumento justitiæ et lætitiæ, et tunica justitiæ circumda me.

Ad cingulum. Præcinge, Domine, lumbos mentis meæ, Pater clementissime, et circumcide vitia cordis mei.

Ad manipulum. Da mihi, Domine, sensum rectum, et vocem puram, ut adimplere possim laudem tuam.

Ad stolam. Stolam justitiæ circumda, Domine, cervicem meum, et ab omni corruptione purifica mentem meam.

Ad casulam. Indue me, Domine, loricam fidei, et galeam salutis, in Christo Jesu Domino nostro.

Quando ingreditur ad altare, dicit. Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui. Ego miser et infelix, confiteor Deo omnipotenti et beatæ Mariæ perpetuæ Virgini, et beato Michaeli archangelo et sanctis apostolis Petro et Paulo, et omnibus sanctis, et tibi, Pater, mea culpa, mea culpa, mea culpa, quia peccavi in cogitatione, suggestione, delectatione, consensu, verbis et opere, et omnibus vitiis meis malis; unde precor beatam Virginem Mariam, et beatum Michaelem archangelum, et sanctos apostolos Petrum et Paulum, et beatum N. et omnes sanctos, et te, Pater, orare pro me peccatore Dominum nostrum Jesum Christum.

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimittat vobis omnia vestra peccata præterita et præsentia, et de futuris vos custodiat, liberet vos ab omni opere malo, salvet et confirmet vos in omni opere bono, et perducat vos cum angelis suis ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam et remissionem et absolutionem omnium peccatorum, et spatium vere pœnitentiæ, et gratiam sancti Spiritus tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Capitulum. Deus, tu conversus. Et plebs. Ostende nobis. Et salutare. Propitius esto, Domine, peccatis. Propter nomen. Ab occultis meis. Et ab alienis. Domine, exaudi. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio. Aufer a nobis, quæsumus, Domine, omnes

iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Quando sacerdos est ad altare, dicat : Oramus te, Domine, ut per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, eorum intercessionibus, omnipotens Deus, indulgere digneris mihi omnia peccata mea. Per.

Dum cantatur epistola et graduale et alleluia, sacerdos dicat hanc orationem : Suscipe confessionem meam, una spes salutis meæ, Domine Deus meus. Gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitia, avaritia, ira, acedia, somnolentia, negligentia, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate, ac superbia perditus sum, et omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus sensibus exstinctus sum. O Domine, qui justificas impios et vivificas mortuos, justifica me et ressuscita me, Domine Deus meus. Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat, etc.

Maria beatissima, Mater Dei et hominis gloriosa, inter omnes mulieres benedicta, cœli et terræ Domina, super omnes angelos et archangelos exaltata, tu dignare pro me peccatore preces effundere, cujus oratio non potest ab eo qui ex te natus est, despici, nec quid aliquatenus a Filio tuo et Creatore contemni. O singularis et nova puerpera, adoro virginalis uteri tui conceptum. Adoro partum ex intemeratæ Virginis flore progenitum. Adoro ex te virginitatis tuæ signaculum ineffabiliter prodeuntem. Adoro in cunabilis pueriliter vagientem. Adoro ubera materna sugentem. Ora pro me misero, beata Dei Genitrix, ut qui ex te verum hominem est dignatus induere, in mente mea non dedignetur invisibiliter habitare. Tibi etiam, piissima domina, turpitudinem corporis et animæ meæ confiteri non erubesco, quia in peccatis conceptus et in peccatis nutritus, et in peccatis post baptisma usque ad hanc horam cum omnibus peccatoribus conversatus animam meam in carne positam pollui, templum corporis mei de omni genere fornicationis et pollutionis et immunditiæ coinquinavi. Peccavi ego miser et infelix in negligentia et in transgressione sanctæ legis et omnium mandatorum Filii Dei, et officii sacerdotalis et obedientiæ mihi commissæ, et omnium actuum eorum. Non est iniquitas super meam iniquitatem, super omnes peccatores sæpius et gravius cecidi, plus omnibus hominibus carnalibus vitiis sive spiritualibus ab infantia mea indesinenter peccavi. Propterea mente et corpore pollutus, non sum dignus tractare vel suscipere corpus Filii tui. Nunc ergo, Mater misericordiæ, ora pro me peccatore ad eumdem Filium tuum Dominum nostrum, qui passus est pro nobis, quem tu gloriosa et benedicta genuisti Deum et hominem pro redemptione omnium peccatorum.

Ad benedictionem Evangelii, diaconus petat benedictionem dicens : Benedic, jube. ℟ Dominus sit in corde tuo, ut digne et competenter pronunties Evangelium pacis. *Demum osculetur Evangelium, et dicat :* Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet et conservet corda et corpora nostra in vitam æternam. Amen. *Quando mittitur incensum in thuribulum dicit :* Ab ipso bene✝dicaris pro cujus amore cremaris. *Deinde incensetur evangelium, quo lecto evangelium osculetur dicendo :* Per istos sanctos sermones Evangelii Dominus noster Jesus Christus indulgeat mihi omnia peccata mea. Amen.

Ad corporale benedictio. In tuo conspectu, Domine, hæc nostra munera tibi placita sint, ut nos tibi placere possimus.

Quando oblata super altare ponit : Tibi, Domine, Creatori meo hostiam offero pro remissione omnium peccatorum meorum, et cunctorum fidelium tuorum viventium et mortuorum.

Quando aqua mittitur in calicem, dicat sacerdos : Ex latere Christi sanguis et aqua exiisse perhibetur, et ideo pariter commiscentur, ut misericors Deus ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur.

Quando calix ponitur super altare, dicat : Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, humiliter implorantes clementiam tuam, ut ante conspectum divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

Sequitur cum cruce super utrosque : Oblatum tibi, Domine, munus sanctifica, ut nobis unigeniti tui Filii Domini nostri Jesu Christi corpus et sanguis fiat.

Sequitur : Veni, Sanctificator, omnipotens æterne Deus, benedic hoc sacrificium tibi præparatum.

Sequitur : In nomine Domini nostri Jesu Christi sit hoc sacrificium immaculatum, et a te Deo vivo et vero adunatum et benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

Quando incensum ponitur in thuribulum dicat : Per intercessionem, etc., *ut in editis.*

Cum incensat oblata et calicem, dicat ista cum tribus crucibus super utrosque, et regyrando tribus vicibus dicat : Domine Deus noster, qui suscepisti munera Abel, Noe, Aaron, Samuel et omnium sanctorum tuorum, sic et de manu peccatorum nostrorum suscipere digneris incensum istud in conspectu tuo, in odorem suavitatis, in remissionem peccatorum nostrorum. Per Christum.

Cum incensat oblata et calicem dicat : Incensum istud, etc., *ut in editis. Sacerdos humiliter inclinet se ante altare et dicat :* Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus, et præsta ut in conspectum tuum tibi placens ascendat.

Sequitur : Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, et pro famulis et famulabus tuis, qui se commendaverunt in nostris orationibus, et pro omni populo Christiano, vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad medelam, et ad vitam æternam.

Deinde erigat se sacerdos, et vertat se ad fratres dicens : Orate, fratres charissimi, pro me, ut meum

hoc vestrum sacrificium acceptum sit in conspectu Domini.

Et illi respondeant : Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostrarum animarum, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.

In Nativitate Domini præfatio : Dignum et justum est, æquum et salutare, *usque* æterne Deus.

Sic in præfationibus Quadragesimæ, Resurrectionis et Pentecostes.

Præfatio mortuorum. Per quem salus mundi, per quem vita luminum, per quem resurrectio mortuorum : per ipsum te, Domine, suppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui et animabus famulorum famularumque tuarum indulgentiam largire digneris perpetuam, atque a contagiis mortalitatis exutas in æternæ salvationis partem restituas. Per quem.

Alia præfatio. Dignum et justum est, æquum et salutare. Qui nobis in Christo, unigenito Filio tuo, Domino nostro, spem beatæ resurrectionis concessisti, præsta, quæsumus, ut animæ, pro quibus hoc sacrificium redemptionis nostræ tuæ offerimus majestati, ad beatæ resurrectionis quietem te miserante cum sanctis tuis pervenire mereantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Per quem.

Alia præfatio. Dignum et justum est, æquum et salutare. Qui es fons vitæ, origo luminis, et auctor totius bonitatis, cujus omnipotentia deprecanda est, misericordia adoranda, pietas amplectenda, majestatem tuam humili tuo servo, et animabus omnium fidelium Christianorum, intercedente beata et gloriosa Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, remissionem omnium tribuas peccatorum, et ad vitam perducas feliciter sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Per quem.

Antequam dicat Te igitur, *dicat :* Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen tuum sanctum, mundaque cor meum ab omnibus variis et nequissimis cogitationibus, ut exaudiri merear deprecans pro populo tuo, quem elegisti tibi, præstante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum Patre.

Te igitur, *et cætera hujus orationis, ut in editis. Hic debet sacerdos recordari nomina vivorum.* Memento, Domine, etc. *usque ad* Libera nos, quæsumus, Domine. *In communicantes additur post* Damiani *nomen* Blasii, *et in* Nobis quoque peccatoribus, *post* Anastasia *additur* Scholastica.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris, et intercedentibus pro nobis beata et gloriosa semperque Virgine Maria, et electis archangelis tuis Michaele, Gabriele, Raphaele, beatoque Joanne Baptista, et beatis apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et Joanne, sanctoque Apollinare, et Laurentio, et Benedicto cum omnibus sanctis tuis : *Hic signat se cum patena :* da propitius pacem in diebus nostris; ut ope misericordiæ tuæ adjuti et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum Jesum, etc. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum. Et cum Agnus Dei. (*ter.*)

Cum corpus in sanguinem mittit, dicat sacerdos orationem : Fiat hæc consecratio et commistio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi omnibus accipientibus nobis salus in vitam æternam. Amen.

Deinde osculetur altare, et dicat orationem : Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis, Pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed devotionem fidemque Ecclesiæ tuæ, eamque secundum voluntatem tuam purificare et adunare digneris. Qui visis.

Deinde faciat pacem, dicendo : Habete vinculum charitatis et pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis, et pax Christi et Ecclesiæ semper abundet in cordibus vestris.

Antequam accipiat corpus et sanguinem, inclinet se sacerdos ante altare, et lacrymabiliter dicat hanc orationem : Domine sancte Pater, omnipotens Deus, da mihi hoc corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut merear per hoc remissionem peccatorum accipere, et tuo sancto Spiritu repleri, quia tu es Deus, et præter te non est alius, cujus gloriosum nomen permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Alia oratio. Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pastor bone, gloriosissime conditor mundi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam vivificasti mundum, libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus, et universis malis meis, et fac me tuis sanctis obedire mandatis, et a te nunquam in perpetuum permittas separari, et perceptio tui corporis et sanguinis, quæ indignus sumere præsumo, non mihi veniat in judicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis per te, Jesu Christe, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Tunc sacerdos dicat tribus vicibus : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.

Postea dicat tribus vicibus : Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam meam in vitam æternam. Amen.

Post acceptum corpus et sanguinem, ad perfundendum dicat hanc orationem : Communicatio et confirmatio corporis et sanguinis tui, Domine Jesu Christe, prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum, et conservet me et perducat ad vitam æternam. Amen.

Ad replicandum corporale et reponendum. Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et calix, quem potavi, adhæreant semper visceribus meis, ut in me non remaneat ulla macula, in quem pura et sancta introierunt sacramenta.

Finita missa dicit sacerdos istam orationem : Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ, quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli : sit tibi

placens, mihique et omnibus pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile.

Finita missa dicit sacerdos : Meritis et intercessionibus istorum misereatur nostri omnipotens Deus.

Cum exuit se sacerdos, dicat hos psalmos : Benedicite, sacerdotes Domini, Dominum. Laudate Dominum in sanctis ejus. Kyrie eleison, Christe, Kyrie. Pater noster. Et ne nos. *Capitulum*. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. Et sancti tui benedicant tibi. Exsultabunt sancti in gloria. Et lætabuntur in cubilibus suis. Exsultent justi in conspectu Dei. Et lætentur in lætitia. Sacerdotes tui, Domine, induantur justitiam. Et sancti tui exsultent. Domine, exaudi. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum spiritu.

Oratio. Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius per interventum et merita omnium sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

MISSA IN HONOREM SANCTÆ TRINITATIS DIE DOMINICO.

Benedicta sit, etc., *ut in editis*. *Psal.* Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. *Oratio*. Omnipotens sempiterne Deus, etc. *Graduale*. Benedictus es, Domine, qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim. Benedicite Deum cœli cœlorum, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Alleluia*. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis in sæcula.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. In illo tempore dixit Jesus. Cum venerit Paracletus, *usque* ego dixi vobis. *Offertorium*, *communio* et *postcommunio ut in editis*.

Alia oratio. Domine Deus, Pater omnipotens, nos famulos tuos tuæ majestati subjectos per unicum Filium tuum in virtute sancti Spiritus benedic semper et protege, ut ab omni hoste securi in tua jugiter laude lætemur. Per eumdem.

MISSA FERIÆ SECUNDÆ IN SANCTORUM ANGELORUM HONORE.

Benedicite Dominum, etc. *Oratio*. Perpetuum nobis, Domine, tuæ miserationis præsta subsidium, quibus et angelica præstitisti suffragia non deesse. Per. Lectio libri Apocalypsis Joannis apostoli. In diebus illis dixit mihi angelus : Scribe beati, etc., *usque* Deum adora. *Graduale*. Benedicite Dominum, omnes angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus. Benedic, anima mea, Domino, et omnia interiora mea sanctum nomen ejus. *Alleluia*. Laudate Dominum, omnes angeli ejus, laudate eum, omnes virtutes ejus. Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. In illo tempore ascendit Dominus Hierosolymam, *usque* detinebatur infirmitate. *Offertorium*, *et secreta* ut in editis. *Communio*. Benedicite, omnes angeli Domini, Dominum, hymnum dicite et superexaltate eum in sæcula. *Postcommunio*, ut in editis.

MISSA DE SAPIENTIA.

Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper. *Psal.* Confitemini Domino et invocate. *Oratio*. Deus qui per coæternam tibi sapientiam, hominem, cum non esset, condidisti perditumque misericorditer reformasti, præsta, quæsumus, ut eadem pectora nostra inspirante te tota mente amemus, et ad te toto corde curramus. Per. Lectio epistolæ beati Jacobi apostoli. Charissimi, si quis vestrum indiget, etc., *usque* in humilitate sua. *Graduale*. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos, *Alleluia*. Lauda anima mea Dominum, Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo, quandiu ero. Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. In illo tempore. Sublevatis Dominus Jesus, etc., *usque ad* Jesum Christum. *Offertorium*. Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi nimis, et levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. *Secreta*. Sanctificetur, quæsumus, Domine Deus, hujus oblationis munus tua cooperante sapientia, ut tibi placere possit ad laudem, et nobis proficere ad salutem. Per. *Communio*. Domine, memorabor justitiæ tuæ solius, Deus docuisti me a juventute mea, et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me. *Postcommunio*. Infunde quæsumus, Domine Deus, per hæc sacramenta, quæ sumpsimus, tuæ lumen cordibus nostris sapientiæ, ut et te veraciter agnoscamus, et fideliter amemus. Per.

MISSA DE CHARITATE FERIA IV.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, alleluia, per inhabitantem Spiritum ejus in nobis, alleluia, alleluia. Domine Deus salutis meæ. *Oratio*. Deus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Lectio epistolæ beati Pauli apostoli ad Corinthios. Fratres, charitas patiens est, etc., *usque* nunquam excidit. *Graduale*. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, In domum Domini ibimus. Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. *Alleluia*. Attendite, popule meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Filioli, adhuc modicum, etc., *usque* ad invicem. *Offertorium*. Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas, in labiis meis pronuntiavi. *Secreta*. Deus qui nos ad imaginem tuam sacramentis revocas et præceptis, perfice gressus nostros in semitis tuis, ut charitatis donum, quam fecisti a nobis operari, per hæc quæ offerimus sacrificia, veraciter facias apprehendi. Per. *Communio*. Domine, memorabor justitiæ tuæ solius; Deus, docuisti me a juventute mea, et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me. *Ad postcommunionem*. Spiritum in nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos uno pane cœlesti satiasti, tua facias pietate concordes. Per.

MISSA AD POSTULANDAM GRATIAM SPIRITUS SANCTI.

Oratio. Deus patrum nostrorum da nobis Spiritum, qui flammam infundat in cordibus nostris. *Psal.* Benedicite omnia opera. *Lectio.* In diebus illis dixit Salomon : Deus patrum nostrorum, etc., *usque* ancillæ tuæ. *Graduale.* Respice, Domine, in testamentum tuum, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Exsurge, Domine, et judica causam tuam, memor esto opprobrii servorum tuorum. *Alleluia.* Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris ignem accende. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. In illo tempore, respondens Dominus Jesus dixit : Confiteor, etc., *usque* Filius revelare. *Offertorium.* Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, et dulciores super mel et favum ; nam et servus tuus custodit eas. *Secreta.* Hæc oblatio, Domine Deus, cordis nostri maculas emundet, ut sancti Spiritus digna efficiatur habitatio. Per. *Communio.* Gustate et videte quoniam suavis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo. *Ad communionem.* Concede nos, quæsumus, omnipotens Deus, Spiritum sanctum votis promereri sedulis, quatenus ejus gratia ab omnibus liberemur tentationibus, et peccatorum nostrorum indulgentiam mereamur accipere. Per.

FERIA VI IN HONOREM S. CRUCIS.

Nos autem, etc., *ut in editis, usque ad alleluia.* Alleluia. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. In illo tempore, assumpsit Jesus, etc. *Communio.* Redemptor mundi signo crucis ab omni nos adversitate custodi, qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis. *Postcommunio.* Refecti cibo potuque cœlesti, quæsumus, omnipotens Deus, ut ab hostium defendas formidine, quos pretioso Filii tui sanguine redemisti. Per eumdem.

SABBATO MISSA IN HONOREM SANCTÆ MARIÆ.

Salve, sancta parens, etc. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. *Oratio.* Concede nos, etc. Alleluia. Post partum virgo inviolata permansisti, alleluia. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. In illo tempore : Extollens, etc.

In alia missa sanctæ Mariæ oratio.

Deus, qui violatæ naturæ per virginale decus adhibes medicinam, fac nos beatæ Mariæ Virginis precibus et fermentum conceptum pravitatis abjicere, et in novitatis azymam de vetustate transire.

MISSA PRO CONGREGATIONE.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia solus, prætende super famulos tuos, et super cunctas congregationes illis commissas spiritum gratiæ salutaris, et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per. *Secreta et Communio prout in editis.*

MISSA PRO PETITIONE LACRYMARUM.

Oratio. Omnipotens, etc., *ut in editis.*

Postcommunio. Corpore et sanguine tuo, Domine, satiati, quæsumus ut pro nostris peccatis semper compunctionem cordis, luctum et flumina lacrymarum largiaris, quatenus cœlestem in futuro consolationem mereamur. Per.

MISSA PRO TRIBULATIONE.

Omnipotens sempiterne Deus, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant affuisse. Per. *Secreta.* Has tibi, Domine, hostias offerimus pro salute nostra, et pro omnibus angustiis nobis imminentibus, quatenus corpora et animas nostras Spiritus sancti gratia liberare atque illuminare digneris. *Ad communionem.* Da nobis, quæsumus, de tribulatione lætitiam, ut qui diu pro peccatis nostris affligimur, intercedentibus omnibus sanctis tuis, in tua misericordia respiremus. Per.

MISSA PRO ITER AGENTIBUS.

Oratio, Secreta et Postcommunio eædem quæ in editis. Additur. Prosperum iter faciat nobis Deus, angelus Domini bonus comitetur nobiscum, et bene disponat itinera nostra Deus noster. Exsurgat. Gloria. Prosperum. *Oratio.* Deus qui diligentibus te misericordiam tuam semper impendis, et a servientibus tibi in nulla es regione longinquus, dirige viam famulorum tuorum in voluntate tua, ut te protectore, te duce, per justitiæ semitas sine offensione gradiantur. Per.

Lectio Genesis. In diebus illis profectus est Israel *usque* revertentem.

Angelus Domini bonus comitetur vobiscum, et bene disponat itinera vestra. Prosperum iter faciat vobis Deus Salutaris noster. Alleluia. Prosperum iter faciat nostrum Deus Salutaris noster. Alleluia.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis *usque* illi civitati. *Offertorium.* Angelus Domini bonus comitetur vobiscum, et bene disponat iter vestrum, alleluia. *Communio.* Sicut præcessit Tobiam Raphael archangelus ad præparandam viam, ita comitetur vobiscum, et bene disponat itinera vestra. *Postcommunio.* Dirige, quæsumus, Domine, viam famulorum tuorum in voluntate tua, nosque propitius exaudi supplicantes, ut habeant iter prosperum, et in te cor directum. Per.

MISSA PRO TENTATIONE CARNIS.

Ure, etc., *ut in editis usque ad totam secretam. Ad Communionem.* Domine adjutor et protector, adjuva nos, et refloreat caro nostra vigore pudicitiæ, et sanctimoniæ novitate, ereptamque de manu tartari in resurrectionis gaudio jubeas repræsentari. Per.

MISSA PRO IMMUNDIS COGITATIONIBUS.

Omnipotens, etc., *ut in editis. Secreta.* Per hoc, quæsumus, Domine, sacrificium, quod tuæ obtulimus majestati, ab omnibus corda nostra emunda tentationibus. Per.

MISSA PRO PECCATIS.

Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ? Quia apud te propitiatio est, Deus noster. *Psal.* De profundis clamavi ad te, Domine. *Oratio.* Parce, Domine, parce peccatis nostris, et quam-

vis incessabiliter delinquentibus continua pœna debeatur, præsta, quæsumus, ut quod ad perpetuum meretur exitium, transeat ad correctionis auxilium. Per. Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Corinthios. Fratres, condelector, etc., *usque ad* Christum Dominum nostrum. *Graduale.* Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo. *Alleluia.* De profundis clamavi ad te, Domine, Domine exaudi orationem meam. Fiant aures tuæ intendentes in orationem servi tui. Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Habete fidem Dei, *usque ad* peccata vestra. *Offertorium.* Miserere mihi, et secundum magnam misericordiam tuam dele iniquitatem meam. *Secreta.* Hæc hostia, Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam ab occultis reatibus semper expediat et a manifestis convenienter expurget. Per. *Communio.* Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. *Ad Communionem.* Præsta nobis, æterne Salvator, ut percipientes hoc munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per.

MISSA PRO TRIBULATIONE ECCLESIÆ.

Deus pater orphanorum judexque viduarum, lacrymas Ecclesiæ tuæ miseratus intende, illamque tua misericorditer eripiat majestas, quam nulla terrena defendit potestas. Per. *Secreta.* Hæc hostia, Domine, quam pro infidelium telis, offerimus, tibi sit accepta, ut per hæc, quod devote poscimus, te adjuvante consequamur. Per. *Postcommunio.* Deprime, quæsumus, omnipotens, jura tyrannorum tibi adversantium, ut discant te fore protectorem Ecclesiæ tuæ tuo pretioso sanguine redemptæ. Per.

MISSA PRO SERENITATE.

Oratio. Ad te nos, Domine, etc., *Ad Communionem.* Plebs tua, Domine, capiat sacræ benedictionis augmentum, et copiosis beneficiorum tuorum sublevetur auxiliis, quæ tantis intercessorum deprecationibus adjuvatur. Per.

MISSA PRO PŒNITENTIBUS.

Justus es, Domine, et, rectum judicium tuum; fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. *Psal.* Beati immaculati in via. *Oratio.* Deus, qui justificas impium et non vis mortem peccatorum, majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulum tuum de tua misericordia confidentem, cœlesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur, et nullis tentationibus a te separetur. Per Dominum. Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Romanos. Fratres, sicut per unius hominis, etc., *usque* Domino nostro. *Graduale.* Salvum fac servum tuum, Domine Deus misericors, sperantem in te. Auribus percipe, Domine, orationem meam, et clamor meus ad te perveniat. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. In illo tempore: Erant appropinquantes, etc., *usque* pœnitentiam agente. *Offertorium.* De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi orationem meam. *Secreta.* Suscipe munera, quæsumus, Domine, quæ tibi pro famulo tuo de tua largitate deferimus, ut hæc sacrosancta mysteria, gratiæ tuæ operante virtute, et præsentis vitæ cum conversatione sanctificent, et ad gaudia æterna perducant. Per. *Communio.* Dico vobis, gaudium est coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Ad communionem.* Purificent nos, Domine, tua sancta, quæ sumpsimus, et famulum tuum ab omni culpa liberum esse concede, ut qui conscientiæ suæ reatu constringitur, de cœlestis remedii plenitudine glorietur. Per.

MISSA PRO SEMETIPSO SACERDOTE.

Suppliciter te, piissime Deus, Pater omnipotens, qui es creator omnium rerum, deprecor, ut dum me famulum tuum coram omnipotentia majestatis tuæ graviter deliquisse confiteor, per intercessionem beatæ Mariæ semper virginis et omnium sanctorum tuorum, manum misericordiæ tuæ mihi porrigas, quatenus, dum hanc oblationem tuæ pietati offero, quod nequiter admisi, clementissime me digneris absolvere. Per Dominum. *Secreta.* Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ indulge, quæso, et miserere mei servi tui et sacrificium quod pietatis tuæ gratia humiliter offero, benigne digneris suscipere, et peccata quæ labentibus vitiis contraxi, interventu beatæ Mariæ semper virginis, et omnium sanctorum tuorum, pius ac propitius et misericors indulgeas, et locum pœnitentiæ ac lacrymarum flumina concede, ut veniam meorum merear recipere delictorum. Per Dominum. *Postcommunio.* Misericors et miserator Domine, qui parcendo sustentas, et ignoscendo sanctificas, da mihi per hæc sancta, quæ sumpsi, purificationem mentis et corporis, et intercessione beatæ Mariæ semper virginis, et omnium sanctorum tuorum, merear absolutionem culparum. Per.

ALIA MISSA PRO SEMETIPSO SACERDOTE.

Introitus. Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me. Deus, exaudi orationem meam. *Psal.* Auribus percipe. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, etc., *eadem quæ in editis legitur in postcommunione.* Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Timotheum. Charissime, fidelis sermo *usque* sæcula sæculorum. Amen. *Graduale.* Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. *Alleluia.* Domine, Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te. Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum. In illo tempore: Venit ad Jesum leprosus, etc., *usque* in testimonium illis. *Offertorium.* Domine, exaudi orationem meam, et in auxilium meum respice. Confundantur et revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam ut auferant eam. *Secreta.* Placare, quæsumus, Domine, humilitatis meæ precibus, et ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis mihi succurre præsidiis. Per. *Communio.* Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. *Postcommunio.*

Sumpsimus, Domine, Deus salutis nostræ sacramenta cœlestia, præsta, quæsumus, ut eorum participatio mihi famulo tuo ad perpetuam proficiat salutem. Per.

IN VIGILIA UNIUS APOSTOLI.

Ego autem, etc. *Oratio.* Deus, qui nos beati apostoli tui N. natalitia gloriosa præire concedis, tribue nobis, quæsumus, ejus semper et beneficiis præveniri, et orationibus adjuvari. Per. Lectio libri Sapientiæ. Beatus vir, etc., *usque* Ecclesia sanctorum. *Graduale et versus ut in editis.* Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, etc., *usque* impleatur. *Offertorium ut in editis. Secreta.* Muneribus nostris, quæsumus, Domine, beati apostoli tui N. festa prævenimus, cujus meritis pro nobis tibi grata reddantur. Per. *Ad postcommunionem.* Sumptis, Domine, cœlestibus sacramentis, majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut, intercedente beato apostolo tuo N., quod temporaliter gerimus, ad vitam capiamus æternam. Per.

MISSA IN NATALI PLURIMORUM APOSTOLORUM.

Intret. *Oratio.* Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut apostolorum NN. gloriosa natalitia prævenimus, sic ae tua beneficia promerenda majestatem tuam pro nobis ipsi præveniant. Per. Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Ephesios. Fratres, unicuique vestrum, etc., *usque* plenitudine Christi. *Graduale.* Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. In illo tempore: Circuibat Jesus, etc., *usque* gratis date. *Offertorium.* Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exaltationes Dei in faucibus eorum. *Secreta.* Muneribus nostris apostolorum tuorum, Domine, festa præimus, humiliter implorantes, ut, quæ conscientiæ nostræ præpediuntur obstaculis, illorum meritis tibi grata reddantur. Per. *Communio.* Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ. Visi sunt oculis, etc. *Ad postcommunionem.* Sumptis, Domine, cœlestibus sacramentis, majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut, intercedentibus beatis apostolis tuis NN., quod temporaliter gerimus, ad vitam capiamus æternam. Per.

MISSA IN VIGILIA UNIUSCUJUSQUE VOLUERIS.

Ego autem sicut oliva fructificavi in domo Domini, speravi in misericordia Dei mei, et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est ante conspectum sanctorum tuorum. *Psal.* Quid gloriaris? *Oratio.* Concede nobis, quæsumus, omnipotens Deus, venturam beati N. solemnitatem congruo prævenire honore, et venientem digna celebrare veneratione. Per. Lectio libri Sapientiæ. Benedictio Domini, etc., *usque* corona gloriæ. *Graduale.* Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Ad annuntiandam mane misericordiam

A tuam, et veritatem tuam per noctem. *Evangelium.* Ego sum vitis. *Offertorium require retro. Secreta.* Accepta tibi sit, Domine, nostræ devotionis oblatio, ut ad sancti N. puriores nos faciat venire festivitatem. Per. *Communio.* Magna est gloria in salutari tuo. *Ad postcommunionem.* Præsta nobis, Deus æterne largitor, ejus ubique pia protegi devotione, cujus natalitia per hæc sancta, quæ sumpsimus, votivo prævenimus obsequio. Per.

MISSA IN NATALI UNIUS MARTYRIS.

Lætabitur, etc., *ut in editis. Oratio.* Votivos nos, quæsumus, beati N. martyris tui natalis semper excipiat, qui et jucunditatem nobis suæ glorificationis infundat, et tibi nos reddat acceptos. Per. Lectio libri Sapientiæ. Justum deduxit Domi-
B nus, etc., *usque* Deus noster. *Graduale.* Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *Alleluia.* Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis, etc., *usque* esse discipulus. *Offertorium, secreta, communio* et *postcommunio, ut in editis.*

MISSA UNIUS MARTYRIS NON PONTIFICIS.

Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manus ejus, tota die miseretur et commodat, et semen ejus in benedictione erit, in æternum con-
C servabitur. *Psal.* Noli æmulari. *Oratio.* Deus, qui nos N. martyris et intercessione lætificas, concede propitius, ut qui ejus beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per. Lectio libri Sapientiæ. Beatus vir, etc., *usque* Deus noster. Posuisti, Domine. Desiderium. *Alleluia.* Posuisti. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. In illo tempore: Dixit Dominus Jesus discipulis suis: Si quis vult, *usque* regnum Dei. *Offertorium.* In virtute tua, Domine, lætabitur justus, etc., *usque* Domine. *Secreta.* Munera, Domine, oblata sanctifica, et intercedente beato N. martyre tuo, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per. *Communio.* Magna est gloria ejus in salutari. *Ad postcommunionem.* Sumpsimus, Domine, in sancti mar-
D tyris tui N. solemnitate cœlestia sacramenta, ejus, quæsumus, intercessione largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

MISSA IN NATALI PLURIMORUM MARTYRUM.

Sapientiam sanctorum, etc. *Psal.* Gaudete, justi. *Oratio.* Beatorum martyrum tuorum N. N. natalitia veneranda, quæsumus, Domine, Ecclesia tua devota suscipiat, et fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per. Lectio libri Sapientiæ. Linguæ sapientium, etc., *usque* a Domino. *Graduale.* Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum. *Alleluia.* Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. In illo

tempore : Videns Jesus, etc., *usque* in cœlis. *Offertorium*. Mirabilis Deus, etc. *Secreta*. Munera tibi, Domine, etc. *Postcommunio*. Protege, Domine, plebem tuam, et quam in martyrum tuorum assidue tribuis festivitate devotam, tibi semper placitam fieri precibus concede justorum. Per.

MISSA ALIA IN NATALI PLURIUM MARTYRUM.

Intret, etc. *Oratio*. Deus, qui nos. Lectio libri Sapientiæ. Reddet Deus mercedem laborum, *usque* Domine Deus noster. *Alia* lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Hebræos. Fratres, sancti per fidem, *usque* Domino nostro. Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. *Alleluia*. Hæc est vera fraternitas, quæ vincit mundi crimina, Christum secuta est, inclyta tenens regna cœlestia. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam, *ut in editis in prima missa*. *Offertorium*. Lætamini. *Secreta*. Munera. *Communio*. Justorum animæ. *Postcommunio*. Præsta nobis, etc.

MISSA IN NATALI CONFESSORIS.

Sacerdotes, etc. *Oratio*. Da, quæsumus. Lectio *Epistolæ eadem quæ in communi doctorum*. *Graduale*. Ecce sacerdos. *Alleluia*. Inveni David. *Evangelium secundæ missæ*. *Offertorium primæ missæ editarum*. *Secreta*. Sacris altaribus, Domine, hostias superpositas, quæsumus, ut sanctus tuus N. pontifex atque confessor in salutem nobis provenire deposcat. *Communio secundæ missæ*. *Postcommunio*. Beati confessoris tui N., Domine, suffragiis exoratus percepta sacramenti tui nos virtute defende. Per.

MISSA PRO JUNIORIBUS CONFESSORIBUS, QUI NON SUNT PONTIFICES.

Introitus, et oratio de communi abbatum. Lectio libri Sapientiæ. Benedictio Domini, *usque* gloriæ. *Graduale*. Os justi, *usque* gressus ejus. *Alleluia*. Amavit. *Evangelium*. Vigilate. *Offertorium*. Desiderium. *Secreta*. Hostias tibi, Domine, pro commemoratione sancti N. confessoris tui offerimus, quem a tui corporis unitate nulla tentatio separavit. Per. *Communio et postcommunio ex editis in communi doctorum*.

MISSA IN NATALI CONFESSORIS.

Statuit. *Psal*. Misericordias tuas in æternum, etc. *Oratio*. Adesto. *Epistola ut in editis in prima missa confessoris pontificis*. *Graduale*. Inveni David. *Alleluia*. Domine, quinque talenta. *Evangelium*. Homo peregre. *Offertorium*. Veritas. *Secreta*. Donis cœlestibus da, quæsumus, Domine, libera nos mente inservire, et munera, quæ deferimus, interveniente beato N. confessore tuo, medelam nobis operentur et gloriam. Per. *Communio*. Domine, quinque talenta. *Postcommunio*. Repleti alimonia cœlesti, quæsumus, Domine, ut, intercedente beato N. confessore tuo, misericordiæ tuæ gratiam consequi mereamur. Per.

MISSA IN NATALI VIRGINIS.

Loquebar. *Oratio*. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatæ N. martyris tuæ solemnia recensentes meritis ipsius protegamur et precibus. Per. *Epistola*. Fratres, qui gloriatur. *Graduale*. Dilexisti. *Alleluia*. Diffusa. *Evangelium*. Simile. *Offertorium*. Offerentur regi. *Secreta*. Vota populi tui, quæsumus, Domine, propitiatus intende, et cujus nos tribuis solemnia celebrare, fac gaudere suffragiis. Per. *Communio*. Quinque prudentes. *Postcommunio*. Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut interveniente beata N. martyre tua, et tua in nobis dona multiplices, et tempora nostra disponas. Per.

ALIA MISSA DE VIRGINIBUS.

Introitus, psalmus et *oratio, ut in editis in prima unius virginis*. Lectio libri Sapientiæ. Sapientia vincit malitiam, *usque* disciplina Dei. *Graduale*. Specie tua. *Alleluia*. O quam pulchra est casta generatio cum claritate. *Evangelium ut in editis unius martyris non virginis*. *Offertorium*. Filiæ regum. *Secreta, communio et postcommunio, ut in editis in secunda unius virginis*.

MISSA IN DIE DEPOSITIONIS.

Rogamus te, Domine Deus noster, ut suscipias animam hujus defuncti, pro quo sanguinem tuum fudisti. Recordare, Domine, quia pulvis sumus, et homo sicut fenum, et flos agri. *Psal*. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. *Oratio*. Deus, cui proprium est misereri, etc. Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Thessalonicenses. Fratres, de temporibus et momentis, etc. *usque* mortuus est pro nobis. *Graduale*. Qui Lazarum resuscitasti a monumento fetidum, tu ei, Domine, dona requiem et locum indulgentiæ. Requiem æternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei. *Tractus*. Absolve, Domine, etc. Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis. Nemo potest venire, *usque* pro mundi vita. *Offertorium*. Subvenite, sancti Dei. *Secreta*. Propitiare, Domine. *Præfatio*. Æterne Deus, qui benignitate gratuita peccatoribus largiens veniam, præparasti mortuis vitam, ne diutius severitas teneret in pœna, quos misericordia liberasset ex culpa. Tibi ergo supplices preces effundimus, tibi famuli tui corpus et animam commendamus, ut receptus inter agmina beatorum, loca nesciat infernorum. Nihil illi noceat, Domine, quidquid attrahente carnis fragilitate commisit, aut quod humanæ cupiditatis consuetudine prægravatus actu, verbo vel cogitatione peccavit, sed secutus vestigia Salvatoris potiatur infinita dulcedine, et præsentia veritatis redemptionem quoque corporis sui commonitus fiducialiter exspectare, quidquid habuit prius in fide, consequatur in munere. Per Christum Dominum nostrum. *Communio, ut in editis*. *Postcommunio, ut in die obitus*.

ALIA MISSA PRO DEFUNCTIS.

Requiem, etc. *Oratio*. Adesto, Domine, quæsumus, animabus famulorum famularumque tuarum, quibus in depositionis suæ die officium commemorationis impendimus, ut si qua eis sæcularis macula inhæsit, aut vitium mundiale infecit, dono tuæ pietatis indul-

geas et abstergas. Per. *Secreta*. Hæc munera, quæsumus, Domine, quæ tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, quorum obitus sui diem commemoramus, placatus intende, ut remediis purgatæ cœlestibus in tua pietate requiescant. *Ad communionem*. Propitiare, Domine, supplicationibus nostris et animas famulorum famularumque tuarum in gremio patriarchæ nostri Abrahæ collocare dignare, ut resurrectionis diem cum refrigerio tuæ beatitudinis exspectent. Per.

ALIA MISSA PRO DEFUNCTIS.

Oratio. Quæsumus, Domine, *ut in editis*. *Secreta*. Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et hanc oblationem, quam tibi offerimus ob diem depositionis pro animabus famulorum famularumque tuarum placatus ac benignus assume. Per. *Ad communionem*. *Oratio*. Omnipotens sempiterne Deus, collocare dignare animas famulorum famularumque tuarum quorum diem obitus sui commemoramus, in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob, ut cum dies agnitionis tuæ advenerit, inter sanctos et electos tuos eos resuscitari præcipias. Per. *Alia oratio*. Deus cui soli adjacet medecinam præstare post mortem, tribue, quæsumus, ut animæ famulorum famularumque tuarum terrenis exutæ contagiis in tui redemptionis munere glorientur. Per.

MISSA IN ANNIVERSARIO.

Oratio. Deus indulgentiarum, etc., *usque ad communionem*. *Postcommunio*. Suscipe, Domine, preces nostras pro animabus famulorum famularumque tuarum, quorum diem anniversarium hodie celebramus, ut si quæ eis maculæ de terrenis contagiis adhæserunt, remissionis tuæ misericordia deleantur. Per.

ALIA MISSA IN ANNIVERSARIO.

Oratio. Præsta, quæsumus. *Secreta*. Munera, Domine, oblata sanctifica, et animabus famulorum famularumque tuarum a peccatorum suorum maculis emunda et perpetuæ vitæ fac eas esse participes. Per. *Postcommunio*. Inclina, Domine, precibus nostris aures tuæ pietatis, et animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniversarium hodie commemoramus, remissionem omnium tribue peccatorum, ut usque ad resurrectionis diem in lucis amœnitate requiescant. Per.

MISSA PRO EPISCOPIS ET CLERICIS.

Oratio. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, animabus famulorum tuorum episcoporum, sacerdotum et diaconorum, et omnium clericorum felicitatis æternæ consortium, quibus donasti sacri altaris tui consequi mysterium. *Secreta*. Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et animabus famulorum tuorum episcoporum, sacerdotum, diaconorum et omnium clericorum, pro quibus tibi offerimus sacrificium laudis, ut eas sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per. *Communio*. Corporis sacri et pretiosi sanguinis tui repleti libamine, quæsumus, omnipotens Deus, ut per hæc sancta animæ famulorum tuorum episcoporum, sacerdotum, diaconorum et omnium clericorum æternæ beatitudinis gloriam consequantur. Per.

MISSA PRO EPISCOPIS.

Oratio. Præsta, quæsumus, Domine, ut anima famulorum tuorum episcoporum, quos in hoc sæculo commorantes sacris muneribus decorasti, in cœlesti sede gloriosæ semper exsultent. Per. *Secreta*. Hæc oblatio, Domine, quæsumus ut animas famulorum tuorum episcoporum ab omnibus vitiis conditionis humanæ absolvat. Per. *Postcommunio*. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut animas famulorum tuorum episcoporum in congregatione justorum æternæ beatitudinis jubeas esse consortes. Per.

MISSA PRO SACERDOTE.

Oratio. Deus, qui inter apostolicos, etc. *Secreta*. Suscipe, quæsumus, Domine, pro animabus famulorum tuorum sacerdotum, quas offerimus, hostias, ut quibus in hoc sæculo sacerdotale donasti mysterium, dones et præmium. *Postcommunio*. Propitiare, Domine, supplicationibus nostris et animas famulorum tuorum sacerdotum in vivorum regione æternis gaudiis sociare digneris. Per.

MISSA PRO DIACONIBUS.

Oratio. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et animæ famulorum tuorum diaconorum et omnium clericorum tuæ propitiationis abundantiam, et indulgentiam consequantur, et lucis perpetuæ tribuas eis mansionem. Per. *Secreta*. Hostias tibi, Domine, laudis offerimus pro animabus famulorum tuorum diaconorum et omnium clericorum, ut eos in numero fidelium tuorum lux æterna possideat. Per. *Postcommunio*. Omnipotens sempiterne Deus, suscipe propitius preces nostras pro animabus famulorum tuorum diaconorum et omnium clericorum, et locum lucis in sanctorum tuorum regione concede. Per.

MISSA COMMUNIS PRO DEFUNCTIS.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animabus famulorum famularumque tuarum, ut qui de hac vita in tui nominis confessione discesserunt, sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per. *Secreta*. Propitiare, Domine, quæsumus, animabus famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi placationis hostias offerimus, ut quia in hac vita cum fide manserunt catholica, in futuris retributio condonetur æterna. Per. *Postcommunio*. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut animas famulorum famularumque tuarum ab angelis lucis susceptas in præparata habitacula deduci facias beatorum. Per.

MISSA PRO CONGREGATIONE.

Oratio. Deus veniæ largitor, etc. *Ad communionem*. Deus, vita viventium, spes morientium, salus omnium in te sperantium, præsta propitius ut animæ nostræ congregationis ab hujus mortalitatis tenebris absolutæ, beata Maria semper virgine in-

tercedente, in perpetua cum omnibus sanctis tuis luce lætentur. Per.

MISSA PRO EO QUI PRÆVENTUS MORTE POENITENTIAM ACCIPERE VOLUIT, ET NON POTUIT.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, in cujus humana conditio potestate consistit, animas famulorum famularumque tuarum ab omnibus, quæsumus, absolve peccatis, et pœnitentiæ fructum, quem voluntas eorum optavit, præventi mortalitate non perdant. Per. *Secreta.* Statisfaciat tibi, Domine, pro animabus famulorum famularumque tuarum sacrificii præsentis oblatio, ut peccatorum veniam, quam quæsiverunt, inveniant, et quod officio linguæ implere non potuerunt, desideratæ pœnitentiæ compensatione percipiant. Per. *Ad communionem.* Deus, a quo speratur humani commodi omne quod bonum est, tribue, per hæc sancta quæ sumpsimus, ut, sicut animabus famulorum famularumque tuarum pœnitentiæ fructum velle donasti, sic indulgentiam tribuas miseratus optatam. Per.

MISSA GENERALIS.

Oratio. Sanctorum tuorum intercessionibus, quæsumus, Domine, gratia tua nos protege, et famulis et famulabus tuis¹, quorum commemorationem agimus, et quorum eleemosynas recepimus, seu etiam iis qui nobis familiaritate vel consanguinitate juncti sunt, misericordiam tuam ubique prætende, ut ab impugnationibus defensi tua opitulatione salventur, et animas famulorum famularumque tuarum, omnium videlicet fidelium catholicorum orthodoxorum, quorum commemorationem agimus, et quorum corpora in hoc et in cunctis cœmeteriis fidelium requiescunt, et quorum nomina super sanctum altare tuum scripta adesse videntur, electorum tuorum jungere digneris consortio. Per. *Secreta.* Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has oblationes, quas pro incolumitate famulorum famularumque tuarum, et pro animabus omnium fidelium defunctorum orthodoxorum, et quorum nomina super sanctum altare tuum scripta adesse videntur, nomini tuo consecrandas, deferimus, benignus assume, ut sacrificii præsentis oblatio ad refrigerium animarum eorum te miserante proveniat. Per. *Ad communionem.* Purificet nos, quæsumus, Domine, divini sacramenti perceptio, et gloriosa sanctorum tuorum oratio, et animabus famulorum famularumque tuarum, quorum commemorationem agimus, remissionem cunctorum tribue peccatorum. Per.

MISSA COMMUNIS VIVORUM ET MORTUORUM.

Oratio. Pietate tua, quæsumus, Domine, nostrorum solve vincula omnium delictorum, et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, cum omnibus sanctis tuis, domnum apostolicum, pontifices, priores et abbates nostros, et omnes congregationes illis commissas, reges et principes nostros, et omnem populum Christianum, et nos famulos tuos atque loca nostra in omni sanctitate custodi, omnesque consanguinitate, affinitate atque familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra, pacem et salutem nobis tribue, hostes visibiles et invisibiles remove, carnalia desideria repelle, aerem salubrem indulge, a mala et improvisa morte nos eripe, inimicis nostris charitatem largire, et omnibus fidelibus vivis et defunctis in terra viventium vitam æternam concede. Per. *Secreta.* Deus, qui singularis corporis hostia totius mundi solvisti delicta, hac oblatione placatus maculas scelerum nostrorum absterge, et omnium Christianorum fidelium vivorum et mortuorum peccata dimitte, eisque præmia æterna concede, Salvator mundi. *Ad communionem.* Sumpta, quæsumus, Domine, cœlestia sacramenta omnia crimina nostra detergant, omnemque pravitatem et infirmitatem, seu etiam hosticam rabiem, atque subitaneam mortem, meritis beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium sanctorum tuorum, a nobis procul repellant, et omnibus fidelibus vivis et defunctis prosint ad veniam, pro quorum, quarumque tibi sunt oblata salute. Per.

MISSA PRO BENEFACTORIBUS.

Oratio. Deus, qui charitatis dona per gratiam sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudisti, da famulis et famulabus tuis, de quibus deprecamur tuam clementiam, salutem mentis et corporis, ut te tota virtute diligant, et quæ tibi sunt placita, tota dilectione perficiant. Per. *Secreta.* Miserere, quæsumus, Domine, famulis et famulabus tuis, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ offerimus majestati, ut per hæc sancta supernæ benedictionis gratiam obtineant, et gloriam æternæ beatitudinis acquirant. Per. *Ad communionem.* Divina libantes mysteria, quæsumus, Domine, ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem et pacem, pro quorum dilectione ea tuæ obtulimus majestati. Per.

INCIPIT

OFFICIUM BREVIARII SECUNDUM ORDINEM EREMI SANCTÆ CRUCIS FONTIS AVELLANÆ.

Dominica prima Adventus. *Ad vesperas Sabbato lectio*¹: Ecce dies veniunt, etc., *usque* in terra. ℟. Missus est Gabriel. ℣. Dabit ei. *Hymnus*, etc., *usque ad totam orationem, ut in editis. Hic dimittitur usque ad octavam Epiphaniæ antiphona de Cruce, et dicitur hæc antiphona beatæ Mariæ :* Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph. ℣. Diffusa est gratia. ℟. Propterea. *Oratio.* Deus qui de beatæ, etc. *Invitatorium.* Ecce veniet rex, occurramus obviam Salvatori nostro. *Lectiones omnes hujus breviarii miræ sunt brevitatis. Quatuor primi nocturni hujus Dominicæ comprehendunt primam et secundam nostras usque ad responsum. Quod argumento est hunc codicem scriptum tempore quo mona-

stica disciplina exsulabat a nostro monasterio quondam sanctissimo.

℟. *Primum, secundum et tertium primi nocturni eadem, quæ in editis nostris. Quartum :* Ave, Maria gratia plena, *usque* dixit ei.

℟. *Primum secundi nocturni est secundum editorum. Secundum vero :* Audite verbum Domini, omnes gentes, etc., *usque* clamate. *Tertium.* Ecce Virgo, etc., *usque* in æternum. *Quartum :* Alieni non transibunt, *usque* et condenso.

Reliqua responsoria alia etiam sunt a nostris, quæ non referuntur, ne nimis concrescat volumen. Post antiphonam ad Benedictus *habetur, antiphona Virginis.* Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, alleluia. ℣. Diffusa. *Oratio,* Deus, qui de beatæ Mariæ.

Ad primam, antiphona. Alleluia. *Ista lectio dicitur omnibus diebus Dominicis et festivis usque ad Nativitatem, et a Septuagesima usque ad Pascha.* Domine, miserere nostri, etc.

Ad sextam : Conscientias nostras, etc. *Ad nonam, oratio.* Propitius esto, Domine, omnibus exspectantibus te in veritate, ut in adventu Filii tui Domini nostri placitis tibi actibus præsentemur. Per. *Cætera infra hebdomadam sunt ritus a nostro diversi, quæ longum esset exscribere.*

Dominica secunda invitatorium. Surgite, vigilemus, venite, adoremus, quia nescimus horam, quando veniet Dominus.

Invitatorium tertiæ Dominicæ. Ecce veniet Rex, etc.

Quartæ autem invitatorium. Ecce advenit plenitudo temporis in quo misit Deus Filium suum natum de Virgine, factum sub lege.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Antiphonæ, ut in editis ; psalmi vero : Laudate, pueri. Qui confidunt. In convertendo. Memento. *Lectio.* Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. ℟. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. ℣. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. Et Deus erat Verbum. Et vidimus. Gloria.

Hymnus.

Deus redemptor gentium,
Ostende partum Virginis
Miretur omne sæculum,
Talis decet partus Dominum

Non ex virili semine
Sed mystico spiramine.
Verbum Dei factum caro
Fructusque ventris floruit.

Alvus tumescit Virginis,
Claustrum pudoris permanet,
Vexilla virtutum micant,
Versatur in templo Deus.

Procedens de thalamo suo,
Pudoris aula regia,
Geminæ gigas substantiæ
Alacris ut currat viam.

Egressus ejus a Patre,
Regressus ejus ad Patrem,
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.

Æqualis æterno Patri
Carnis tropæo attingere,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Præsepe jam fulget tuum,
Lumenque nos spirat novum,
Quod nulla nos interpolet,
Fideque jugi luceat.

Laus honor, etc.

℣. Tecum principium in die virtutis tuæ. *Antiphona ad* Magnificat *et oratio ut in editis. Ad honorem sanctæ Mariæ antiphona.* Ecce Maria genuit, etc., *usque* mundi, *cum* alleluia. *Post finitas laudes sequens rubrica : Hæc antiphona dicatur ad laudes ad honorem sanctæ Mariæ usque ad octavam Epiphaniæ. Antiphona.* Virgo verbo concepit, virgo permansit, Virgo peperit Regem omnium regum. *Post vesperas diei Nativitatis Domini hæc habentur. Hæc antiphona dicitur usque ad octavam Epiphaniæ.* Nesciens Mater Virgo virum peperit sine dolore. Salvatorem sæculorum ipsum regem angelorum sola virgo lactabat ubere de cœlo pleno.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

Inter præcipua quæ ponuntur in officio hujus diei hæc sunt. Ad Magnificat *antiphona.* Christo datus est principatus et honor regni; omnis populus, tribus et linguæ servient ei in æternum. Alleluia.

Oratio. Corda nostra, quæsumus, Domine, venturæ festivitatis splendor illuminet, quo mundi hujus tenebris carere valeamus, et pervenire ad patriam claritatis æternæ. Per eumdem.

In die ipso Epiphaniæ ad sextam ponitur hæc oratio.

Deus illuminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere, et illud lumen splendidum infunde cordibus nostris, quod trium magorum mentibus aspirasti. Per Dominum nostrum.

Ad nonam oratio. Deus, qui hunc diem electionis gentium primitus consecrasti, et per luminis tui stellam manifestum te nobis ostendisti, tribue, quæsumus, ut nova cœlorum mirabilis claritas in nostris semper oriatur.

Pro oratione secundi nocturni infra octavam habetur sequens oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Salvatoris mundi stella duce manifestata nativitas mentibus nostris reveletur semper et crescat. Per eumdem.

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Post lectionem, etc., usque ad symbolum apostolorum inclusive, ut in editis hæc sequuntur : Confitemini Domino, quoniam bonus. ℟. Quoniam in sæculum misericordia ejus.

Confessio. Confiteor Deo et omnibus sanctis et vobis, Patres, mea culpa, quia peccavi nimis per

superbiam in cogitatione, suggestione, consensu, verbis et opere. Deprecor vos, orate, pro misero peccatore.

Absolutio. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimittat vobis omnia peccata vestra præterita, præsentia et futura, liberet vos ab omni malo, conservet et confirmet et corroboret vos in omni opere bono, et perducat vos ad vitam æternam. Amen.

Capitulum. Converte nos, Deus salutaris noster. Et averte iram tuam a nobis. Dignare, Domine, die isto. Sine peccato nos custodire. Fiat, Domine, misericordia tua super nos. Sicut speravimus in te. Sacerdotes tui induantur justitiam. Et sancti tui exsultent. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto. Et de Sion tuere eos. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. *Symbolum.* Quicunque vult salvus esse. *Capitulum.* Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. *Oratio eadem quæ habetur in editis in festo Trinitatis.*

Post lectionem : Sancta Maria, *legitur hæc rubrica: Privatis diebus dicatur hic ter :* Deus in adjutorium meum intende, *cum* Gloria.

Ad completorium omnia, ut in editis, usque qui fecit cœlum et terram. *Capitulum.* Confitemini Domino quoniam bonus. Quoniam in sæculum misericordia ejus. *Confessio et absolutio ut supra.* Converte nos Deus, etc., *usque ad symbolum. Capitulum.* Benedictus es, Domine patrum nostrorum. Et laudabilis et gloriosus in sæcula. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. Benedictus es in firmamento cœli. Et laudabilis et gloriosus in sæcula. Benedicat nos omnipotens Deus. Amen. Dignare, Domine, nocte ista. Sine peccato nos custodire. Fiat, Domine, misericordia tua super nos. Sicut speravimus in te. Sacerdotes tui induantur justitiam. Et sancti tui exsultent. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto. Et de Sion tuere eos. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Domine Deus virtutum, converte nos. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Oratio. Visita, etc., *postquam sequuntur aliæ duæ.* Illumina, quæsumus, Domine, tenebras nostras, et totius noctis insidias tuo a nobis repelle propitius auxilio.

Veritas tua, quæsumus, Domine, semper maneat in cordibus nostris, et per virtutem sanctæ crucis omnis falsitas inimici destruatur. Per.

Post Laudes feriæ secundæ post primam Dominicam supradictam leguntur infra scripta. Hæc capitula dicantur omni tempore diebus ferialibus ad laudes, ad tertiam, et ad vesperum, cum Miserere mei, Deus. *Ad vigilias vero ad sextam, et nonam dicuntur sine* Miserere mei, Deus. Kyrie eleison, Christe, eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. *Capitulum.* Ego dixi : Domine, miserere mei. Sana animam meam, quia peccavi tibi. Convertere, Domine, aliquantulum. Et deprecare super servos tuos.

A Fiat, Domine, misericordia tua super nos. Sicut speravimus in te. Sacerdotes tui induantur justitiam. Et sancti tui exsultent. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto. Et de Sion tuere eos. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. *Psal.* Miserere. *Capitulum.* Domine Deus virtutum, converte nos. Ostende faciem tuam, et salvi erimus. Dominus vobiscum. Et cum.

Oratio. Matutina supplicum vota, Domine, propitius intuere, et occulta cordis nostri remedio tuæ clarifica pietatis, ut desideria tenebrosa non teneant, quos lux cœlestis gratiæ reparavit Jesus Christus Filius, etc.

Suffragia sanctorum, quæ dicuntur omni tempore exceptis festis Nativitatis Domini, Resurrectionis, B *Ascensionis, et Pentecostes et octavis earum. Antiphona de cruce.* Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi. Omnis terra, etc.

Oratio. Adesto nobis, quæsumus, Domine, et quos sanctæ crucis lætari facis honore, ejus quoque perpetuis defende subsidiis. Per.

Antiphona de beata Maria. Mater et innupta virgo gloriosa, Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Diffusa, etc. *Oratio* Famulorum.

Antiphona de sancto Michaeli. Michael archangele, veni in adjutorium populi Dei. In conspectu angelorum. *Oratio.* Deus qui miro ordine.

Antiphona de sancto Benedicto. Fuit vir vitæ venerabilis C gratia Benedictus et nomine. Os justi. *Oratio.* Intercessio.

Antiphona de sancto Joanne Baptista. Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Justus ut palma. *Oratio.* Beati Joannis Baptistæ nos, quæsumus, Domine, præclara comitetur oratio, quem venturum esse prædixit, poscat nobis favere placatum Christum Dominum nostrum.

Antiphona. Petrus, etc. *Oratio.* Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in apostolicæ confessionis petra solidasti. Per.

Antiphona et oratio de pace, ut in editis.

Antiphona de omnibus sanctis. Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris mei, dicit Dominus. Mira- D bilis Deus. In sanctis ejus. *Oratio.* Deus, qui nos concedis beatæ Mariæ semper virginis, et omnium sanctorum tuorum commemorationem agere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per.

Ad tertiam ponitur sequens oratio. Porrige dexteram tuam, quæsumus, Domine, plebi tuæ misericordiam postulanti per quam et errores declinet humanos, et solatia vitæ immortalis accipiat, et sempiterna gaudia comprehendat. Per.

Ad sextam oratio. Exaudi nos, Deus salutaris noster, et dies nostros in tua pace dispone, ut a cunctis perturbationibus liberati tranquilla tibi servitute famulemur. Per.

Ad nonam oratio. Da, quæsumus, Domine,

populo tuo Spiritum veritatis et pacis, ut te et tota mente cognoscat, et quæ tibi sunt placita, toto corde sectetur.

Ad vesperas oratio. Oriatur, Domine, nascentibus tenebris, aurora justitiæ in cordibus nostris, ut peracto die suppliciter gratias agentes, etiam mane dignanter respicias vota solventes. Per.

Supradicta suffragia ad laudes dicuntur. Ad vesperum autem dicuntur sequentia omni tempore tam diebus ferialibus quam festivis.

Antiphona. Salva nos, Christe Salvator, per virtutem sanctæ crucis. Qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis. Omnis terra. *Oratio.* Perpetua nos, etc.

Antiphona. Sancta Maria Dei Virgo, semper intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Diffusa. *Oratio.* Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ, etc.

Antiphona. Michael, etc. *Oratio.* Perpetuum nobis, Domine, tuæ miserationis præsta subsidium, quibus et angelica præstitisti suffragia non deesse. Per.

Suffragia S. P. Benedicti, ut in editis.

Antiphona et versiculus pro sancto Joanne Baptista, ut in laudibus.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, da cordibus illam tuarum rectitudinem semitarum, quam beatus Joannes Baptista in deserto vox clamantis edocuit. Per.

Antiphona. Gloriosi principes. *Oratio.* Apostolicis nos, quæsumus, Domine, beatorum Petri et Pauli attolle præsidiis, ut quanto fragiliores sumus, tanto validioribus auxiliis foveamur. Per.

Antiphona pro pace, ut in laudibus.

Antiphona. Sancti Dei omnes, orare et intercedere dignemini pro nostra omniumque salute. Lætamini in Domino. *Oratio.* Omnipotens Deus, nos famulos tuos dextera potentiæ tuæ a cunctis protege periculis, et, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis, fac nos præsenti gaudere prosperitate et æterna. Per Dominum.

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

Pro benedictione cinerum legitur tantum oratio Deus, qui non mortem, etc. *Postea sequitur hæc rubrica. Tunc aspergantur aqua sancta, incensari non debent. Mox sacerdos incipiat ponere cinerem supra singulorum fratrum capita in modum crucis dicendo :* Recordare, homo, etc. *Et ille qui accipit, dicat :* Hujus cineris aspersio sit mihi, Domine, ad remedium salutare.

Post laudes feriæ quartæ majoris hebdomadæ habentur sequentia. Hic exstinguuntur omnia lumina. Ad Benedictus *antiphona.* Traditor. *His dictis vadant duo ante altare, et dicant sonora voce :* Kyrie eleison, Christe eleison. Domine, miserere. *Et similiter respondeant cæteri alii ; et qui sunt ante altare dicant :* Christus Deus factus est obediens usque ad mortem. *Cæteri respondeant :* Kyrie eleison, Christe eleison, Domine, miserere. *Et illi ante altare dicant :* Jesu Domine qui passurus advenisti propter nos. *Et cæteri respondeant :* Kyrie eleison. Christe eleison, Domine. *Et illi.* Qui prophetice promisisti : ero mors tua, o mors. *Et cæteri :* Kyrie eleison, Christe eleison, Domine, miserere. *Et illi :* Vita in ligno moritur, et mors morte evacuatur. *Et cæteri :* Kyrie eleison, Christe eleison, Domine. *Et illi :* Christus Dominus factus est obediens usque ad mortem. *Et cæteri :* Mortem autem crucis. Pater noster. *Capitulum.* Ego dixi : Domine, sana. Convertere, Domine. Et deprecare. Fiat, Domine. Sicut speravimus in te. Sacerdotes. Et sancti. Mitte eis, Domine. Et de Sion. Domine, exaudi. Et clamor. *Psal.* Miserere. *Capitulum.* Domine Deus virtutum. Et ostende, *sine* Dominus vobiscum. *Sed sub silentio dicitur. Oremus.* Respice, quæsumus, Domine.

Hæ preces recitantur post tertiam, vesperas et laudes trium dierum hebdomadæ majoris, videlicet feria quinta, in Parascere, et in Sabbato sancto. Post antiphonam ad Benedictus *laudum Sabbati sancti hæc habentur : Hic dicatur :* Kyrie eleison, *et versus, et capitulum et oratio, ut in laudibus cœnæ Domini. Prima vero, tertia, sexta et nona sicut eadem die. In hac die ante horam tertiam discooperiantur cruces et tabulæ, quæ per totam Passionem fuerant velatæ. Et inter tertiam, et sextam horam altare honorifice exornetur. Ad vesperum antiphona, et dicitur hæc antiphona ad vesperum per totam hebdomadam usque in sabbatum.* Crucifixus surrexit tertia die de sepulcro, alleluia, alleluia. *Psal.* Laudate, pueri. *Psal.* Laudate, omnes gentes. *Psal.* Ecce quam bonum ! *Psal.* Lauda, Jerusalem. *Lectio.* Si consurrexistis. ℟. Angelus Domini. ℣. Jesum quæritis. *Hymnus.* Ad cœnam. ℣. Pascha nostra immolatus est Christus. *Ad* Magnificat *antiphona.* Vespere autem.

Oratio. Deus qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ resurrectionis illustras, conserva in nova familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum, qui dedisti, ut corpore et mente renovati puram tibi exhibeant servitutem. Per eumdem.

Antiphona de cruce usque ad octavam. Crucifixum in carne laudemus, et sepultum propter nos glorificemus. Resurgentem de morte, venite, adoremus, alleluia, alleluia, alleluia.

Antiphona sanctæ Mariæ usque in octavam Pentecostes. Regina cœli. Diffusa est. Propterea.

Oratio. Deus, qui violatæ naturæ per virginale decus adhibes medicinam, fac nos beatæ Mariæ semper virginis precibus et fermentum conceptæ pravitatis penitus abjicere, et in novitatis azyma de vetustate transire. Per.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Incipiunt vigiliæ more canonicorum, scilicet : Domine, labia mea aperies.

Ad sextam hujus diei habetur sequens oratio. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui resurrectionis Dominicæ solemnia colimus, ereptionis nostræ suscipere lætitiam mereamur. Per.

Ad Magnificat *antiphona.* Post passionem Domini

factus est conventus, quia non est inventum corpus in monumento, lapis sustinuit perpetuam vitam, monumentum reddidit cœlestem margaritam, alleluia.

Per totum officium de Tempore nihil reperitur in codice animadversione dignum, præterquam quod officium de Trinitate ponitur post Dominicam XXIV *Pentecostes.*

IN NATALI SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Invitatorium. Christum regem adoremus Dominum, qui martyrio crucis beatum glorificavit apostolum.

Hymnus ad matutinum.

Andreæ festum colitur,
Lux clara piis oritur,
Per quem tenebras deserunt
Ad verum lumen redeunt,
Egæas in apostolum
Minaci frendet spiritu,
Per quem Achaiæ populum
Cernit ire post Dominum.
Nescit minas pavescere,
Nequit tormentis cedere
Flammantis ardor fidei
Non sentit vim supplicii.
Crucis vinctus patibulo
Lætus pendebat biduo.
In ipsa morte positus
Vitæ manat eloquium.
Luce delapsa cœlitus
Repente circumfunditur,
Qui sic obire meruit,
Lucis Auctorem petiit.
Sit Patri laus ingenito,
Sit Decus Unigenito,
Sit utriusque parili
Majestas summa flamini. Amen

Hymnus ad vesperas.

Captator olim piscium,
Jam nunc piscator hominum
Tuis Andreas retibus
Mundi nos rape fluctibus
Germanus Petri corpore
Nec mortis dispar ordine
Quos una caro genuit
Crux cœlo fratres edidit.
O germen vere nobile
O par corona gloriæ
Ecclesiæ Patres pii
Crucis sunt æque filii.
Ad Jesum fratri prævius,
Judex vitæ strenuus
Et nobis esto miseris
Beati dux itineris.
Sit Patri laus ingenito, etc.

IN NATALI SANCTI AMBROSII CONFESSORIS.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui per os beati pontificis Ambrosii eloquiorum tuorum nobis abdita reserasti, concede nobis aurem pectoris ejus accommodare doctrinis, ut ad illam ejus interventu A pervenire patriam mereamur, quam ipse totis desideriis anhelavit. Per.

IN NATALI SANCTI ZENONIS.

Oratio. Deus, qui hunc diem venerabilem in beati Zenonis confessoris tui atque pontificis devotione celebrare concedis, conserva in nobis misericordiam tuam, et precibus nostris pius et clemens adesse dignare, ut sicut beato Zenoni sacerdoti gratiam tribuisti, ita et nobis largiri digneris Per.

IN NATALI SANCTI SYRI.

Oratio. Deus, qui es tuorum antistitum potentissimus illustrator, tribue, quæsumus, ut, beatissimi sacerdotis et confessoris tui Syri magnificis exemplis informati, sæculi hujus caliginem sine periculo transeamus. Per.

B IN PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ad Vesperum. Antiphona. Tecum principium. *Psal.* Dixit Dominus. *Antiphona.* Redemptionem. *Psal.* Confitebor. *Antiphona.* Exortum est. *Psal.* Beatus vir. *Antiphona.* De fructu. *Psal.* Memento.

Oratio. Perfice in nobis, quæsumus, Domine, gratiam tuam quam justi Simeonis implesti, ut sicut ille mortem non vidit, priusquam Christum Dominum videre mereretur, ita et nos vitam obtineamus æternam. Per.

Post tertiam hujus diei leguntur sequentia pro benedictione candelarum. Post hæc benedicantur candelæ, et dicat sacerdos sonora voce: Dominus vobiscum. Exaudi, etc.

C *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui per Verbum tuum, lumen videlicet verum, illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, tuæ visitationis gratia inexstinguibiliter corda nostra perlustra, et has candelas luci visibili aptas cœlesti benedictione † sanctifica, ut ob reverentiam præsentis solemnitatis et memoriam beatæ Mariæ semper virginis Filium ac Dominum suum auctorem et observatorem legis in templo offerentis a famulis tuis oblatæ fuerint ac nomini tuo devote dedicatæ, offerentes eas tuæ benedictionis semper possideant claritatem. Per eumdem.

Alia oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die, *ut in editis.*

Alia oratio. Benedic †, Domine Jesu Christe, hanc creaturam ceræ supplicationibus nostris, et infunde D ei per crucis sanctæ tuæ virtutem benedictionem † cœlestem, ut qui eam ad repellendas tenebras humano generi tribuisti, taliter signaculo crucis tuæ fortitudinem et benedictionem accipiat, ut in quibuscunque locis accensa sive posita fuerit, discedat et contremiscat diabolus, et fugiat pavidus cum omnibus ministris suis de habitationibus illis, nec præsumat amplius inquietare vel illudere servientes Deo. Proinde supplices, te, quæsumus, Domine, ut emittas sanctum angelum tuum Raphaelem, qui evulsit et repulsit a Sara et Tobia dæmonem mortiferum infestantem, ut conterat illum et perdat de cunctis habitationibus colentium Dominum, de basilicis, de domibus, de angulis, de lectis, de refecto

riis, et de universis locis in quibus Deo famulantes habitant, requiescunt, dormiunt, vigilant, ambulant et consistunt. Nec valeat amplius inquietare, vel pavores immittere super illos quos sancti chrismatis tui unctione fecisti esse munitos. Benedico † te, cera, in nomine Domini nostri Jesu Christi et sanctæ Trinitatis, ut sis exterminatio diaboli et omnium contubernalium ejus. Per eumdem Dominum nostrum, qui vivit et regnat.

Tunc aspergantur aqua benedicta et incensentur, et decantetur antiphona : Lumen ad revelationem gentium, etc., *excepto cantico :* Nunc dimittis, *cujus loco dicitur :* Deus misereatur.

Oratio ad sextam. Beatæ Mariæ semper virginis, quæsumus, Domine, adsit nobis ubique oratio, et quam devoto plebs tua veneratur obsequio, suffragari sibi pio experiatur auxilio. Per.

Oratio ad nonam. Adjuvet nos, quæsumus, Domine, sanctæ Mariæ semper virginis intercessio veneranda, et a peccatorum vinculis absolutos in tua faciat pace gaudere. Per.

IN NATALI SANCTI BLASII EPISCOPI ET MARTYRIS.

Oratio. Deus, qui beatum Blasium martyrem tuum atque pontificem pontificatus officio et fidei munere sublimasti, tribue supplicibus tuis, ut quidquid peccati contagione contractum est in nobis, ipso intercedente solvatur. Per.

IN NATALI SANCTI GREGORII PAPÆ ET CONFESSORIS.

Oratio. Deus, qui per beatum Gregorium confessorem tuum atque pontificem cœlestis eloquii nobis dulcedinem propinasti, familiæ tuæ concede propitius et servare quod docuit, et subsequi quo processit.

IN NATALI SANCTI BENEDICTI.

Hymnus.

Gemma cœlestis pretiosa,
Regis norma justorum,
Via monachorum,
Nos ab immundi
Benedicte, mundi
Subtrahe cœno.
Tu solum spernens,
Cor in astra figens,
Cogis hæredes
Fieri parentes,
Vas Deo plenun
Reparare fructum
Promeruisti.
Magnus in parvis,
Eremita imberbis
Vincis ætatem,
Superas laborem
Arcta districtæ
Rudimenta vitæ
Fervidus imples.
Strage saxorum
Puerum peremptum
Mox ut orasti,
Preces suscitasti,
Spiritus carni,
Caro sanitati
Redditur æque.
Jure sub blandæ
Specie columbæ
Nesciam fellis
Animam sororis
Summa stellati
Penetrare cœli
Culmina cernis.
Ipse post clarum
Referens triumphum
Celsa devicto
Petis astra mundo,
Luce flammantem
Radiante callem
Pallia sternunt.
Laus honor Patri,
Parilique Proli
Una majestas,
Eadem potestas,
Cum quibus sanctus
Simul implet omnem
Spiritus orbem. Amen.

Hymni ad nocturnum et ad laudes iidem qui in officio parvo beati Benedicti.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosa beati Benedicti abbatis exempla humilitatis triumphale nobis iter ostendisti, da, quæsumus, ut viam tibi placitæ obedientiæ, per quam ille venerabilis Pater illæsus antecedebat, nos præclaris ejus meritis adjuti sine errore subsequamur. Per.

Oratio ad sextam. Sancti Benedicti confessoris tui atque abbatis nos, Domine[1], supplicationibus tribue foveri, ut cujus venerabilem solemnitatem obsequiis celebramus, ejus intercessionibus et meritis commendemur. Per.

Oratio ad nonam. Deus, qui nos beati Benedicti confessoris tui voluisti magisteriis erudiri, ejus meritis dignare nos ab omni inimici fraude protegi. Per.

IN INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS.

Hymnus ad vesperum.

Crux mundi salus perditi
Perempti vita sæculi,
Quam victa tremunt tartara,
Cœli verentur agmina.
In te dum vita moritur,
Mortis catena solvitur,
Ægypti jugo liberi
Vere sunt lucis filii.
Te ponit Judex omnium,
Cum judicatur solium
Jam tunc hædos ab ovibus
Segregat in latronibus.
Tu mundi ludis principem
Dum punis impassibilem,
Reos offerre solita,
Quæ nunc das, aufert spolia.
In te mactatur victima

Quæ mundi purgat crimina.
Tibi talentum creditur,
Adæ quod solvit debitum.
Nos vitæ signo protege,
Quo rex triumphat gloriæ.
Per te ad regnum perveha
Quos servitute liberat.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Unigenito,
Sit utriusque parili
Majestas summa Flamini. Amen.

Hymnus ad laudes.

Crux mundi benedictio,
Spes et certa redemptio,
Olim gehennæ bajula,
Nunc clara cœli janua.
In te levatur hostia
Ad seque traxit omnia
Quam mundi princeps impetit,
Suumque nihil invenit.
Quæ legis antiquius
Vetus cassat chirographum,
Antiqua perit servitus,
Vera libertas redditur.
Odoris tui copia
Cuncta vincit aromata
Tui dulcedo nectaris
Replet arcana pectoris.
Per Crucem, Christe, quæsumus
Ad vitæ transfer præmium
Quos ligni fixus stipite
Dignatus es redimere,
Sit laus Patri ingenito, etc.

IN NATALI APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Hymnus.

Felix per omnes festum mundi cardine
Apostolorum præpollet alacriter,
Petri beati, Pauli sacratissimi,
Quos Christus almo consecravit sanguine
Ecclesiarum deputavit principes.
Hi sunt olivæ duæ coram Domino
Et candelabra luce radiantia,
Præclara cœli duo luminaria.
Fortia solvunt peccatorum vincula
Portas Olympi reserant fidelibus.
Habent supernas potestatem
Claudere sermone sedes,
Pandere splendentia lumina poli,
Super alta sidera linguæ
Eorum claves cœli factæ sunt
Larvas repellunt ultra mundi limites.
Petrus beatus catenarum laqueos
Christo jubente rupit mirabiliter,
Custos ovilis, et doctor Ecclesiæ,
Pastorque gregis, conservator ovium
Arcet luporum truculentam rabiem.
Quodcunque vinclis super terram strinxeris,
Erit in astris religatum fortiter;
Et quod resolvis in terris arbitrio,
A Erit solutum super cœli radios.
In fine mundi judex eris sæculi.
Non impar Paulus huic doctor gentium,
Electionis templum sacratissimum,
In morte compar, in corona particeps,
Ambo lucernæ, et decus Ecclesiæ
In orbe claro coruscant vibramine.
O Roma felix, quæ tantorum principum
Et purpurata pretioso sanguine
Excellis omnem mundi pulchritudinem
Non laude tua, sed sanctorum meritis
Quos cruentatis jugulasti gladiis.
Vos ergo modo gloriosi principes,
Petre beate, Paule mundi lilium,
Cœlestis aulæ triumphales milites,
B Precibus almis vestris nos ab omnibus
Munite malis, ferte super æthera.
Gloria Deo per immensa sæcula
Sit tibi, Nate, decus et imperium, etc.

IN NATALI EORUMDEM.

Invitatorium, ut in editis. Antiphona. In plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro. *Et cæteræ antiphonæ primi et secundi nocturni quæ ponuntur de historia Actuum apostolorum. Antiphona ad cantica.* Significavit Dominus Petro, qua morte clarificaturus esset Deum, alleluia. *Responsorium duodecimæ lectionis.* Cum esset Petrus in cruce, venit turba multa, maledicebat Cæsarem, et fecerunt planctum magnum ante crucem. Petrus exhortabatur eos de cruce dicens : Nolite flere, sed gaudete C mecum, quia vado parare vobis locum. Gratias tibi ago, Pastor bone, quia oves quas tradidisti mihi, compatiuntur mecum in sempiternum, et cum hoc dixisset, ait : Nolite, etc.

IN NATALI SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

Ad vesperas hymnus.

Nardi Maria pistici
Sumpsit libram mox optimi
Unxit beatos Domini
Sedes rigando lacrymis.
Honor, decus, etc.

Invitatorium. Æternum, trinumque Deum laudemus et unum, qui sibi Mariam transvexit in æthera sancta.

D *Hymnus.*

Consonis Christum veneremur odis
Hunc diem celebrando festum,
Nunc Magdalenæ Mariæ
Per orbem congratulantes.
Quæ caput quondam Domini
Perunxit, ac pedes lavit,
Lacrymis rigando crine detersit
Capitis, supplexque corde gemendo.
Indeque confestim totius reatus
Contulit Christus veniam
Precanti Simoni dignum
Paradigma pandens ore benigno.
Hæc tulit myrrham erepta sub luce,
Ad perungendum Dominum sepulcro,

Quem resurgentem meruit
Beata primo videre.
Quam procul post hæc, tribuente
Christo, credimus cœli penetrasse
Culmen hujus obtentu.
Miserere nobis, Conditor orbis.
Gloriam Patri pariter canamus
Gloriam Proli, Flaminique
Pio semper omni
Resonemus omnes tempore secli.

Antiphona. Cum discubuisset in domo Simonis Dominus Jesus, mundi gloria, mulier quædam, quæ erat peccatrix, nardi odoriferi exhibuit unguenta. *Antiphona.* Secus pedes Domini astans incessante, ore sacrato ejus vestigia osculatur, lacrymis plena. *Antiphona.* Irrigabat igitur dominicos Jesu pedes, fracto quoque alabastro præcipuis odoribus, flagrabat domus omnis, atque capillorum officio detergebat. *Antiphona.* Simon autem intra se, inquit : Si esset propheta, sciret profecto quæ et qualis esset quæ tangit eum, quia peccatrix est. *Antiphona.* Et conversus Dominus dixit : Postquam veni in domum tuam, non cessavit crine fuso hæc meos osculari pedes. *Antiphona.* Quoniam multum dilexeras, scito dimissa tibi peccamina, et fide, qua polles, sacra in pace remitto. ℟. Lætetur omne sæculum in solemnitate sanctæ Mariæ. Quam Jesus æterno amore dilexit plurimum. ℣. Hæc Maria fuit illa, Domino gratissima, quæ unguento pretioso pedes unxit illius. Quam. ℟. Optimam partem elegit sibi Maria. Quæ non auferetur ab ea in æternum. ℣. Diligens Dominum ex corde perfectissimo cœlorum obtinuit dignitatem. Quæ. ℟. Potissima, intercede a Domino, collata gaudens potenter polo. Obtine ut nos perenniter divinis tecum gaudiis perfruamur. ℣. Quia tua reposcimus merita deletis facinoribus. Obtine. ℟. Quis Magdalena sceleratior esse Maria, quæ ivit ad omne malum. Quæ nomine plena reatus peccatrix vocitata, fuit quasi nomine culpæ. ℣. Dum tamen ipsa Deum lacrymis commovit obortis cordis ab affectu, meruit peccamine solvi. Quæ nomine. *Antiphona.* Satagebat igitur Martha, soror Mariæ Magdalenæ, circa ministeria, quæ sedens secus pedes Domini audiebat verba oris ejus. *Antiphona.* Non est, Martha inquit, tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare ; jube illi, ut me adjuvet. *Antiphona.* Et respondens dixit statim illi Dominus : Unum exstat certe necessarium. Hæc optimam sibi partem elegit, quæ non auferetur. *Antiphona.* Cumque Pharisæus Dominum prandere rogasset, corporeis fruitur dapibus dans spirituales. *Antiphona.* Ecce soror Lazari pia nunc, sed tunc scelerata attulit unguentum pretiosi pondus odoris. *Antiphona.* Maxima spes veniæ populo succurre roganti, ut scelerum veniam mereantur per te habere. ℟. O felix sacrorum lacrymis rigatio pedum, per quam promeruit Maria dici, et esse ejus dilecta. Et quo pascuntur æthere sancti. ℣. Angelico pollet decore hæc et hi per Christum. Et. ℟. Beata Maria, quæ piarum undis lacrymarum tersisti tuorum maculas criminum. Assidue te exorare deposcimus pro nostris excessibus. ℣. Summis cœlorum civibus glomerata, jamque æterna immortalitate induta. Assidue. ℟. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis : Quia vidi Dominum. Cujus petimus precibus adjuvari apud te, Redemptor clementissime. ℣. Quia ergo in paradiso mulier propinavit viro mortem, a sepulcro mulier viris annuntiat vitam. Cujus. ℟. Rex immense Deus, terrarum conditor orbis, accipe præsentis cleri pia vota precantis. ℣. Ut valeat semper laudes tibi promere dignas. Accipe.

Antiphona ad cantica. O mundi lampas et margarita præfulgida, quæ resurrectionem Christi nuntiando apostolorum apostola fieri meruisti, Maria Magdalena, semper esto pia exoratrix pro nobis ad Deum, qui te elegit. ℟. Flagrans Jesum muneribus intimis Maria præcordiis affatum perunxit sacrata unguento vestigia. Unde meruit suorum delictorum veniam. ℣. Peccaminum nostrorum sordes piissimis diluat interventionibus divino fonte. Unde. ℟. Maria stans ad monumentum plorans vidit duos angelos in albis sedentes. Ubi positum fuerat corpus Jesu. ℣. Cum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumento. Ubi. ℟. Discipulis Christi, quæ gaudia celsa tulisti, cum nimium tristes fuerunt de morte Magistri. Lætitiam nobis vitæ cœlestis adjunge. ℣. Ut sibi conformes, cujus pietate sanata es, sorte beatorum fieri mercamur in unum. Lætitiam. ℟. O mirum et magnum miraculum, quia peccatrix femina audebat Redemptorem mundi tangere, lacrymando et capillis tergendo, crimina sua abluebat. Ideo dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. ℣. Vidit Maria Dominum, et credidit, et cum gaudio suscepit illum gaudens et flens, quia cognovit se peccatricem. Ideo. *In laudibus antiphona.* In diebus illis : Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuisset in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum unguenti. *Hæc autem antiphona tantum legitur ad laudes.*

Hymnus.

Fidelium devotio depromat
Hymnum Domino, qui
Mariæ Magdalenæ
Sedem dedit in æthere.
In qua quid esset pietas,
Ejus ostendit bonitas,
Quid donet pœnitentia
Patefecit clementia.
Quæ prius enim scelera
Commisit innumera,
Accepta pace veniæ
Regno potitur gloriæ.
Maria tersis crinibus
Procumbens Christi pedibus
Dum rigat cum lacrymis,
Se lavat sorde criminis.
Hinc consecuta plurimum

Amoris erga Dominum,
In cœlorum palatio
Perenni gaudet præmio.
Rogamus ergo, Domina,
Nostra deleto crimina,
Tuisque sanctis precibus
Nos junge cœli civibus.
Patri, Nato cum Flamine
Sit laus æterno tempore;
Qui est summa Deitas
In Unitate Trinitas. Amen.

Ad Benedictus *antiphona*. Sancta Maria, pio conjuncta Jesu, osculando pedes ipsius et pie rigando, terge crimina nostra, eum jugiter orando pro nobis.

IN NATALI SANCTI APOLLINARIS EPISCOPI ET MARTYRIS.

Ad Magnificat *antiphona*. Surge, accipe Spiritum sanctum, simulque pontificatum, et perge ad urbem, quæ vocatur Ravenna. *Commemoratio Magdelenæ antiphona*. O veneranda Dei sedes, spes inclyta nostri. O validi fructus celeberrima vinea Christi, drachma reperta, sed ovis de morte reducta. Valde precare Deum pro nobis, valde precamur. *Antiphona*. Dicebat beatus Petrus apostolus Judæis: Nam et ego Hebræus sum, sed propter charitatem fratrum adveni. *Antiphona*. Multitudo autem Hebræorum agentes pœnitentiam baptizabantur, credentes Jesum Christum vere esse Filium Dei. *Antiphona*. Beatus Petrus apostolus administranti sibi aiebat: Quid sedes nobiscum? Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Jesus. *Antiphona*. Ait beatus Petrus Apollinari discipulo suo: Eruditus es in omnibus prædicare Ravennæ Jesum Filium Dei. *Antiphona*. Mittat Christus Dominus angelum suum, qui præparet iter suum, et quæ postulaveris, annuat tibi. *Antiphona*. Ortus ab Antiochia beatus Apollinaris Ravennam missus est prædicare baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. ℟. Ait beatus Petrus Apollinari discipulo suo: Quid sedes nobiscum? Ecce eruditus es de omnibus quæ fecit Jesus. ℣. Surge, accipe Spiritum sanctum simulque pontificatum, et perge ad urbem quæ vocatur Ravenna. Ecce. ℟. Beatus Petrus apostolus dixit discipulo suo Apollinari: Surge, perge Ravennam, multitudo populi ibi moratur, prædica eis baptismum pœnitentiæ, in nomine Jesu. ℣. Ecce eruditus es de omnibus quæ fecit Jesus. Surge. ℟. Deus, qui non localiter, sed ubique es, tu intromitte cognitionem Filii tui Domini nostri in istam civitatem. ℣. Ut cognoscentes Jesum Filium tuum, cum magno affectu locus mihi prædicationis tribuatur. Tu. ℟. Deus, qui cooperaris cum Petro magistro meo, operare et mecum. Ut cognoscant omnes te solum Deum in æternum. ℣. Deus qui non localiter, sed ubique. Ut cognoscant.

In secundo nocturno antiphona. Cum pervenisset beatus Apollinaris ad urbem Ravennam, faciens signum crucis, susceptus est in domum militis Irenæi. *Antiphona* Deus qui operaris cum Petro magi-
A stro meo, operare et mecum ut clarificetur nomen tuum. *Antiphona*. Ingressus beatus Apollinaris domum tribuni dixit: Requiescat in vobis pax Domini, et Dei nostri Jesu Christi. *Antiphona*. Requiescat in vobis pax Domini nostri Jesu Christi, per quam infirmam tribuni conjugem beatus sanavit Apollinaris. *Antiphona*. Virtus alia non est, quam Domini nostri Jesu Christi, per quem beatus Apollinaris Tauri filium cæcum illuminavit. *Antiphona*. Nuntiatum est hoc Cæsari a paganis quod quidam ab Antiochia introduxisset nomen Jesu in urbem Ravennam, et multitudo magna obediret illi, et domus Rufi patricii. ℟. Ait ad eum tribunus: Bene advenisti, medice. Cui beatus Apollinaris respondit: Requiescat in vobis pax Domini nostri Jesu Christi.
B ℣. Cumque ingressus fuisset domum tribuni, officiosissime susceptus est, et dixit: Requiescat. ℟. Aperi, Domine, continuo os muti ut tuum confiteantur nomen. Qui es vivens in sæcula. ℣. Illico solutum est vinculum linguæ ejus, et clamabat. Qui. ℟. Domine Jesu Christe, Deus meus, qui magistro meo apostolo tuo Petro dedisti locum impetrandi apud te, quæ desiderat. Tu suscita hanc puellam, quæ tua est creatura, et non est alius Deus præter te. ℣. Tunc apprehendens manum mulieris ait: Domine Deus meus. Tu. ℟. Jam me perducto in capitolium vicarii securus esto, quia manibus meis thura non ponam dæmoniis, sed Domino meo Jesu Christo incensum offero. ℣. Dominum Jesum Christum Deum vivum esse confiteor, et alium præter eum
C esse non dico. Sed.

Ad cantica antiphona. Sanctissime Apollinaris colloquens angelorum, quas offerimus tibi orationes, et preces suscipe omnium, et redde Salvatori pro nobis hymnum, ut salvos nos faciat. ℟. Exuite eum, et cædentes dicite: Respice et immola diis; ille autem respondens dixit: Christianus sum, fac quod vis. ℣. Unus est Dominus Deus invisibilis, per quem dæmonia ejiciuntur. Christianus. ℟. Iste est sacerdos Domini qui in mandatis ejus meditatur die ac nocte. Iste directus est ab apostolo Petro Ravennam prædicare baptismum pœnitentiæ. ℣. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Iste. ℟. Servivi sicut bonus miles Christo, certavi bonum
D certamen. Placui Deo, qui me probavit, et dedit mihi Dominus coronam vitæ. ℣. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Placui. ℟. Pulchra facie, et alacri vultu, beate Apollinaris, ecce oves tuæ ad te devota mente concurrunt, quas Domino acquisisti. Deprecare, precor pastor bone, pro eis Jesum Christum. ℣. Ut digni efficiamur promissionibus ejus. Deprecare. *In laudibus antiphona*. Audi, Judex, quod dico viriliter: Jesus erat Deus, et est in æternum manens in corpore mundo, pati autem carne pro omnibus voluit.

Hæc tantum antiphona ad laudes hujus officii habetur.

Ad Benedictus antiphona. Prægravatus pondere ferri, exsul ab urbe mittitur, et post triennium

ad suam sanctam urbem Ravennam regreditur, quem videntes Christiani cum gaudio susceperunt. *Ad primam antiphona.* Angelus Domini beatum Apollinarem in carcere visitavit, videntibus custodibus cibavit, et confortavit. *Ad tertiam antiphona.* Suspensus in equuleo clamabat beatus Apollinaris: Dominum Jesum Christum Deum verum esse confiteor. *Ad sextam antiphona.* Custos et protector noster, Domine Jesu Christe, quem beatus Apollinaris prædixit, benedicimus, hymnum dicimus tibi Deo nostro. *Oratio.* Salutarem nobis dedit hodierna die beati Apollinaris sacerdotis et martyris tui in tua, Domine, virtute confessio lætitiam, præsta quæsumus, ut conversationis ejus imitatione prædicanda, et intercessione tibi placita jugiter gloriemur. *Ad nonam antiphona.* Sancte Apollinaris, sacerdos et martyr Christi, deprecare pro plebe tua, quam ex gentibus acquisisti, nos autem populus tuus et oves gregis tui, intercede pro nobis Filio Dei. *Oratio.* Terribilis Deus, et invicta fortitudo ac nimis pavenda potestas, largire nobis beati Apollinaris martyris et sacerdotis tui precibus stipendia salutis æternæ, ut casta pectora bajulantes laudes tuæ clementiæ referamus, ejus solemnia celebrantes. *Ad* Magnificat *antiphona.* Accipe Spiritum sanctum, simul pontificatum. Surge, perge Ravennam, multitudo populi ibi moratur. Prædica eis Jesum, quod vere sit Filius Dei.

IN NATALI SANCTI ÆMYGDII EPISCOPI ET MARTYRIS.

Ad Magnificat *antiphona.* O Æmygdi martyr gloriose, quos in Christo genuisti filios tuos sanguinem fundendo, tua, quæsumus, oratio commendet nos indesinenter Deo. *Antiphona ad* Benedictus. Sancte Dei præsul et martyr Æmygdi, qui, occidentalis Franciæ oriundus Romam veniens, disponente Deo, a Romano pontifice destinatus es prædicator ad Esculanam urbem, pro nobis apud Deum intercede, quos verbis et miraculis ad agnitionem Christiani nominis fecisti venire.

IN VIGILIA ASSUMPTIONIS SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ad vesperas antiphona. Maria Virgo, semper lætare, quæ meruisti Christum portare cœli et terræ conditorem, quia de tuo utero protulisti mundi Salvatorem. *Psalmi de Feria.*

Hymnus.

Gaudium mundi nova stella cœli,
Procreans solem, pariens parentem,
Da manum lapsis, fer opem caducis,
Virgo Maria.
Te Deo factam liquet esse scalam.
Quatenus summa petit altus ima,
Nos ad excelsa remeari cœli
Culmina dona.
Te beatorum chorus angelorum,
Te prophetarum et apostolorum
Ordo prælatam sibi cernit unam
Post Deitatem.
Aula cœlestis speciosa regis,
Fulta septenis Sophiæ columnis,
Quem nequit totus cohibere mundus,
Claudis in alvo.
Quem tremunt cœli, metuunt abyssi,
Laudat occasus, veneratur ortus
Stringis in ulnis.
Lacte nutritus cibo angelorum,
Fertur innuptæ gremio puellæ,
Qui sua late ditione terræ
Pondera librat.
Sit decus summum sine fine Christo,
Virgo quem sancta genuit Maria,
Qui Patri compar, Flaminique sancto
Regnat in ævum. Amen,

IN ASSUMPTIONE SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

Invitatorium. Odor tuus, sancta Dei Genitrix, sicut odor balsami. Quasi lilium, ita flores, Dei genitrix Virgo.

Hymnus.

Terrena cuncta jubilent,
Astra laudibus intonent,
Virginis ante thalamum
Carmen alternent dramatum.
Hæc Virgo, Verbo gravida,
Fit paradisi janua.
Quæ Deum mundo reddidit,
Cœlum nobis aperuit.
Felix ista puerpera
Evæ lege liberrima
Concepit sine coitu,
Emisit absque gemitu.
Dives Mariæ gremium,
Mundi gestavit pretium,
Quo gloriemur redimi
Soluto jugo debiti.
Quam Patris implet Filius,
Sanctus obumbrat Spiritus,
Cœlum fiunt castissima
Sacræ puellæ viscera.
Laus tibi, Rex altissime
Qui natus es de Virgine
Sit laus et ineffabili
Patri, sanctoque Flamini.

Hymnus ad laudes.

Aurora velut fulgida
Ad cœli meat culmina.
Et sol Maria splendida.
Tanquam luna pulcherrima.
Regina mundi hodie
Thronum conscendit gloriæ.
Illum enixa Filium,
Qui est ante luciferum.
Assumpta super angelos,
Excedis archangelos,
Cuncta sanctorum merita
Transcendit una femina.
Quem foverat in gremio
Locarat in præsepio,
Nunc Regem super omnia
Patris videt in gloria.

Pro nobis Virgo virginum
Tuum deposce Filium,
Per quam nostra susceperat
Et sua nobis præbuerat.
Laus tibi, Rex altissime, etc.

IN OCTAVA SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

Antiphona ad *Magnificat*. Sub tuum præsidium confugimus, Dei Genitrix; nostram deprecationem ne despicias in necessitatibus, sed a periculis libera nos semper, Virgo gloriosa. *Ultima antiphona primi Nocturni*. In prole mater, in partu virgo, gaude et lætare Virgo, mater Domini

IN NATALI SANCTI MARTINI.

Ad vesperas hymnus.

Rex Christe, Martini decus
Hic laus tua, tu illius,
Tu nos in hoc te colere
Quando ipsum in te tribue.
Qui das per orbis cardines
Quod gemma fulget præsulum,
Da, quos premunt culpæ graves,
Solvat per ingens meritum.
En pauper hic et modicus
Polum dives ingreditur.
Cœli cohortes obviant,
Linguæ, tribus, gentes ovant.
Ut vita fulget transitus
Cœli et arvo splendidus,
Gaudere cunctis pium est,
Cunctis salus sit hæc dies.
Martine par apostolis,
Festum colentes tu fove,
Qui vivere discipulis vis,
Et mori non respuis.
Fac nunc, quod olim gesseras,
Nunc præsules clarifica,
Auge decus Ecclesiæ
Fraudes relide Satanæ.
Qui ter chaos evisceras,
Mersos reatu suscita,
Diviseras ut chlamidem,
Nos indue justitiam.
Ut specialis gloriæ
Quondam recorderis tuæ,
Monastico nunc ordini;
Jam pene lapso subveni.
Sit Trinitati gloria,
Martinus ut confessus est;
Cujus fidem per opera,
In nos et ipse roboret. Amen.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Ad vesperas hymnus.

Christe, cunctorum dominator alme,
Patris æterni genitus ab ore
Supplicum vota, pariterque hymnum
Cerne benignus.
Cerne quod puro, Deus, in honore
Plebs tua supplex resonat in aula,
Annua cujus redeunt colenda
Tempore festa.
Hæc domus rite tibi dedicata
Noscitur, in qua populus sacratum
Corpus assumit, bibit, et beati
Sanguinis haustum.
Hinc sacrosancti latices veternas
Diluunt culpas, perimuntque noxas,
Chrismate vero genus ut creetur
Christicolarum.
Hic salus ægris, medicina fessis,
Lumen orbatis, veniaque nostris
Fertur offensis, timor atque mœror
Pellitur omnis.
Dæmonis sæva perit hic rapina,
Pervicax monstrum pavet, et retenta
Corpora linquens fugit in remotas
Ocius umbras.
Hic locus nempe vocitatur
Aula Regis æterni, niveique cœli,
Portaque vitæ patriam petentes
Accipit omnes.
Turbo quam nullus quatit, aut vagantes
Diruunt venti, penetrantque nimbi,
Non tetris lædit piceus tenebris
Tartarus horrens.
Quæsumus ergo, Deus, ut sereno
Annuas vultu famulos videre,
Qui tui summos celebrant amore
Gaudia templi.
Nulla nos vitæ cruciant molesta,
Sint dies læti, placidæque noctes,
Nullus ex nobis pereunte mundo
Sentiat ignes.
Hic dies, in quo tibi consecratam
Conspicis aram tribuat perenne
Gaudium nobis, vigeatque longo
Temporis usu.
Gloriam summo resonemus Patri
Gloriam Nato, pariterque sancto
Spiritui dulci modulemur hymno
Esse per ævum. Amen.

In calce supradicti breviarii legitur officium beatæ Mariæ.

INCIPIT OFFICIUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS SECUNDUM CONSUETUDINEM MONACHORUM MONASTERII SANCTÆ CRUCIS FONTIS AVELLANÆ.

Ad matutinum. Domine, labia mea aperies, etc. *usque ad lectiones*. *Lectio prima*. Sancta Maria, Virgo virginum, mater et filia Regis regum, omnium tuum nobis impende solatium, ut cœlestis regni mereamur habere præmium, cum electis Dei regnare in perpetuum. ℟. Ut apud nos. *Lectio secunda*. Sancta Maria, piarum piissima, intercede pro nobis, sanctarum sanctissima, ut per te sumat nostra precamina, qui pro nobis natus regnat super æthera, ut tua pietate deleat nostra peccamina. ℟. Felix namque, etc. *Lectio tertia*. Sancta Dei Genitrix, quæ digne meruisti concipere quem totus orbis nequit comprehendere, quæsumus ut tuo interventu culpas

nostras abluas, quo perennem sedem gloriæ per te redempti mereamur scandere, ubi manes cum eodem Filio tuo sine tempore. ℟. Beata es, etc. *Hymnus.* Te Deum laudamus. *Versiculus.* Dominus vobiscum. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, etc. ℟. Amen. Te decet laus, etc. *Ad Benedictus antiphona.* Quæ est ista, quæ descendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Kyrie eleison, etc. Pater noster. ℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. ℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti. ℟. Dei Genitrix, intercede pro nobis. ℣. Mirabilis Deus. ℟. In sanctis suis. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum.

Oratio. Deus cujus munere Trinitatem in personis, et Unitatem in divina substantia confitemur, concede propitius, ut hac fideli lorica muniti a cunctis etiam mereamur adversitatibus liberari.

Alia oratio. Deus, qui Filium tuum ad nos per Virginem dignatus es mittere, da nobis ad te suffragantibus ejusdem beatæ Mariæ precibus jugiter festinare.

Alia oratio. Auxilium tuum nobis, Domine, placatus impende, et intercedente beata Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, fac nos ab omni adversitate liberari, et æterna lætitia gaudere. Per Dominum, etc.

Suffragia ad matutinum. Antiphona. Inter natos mulierum. ℣. Justus ut palma. ℟. Sicut cedrus. *Oratio.* Beati Joannis Baptistæ, nos, quæsumus, Domine, etc. *Antiphona.* Petrus apostolus. ℣. In omnem. ℟. Et in fines. *Oratio.* Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos, etc. *Antiphona.* Da pacem. ℣. Fiat pax. ℟. Et abundantia. *Oratio.* Deus, a quo sancta desideria, etc. *Antiphona.* Justi fulgebunt. ℣. Mirabilis Deus. ℟. In sanctis suis. *Oratio.* Deus qui nos concedis, etc.

Ad primam hymnus. Beata Dei Genitrix, etc., *ex Operibus S. Petri Damiani. Antiphona.* Ex te, Maria virgo. *Psal.* Beatus vir qui non abiit. *Psal.* Quare fremuerunt. *Psal.* Domine, ne in ira tua. *Antiphona.* Ex te, Maria virgo, processit Deus et homo, lapis abscissus est de te Christus virgine sanctus, quem propheta Daniel prædixerat. *Lectio.* Et sic in Sion, etc. ℟. Benedicta tu in mulieribus, etc. ℣. Ave Maria, gratia plena, etc. *Oratio.* Beatæ et gloriosæ, etc.

Alia oratio. Tribue, quæsumus, omnipotens Deus, sanctos et sanctas tuas jugiter orare pro nobis, et eos clementer audiri. Per Dominum, etc.

Ad tertiam hymnus. Maria, decus omnium, etc. *Antiphona.* Per te, Maria virgo. *Psalmi ut apud nos. Antiphona.* Per te, Maria virgo, impleta sunt prophetarum omnium præconia, quæ dicta sunt, virgo concepisti, virgo genuisti. *Lectio.* Hæreditavi in populo, etc. ℟. Specie tua. ℣. Benedicta tu.

Ad sextam hymnus. Maria, templum Domini, etc. *Antiphona et psalmi ut apud nos. Lectio.* Quasi cedrus. ℟. Adjuvabit. ℣. Sicut myrrha. *Oratio.* Deus qui nobis sanctæ Trinitatis mysterium revelasti, tribue, quæsumus, ut qui jam te ex fide cognovimus, per boni operis augmenta crescamus.

Alia oratio. Concede nos, quæsumus, omnipotens Deus, beatæ Mariæ semper virginis precibus sublevari, per cujus ineffabilem partum procurasti salutis humanæ remedium.

Alia oratio. Omnium sanctorum tuorum, Domine, supplicatione placatus, veniam nobis tribue, et remedia sempiterna concede.

Ad nonam hymnus. O singularis Domina, etc. *Antiphona, psalmi, et lectio ut apud nos.* ℟. Elegit eam Deus, etc. ℣. Speciosa facta es. *Oratio.* Deus qui virginalem.

Alia oratio. Porrige nobis, Deus, dexteram tuam, et per intercessionem beatæ Mariæ semper virginis et omnium sanctorum tuorum auxilium nobis supernæ virtutis impende.

Ad vesperas antiphona. Ante torum. *Psal.* Dixit. *Antiphona.* Aquæ multæ. *Psalmus.* Lætatus sum. *Antiphona.* Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius. *Psal.* Nisi Dominus. *Antiphona.* Revertere, revertere. *Psal.* Memento, Domine. *Antiphona.* In prole Mater, in partu Virgo, gaude et lætare, Virgo, mater Domini. *Psal.* Lauda Jerusalem. *Lectio.* Ego quasi vitis, etc. ℟. Exaltata es sancta Dei Genitrix. *Hymnus.* Sidus Mariæ splendidum, etc. *Ad Magnificat.* Maria virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, florens ut rosa, olens sicut lilium, ora pro nobis apud tuum Filium. Kyrie. Pater. ℟. Benedicamus Patrem et Filium, etc. ℣. Post partum, etc. ℣. Mirabilis.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui in Trinitate colendus, et in Unitate es adorandus, te supplices exoramus ut mundes propitius cor nostrum a vitiis et repleas nos jugiter spiritualibus donis

Alia oratio. Deus, qui vitiatæ stirpis originem per virginalis uteri reparas dignitatem, concede propitius, ut quos proprii reatus moles gravat, intercessio beatæ Dei genitricis attollat.

Alia oratio. Ut tibi, Domine, placere possimus, beatæ Mariæ semper virginis et omnium sanctorum precibus et meritis adjuvemur.

Suffragia ad vesperas. Inter natos, etc. Justus, sicut cedrus. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, da cordibus nostris illam tuarum rectitudinem semitarum, quas beatus Joannes Baptista in deserto vox clamantis edocuit. *Antiphona.* Gloriosi principes. *Oratio.* Apostolicis nos, quæsumus, Domine, beatorum Petri et Pauli attolle præsidiis, ut quanto fragiliores sumus, tanto validioribus auxiliis foveamur. *Antiphona.* De pace, *ut supra.*

Ad completorium. Deus in adjutorium. *Psal.* Usquequo, Domine. *Psal.* Sæpe expugnaverunt. *Psal.* Domine non est exaltatum.

Hymnus

Enixa est puerpera,

Conciliare tibi gratia nulla potest.
Qui patri malus est, nulli bonus esse putetur,
Nolo roges pro quo non rogat ipsa parens.
Ne superinducta crucies uxore parentes,
Hos sepeli primo si superesse queas.
Est velox vindicta Dei maledictio patrum,
Nemo nisi demens hanc tolerare potest.
Quo plus proficiat tua sit correptio blanda;
Aspera perversos non capit, immo movet.
Objurga culpam pueri, juvenisque flagella,
Exhortare senem blanditiisque mone.
Cum te corripiat senior patienter habeto,
Et grates tanquam post data magna refer.
Culpari metuens culpam præcindere temptat,
. . . .
Quisquis non fuerit patiens parendo jubenti,
Imperio nulli præficiendus erit.

HYMNI ET SEQUENTIÆ

PER TOTUM ANNI CIRCULUM

AD USUM VIRGINUM MONASTERII PARACLITENSIS.

MONITUM.

Nonaginta tria carmina, quæ modo edituri sumus, conscripta fuisse ab Abælardo, idque ab eo factum circa annum 1130, *paulo antequam librum* Sermonum *in lucem daret, certissimum est. Ipse enim in epistola, quam præfationis loco* Sermonibus *his præmisit, scripsit ad Heloissam sese non ita pridem ad eam destinasse libellum Hymnorum vel Sequentiarum, quæ Paraclitenses monachæ inter divina celebranda officia concinerent.*

Non præterivit hanc scriptionem Henricus Gandavensis seu quisquis ille est qui Appendicem ad Henrici Gandavensis Scriptores ecclesiasticos *subjecit* (1); *nec plerique alii qui deinde commentarios de historia literaria publici juris fecerunt.*

Verum ambigi potest videritne ex eis ullus illa Abælardi poemata, an ex solo proœmio Sermonum *ea habuerint cognita. Sed vidit ea Ambœsius, deprehenditque (quemadmodum in Præfatione ad Opera Abælardi apologetica testatur ipsemet) « magnam in eis catholicæ pietatis lucem seu legenti seu canenti effulgere. » Quod ea reliquit in tenebris jure merito admiratus est Cl. V. Cousin, recentissimus Operum Abælardi editor.*

Porro, ut fit, evanuere postmodum omnia Hymnorum et Sequentiarum illarum vestigia; adeo ut D. Clement ea inter Opera Abælardi deperdita recensuerit (2). *Et quidem nondum inventæ Sequentiæ ullæ, sed Hymni nonaginta tres cum initio sequentis.*

Hi autem latebant in codice quincunciali, sæculo XIII *magnam partem conscripto, et varii generis complexo opuscula.*

Belgicum origine hunc esse librum, res manifesta; ubi vero locorum scriptum dubium maxime. Fragmentum aliquod genealogicum, ad imos margines folii versi 75 *et* 76 *adjectum, vicorum continet nomina qui Sabim inter et Mosam sunt positi; et folio* 17 *ad supremum marginem legitur versus Theotiscus seu Flandricus :* Scone en ghi hebet mi ghevaen, ich...; *quæ verba ad dialectum Limburgicam pertinere videntur : ita ut si dixeris olim id volumen exaratum et servatum fuisse in Leodiensi diœcesi, periculum errandi non incurreris; secus, si propius libri patriam determinare libuerit.*

Occupato Belgio ab reipublicæ Gallicanæ militibus, Parisios delatus est codex, ibique detentus, donec Napoleonis I regnum stetit. Quo cadente, rediere in Belgium membranæ, sigillo reipublicæ et imperialibus insignibus notatæ, deinceps vero bibliothecæ Burgundicæ Bruxellensis characterem laturæ. Et quidem, quæ his pergamenis chartis inscribuntur opuscula, in generali bibliothecæ Burgundicæ catalogo (3) *indicantur numeris* 10147-10158.

Jam vero forte fortuna factum est ut Œhlerus, domo Germanus, in ultimum hujus codicis libellum inciderit, maximam hymnorum Abælardi partem continentem. Nec mora, octo prima cantica dedit in lucem,

(1) Ap. Fabricium, *Biblioth. eccles.*, part. XI, p. 128.
(2) *Hist. littér. de France*, t. XII, p. 135.
(3) *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque royale de Bourgogne*, t. I, p. 203 et 204.

et reliqua manu propria descripsit. Quod deinde apographum justo pretio vendidit Cl. V. Cousin.

Interea temporis Æmilius Gachet Belga, rei palæographicæ non infaustam dans operam, universas illius codicis partes exposuit, primusque initium Abælardi epistolæ, ipsis hymnis præmissum, cum eruditis communicavit (1), *simul nuntians Cl. V. Cousin postulasse a gubernio Belgico Bruxellenses membranas quibuscum Œhleri conferret apographum.*

Hic enim, quum novam Abælardi Operum moliretur editionem, « officii sui ratus erat codicis Bruxellensis veluti imaginem quamdam fidelissime reddere, quum opus illud nondum fuisset editum. »

Atque hæc jam aliquot annos lucem vidit editio, quam accuratissime, si præfationi credere sit, juxta Bruxellensem codicem comparata. « Perpauca tantum, ait cl. editor, mutavimus, ubi aperta scripturæ vitia occurrebant, variis etiam lectionibus in parte paginarum inferiore subjunctis. »

Neque nobis alias leges præstituimus; sed curabimus alio eas observare modo. Quocirca quum Bruxellensis codex ubique habeat cælum, cælestis, *etc., id non mutabimus in* cœlum, cœlestis. *Re quidem vera, dictionaria aliquot docent* cœlum *scribendum esse, quasi radix hujus vocabuli esset Græcum* κοῖλον; *sed non putem eorum auctoritatem tantam esse ut prævaleat antiquissimis monumentis lapideis et pergamenis, non Latinis tantum, verum etiam Græcis, in quibus v. g. itacismi vitandi causa* κελεστῖνος *dicitur, qui Romanis est* Cælestinus. *Similiter necesse non arbitror vocabulum* ceteri *(quemadmodum in codice scribitur semper) mutare in* cæteri; *non enim* apertum scripturæ vitium *appellari potest id de quo etiamnum litigant grammatici. Idem dixerim de voce* seculum, *quod in* sæculum *vertendum æstimavit Cl. V. Cousin; sane communius dixere Romani veteres* sæculum, *quod et Græci* σαίκουλον *scripsere; verumtamen fuere qui pro* seculum *pugnarint, arbitrati id vocabulum a* senescere *deductum, vel a* secare : *ridicula utique derivatio; sed non de ea, verum de vocis* seculum *orthographia hic quæritur. Præterea in codice Bruxellensi ubique* sollemnitas, sollemnis *legitur; quæ in* solemnitas, solemnis, *mutanda visa sunt Cl. V. Cousin. Equidem iterum asserere non ausim* sollemnitas, sollemnis, *esse* aperta scripturæ vitia. *Etenim, ut ex senatus consulto de bacchanalibus aliisque antiquissimis monumentis constat, non solebant Romani veteres duplicare consonantes. Postea alius usus paulatim invaluit, nullis tamen certis observatis legibus. Hinc factum est ut alii geminarent consonantes in his verbis, alii in illis. De vocabulo* sollemnis *multa disputatio : analogia tamen huic favet formæ, eamque doctissimi grammatici plerumque tuentur. Demum, ut alia multa prætereantur, inter* aperta scripturæ vitia *referri nequit* cum *conjunctio, quamquam Cl. V. Cousin contra fidem codicis ubique* quum *scribendum censuit. Antiquissima hæc iterum grammaticorum lis. Certe* quum *ejusdem originis est ac* quando, qui, quis, *etc.; sed id non firmum argumentum, quum* sicubi, alicubi, alicunde, *etc., scribamus omnes. Adeoque in priscis marmoribus* cum *æque legitur ac* quum. *Subtiliora quædam grammaticorum ingenia tres formas excogitasse* qum, cum *et* quum *testis est Quintilianus, quarum prima tempus, secunda comitatus, tertia significaretur causa: verumtamen ipse Quintilianus, non secus ac codex Bruxellensis, illo discrimine non utebatur, ubique scribens* cum. *« Frigidiora his alia, inquit idem grammaticus : ut quidquid C quartam haberet, ne interrogare bis videremur. Et* quotidie, *non* cotidie *: ut sit quot diebus : verum hæc jam inter ipsas ineptias evanuerunt. » Unde simul patet quantum temporis duret certamen grammaticum de* quotidie *et* cotidie : *quod ultimo animadvertimus loco, quoniam, quum in codice Bruxellensi ubique legatur* cottidie, cottidianus, *id in* quotidie, quotidianus *mutandum visum est Cl. V. Cousin. Minus recte; recenseatur, si lubet,* cottidianus *inter ipsas ineptias, nil repugnabimus, quamquam Quintilianus hanc notam inureret alteri formæ; si inter* aperta scripturæ vitia, *durius esset judicium. Neque duplex t culpandum severius, quum Catullus cecinerit, legem metricam satis notam secutus :*

Conjugis in culpa flagravit quottidiana.

Sed de his quisquiliis grammaticis satis superque.

Piget addere in majoribus nonnumquam rebus cespitasse cl. editorem, verbis interdum omissis, vocabulorum, quin etiam versuum ordine aliquando inverso, una voce substituta alteri, et id genus aliis : quos nævos ad imum marginem indicabimus, quando operæ videbitur pretium.

Mutationes alias vix non probamus omnes. Quum enim in Bruxellensi codice diphthongus ae *litera* ę *caudata passim scribatur, eadem diphthongus recte servata est ubi cauda illa a librario omissa fuit. Præterea codex non novit diphthongum* œ, *sed ubique habet* fedus, pena, cepit, *etc.; placuit Cl. V. Cousin scribere ubique* fœdus, pœna, cœpit : *placuit et nobis. Alius generis est fortuna literæ* y *quæ in paucis vocabulis, v. g.* hymnus *seu* ymnus, *legitur; alibi ejus locum occupante elemento Latino* i. *Prætulit cl. editor scribere* mysteria, martyr, *etc.: non improbamus; verumtamen maluimus cum codice dicere* misteria, martir, *etc. quoniam hic iterum integrum systema grammaticum latet. Lege quæ recentiores grammatici scripserunt de vocabulis aliquot Græcis jure Latii donatis, v. g.* στῦλος, stylus, stilus. *In aspirationis signis codex varius*

(1) *Compte-rendu des séances de la Commission royale d'histoire,* t. V (3 juillet 1841-6 août 1842) p. 164 et suiv.

quam maxime : præsentem, qui nunc in Gallia viget, usum secutus est ubique Cl. V. Cousin : idem fere facimus ; nisi quod hymnus *diximus uno loco,* ymnus *alio, quoniam ipse librarius studiose in utramque ivisse partem visus est ; et quod ad marginem notavimus, si quid in aspiratione correximus. Peculiare Bruxellensi codici est* eicio *pro* ejicio, prodigi *pro* prodii, *et contra* prodii *pro* prodigi ; *quæ ex aspirationis Theutonicæ legibus fere explicanda sunt. Atque hæc, ut rationem reddamus de decessorum nostrorum in eadem palæstra labore et ut ne nostra prorsus inutilis habeatur nova editio.*

Quod vero ad suscepti ab Abælardo operis causas attinet, eas ipse aperit in prima epistolæ seu præfationis parte; in secunda idem attingit argumentum, modumque quem secutus est his declarat verbis : « Superiori namque libello cottidianos feriarum hymnos qui toti sufficere possint ebdomadæ comprehendimus. Quos ita compositos esse cognoscatis ut bipartitus sit eorum cantus sicut et rythmus, et sit una omnibus nocturnis melodia communis atque altera diurnis, sic et rythmus. Hymnum etiam gratiarum actionum post epulas exsolvendum non prætermisimus, secundum quod in Evangelio scriptum est « Hymno dicto exierunt. » Cæteros vero suprapositos hymnos hac consideratione digessimus, ut, qui nocturni sunt, suarum opera feriarum contineant; diurni autem ipsorum operum allecoricam seu moralem expositionem tradant. Atque ita factum est ut obscuritas historiæ nocti, lux vero expositionis reservetur diei. »

Quum secundum scripsisset libellum Hymnorum, ejus quoque rationem explicuit in subjecta epistola seu, si præplacet, præfatione tertia : « Quod de ornatu, inquiens, deest eloquentiæ, recompensavimus hymnorum multitudine, singulis videlicet singularum sollemnitatum nocturnis proprios componentes hymnos, quum unus solummodo hucusque hymnus in festis quoque, sicut in feriis, ad nocturnos præcineretur. Quattuor itaque hymnos, singulis festivitatibus ea ratione decrevimus ut in unoquoque trium nocturnorum proprius decantetur hymnus, et laudibus insuper matutinis non desit suus. Ex quibus rursus IIII instituimus ut duo in vigilia pro uno conjungantur hymno et duo reliqui similiter ad vesperas ipso die sollemni recitentur, aut ita bini et bini in singulis vesperis dividantur ut cum duobus prioribus psalmus unus et cum duobus reliquis alius decantetur. De cruce autem memini quinque conscripti sunt hymni; quorum primus singulis præponatur horis, invitans diaconem crucem de altari tollere et in medio choro afferre, atque ibidem eum quasi adorandam ac salutandam statuere, ut in ejus quoque præsentia tota per singulas horas peragatur sollemnitas. »

Sed quorsum hæc hoc loco sistimus, quæ inferius suo ordine recurrent? videlicet ut novæ hujus editionis norma manifesto pateat. Quum enim in codice Bruxellensi nulli uspiam sint tituli atque ex hoc defectu multa oriantur incommoda, illa præsertim verba tamquam clarissima fax nobis continuo præluxerunt. Atque secundum hæc non tantum licuit sub singulis hymnis apponere indicia, verum etiam obscura quædam illustrare et turbatum interdum ordinem agnoscere.

Mutare tamen ordinem noluimus, tum ut codex Bruxellensis genuinus in lucem veniat, tum quoniam hoc mutationum genere (maxime quum jam alia præcessit editio) parum utilitatis lectoribus et plerumque multum turbationis creetur; aliis hunc ordinem in suis libris, aliis illum reperientibus in suis. Lege epistolas sanctorum Cypriani, Hieronymi, Augustini : quot enim secundum varias editiones eis apponuntur numeri?

Ex quo tempore e tenebris prodire cœperunt hymni illi, conjecturæ de his jam factæ sunt multæ ; quas operæ pretium non est memorare, si unam exceperis : videlicet ex adjuncta epistola et ex ipsis hymnis constare, consilium Abælardi fuisse liturgiam sacram immutare. Improbanda opinio. Qui enim eam amplexi sunt, in ea videntur fuisse sententia easdem tunc viguisse leges, quas nunc servari præcipit Ecclesia. Sane, si quis impræsentiarum manus inferret Breviario, aliosque substitueret consuetis hymnis, non id impune ferret. Verum sæculo XII *non eadem erat severitas, et multa permittebantur episcoporum, præpositorum, abbatum, aliorumque præstantium virorum auctoritati et religioni ; præcipue quod ad hymnos pertinet et sequentias, quum aliæ Ecclesiæ eas omitterent, aliæ adhiberent ; et quæ adhiberent, uterentur maxime variis. Sed nolim hæc latius declarare quæ passim in libris de rebus liturgicis exposita sunt. Cæterum omnia in hac hymnorum sylloge probe sunt catholica; et, quamquam quo eos Abælardus scripsit tempore animo minus esset pacato, vix tamen aliquod eis impressit pugnacitatis suæ vestigium; quinetiam ut nonnulla hic occurrunt satis poetica, sic quædam quoque obvia sunt vere pia, maxime in libello secundo.*

Nemo tamen arbitretur thesaurum nunc tandem detectum fuisse pretii maximi; non ita est. Hymni Breviarii Romani aliorumque antiquorum generatim longe præstant pietate, numero, selectu verborum, sententiis ; neque laus novitatis inest Abælardi conatibus, quum plerumque nil aliud agat quam rhythmo qualicumque ligare quæ jam pridem ante soluta oratione explicuerant alii. Facili negotio indicare possemus unde sua omnia deprompserit scriptor; verum his in immensum cresceret hæc editio. Præterea novissimis temporibus complures antiquarii, maxime R. P. Carolus Cahier in opere De fenestris pictis Bituricensibus, explicuerunt symbola fere omnia et interpretationes Scripturæ sacræ mysticas, quæ in tribus Abælardi hymnorum libellis occurrunt; ipsaque harum rerum origines et historiam felicissime patefecerunt Oxonienses aliquot theologi in sylloge tractatuum præsenti ævo opportunorum : ita ut nil fere spicilegis derelictum fuerit. Pluribus præfandum non videtur

LIBELLUS PRIMUS.

HYMNI FERIARUM.

PRÆFATIO.

DE CAUSIS SUSCEPTI OPERIS.

Ad tuarum precum instanciam, soror mihi Heloysa, in seculo quondam cara, nunc in Christo karissima, ymnos Græce dictos, Hebraice tillim (1) nominatos, composui; ad quos quidem me scribendos cum tam tu quam quæ tecum morantur sanctæ professionis feminæ sæpius urgueretis, vestram super hoc intentionem requisivi. Censebam quippe superfluum me vobis novos condere, cum veterum copiam haberetis (2), et quasi sacrilegium videri antiquis sanctorum carminibus nova peccatorum præferre vel æquare. Cum autem a diversis diversa mihi responderentur, tu inter cetera talem, memini, subjecisti rationem : Scimus, inquiens, Latinam et maxime Gallicanam Ecclesiam, sicut in psalmis ita et in ymnis magis consuetudinem tenere quam auctoritatem sequi. Incertum etenim adhuc habemus cujus auctoris hæc sit tanslatio Psalterii quam nostra, id est Gallicana, frequentat Ecclesia (3). Quam si ex eorum dictis dijudicare velimus qui translationum diversitates nobis aperuerunt, longe ab universis interpretationibus dissidebit, et nullam, ut arbitror, auctoritatis dignitatem obtinebit. In qua quidem adeo longævæ consuetudinis usus jam prævaluit, ut, cum in ceteris correcta beati Hieronimi teneamus exemplaria, in Psalterio, quod maxime frequentamus, sequamur apocrypha (4). Ymnorum vero quibus nunc utimur tanta est confusio, ut qui, quorum sint, nulla vel rara titulorum præscriptio distinguat; et si aliqui certos habere auctores videantur, quorum primi Hilarius atque Ambrosius exstitisse creduntur, deinde Prudentius et plerique alii, tanta est frequenter inæqualitas syllabarum, ut vix cantici melodiam recipiant, sine qua nullatenus ymnus consistere potest, cujus descriptio est laus Dei cum cantico. Plerisque etiam sollemnitatibus addebas deesse proprios ymnos, utpote Innocentum et Evangelistarum, seu illarum sanctarum quæ virgines vel martires minime exstiterunt. Nonnullos (5) denique asserebas esse in quibus nonnunquam hos a quibus decantantur mentiri necesse sit, tum videlicet pro temporis necessitate, tum pro falsitatis insertione. Casu quippe aliquo vel dispensatione, eo modo sæpius præpediti fideles constituta horarum tempora vel præveniunt, vel ab ipsis præveniuntur, ut de ipso saltem tempore mentiri compellantur, dum videlicet aut nocturnos die, aut diurnos nocte hymnos decantant. Constat quippe secundum propheticam auctoritatem et ecclesiasticam institutionem, nec a laude Dei noctem ipsam vacare, sicut scriptum est : « Memor fui nocte n. t. D. (6), » et iterum : « Media nocte s. ad c. tibi (7), » hoc est ad laudandum te; nec septem reliquas laudes de quibus idem meminit Propheta : « Septies in die L. d. tibi (8), » nisi in die persolvendas esse. Quarum quidem prima, quæ matutinæ laudes appellantur, de qua in eodem scriptum est Propheta : « In matutinis D. m. in te (9), » in ipso statim diei initio, illucescente aurora seu lucifero, præmittenda est : quod etiam in plerisque distinguitur hymnis. Cum enim dicit : « Nocte surgentes v. o. (10), » et iterum : « Noctem canendo r. (11), » vel.

(1) Lege *tehillim*.
(2) Male legit cl. v. Cousin *habeatis*.
(3) Ecclesia Gallicana tunc temporis sequebatur idem Psalterium quod nunc; videlicet antiquam Latinam versionem factam ex textu Græco Septuaginta Interpretum, et correctam a S. Hieronymo. Velle ei substitui Abælardus versionem factam a S. Hieronymo secundum fidem Hebraicam, quod ipse sanctus doctor noluit.
(4) Eodem jure apocrypha est versio Evangelii.
(5) Cl. v. Cousin edidit *nonnullas*.
(6) « Nominis tui, Domine. » *Psalm.* CXVIII, v. 55.
(7) « Media nocte surgebam ad confitendum tibi. » *Psalm.* CXVIII, v. 62
(8) « Laudem dixi tibi. » *Psalm.* CXVIII, v. 164.
(9) « In matutinis, Domine, meditabor in te. » *Psalm.* LXII, v. 7.
(10) « Nocte surgentes vigilemus omnes. » Hymn. Gregor. in Brev. Rom. Dominica ad Mat.
(11) « Noctem canendo rumpimus. » Hymn. Ambr. in Brev. Rom. fer. III ad Mat.

« Ad confitendum surgimus morasque (1) n. r., » et alibi : « Nox atra rerum contegit ter. c. q. (2), » vel : « Nam lectulo consurgimus n. q. t. (3), » et rursum : « Ut quique horas noctium nunc c. r. (4), » et similia, ipsi sibi hymni quod nocturni sunt testimonium præbent. Sic et matutini hymni proprii temporis, quo dicendi sunt, institutionem nonnunquam profitentur : verbi gratia cum dicitur : « Ecce jam n. t. u. (5), » et iterum : « Lux ecce s. a. (6), » vel : « Aurora jam s. polum (7), » seu : « Aurora lucis r. (8), » et alibi : « Ales diei nuntius l. pro. præcinit (9), » vel : « Ortus (10) refulget l. (11), » et si qui sunt hujusmodi, ipsi nos instruunt ymni quo tempore sint cantandi, ut si eis videlicet sua tempora non observemus, in ipsa eorum prolatione mendaces inveniamur. Hanc tamen observantiam non tam negligentia plerumque tollit, quam necessitas aliqua vel dispensatio præpedit ; quod maxime in parochialibus, seu minoribus ecclesiis propter ipsas plebium occupationes cottidie fieri necesse est, in quibus omnia et fere continue peraguntur in die. Nec solum tempora non observata mendatium ingerunt, verum etiam quorumdam ymnorum compositores, vel ex proprii animi compunctione alienos pensantes, vel improvidæ studio pietatis extollere sanctos cupientes, in aliquibus ita modum excesserunt, ut contra ipsam nostram conscientiam aliqua in ipsis sæpius proferamus tanquam a veritate prorsus aliena. Paucissimi quippe sunt qui contemplationis ardore vel peccatorum suorum compunctione flentes ac gementes, illa digne valeant decantare : « Preces gementes f. d. q. p. (12), » et iterum : « Nostros pius cum canticis f. b. s. (13), » et similia quæ sicut electis ita paucis conveniunt. Qua etiam præsumptione singulis annis decantare non vereamur : « Martine, par apostolis (14), » vel singulos confessores immoderate de miraculis glorificantes dicamus : « Ad sacrum cujus tumulum frequenter membra languentum modo sanitati, etc. (15), » discretio vestra dijudicet. His vel consimilibus vestrarum persuasionibus rationum ad scribendos per totum anni circulum ymnos animum nostrum vestræ reverentiæ sanctitas (16) compulit. In hoc itaque mihi vobis supplicantibus, sponsæ Christi vel ancillæ, et nos e converso vobis supplicamus, ut quod nostris bonus imposuistis humeris, vestrarum orationum manibus sublevetis, ut qui seminat et qui metit, simul operantes congaudeant.

(1) « Morasque noctis rumpimus. » Hymn. Ambr. in Brev. Rom. fer. IV ad Mat.
(2) « Terræ colores omnium. » Hymn. Ambr. in Brev. Rom. fer. V ad Mat.
(3) « Noctis quieto tempore. » Hymn. Ambr. in Brev. Rom. fer. VI ad Mat.
(4) « Nunc concinendo rumpimus. » Hymn. Ambr. in Brev. Rom. Sabb. ad Mat.
(5) « Ecce jam noctis tenuatur umbra. » Hymn. Greg. in Brev. Rom. Dom. ad Laud.
(6) « Lux ecce surgit aurea. » Hymn. Prudentii in Brev. Rom. fer. V ad Laud.
(7) « Aurora jam spargit polum. » Hymn. Ambr. in Brev. Rom. Sabb. ad Laud.
(8) « Aurora lucis rutilat. » Hymn. Ambr. in Brev. Rom. tempore paschali ad Laud., sed cum hoc initio : « Aurora cælum purpurat. »
(9) « Lucem propinquam præcinit. » Hymn. Prud. in Brev. Rom. fer. III ad Laud.
(10) Cod. et cl. v. Cousin *Ortum*.
(11) « Ortus refulget lucifer. » Hymn. Ambr. in Brev. Rom. fer. VI ad Laud.
(12) « Preces gementes fundimus; dimitte quod peccavimus. » Hymn. Ambr. in Brev. Rom. fer. IV ad Mat. — Verum hæc si valeret ratio, abstinendum esset a Psalmis Davidicis.
(13) « Fletus benigne suscipe. » Hymn. Ambr. in Brev. Rom. Sabb. ad Mat.
(14) Hymnus iste ex plerisque Breviariis monasticis, multo magis ex aliis, plura jam sæcula sublatus est. Placet eum hic recitare ex Breviario S. Maximini Trevirensi, anno 1600 typis excuso :

Rex Christe, Martini decus,
Hic laus tua, tu illius,
Tu nos in hoc te colere,
In te ipsum contribue.

Qui das per orbis cardines
Quod gemma fulget præsulum,
Da quos premunt culpæ graves
Solvat per ingens meritum.

En pauper hic et medicus
Cælum dives ingreditur;
Chori cælestes obviant,
Linguæ, tribus, gentes ovant.

Ut vita fulget, transitus
Cælis et arvo splendidus :
Gaudere cunctis pium est,
Cunctis salus sit hæc dies.

DIVISIO.

Martine par apostolis,
Festum colentes tu fove,
Qui vivere discipulis
Vis aut mori, nos respice.

Fac nunc quod olim gesseras,
Nunc præsules clarifica,
Auge decus Ecclesiæ,
Fraudes relide Satanæ

Quater chaos eviceras,
Mersos reatu suscita,
Diviserus ut chlamydem,
Nos indue justitia.

Ut spiritalis gloriæ
Quondam recorderis tuæ,
Monastico nunc ordini
Jam pene lapso subveni.

Sit Trinitati gloria,
Martinus ut confessus est,
Cujus fidem per opera
In nos et ipse roboret.
AMEN.

(15) Id desumptum ex hymno *Iste confessor* antiquo, a temporibus Urbani VIII legitur :

Cujus ob præstans meritum frequenter
Ægra quæ passim jacuere membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.

(16) Cod. *reverentiæ sanctitatis*. Cl. v. Cousin *reverentia sanctitatis*.

HYMNI NOCTURNI.

I.

DOMINICA AD MATUTINUM.

In I Nocturno.

Universorum Conditor,
Conditorum dispositor,
Universa te laudant condita,
Glorificant (1) cuncta disposita.

Instrumento non indigens,
Neque thema discutiens,
Solo cuncta comples imperio.
Dicis : Fiant, et fiunt illico.

Auctor es præstantissimus,
Omnipotens, non hæmulus;
Tantum ergo quæ facis omnia,
Quantum decet facis eximia.

Cujus enim judicium
Non censet illum imperium
Qui commodum scienter subtrahit,
Quod nec gravat tandem nec minuit (2).

Fit ergo mundus optimus,
Ac perfectus in omnibus;
Fit pondere, mensura, numero,
Ne vacillet in quoquam ratio.

Opus dignum opifice,
Pulchrum, indissolubile,
Ad exemplar fit perfectissimum,
Instar cuncta concludens optimum.

Nec minore disponitur
Bonitate quam conditur :
Quidquid male gerit iniquitas,
Summa bene disponit æquitas (3).

Sit perpes Deo gloria,
Ex quo sunt quæ sunt omnia.
Ipsum cuncta per quem sunt prædicent,
Ipsi semper in quo sunt jubilent.
AMEN.

II.

In II Nocturno.

Deus, qui tuos erudis
Testamentorum paginis,
Ex eorum intelligentiæ
Cantus nostros condis dulcedine.

Tibi sit acceptabile,
Nobis sic fiet utile
Quod de tuis solvemus laudibus,
Si quod sonat intellexerimus.

Triplex intelligentia
Diversa præbet fercula.
Delitiis habundat variis
Sacræ mensa Scripturæ fertilis.

Alunt parvos historica,
Pascunt adultos mistica,
Perfectorum ferventi (4) studio
Suscipitur moralis lectio.

Illis fides astruitur,
Ex hac fructus colligitur,
Fructus hic est et consummatio
Quam des nobis, morum instructio

Hæc nobis, Deus, fercula
Tua paravit gratia,
Ut his nostra peregrinatio
Sustentetur quasi viatico.

Sit perpes Deo gloria (5).

III.

In III nocturno.

In ortum mundi sensilis
Mundus intelligibilis,
Cælo simul et terra condito,
De divino jam prodit animo.

Cælum mox spiritalibus
Redimitum est civibus;
Hæc auctorem suum laudantia
Matutina sunt illa sidera.

Tellus inanis, vacua,
Latebat aquis obsita;
Hac faties profundi gurgitis
Caligabat obductis tenebris.

Aqua (6) fovens vivificus
Jam incumbebat spiritus,
Ut hinc aquæ jam tunc conciperent
Unde prolem nunc sacram parerent.

Mundi (7) quoque primordia
Lucis venustans gratia,
Dixit Deus : Sit lux, et facta est
A tenebris inde divisa est.

Sit perpes Deo gloria.

IV.

FERIA SECUNDA.

Ad matutinum.

In coæterno Dominus
Verbo dixit altissimus :
Firmamentum sit interpositum,
Ut dividat aquarum medium.

Dictum effectus sequitur.
Abissus interceditur;
Jacentibus aquis inferius
Suspenduntur aquæ superius.

Quibus has aquas usibus
Reservet, novit Dominus.
Constat autem et hæc, et cetera
Nobis esse, non sibi, condita.

(1) Cod. *Glorificent.*
(2) Cod. *Minuitur.*
(3) In universo fere hoc hymno optimismum aliquem philosophicum obtrudi nemo non viderit. In tribus hymnorum libellis alia pecularia Abælardi placita videre non est.
(4) Sic Cod. Legit cl. v. Cousin *ferimenti*
(5) Aliquot locis leguntur in Codice Bruxellensi siglæ, *etc.*; sed plerumque fuere omissæ, quemadmodum nunc quoque fit in libris liturgicis. Eas ubique posuit cl. v. Cousin. Maluimus sequi Codicem.
(6) Sic Cod. Legendum *Aquam* vel *Aquæ.*
(7) Cod. *In mundi.*

Nostris necessitatibus
Providetur in omnibus;
Pro singulis a nobis Domino
Gratiarum debetur actio.

Sit perpes Deo gloria.

V.

FERIA TERTIA.

Ad Matutinum.

Ad laudes die tertia
Nos ejus monent opera;
Congregatis inferioribus
Aquis, terram detexit Dominus.

Terra detecta pullulat (1);
Herbam et lignum germinat
Omne genus herbæ producitur;
Omne ligni genus emittitur.

B In terra terræ principem
Collocaturus hominem,
Locum Deus ornando præparat
Vitæ nostræ quem usus postulat.

Recusamur in omnibus,
Si factorem contempnimus;
Rationem pro cunctis exigit
Is qui cuncta pro nobis condidit.

Disceptat mundus contra nos,
Factus ornatus propter nos,
Si nos Deo non subdat gratia,
Quibus ipse subjecit omnia.

Placemus ipsum laudibus,
Quem irritamus actibus.
Quanta laudis sit immolatio,
Nos psalmorum docet instructio.

Sit perpes Deo gloria.

C

VI.

FERIA QUARTA.

Ad Matutinum.

Ornarunt terram germina,
Nunc cælum luminaria.
Sole, luna, stellis depingitur,
Quorum multus usus cognoscitur.

Lucem distinguunt tempora,
Sunt in signa (2) certissima,
Cuncta fere terrarum commoda
Planetarum ministrat phisica.

Hæc quoque pro te condita
Sursum, homo, considera·
Esse tuam et cæli regio
Se fatetur horum servitio.

D Sole calet in hieme
Qui caret ignis munere,
Pro nocturnæ lucernæ gratia
Pauper habet lunam et sidera.

Stratis dives eburneis,
Pauper jacet germineis;
Hinc avium oblectant cantica,
Inde florum spirat fragrantia (3).

Impensis, dives, nimiis
Domum casuram construis;
Falso sole pingis testudinem,
Falsis stellis in cæli speciem.

In veri cæli camera
Pauper jacet pulcherrima;

A Vero sole, veris sideribus
Istam illi depinxit Dominus.

Opus magis eximium
Est naturæ quam hominum,
Quod nec labor, nec sumptus præparat,
Nec vetustas solvendo dissipat.

Ministrat homo diviti,
Angelus autem pauperi,
Ut hinc quoque constet cælestia
Quam sint nobis a Deo subdita.

Sit perpes Deo gloria.

VII.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum.

Ornatis luce partibus
Mundi superioribus,
Loca restat ornandum infima,
Ex his ex (4) quibus lux est jam condita.

Educunt aquæ reptile,
Producunt et volatile;
Uno jussu pisces et volucres
Prodierunt in suas species.

Simul et cete grandia,
Et parva fiunt ostrea,
Uno gripho momento maximus
Perfectus est et passer modicus.

Dixit enim, et facta sunt,
Mandavit, et creata sunt;
Magna simul complet et modica,
Cui sunt æque cuncta facilia.

Sit perpes Deo gloria.

VIII.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Laus instat sextæ feriæ,
Pro qua debentur aliæ,
Qua formatur homo novissimus,
Præparatis ei jam omnibus.

Hac in luce terrestria
Creantur animantia;
Omne terræ de terra reptile,
Omne genus profertur bestiæ.

Fit omnium novissimus
Homo qui præsit omnibus;
Ad hunc cuncta spectabant terminum
Tanquam finem cunctorum unicum

Summus Creator omnium,
In quo summa stat operum,
In hoc omnis expletur termino
Consilii divini ratio.

Hoc unum plasma nobile
In quo resplendes, Domine.
Illud tuæ decus imaginis,
Et gloria similitudinis.

Vir primum, inde femina,
De costa viri condita,
Postquam viro sopor immittitu,
Sacramentum quo magnum geritur

Dantur his animantia
In potestate cetera.

(1) Sic Cod.
(2) Sic Cod. Non vero *insignia*, ut legit cl. v. Cousin.

(3) Cod. habet male *flagrantia.*
(4) Sic Cod. *Ex* redundare videtur.

Potiuntur pro tabernaculis
Paradisi templo (1) gratissimis.

Sit perpes Deo gloria

IX.

SABBATO.

Ad Matutinum.

Perfectis Deus omnibus
Et (2) inspectis operibus,
Summe bonus cuncta quæ fecerat
Valde bona videt et approbat.

Sunt perfecta senario
Cuncta dierum numero,
Ut perfecto dierum operi
Attestetur et virtus numeri.

A Quievit die septimo
Non lassatus in aliquo;
Quies ipsa Deus perpetua,
In quo cuncta quietis gaudia.

Diem ergo sanctificat,
Quo cessando quieverat,
In sabbati veri misterio
Benedicit diei (3) septimo;

Illius, inquam, sabbati,
Quod est ignarum termini,
Quo pax vera, summa tranquillitas
Juges agit festorum ferias.

Sit perpes Deo gloria.

HYMNI DIURNI.

X.

DOMINICA.

Ad Laudes.

Advenit veritas, umbra præteriit,
Post noctem claritas diei subiit,
Ad ortum rutilant superni luminis
Legis misteria plena caliginis.

Nocturnum (4) Moysi cedat præconium,
Diurnum congruit diei canticum.
Cum Christo prodeunt cuncta de latebris,
Nec locum deserit lux tanta tenebris.

Velamen exuunt figuræ misticæ;
Est in re veritas, jam non in scemate;
Promissa liquido complens prophetica
Tota vel apicem non sinit irrita.

Transacto flebili de morte vespere,
Cum vita redditur mane læticiæ,
Resurgit Dominus, apparent angeli,
Custodes fugiunt splendore territi.

Sanctorum plurimi qui jam dormierant,
Surgentis gloriam surgendo prædicant.
In testimonium surgentis Domini,
Conscendunt mortui, descendunt angeli.

Perhenni Domino perpes sit gloria,
Ex quo sunt, per quem sunt, in quo sunt [omnia,
Ex quo sunt Pater est, per quem sunt Filius,
In quo sunt Patris et Filii Spiritus.

AMEN.

XI.

QUOTIDIE.

Ad Primam.

Auroram lucifer præit, sol sequitur.
Aurora fidei lux intelligitur,
Quam verus lucifer surgendo contulit,
Caro Dominica cum refloruerit.

Hic idem lucifer, ut sol, refulserit,
Cum ad juditium commune venerit,
Cujus lux fuerit tanta præsentiæ,
Ut conscientiæ loquantur singulæ.

Nunc (5) invisibilem quem intelligimus
Solem annuntiat iste quem cernimus,
Et invisibilem auctorem omnium
Laudat visibilis effectus operum.

Cunctis laudantibus, homo, ne taceas,
Cum laudes Domino pro cunctis debeas.

B Urgeris singulis ex beneficiis,
Ut grates laudibus solvas continuis.

Perhenni Domino perpes sit gloria.

XII.

Ad Tertiam.

In altum orbita solis jam ducitur,
Calorque proficit quo mundus alitur,
Lux primum, deinde calor infunditur,
Cum fidem caritas in nobis sequitur.

Hanc lucem fidei sol verus attulit,
In carne Verbum nos cum visitaverit,
Cælum fortissimum amoris attulit
Hac hora Spiritus quem Verbum miserit.

Hinc recte Spiritus in igne visus est
Super apostolos, cum hoc largitum est;
Nam ignis amor est qui mentes animat,
C Ut testam luteam ignis corroborat.

Perhenni Domino perpes sit gloria.

XIII.

Ad Sextam.

Plena meridie lux solis radiat,
Plenusque calor est quo mundus æstuat.
Beatitudinis hæc est perfectio,
Cum ipsa Dei nos incendet visio.

Cujus quo fuerit major cognicio,
Major in singulis erit dilectio,
Quem nichil aliud erit conspicere,
Quam vera perfrui beatitudine.

Felices oculi, beata lumina,
Quibus concessum est hac frui gloria.
Hujus te supplices rogamus, Domine,
Loca vel ultima da nobis curiæ.

D Perhenni Domino perpes sit gloria.

XIV.

Hymnus Gratiarum post epulas.

Deus qui corpora creas et animas,
Et cibis propriis utraque recreas,
Tibi tam corpora psallant quam animæ,
Esse qui tribuis illis et vivere.

Ignosce, Domine, nostris excessibus,
Si plus quam decuit gulæ indulsimus ·
Immo, piissime, quia sic fecimus,
Tam hoc quam cetera condona, quæsumus.

(1) Cod. *tempore.*
(2) Supplevimus *Et,* quod deest in Cod.
(3) Cod. *die*
(4) Cl. v. Cousin legit et edidit *doctorum.*
(5) Cl. v. Cousin edidit *Hunc.*

Hoc primi vitio parentes exulant,
Et crebris posteros ærumnis implicant
Hoc naturaliter est nobis insitum,
Et quasi filiis hereditarium (1).

Immoderatior et inter epulas
Si quid addiderit culpæ loquacitas,
Id quoque tuum est tuis ignoscere,
Qui nobis spacium reservas veniæ.

Tuum est gratiam dare supplicibus
Qua sibi temperet ab his et talibus.
Tuum est (2) omnibus modum præfigere
Atque præcipitem naturam regere.

Peregrinantibus nobis viaticum
Da necessarium, tolle superfluum;
Sit quæ non honeret supellex modica,
Ne tarde profugis occurrat patria.

Quis in exilio quærat delitias?
Vel nudus utinam hinc tandem exeat!
Nudeque naufragum hærentem tabulæ
Cautes excipiant saxoso littore.

Qui spiritalibus se cibis præparat,
Non quærit qualibet stercus conficiat.
Cælesti pane qui saginat (3) animam
Ventris rugitibus non parat similam.

O! (4) Quem veræ poculum vitis inebriat,
Vini dulcedine gulam non incitat,
Regum deliciæ, non Christi pauperum,
Sollicitudines sunt istæ gentium.

Terrena cogitant hii, non cælestia;
Ponunt exilium sibi pro patria;
Sortem cum bestiis hic suam faciunt,
Et tales miseri comites eligunt.

Averni facilem descensum appetunt,
Arduum cælorum callem refugiunt.
Ventre et pectore repentes penitus
Se jam attollere valent nullatenus.

Ut pronas corpore natura bestias,
Sic istos animo fecit edacitas.
Bachi vel Cereris templis assidui,
In cerimoniis sunt ventris prodigi (5).

Tu autem exules factos ingluvie
Per abstinentiam reduc nos, Domine,
Nullumque deseras tuorum inopem,
Qui vestis lilium, et pascis passerem.

Nullum necessitas premat inopiæ,
Sed sit frugalitas sufficientiæ.
Sit quod sufficere naturæ valeat,
Non quod lasciviæ fomentum præbeat.

Perhenni Domino sit.

XV.

Ad Nonam.

Septem quas solvimus diurnis laudibus
Nocturnis additis octo perficimus,
Ex quibus quattuor ascribe vespere (6)
Et mane quattuor, diemque perfice (7).

A nona vesperam scimus incipere,
Cum sol se cœperit terris immergere,
E contra recte quis mane tribuerit
Post noctis medium cum sol emerserit.

Octo conficitur nostra substantia
Quam demum perficit octavæ gloria;
Corpus ex quattuor constare novimus,
Ornari totidem mentes virtutibus.

Hinc recte gratias in octo laudibus
Pro nobis Domino solvi statuimus
Defectum corporis præbentes vespere,
Mane tribuimus vigorem animæ.

Perhenni Domino.

XVI.

DOMINICA.

Ad Vesperas.

Octavæ titulo in Psalmis legimus
Futuræ gloriam vitæ canentibus,
Cum lux subierit perpes fidelium
Istius temporis post septenarium.

Hanc jam in capite completam novimus,
Cum resurrexerit hac luce Dominus,
Ut sic certissimam spem membris propriis
Ejusdem tribuat beatitudinis.

Hinc a Christicolis hæc dies merito
Præ cunctis colitur hoc in misterio.
Æternis etenim, non temporalibus
Hii bonis inhiant (8) quorum fons Dominus.

Neve tam arduam viam tenentibus
Ex diffidentia tepescat animus:
Hac ipsa die Dominus (9) paraclitum
Misit discipulis in æram Spiritum.

Ad hujus addite diei gloriam
Quo recte videas diem Dominicam (10),
Quod corporaliter hac luce Dominus
Ut rex susceptus est et heres regius.

Ingressus proprium statim palatium,
Potentis exhibet regis imperium;
Pravos ejiciens (11), cæcos illuminat,
Et domum Domini sic reconciliat.

Octavæ peragit Jhesus misterium
In qua resederit ut judex omnium
Suos illuminans sui præsentia,
Pravos ejiciens a regni gloria.

Nec a misterio vacare credimus,
Quod soli dies hæc datur a gentibus;
Ipsi hæ (12) consecrent eam ex nomine,
Cum sibi vindicet hanc sol justitiæ.

Perhenni Domino.

XVII.

QUOTIDIE.

Ad Completorium.

Ubique tuis nos et semper laudibus
Vacare, Domine, debere novimus,
Qui loca fabricas nobis et tempora,
Noctem ad requiem, diem ad opera.

(1) Sic Cod. Cl. v. Cousin mutavit in *hæreditarium*. Non necesse; quum non conveniant antiqui grammatici.
(2) Cod. *in omnibus;* sed *in* obelo seu stigmatibus notatur.
(3) Cod. *saginans.*
(4) Cl. v. Cousin omisit O!
(5) Cod. *prodii.*
(6) Servavimus *vespere*, quoniam continuo post Abælardus *mane* quoque tamquam dativum adhibet: similiter in quarta stropha.
(7) Quatuor horæ vespertinæ sunt Abælardo Nona, Vesperæ, Completorium et Matutinum; quatuor matutinæ Laudes, Prima, Tertia et Sexta.
(8) Cod. *iniant.*
(9) Cl. v. Cousin *Dominus die.*
(10) Cod. *additæ... diei dominicam.*
(11) Cod. *exibet... eitiens... eitiens.*
(12) Cod. *Ipsi quoque,*

Et cum ferat (1) non hoc nostra fragilitas,
Horas instituit, fixit ecclesias,
Ut ipsa loca nos ad hæc admoneant.
Invitent tempora vel segnes arguant.

Hora jam requiem dici septima
Completa poscimus laudum hebdomadam (2).
Tu nostro, Domine, benedic sabbato,
Quos tuo reparet quies obsequio.

Hanc tua dextera domum sanctificet
Et immanissimum leonem religet;
Somno pacifico sic corpus recrea,
Ut in te vigilet mens semper sobria.

Perhenni Domino.

XVIII.

FERIA SECUNDA.

Ad Laudes (3).

B

Ætates temporum nostrique corporis
Divini numerus præsignat operis;
Dierum novimus in hoc senarium,
Et sex ætates sunt mundi vel hominum.

In Noe primæ fit ætatis terminus,
Instar infantiæ quam recte ponimus;
Similitudine quadam a singula
Lux prima continet horum misteria.

Tunc (4) incomposita facta materies,
Formanda deinceps erat in species,
Et rude seculum legem non noverat,
Nec ætas terrena (5) rectum quid cogitat.

Deleta prior est ætas diluvio,
Sic et infantiam delet oblivio;
In primo die lux narratur condita
Et istam incohat lucem infantia (6).

C

Est et lux fidei quædam minoribus,
Quam quasi parvuli primum suscepimus.
Hanc quoque species ipsa diluerit,
Cum, vel nunc credimus, videri cœperit.

Perhenni Domino.

XIX.

Ad Vesperas

Secunda desinit ætas in Abraham,
Ac si jam ventum sit ad pueritiam,
Non hanc diluvium ætatem diluit,
Cum pueritiæ quisque meminerit.

Hac firmamentum est in die conditum,
Ut aquas (7) dividat his interpositum,
A compluentibus et inundantibus
Aquis consuluit archa fidelibus.

D

Non Dei populum hæc ætas genuit,
Legis instructio cum nondum fuerit,
Nec vires suppetunt gignendi puero,
Etsi memoriam jam firmet animo.

Post lucem fidei, spes nos corroborat,
Et jam ad fortia credentem animat,

A

Ut spe cælestium et veræ gloriæ
Jam cuncta toleret hujus miseriæ.

Perhenni Domino.

XX.

FERIA TERTIA.

Ad Laudes

Ætas perducitur ad David tertia.
Huic est similis adolescentia.
Interpres sapiens diei tertio
Utramque comparat ætatem merito.

Aquas ab arida lux ista removet,
Et fluxa seculi data lex inhibet,
Ne, deprimentibus nos libidinibus,
Concupiscentiis se mergat animus.

Hæc ætas populum per legem genuit,
Et patrem Habraam multorum statuit,
Et quasi prima sit hæc terræ soboles,
Nascuntur hodie cum herbis arbores.

Perhenni Domino.

XXI.

Ad Vesperas.

Post fidem atque spem, timor incutitur,
Quo mercenarius aut servus agitur,
Dum hunc sollicitant sperata commoda
Vel illum stimulant flagella condita.

Antiquum timor hic possedit populum
Legis pollicitis et minis subditum,
Dum lex promitteret hæc bona cupidis,
Reos alliceret pœnis gravissimis.

Ex terra vivere plantas agnoscimus,
Creatas hodie quas esse legimus,
Et vitam Israel terrenam duxerit
Cujus promissio terrena fuerit.

Perhenni Domino.

XXII.

FERIA QUARTA.

Ad Laudes.

Quarta lux decorat cælum sideribus,
Quorum perpetuus vigor est igneus,
Quæ nunquam excidit, sic fervet caritas
Quæ sibi vindicat sedes æthereas.

Cujus quadrifida lex Evangelium
Constat ad quattuor dierum numerum,
Quadrati corporis est magna firmitas
Et cuncta sustinet invicta caritas.

Virtutum caritas est consummatio,
Virilis virium ætas perfectio.
Ut corpus hominis hoc implet viribus,
Sic mentem caritas consummat moribus.

XXIII.

Ad Vesperas

Ætatis seculi quartæ primordium
Ponunt theologi regnum Davidicum;
Istius vespera sit transmigratio
Israelitici sub Babylonio.

(1) Cl. v. Cousin: *Non ferat.*

(2) Sic Cod. Cl. v. Cousin *Hebdomada.* Sensus est: *Completa jam septima hora diei, poscimus requiem*, videlicet *hebdomadam laudum*, seu cælum.

(3) Materia primi hujus hymni pertinet ad Dominicam diem; sed, quum superius jam scripsisset hymnum de Dominica ad Laudes, celebravit ad Laudes feriæ secundæ argumentum de prima mundi et hominis ætate et ad Vesperas ejusdem feriæ de secunda ætate. Quum ad S. Dionysii moraretur Abælardus, in Ven. Bedæ inciderat opera: hinc forte (videlicet ex capitibus XVI et sequentibus *libri De temporibus*) hæc hausit.

(4) Cl. v. Cousin edidit, *Tunc.*

(5) Cod. *eterrena.*

(6) Cod. *infantiam.*

(7) Cod. *aqua.*

In David caritas perfecti noscitur,
Quæ sævos (1)... et hostes amplectitur,
Pepercit Sauli quem planxit mortuum,
Morte mox puniens mendacem nuntium.

Hostilem religat prædonem caritas,
Nec erit animæ cum hac captivitas;
Ubi defuerit, salus amittitur,
Et nostri pectoris urbs hosti traditur.

Perhenni Domino.

XXIV.

FERIA QUINTA.

Ad Laudes.

Quod ætas seculi quinta perducitur,
Ad Christi tempora a multis traditur,
In mundi senio novus ad veterem,
Ut eum renovet, missus est hominem.

Defectum virium senectus patitur,
Et mundi senium hoc recte dicitur,
In quo consulere virtus Altissimi
Bonorum omnium venit defectui.

Jam præterierat patrum religio,
Prophetæ deerant, defecit unctio,
Cum hunc inunxerit (2) divina gratia,
Qui spiritaliter restauret omnia.

Perhenni Domino.

XXV.

Ad Vesperas.

Ex aquis hodie viventes animas
Produci docuit Scripturæ veritas,
Quia baptismatis absente lavacro
Morum non sufficit catechizatio.

Hic mater gratia sepelit veterem,
Hinc novum pia plebs suscipit hominem,
Qui sacramentum hoc primum exhibuit,
Adventum Domini Baptista prævenit.

In quintæ mittitur ætatis tempore,
Quintæ misterium qui pandat feriæ.
Qui finis veterum nova dat lavacra,
Quasi produceret hinc animantia.

Perhenni Domino.

XXVI

FERIA SEXTA.

Ad Laudes.

Sexta tam hominum ætas quam temporum
Meta vel finis est ætatum omnium,
Finis perfitiens bonorum Christus est,
Ætate seculi sexta qui passus est.

Ipsius passio, nostra redemptio,
Bonorum est (3) omnium et consummatio;
Salutis cetera sunt adminicula,
Hæc est completio salutis hostia

Hac die conditus homo se perdidit;
Eadem Conditor ipsum restituit,
Propter quem subiens crucis suspendium,
Ut servum redimat, se dedit pretium.

A

Ad Vesperas (4).

De costa viri fit sopiti femina:
Ubi Christi sponsa ejus est Ecclesia (5);
Mors Christi sopor est, de cujus latere
Nos mundat prodiens aqua cum sanguine.

Rei cujuslibet ejus imaginem
Expressam dicimus similitudinem;
Quod vero quamlibet rem munus exprimit,
Similitudinis nomen non refugit.

Virum et feminæ præesse novimus,
Ejus de corpore quam sumpsit Dominus.
Hinc Dei dicimus virum imaginem,
Ejusque feminam similitudinem.

Quo nempe major est viri sublimitas,
Atque potentiæ præcellit dignitas,
Eo vir amplius est Deo similis,
Cum hanc et ratio præponat ceteris.

B

Perhenni Domino.

XXVII.

SABBATO.

Ad Laudes.

Finem ac requiem laborum omnium
Beatitudinis imponit bravium (6).
Ad hanc pertingitur per præcedentia,
Quæ sex significant dierum opera.

Fides, spes illa sunt, timor, dilectio,
Baptismi gratia, Christique passio,
Hujus senarii beatis gradibus
Beatitudinis succedit aditus.

Per gradus singulos deduc nos, Domine,
Ut queant membra te caput apprendere (7),
In veri sabbati perhenni gloria,
Cujus exuberant omne cor gaudia.

C

Perhenni Domino.

XXVIII.

Ad Vesperas

O quanta, qualia sunt illa sabbata,
Quæ semper celebrat superna curia!
Quæ fessis requies, quæ merces fortibus,
Cum erit omnia Deus in omnibus!

Vere Jherusalem illic est civitas
Cujus pax jugis est summa jocunditas.
Ubi non prævenit rem desiderium,
Nec desiderio minus est præmium.

Quis rex! quæ curia! quale palatium!
Quæ pax! quæ requies! quod illud audium!
Hujus participes exponant gloriæ
Si, quantum sentiunt, possint exprimere (8).

D

Nostrum est interim mentem erigere,
Et totis patriam votis appetere,
Et ad Jherusalem a Babilonia,
Post longa regredi tandem exilia.

Illic, molestiis finitis omnibus,
Securi cantica Syon cantabimus,

(1) Hic verbum quoddam excidit.
(2) Cod. habet *injuxerit*; cl. v. Cousin *injunxerit*.
(3) Cl. v. Cousin censet delendum esse *est*; verum bis alibi quoque eliditur syllaba ultima *um*.
(4) In Cod. nulla fit divisio; certo tamen novus hic incipit hymnus. Noluimus tamen numeros mutare, ut in Monito præliminari diximus.
(5) Cod. *Christus*, sensus est: *In quo mysterio sponsa Christi est ejus Ecclesia.*
(6) Sic Cod. et quidem recte. Cl. v. Cousin *brachium* edidit.
(7) Cod. *apprehendere.*
(8) Constructio græca *exponant si possint*, veteribus Romanis etiam usitata.

Et juges gratias de donis gratiæ
Beata referet plebs tibi, Domine (1)

Illic ex sabbato succedet sabbatum,
Perpes lætitia sabbatizantium,

Nec ineffabiles cessabunt jubili,
Quos decantabimus et nos et angeli.

Perhenni Domino.

LIBELLUS SECUNDUS.

PRÆFATIO.

DE RATIONE PRÆCEDENTIS LIBELLI.

Tripartitum est divini cultus officium. Doctor gentium in Epistola *ad Ephesios* ordinavit dicens. « Et nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu loquentes vobismetipsis in psalmis et ymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino (2). » Et rursus *ad Colosenses* inquit : « Verbum Christi habitet in vobis habundanter in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos in psalmis, ymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Domino (3). »

Psalmi vero et cantica quoniam ex canonicis antiquitus præparata sunt Scripturis, nec nostro nec alicujus egent studio ut modo componantur.

De ymnis vero cum nihil in superpositis distinctum habeatur scripturis, quamvis et nonnulli psalmi nomen ymnorum sive canticorum sanctorum inscriptum titulis habeant, passim a pluribus postea scriptum est, et pro temporum aut horarum seu festivitatum varietate quibusque proprii hymni sunt constituti, et hos nunc proprie hymnos appellamus, quamvis antiquitus indifferenter nonnulli tam ymnos quam psalmos dicerent quælibet divinæ laudis cantica rithmo vel metro composita. Unde Eusebius Cæsariensis *Ecclesiasticæ Historiæ* libri secundi (4) capitulo XVII (5) dissertissimi Judæi Philonis laudes erga Alexandrinam sub Marco Ecclesiam commemorans inter cetera adjecit (6). « Post pauca rursum etiam de eo quod psalmos faciant novos, ita scripsit : « Itaque non solum subtilium intelligunt ymnos « veterum, sed ipsi faciunt novos in Deum, omnibus eos et metris et sonis honesta satis et suavi com« page modulantes. » Haud fortassis incongruum est omnes psalmos Hebraice metro vel rithmo compositos et melica dulcedine conditos appellari etiam ymnos, juxta ipsam videlicet ymnorum diffinitionem quam in præphatione prima posuimus. At cum jam psalmi ex Hebræo in aliam linguam translati a rithmi vel metri lege soluti sint, bene ad Ephesios qui Græci sunt Apostolus scribens separatim a psalmis hymnos distinxit sicut et cantica.

De his itaque quoniam nostrum sæpe ingeniolum, dilectissimæ Christi filiæ, multis precibus pulsavistis, addentes insuper quibus de causis id necessarium vobis videatur, vestræ jam peticioni, prout Dominus annuerit, ex parte paruimus. Superiori namque libello cottidianos feriarum ymnos qui toti sufficere possint ebdomadæ comprehendimus. Quos ita compositos esse cognoscatis ut bipartitus sit eorum cantus sicut et rithmus, et sit una omnibus nocturnis melodia communis atque altera diurnis, sicut (7) et rithmus. Ymnum etiam gratiarum post epulas exsolvendum non prætermisimus, secundum quod in Evangelio scriptum est : « Ymno dicto exierunt (8). »

Ceteros vero suprapositos hymnos hac consideratione digessimus ut qui nocturni sunt suarum opera feriarum contineant, diurni autem ipsorum operum allecoricam seu moralem expositionem tradant. Atque ita factum est ut obscuritas historiæ nocti, lux vero expositionis reservetur diei. Superest de cetero vestris me orationibus adjuvari ut optatum vobis munusculum transmittam.

(1) Cod. habet *Domine;* cl. v. Cousin, quasi de suo id adjecisset, edidit [*Domine?*]
(2) Ephes. V, 18, 19.
(3) Coloss. III, 16.
(4) Omisit *secundi* cl. v. Cousin.
(5) Sic Cod. et quidem recte. Cl. v. Cousin edidit XIX.
(6) Hic apposuit cl. v. Cousin sequens annotatum : *Desunt in codice verba Eusebii.* Nulla desunt. Verba : *Post..... scripsit* sunt Eusebii. *Itaque..... modulantes* sunt Philonis. Omnia accurate citavit Abælardus ex versione Rufini.
(7) Cod. *sic*, omisso abbreviationis signo.
(8) Matth. XXVI, 30 ; Marc. XIV, 26.

HYMNI SOLEMNITATUM DIVINARUM.

IN NATIVITATE DOMINI
XXIX.
IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Verbo Verbum virgo concipiens,
Ex te verus ortus est Oriens,
A quo vera diffusa claritas
Circumductas abduxit tenebras.

Felix dies, dierum gloria,
Hujus ortus quæ vidit gaudia!
Felix mater quæ Deum genuit!
Felix stella quæ solem peperit!

O vere beata pauper puerpera!
Cujus partus ditavit omnia;
Pauper, inquam, sed celsa genere,
Pontificum et regum sanguine.

Vitæ viam in via peperit,
Hospicium non domum habuit,
Regum proles et cæli domina,
Pro cameris intravit stabula.

Obstetrices in partu deerant,
Sed angeli pro eis aderant,
Quorum statim chorus non modica
Hujus ortus eduxit gaudia.

Defuerunt fortassis balnea,
Sed quam lavent non erat macula.
Non est dolor quem illa relevent,
Nec scissura quam illa reparent.

In excelsis sit Deo gloria,
Pacis in terra fœdera,
Quam super his voces angelicæ
Decantasse noscuntur hodie.

AMEN.

XXX.
IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Dei patris et matris unicus,
In præsepe pro cunis positus,
Angustias præsepis sustinet,
Quem ambitus cæli non continet.

Excipitur vili tugurio,
Qui præsidet cæli palatio.
Quis super hoc, quis non obstupeat?
Cujus mentem hoc non commoveat (1)?

Pauper Deus, imo pauperrimus,
Sic factus est pro nobis omnibus
Quæ sunt grates, quæ retributio
Super istis a nobis Domino?

In præsepi vagit, ut parvulus,
Qui concutit cælum tonitrubus (2)
Stratum habet fœni reliquias,
Qui regibus largitur purpuras.

Bestiarum infertur pabulo,
Angelorum ipsa refectio.

A

Instat inde grex animalium,
Hinc angeli præbent obsequium.

In excelsis sit Deo gloria.

XXXI.
IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Quam beatum stratum hoc straminis
Tantæ latus quod pressit virginis,
Quo parvulus nascens excipitur,
Cujus palmo (3) cælum concluditur!

In sericis reginæ ceteræ
Summo solent dolore parere.
Vilis strati beatus lectulus
Omni fuerit dolore nescius.

Regum natis in alimonia
Sunt subacta nutricum ubera.
B Educatur lacte virgineo,
Virgo clauso quem fudit utero.

Nulli regum inter tot epulas,
Inter tantas et tot delicias,
Concessum est ut lacte virginis
Quis de suis alatur parvulis.

Virgo pauper fortassis esurit,
Quæ parvulum hoc lacte reficit.
Stupent cæli, mirantur angeli,
Obsequio lactantis seduli.

In excelsis sit Deo gloria.

XXXII.
AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Gaude, virgo virginum gloria,
C Matrum decus et mater, jubila,
Quæ commune sanctorum omnium
Meruisti conferre gaudium.

Patriarchis sanctis ac regibus
Te filiam promisit Dominus;
Te figurant (4) legis ænigmata,
Prophetarum canunt oracula.

Te requirunt vota fidelium,
Ad te corda suspirant omnium,
Tu spes nostra post Deum unica,
Advocata nobis es posita.

Ad judicis matrem confugiunt,
Qui judicis iram effugiunt.
Quæ (5) supplicare pro eis cogitur
Quæ pro reis mater efficitur.

O pia....... etas! filius
D Ad hoc gignit, ad hoc est genitus,
Ut salventur servi per [gratiam (6)]!
Quam exhibet hæc dies maximam

In excelsis sit Deo gloria.

(1) Sic Cod. et recte. Cl. v. Cousin *commoneat*.
(2) Cod. *tonitruis*, quae forma quoque probe Latina est. Sed praeplacet *tonitrubus*, ut adsit consonantia.
(3) Sic Cod. Cl. v. Cousin *palma*. Praeplacuit adhaerere codici, quum Vitruvius scripserit: *Id* (munerum datio) *semper geritur per manus palmum.*
(4) Cod. *fugantur.*
(5) Sic Cod. Dele *quae.*
(6) *Gratiam* ex conjectura adjecimus.

IN EPIPHANIA DOMINI.

XXXIII.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Nasciturum sive natum
Cæli regem et terræ
Miris signis eo dignis
Prædicarunt utraque.

Nam, Auguste, te florente,
Solem cinxit corona;
Inundavit (1) quod mandavit
Oleum de taberna.

Veniente Redemptore,
Servis datur libertas,
Servitutis jugum tollis (2),
Et quem nescis præsignas.

Interdicis nec permittis
Te Dominum vocari,
Ut venturo possit Christo
Decus hoc reservari.

Jani portas tenet clausas
Pax a Christo præmissa,
Quæ prophetæ quondam voce
Mundo fuit promissa.

Pax in terris, in excelsis
Sit gloria, sit summa
Regi summo Patri, Verbo,
Spiritui per sæcula.

AMEN.

XXXIV.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS

Angelorum stupent cantu
Admoniti pastores;
Magos nova ducit stella :
Metu languet Herodes.

Dat mandata magis stulta,
Loquens eis in dolo
Sed illusus fuit dolus
Fraudulento fraudato.

Illi cœptam tenent viam,
Reperiunt quem quærunt,
Et oblatis tribus donis
Per hæc ipsum describunt

Ad Herodem ne redirent
Admonentur in somnis,
Et divino documento
Sunt quid agant edocti.

Pax in terris.

XXXV.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Consecrandas intrat aquas,
Baptizatus a servo,
Qui peccata tollit nostra,
Qui non eget baptismo

Baptizato qui baptismo
Vere suo baptizat,
Statim cæli sunt aperti
Quos peccatum claudebat.

Revelatus est descensus
Spiritus in columba;
Baptizandis renascendis
Gratia demonstrata.

Est audita vox paterna,
Filium protestata,
Et renatos facit veros
Filios illa data;

Quæ vox (3) blanda, mansueta
Deum monstrat placatum,
Nec divinæ quemquam æqua
Gratiæ tenet tipum (4).

Pax in terris.

XXXVI.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Qui baptismo nobis suo
Aquas sanctificavit,
Has in merum vertit vinum
Et convivas reficit.

Unde (5) clara dies ista
Trino facto resplendet;
Quia per tot (6) mundo signa
Mundi salus apparet.

Nec post tanta vel majora
Signa credit Judæus,
Quem ad unam statim stellam
Requisivit Chaldæus.

Elementa suum cuncta
Recognoscunt auctorem.
Te nec signa, nec lex ipsa
Movent, miser, ad fidem?

Si nec signis, nec prophetis
Arbitraris credendum,
Exul longa saltem pœna
Tuum disce reatum.

Pax in terris

IN PURIFICATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

XXXVII.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Adorna, Sion, thalamum,
Quæ præstolaris Dominum;
Sponsum et sponsam suscipe
Cum cereorum lumine.

Prudentes illæ virgines
Vestras aptate lampades,
Et occurrentes Dominæ,
Surgant adolescentulæ.

Faces accendant famuli,
Veroque mundi lumini
Domus dominis cum omnibus (7)
Occurrat (8) luminaribus.

Beate senex, propera,
Promissa comple gaudia
Et revelandum gentibus
Revela lumen omnibus.

Devota Deo vidua,
Ejusque templo dedita,
Pari propheta gaudio,
Et confitere Domino.

(1) Sic Cod. et quidem recte. Cl. v. Cousin. *Mundavit.*
(2) Cod. *tollit.*
(3) Cod. habet *quis.*
(4) Locus corruptus videtur cl. v. Cousin. Sensus videtur esse : Nec æqua seu similis vox tenet quemquam typum divinæ gratiæ, seu ita manifestat divinam gratiam.
(5) Sic. Cod. Cl. v. Cousin. *Unde.*
(6) Cod. *tanta.*
(7) Hic iterum elisio.
(8) Expunximus *cum*, quod in Cod. abundat.

Deo patri cum Filio,
Cum Spiritu paraclito,
Ut est una substantia
Sic et una sit gloria.

AMEN.

XXXVIII.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Parentes Christum deferunt,
In templo templum offerunt.
Legi parere voluit,
Qui legi nichil debuit.

Offer, Beata, parvulum
Tuum et Patris unicum;
Offer per quem offerimur,
Pretium quo redimimur.

Procede, virgo regia,
Profer natum cum hostia,
Tollantur aves misticæ,
Tibi vel ipsi congruæ.

Monstret columba simplicem,
Designet turtur virginem;
Pauper quidem [est (1)] hostia,
Sed magna sunt misteria.

Hæc quidem erat pauperum,
Cum esset (2) agnus divitum,
Sed agni veri latio
Non eget agno mistico.

Deo patri cum Filio,
Cum Spiritu Paraclito.

XXXIX.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Qui paupertatem admonet,
Hanc in se prius exhibet;
Deus dives in omnibus,
Ut nos ditet pauperrimus.

Factis primum exhibuit,
Quod verbis tandem docuit,
A cunis mox incipiens,
Et re vocem præveniens.

Hic est ille funiculus,
In manu viri lineus,
Subtilis evangelicæ
Sermo legis in opere.

Hic est mensuræ calamus
Quem gestat manu parvulus,
Ut super montem positum
Mensuret ædificium.

Mensuræ quippe calamus
Liber est evangelicus,
Quem manu fertur gerere
Qui scriptum complet opere.

Hoc super ipsum posita
Mensuratur Ecclesia,
Dum in hoc quisque percipit
Quantum crescit ac deficit.

Deo patri.

XL.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Omnis sexus et quælibet
Ætas plaudat et jubilet.
Monet omnes ad gaudium
Qui venit salus omnium.

Gaude, vir, gaude, femina,
Communi læti gloria.
Virum, quem Deus induit,
Ignara viri peperit.

Congaude, virgo, virgini!
Mater est hæc Altissimi;
Nupta nuptæ congaudeat,
Quæ mox conceptum prædicat.

Conclusus adhuc utero,
Quo potens infans gaudio
Vitam mundi quam senserat
Mundo statim adnuntiat!

Hinc senex, inde vidua
Laude Christum prophetica
Confitentes dominicam
Ostenderunt præsentiam.

Deo patri.

IN RESURRECTIONE DOMINI.

XLI.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Christiani, plaudite,
(Resurrexit Dominus!)
Victo mortis principe
Christus imperat,
Victori occurrite,
Qui nos liberat.

Superato Zabulo (3),
(Resurrexit Dominus!)
Spoliato barathro,
Suos eruit,
Stipatus angelico
Cœtu rediit.

Fraus in hamo fallitur,
(Resurrexit Dominus!)
Quæ dum carne vescitur
Circumposita,
Virtute transfigitur
Carni insita.

Captivatis inferis,
(Resurrexit Dominus!)
Ditatisque superis,
Cælum jubilat,
Hymnis, psalmis, canticis
Terra resonat.

Deo patri gloria,
(Resurrexit Dominus!)
Salus et victoria,
Christo Domini;
Par honor per secula
Sit Spiritui.

AMEN.

XLII.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Da Mariæ timpanum,
(Resurrexit Dominus!)
Hebræas ad canticum
Cantans provocet,
Holocausta carminum
Jacob immolet.

Subvertens Ægyptios,
(Resurrexit Dominus!)
Rubri maris alveos
Deus replens hostibus,
Quos involvit obrutos
Undis pelagus.

Dicat tympanistria:
Resurrexit Dominus!
Illa quidem altera.
Re non nomine,
Resurgentem merita
Prima cernere.

Cantet carmen dulcius,
(Resurrexit Dominus!)
Reliquis fidelibus
Mixta feminis,
Cum ipsa narrantibus
Hoc discipulis.

Deo patri cum filio,
Cum Spiritu paraclito.

(1) *Est* deest in Cod.
(2) Cod. *Esse*.
(3) Pro *diabolo*; antiqua mutatio *di* in *z*. In cœmeteriis Romanis non raro *zabulus* et similia leguntur.

XLIII.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Golias prostratus est,
(Resurrexit Dominus!
Ense jugulatus est (1),
Hostis proprio;
Cum suis submersus est
Ille Pharao.

Dicant Sion filiæ:
(Resurrexit Dominus!)
Vero David obviæ
Choros proferant (2),
Victori victoriæ
Laudes concinant.

Sanson noster validus,
(Resurrexit Dominus!)
Circumseptus hostibus
Portas sustulit.
Frustratus alophilus (3)
Stupens ingemit.

Ut leónis catulus,
Resurrexit Dominus!
Quem rugitus patrius
Die tertia
Suscitat vivificus,
Teste phisica.

Deo patri.

XLIV.

AD LAUDES ET AD VESPERAS

Veris grato tempore,
Resurrexit Dominus.
Mundus reviviscere
Cum jam incipit,
Auctorem resurgere
Mundi decuit.

Cunctis exultantibus,
Resurrexit Dominus;
Herbis renascentibus,
Frondent arbores,
Odores et floribus
Dant multiplices.

Transacta jam hieme,
Resurrexit Dominus
In illa perpetuæ
Vitæ gaudia,
Nullius molestiæ
Quæ sunt conscia.

[Ut (4)] restauret omnia,
Resurrexit Dominus.
Tanquam ista gaudia
Mundus senserit,
Cum carne dominica
Jam refloruit.

Deo patri.

IN ASCENSIONE DOMINI

XLV.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

In montibus hic saliens,
Venit colles transiliens,
Sponsam vocat de montis (5) vertice:
Surge, soror (6), et me jam sequere.

Ad paternum palatium,
Ad patris scandens solium,
Sponsæ clamat: Dilecta, propera;
Sede mecum (7) in Patris dextera.

Omnis turba te civium,
Te regnum manet patrium.
Tuæ tota cum Patre curia
Præsentiæ requirit gaudia.

Quæ regis sponsæ congruant,
Quæ reginæ conveniant,
Hic intextas ex auro ciclades
Cum purpuris gemmatis indues.

Sit Christo summo (8) gloria,
Qui scandens super sidera,
Cum Spiritu, cum patre, supera
Deus unus regit et infera.

AMEN.

XLVI.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Quibusdam quasi saltibus
Superni patris filius,
Ad terrena venit a superis,
Spoliatis nunc redit Tartaris.

A sinu venit patrio,
Matris susceptus utero;
In sepulchro de cruce positus
Resurrexit per quem resurgimus.

Ascendentem ad æthera,
Nubes excepit lucida;
Ferebatur (9) erectis manibus,
Benedicens suis astantibus.

Ascendentem cernentibus
Ac super hoc mirantibus,
Astiterunt in albis angeli,
Tam facie quam veste nitidi.

Quid, inquiunt, attoniti,
Sic cælum intuemini?
Quem euntem in cælum cernitis,
Sic veniet in forma judicis.

Sit summo.

XLVII.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

In terris adhuc positam,
Sponsam Christus Ecclesiam
Ad se sursum vocat cottidie,
Et hortatur mente conscendere.

(10) Dicat hæc: Post tetrahe (11) me,
Nitenti dexteram porrige;
Super pennas ventorum evolas;
Quis sequetur nisi (12) pennas conferas?

Columbæ pennas postulet,
Ut ad quietem properet.
Alas petat potentis aquilæ,
Quibus alta possit conscendere.

Dabit cum alis oculos,
Ut veri (13) solis radios
Irreflexis (14) possit obtutibus
Intueri, quo nil felicius.

Pennatis animantibus
Ille locus æthereus
Pro meritis virtutum congruit
Quibus alas has Deus dederit.

Sit Christo summo (15).

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRUCIS.

XLVIII.

IN I VEL II NOCTURNO ET AD VESPERAS (16).

Salve, cælestis
Vexillum regis;
Salve, crux sancta;

(1) Sic cod. et recte. Cl. v. Cousin: *Golias prostratus est, Ense jugulatus est; Resurrexit Dominus, Hostis proprio:* quod sensu caret.

(2) Cod. *proferantur;* sed *ur* stigmatibus notatur.

(3) Cl. v. Cousin *Alophilus*, tamquam nomen proprium; verum significatur *vir extraneus, hostis*, a Græco ἀλλόφυλος.

(4) *Ut* ex conjectura. Cod. hic abrasus.

(5) Cl. v. Cousin legit *Montium;* codex habet *montibus*, sed male; legendum *montis.*

(6) Cod. *sorori;* sed male; ipse librarius obelo notavit finem vocis.

(7) Nova elisio.

(8) Cod. *Christe summe;* quod non concordat cum *qui regit;* et quidem infra legitur *sit summo, sit Christo summo.*

(9) Sic Cod. et recte; cl. v. Cousin *Terebatur.*

(10) Cod. non habet *Citat*, ut habet cl. v. Cousin; sed nude *icat*, omissa litera rubra D.

(11) Cod. *thrae* per metastasin aspirationis.

(12) Cod. aperte *nisi* habet; et ita quidem exigit rhythmus. Verumtamen cl. v. Cousin mutavit in *ni.*

(13) Cod. habet *veri;* cl. v. Cousin legit et edidit *mihi;* quo sensus turbatur.

(14) Cl. v. Cousin legit *in reflexis;* Cod. habet *irreflexit*, ultima litera notata obelo.

(15) Hymnus ad Laudes et ad Vesperas venit infra num. LI.

(16) Ex his quæ in prologo ad tertium libellum monet Abælardus manifestum est quinque ab eo conscriptos fuisse de Cruce hymnos, unum quo *invitatur diaconus crucem de altari tollere et in medio chori afferre*, tres ad tria Nocturna et quintum ad Laudes. Certissime deest primus hymnus; nam doxologiæ dumtaxat initium scribitur ad finem hymnorum qui supersunt. Asserere non ausim hymnum ad Nocturnum I aut II deesse; imo arbitror ex duobus hymnis unum conflatum fuisse a librario. Certe *salve, cælestis vexillum regis*, etc., videtur esse exordium reliqui poematis, et facile dividitur post verba: *Est religata.* Memento hymnum XXVI similiter ex duobus conjunctis hymnis constare. Hic tamen aliquantisper obstat tertii versus per totum hymnum eadem desinentia.

Qua, spoliato
Prædone diro,
Præda reducta.

Averni portæ
Jacent contritæ,
Claustra confracta:

Tau beatum (1),
Quo, pœnitentum
Fronte signata,

Interfectoris
Ira crudelis
Est religata.

Vide (2) latronum
Quondam tormentum
Eras pro pœna,

Nunc gloriosum
Frontibus regum
Signum impressa.

Tu lignum vitæ,
In qua rex ipse
Conscendit palma,

Ut fructu tui
Letalis pomi
Restauret dampna.

Felici nautæ,
Qui (3) quasi nave
Fruitur vita,

Per mare magnum
Hoc navigandum
Est ad superna.

Personis trino (4).

XLIX.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Serpens erectus
Serpentum morsus
Conspectu sanat.

Antiqui virus
Serpentis Christus
Suspensus curat.

Sophia patris
Medelam cunctis
Ex se ministrat

Prophetæ virga
Silex bis icta
Aqua redundat.

Lignis duobus
Christus appensus
De se nos potat.

Bibit Judæus,
Sed Christianus
Refectus extat.

Personis.

L.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Lignum amaras
Indulcat aquas
Eis immissum.

Omnes agones
Sunt sanctis dulces
Per crucifixum.

Salix præclarus
Mortis est potus
Ipsis per ipsum.

Quæque tormenta
Sunt eis grata
Per hoc exemplum.

Ut dolor meus
Dolor est nullus;
Attendunt scriptum.

Quippe qui cuncta
Portat peccata,
Nescit peccatum.

Passo pro cunctis
Est universis
Compatiendum.

Personis trino.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI (5).

LI.

AD LAUDES ET VESPERAS

Cum in altum Deus ascenderet,
Et una secum traheret
Triumphantis majestas Domini,
Circumstabant victorem eruti.

Superna regis civitas
Pompas educit obvias (6),
Chere (7), cantant victori angeli
Et hosanna salvati populi.

Illis tanquam quærentibus
Et super hoc mirantibus
Illi respondent, et alternantibus
Ita cantum mulcent sermonibus:

Quis est iste rex gloriæ?
Quod hoc decus victoriæ?
Quis est iste de Edon veniens,
Purpureo vestitu renitens?

Fortis et potens Dominus,
Triumphans victis hostibus,
Manu forti potens in prælio
Victor redit subacto Zabulo.

Sit Christo summo.

IN FESTO PENTECOSTES.

LII

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Adventu sancti Spiritus,
Nostri cordis altaria
Ornans Deus virtutibus,
Tu tibi templa dedica
Illa septemformi, quam habet, gratia,
Contra septem illa dæmonia (8);
Cujus dona bona sunt omnia.

Per timorem nos Domini
Primum a malo liberat,
Ut pauper hujus seculi,
Cælum dives introeat.
Tu hanc da nobis, Domine gratiam,
Pœnam reis ne reddas debitam,
Sed nomini tuo da gloriam.

Da pietatis viscera,
Ne superet temptatio;
Mites facit hæc gratia
Quorum terra possessio.
Et hanc da nobis, Domine, etc.

Apponis et scientiam,
Per quam flenda cognoscimus;
Consolaris per veniam
Cum hanc primo fecerimus.
Et hanc, etc.

Fortitudine roboras
Esuriem justiciæ.
Veri panis saturitas
Viaticum est animæ.
Et hanc, etc.

Summum illud consilium
Das de misericordia,
Ut idem reddas præmium (9);
Vis hanc, non sacrificia.
Et hanc da, etc.

Intellectus es spiritus,
Quo videtur divinitas
Mundi cordis luminibus,
Hæc est regni sublimitas (10).
Et hanc da, etc.

Das tandem sapientiam
Per quam fiant pacifici,
Nomen patris sanctificans,
In quo sint Dei filii.
Et hanc da, Domine, etc.

Populorum precibus,
Quos hac in die consecras,
Isdem nos charismatibus
Confirma quos regeneras (11).
Illa septiformi, et cetera.

LIII.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Remissionis numerum
Lux signat quinquagessima,
Quo jubileus omnium
Annus relaxat debita.
Summa summo regi Deo sit gloria,
Cujus cuncta subsistunt gratia,
Ex quo, per quem, in quo sunt omnia.

(1) Vide Cangii Glossarium, verbo *Tau*. Legendum *O tau*, vel *Taü*, ne desit syllaba. Recentiori ævo multi dixere de hoc crucis symbolo.

(2) Cl. v. Cousin asserit in codice Bruxellensi legi *Fide;* non recte. Omissa tantum est litera rubra *v*.

(3) Cod. habet *quæ quasi nave fruendo vita;* quibus nullus prorsus inest sensus.

(4) Integra doxologia, ut monuimus, nuspiam in Codice reperitur. Est forte: *Personis trino Sit Deo summo Laus sempiterna.*

(5) Supra ad Hymnum XLVII monuimus hunc Li suo motum esse loco

(6) Cod. *ovias.*

(7) Χαῖρε.

(8) Cl. v. Cousin invertit versuum ordinem, scribens: *Cujus dona bona sunt omnia Contra septem illa dæmonia.*

(9) Addit Cod. *vel bravium;* ita ut optionem dederit Abælardus inter *præmium* et *bravium*.

(10) Cod. habet: *Hæc est spiritus regni sublimitas;* redundat *spiritus*.

(11) Arbitror legendum: *O populorum precibus Quos hac in die consecras, Iisdem charismatibus Confirma quos regeneras.*

Sub hoc dierum numero
Remissionis Spiritus,
A summi Patris solio
Venit, quem misit, Filius.
Summa summo, etc.

Divinum quippe Spiritum
Amorem ejus dicimus,
Quo reis nunc propitium,
Quo mittem esse novimus.
Summa, etc.

Cujus amoris hodie
Flamma mundus accenditur,
Quem venit Christus mittere
In terram, ignis mittitur.
Summa, etc.

In igneis hunc hodie
Linguis super apostolos
Demonstrans legis igneæ
Præsignavit hos nuntios.
Summa, etc.

Lex vetus tanquam frigida
Servos metu cohercuit,
In Christo mater gratia
Filios Deo genuit.
Summa summo regi Deo, etc.

LIV (1).

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Tradente legem Domino (2),
Mens tremens metum attulit;
Spiritus in cœnaculo
Susceptus illum abstulit.
Summa, etc.

Micabant illic fulgura,
Mons caligabat fumigans;
Hic est flamma multifida
Non urens, sed illuminans
Summa, etc.

Horrendæ sonum buccinæ
Pavebat illic populus;
Verbum intelligentiæ
Sonus hic fuit Spiritus.
Summa, etc.

Fumus illic caliginem
Obscuræ signat litteræ;
Splendentis ignis speciem
Claræ signum hic accipe (3).
Summa, etc.

Terroris ac caliginis
Illic plena sunt omnia,
Curat hic ex contrariis
Paraclitus contraria.
Summa, etc.

Omnes aufert molestias
Divina consolatio :
Cordis exarat tabulas
Ut reparetur ratio.
Summa summo, etc.

LV.

AD LAUDES ET AD VESPERAS

Apostolorum pectora
Divinus replens spiritus,
Corda ditat sententia,
Linguas loquelis omnibus.
Summa, etc.

Ut superbos disperserat
Linguæ quondam divisio,
Sic humiles nunc aggregat
Diversarum collectio.
Summa, etc.

Laudari linguis omnibus
Et prædicari debuit
In cunctis mundi partibus,
Qui has, qui cuncta condidit.
Summa, etc.

Johelis testimonium
Completum esse novimus,
Petrus calumniantibus
Quod opponit latrantibus.
Summa, etc.

Divinorum completio
Festorum hæc festivitas;
Divini consummatio
Promissi sit hæc largitas

Qui verum omne doceat
Promissus hic est qui cuncta sug-
[gerat (4)
Quæ suis dixit filius.
Summa, etc.

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

LVI.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Sacra Yerosolimis (5)
Facta sunt encænia,
Quum lux esset celebris
Domini præsentia.

Ipse nostris hodie
Festis adsit, quæsumus,
Præsentis basilicæ
Basileon (6) proprius.

Nostri templum pectoris
Ipse sibi consecret (7),
Et signis extrinsecis
Res internas aggreget

Quæ fiunt exterius
Intus ipse compleat
Mundi penetralibus
Qui cordis inhabitat.

Deo Patri gloria,
Par sit honor Filio,
Compar sit Spiritui
Gratiarum actio.
Amen.

LVII.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Spiritale signum est
Templum hoc visibile,
Et in illo totum est
Quod in hoc fit (8) mistice.

Aqua benedicitur,
Salis fit comixtio,
Templum his conspergitur
Circumvectis tertio.

Accenduntur interim
Intus luminaria,
Numero duodecim
In giro disposita.

Aspergendo circuit
Templum ter episcopus.
Portæ frontem percutit
Virga ter superius.

Aperiri præcipit,
Ut rex intret gloriæ,
Quod quum ter expleverit,
Patefiunt januæ.

Ingressus basilicam
Preces offert Domino,
Pro se primum hostiam
Deinde pro populo.

Alphabeti duplicis
Dum figuras imprimit
Cancellatis lineis
Crucis signum exprimit.

Quæ fiunt exterius, etc.

Deo Patri gloria.

LVIII.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Ad altare pontifex
Sacrandum se præparat,
Aquæ salem, cinerem,
Atque humum sociat.

Bis intincto digito
Per altaris cornua
Signum crucis imprimit
Consecrantis dextera.

De ysopo deinde
Tenens aspersorium
In altare septies
Aspergit circumdatum.

(1) Ex codicis habitu versus sequentes prioribus annectendi essent. Verumtamen certo sunt separandi, ita ut duo sint hymni : nam primo, materia utriusque est diversa; secundo, tres secus essent tantum hymni, quum quatuor sint oporteat; tertio, divisionem aliquam indicant plura solito ex doxologia repetita verba : *Summa summo regi Deo*, etc.

(2) Cod. et cl. v. Cousin habeat *tradentem*.

(3) Cod. habet : *Splendentis in speciem ignis Clare signum hic accipe*. Cl. v. Cousin edidit : *Splendentis ignis speciem Clare signum hic accipe*. Sensus videtur esse : *Hic accipe speciem splendentis ignis tanquam signum claræ literæ*.

(4) Locus corruptus. Legendum est : *Promissus hic est spiritus Qui nobis cuncta suggerat Quæ suis dixit Filius, Qui verum omne doceat*.

(5) Contra fidem cod. et rhythmum edidit cl. v. Cousin *Hierosolymis*.

(6) *Basileon* loco *Basileus*, *rex*. Linguam Græcam plane Abælardo ignotam fuisse hinc et aliunde constat.

(7) Cod. *consecrat*, male.

(8) Ita Cod. Cl. v. Cousin substituit *sit*.

Rigatis (1) ter deinceps
Intus (2) parietibus,
Orat ut exaudiat
Ibi quosque (3) Dominus.

Ad altare præsul, his
Peractis, convertitur;
Psalmus cum antiphona
Præeunte (4) dicitur.

Ad altaris funditur
Basim aquæ reliquum;
Quo extergi debeat (5),
Mundum adest linteum.

Thus antistes adolet
Super ipsum Domino;
Tam ipsum quam anguli (6)
Consignantur oleo.

Unctione chrismatis
Altare perfunditur,
Et simul antiphona
Decantanda sumitur.

Cruces hinc duodecim
Chrismantur parietum,
Altare contegitur,
Et fit sacrificium.

Quæ fiunt exterius, et cetera.

Deo patri gloria.

LIX.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Ecce domus Domini,
En fidelis populus,
Psalmis, hymnis, canticis
Vacans spiritalibus.

Christus cujus domus est,
Ipsam sibi protegat,
Et ovile proprii
Gregis pastor muniat.

Manum spiritalium
Tutelam adhibeat.
Lupos invisibiles
Super illos arceat.

Angelorum præsidens
Semper hic custodia
Ad fidelis populi
Vigilat præsidia.

Ad superbum Zabulòn
Conterendum Michael,
Ad medendum sauciis
Dirigatur Raphael.

Corda titubantium
Grabriel (7) corroboret,
Et perseverantia
Stantes idem adjuvet.

Nunquam, cum sit regis hòc
Cælestis palatium,
Ministris cælestibus
Decet esse vacuum (8).

Horum ministerio
Disponantur omnia,
Qui norunt quæ Domino
Sint vel non sint placita.

Christi vota populi
Ipsi preces offerant,
Et quid ipse voveat,
Quid precetur doceant.

Nichil cassis precibus,
Nichil votis (9) irritis
Hic (10) fideles postulent
Vel sibi vel aliis.

Quisquis hic (11) fidelium
Preces Deo fuderit,
Impetrasse gaudeat
Se, quidquid petierit.

Hiezita nullus hic,
Nullus simoniacus,
Corrumpat hereticis
Gregem Christi pestibus.

Quos a domo propria
Per semet expulerit,
Iram ejus sentiat
Quisquis hos reduxerit.

LIBELLUS TERTIUS

HYMNI FESTIVITATUM SANCTORUM.

PRÆFATIO.

DE RATIONE PRÆCEDENTIS LIBELLI.

Superioribus duobus libellis cottidianos feriarum hymnos et sollemnitatum divinarum proprios digessimus. Nunc vero superest ad cælestis gloriam regis et communem fidelium exortationem ipsam quoque superni curiam palatii debitis himnorum, prout possumus, efferre præconiis. In quo quidem opere ipsi me præcipue adjuvent meritis quorum gloriosæ memoriæ qualiumcunque laudum munuscula cupio persolvere, juxta quod scriptum est: « Memoria justi cum laude (12), » et iterum: « Laudemus viros gloriosos, etc. (13). »

(1) Cod. et cl. v. Cousin habent *Ligatis;* visum substituendum *Rigatis*, i. e. aspersis. Sæpius erratum in literis rubris.
(2) Cod. habet *inter*, ultima syllaba notata obelo.
(3) Super *quosque* scribitur in cod. *vel vota*; prætulit cl. v. Cousin *vota*, omissa omni mentione de primigenia lectione.
(4) Cod. habet *pereunte*, *per* notato obelo.
(5) Cod. recte habet *debeat;* quanquam cl. v. Cousin affirmet ibi legi *debeatur;* quod ipse correxit in *debetur;* sane ut primi et tertii versuum fines inter se consonent.
(6) Ita Cod., non *angeli*, ut edidit cl. v. Cousin.
(7) Sic Cod.
(8) Cl. v. Cousin legit *nocuum*.
(9) Cod. *vocis;* male.
(10) Cl. v. Cousin legit *Hinc;* aliter Cod.
(11) Cod. *Quis hic;* cl. v. Cousin *Quis autem*.
(12) *Prov.* x, 7.
(13) *Eccli.* XLIV, 1.

Vos quoque obsecro, sorores karissimæ Christoque dicatæ, quarum (1) maxime precibus hoc opus aggressus sum, vestrarum adjungite devotionem orationum, illius memores beatissimi legislatoris qui plus orando quam populus potuit (2) dimicando. Et ut caritatem vestram in orationum copia largam inveniam, pensate diligenter quam prodigam vestra petitio nostram habeat facultatem. Dum enim divinæ gratiæ laudes pro nostri ingenioli (3) prosequi studeremus, quod de ornatu deest eloquentiæ, recompensavimus hymnorum multitudine, singulis videlicet singularum sollemnitatum nocturnis proprios componentes hymnos, quum unus solummodo hucusque hymnus in festis quoque sicut in feriis ad nocturnos præcineretur.

Quattuor itaque hymnos singulis festivitatibus ea ratione decrevimus, ut in unoquoque trium nocturnorum proprius decantetur hymnus, et laudibus insuper matutinis non desit suus. Ex quibus rursus quattuor instituimus, ut duo in vigilia pro uno conjungantur hymno et duo reliqui similiter ad vesperas ipso die sollemni recitentur, aut ita bini et bini in singulis vesperis dividantur, ut cum duobus prioribus psalmis unus, et cum duobus reliquis alius decantetur. De cruce autem memini, quinque conscripti sunt hymni quorum primus singulis præponatur horis, invitans diaconem crucem de altari tollere et in medio chori afferre atque ibidem eam quasi adorandam ac salutandam statuere, ut in ejus quoque præsentia tota per singulas horas peragatur sollemnitas.

—

IN FESTIS B. MARIÆ.

LX.

AD MATUTINUM ET VESPERAS.

Deus Dei verbum,
Patri (4) coæternum,
Mens ex Deo nata
Non creata (5).

Per quem factus mundus,
Per quem reparatus,
Votis supplicantum (6)
Intende servorum.

Judex noster Christe,
Nostri miserere,
Ignosce nunc bonus,
Ne condempnes justus.

Esto nobis natus,
Esto nobis passus,
Qui das spem salutis
In utroque nobis.

Ne sit (7) nasci vanum,
Ne sit (8) pati cassum,
Nec insultet hostis
Nobis in te fisis.

Mater pietatis,
Adsis pia nobis,
Nec spe sua fraudes
De te præsumentes.

Per te Dei factus
Ad nos est descensus,
Per te conscendendum
Nobis est ad ipsum.

Per te reducamur,
Qui te profitemur,
Ejus ad nos portam
Et ad eum nostram.

Cui sit et trino
Perpes honor Deo,
Ex quo, per quem cuncta,
In quo sunt creata.

AMEN.

LXI.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Mater Salvatoris
Vide quid dicaris,
Pensa singularem
Nominis honorem.

Comple dictum facto,
Sed labore nullo,
Quamvis (9) una prece
Reos absolvente.

Aure (10) quippe matris
Quidquid postulabis (11),
Apud tam benignum
Impetrabis natum.

Sanctam matrem justus
Non offendet natus,
Nec ferent repulsam
Tuæ preces ullam.

Virtus sanctitatis
Et potestas matris
Quantumcunque magnum
Obtinebunt donum.

Preces subplicantis
Non contempnet matris,
Qui parere patri
Jubet sive matri.

Cui sit.

—

COMMUNE APOSTOLORUM.

LXII.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Apostolici culmen ordinis
Novis recreat mundum gaudiis,
Quem exilarat festis annuis.

Hi (12) signiferi sunt Ecclesiæ,
In dominica duces acie,
Post hos martirum laus militiæ.

Tamquam pedites sancti reliqui,
Abstinentiæ longæ dediti,
Non deficiunt castris Domini.

Perpes gloria regi perpeti,
Exercituum Christo principi,
Patri pariter et Spiritui.

AMEN.

LXIII.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Apostolicis recte laudibus
Cunctis intonat mundus partibus
Per quos cunctis est Deus cognitus.

Apud Israel notum antea,
Nomen Domini nunc ad omnia
Per hos prodiit (13) mundi climata.

(1) Sic Cod. Cl. v. Cousin edidit *quorum*.
(2) Cod. *populis potuit*.
(3) Hic vox aliqua deest; *virtute* videtur c.. v. Cousin; equidem potius crediderim *parvitate*, *imbecillitate*, etc.
(4) Cl. v. Cousin edidit *Pater*.
(5) Sic Cod. Legendum forte : *Non autem creata*.
(6) Cod. *supplicantium*.
(7-8) Cod. *Nescit*.
(9) Cl. v. Cousin edidit *Quam vos*.
(10) Sic Cod. Forte *ore*.
(11) Cod. *Postulabit*.
(12) Cod. male *Alii*.
(13) Cod. *prodigit*.

Ad hoc omnium linguis præditi
Et miraculis erant splendidi,
Verbo pariter et re maximi.

Perpes gloria.

LXIV.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Regum solia, filosophici
Celsas (1) cathedras magisterii,
Hii subjiciunt jugo Domini.

Si res bellicas plebs invalida,
Eloquentiam lingua rustica,
Mundum subigit turba modica.

Inde gladiis reges dimicant,
Hinc philosophi verbis intonant,
Sed miraculis victi supplicant.

Perpes gloria regi perpeti.

LXV.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Stulta seculi, mundi infima,
Christus eligens sapientia
Quæque conterit et sublimia.

Nil urbanitas hic rhetoricæ,
Nil verbositas [valet (2)] logicæ,
Sed simplicitas fidei sacræ.

Eloquentia cessit Tulii,
Tace dictum est Aristoteli ;]
Leges proferunt mundo rustici.

Perpes gloria.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

LXVI.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Piscatoris (3) modo linia,
Imperatoris sæpe genua
Deo subplicant procumbentia.

Non impar Paulus vitæ merito
Diademate pollet gemino,
Virgo candido, martir rubeo (4).

Beatissimos mundi principes
Bello socios, morte comites,
Hæc ad superos transmisit dies.

Perpes gloria.

LXVII.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Princeps apicis apostolici,
Pastor ovium gregis Domini,
Has custodia serva vigili.

Arte melius utens pristina,
Piscans homines trahe retia,
Complens Domini sic pollicita.

Forte claviger (5) aulæ cælicæ,
Fores aperi, manum porrige;
Quos ad Dominum ducis, suscipe.

Perpes gloria.

LXVIII.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Tuba Domini, Paule, maxima,
De cælestibus dans tonitrua,
Hostes dissipans, cives aggrega.

Doctor gentium es præcipuus,
Vas in poculum factus omnibus,
Sapientiæ plenum haustibus (6).

Mane Benjamin prædam rapuit,
Escas vespere largas dividit,
Vitæ ferculis mundum reficit.

Ut (7) rinoceros est indomitus,
Quem ad aratrum ligans Dominus,
Glebas vallium frangit protinus.

Nunc nequitiæ laudat villicum,
Quem prudentiæ dicit præditum
Ac pro filiis lucis providum.

Perpes gloria (8).

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

LXIX.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Cælo celsius volans aquila,
Ad dominici sinus abdita
Nidi contulit habitacula.

Solis intuens illic radios
Summo jubare beatissimos,
Visum reficit, pascit oculos.

Ex substantia solis ignea
Calor prodiens et lux genita
Oblectamina præbent maxima.

Perpes (9).

COMMUNE EVANGELISTARUM.

LXX.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Quadrigæ Christi vehiculum
Torcular gestat dominicum,
Quo botrus pressus in poculum
Reficit corda fidelium.

Scripturæ testum dominicæ
Quadrigæ corpus intellige,
Qua Dei verbum innumeræ
Delatum tenent ecclesiæ.

Quadrigæ rotæ (10) volumina
Quattuor sunt Evangelia,
Quorum scriptores clarissima
Promeruere sollempnia.

Gloria Patri et Filio,
Spirituique paraclito
Uni tam Deo quam Domino,
Cum sint personæ tres numero.
AMEN.

LXXI.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Torcular crux est dominica;
Botrum hic Christum considera;

(1) *Modo* male insertum habet Cod.
(2) Supplevimus *valet;* quam vocem sensus et versus requirunt.
(3) Cl. v. Cousin edidit *Piscatoria* contra auctoritatem codicis et rhythmi rationem.
(4) Cod. clare habet *rubeo,* quanquam cl. v. Cousin scripsit ibidem legi *rube.*
(5) Cod. *Clavier.*
(6) Cod. *austibus.*]
(7) Cod. *sicut.*
(8) Hymnus ad Laudes et quartus ad Vesperas sane desumendus ex Communi apostolorum; et idcirco sane servata est doxologia *Perpes gloria.*
(9) Reliqui hymni desumendi ex Communi apostolorum; ut ex doxologia apparet.
(10) Cod. *roctae,* notato *c* obelo.

Vecte suspensum hunc mistica
Præfiguravit hystoria.

Hunc deferentes ad populum
Fertilitatis indicium,
Hii sunt qui crucis misterium,
Mundi salutem, aperiunt.

Prior non videns quem bajolat
Christi prophetas significat.
Is qui succedit ut videat,
Visa narrantes hos denotat.

Gloria Patri.

LXXII.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Quattuor sunt hæc animalia
Variis formis distantia.
Visio refert prophetica
Apocalipsisque mistica.

A dextris homo concipitur
Eique leo conjungitur,
Vitulo læva conceditur,
Aquila super extollitur.

Alis quaternis hæc prædita
Vel faciebus sunt singula;
Occulis plena sunt corpora,
Ut nec his dorsa sint vacua.

Gloria Patri.

LXXIII.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Eunt (1) cum illis euntibus
Atque stant rotæ cum stantibus;
Levantur cum elevantibus;
Cum his vitæ sit spiritus.

Pedes eorum pedes recti,
Plantaque pedis ut vituli
Tanquam ex ære sint candenti,
Scintillæ visæ sunt progredi.

Carbonum instar ardentium
Lampadum habent splendentium
In modum visa micantium
Ire redire sunt fulgorum.

Gloria Patri.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM

LXXIV.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Ad cælestis
Ortum regis,
Rex terrenus
Jus auferri
Timet sibi
Principatus.

Inauditum
Stellæ signum
Ubi narrant,
Civitatem
Atque regem
Magi turbant.

Hinc commotus
Rex iniquus
In infantes,
Ut infantum
Perdat unum,
Perdit plures.

Propter unum
Multi Christum
Sunt perempti,
Sed per unum
Omnes Christum
Coronati.

LXXV.

AD II NOCTURNUM ET AD VESPERAS.

Rex tirannos
Universos
Supergressus,
Et plus ipsis
Quoque feris
Inhumanus,

In infantes,
Ut in hostes,
Castra cogit,
Et in nullos
Nisi suos
Arma vertit.

Furor iræ
Nec ferinæ
Comparandus
Perdit eos
Quos arreptos
Fovet lupus.

Ad mandatum
Regis datum
Generale (2).....

Ad Augustum
Hoc delatum
Risum movit,
Et rex mitis
De immiti
Digne lusit.

Malum, inquit,
Est Herodis
Esse natum;
Prodest magis
Talis regis
Esse porcum.

LXXVI.

AD III NOCTURNUM ET AD VESPERAS.

Ad lactantum (3)
Sinus matrum,
Ut ad castra,
In lactentes (4)
Ruit omnis
Plebs armata.

Ad micantem
Infans ensem
Lætabundus (5),
Irruenti
Ridet hosti
Perimendus.

Quid est dictu
Vel auditu
Tam (6) stupendum?
A natura
Quid humana
Tam remotum (7)?

Quid, Herodes,
Metu langues
Super Christo?
Non est meum,
Inquit, regnum
De hoc mundo (8).

In æternis,
Non caducis,
Iste regnat:
Non hæc tollit
Neque cupit
Qui dat illa.

LXXVII.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Est in Rama
Vox audita
Rachel flentis,

(1) Qui literas rubras appinxit, loco *E*, scripsit S. Hinc in Codice legitur *Sunt*.

(2) Cætera desunt in Codice Bruxellensi; hæc autem interseruntur Macrobii: « Macrobius in *Saturnaliorum* libro II, de Augusto et jocis ejus: Quum audisset inter pueros, quos in Siria Herodes rex Judæorum in tribunatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: « Melius est Herodis por- « cum esse quam filium; nec ipsius infans tutus est « a cæde. » Imo *accede* in Cod.

(3) Cod. *Lactandum*.

(4) Cod. *Lactantes*.

(5) Ita Cod. et recte, quamvis ei substituerit cl. v. Cousin *lactabundus*, vocabulum Romanis ignotum.

(6) Cod. *tamque*, male.

(7) Cod. inversa habet verba: *Quid a natura humana*.

(8) Cod. habet: *Non meum, inquit, Regnum est De hoc mundo.* Æstimavit cl. v. Cousin legendum: *Meum, inquit, Regnum non est De hoc mundo;* sed deficit consonantia.

Super natos
Interfectos
Ejulantis (1).

Lacerata
Jacent menbra
Parvulorum,
Et tam lacte
Quam cruore
Rigant humum.

His incumbens
Orba parens,
Ejulando (2)
Recollecta
Fovet frustra
Sinu pio (3).

Fundit pectus,
Scindit sinus (4)
Cæcus furor
Quem maternus
Et humanus
Facit amor.

Interfecti
Sunt inviti,
Sed pro vita
Meritorum
Fuit nullum,
Merces multa.

Merces ipsa
Fuit vita,
Quam et ipsi
Moriendo,
Non loquendo,
Sunt confessi.

COMMUNE MARTYRUM.

LXXVIII.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Scutum, Deus, omnium,
Et corona martirum,
Tam causa certaminum
Quam palma certantium,
Per inermes dimicas,
Et armatos superas.
Intus arma fabricas,
Quibus pugnat charitas.

His confisa bene virtus
Nudum hosti præbet pectus
Quam a dextris
Et sinistris
Muniunt,
A læsuris
Universis
Protegunt.
In hanc pugnæ
Quantæcunque
Sæviunt,
Spes securam,
Fides certam
Fatiunt.

Per hanc pectus martiris,
Turris fortitudinis
In cunctis periculis
Persistit immobilis.
Eriguntur machinæ
Hinc illinc innumeræ;
Diriguntur saxeæ
Moles in hanc undique.

Pugnat thoris (5) mundus extra,
Salvat unus Deus intra.
Ferro, flammis
Secus hostis
Sæviens;
Noscunt intus
Quæ sit virtus
Protegens.
Crebros ictus
Dat assultus
Vehemens,
Sed est intus
Dei virtus
Prævalens.

Multa sunt, magna sunt
In sanctos prælia:
Sed pauca vel parva
Quantum ad præmia.
Cujus hæc dona sunt,
Regi sit gloria.

AMEN.

LXXIX.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Exquiruntur omnia
Tormentorum genera,
Ut probetur maxima
Martirum constantia.
Fornax aurum exquoquit
Sicque purum efficit,
Sinapis (6) vim accipit,
Dum quis eam (7) atterit.
Exercentur Terramenta;
Dampno suo parant cuncta.
Consumuntur dum tunduntur (8) lapides,
Hebetantur dum dolantur arbores.
Illis malos, istis bonos compares,
Cum affligi vides (9) Christi milites.

Probra, carcer, vincula,
Flagella, spectacula,
Nuditas, inedia,
Pœnæ sunt præludia.
Flammis, aquis, gladio,
Ungulis, equuleo,
Omnique patibulo
Pugnatur in ultimo.
Sed ut pœna protenditur,
Pœnæ finis mors differtur.
Optant mori diu torti martires.
Sed qui necant, mori vetant principes.
Delicatæ viris mixtæ virgines,
Ut in pœna, sunt in palma comites.

Multa sunt, magna.

LXXX.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Pugnant mundi principes,

A Dæmonum satellites;
Vincunt Christi milites,
Voti sui compotes.
Nec huic militiæ,
Vel tantæ victoriæ,
Præmiique gloriæ
Desunt quoque feminæ.
Sicut fortis, sic infirmus
Pugnat et triumphat sexus;
Ut haberent summi regis acies
Suas quoque cum viris amazones,
Quæ quo magis natura sunt debiles,
Palmæ harum magis sunt mirabiles.

Viri cum uxoribus,
Fratres cum sororibus,
Filii cum matribus,
Belli stant congressibus.
Virum uxor animat,
B Natos mater roborat,
Et cœlo regenerat,
Quos terræ genuerat.
Ipsos statim secutura,
Holocaustum Christi facta
Soror fratrem provocat ut dimicet,
Et tam verbis quam exemplis admonet.
Quid agant, nisi pugnent, juvenes,
Cum bellantes intuentur virgines?

Multa sunt.

LXXXI.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Turris his davitica
Certa dat præsidia,
Habent ad munimina
Scuta, propugnacula.
Armatura fortium

(1) Cod. *Ejullantis*, altera litera *l* notata obelo.
(2) Cod. *Ejullando* cum eodem obelo.
(3) Cod. *Sic cupio*.
(4) Cod. *Sinus scindit*.
(5) Sic Cod.

C (6) Cod. *eas*.
(7) Cod. *Ut sinapis*.
(8) Cod. *tontuntur*.
(9) Cod. *videns*.

Omnis hæc est omnium
Ad quorumvis hostium
Propulsandum impetum.
Hinc athletæ pugnant Christi,
Et irrident hostes tuti.
Adamante bitumen robustius
Nec securis dissipat, nec malleus.
Circumseptus miles hic ab hostibus
Cassis horum insultat conatibus.

Hac nos quoque, Domine,
Turre semper protege,
Vallo nos et aggere
Tuo vallans undique,
Ne quis hosti pateat
Aditus quo feriat.
Hic (1) te quisquis invocat,
Tutos somnos capiat;
Et quo sumus plus ignavi,
Ope muni nos majori.
Qui si palma non pollemus, nostrum
Vice quadam asistamus peditum;
Si victorum non meremur bravium (2),
Evasisse satis sit periculum.

Multa sunt.

COMMUNE CONFESSORUM.

LXXXII.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Justorum memoriam dignam laudibus
Psalmis, ymnis, canticis spiritalibus
Mater ovans celebrat Ecclesia;
Quorum fidens postulat sufragia.
Summe pater, tibi grates et sollempnes hostiæ
De collatis tuæ donis exsolvantur gratiæ,
Per quem sunt justi quicunque sunt,
Per quem sunt beati quicunque sunt (3).

Horum bona dona sunt tuæ gratiæ,
Horum laudes ymni sunt tuæ gloriæ;
Laudat quisquis, laudat hos veraciter,
Te in ipsis, ipsos in te pariter.
Horum festa celebrandi summa non est alia,
Nisi quædam recitandi tua beneficia
Per quem sunt justi quicunque sunt.

In sanctis mirabili Deo gloria,
Ex quo, per quem, in quo sunt omnia,
Cujus agit quidquid vult potentia,
Optimeque disponit prudentia,
Quem et velle geri bene disponique singula
Dubitari non permittit ejus summa bonitas (4).

LXXXIII.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Tu quæ carnem edomet
Abstinentiam,
Tu quæ carnem decoret
Continentiam,
Tu velle quod bonum est his ingeris
Ac ipsum perficere tu tribuis.
Instrumenta
Sunt his tua
Per quos mira peragis,
Et humana
Moves corda
Signis et prodigiis,
Per quem.

A Obsessos dæmonibus
Ab his liberant,
Audacter (5) languoribus
Cunctis imperant,
Verbo paracliticis subveniunt;
Lepræ fert oratio remedium;
Cæcis visum,
Claudis gressum,
Vitam reddunt mortuis;
Quidquid petunt,
Per te possunt,
Qui, quæ jubes, perficis;
Per quem.

In sanctis.

LXXXIV.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Præsens vita fuit his sexta feria,
B Qua Christo compassi sunt abstinentia.
Sicut ipse tolli crucem præcipit,
Et se Paulus crucifixum (6) asserit.
Post hanc quies animarum subit tanquam sabbatum
Stolam tandem in octava reddes illis corporum.
Per quem.

Persequentis gladius illis defuit,
Sed paratus animus illis (7) affuit.
Si non tulit corpus ictus gladii,
Palmam tamen habet mens martirii.
Cesset lictor, cessent cuncta tormentorum genera.
Tu qui cordis es inspector, ad hoc refers præmia.
Per quem.

In sanctis mirabili.

LXXXV.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

C Justorum exequiæ laudes exigunt,
Impiorum funera luctus ingerunt;
Hos ad vitam mors æternam evehit,
Illos duplex mors in morte conterit.
Gravis ista sanctis vita carcer est et vincula.
His contritis ad te fugit erepta hinc anima.
Per quem.

Ad te cum pervenerit felix anima,
Quis narrare sufficit ejus gaudia?
Quæ majestas illa sit, quam conspicit,
Quæ circumstans curia, quis dixerit?
Nemo miser illam potest gloriam conspicere
Qua lætare cum electis, ad quam et nos pertrahe.
Per quem sunt justi.

In sanctis.

COMMUNE SS. MULIERUM.

LXXXVI.

D IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Ab utroque sexu plagam traximus,
Ab utroque medelam suscepimus,
Virum Deus induit in virgine
Quo salventur tam viri (8) quam feminæ:
Orta salus est ex femina;
Unde culpa, cœpit gratia.

Quo post culpam sexus hic abjectior
Per naturam fuerat inferior,
Hoc nimirum divina clementia

(1) Cl. v. Cousin perperam edidit *Hinc*.
(2) Cl. v. Cousin, glossarium Græcum secutus, substituit *brabium*.
(3) Leguntur superscripta hæc verba : *Vel* : *Sine quo beati nulli sunt*.
(4) Hæc stropha ita in Codice posita est, ut æque ad præcedentem ac ad sequentem hymnum referri queat.
(5) Cod. *Audacter*.
(6) Cod. *crucifixus*.
(7) Cod. habet : *Sed paratus animus habuit affuit*. Cl. v. Cousin omisit *habuit*, addens « aliquid deesse videri ad rhythmum. »
(8) Cod. *vitæ*.

Hunc majori (1) sublimavit gratia;
Quod ab ejus matre virgine
Per singulos gradus inspice.

Quis sanctarum eam æmulantium
Numerare possit choros virginum?
Post has esse quis nescit innumeras
Sacrum votum amplectentes viduas?
Nec deesse matrimonio
Quæ flagrent hoc desiderio.

Post has omnes, si scorta respiciam,
Magdalenæ ungens Ægyptiacam,
Ubi culpa prius habundaverat,
Cerno quia virtus postea liberat (2).
Christo (3) decus, ipsi gloria,
Qui tot facit mirabilia.

LXXXVII.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Post honorem singularem virginis,
Quæ sic pollet, ut sit Dei genitrix,
Qua virtute vel honore præditi
Sint istius gradus sexus singuli,
Multiplici rerum specie
Sacræ docent nos historiæ.

Paradisi primus Adam incola
Extra factus fuit, intus femina,
Ut et (4) locus ipse sit inditio,
Quam excellens harum sit creatio,
Quæ de costa viri conditæ
Fortes essent velut osseæ.

Hæc in multis fortitudo irruit,
Cum virorum virtus exaruerit (5).
In exemplo perstat (6) judex Debora,
Et quæ stravit Holophernem vidua (7),
Sollempnemque missam merita,
Septem fratrum mater inclita.

Jepte nata victoris in proprium
Patris dextram animavit jugulum,
Mori magis eligens, quam gratiam
Voto pater fraudet sibi præstitam.

Christi decus.

LXXXVIII.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Si cum viris feminas contendere
De virtute liceat constantiæ;
Quis virorum mentis fortitudine
Adæquari possit Jepte filiæ,
Quæ ne voti pater reus sit,
Se victimam patri præbuit?

Quid fecisset in agone martirum,
Si negare cogeretur Dominum?
Unde tanta virginis constantia
Quadam pollet spiritali gratia,
Ut sollemnes hymni virginum
Virgineum colant exitum.

Multi viri (8) factis excellentibus
Liberarunt fideles ab hostibus,
Hester sola liberando populum
Hinc festivum (9) meruit præconium,
Ut scilicet, quantum emineat
Feminarum virtus, pateat.

Quantum quippe sexus hic est fragilis,
Eo virtus ipsius mirabilis
Majus laudis erigit præconium,
In præcelsum erigenda titulum.

Christi decus.

LXXXIX.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Ut ad nostra veniamus tempora,
Quæ divina superfudit gratia,
Quis in ista feminas præcellere
Non valebit ex multis colligere,
Post Mariam Annam intuens,
Elizabeth quoque contuens?

Christi pedes capit unguens mulier,
Christum eum fecit corporaliter.
Sacerdotis et regis misteria (10)
Suscepisse constat hunc a femina,
Et qui eum sexus peperit
Sacramenta quoque tradidit.

Et sepulto ferens hic (11) aromata
Resurgentis prior vidit gaudia,
Et ex culpa vile magis femina
In hac omnes antecessit gratia,
Ut pateat quanto gaudio
Peccantium sit conversio.

COMMUNE VIRGINUM.

XC.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Sponsa Christi, tam virgo quam mater,
Cujus palma celebris hæc dies est,
Palma duplex festum præsens geminat,
Virgo carnem, martir hostem superat.
Hinc igitur psalmi resonent,
Lectiones inde concrepent.

Hæc in viris duplex palma rarior;
Eminet in feminis uberior;
Ut sexus harum est infirmior,
Sic ipsarum virtus mirabilior,
Et ipsarum tanto gratior
Sit hostia, quanto purior.

Integra tam spiritu quam corpore,
Holocaustum verum fit ex virgine.
Ad incensum hujus refer hostiæ
Rufæ tipum et tenellæ vitulæ.
Illic umbra, sed hic veritas,
Si res signis bene conferas.

Quæ cor Deo per se consecraverat,
Per lictorem nunc et corpus immolat;
Consecratus Deo primum animus
Hosti corpus exponit intrepidus.
Christi decus.

XCI.

IN II NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Cum in sanctis sit Deus (12) mirabilis,
Præminet in meritum victoriis.
Sed cum dat feminis victoriam,
Quis non cunctis præferat gratiam?
Ut sexus est fragilior,
Hoc sit virtus mirabilior.

(1) Cod. *majora.*
(2) Cod. *post exliberat.*
(3) Cod. *Christi.*
(4) Cod. *ex.*
(5) Cl. v. Cousin substituit *exaruit* præter auctoritatem Cod. et rythmi leges.
(6) Cl. v. Cousin *præstat.*
(7) Cl. v. Cousin : *Judita.*
(8) Cl. v. Cousin loco *viri* edidit *ut.*
(9) Cl. v. Cousin dedit *festinum.*
(10) Cod. *Mistericia*, literis *ci* notatis obelo.
(11) Cl. v. Cousin *hinc. Hic* refertur ad *sexus.*
(12) Sic Cod. Cl. v. Cousin *Deus sit.*

Exquisita tormentorum genera
Feminarum superat constantia.
Aut istarum virtus est mirabilis,
Aut agonum horum pœna facilis;
Sed utrumque geri melius,
Disponente Deo, credimus.

Valida est, sicut mors, dilectio,
Nec istius ignis est extinctio.
Aquæ multæ non possunt extinguere
Caritatis flammam invictissimæ;
Nec est unquam (1) cum hac debilis
Sexus, quantumcunque fragilis.

Quid barbati dicturi sunt juvenes,
Delicatæ quum hæc ferant virgines?
Erubescat ad hæc sexus fortior,
Ubi tanta sustinet infirmior.
Christi decus.

XCII.

IN III NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Quantum (2) sponso fidelis hæc fuerit,
Tam ipsius vita quam mors docuit.
Illa corpus integrum custodiens,
Hæc ipsius holocaustum offerens,
Virgo sponsa, virgo sponsus est,
Sponsa mater, sponsus martir est.

Talem sponsum talis sponsa decuit,
Quæ secuta sit, quocunque ierit,
Quos nec sacræ carnis decor dividat,
Nec in morte dispar amor pateat.
Subsecuuntur sponsum ceteræ;
Hæc incedit juncto (3) latere.

Et regina sponsi tenens dexteram,
Subsequentem turbam habet ceteram.
In vestitu deaurato renitet,
Et quæ coronas supradictas possidet.
Ceterarum hoc est optimum,
Incorruptum est et rutilum.

Sertum rosis, intextum et liliis
Sunt insigne martiris et virginis,
In odorem Christo suavissimum.

A Martir rosam, virgo profert lilium.
Indumenta dant insignia,
Candens (4) bissus, rubra purpura.

Pulcri (5) gressus ejus sunt in calceis,
Quos et sponsus conlaudat in canticis.
Quis sit ejus ornatus, prædictum est;
Quo sit ejus progressus, dicendum est.
Christi decus.

XCIII.

AD LAUDES ET AD VESPERAS.

Ut aurora consurgens progreditur,
Quæ cælestis sponsi thoro jungitur (6);
Sicut sponsa fœderata fecerat,
Illic tanquam uxor jam cohabitat.
Sic in fide facta fœdera,
Illic in re perpes copula.

B Paranymphos illic habet (7) angelos,
Quos custodes habemus hic proprios.
Ad superna thalamorum gaudia
Illam pompa deducit angelica.
Hinc obviam (8) virgo virgines,
Illinc mater habet martires.

Cum ad sponsum sic deducta venerit,
Et in ejus complexu quieverit,
Qua fruatur gloria quis dixerit?
Quæ mens tanta gaudia conceperit?
Ad hæc certe nemo sufficit,
Nisi forte cum hæc senserit.

Hæc sunt illa quæ non vidit oculus (9),
Nec humanis capi possunt cordibus
Quæ se Deus præbet diligentibus,
Ab æternis parata temporibus.
Christi decus.

C IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

XCIV.

IN I NOCTURNO ET AD VESPERAS.

Peccatricis beatæ sollempnitas
Peccatores maxime lætificat.
(10) . . . .

(1) Sic Cod. Forte legendum *numquam*.
(2) Cod. *Quanto*.
(3) Cod. *jucto;* cl. v. Cousin *victo*.
(4) Cl. v. Cousin *Cadens*. Cod. hoc loco maculatus.
(5) Cl. v. Cousin *Pulchri;* correctio non necessaria, quum tempore Ciceronis litera *h* illuc intrusa non esset.
(6) Cod. *junguntur*.
(7) Cod. *habent*.
(8) Cod. *oviam;* non vero *aviam*, ut scribit cl. v. Cousin.
(9) Cod. *oculos*.
(10) Reliqua folia jampridem (ut ex detrito ultimo folio patet) perdita sunt. Præter hymnos aliquot capiebantur illis Sequentiæ, ut initio monuimus.

HYMNUS

IN ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

(Daniel, *Thesaur. hymnologic.*, II, 59.)

Mittit ad virginem
Non quemvis angelum
Sed fortitudinem
Suam, archangelum,
Amator hominis.

Fortem expediat
Pro nobis nuntium,
Naturæ faciat
Ut præjudicium
In partu virginis.

Naturam superat
Natus rex gloriæ,
Regnat et imperat
Et zyma scoriæ
Tollit de medio.

Superbientium
Terat fastigia,
Colla sublimium
Calcet vi propria
Potens in prœlio.

Foras ejiciat
Mundanum principem,
Matremque faciat
Secum participem
Patris imperii.

Exi qui mitteris,
Hæc dona dissere,
Revela veteris
Velamen literæ
Virtute nuntii.